

Apr. 5, 1914 $ 4.35



J M Aldrich

# INSECTA LAPPONICA

DESCRIPTA

A

**JOHANNE WILHELMO ZETTERSTEDT,**

EQUITE AURATO ORDINIS REG. DE WASA,

PHIL. DOCT., AD UNIVERSITATEM LUNDENSEM SUECORUM PROFESSORE REG., ACADEMIAE SECRETARIO ORD. ET BOTANICES PROFESSIONI ATQUE HORTO BOTANICO H. T. PRAEFECTO; REG. ACAD. SCIENT. HOLM., SOCIET. ENTOMOL. PARIS., NAT. CURIOS. LIPS., SOCIET. PRO FAUNA ET FLORA FENNICA, SCIENTIAR. LITTERARUMQUE ELEGANT. GOTHOB., PHYSIOGRAPH. LUND., REG. SOC. OEC. MALMOG. ETC. SODALI, ET REG. SOC. OECON. BOTN. OCCIDENT. MEMBRO HONORIFICO.

LIPSIAE,

SUMTIBUS LEOPOLDI VOSS.

MDCCCXL.

# CONSPECTUS SYNOPTICUS
## ORDINUM, FAMILIARUM ET GENERUM INSECTORUM,
### HOC IN OPERE DESCRIPTORUM.



**

## Ordo V.
## DIPTERA 503.

# SECTIO PRIMA

## COLEOPTERA, ORTHOPTERA ET HEMIPTERA.

VIRO AMPLISSIMO

# D. GUSTAVO KUNZE,

BOT. PROFESS. LIPSIENSI CELEBERR., ENTOMOLOGO GERMANORUM EXIMIO,

AMICO PLURIB. NOMINIBUS COLENDO

SACRUM.

# PRAEFAMEN.

Offero Tibi heic, L. C. *Insectorum Lapponicorum Faunam*, haud quidem absolutam (huic enim non sufficit totius saeculi, multo minus unius viri labor), sed tamen ita locupletem, ut numerus specierum solum lapponicarum, in nostro libro descriptarum, multo excedat numerum insectorum, per totam Sueciam tempore LINNAEI cognitorum, et in ejus Fauna Suecica introductorum. Desiderantur adhuc sine dubio etiam in praesenti nostro opere plures Lapponiae hujus classis incolae, licet heic multas novas allegare potuerim, quas detegere mihi contigit, cum nuper (ann. 1832) mihi prospera fuerit occasio terras arcticas, ut optavi et volui, iterata vice invisendi.

Lapponia in *quatuor regiones* commode dividi potest, quarum unaquaeque quemadmodum aliud clima, aliud solum aliasque plantas, ita etiam certa sua et determinata animalcula profert. Ab initio mensis Junii usque ad finem mensis Septembri, Lapponiae I. *regio sylvatica*, saltem in convallibus, hoc tempore a nive liberata, et sole longiori illustrata atque calefacta, insecta Sueciae vulgaria ex omnibus fere generibus producit. Obveniunt ibi imprimis: ***Elaphrus*** cupreus, riparius; ***Bembidium*** celer, Grapei; ***Loricera*** pilicornis; ***Nebria*** Gyllenhali; ***Harpalus*** vulgaris, torridus, oblongo-punctatus, strenuus, tibialis, cupreus; ***Clivina*** arctica; ***Omalium*** piceum, substriatum, depressum; ***Tachyporus*** ruficollis, lepidus; ***Staphylinus*** murinus, laevigatus, aeneus, sordidus, atratus; ***Lathrobium*** fulvipenne; ***Stenus*** Juno, boops; ***Aleochara*** canaliculata, quisquiliarum, longicornis, fumata; ***Lycus*** Aurora; ***Cyphon*** griseus; ***Byrrhus*** varius; ***Cryptophagus*** ater; ***Scaphidium*** agaricinum; ***Triplax*** aenea; ***Ips*** 4-pustulata; ***Nitidula*** obsoleta; ***Peltis*** ferruginea, limbata; ***Silpha*** opaca; ***Trichius*** fasciatus; ***Psammodius*** sabuleti; ***Aphodius*** foetidus; ***Hister*** caesus, frontalis; ***Hololepta*** depressa; ***Sphaeridium*** unipunctatum, melanocephalum, atomarium; ***Hydrophilus*** fuscipes; ***Elophorus*** griseus; ***Gyrinus*** marinus; ***Dyticus*** agilis, maculatus, arcticus, congener; ***Hyphydrus*** consobrinus, erythrocephalus, picipes, rufifrons; ***Buprestis*** viridis; ***Elater*** linearis, aeneus, rivularius, tristis, fugax, brunneus; ***Anthicus*** rufipes; ***Pytho*** depressus; ***Dircaea*** discolor; ***Rhynchaenus*** violaceus, Pineti, Pini; ***Orchestes*** scutellaris, bifasciatus; ***Hylurgus*** Piniperda; ***Cis*** Boleti; ***Lamia*** aedilis; ***Saperda*** scalaris; ***Leptura*** Lamed, interrogationis, virens; ***Donacia*** semicuprea, Menyanthidis; ***Auchenia*** subspinosa; ***Cryptocephalus*** Pini; ***Galleruca*** Capreae; ***Haltica*** oleracea; ***Chrysomela*** Cochleariae, pallida, marginata, Vitellinae, Raphani; ***Phalacrus*** Millefolii, bicolor; ***Coccinella*** 7-punctata, 14-guttata, hyperborea, botnica. — ***Blatta*** lapponica; ***Locusta*** brachyptera; ***Gryllus*** rufus, pedestris; ***Acridium*** bipunctatum. — ***Lygaeus*** Thymi, chiragra, erraticus; ***Anthocoris*** nemorum; ***Salda*** saltatoria; ***Aradus*** Betulae; ***Acanthia*** lectularia; ***Phytocoris*** campestris, rubicunda, pulicaria, Betuleti; ***Capsus*** ambulans; ***Miris*** ferus; ***Hydrometra*** lacustris; ***Corixa*** striata; ***Cercopis*** spumaria; ***Cicada*** abdominalis, ocellaris, cruentata, Rosae; ***Jassus*** fruticola; ***Psylla*** Juncorum; ***Chermes*** fusca, picta; ***Thrips*** Physapus.

Dipteris autem, eorumque praeprimis aquaticis, abundat pars Lapponiae sylvatica fluminibus et paludibus repleta. E Scatomyzidum genere ***Cordylura*** (Diptero, cujus larva in aquaticis et terra uliginosa certe degit) solum in hac regione 46 species, plerasque ad utrumque sexum determinatas, detexi, quarum unica tantum europaea (scil. ***Musca*** pubera) LINNAEO et FABRICIO cognita fuit. In Lapponia sylvatica myriades ***Tipulariarum*** mens. Jul. et Augusto florent.

Sed numerat haec regio etiam quasdam species ei fere proprias, et in reliqua Lapponia aut non, aut rarissime et parcissime occurrentes; ex. gr. reperitur: ***Elaphrus*** lapponicus; ***Bembidium*** Fellmanni, olivaceum, Hasti, Pfeiffi, Sahlbergi etc.; ***Nebria*** borealis; ***Harpalus*** laevipes nov. sp., lapponicus n. sp., borealis, picicornis n. sp., putridus n. sp., tarsatus n. sp., consimilis; ***Blethisa*** Zetterstedti Gyll., arctica; ***Pteroloma*** Forsströmi; ***Omalium*** boreale, rotundicolle n. sp., fenestrale n. sp., exiguum n. sp., impressum n. sp., pubescens n. sp., lineare n. sp., quadrum n. sp., megacephalum n. sp.; ***Tachyporus*** obscurellus n. sp.; ***Tachinus*** flavellus n. sp.; ***Staphylinus*** 4-punctatus n. sp.; ***Lathrobium*** punctatum; ***Stenus*** nigritulus, palposus; ***Oxytelus*** lapponicus n. sp.; ***Lomechusa*** inflata n. sp.; ***Aleochara*** moesta n. sp., pygmaea n. sp., collaris, fuscula, villosa; ***Dorcatoma*** Dresdensis; ***Pselaphus*** mucronatus; ***Byrrhus*** sulcatus n. sp., picipes; ***Dermestes*** pubescens n. sp.; ***Catops*** alpinus; ***Cryptophagus*** Zetterstedti n. sp. Schönh.; ***Silpha*** lapponica; ***Aphodius*** Lapponum, piceus, borealis n. sp.; ***Elophorus*** fennicus, tuberculatus; ***Dyticus*** lapponicus, melanopterus n. sp., serricornis, Grapei, verrucifer, vittiger, elongatus; ***Hyphydrus*** alpinus, bidentatus, frater, 5-lineatus n. sp., septentrionalis, figuratus, ruficornis n. sp., rufipes n. sp., striola; ***Halipus*** elevatus; ***Elater*** bifasciatus, borealis, melancholicus, costalis; ***Tetratoma*** Ancora; ***Anisotoma*** suturalis n. sp., spinula n. sp., rotundata; ***Cucujus*** testaceus; ***Mycetophila*** flavipes, obscura n. sp.; ***Salpingus*** foveolatus; ***Anthribus*** scabrosus v. h.; ***Rhynchites*** Rhinomacer; ***Apion*** affine; ***Calopus*** aeneus; ***Rhynchaenus*** frontalis, duplicatus, nitidus, 4-tuberculatus, bituberculatus n. sp., atrirostris, borealis, lepidopterus, intermedius n. sp.; ***Orchestes*** suturalis n. sp., ruficornis n. sp.; ***Hylurgus*** glabratus n. sp.; ***Bostrichus*** geminatus n. sp., suturalis, pusillus; ***Cis*** Betulae n. sp.; ***Latridius*** ferrugineus; ***Cerylon*** Juglandis; ***Lamia*** grisea; ***Molorchus*** dimidiatus; ***Callidium*** fuscum, luridum; ***Cryptocephalus*** punctiger, bilineatus; ***Clythra*** tridentata; ***Haltica*** femorata, Erichsoni, Fischeri n. sp., Chrysanthemi; ***Coccinella*** intermedia n. sp., 18-guttata, arctica. — ***Acridium*** fuliginosum n. sp., hilare n. sp., carbonarium n. sp. — ***Tetyra*** lapponica n. sp.; ***Anthocoris*** nigricornis n. sp., nigrella n. sp., obscurella n. sp., pulchella n. sp., stigmatella n. sp.; ***Geocoris*** lapponica n. sp.; ***Bryocoris*** Pteridis; ***Salda*** affinis n. sp.; ***Tingis*** nigrina, cassidea; ***Phytocoris*** graminicola n. sp., marginata n. sp., punctata n. sp., rosea, nigritula n. sp., Bohemanni n. sp., aethiops n. sp., obscurella etc.; ***Capsus*** boreellus n. sp., flavo-maculatus, opacus n. sp., nigritulus n. sp., pygmaeus; ***Ophthalmocoris*** Sahlbergi n. gen. ***Corixa*** fossarum; ***Cercopis*** lineata; ***Cicada*** livens n. sp., lividella n. sp., balteata n. sp., tincta n. sp., Bohemanni n. sp., stupidula n. sp.; ***Cicadula*** Germari n. gen. et sp., moesta n. sp., pallens n. sp., punctipes n. sp., flavipennis n. sp., torneella n. sp., strigipes n. sp., alpina n. sp., sulphurella n. sp., citrinella n. sp.; ***Jassus*** nigritulus n. sp.; ***Chermes*** pulchra n. sp., elegantula n. sp., acutipennis n. sp., affinis n. sp., viridula n. sp., nigrita n. sp.; ***Aphis*** costata n. sp., punctipennis n. sp.; ***Thrips*** Fungi n. sp.; ***Dorthesia*** Chiton n. sp.*

2. ***Regio subsylvatica*** et ***subalpina***, alpibus nivalibus magis appropinqua, attamen mensibus Julio et Augusto minime inops vegetationis, ex qua insectorum multitudo mire dependet, praesertim ad latera montium versus meridiem insectis scatens, in suis salicibus, betula et variis plantis alpestribus, praeter multa insecta cum regione sylvatica communia, propria sustentat, occurrit enim: ***Harpalus*** alpinus; ***Anthophagus*** alpinus; ***Omalium*** alpinum n. sp.; ***Boreaphilus*** Henningianus; ***Cantharis*** lapponica; ***Nitidula*** boreella n. sp.; ***Cercus*** glaberrimus; ***Catops*** bidentatus; ***Hyphydrus*** griseo-striatus, assimilis; ***Chrysomela*** lapponica, affinis; ***Corixa*** carinata; ***Chermes*** nebulosa n. sp.

***Simuliae Culicumque*** legio in hac regione, praesertim in betuletis, viget et viatorem punctione dolorosa infestat.

3. ***Regio alpina***, quae ex alpibus summis et ipso jugo, nive perenni tectis, constituitur, suo frigido gremio minorem numerum insectorum fovet. Ibi vero sat frequenter occurrunt: ***Notiophilus*** aquaticus; ***Carabus*** glabratus; ***Harpalus*** Quenseli, alpinus var., rufipes; ***Aphodius*** piceus; ***Hyphydrus*** nigrita; ***Rhynchaenus*** arcticus; ***Curculio*** laevigatus. — ***Gryllus*** biguttatus.

Non nisi rarius in hac regione leguntur: ***Aphodius*** Rhenonum n. sp.; ***Hyphydrus*** Lapponum; ***Chrysomela*** alpina; — ***Gryllus*** pedestris.

***Tipulariae*** summas alpes omnino aufugiunt.

4. ***Regio inferalpina***, quae in Lapponia occidentali seu Nordlandiae Finmarkiaeque locis montosis subalpinis inter jugum alpinum et mare boreale glacialeque dominatur, insectorum minime pauper est. In insulis scilicet et ad littora sinuum interiorum, ad radices alpium, nec non in convallibus saepe amoenissimis hujus regionis plura insecta deprehenduntur. Vulgaria sunt: ***Harpalus*** brunneus, torridus, dorsalis; ***Anthophagus*** Caraboides, alpinus; ***Omalium*** tectum, Ranunculi; ***Hylecoetus*** Dermestoides; ***Lycus*** sanguineus; ***Cantharis*** elongata, paludosa, alpina, pilosa; ***Dasytes*** obscurus; ***Nitidula*** aenea; ***Trichius*** fasciatus; ***Sphaeridium*** littorale; ***Hyphydrus*** griseo-striatus, melanocephalus; ***Buprestis*** appendiculata; ***Elater*** subfuscus; ***Anthicus*** sellatus, nigrinus; ***Boletophagus*** crenatus; ***Orchesia*** micans; ***Hallomenus*** flexuosus; ***Apion*** Viciae; ***Rhynchaenus*** Campanulae, dorsalis, Carpini; ***Curculio*** fulvicornis; ***Bostrichus*** domesticus; ***Callidium*** striatum; ***Rhagium*** Inquisitor; ***Leptura*** smaragdula; ***Donacia*** sericea; ***Cryptocephalus*** labiatus; ***Clytra*** 4-punctata; ***Haltica*** aridella; ***Chryso-***

---

* Insecta lapponica reliquorum Ordinum non minus vulgaria quam Lapponiae certis regionibus propria, in praefamine sequentium partium commemorabuntur.

***mela*** pallida var., marginata, Vitellinae; ***Coccinella*** 4-pustulata; ***Blatta*** lapponica; ***Lygaeus*** erraticus; ***Anthocoris*** nemorum; ***Salda*** littoralis; ***Aradus*** lugubris; ***Acanthia*** lectularia; ***Phytocoris*** campestris, leucocephala; ***Miris*** holsatus; ***Cicada*** abdominalis.

Ex insectis singularibus et huic regioni fere propriis leguntur: ***Cicindela*** maritima; ***Harpalus*** laevipes n. sp.; ***Anthophagus*** maxillosus n. sp., omalinus n. sp., globulicollis n. sp.; ***Omalium*** brevipenne, Gyllenhali, nivale, Fahraei; ***Cryptophagus*** clavatus n. sp.; ***Cercus*** bipustulatus; ***Aphodius*** Lapponum; ***Hydrophilus*** spinosus; ***Hyphydrus*** rivalis. ***Elater*** undulatus, hyperboreus; ***Anisotoma*** pusilla n. sp.; ***Curculio*** Bohemanni n. sp., alpinus n. sp., Schönherri n. sp.; ***Anaspis*** ruficeps n. sp., arctica n. sp.; ***Orsodachna*** chlorotica; ***Lema*** cyanella; ***Haltica*** borealis n. sp.; ***Coccinella*** strigata; ***Acridium*** bimaculatum; ***Alydus*** calcaratus; ***Salda*** elegantula, opacula n. sp.; ***Anthocoris*** tenella n. sp.; ***Phytocoris*** Pinetella n. sp.; ***Cicada*** confinis n. sp., lunulata n. sp., grisescens n. sp., alpina n. sp.; ***Cicadula*** maculipes n. gen. et sp., Dahlbomi n. sp., gracilis n. sp., micantula n. sp., spreta n. sp.; ***Cixius*** lapponicus n. sp.; ***Thamnotettix*** lunulata n. gen. et sp.; ***Delphax*** punctata n. sp., hemiptera; ***Thrips*** picipes n. sp.

Insulae maritimae, promontoria et loca littoralia atque aprica, ventis fere continuo vexata, a ***Tipulariis*** parum salutantur. His enim insectis tempestates non minus quam frigus valde inimica videntur. In convallibus autem interioribus magis temperatis, locis occultis et sylvaticis, imprimisque paludosis Nordlandiae Finmarkiaeque, innumerus grex ***Culicum Simuliarumque*** occurrit.

Inter reliquae Scandinaviae insecta ad Ordines Coleopterorum, Orthopterorum et Hemipterorum referenda: ***Calosomatis***, ***Pogonophori***, ***Licini***, ***Amblychi***, ***Synuchi***, ***Panagaei***, ***Odacanthae***, ***Oxypori***, ***Lampyris***, ***Atopae?*** ***Notoxi***, ***Tilli***, ***Ptilini***, ***Trixagi***, ***Lucani***, ***Trogositae***, ***Platyceri***, ***Geotrupis***, ***Hopliae***, ***Melolonthae*** (excepta *M. Julii*), ***Limnii***, ***Sperchaei***, ***Melasis***, ***Tenebrionis***, ***Blabis***, ***Opatri***, ***Cossyphi***, ***Phaleriae***, ***Lyttae***, ***Lagriae***, ***Melandryae***, ***Helopis***, ***Allecul ae***, ***Conopalpi***, ***Rhipiphori***, ***Cistelae***, ***Bruchi***, ***Lixi***, ***Calandrae***, ***Nemozomatis***, ***Colydii***, ***Clyti***, ***Hispae***, — ***Gryllotalpae***, ***Achetae***, — ***Reduvii***, ***Emesae***, ***Gerris***, ***Beryti***, ***Ranatrae***, ***Naucoridis***, ***Centroti***, ***Ledrae***, ***Ulopae***, ***Issi***, ***Tettigoniae*** et ***Aleirodis*** species omnes e Lapponia omnino exsulant. Haec igitur animalcula frigori ceteris impatientiora videntur.

Species trium primorum Ordinum, quae altissime in alpibus adscendunt*, et quae in summitatibus non minus jugi alpini, sed quoque solitariarum alpium, in ipsa nive ipsoque mense Julio frequenter ambulantes inveniuntur, praecipue a me visae sunt: ***Notiophilus*** aquaticus; ***Bembidium*** bipunctatum; ***Nebria*** Gyllenhali, nivalis; ***Harpalus*** melanocephalus, Quenseli, picicornis n. sp.; ***Anthophagus*** alpinus, omalinus; ***Omalium*** impressum n. sp.; ***Curculio*** Maurus; ***Chrysomela*** affinis, alpina n. sp.; — ***Blatta*** lapponica.

In ***insectis lapponicis disponendis*** a serie vulgari paullo recessi; *praedatoria* in capite cujusvis Ordinis ut *primates* locans, non solum quia major organorum et exinde major functionum numerus in his adest, verum etiam quo debita harmonia in dispositione inter haec et superiora perfectioraque animalia (Mammalia et Aves) quantum fieri potuit, obtineatur. Sic ***Cicindelatae***, Coleopterorum, ***Forficulariae***, Orthopterorum, et ***Cimicides***, Hemipterorum, primam Familiam jure efficiunt. ***Libellulariae*** autem in Neuropteris, ***Sphegineae*** in Hymenopteris et ***Asilici*** in Dipteris ut primates haud inepte collocantur.

An ***species*** nudas, vel insimul ***characteres genericos*** in hac Fauna afferrem, diu haesitavi. Credidi autem quemcunque, qui iter in Lapponiam Entomologiae causa est facturus, ita in scientia esse versatum, ut sine consultatione libri agnoscat, ad quod saltem genus insectum inventum pertineat. Ego igitur qui opus tam, quam fieri potuit, volumine angustum dare volui, *diagnoses generum* more Wahlenbergiano (in Flora Lapponica) omisi, notas habituales semper afferens. *Habitationem* vero et *differentiam sexus*, quantum indagare potui, propriis observationibus innixus, adcurate annotavi, *numerumque specierum* ***Scandinaviae*** hactenus detectarum quoque allegavi.

In ***Synonymis*** afferendis paucus fui, semper de eo sollicitus, ne in magnum volumen excresceret liber. Tales solummodo auctores citavi, qui et optime et novissime species descripserunt. Pro Synonymia Coleopterorum citationem PAYKULLI Faunae minus necessariam duxi; Faunam vero Suecicam LINNAEI et Insecta GYLLENHALI citare nullibi neglexi, ut etiam synonym. SCHOENHERRI, SAHLBERGI, GRAVENHORSTI, STURMI, GERMARI, DEJEANI cet. pro Coleopteris, CHARPENTIERI pro Orthopteris, nec non FALLENI pro Hemipteris, confidenter saepius attuli.

***Loca natalia*** insectorum nomine tantum designavi. Ea enim in *itineribus* meis *lapponicis* annis 1822 et 1832 editis, jam accuratius sunt determinata. Lectores igitur, loca cognoscere cupientes, ad hos meos libros delegare mihi licitum sit. Ad Kengis, Junosuando, Wittangi, Juckasjervi, Muonioniska et Karesuando, Lapponiae Tornensis seu septentrionalis; in ipso jugo alpino Tornensi; ad Bjorkvik, Evenas, Giebostad, Tromsoe, Lyngentind et Schiervoe Nordlandiae; ad Alteidet, Gamstenstind, Jockelstind, Talvig, Bossekop et Altengaard Finmarkiae, atque ad Lycksele, Stensele, Umenaes.

---

* In cacumine montis Teneriffae, *Vespae* speciem altius, quam ullum aliud insectum, adscendere, mihi a viro fide digno relatum est. — Cfr. praeterea de hac re gravis et egregius ille libellus, qui inscribitur: „Mittheilungen aus dem Gebiete der theoretischen Erdkunde, von J FRÖBEL und OSW. HEER. I. Bd Zürich 1834." Tab. ad pag. 39, ubi adscensus et limites Coleopterorum in Alpibus Helveticis adcurate exhibentur.

Wilhelmina, Åsele, et in alpe Brattihsfjell, Lapponiae Umensis seu meridionalis, diutius me detinui, ibique plurima insecta inveni. E collectionibus D. D. Pastorum Grapei in Karesuando et Enontekis, Fellmanni in Utsjoki (Lapponiae Kemensis) et Kolströmi in Muonioniska, Organistae Portini in Matarengi, et Medici Provincialis atque Assessoris Deutzii in Tornea, mihi benevole patentibus, multa insecta lapponica, quae ipse sub itinere frustra quaesivi, descripsi. Cel. Eques Schoenherr, qui scientiam ejusque cultores singulari favore semper amplectitur, haud parvam insectorum messem, e Lapponia reportatam, mecum benigne communicavit, idemque amicitiae signum a Cel. Prof. Aboënsi et Equ. Sahlberg ut et Generosiss. Comite a Mannerheim, olim Petropolitano, jam Duce Wiborgensi, laetus gratusque accepi. E Groenlandia messem insectorum arcticorum mihi quoque benigne communicavit amicissimus Westermann, Havniensis, quae in hoc opere describere haud alienum duxi. Ne tandem reticeam adjumentum, quod in insectis lapponicis colligendis mihi dederunt in itineribus arcticis socii, D. D. Professor B. Fries, et amicissimus magnopereque laudandus Entomologus Doct. A. G. Dahlbom.

Demum *limitem Insectorum*, seu eorum ex septentrione versus meridiem, in Scandinavia descensum, quantum observare mihi licuit, semper indicavi. Est autem Scania ultima Scandinaviae provincia meridiem versus. Ubi igitur de insecto dicitur: illud ex. gr. in „Lapponia — Scania“ habitare, significatur, idem non solum in his extremis provinciis, verum etiam in interjacentibus inveniri. Quando non nisi in certis Sueciae terris repertum est, has terras sine linea intermedia indicavi, ex. gr. „Lapponia; Ostrogothia,“ quo significatum volui, speciem tantum in Lapponia et Ostrogothia hactenus esse visam.

Valeas liber, Lectoribus salutem dicas, et apud Eos auctorem commendes.

Dabam **Lundae** Suecorum in Museo meo die 3. Martii 1837.

***J. W. Zetterstedt.***

# CONSPECTUS

## FAMILIARUM ET GENERUM COLEOPTERORUM LAPPONIAE.

---

### I. PENTAMERA.

FAM. 1. CICINDELATAE.

1. Cicindela.

FAM. 2. CARABICI.

2. Elaphrus.
3. Notiophilus.
4. Bembidium.
5. Trechus.
6. Loricera.
7. Nebria.
8. Blethisa.
9. Pteroloma.
10. Carabus.
11. Cychrus.
12. Harpalus.
13. Clivina.
14. Brachinus.
15. Cymindis.
16. Lebia.

FAM. 3. BRACHELYTRA.

17. Anthophagus.
18. Omalium.
19. Tachyporus.
20. Tachinus.
21. Staphylinus.
22. Xantholinus.
23. Lathrobium.
24. Paederus.
25. Stenus.
26. Eristhetus.
27. Boreaphilus.
28. Oxytelus.
29. Lomechusa.
30. Aleochara.

FAM. 4. MALACODERMI.

31. Hylecoetus.
32. Lycus.
33. Cantharis.
34. Malthinus.
35. Malachius.
36. Dasytes.
37. Cyphon.

FAM. 5. CLERII.

38. Clerus.
39. Corynetes.

FAM. 6. PTINIORES.

40. Anobium.
41. Ptinus.
42. Dorcatoma.

FAM. 7. PALPATORES.

43. Scydmaenus.
44. Pselaphus.

FAM. 8. DERMESTINI.

45. Byrrhus.
46. Anthrenus.
47. Dermestes.
48. Cryptophagus.
49. Scaphidium.

FAM. 9. NITIDULARIAE.

50. Engis.
51. Triplax.
52. Tritoma.
53. Ips.
54. Nitidula.
55. Cercus.
56. Catops.
57. Peltis.
58. Silpha.
59. Necrophorus.

FAM. 10. LUCANIDES.

60. Sinodendron.

FAM. 11. SCARABAEOIDES.

61. Melolontha.
62. Trichius.
63. Cetonia.
64. Trox.
65. Psammodius.
66. Scarabaeus.
67. Aphodius.
68. Copris.

FAM. 12. HISTEROIDES.

69. Hister.
70. Hololepta.

FAM. 13. SPHAERIDIOTA.

71. Sphaeridium.

FAM. 14. HYDROPHILII.

72. Hydrophilus.
73. Helophorus.
74. Hydraena.

FAM. 15. AMPHIBII.

75. Heterocerus.
76. Parnus.
77. Gyrinus.

FAM. 16. HYDROCANTHARI

78. Dyticus.
79. Hyphydrus.
80. Halipus.

FAM. 17. STERNOXI.

81. Buprestis.
82. Trachys.
83. Elater.

### II. HETEROMERA.

FAM. 18. TENEBRIONITES.

84. Upis.
85. Sarrotrium.

FAM. 19. DIAPERIALES.

86. Rhyzophagus.
87. Hypophloeus.
88. Boros.
89. Boletophagus.
90. Diaperis.
91. Tetratoma.
92. Anisotoma.

FAM. 20. MELOOIDES.

93. Meloë.
94. Anthicus.

FAM. 21. PYROCHROOIDES.

95. Calopus.
96. Pyrochroa.
97. Pytho.

FAM. 22. CUCUJIPES.

98. Cucujus.
99. Dendrophagus.

FAM. 23. HELOPII.

100. Mycetophila.
101. Serropalpus.
102. Dircaea.
103. Orchesia.
104. Hallomenus.

FAM. 24. MORDELLARIAE.

105. Mordella.
106. Anaspis.

FAM. 25. CISTELARIAE.

107. Necydalis.
108. Salpingus.
109. Rhinosimus.

## III. TETRAMERA.

FAM. 26. BRUCHELAE.

110. Anthribus.

FAM. 27. CURCULIONITES.

111. Rhynchites.
112. Apion.
113. Rhynchaenus.
114. Cionus.
115. Orchestes.
116. Curculio.

FAM. 28. XYLOPHAGI.

117. Cossonus.
118. Hylurgus.
119. Bostrichus.
120. Apate.
121. Cis.
122. Mycetophagus.
123. Silvanus.
124. Lyctus.
125. Bitoma.
126. Latridius.
127. Cerylon.

FAM. 29. CAPRICORNES.

128. Cerambyx.
129. Lamia.
130. Pogonocherus.
131. Saperda.
132. Molorchus.
133. Spondylis.
134. Callidium.
135. Rhagium.
136. Toxotus.
137. Leptura.

FAM. 30. CHRYSOMELINAE.

138. Donacia.
139. Orsodachna.
140. Auchenia.
141. Lema.
142. Eumolpus.
143. Cryptocephalus.
144. Clythra.
145. Cassida.
146. Galleruca.
147. Haltica.
148. Chrysomela.
149. Helodes.

FAM. 31. EROTYLENAE.

150. Phalacrus.

## IV. TRIMERA.

FAM. 32. COCCINELLIDAE.

151. Coccinella.
152. Scymnus.
153. Cassidula.
154. Endomychus.

## V. DIMERA.

Pselaphus vide sub Fam. 7.

# ORDO I. COLEOPTERA.

## I. PENTAMERA.

### FAM. I. CICINDELATAE. LATR.

#### 1. Cicindela.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 78. FABR. DEJEAN.

*Corpus* magnum, oblongum, glabriusculum. Punctura elytrorum granulata. *Color* nigricans, cupreus, viridis, ex metallico saepe renitens: pictura subarcuata, alba. *Motus* incessu celeri, interrupto, arroganti, et volatu ocissimo, brevi. *Habitatio* larvarum in terra, imaginum in aridis, soli expositis; infra regionem alpinam. *Victus* ex aliorum insectorum rapina. *Differentia sexus*; *mas*: abdomen segmentis septem, penultimo emarginato, ultimo parvo, tarsis anticis subtus dense spongiosis; *femina:* abdomen segmentis sex, penultimo integro, ultimo magno, in medio impresso, tarsis anticis simplicibus. Species Scandinaviae 4, genus naturale formantes.)

**1. C. campestris:** laete viridis, antennarum basi, pectore pedibusque rubro-cupreis, labro elytrorumque punctis quinque marginalibus albis, sexto discoidali majore fusco-cincto. ♂♀. (Long. 6 lin.)

*Mas:* mandibulis latere exteriore ultra medium albis, elytrorum foveola antica ad suturam immaculata.

*Fem.*: mandibulis latere exteriore basi tantum albis, elytrorum foveola antica ad suturam puncto nigro notata.

LINN. Fn. Sv. 746. FABR. Syst. Eleut. 1. 223. 11. PANZ. Fn. 85. f. 3. SCHÖNH. Synon. 1. 238. 11. GYLL. Ins. Sv. 2. 2. 1. ZETT. Fn. Lapp. 1. 1. 1. ♂♀.

Hab. in arenosis tempore vernali, in Lapponia rarius, in adjacenti Botnia occidentali frequentius, ex alpibus et Nordlandiae Finmarkiaeque inferalpinis omnino exsul. (Lapponia — Scania freq.)

**2. C. hybrida:** supra purpurascenti-fusco-subvirescens, subtus rubro — l. viridi-cuprea, labro, elytrorumque lunula humerali et apicali, fasciaque media sinuata abbreviata, albis. ♂♀ (Long. 6 lin.)

*Mas:* mandibulis latere exteriore ultra medium albis.

*Fem.*: mandibulis latere exteriore basi tantum albis; paullo obscurior, minus nitida.

LINN. Fn. Sv. 747. FABR. Syst. Eleut. 1. 234. 13. PANZ. Fn. 85. f. 4. SCHÖNH. Syn. 1. 239. 13. GYLL. Ins. Sv. 2. 3. 2. DEJ. Spec. Coléopt. 1. 64. 47. ZETT. Fn. Lapp. 1. 2. 2.

Hab. in Lapponia, D. PORTIN; mihi vero nec ibi, nec in Botnia obvia. (Lapponia — Scania freq. 6 — 6¼ lin. long.)

**3. C. maritima:** supra purpurascenti-fusco-subvirescens, subtus viridi-cuprea, labio, elytrorum lunula humerali et apicali, fasciaque media geniculata abbreviata, albis. ♂♀ (Long. 5 lin.)

*Sexus* ut in praecedente dignoscitur.

DEJ. Spec. Coléopt. 1. 67. 50. GYLL. Ins. Sv. 4. App. 396. 2 — 3. SAHLB. Ins. Fenn. 185. 3.

Hab. ad littus maris in Lapponia Norvegica, D. BOHEMAN (1832); ut Lapponiae incola etiam a D. DEJEAN l. c. descripta. (Lapp. — Wermlandia pass. — Ystad Scaniae rar.)

*Cic. hybridae* similis, sed paullo minor et elytrorum fascia media geniculata s. in medio rectangulatim nec sinuatim flexa, distincta. An, ut autumat D. DEJEAN, tantum varietas minor et littoralis *C. hybridae*, a qua parum discrepat! 5 — 6 lin. long.

**4. C. sylvatica:** supra purpurascenti- l. aeneo-nigra, subtus violacea, labro nigro, elytrorum lunula humerali, saepe interrupta, striga media obliqua undulata punctoque ante apicem albis. ♂♀ (Long. 6½ — 7 lin.)

*Mas:* mandibulis latere exteriore ultra medium albis.

*Fem.:* mandibulis latere exteriore a basi ad medium albis; in copula, Mens. Jun. freq.

LINN. Fn. Sv. 748. FABR. Syst. Eleut. 1. 235. 15. PANZ. Fn. 85. f. 5. SCHÖNH. Syn. 1. 240. 16. GYLL. Ins. Sv. 2. 4. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 2. 3.

Hab. locis sylvaticis per partem infimam Lapponiae passim; ad Lycksele, Stensele et Åsele, Lapponiae Umensis seu meridionalis, 30 Maj. — 27 Jul., vulgaris; in adjacentibus provinciis, scilicet Botnia boreali et occidentali, ad vias et in sylvis acerosis tota aestate etiam frequenter occurrit; sed neque in alpibus, neque in insulis Nordlandiae et Finmarkiae deprehenditur unquam. (Lapp.-Smol.)

### FAM. II. CARABICI. LATR.

*Sect. I. Elytra apice non truncata.*

#### 2. Elaphrus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 79. FABR. DEJ.

*Corpus* mediocre, oblongum, glabrum. Thorax truncato-obcordatus, convexus, inaequalis. Punctura elytrorum maculis orbiculatis impressis. *Color* aeneus, cupreus, parum nitidus; pictura vix ulla. *Motus* agilis, cursu celeri, interrupto. *Habitatio* in humidis ad littora et ripas; infra alpes. *Victus* e rapina. *Differentia sexus* in tarsis anticis, maris paullo dilatatis, subtus spongiosis, feminae simplicibus, quaerenda. (Spec. Scand. 4.)

**1. E. cupreus:** supra punctatissimus, fronte thoraceque foveatis, fusco-aeneus, subtus virescens, tibiis testaceis, elytrorum maculis orbiculatis violaceo-pupillatis, inter rugas elevatas immersis. ♂♀. (Long. 3¼ lin.)

DUFTSCHM. Fn. Austr. 2. 194. 4. DEJ. Spec. Coléopt. 2. 271. 2. SAHLB. Ins. Fenn. 187. 2. *Elaphr. uliginosus*, a. GYLL. Ins. Sv. 2. 6. 1. ZETT. Fn. Lapp. 1. 3. 1.

Var. b. ♀. obscurior, corpore supra aeneo-nigricante. GYLL. Ins. Sv. 4. App. p. 398. b. (E. cupreus). SAHLB. l. c. b.

Hab. v. a. ad ripas arenosas fluminum Lapponiae et borealis et meridionalis, tota aestate frequens; versus alpes eum non longius, quam ad Juckasjervi et Karesuando in Lapponia Tornensi, et ad Stor Uman, Lapponiae Umensis, procedentem vidi; sed in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae, e. gr. ad Giebostad, a me quoque lectus. Var. b. tantum in insula Dolpatie lacus Stor Uman Lapp. Umensis d. 5. Jul. 1832 legi, etiam e Lapponia Tornensi, a D. DEUTSCH miss. (Lapp.—Scan. v. a. freq.).

*Obs. El. uliginosum* FABR., DUFTSCHM., DEJ. SAHLB. et GYLL. Ins. Sv. 4 App. 398, tibiis nigris, in Lapponia non observavi.

**2. E. riparius:** supra creberrime punctulatus, thorace foveolato, virescenti-aeneus, tibiis testaceis, elytrorum maculis orbiculatis purpurascenti-cupreis, mamillatis, inter rugas subelevatas immersis, maculaque ad suturam polita, aenea. ♂♀. (Long. 2½ lin.)

2°

FABR. Syst. Eleut. 1. 245. 2. PANZ. Fn. 20. f. 1. SCHÖNH. Syn. 1. 246. 2. GYLL. Ins. Sv. 2. 9. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 4. 2. *Cicindela riparia* LINN. Fn. Sv. 749.

Hab. in Lapponiae locis sabulosis et aquaticis cum praecedente, vulgaris, in copula captus. (Lapp. — Scan. fr.)

**3. E. lapponicus:** supra cupreo-aeneus, subtus virescens, tibiis concoloribus, capite thoraceque profunde punctatis subfoveolatis; elytrorum parce punctatorum maculis orbiculatis caeruleo-purpurascentibus parum immersis. ♂♀. (Long. 3½ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 8. 2. SAHLB. Ins. Fenn. 188. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 4. 3.

Var. b. ♂♀. supra laete viridis, maculis in disco interiori elytrorum subquadratis, subelevatis politis, cupreo-purpurascentibus.

Hab. in Lapponiae borealis ripis arenosis rarius, D. GRAPE, FRIGELIUS et DEUTSCH; mihi non nisi ad Muonioniska obvius. (Lapponia.)

Praecedenti duplo major, *E. ripario* aequalis. (3½ lin. long.)

**4. E. arcticus:** supra nigro-obscurus punctatissimus, fronte thoraceque foveolatis, elytris costis elevatis interruptis maculisque ocellatis impressis quadruplici serie, subtus viridi-aeneus, pedibus rufis. (Long. 3¾ lin.)

DEJ. Spec. Coléopt. 2. 272. 3. SAHLB. Ins. Fenn. 187. 3.

Hab. in Lappon. D. SCHÖNHERR, teste D. DEJEAN, mihi non obvius. Species dubia, a nemine Entomologor. Scandinav., quantum novi, cognita, sola auctoritate D. DEJEANI, qui specimen e Lapponia a D. SCHÖNHERR obtinuit, Faunae nostrae introducta. An var. l. individuum immaturum *El. cuprei?* Insecta specierum Carabicorum pedibus rufis mire variare, praesertim in Lapponia, cognitum est.

---

## 3. Notiophilus.

DUMÉR. DEJEAN. Spec. Coléopt. 2. p. 276. ZETT. *Elaphrus* Fabr. GYLL. LATR. SAHLB.

*Corpus* parvum, oblongum, glaberrimum. Thorax subquadratus, subplanus, laeviusculus. Punctura elytrorum exterius punctato-striata. *Color* aeneus, cupreus, virescens, nitidissimus, pictura nulla, nisi apicali. *Motus* celer, cursu interrupto. *Habitatio* sub lapidibus et in quisquiliis saepe locis siccioribus, alpestris et sylvatica. *Differentia sexus* ut in *Elaphro*. (Spec. Scand. 2.)

**1. N. aquaticus:** supra aeneus nitidus, subtus nigricans, fronte profunde striata, thoracis disco sublaevi; elytris punctato-striatis, interne apiceque laevissimis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

DEJEAN. l. c. p. 277. ZETT. Fn. Lapp. 1. 5. 1. *Elaphrus aquaticus* FABR. Syst. Eleut. 1. 246. 7.? PANZ. Fn. 20. f. 3. GYLL. Ins. Sv. 2. 10. 4. et P. 4. App. 399. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 5. 1. *Cicindela aquatica* LINN. Fn. Sv. 752. *Elaphrus semipunctatus* FABR. Syst. Eleut. 1. 246. 8. SCHÖNH. Syn. 1. 248. 9.

Hab. in vicinitate aquae sub lapidibus et muscis a primo vere usque ad autumnum, per totam Lapponiam, Sueciam vulgaris; in alpes longe adscendit, et in ipso alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. frequenter visus. Occurrit quoque in Nordlandia et Finmarkia, e. gr. ad Tromsoe et Alteidet, ubi plura specimina legi. Auctorum vero varietates: elytris aeneis l. nigro-caeruleis apice flavescentibus, in Lapponia non vidi. (Lappon.-Scan. fr.)

---

## 4. Bembidium.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 80. GYLL. *Elaphri* et *Carabi* spec. Fabr.

*Corpus* parvum, oblongum, glabrum. Palporum articulus ultimus antecedente multo minor. Punctura elytrorum per discum totum punctato-striata. *Color* cupreus, aeneus, testaceus, ex metallico semper resplendens, saepe nitidus; pictura maculata, saepe obsoleta, interdum apicali. *Motus* celerrimus, cursu interrupto, rarius volatu. *Habitatio* in humidis, sub lapidibus ad ripas arenosas, frequenter; sylvatica et subalpina. *Differentia sexus:* articulis 2 primis tarsorum anticorum in *mare* dilatatis, in *femina* simplicibus. (Spec. Scand. 46, in plura genera divisae ab. Ill. DEJEAN.)

**1. C. impressum:** supra cupreum l. aeneum, subtus virescens, elytris tenuiter punctato-striatis, vitta ad suturam cyaneo-purpurea, foveolis duabus subquadratis, pallide aureis interrupta; thorace transverso. ♂♀. (Long. 2½ lin.)

*Mas:* thorace elytrisque subnitidis.

*Fem.:* thorace elytrisque subopacis; in copula.

Var. a. supra cupreus, antennarum basi pedibusque luteotestaceis.

GYLL. Ins. Sv. 2. 13. 2. DEJ. Spec. Col. 5. 81. 42. *Elaphrus impressus* FABR. Eleut. 1. 246. 4. PANZ. Fn. 40. f. 8. SCHÖNH. Syn. 1. 247. 4.

Var. b. *lapponicum*, paullo minus, thoracis lateribus minus rotundatis, supra obscure aeneum, antennis totis nigricantibus, pedibus fusco-virescentibus, femoribus basi tibiisque subtestaceis.

GYLL. l. c. var. b.? An *Carabus velox* LINN. Fn. Sv. 803.? An *Elaphr. striatus var.* SCHÖNH. Syn. 1. 247. 3.?

Hab. ad ripas arenosas in Lapponia passim; var. a ad litus sic dictum Sandstranden prope Juckasjervi d. 3. Jul. copiosissime vidi, promtissime et velocissime volitans; plura paria in copula quoque ibi legi, sub lapidibus in Alpe Dowre a D. BOHEM. quoque captum. Var. b. non nisi sub lapidibus et in ripa arenosa ad flumen Tornense prope Wittangi mens. Junio frequenter inveni; vix volitans. (Lapp.-Westrogothia.)

Varietas b forte propria species, nam in multis differt, nec in copula, ut quidem in iisdem locis cum var. a deprehensa. De Synonymia quoque dubius haereo, incertus, an hoc nostrum lapponicum, totum aenescens, idem sit, ac Linnaei *Car. velox*: „nigricans, pedibus femoribus, tibiisque pallidis" in insula Gothlandica Farön captus.

**2. B. pallipes:** cupreo-aeneum subpubescens, thorace latitudine capitis, cordato, elytris sublaevibus viridi-nebulosis, foveolis 2 impressis, antennarum basi pedibusque testaceis. ♂♀. (Long. fere 2½ lin.)

ZETTERST. Act. Holm. 1824. pag. 157. SAHLB. Ins. Fenn. 190. 1. GYLL. Ins. Sv. 4. App. 400. 1-2. DEJ. Spec. Coléopt. 5. 191.

Hab. in Lapponia (boreali) rarissime, D. HEIKEL, teste D. SAHLBERG. (Lapponia; Wermland.; Ostrog. ad Laerkitorp; Smol. rar.)

**3. B. flavipes:** fusco-aeneum subpubescens, thorace breviori, cordato, elytris griseo- et viridi-nebulosis vage punctatis et foveolis 2 impressis, antennarum basi, palpis pedibusque pallide testaceis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 12. 1. STURM. Fn. Germ. 6 112. 3. SAHLB. Ins. Fenn. 190. 2. DEJ. Spec. Coléopt. 6. 192. 135. *Elaphrus flavipes* FABR. Eleut. 1. 246. 6. PANZ. Fn. 20. f. 2. *Cicindela flavipes* LINN. Fn. 750.

Hab. in littoribus ad Gul-elfven prope Wolland, a D. BOHEMAN sub itinere suo Lapponico lectum mihique communicatum; in Lapponia Tornensi a D. FRIGELIO quoque rarius visum. (Lappon. — Ostrogoth. pass. — Scania sat. freq.)

Simile priori, sed minus et punctura elytrorum praecipue distinctum.

**4. B. bipunctatum:** nigro-virescens, supra orichalcicum nitidum, thorace brevi, cordato, transversim substriolato, elytris tenuiter punctato-striatis, foveolis duabus disci profunde impressis. ♂♀. (Long. 1¾ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 16. 4. DEJ. Catal. p. 16. ZETT. Fn. Lapp. 1. 6. 4. *Carabus bipunctatus* LINN. Fn. Sv. 806. FABR. Eleut. 1. 209. 216. SCHÖNH. Syn. 1. 223. 300.

Var. b. ♂♀. supra caeruleum vel violaceum.

GYLL. l. c. var. b.

Hab. ad ripas arenosas fluviorum Lapponiae borealis et meridionalis, Maj. — Aug. freq., ut etiam in littore maris Nordlandiae Norvegicae, e. gr. ad Björkvik et Evenäs juxta Ofotenfjord, ubi utramque varietatem mens. Julio legi. (Lapp.-Scan. passim.)

**5. B. celere:** nigricans, supra aeneum nitidum, thorace brevi cordato, lateribus rotundato, laevi, elytris punctato-striatis, antennarum basi pedibusque fusco-testaceis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 17. 5. ZETT. Fn. Lapp. 1. 7. 3. (cum sequente confusum). *Carabus celer* FABR. Eleut. 1. 210. 217. SCHÖNH. Syn. 1. 223. 301. *Leja pygmaea*. DEJ. Catal. p. 17.

Hab. sub lapidibus ad ripas fluminum Lapponiae mens. Jun. et Jul. rarissime, in Norvegiae vero inferalpinis et littoribus marinis hoc non vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

Observ. Nomen *Leja* a D. DEJEAN usurpatum, in Coleopterorum ordine rejiciendum, dum idem generi cuidam Tipulariarum in Dipterorum Phalange jam impositum est.

**6. B. nigricorne:** aeneum nitidum, thorace transverso brevissimo, postice utrinque foveolato, angulis posticis subrectis, disco laevissimo; elytrorum striis apice obsoletis; antennis totis nigris, pedibus piceis.

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 402. SAHLB. Ins. Fenn. pag. 192. 7. DEJ. Sp. Col. 5. 156. 106.

Hab. in Lapponia, D. Sahlberg, mihi etiam in Lapponia septentrionali rarius obvium. (Lapp.-Scan. freq.)

Simile priori, paullo majus ($1\frac{1}{4}$ lin. long.) et antennis nigris, thoracisque forma ab illo distinctum.

**7. B. Grapei:** nigro-subvirescens nitidum, thorace cordato, disco transversim subtiliter striguloso, elytrorum striis apice obsoletis, antennis pedibusque totis nigris. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 403. Sahlb. Ins. Fenn. 192. 8. *Bembidium celer* Zett. Fn. Lapp. 1. 7. 3. var.

Hab. in ripis fluminum Lapponiae Tornensis et Umensis, mensib. Jun. Jul., sat frequenter; idem quoque ad aquam stagnantem inter Klöfsjö et Åsarne Jemtlandiae a D. Boheman inventum (Lapp.-Jemtlandia).

Affine et simile *B. celeri*, sed paullo majus ($1\frac{1}{4}$ lin. long.), colore alio et thorace transversim striguloso praesertim distinctum. Pedes nigro-picei. Antennarum articulus 1 subtus piceus.

**8. B. pusillum:** subaeneo-nigrum nitidum, thorace cordato, postice utrinque foveolato, angulis posticis rectis, disco laevissimo; elytris punctis 2 impressis, striisque apice obsoletis, macula postica rufo-testacea; antennarum basi pedibusque piceis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 403. Sahlb. Ins. Fenn. 193. 9. v. a. Dej. Spec. Coléopt. 5. 165. 114. *Bemb. celer* var. c. Zett. Fn. Lapp. 1. 7. 3. c.

Hab. in Lapponia rarius; ad Wittangi Lapp. Tornensis et sub lapidib. ad Badstutraesk Lapponiae Umensis d. 10-30. Jun. pauca specimina legi; sub fucis ad littus maris prope Tynaes Norvegiae etiam a D. Boheman captum. (Lapponia; Botnia borealis, Septemb., rariss. — Finlandia pass. — Westrog. rar.)

**9. B. rupestre:** caerulescenti-nigrum, capite thoraceque brevi cordato, virescentibus, antennarum variegatarum basi, palpis pedibusque luteo-testaceis; elytris punctato-striatis, striis laterum obsoletis, totis aeneis, maculis duabus obliquis rufo-pallidis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 405. Zett. Fn. Lapp. 1. 7. 4. *Elaphrus rupestris* Fabr. Eleut. 1. 246. 9. *Carabus rupestris* Schönh. Syn. 1. 222. 296. *Peryphus rupestris* Dej. Catal. p. 17. *Carabus littoralis* Panz. Fn. 40. f. 6.

Hab. sub lapidibus et ad margines agrorum mens. Jun. Jul. in Lapponia, rarissime in copula captum. (Lapp.-Scan. freq.)

**10. B. tinctum:** caerulescenti-nigrum depressum, capite thoraceque transverso, nigro-aeneis, antennarum basi pedibusque obscure testaceis, elytris undique punctato-striatis, nigro- et luteo-variegatis, fascia postica sinuata pallida evidentiori.

An *B. majus* Gyll. Ins. Sv. App. 411? *B. undulatum* Sahlb. Ins. Fenn. et Dej. Sp. Coléopt.?

*Carabus ustulatus* var. c. Payk. Fn. 1. 142. 47.? (secundum specimen e Lapponia Tornensi.)

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; ad Muonioniska duo tantum individua inveni. (Lapp.-Smoland.)

Praecedenti sat simile et affine, at illo fere majus, $2\frac{1}{2}$ lin. long. Differt praecipue ab illo pictura elytrorum thoracisque structura alia. Caput laeve, juxta oculos impressum, aeneum, ore ferrugineo. Antennae basi testaceae, extrorsum fuscae. Thorax brevis transversus late subcordatus, posterius minus quam in praecedente angustatus, angulis posticis acutis depressis, carinulatis, ut in *Bemb. ustulato* Gyll. s. *B. obliquo*; supra laevis, in medio longitudinaliter canaliculatus, intra basin transversim impressus, et utrinque ad angulos foveatus, ut in priori; totus nigro-l. obscure aeneus. Elytra forma et striatura fere ut in *B. rupestre*, colore ferrugineo-testaceo, immixtis maculis irregularibus nigris, quarum una in medio transversa, et altera versus apicem oblonga, magis regulares; spatium inter has maculas ut et apex elytrorum lutea, unde exstant fascia pone medium maculaque apicalis evidentiores; regio humeralis etiam parum infuscata. Pectus et abdomen nigra nitida. Pedes luteo-testacei.

*Obs.* Simile omnino a D. Boheman e Smolandia obtinui, capite thoraceque aeneo-nigris.

**11. B. femoratum:** sub-depressum, supra viridi-aeneum, antennarum basi, tibiis tarsisque ferrugineis, femoribus piceis, elytris punctato-striatis, striis versus latera et apicem obsoletis, macula humerali apicisque elongatis rufo-testaceis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

Sturm Ins. Germ. 6. 117. 6. Gyll. Ins. Sv. 4. App. 406. Sahlb. Ins. Fenn. 194. 11. Dej. Sp. Col. 5. 116. 71. *B. rupestre* var. b. Zett. Fn. Lapp. 1. 7. 4. b.

Hab. sub lapidibus, locis humentibus, in Lapponia et boreali et meridionali, passim; ad Stensele et lacum insignem StorUman, Lapponiae Umensis, d. 2-5. Jul. 1832 in copula saepe visum. (Lapp.-Scan. pass.)

Var. b. elytrorum maculis testaceis dilatatis. Gyll. et Sahlb. l. c. v. b.; cum var. a. in Lapponia rarius habitans.

**12. B. saxatile:** subdepressum, supra obscure viridi-aeneum, antennarum basi pedibusque obscure ferrugineis, elytris rufo-bimaculatis, punctato-striatis, striis ad apicem excurrentibus. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 406. Sahlb. Ins. Fenn. 194. 12. Dej. Spec. Coléopt. 5. 119. 73? *B. rupestre* var. Zett. Fn. Lapp. 1. 7. 4.

Hab. in Lappon. rarissim. (Lapp.-Torneå-Scan. rar.)

Long. $1\frac{3}{4}$ lin. Articulus palporum penultimus niger ut in priori omnino. Praecedenti valde affinis et similis, sed differt: magnitudine paullo minori, colore obscurius virescente, et elytrorum striis usque ad apicem productis.

**13. B. lunatum:** virescenti-aeneum nitidum, antennarum basi, palpis pedibusque pallide testaceis, elytris profunde punctato-striatis, striis versus latera et apicem obsoletis, macula postica communi lunata, ferruginea. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 405. Dej. Sp. Coléopt. 5. 108. 64.

Hab. in inferalpinis Norvegiae rar.; sub lapidibus in Alpe insigni Dowre prope Drivstum, Kongswald et Fogstum, d. 1-28. Jul. 1832 a. D. Boheman captum. (Lapponia Norvegica; Wermlandia rar.)

Affine *B. rupestri*, majus, fere $2\frac{3}{4}$ lin. long. Nitidum, palporum apex subfuscus. Antennarum articuli 3 l. 4 primi testacei. Thorax cordatus.

**14. B. obliquum:** obscure viridi-aeneum subnitidum, thorace transverso postice angustiore, utrinque bistriato, elytris tenuiter punctato-striatis, fasciis 2 undatis macularibus punctisque pallidis, antennis pedibusque nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

Sahlb. Ins. Fenn. 203. 28. Dej. Spec. Coléopt. 5. 68. 31. *Bemb. ustulatum* Gyll. Ins. Sv. 2. 29. 15. v. a.

Hab. in Lapponia rarius; ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 12. Aug. 1832 feminas praesertim legi. (Lappon.-Scan. freq.)

**15. B. Hasti:** oblongum subdepressum, nigrum nitidum, femoribus versus basin piceo-rufescentibus, elytris profunde punctato-striatis, punctis disci 2 profundioribus.

Sahlb. Ins. Fenn. 195. 13. Dej. Spec. Coléopt. 5. 127. 80. Supra nigro-aeneum; thorace subquadrato, postice subangustato, utrinque foveolato bistriato, angulis posticis rectis; elytris oblongis profunde punctato-striatis, punctisque 2 impressis, antennis pedibusque nigris, femoribus basi rufescentibus. Long. 2 lin. *Peryphus punctiger* Germar, teste Schönh. et Dejean l. c.

Hab. in Lapponia (boreali) D. M. Kolström, teste D. Sahlberg, mihi in Lapponia obvium (Lapponia.)

**16. B. Pfeiffi:** oblongum depressum, obscure virescenti-aeneum, antennis pedibusque nigris, coxis ferrugineis, thorace transverso, subquadrato, postice subangustato, utrinque foveolato, bistriato, elytris subtiliter punctato-striatis, punctisque 2 impressis. ♂♀. (Long. 2-$2\frac{1}{4}$ lin.)

Sahlb. Ins. Fenn. 195. 14. Dej. Spec. Coléopt. 5. 128. 81. *B. virens* Gyll. Ins. Sv. 4. App. 407.

Var. b. nigrum nitidum, coxis nigro-piceis. Sahlb. l. c. b.

Hab. var. a in ripis lacuum, praesertim in Lapponia meridionali frequenter; ad Stor-Uman, Umenaes et Wojmsjoen mens. Jul. 1832 a me lectum; in alpe Dowre a D. Boheman quoque captum. (Lapp. Helsingia-Bahusia).

Magnitudo et statura fere *Bemb. saxatilis*.

**17. B. 4-maculatum:** caerulescenti-nigrum nitidum, capite thoraceque laevi, postice angustato, virescenti-aeneis, antennarum basi pedibusque testaceis, femoribus piceis, elytris tenuiter punctato-striatis, maculis duabus pallidis; minutum. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 22. 9. Zett. Fn. Lapp. 1. 9. 4. *Cicindela 4-maculata* Linn. Fn. Sv. 751. *Lopha 4-maculata* Dej. Catal. p. 17. *Carabus pulchellus* Panz. Fn. 38. f. 8. *Carabus subglobosus* Schönh. Syn. 1. 221. 293.

Var. b. capite thoraceque nigro-violaceis; in ceteris var. a simillimum. Gyll. l. c. var. Zett. l. c. var. b.

Var. c. Simile var. a, paullo minus, elytris tenuissime punctato-striatis, apice laevibus, antennis totis testaceis, elytris piceis, maculis ordinariis pallidis, capite thoraceque interdum nigro-caerulescentibus.

Zett. l. c. var. c.

Hab. sub lapidibus et in succo destillante Betulae, in Lapponia passim; var. a et b ad cataractam Kattilakoski, ad pagos Kardis et in Juhonpietis mens. Junio, var. vero c

locis siccioribus ad margines agrorum tantum ad Haparanda et Kolare mens. Septemb. legi. (Lapp.-Scan. var. a. b. pass.)

**18. B. Doris:** subcaerulescenti-nigrum nitidum, thorace cordato laevi, postice quadrifoveolato, elytris punctato-striatis, apice laevissimo pallido, antennarum basi pedibusque piceo-ferrugineis. (1¼ lin. long)

Gyll. Ins. Sv. 2. 24. 11. Zett. Fn. L. 1. 9. 7. *Carabus Doris* Panz. Fn. 38. f. 9. Schönh. Syn. 1. 224. 305. *Leja terminata* Dej. Catal. p. 17.

Hab. sub cortice Betulae albae, ut et ad ripas arenosas fluviorum Botniae borealis et Lapponiae, passim. (Lapp.-Scan. pass.)

**19. B. guttula:** subcaerulescenti-nigrum nitidum, thorace transverso angulis rotundatis, postice utrinque foveato, elytris punctato-striatis, striis pone medium laevibus, macula apicis pedibusque rufescentibus. (Long. 1¼ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 27. 13. Zett. Fn. Lapp. 1. 10. 5. *Carabus guttula* Fabr. Eleut. 1. 208. 294. *Leja guttula* Dej. Catal. p. 17.

Hab. in humidis nec non ad ripas fluminum Lapponiae et Botniae passim. (Lapp.-Scan. freq.)

Secundum Catalogum Coleopter. Dej., *Carabus guttula* Schönh. alia est species, quae ab Illustr. Auctore (Dej.) sub nomine *Leja angusticollis* recepta fuit, speciminibus utriusque speciei e Suecia obtentis.

**20. B. olivaceum:** depressum, obscure viridi-aeneum, antennarum articulo primo femorumque basi ferrugineis, thorace transverso, postice subangustato, utrinque foveolato bistriato; elytris tenuiter striatis, striis impunctatis, foveolis 2 impressis. (Long 1¾—2 lin.)

Var. a. antennar. articulo 1 subtus ferrugineo, elytris immaculatis.

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 408. certe. *B. prasinum* Sahlb. Ins. Fenn. 196. 15. certe. Dej. Spec. Coléopt. 5. 129. 82. An quoque *Elaphr. prasinus* Sturm et Duftschm.?

Var. b. antennarum articulo 1 toto, elytrorumque plaga discoidali ferrugineis.

Gyll. l. c. var. b. Dej. l. c. var. b. *Bemb. Kolströmi* Sahlb. Ins. Fenn. 196. 16.

Hab. in Lapponia septentrionali DD. Kolström et Grape; var. b. etiam in Dowre a D. Boheman lect. (Lappon.-Dalecarlia Gyll.)

Affine et simile *Bembidio Pfeiffi*, sed paullo minus, antennis totis non nigris et elytrorum striis impunctatis distinctum.

**21. B. Fellmanni:** subcaerulescenti-nigrum nitidum, supra virescenti-aeneum, thorace transverso laevi, postice angustiore, utrinque foveato, elytris striis laevibus integris, punctis duobus disci impressis. (Long. 1½ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 10. 9. Gyll. Ins. Sv. 4. App. 409. *Peryphus Fellmanni* Mannerh. in Essais Entomolog. par Hummel No. 3. 43. 1. f. 1. a. b.

Var. b. paullo minus, supra violaceo-aeneum l. virescens. Zett. Fn. Lapp. l. c. var. b.

Hab. sub lapidibus Lapponiarum septentrionalium, rarius; var. a. ad Kardis die 6. Jun., ut et ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae 15. Jul.; var. b. in ripa arenosa ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 3. Jul. 1821, et ad Umenaes Lapp. Umensis d. 7. Jul. 1832, inveni. Etiam ad lacum Enarajervi Lapponiae Kemensis a D. Fellmann, Pastore Utsjockensi, lectum est, mihique communicatum (Lapponia-Öfver Torneå.)

Magnitudo et affinitas *Bemb. ustulati* Gyll. colore elytrorumque striatura diversum. Caput et thorax ut in illo omnino, antennis totis nigris, basi viridi-micantibus. Elytra parum convexa, aenea, striata, striis in singulo octo tenuibus laevissimis, ad apicem usque continuatis. Corpus et pedes subcaerulescenti-l. subviolaceo-nigra, pedibus in specimine Norvegico piceis. In variet. b. thorax et elytra violaceo-micant.

**22. B. Sahlbergi:** caerulescenti-nigrum nitidum, antennarum basi, geniculis, tibiis tarsisque rufo-brunneis, femoribus piceis; thorace subtransverso, cordato, postice utrinque foveolato, elytris distincte punctato-striatis, striis ad latera et apice obsoletis, punctisque 2 disci profundioribus.

Dej. Spec. Coléopt. 5. 144. 95. (Simillimum praeter magnitudinem, scil. 2 lin. long.) *B. brunnipes* Sahlb. Ins. Fenn. 191. 5. (Long. 1¾ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi s. meridionali rarius; ad Novacculum Gaskelougt prope lacum StorUman in paroecia Stensele d. 6. Jul. 1832 tria specimina invenimus D. Dahlbom et ipse (Lapp.-Fennia austr. rar.)

Long. circiter 1¼ lin. A *B. pusillo*, cui valde affine videtur, thorace forte paullo latiore, elytris immaculatis etc. dignoscitur. A *B. guttula* et *nano*, quibus etiam simile est, thorace magis cordato, nec transverso etc. differt.

**23. B. nanum:** depressum nitidum nigrum, antennis pedibusque obscure ferrugineis, femoribus piceis, thorace brevissimo transverso, elytris disco interiori tenuiter striatis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 30. 16. Zett. Fn. Lapp. 1. 11. 10. *Carabus minimus* Fabr. Eleut. 1. 210. 223. *Carabus tristis* Schönh. Syn. 1. 220. 282. var. 8.

Hab. sub cortice truncorum putridorum Pini et Betulae, in Lapponia passim; ad Johannis Ro Botniae borealis mens. Majo, ad Juhonpietis Lapponiae Tornensis et ad Lycksele 30. Maj.—6. Jun. tamen sat copiose vidi. (Lapp.-Ostrogoth.)

Synonymon Fabricii mihi indubium videtur (invito D. Gyllenh.), quoniam in Entomologia Systematica pedes *picei* et *ferruginei* describuntur, quales nostro omnino competunt, nec locus natalis differt. Ejusdem vero *Carabus tristis* „pedibus fulvis antennisque totis nigris" in nostrum minime quadrat.

**24. B. articulatum:** nigro-caerulescens nitidum, antennis, pedibus elytrisque profunde punctato-striatis, testaceis, his fasciis duabus posticis fusco-brunneis, thorace longiori cordato. (Long. 1½ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 23. 10. Zett. Fn. Lapp. 1. 11. 11. *Carabus articulatus* Panz. Fn. 30. f. 21. *Lopha poecila* Dej. Catal. p. 18.

Hab. in Lapponia D.D. Sanmark et Dammert teste D. Prof. Sahlberg; mihi in Lapponia non obvium. Magnitudo et statura *Bemb. quadrimaculati.* (Lapponia-Scan. rar.)

---

## 5. Trechus.

Clairv. Dej. *Bembidium* Gyll. Sahlb. *Carabus* Fabr.

*Corpus* parvum, oblongum, glabrum. Antennae filiformes. Articulus ultimus palporum exteriorum magnitudine saltem antecedentis, elongatus, sensim attenuatus, apice acuminatus; penultimus palporum maxillarium longitudine articuli ultimi. Thorax cordatus aut transversus. *Color* ferrugineus, nitidus. *Motu* agilissimus. *Habitatio* sub lapidibus, per regionem sylvaticam. *Differentia sexus*: articulis 2 primis tarsorum anticorum in *mare* dilatatis, in *femina* simplicibus. (Spec. Scand. 5, scilicet *Bembid. micros* Sahlb. et *paludosum*, 4-*striatum*, et *rivulare* Gyll. huc referenda).

**1. T. secalis:** apterus ferrugineus, thorace cordato subgloboso; elytris striis 5 dorsalibus punctatis, externis obsoletissimis, punctisque 4 majoribus impressis, pedibus pallide testaceis. ♂♀. (Long. 1¼—1½ lin.)

Dej. Spec. Coléopt. 5. 24. 20. *Bembidium secale* Gyll. Ins. Sv. 2. 36. 21. Sahlb. Ins. Fenn. 205. 33.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; ad Lycksele pauca specimina inveni (Lapp.-Scan. frequens).

---

## 6. Loricera.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 102. Dej. *Carabus* Fabr.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum glabrum. Antennae setaceae, articulis inferioribus nodosis, longius verticillato-pilosis. *Color* aeneus, nitidus. *Motus* agiliter cursorius. *Habitatio* sub lapidibus; in regione sylvatica. *Differentia sexus* in maris tarsis anticis dilatatis, feminae simplicibus mox detegenda. (Spec. Scand. 1.)

**1. L. pilicornis:** supra aenea, subtus nigra, femoribus virescentibus, tibiis testaceis, elytris punctato-striatis, foveis tribus disco impressis, antennis pilosis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 45. 1. Dej. Catal. p. 8. Zett. Fn. Lapp. 1. 12. 1. *Carabus pilicornis* Fabr. Eleut. 1. 193. 128. Panz. Fn. 11. f. 10. Schönh. Syn. 1. 198. 178. *Loricera aenea* Latr. l. c. 1. 124. 1. t. 7. f. 5. (ubi forma thoracis et pili antennarum male repraesentantur).

Hab. sub lapidibus tota aestate, in Lapponia boreali et meridionali pluribus locis per regionem sylvaticam usque ad Juckasjervi et Karesuando frequens, in copula observata; sed neque in alpibus, neque in inferalpinis Nordlandiae aut Finmarkiae a me deprehensa, sed ex Utsjoki Finmarkiae orientalis nuper ad me a D. Past. Fellmann missa. (Lappon.-Scan. freq.)

Var. b. ♀. tota nigra. In Lapponia Tornensi a D. Frigelio rariss. capta.

## 7. Nebria.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 100. DEJ. *Carabi* spec. FABR.

*Corpus* mediocre oblongum, subdepressum, glabrum, alatum. Thorax brevis transversus, subcordatus. *Color* niger, in rufum l. piceum facile mutandus, aenescens, nitidus; pictura nulla. *Motus* cursorius. *Habitatio* sub lapidibus; alpestris frequenter, in regione sylvatica rarius. *Discrimen sexus* in tarsis anticis maris paullo dilatatis, subtus spongiosis, feminae simplicibus statim inveniendum. (Spec. Scand. 5, quarum tres primae nostrae valde affines aegre distinguendae, nisi punctura thoracis et striatura elytrorum probe observentur.)

**1. N. brevicollis:** depressa nigra, antennis, palpis, tibiis tarsisque ferrugineis, thoracis limbo crebre punctato, elytrorum striis profundis, concinne punctatis, tertia a sutura foveolis 3. l. 4. serie impressa. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 2. 39. 2. DEJ. Catal. p. 7. ZETT. Fn. L. 1. 13. 1. *Carabus brevicollis* FABR. Eleut. 1. 191. 114. PANZ. Fn. 11. f. 8. SCHÖNH. Syn. 1. 196. 162.

Hab. ad Nord Cap D. MARKLIN, teste D. SCHÖNHERR; mihi vero nec in Lapponia, nec in Suecia boreali unquam obvia. (Lapponia Finmarkica; Olandia rar.; Scania freq.)

**2. N. Gyllenhali:** depressa nigra, thoracis limbo punctulato, elytrorum striis sub-laevibus, tertia a sutura punctis 2. l. 3. impressis. ♂♀. (Long. 3½ lin.)

Var. a. ♂♀. antennarum apice fusco-piceo, palpis piceis, tarsis ferrugineis.

GYLL. Ins. Sv. 2. 40. 3. P. 4. App. 414. SAHLB. Ins. Fenn. 207. 3. DEJ. Catal. p. 7. ZETT. Fn. Lapp. 1. 13. 2. a. *Carabus Gyllenhali* SCHÖNH. Syn. 1. 196. 163.

Var. b. ♂♀. antennarum palporumque articulorum apice, elytris tarsisque piceo-ferrugineis l. rufis.

ZETT. l. c. b. *N. hyperborea* GYLL. Ins. Sv. 4. App. 415. c.

Var. c. ♂♀. similis var. b. antennis quoque extrorsum tibiisque rufis.

ZETT. l. c. GYLL. l. c. var. a. *N. arctica* SAHLB. Ins. Fenn. 206. 1. v. a.

Var. d. ♀. similis iterum var. c. elytrorum striis subpunctatis; sequenti valde affinis.

ZETT. l. c. d. *N. arctica* SAHLB. l. c. var.

Var. e. capite thoraceque nigris, elytris, corpore femoribusque livido-testaceis, tibiis tarsisque dilutioribus.

GYLL. l. c. var. d. *N. arctica* SAHLB. l. c. var. d.

Hab. in omnibus Lapponiis, tota aestate frequens; var. a. sub lapidibus tantummodo per regionem sylvaticam occurrit, et vix longius quam ad Wittangi, Umenaes et Muonioniska procedit; varietates rufescentes b, c et d in alpium Tornensium jugo, in ipsa nive mense Julio copiose ambulant, nec infra alpes descendunt. Var. e. ad Nordcap capta, mihi non obvia. (Lapponia-Westrogothia, Gothlandia var. a. pass.)

**3. N. nivalis:** depressa nigra, thoracis limbo ruguloso-punctulato, elytrorum striis punctatis, tertia a sutura foveis 3. l. 4. impressis. ♂♀. (Long. 3½ lin.)

Var. a. ♂♀. femoribus rufis.

GYLL. Ins. Sv. 2. 41. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 14. 3. a. SAHLB. Ins. Fenn. 207. 4. a. DEJ. Spec. Coléopt. 2. 237. 14. *Carabus nivalis* PAYK. Fn. 1. 119. 2. ae. SCHÖNH. Syn. 1. 197. 164.

Var. b. ♀. femoribus piceis.

ZETT. l. c. var. b. GYLL. Ins. Sv. 4. App. 416. 4. b.

Var. c. ♂♀. tota nigerrima, femoribus concoloribus.

ZETT. l. c. var. c. SAHLB. l. c. var b. *Carabus nivalis* PAYK. l. c. var. β.

Hab. in summis alpibus Lapponiae, in nive cursitans; var. a et c in jugo alpino mense Julio copiose occurrunt et in rimis rupium saepe latitant; varietatis b pauca tantum specimina inveni; e. gr. ad Wittangi Lapp. Tornensis et ad StorUman Lapp. Umensis, ubi etiam varietatem c. d. 5. Jul. 1832 haud infrequenter legi; extra alpes haec species non nisi raro deprehenditur. Magnitudo praecedentis, at *N. brevicolli* minor. (Lapponia.)

Color specierum duarum proxime antecedentium valde ludit, unde character ad eas, sat affines, dignoscendas non ex hac nota componendus; nec striam marginalem, quam *foveolatum* vel *vix foveolatum* nominat *Ill.* GYLLENHAL, in his speciebus multum differre mihi videtur. In omnibus varietatibus *Nebr. nivalis* obveniunt individua, praesertim feminea, etiam stria elytrorum quinta a sutura foveis duabus impressa, unde in disco oritur duplex series fovearum, quemadmodum in specie sequente. Ad puncturam vero thoracis limbi probe attendendum est.

**4. N. borealis:** subdepressa, thorace posterius angustato, obscure aenea, pedibus rufis, elytris subpunctato-striatis, foveis majoribus duplici serie impressis. ♂♀. (Long. 4 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 42. 5. et P. 4 App. 416. 5. a. ZETT. Fn. Lapp. 1. 14. 4. a. SAHLB. Ins. Fenn. 208. 5. a. *Carabus borealis* FABR. Eleut. 1. 182. 69. SCHÖNH. Syn. 1. 186. 91. PANZ. Fn. 75. f. 8. *Pelophila borealis* DEJ. Spec. Coléopt. 2. 263. 1. MANNERH. monogr. Pelophilar. in Essais Entom. par Humm. Nr. 3. p. 36. 1.

Var. b. ♂♀. elytrorum margine inflexo pedibusque nigro-piceis.

ZETT. l. c. b. GYLL. l. c. var. b. MANNERH. l. c. var. b. SAHLB. l. c. b.

Var. c. ♂♀. in copula: elytris rufo-testaceis, pedibus rufescentibus.

ZETT. l. c. c. GYLL. et MANNERH. l. c. var. c. SAHLB. l. c. var. c.

Var. d. pallida, thorace elytrisque violaceo-micantibus.

MANNERH. l. c. var. d. GYLL. et SAHLB. l. c. var. d.

Var. e. supra nigra, elytris nigro-violaceis.

GYLL. l. c. var. c.

Hab. sub lapidibus in locis arenosis saepe ad ripas fluminum, in Lapponiis omnibus et Botnia boreali passim; versus alpes tamen hanc supra Juckasjervi et Karesuando in Lapponia Tornensi procedere non observavi. Var. a et b. frequentius occurrunt, var. e. tantum in Collect. D. KOLSTRÖM ad Muonioniska ut et in ripis Wojmsjon et StorUman, Lapponiae Umensis; sed varietates d et e mihi non nisi rarissime obviae. (Lapponia-Torneå.)

Hanc speciem a reliquis *Nebriis* removere non possum, cum notae differentes non sufficiant. Nec hujus speciei descriptio, quam dedit Generos. Com. MANNERH. l. c., speciminibus meis, iisque plurimis, omnimodo quadrat. In Lapponia enim occurrunt nostrae *Nebriae borealis* individua utriusque sexus, locis iisdem capta, magnitudine nonnihil variantia, antennis (quemadmodum in speciebus antecedentibus) l. totis nigris, l. extrorsum piceis, elytris magis vel minus evidenter punctato-striatis, margineque inflexo saepius quidem ferrugineo, interdum vero aeneo. Unde notas e talibus mutabilitatibus sumtas vacillantes existimo. Specimina igitur, quae eo modo ludunt, sed in ceteris conveniunt et simul habitant, species distinctae vix jure habentur.

## 8. Blethisa.

BONELLI. DEJ. *Nebria* GYLL. *Carabus* LINN. FABR.

*Corpus* mediocre, oblongum subdepressum, glabrum. Palporum articulus ultimus elongatus, oblongo-ovatus s. obconicus, apice truncatus. Thorax transverso-subquadratus, capite latior. Mandibulae intus edentulae. *Color* metallicus. *Motus* cursorius. *Habitatio* sub lapidibus, per partem sylvaticam Lapponiae; rarius. *Differentia sexus; mas:* articulis 4 primis tarsorum anticorum paullo dilatatis; *femina:* tarsis simplicibus. (Spec. Scand. 3, a *Nebria* tarsorum anticor. articulis 4 (nec 3) in mare dilatatis, etc.; et ab *Elaphro*, cui valde affinis, thorace depressiore subquadrato, capite latiori (nec rotundato et latitudine capitis), ut et oculis minus exsertis, etc., distinctae.

**1. B. multipunctata:** subconvexa, thorace transverso, postice angustiore, obscure cupreo-aenea, limbo virescente, elytris irregulariter punctato-striatis, foveis magnis viridi-aeneis duplici serie impressis. ♂♀. (Long. 4 lin.)

DEJ. Spec. Coléopt. 2. 266. 1. *Nebria* GYLL. Ins. Sv. 2. 44. 6. ZETT. Fn. Lapp. 1. 15. 5. *Carabus multipunctatus* LINN. Fn. Sv. 805. FABR. Eleut. 1. 182. 68. PANZ. Fn. 11. f. 5. SCHÖNH. Syn. 1. 185. 90.

Var. b. violaceo-virescens, nitida.

GYLL. l. c. Add. 3. pag. 692. (Specim. e Lappon. a D. SCHÖNH. communicat.)

Var. c. supra nigrescens tota. SAHLB. Ins. Fenn. 209. b.

Hab. in humidis Lapponiae sylvaticae, rarius: ad Muonioniska tamen frequentiorem vidi; varr. b et c mihi non obviae fuerunt. (Lapp.-Scan. var. a.)

**2. B. arctica:** cuprea, ore antennisque extrorsum nigris, tibiis ferrugineis; capite thoraceque crebre punctulatis, hoc postice utrinque fovea profunda punctata; elytris tenuiter punctato-striatis foveolisque disci 3 impressis. ♂♀. (Long. 3¼ lin.)

Var. a. ♂♀. supra cuprea.

DEJ. Spec. Coléopt. 5. 585. 3. *Harpalus arcticus* GYLL. Ins. Sv. 2. 96. 15. SAHLB. Ins. Fenn. 226. 15. ZETT. Fn. Lapp. 1. 34. 31.

Var. b. supra virescenti-violacea. — Sahlb. l. c. var. b.
Var. c. ♀. supra tota viridis unicolor.
Hab. in Lapponia Tornensi rarius, ad Muonioniska, Enontekis et Karesuando a DD. Grape et Kolström inventus; ex eadem Lapponia varietates a. et c. mihi etiam a DD. Deutsch et Frigelio communicatae. (Lapp. septentrional.)
Statura et similitudo quodammodo *Harp. rufipedis*, sed paullo major et multo convexior. Antennae breviores et crassiores, hujus omnino generis.

**3. B. Zetterstedti:** supra virescenti-aenea splendidissima, antennis pedibusque piceo-ferrugineis, thorace brevi, postice angustato, striga transversa intramarginali depressa punctata, foveaque triangulari utrinque profundissima, elytris antice interne obsolete punctato-striatis. ♀. (Long. circiter 1½ lin.)
Gyll. Ins. Sv. 4. App. 417. *Harpalus corruscus* Zett. Fn. Lapp. 1. 30. 23.
Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; non nisi 2 specimina hactenus, quantum novi, detecta, unum scilicet a D. Grape ante plures annos circa Karesuando inventum, et alterum in Pino recenter secato ad Wittangi d. 15. Jun. 1821 deprehendi ipse. (Lapponia borealis.)

---

## 9. Pteroloma.

Schönh. Gyll. Dej. *Harpalus* Gyll. Sahlb. Zett. *Adolus* Eschsch. Fisch.

*Corpus* parvum, ovatum, Nebriforme, subconvexum, glabrum. Antennae elongatae, tenues filiformes, subpubescentes, extrorsum paullo crassiores. Palporum articulus ultimus oblongus, apice subangustiore. Mandibulae exsertae, edentulae. Thorax transversus, lateribus explanatus, postice angustatus. Tibiae anticae tenues, simplices. *Color* nigricans. *Motus* agilis. *Habitatio* sub lapidibus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externa nulla; articuli tarsorum simplices, et, testante D. Fischer, in utroque sexu similes. (Spec. Scand. 1. nostra.)

**1. P. Forsströmi:** nigro-piceum, nitidum, antennis pedibusque fusco-ferrugineis, thorace subcordato, late marginato, sparse punctato, elytris ovalibus, punctato-striatis. (Long. circiter 2½ lin.)
Gyll. Ins. Sv. 4. App. 418. Dej. Spec. Coléopt. 5. 571. 1. *Harpalus Forsströmi* Gyll. Ins. Sv. 2. 111. 27. Zett. Fn. Lapp. 1. 27. 18. *Adolus brunneus* Eschscholtz. Fischer, Entomographie de la Russie. III. p. 243. T. 14. f. 1. a. b. c.
Hab. in Lapponia rarissime, primum a D. Forsström detectum. Sub lapide loco humido ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 15. Jun. 1821 unicum specimen quoque inveni. (Lapponia; in Nordlandia ad Hoernaes D. Rosenschiold; in Wermelandia seu Suecia media D. Mellerborg; rarissime et solitarie semper occurrens).

---

## 10. Carabus.

Latr. Gener. Crust. et Ins. 98. Fabr. Dej.

*Corpus* magnum, oblongum, glabrum. Thorax subquadratus, vel truncato-cordatus, postice emarginatus, angulis prominulis. Alae nullae. *Color* niger, violaceus, virescens, constans; pictura punctata. *Motus* cursorius. *Habitatio* sub lapidibus; per omnes Lapponiae regiones. *Victus* e rapina. *Odor* foetidus: humorem acrem et causticum per anum tactus spargit. *Differentia sexus* in tarsis anticis maris dilatatis, subtus spongiosis, feminae simplicibus facile invenienda. (Species Scand. 16.)

**1. C. glabratus:** convexus, supra caerulescenti-niger, subtus ater, thorace lato tenuiter reticulato-rugoso, margine subundulatim elevato, elytris undique subtilissime granulatis. ♂♀. (Long. 9 lin.)
Fabr. Syst. Eleut. 1. 170. 6. Panz. Fn. 74. f. 4. Schönh. Syn. 1. 168. 5. Gyll. Ins. Sv. 2. 55. 3. Dej. Catal. p. 5. Zett. Fn. Lapp. 1. 16. 1.
Hab. sub lapidibus mens. Jun. - Aug., in Lapponia boreali et meridionali haud raro; adscendit in summos alpes, et in ipso alpium Tornensium jugo ejusque latere, non minus suecico quam norvegico, a me saepe observatus. (Lapp. Scan. rar.)

**2. C. violaceus:** convexus, supra purpurascenti-niger, subtus ater, thorace angustato, punctato-subrugoso, margine aequaliter elevato, lateribus elytrorumque granulatorum limbo, violaceis. ♂♀. (Long. 9—10 lin.)
Linn. Fn. Sv. 787. Fabr. Eleut. 1. 70. 7. Panz. Fn. 4. f. 4. Schönh. Syn. 1. 168. 6. Gyll. Ins. Sv. 2. 56. 4. Dej. Catal. p. 5. Zett. Fn. Lapp. 1. 16. 2.
Var. b. ♂. thoracis lateribus elytrorumque limbo caerulescenti-splendentibus. — Zett. Fn. Lapp. l. c. b.
Var. c. fere totus niger, parum violaceus.
Hab. in Lapponia sylvatica passim mens. Jul. — Aug.; occurrit etiam in Norvegiae inferalpinis, et in sylva betulina ad Alteidet Finmarkiae d. 1. Aug. in copula captus; sed in summis alpibus eum nunquam observavi. (Lapp.-Scan. freq.)
Praecedente paullo angustior, elytrorum superficie magis opaca evidentiusque granulata.

**3. C. catenulatus:** convexus, supra nigro-cyaneus, elytrorum margine laetiori, subtus ater, elytris striis elevatis scabris, interstitiis subrugosis, punctisque impressis triplici serie. ♂♀. (Long. 8 lin.)
Fabr. Eleut. 1. 170. 9. Panz. Fn. 4. f. 6. Schönh. Syn. 1. 169. 8. Gyll. Ins. Sv. 2. 57. 5. Dej. Catal. p. 6. Zett. Fn. Lapp. 1. 17. 3. Sahlb. Ins. Fenn. 212. 3.
Hab. in Lapponia Tornensi, ad Karesuando D. Grape, teste D. Schönherr, et D. Heikel teste D. Sahlberg l. c. (Lapp.-Ostrog. pass. — Scan. boreal. rar.).

**4. C. cancellatus:** subconvexus, supra virescenti-aeneus, subtus niger, antennarum articulo primo rufo, elytrorum costis tribus laevibus, interstitiis subrogosis, tuberculisque evidentioribus triplici serie. ♂♀.
*Mas:* elytra ante apicem margine parum incisa.
*Fem:* elytra ante apicem margine profunde incisa.
Gyll. Ins. Sv. 2. 64. 11. Latr. Gen. Crust. et Ins. 1. 220. 12. Dej. Catal. p. 6. Zett. Fn. Lapp. 1. 17. 4. *Carab. granulatus* Fabr. Eleut. 1. 176. 36. Schönh. Syn. 1. 175. 43. (Forte etiam sub varietatibus *Car. granulati* Linn. Fn. Sv. cum sequente confusum latet insectum, in Suecia satis vulgare.)
Hab. in Lapponia Tornensi, Collect. D. Kolström, mihi in Lapp. non obvius. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. C. granulatus:** depressus, supra obscure aeneus, subtus antennisque totis niger, elytrorum costis tribus laevibus, interstitiis rugosis, granulisque catenulatis evidentioribus triplici serie. ♂♀. (Long. 7 lin.)
*Mas:* elytrorum margo lateralis ante apicem parum incisus.
*Fem.:* elytrorum margo lateralis ante apicem profunde incisus.
Linn. Fn. Sv. 781. var. c. Panz. Fn. 85. f. 1. Dej. Catal. p. 6. Zett. Fn. Lapp. 1. 18. 5. *Car. cancellatus* Fabr. Eleut. 1. 176. 37. Schönh. Syn. 1. 175. 44.
Hab. in Lapponia, Collect. DD. Kolströmi et Portini, mihi vero in Lapponia haud obvius. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. C. clathratus:** subconvexus, supra fusco-aeneus, subtus niger, elytrorum costis tribus laevibus, interstitiis, foveis rotundatis profundis aureo-cupreis triplici serie. ♂♀. (Long. 9 lin.)
Linn. Fn. Sv. 782. Fabr. Eleut. 1. 176. 38. Panz. Fn. 75. f. 1. Schönh. Syn. 1. 176. 46. var. ae. Gyll. Ins. Sv. 67. 13. var. a. Dej. Catal. p. 6. Zett. Fn. Lapp. 1. 18. 6.
Var. b. totus niger, foveolis elytrorum concoloribus.
Hab. in Lapponiae sylvis rarius, D. Portin; a me non nisi ad pagum Pello inter Kengis et ÖverTorneå, parce visus; var. *b.* in Lapponia capt. secund. Mus. D. Schönherr. (Lapp.-Scan. pass.)

**7. C. nitens:** oblongo-ovatus, convexus, subcaerulescenti-niger, capite thoraceque supra cupreis, elytris laete viridibus, aureo-marginatis, costis disci tribus laevibus atris, interstitiis transversim rugulosis. ♂♀. (Long. 6 lin.)
Linn. Fn. Sv. 785. var. *β*. Fabr. Eleut. 1. 177. 40. Panz. Fn. 85. f. 2. Schönh. Syn. 1. 176. 48. Gyll. Ins. Sv. 2. 70. 16. Dej. Catal. p. 16.
Hab. in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae, rarius, ad Evenäs scilicet juxta Ofotenfjord d. 16. Jul. utrumque sexum legi; sed in Lapponia Suecica illum nunquam inveni. (Lapp.-Scan. freq.)
Obs. *Calosomatis*, *Licini*, *Amblychi*, *Synuchi* et *Panagaei* species, Sueciae mediae et meridionalis frequentes incolae, e Lapponia forsitan omnes exsules; nullae harum a me saltem observatae

---

## 11. Cychrus.

Fabr. Panz. Schönh. Gyll. Sahlb. Dej. *Tenebrio* Linn.

*Corpus* majoris magnitudinis, ovato-oblongum glabrum. Palporum articulus ultimus securiformis. Antennae setaceae. Mandibulae porrectae, intus dentatae. Thorax elytris angustior. Elytra connata, lateribus carinata. *Color* niger. *Motus*

cursorius. *Habitatio* sub muscis et ad truncos arborum putridarum; per partem sylvaticam et subalpinam Lapponiae. *Differentia sexus:* tarsi antici in utroque sexu similes sunt, sed *mas* palporum articulo ultimo magis dilatato, quam *femina*, gaudet. (Spec. Scand. 2.)

**1. C. rostratus:** niger, capite postice transversim subimpresso, margine basali laevissimo, thorace postice transversim depresso, angulis rotundatis parum reflexis, elytris granulato-punctatis, punctis saepe confluentibus, lineis 3 elevatis obsoletissimis. ♂♀. (Long. $5\frac{1}{4}$ lin.)

FABR. Eleut. 1. 165. 5. DEJ. Spec. Coléopt. 2. 8. 4. certe.

Hab. in Lappon. meridionali rarius; in graminosis ad lacum StorUman et ad radicem alpis Brattiksfjell, Lapponiae Umensis, d. 5—8. Jul. 1832, utrumque sexum legi. (Lapponia; Nordlandia ad Nordmaling d. 25. Maj.)

*Obs.* Specimina *Cychri*, quae in Suecia inferiori haud infrequenter occurrunt, rectius ad *C. elongatum* HOPPE referendae sunt, ut jam observavit D. DEJEAN, quare ob comparationem hanc speciem, faunae nostrae peregrinam, describere etiam juvat.

**C. elongatus:** niger, capite postice vix impresso, margine basali punctulato, thorace postice subexcavato, angulis reflexis subrotundatis, elytris granulato-punctatis, punctis subdiscretis, lineis 3 elevatis obsoletis. ♂♀. (Long. $5\frac{1}{2}$—7 lin.)

DEJ. Spec. Coléopt. 2. 7. 3. certe. *Cychrus rostratus* GYLL. Ins. Sv. 2. 71. 1. PANZ. Fn. 74. f. 6. Naturh. Sellsk. Skrift. Kjoebenh. 1794. 71. T. 8. f. 4. a. SAHLB. Ins. Fenn. 215. 1.? *Tenebrio rostratus* LINN. Fn. Sv. 823.

Hab. in graminosis et sub foliis deciduis ut et ad truncos arborum, per Sueciae inferioris plerasque provincias a Nordlandia usque ad Lund Scaniae 20. April — 24. Sept., passim, solitarie plerumque obvius. (Gestricia-Scania pass.)

Priori paullo major. Differt a praecedente praecipue: statura corporis magis oblonga (nec ovato-rotundata), capitis margine postico subpunctulato (nec laevissimo), thorace subquadrato (nec rotundato), angulis praesertim posticis subrectis distincte elevatis (nec ut in priori rotundatis, parum elevatis), elytrorum granulis magis dicsretis (nec confluentibus), et lineis disci 3 punctisque ad basin carinae lateralis 2 l. 3. saepe magis elevatis (nec obsoletissimis). Neque cohabitant.

## 12. Harpalus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 92. GYLL. *Carabus* Fabr.

*Corpus* mediocre, oblongum, glabrum. Thorax varius, capite sessili, elongato, anterius angustato, latior. Palpi filiformes. *Color* niger, rufescens, e metallico saepe resplendens; inconstans pictura nulla. *Motus* agilissime cursorius. *Habitatio* sub lapidibus et in rimis rupium, per omnes Lapponiae regiones; nec nivalem aufugit. *Victus* e rapina. *Sexus* tarsis anticis maris paullo dilatatis, feminae simplicibus, semper dignoscitur. (Spec. Scand. 116, in plura subgenera juste dispescendae.)

### *Sect. I. Thorax angulis posticis non rotundatis.*

*Subdiv.* 1. thorace longiore subquadrato, postice sublatiore, angulis aut rectis aut nonnihil prominulis. Statura corporis elongata. Color niger, rufescens, non metallicus. Elytra maris subnitida, feminae opaca. *Calathus* BONELL. et DEJ.

**1. H. Cisteloides:** niger, ore antennisque piceis, his basi pedibusque ferrugineis, elytris tenuiter et subtilissime punctato-striatis, striis tribus disci punctis majoribus. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 125. 37. ZETT. Fn. 1. 19. 1. *Carabus Cisteloides* PANZ. Fn. 11. f. 12. SCHÖNH. Syn. 1. 195. 159.

Hab. in Lapponia meridionali rarius. (Lapp.-Scan. pass.)

**2. H. fulvipes:** niger, palpis, antennis pedibusque ferrugineo-testaceis, thoracis angulis posticis rectis, elytris tenuiter et laeviter striatis, disco bipunctatis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 128. 39. ZETT. Fn. Lapp. 1. 20. 2. *Carabus fulvipes* FABR. Eleut. 1. 180. 54. SCHÖNH. Syn. 1. 182. 72.

Hab. in Lapponia rarius, in copula; praecedente paullo minor, sequente vero major. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. H. melanocephalus:** niger, palpis, antennis pedibusque flavis, thorace angulis posticis subobtusis, toto ferrugineo, scutello pectoreque piceis, elytrorum striis tenuissimis laevibus. ♂♀. (Long. 3 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 129. 40. ZETT. Fn. Lapp. 1. 20. 3. *Carabus melanocephalus* LINN. Fn. Sv. 795. FABR. Eleut. 1. 190. 112. PANZ. Fn. 30. f. 19. SCHÖNH. Syn. 1. 195. 157.

Hab. sub lapidibus et sub lignis, tota aestate, in omnibus Lapponiis vulgaris. In summa cacumina alpium adscendit, et in alpium Tornensium jugo supra ipsam nivem currens pluries deprehensus. Occurrit quoque in inferalpinis maritimisque Norvegiae septentrionalis, et usque ad Talvig Finmarkiae a me visus. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. H. micropterus:** piceo-niger, palpis, antennis pedibusque flavis, thoracis lateribus summis ferrugineis, elytrorum striis tenuissimis laevibus. ♂♀. (Long. $2\frac{2}{3}$ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 442. *Harpal. melanocephalus* GYLL. Ins. Sv. 2. 129. 40. var. b. *Harp. ochropterus* ZETT. Fn. Lapp. 1. 20. 4. (excl. Syn. DEJ.) *Calathus microcephalus* DEJ Spec. Coléopt. 3. 78. 16.

Hab. sub lapidibus ad Wittangi, Juckasjervi et Torneträsk Lapponiae Tornensis mens. Jun. Jul. haud infrequens. In Lapponia Umensi, ex. gr. ad Lycksele, Tresunda et Fredrica etiam vulgaris. Ad Alten Finmarkiae quoque lectus, sed in ipsis alpibus nivalibus a me non repertus. (Lapp.-Scan. freq.)

Summa affinitas praecedentis, sed paullo minor et thorace aliter colorato. Nescio praeterea, quaenam dissimilitudo habitualis inter hos mihi semper visa, nec mixti cohabitant. Ex utroque ambo occurrunt sexus, et non nisi similis cum simili copulatur. Hunc igitur, auctoritate DD. GYLL. et DEJ., ut distinctam heic propono speciem.

*Subdiv.* 2. thorace postice latiore, elytris fere aequali, et arcte applicato, angulis rectis aut acutis. Statura corporis ovalis, saepe brevior, latior. Color aeneus l. nigricans, metallice semper resplendens. Mares et feminae in elytris aeque fere nitent. *Amara* BONELL. et DEJ.

**5. H. latus:** brevis, supra convexus niger, nitidus, subtus piceus, antennis pedibusque rufis, thorace utrinque bis foveolato, elytris evidenter punctato-striatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 133. 43. ZETT. Fn. Lapp. 1. 21. 5. *Carabus latus* FABR. Eleut. 1. 196. 141. SCHÖNH. Syn. 1. 202. 103. *Amara consularis* DEJ. Catal. p. 9.

Hab. in vicinitate Lapponiae; ad Matarengi in Paroecia ÖfverTorneå, Generosiss. D. MANNERH. (Lapp.-Scan. rar.)

**6. H. acuminatus:** latus, aeneo-niger, supra obscure cupreus, antennarum basi rubra, thorace aequali, utrinque foveolis binis laevibus, interiori a basi remota profundiori angusta, elytris subsulcatis. ♂♀. (Long. 4 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 136. 46. ZETT. Fn. Lapp. 1. 21. 6. *Carabus acuminatus* SCHÖNH. Syn. 1. 203. 197. *Carab. eurynotus* PANZ. Fn. 37. f. 23. *Amara eurynota* DEJ. Catal. p. 9.

Hab. in Lapponia boreali passim. (Lapp.-Scan. fr.)

**7. H. similatus:** oblongus, niger, supra obscure aeneus, antennarum basi tibiisque ferrugineis, thorace aequali, postice foveolis obsoletis subpunctatis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{3}$ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 138. 47. ZETT. Fn. Lapp. 1. 21. 7. *Amara similata* DEJ. Catal. p. 9.

Hab. sub lapidibus in Lapponia, ex. gr. ad Naestansjo, Lapp. Umensis rarius, praecedente parum brevior, sed fere dimidio angustior. (Lapp.-Scan. pass.)

**8. H. trivialis:** oblongo-ovatus, supra viridi-aeneus, subtus niger, antennarum basi tibiisque testaceis, thorace aequali, fovea utrinque unica vix punctata. ♂♀. (Long. 3 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 140. 49. ZETT. Fn. Lapp. 1. 22. 8.

Hab. in Lapponia forte rarius, mihi non obvius, sed a D. GRAPE e Karesuando Lapponiae Tornensis missus ad D. SCHÖNHERR. (Lapp.-Ostrog. Gottl. Scan. pass.)

*Harp. similato* dimidio minor.

**9. H. praetermissus:** oblongo-ovatus, supra niger nitidus, palpis, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace postice utrinque profunde punctato, bifoveolato, margine summo angulisque posticis piceis, pectore lateribus profunde punctato. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.)

SAHLB. Ins. Fenn. 246. 5. *Amara similata* var. DEJ. Spec. Coléopt. 5. 789. 3.

Hab. in Lapponia (boreali) rarissime, D. M. KOLSTRÖM, teste D. SAHLB. l. c.; mihi in Lapponia non obvius. (Lapponia borealis)

„Magnitudo et statura *H. plebeji*, sed differt colore antennarum pedumque, thorace profundius et pectore punctato." SAHLB. l. c. A D. DEJEAN tantum ut var. *Harp. similati* consideratur; an jure?

**10. H. plebejus:** oblongo-ovatus niger, supra viridi-aeneus, antennarum basi tibiisque testaceis, thorace inaequali, postice utrinque foveolis duabus crebre punctatis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—3 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 141. 50. ZETT. Fn. Lapp. 1. 22. 9.
Var. b. ♂. supra obscure virescens, tibiis piceis.
Hab. sub lapidibus, in Lapponia passim, in adjacenti Botnia boreali, ex. gr. ad Haparanda et ÖfverTorneå frequentius, mens. Majo — Julio. (Lapp.-Scan. pass.)

**11. H. vulgaris**: oblongo-ovatus niger, antennis pedibusque concoloribus, supra virescenti-aeneus, thorace inaequali, postice utrinque foveolis duabus angustatis sublaevibus. ♂♀. (Long. 2¾ lin.)

*Mas:* elytra tenuiter punctato-substriata, interstitiis planis sublaevibus nitidis.

*Fem.:* elytra tenuiter punctato-substriata, interstitiis subconvexis, subtilissime punctulatis sive coriaceis, minus nitidis; plerumque etiam major.

Var. a. ♂♀. supra virescenti-aeneus; frequentior.
GYLL. Ins. Sv. 2. 138. 48. ZETT. Fn. Lapp. 1. 22. 10. a. *Carab. vulgaris.* LINN. Fn. Sv. 799. FABR. Eleut. 1. 195. 137. SCHÖNH. Syn. 1. 201. 188. *Amara vulgaris* DEJ. Catal. p. 9.
Var. b. ♂♀. supra cupreus.
GYLL. l. c. var. b. ZETT. Fn. l. c. b. *Carab. vulgaris* PANZ. Fn. 40. f. 1.
Var. c. ♀. supra viridis.
GYLL. l. c. var. c. ZETT. Fn. l. c. var. c.
Var. d. ♂♀. supra nigricans vel violaceo- aut caeruleoniger. — ZETT. Fn. l. c. var. d.
Var. e. supra cupreo-aeneus. SAHLB. Ins. Fenn. p. 244.
Hab. sub lapidibus, sub ligno sicco et in terra, per totam Lapponiam sylvaticam mens. Jun. Jul. vulgatissimus, praesertim feminae frequentes. Versus alpes non longius quam ad cataractam Wackokoski (ubi terminus Abietis) et Karesuando Lapponiae Tornensis, atque ad Umenaes Lappon. Umensis, procedentem observavi, nec in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae eum unquam deprehendi. (Lapp.-Scan. pass.)

*Harp. similato* dimidio minor, magnitudine fere trium proxime praecedentium.

**12. H. despectus**: oblongo-ovatus niger, supra nonnihil aeneo-micans, antennarum basi, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, thorace inaequali, postice foveolis utrinque 2 sublaevibus profundioribus, margine summo piceo-ferrugineo. (Long. 2⅓ lin.)
SAHLB. Ins. Fenn. 245. 49.
Hab. in Lapponia (boreali), D. KOLSTRÖM, teste D. SAHLBERG l. c., mihi in Lapponia non obvius (Lapponia borealis).
Var. b. antennis pedibusque totis rufo-ferrugineis. In Lapponia D. SAHLBERG.

**13. H. communis**: brevis, ovalis, obtusus niger, supra aeneus vel caerulescens, antennarum basi tibiisque ferrugineis, thorace lato aequali, postice subpunctulato, vix foveolato, elytris tenuiter striatis, striis obsoletissime punctatis. ♂♀. (Long 2¾ lin.)
GYLL. Ins. Sv. 3. 141. 51. a et b. ZETT. Fn. Lapp. 1. 23. 11. *Carab. communis* FABR. Eleut. 1. 195. 138. PANZ. Fn. 40. f. 2. SCHÖNH. Syn. 1. 201. 189. *Amara communis* DEJ. Catal. p. 9.
Hab. in Lapponia testantib. DD. FRIGELIO et SCHÖNHERR, ut et Collect. D. PORTIN; mihi vero tantum in Lapponia Umensi ad Badstutraesk die 30. Jun. freq., sed non in Norvegica obvius. (Lapp.-Scan. freq.)
Var. b. pedibus rufis — ad Lycksele freq.; etiam in Lapponia Tornensi a D. FRIGELIO invent.; est forte *Harp. familiaris* GYLL. Ins. Sv. 4. App. 445.

Priori paullo brevior, non latior, ovalis.

**14. H. Quenseli**: ovatus, ferrugineo-piceus vel virescenti-aeneus, supra semper aeneo-micans, antennis pedibusque rufo-testaceis, thorace inaequali disco convexo, lateribus depresso-explanato, postice punctato et utrinque bifoveato, elytris tenuiter subpunctato-striatis. ♂♀. (Long. 2¾—3¼ lin.)
Var. a. (qualis frequentissime occurrit) ♂♀. piceo-ferrugineus, pectore abdomineque obscurioribus, antennis pedibusque testaceis.
GYLL. Ins. Sv. 2. 134. 44. ZETT. Fn. Lapp. 1. 24. 12. a. *Carabus Quenseli* SCHÖNH. Syn. 1. 201. 190.
Var. b. ♂♀. nigro-piceus, antennis pedibusque ferrugineis. — ZETT. l. c. var. b.
Var. c. ♀. piceo-niger, antennarum basi, tibiis tarsisque ferrugineis. — ZETT. Fn. l. c. var. c.
Var. d. ♀. rufo-piceus, antennis pedibusque pallidis; duplo major. — ZETT. Fn. l. c. var. d.
Hab. sub lapidibus locis siccioribus in Lapponiis septentrionalibus et meridionalibus, per omnes regiones, tota aestate, frequentissimus. Adscendit quoque in summas alpes, et in alpium Tornensium jugo in ipsa nive currens mense Julio deprehensus; varietates vero obscuriores in regione nivali semper magis communes. In Nordlandiae et Finmarkiae maritimis hunc non observavi. Varietatem d. ad Johannis Ro Botniae borealis d. 2. Sept. tantum legi. (Lapponia; Torneå; Scania ad Esperöd certe.)

Magnitudo *Harp. trivialis*, sed variat major et minor. In omni varietate occurrunt specimina supra magis vel minus aeneo-micantia, ut et thoracis postico magis vel minus punctato; in feminis tamen haec punctura semper obsoletior deprehenditur. Thoracis lateribus explanatis, praesertim posterius, optime dignoscitur ab affinibus haec species, quae non nisi in Lapponia et Scania hactenus observata est.

**15. H. brunneus**: obovatus nigropiceus, ore, antennis pedibusque pallidis, thorace amplo, margine summo pellucido-ferrugineo, postice utrinque foveolis duabus punctatis, elytris tenuiter punctato-striatis. ♂♀. (Long. 2¼ lin.)

*Mas:* thorace magno, amplo, lateribus scilicet rotundatis, in medio dilatatis, postice foveolis evidenter punctatis.

*Fem.:* thoracis lateribus in medio minus dilatatis, postice foveolis saepe obsolete punctatis, et paullo minor; forte ejusdem speciei, nam in ceteris simillimi, et semper cohabitant, licet non in copula deprehensi.

GYLL. Ins. Sv. 2. 143. 52. ♂. ZETT. Fn. Lapp. 1. 24. 13. *Amara brunnea* DEJ. Catal. p. 9.
Hab. in alpibus Lapponiarum et suecicarum et norvegicarum, passim; in alpium Tornensium jugo d. 12. Jul., nec non in Gamstenstind et alpibus adjacentibus Finmarkiae d. 1. Aug. plurima specimina utriusque sexus legi; alias in provinciis borealibus Sueciae mihi non obvius, nisi unice sub lapide ad Karungi prope Tornoam d. 27. Maj. (Lapp.-Scan. rar.)

Vix dubito, quin noster idem sit ac *Harp. brunneus* GYLLENH., licet in climate boreali magis obscurus, fere nigricans evadat, unde facies paullo aliena. Specimina, quae ab ipso Ill. viro accepi hujus speciei, cum nostris masculis omnino conveniunt praeter colorem.

**16. H. Sahlbergi**: oblongo-ovatus, nitidus niger, vel supra nigro-piceus, palpis, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace subangustato, profundius emarginato, lateribus rotundato, foveolis utrinque 2 subpunctatis, elytris punctato-striatis. (Long. 2 lin.)
*Amara lapponica* MANNERH. in litt. ad SAHLB. *Harpal. lapponicus* SAHLB. Ins. Fenn. 250. 58.
Hab. in Lapponia rariss. D. FELLMANN, test. D. SAHLBERG l. c.

*Harp. brunneo* subsimilis. *H. tibiali* quoque valde affinis, sed paullo major et colore, structura thoracis elytrisque paullo profundius punctato-striatis distinctus." SAHLB. l. c. — Cum speciem infra (Nr. 21) jam ann. 1826 sub nomine *H. lapponicus* descripserim, hoc Faunae Fennicae, 1827 editae, in melius pulchriusque mutavi, dedicans D. FERDINANDO SAHLBERG, filio, praesentem speciem, quam pater ejus primum optime adumbravit.

**17. H. tibialis**: oblongo-ovatus, supra metallicus, subtus niger, antennarum basi tibiisque rufo-testaceis, thorace postice utrinque bifoveolato, foveolis profundis, impunctatis, elytris subtiliter punctato-striatis, striola abbreviata ordinaria ad basin interiorem aut nulla aut rudimentaria. ♂♀. (Long. 1½—1¾ lin.)
Var. a. supra caerulescens.
GYLL. Ins. Sv. 2. 145. 54. SAHLB. Ins. Fenn. 250. 59. *Carabus tibialis* SCHÖNH. Syn. 1. 203. 198.
Var. b. ♂♀. supra aut virescenti-aeneus, aut piceo-aeneus.
GYLL. et SAHLB. l. c. var. b. *Amara tibialis* DEJ. Spec. Coléopt. 3. 471. 12. var. a.
Hab. ad ripas fluminum Lapponiae meridionalis, var. a. rarissime, sed var. b. ad Lycksele d. 15—25. Jun. utriusque sexus mihi copiose obvia. (Lapp.-Scan. var. a. freq. var. b. passim).

*Subdiv.* 3. thorace postice parum angustiore, angulis rectiusculis, vix vero prominulis, nec exacte rotundatis. Statura corporis oblonga. Color saepius niger, raro aeneus, pedibus saepe rufescentibus. Superficies elytrorum in feminis plerumque opaca. *Harpali* species DEJ.

**18. H. limbatus**: niger nitidus, antennis, palpis pedibusque rubris, thorace lateribus rectis, margine summo ferrugineo-pellucido, basi punctato, utrinque foveolato, elytris evidenter striatis, apice oblique subtruncatis. ♂♀. (Long. 3½ lin.)
GYLL. Ins. Sv. 4. App. 433. *Harp. rubripes* GYLL. Ins. Sv. 2. 118. 32. var. b. et f. ZETT. Fn. Lapp. 1. 25. 14.

Var. b. ♂♀. subtus ferrugineus, capite thoraceque rufo-piceis. Gyll. l. c. var. d. et e.

Hab. sub lapidibus per omnium Lapponiarum partem infimam et in Botnia boreali, tota aestate frequens. (Lapp.-Scan. freq.)

**19. H. ruficornis**: oblongus, nigro-piceus, antennis pedibusque rufis, thorace postice punctulato, utrinque obsolete foveolato, elytris striatis, pubescentibus, opacis, interstitiis crebre punctulatis. ♂♀. (Long. 5 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 107. 24. Sahlb. Ins. Fenn. 231. 25. Dej. Spec. Coléopt. 5. 249. 48.

Hab. in Lappon. meridionali, rarissime (Lappon.-Angermannia et Hernoesand 20. Maj. rar.; Scania tota aestate sub lapidib. ubique vulgaris).

**20. H. laevipes**: niger nitidus, antennis, mandibulis, palpis pedibusque sublaevibus, rubris, thorace posterius subangustato, basi punctato, utrinque foveolato, elytris evidenter striatis, apice oblique subtruncatis. ♂♀.

Hab. sub lapidibus et ligno sicco in Lapponia rarius; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 26. Jun. 1821, ad Badstutraesk 30. Jun. 1832, et ad Bossekop prope Altengaard Finmarkiae d. 5. Aug. 1811, pauca specimina utriusque sexus legi. (Lapponia)

Magnitudo, statura et summa affinitas *Harp. binotati*; sed colore et armatura pedum distinctus; mas quoque magis nitidus. Similis etiam *H. Hottentotta* Sturm; sed femora in nostro magis incrassata sunt. Antennae et palpi rufescentia. Mandibulae magnae, ferrugineae. Thorax niger transversus, posterius paullo angustior, supra laevis, basi punctatus, et foveola utrinque sat profunde impressus. Elytra nigra nitida, in femina subopaca, in utroque sexu laeviter striata, interstitiis laevibus, excepto marginali foveolato et in interstitio tertio a sutura punctis 2 l. 3 majusculis impressis. Corpus subtus nigrum. Pedes rufi, laeviusculi, tibiis intermediis parce spinuloso-ciliatis. Femora antica valida, praesertim in mare.

An *Harp. Caffer* Sturm Deutschl. Fn. IV. 33. 17. T. 82. f. d. D.? Vix *H. serie-punctatus* Gyll. Ins. Sv. 4. App. p. 434.

**21. H. Lapponicus**: niger subopacus, antennis palpisque rufis, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace posterius subangustato, basi punctato, utrinque foveolato, elytris tenuiter striatis, apice oblique truncatis. ♂♀.

Hab. sub lapidibus locis arenosis, ut etiam sub ligno sicco, in Lapponia Tornensi, rarius. Versus finem mensis Junii in copula ad Juckasjervi inveni; ad litus lacus Wojmsjoen Lapponiae Umensis individ. masculum d. 12. Jul. 1832 quoque invenit Clar. Dahlbom. (Lapponia)

Magnitudo *Harp. rubripedis*. Affinis *Harp. tardo*, thorace postice paullo angustiore et basi punctato distinctus. Caput laeve, nigrum, mandibulis piceis, palpis flavis. Antennae testaceae. Thorax transversus, posterius paullo angustior, transitum ad subdivisionem sequentem efficiens; supra laevis, in medio canaliculatus, postice depressus, punctatus, praesertim versus latera, et utrinque fovea evidenti impressa, etiam punctata; totus niger. Elytra ovata, apice oblique truncata, tenuiter striata, striis laevibus, interstitiis oculo acute armato subtilissime punctulatis, unde superficies parum nitida apparet; in interstitio marginali series foveolarum ordinaria adest. Pedes nigro-picei, tibiis ferrugineis, tarsis dilutioribus; glabri, tibiis posterioribus ciliato-spinulosis. Femora antica praesertim in mare sat valida.

**22. H. cupreus**: alatus, nigricans glaber, supra cupreus, metallicus, antennarum articulis 2 primis rufis, thorace postice utrinque bistriato, elytris tenuiter punctato-striatis, punctisque 3 postice impressis. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 114. 30. *Carabus cupreus* Linn. Fn. Sv. 801. Schönh. Syn. 1. 200. 185. *Feronia* (Poecilus) *cuprea* Dej. Spec. Coléopt. 3. 207. 2.

Var. b. supra viridi-aeneus. Gyll. et Schönh. l. c. var. b.

Hab. sub lapidibus in Lapponia meridionali passim; ad Lycksele utriusque varietatis utrumque sexum d. 15—25. Jun. inveni. E Lapponia Tornensi etiam a. D. Frigelio communicatus. (Lapp.-Scan. frequentiss.)

**23. H. aeneus**: oblongus, supra viridi-aeneus nitidus, antennis pedibusque rufis, elytris tenuiter striatis, apice excisis, interstitiis exterioribus subtiliter punctulatis. ♂♀. (Long. 4 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 116. 31. Dej. Catal. p. 14. Zett. Fn. Lapp. 1. 27. 17. *Carabus aeneus* Fabr. Eleut. 1. 197. 146. Schönh. Syn. 1. 203. 201.

Var. b. ♂♀. supra cupreus. — Gyll. l. c. var. c.

Hab. in Lapponia; e Karesuando a D. Grape ad D. Schönherr missus; etiam ad vicum Matarengi in Paroecia OfverTorneå a Generos. Mannerheim inventus; mihi etiam in Lapponia Umensi frequenter obvius (Lapp.-Scan. copiose).

**24. H. confusus**: oblongus, supra aut viridi-aeneus aut niger, antennarum articulo primo rufo, pedibus nigro-piceis; thorace postice utrinque subfoveolato, foveis punctatis, elytris tenuiter striatis, apice excisis, interstitiis exterioribus subtiliter punctulatis, tertio puncto impresso. ♂♀. (Long. 4 lin.)

Var. a. supra viridi-aeneus. — Dej. Spec. Coléopt. 4. 271. 64. *Harp. aeneus* Gyll. Ins. Sv. 2. 116. 31. var.

Var. b. ♂. supra niger. — Gyll. l. c. 4. App. 431. var. t.

Hab. in meridionali Lappon. rarissime; var. a ad Lycksele, et var. b. ad Tresunda, Lapponiae Umensis, 1. Jun.—11. Jul. captae. — In omnibus cum *H. aeneo* conveniens, colore pedum antennarumque tantum differt. (Lapp.-Scan. rar.)

**25. H. nigritarsis**: „brevior, niger nitidus, antennis medio fuscescentibus, palporum apice rubro, elytris striatis, apice subrotundatis, interstitiis impunctatis, pedibus nigris, tarsis subtus tibiisque rubris. (Long. 3½ lin.)"

Sahlb. Ins. Fenn. 237. 34.

Var. b. pedibus rufis, femorum tibiarumque apice et tarsis superne nigris. — Sahlb. l. c. var. b.

Hab. in Lapponia D. Kolström, test. D. Sahlberg l. c. (Lapponia borealis.)

Statura et magnitudo *Harp. limbati*.

**26. H. luteicornis**: brevior, niger nitidus, antennis, palpis, pedibus, thoracis elytrorumque marginibus posterius rufo-testaceis, thorace subquadrato, postice punctulato, foveolaque utrinque impresso. (Long. circiter 2 lin.)

Sturm Fn. 4. 60. 33. Tab. 87. f. a. A. Gyll. Ins. Sv. 4. App. 435. Dej. Spec. Coléopt. 4. 329. 114.

Hab. in Lapponiae inferalpinis rarius; in alpe Dowre a D. Boheman mens. Jun. et Jul. inventus, mihique benigne missus. Statura et similitudo *H. limbati*, sed fere triplo minor. (Lapponia Norvegica-Scan. rar.)

*Subdiv.* 4. thorace brevi transverso, postice angustiore, angulis acutis; alati. Statura corporis ovato-oblonga, subconvexa. Color niger, in rufum saepe abiens. Superficies elytrorum in utroque sexu aequaliter nitida. *Amarae* et *Harpali* species Dej.

**27. H. fulvus**: brevis latus, ferrugineus, antennis pedibusque pallide testaceis, elytris aeneo-submicantibus, subpunctato-striatis, thorace posterius angustato, utrinque bifoveolato. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 2. 105. 23. Zett. Fn. Lapp. 1. 27. 27. *Carabus fulvus* Schönh. Syn. 1. 214. 262. *Amara fulva* Dej. Catal. p. 9. *Carab. ferrugineus* Linn. Fn. Sv. 798. forte.

Hab. in locis arenosis in Lapponia rarius, D. Portin; ad Lycksele Jun. ipse. (Lapp.-Scan. fr.)

**28. H. apricarius**: ovatus piceus, supra nigro-aeneus, palpis, antennis pedibusque ferrugineo-testaceis, thorace posterius parum angustato, basi punctato, utrinque bistriato, elytris crenato-striatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 104. 22. Zett. Fn. Lapp. 1. 28. 20. *Carabus apricarius* Fabr. Eleut. 1. 205. 193. Panz. Fn. 40. f. 3. Schönh. Syn. 1. 214. 261. *Amara apricaria* Dej. Catal. p. 9.

Var. b. ♂♀. (in copula) supra rufo-picea, subtus dilutior. — Gyll. l. c. var. b.

Hab. sub lapidibus locis arenosis, in Lapponia passim ad Lycksele 2—12 Jun. freq., mens. Julio in copula captus. Occurrit quoque saepe in summitatibus culmorum graminum et in floribus Salicis etc., sed longius versus alpes quam ad Juckasjervi in Lapponia Tornensi illum procedentem non inveni, nec in Norvegiae inferalpinis unquam vidi. Var. b. ad Åsele, Lappon. Umensis d. 26. Jul. freq. vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

**29. H. alpinus**: niger, palpis concoloribus, antennarum basi testacea, thorace postice parum angustato, fovea utrinque punctata, bistriata, elytris punctato-striatis. ♂♀. (Long. 3½ lin.)

Var. a. ♂♀. thorace elytrisque nigro-aeneis, pedibus ferrugineis. — Zett. Fn. Lapp. 1. 28. 21. a. Gyll. Ins. Sv. 4. App. 430. var. d.

Var. b. ♂♀. thorace elytrisque nigris l. nigro-aeneis, disco longitudinaliter rufo, femoribus ferrugineis, tibiis jam piceis, jam nigris; magnitudine nonnihil varians; frequentior. Gyll. Ins. Sv. 2. 103. 21. var. a. Zett. Fn. Lapp. 1. 28. 21. *Carab. alpinus* Fabr. Eleut. 1. 196. 140. Panz. Fn. 75. f. 7. Schönh. Syn. 1. 202. 192. var. ae.

Var. c. ♂♀. thorace elytrisque nigris, femoribus nigro-piceis. — Zett. Fn. Lapp. 1. 28. 21. v. c. Gyll. l. c. 4. App. 430. c.

Var. d. capite, thorace elytrorumque limbo viridi-aeneis. Gyll. l. c. var. b.

Var. e. viridi-aeneus nitidus, elytris totis concoloribus. — Gyll. l. c. var. e.

Hab. in summis alpibus Lapponiarum, in ipsa nive vivaciter cursitans, tota aestate vulgaris; descendit quoque varietas b, latere suecico, in regiones subsylvaticam et sylvaticam, ibique sub lapidibus occurrens frequenter deprehenditur, sed vix infra Wittangi Lapponiae Tornensis observata. Var. a et c tantum in summo jugo alpino a me visa, in alpe Dowre a D. Boheman quoque capta, et var. d. e mihi non obviae, sed a D. Grape in Lapponia boreali inventae. (Lappon.-Dalecarlia.)

**30. H. torridus**: niger, palpis antennisque totis testaceis, thorace postice angustato, fovea utrinque punctata, bistriata, elytris punctato-striatis, varicoloribus. ♂♀. (Long. 3½ lin.)

Var. a. ♂♀. elytris nigro-aeneis, pedibus aut nigro-piceis, aut rufescentibus; frequentior.

Gyll. Ins. Sv. 2. 102. 20. Zett. Fn. Lapp. 1. 29. 22. a. *Carab. torridus* Panz. Fn. 38. f. 2. *Carab. alpinus var.* γ. Schönh. Syn. 1. 102. 192. *Amara torrida* Dej. Spec. Coléopt. 3. 520. 60.

Var. b. ♂♀. elytris rufo-ferrugineis, summo margine suturaque nigris, l. nigro-aeneis, pedibus aut ferrugineis, aut nigro-piceis. Schönh. l. c. var. β. Zett. l. c. var. b.

Var. c. ♂. elytris nigris, pedibus piceis, tarsis dilutioribus. — Zett. l. c. var. c.

Var. d. corpore subtus, pedibus, labro oreque testaceis; mandibulis solis apice piceis.

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 430. var. b.

Hab. locis cultis sub lapidibus et sub ligno sicco, quod in terra jacet, per totam Lapponiam borealem sylvaticam mens. Jun.—Aug. copiosissime; occurrit etiam in inferalpinis Norvegiae, et ad Bjorkvik Nordlandiae atque ad Alteidet Finmarkiae haud infrequenter lectus; in summas alpes vix adscendit, et in jugo alpino non nisi varietas b. parce visa; varietatis c. specimen tantum unicum ad Juckasjervi captum, sed a D. Frigelio plura, in Lapponia Tornensi capta, mecum communicata. (Lapp. borealis.—Botnia borealis, Torneå, rar.)

Hic et praecedens magnitudine aequales, statura *Harp. aulici*, sed triplo minores et ultra.

*Subdiv.* 5. thorace oblongo, postice angustiore, basi truncato, angulis acutis. Statura corporis elongato-oblonga, subdepressa. Color niger, piceus, raro metallicus. *Platismae*, *Omasei*, *Pterostichi*, *Poecili*, *Patrobi* et *Argutoris* species Dejean.

A. Alati.

**31. H. niger**: subdepressus niger, antennis extrorsum fuscescentibus, thorace postice utrinque fovea bistriata, elytris subsulcatis. ♂♀. (Long. 6—7 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 86. 7. Zett. Fn. Lapp. 1. 30. 24. *Carabus niger* Fabr. Eleut. 1. 178. 46. Schönh. Syn. 1. 179. 62. *Platysma nigra* Dej. Catal. p. 12. *Carabus leucophthalmus* Panz. Fn. 30. f. 1.

Hab. sub lapidibus per partem infimam Lapponiae tempore vernali, rarius; inter nostrates hujus generis facile maximus. (Lapp.-Scania fr.)

**32. H. nigrita**: parum depressus, niger nitidus, thorace breviore, lateribus aequaliter rotundato, postice utrinque fovea magna punctata, elytris thorace latioribus striatis, striis sublaevibus. ♂♀. (Long. 4 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 88. 8. et 4. App. 425. Zett. Fn. Lapp. 1. 31. 25. *Carab. nigrita* Fabr. Eleut. 1. 200. 164. Panz. Fn. 11. f. 11. Schönh. Syn. 1. 208. 223. *Omaseus nigrita* Dej. Catal. p. 12. et Spec. Coléopt. 3. 284. 78.

Hab. sub lapidibus per partem sylvaticam Lapponiarum omnium, tota aestate, passim; versus alpes tamen supra Juckasjervi procedentem non vidi, sed eundem in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Björkvik, parce inveni. (Lapp.-Scan. freq.)

**33. H. minor**: oblongus, niger nitidus, antennis pedibusque rufo-piceis, thorace angustiore subcordato, postice utrinque fovea biloba punctulata, elytris thorace latioribus subcrenato-striatis. ♂♀. (Long. 2¾ lin.).

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 426. Sahlb. Ins. Fenn. 221. 8. *Feronia* (Omaseus) *minor* Dej. Spec. Coléopt. 3. 287. 81. *Harp. anthracinus* Gyll. Ins. Sv. 2. 89. 9. (exclus. Syn. Illig.) Zett. Fn. Lapp. 1. 31. 26.

Hab. in Lapponia Kemensi D. Fellmann, teste D. Mannerheim; mihi in provinciis borealibus haud obvius. (Lapp.-Scan. pass.)

Priori duplo vel triplo minor, ano maris linea elevata obsoleta.

**34. H. oblongo-punctatus**: supra nigro-aeneus, subtus niger, palpis tibiisque obscure rufescentibus, thorace postice utrinque fovea oblonga simplici, elytris nitidis tenuiter striatis, foveolis impressis. ♂♀. (Long. 4 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 85. 6. Zett. Fn. L. 1. 31. 27. *Carab. oblongo-punctatus* Panz. Fn. 73. Payk. Fn. Sv. 1. 121. 32. var. β. (exclus. Syn. Fabricii) Schönh. Syn. 1. 186. 92. *Pterostichus oblongo-punctatus* Dej. Catal. p. 12. *Platysma* eadem Dej. Spec. Coléopt. 3. 316. 108.

Var. b. ♂♀. totus niger, supra perparum aeneo-micans, palpis tibiisque nigro-piceis.

Gyll. l. c. var. Zett. l. c. var. b. *Carab. oblongo-punctatus* Fabr. Eleut. 1. 183. 70. Payk. Fn. Sv. l. c. var. ae.

Hab. sub lapidibus locis cultis per partem sylvaticam Lapponiae tempore vernali et aestivali vulgaris, imprimis var. b. frequens; sed supra cataractam Wackokoski (limitem Abietis in Lapponia Tornensi) ut et supra lacum StorUman Lapponiae Umensis, eum non observavi, nec in Norvegiae inferalpinis unquam deprehendi. (Lapp.-Scan. freq.)

Longitudo *Nebriae multipunctatae*, sed multo angustior.

**35. H. borealis**: niger, palpis tibiisque concoloribus, thorace postice utrinque fovea oblonga simplici, elytris maris nitidis, feminae opacis, in utroque sexu tenuissime striatis, foveolis impressis. ♂♀.

Zett. Fn. Lapp. 1. 32. 28. *Harpalus oblongo-punctatus var.* Gyll. Ins. Sv. Add. 3. 692. 6. var. lapponica et Gyll. l. c. 4. App. 425. An *Platysma angustata* Dej. Spec. Coléopt. 3. 318. 109.?

Hab. sub lapidibus et ligno sicco, supra terram posito, locis plerumque cultis per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae, vere et aestate passim; ad ÖfverTorneå, Wittangi et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele, Asele et Stensele, Lappon. Umensis, 23. Maj. — 21. Jul., frequentiorem vidi. (Lapp.-Karungi Botniae borealis, Nordmaling Botn. occid.)

Praecedenti sat similis et affinis, praesertim ejus varietati b, sed duplo semper major, elytris adhuc tenuius striatis, in femina opacis; nec in Suecia inferiori cum specie antecedente unquam occurrit. Caput et thorax ut in *Harp. oblongo-punctato* constructa, tota nigra, palpis basi nigro-piceis. Elytra etiam ut in nominato formata et foveolata, sed striis tenuissimis, interdum subcrenatis exarata et superficie in femina minus nitida, subcoriacea. Pedes nigri, femoribus anticis, praeprimis in masculis, validis, tibiis parum spinulosis.

**36. H. picicornis**: oblongus, nitidus niger, palpis rufis, antennis piceis, pedibus ferrugineis, thorace cordato, postice utrinque fovea profunda, elytris tenuiter punctato-striatis, striis versus apicem laevibus, punctisque 3 impressis. ♂♀. (Long. 3¼ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 32. 29. *Harp. rufipes* Gyll. Ins. Sv. 2. 97. 16. var. c. et Add. 3. 693. atque 4. App. 427. *Patrobus septentrionis* Dej. Spec. Col. 3. 29. 2.

Var. b. ♂♀. totus rufo-ferrugineus, antennis piceis, capite thoraceque nigricantibus. — Zett. l. c. var. b.

Hab. in summo alpium Tornensium jugo, supra ipsam nivem vivaciter cursitans, mense Julio copiose; descendit quoque in regionem sylvaticam Lapponiarum omnium, et sub lapidibus ac ligno exsiccato ad Wittangi, Juckasjervi et Karesuando Lapponiae Tornensis, ut et ad Lycksele, Tresunda et Umenaes, Lapponiae Umensis, mensib. Maj., Jun., Aug. haud infrequenter a me visus; sed in inferalpinis Norvegiae nunquam observavi, in alpe Dowre tamen a D. Boheman captus. Var. b. non nisi in ipso jugo alpino occurrit. (Lapponia. — Botnia occidentalis; Umeå; Jemtlandia.)

Habitus omnino *Harp. rufipedis* (infra descripti), sed duplo major, et elytris aliter striatis, coloreque obscuriori distinctus. Caput nigrum, palpis rufis, antennis crassiusculis, pubescentibus, piceis. Thorax niger, ut in *H. rufipede* constructus, sed fovea utrinque postica minus crebre punctata. Elytra tenuiter punctato-striata, striis versus apicem laevibus, subevanescentibus, tota nigra nitida, margine inflexo saepe piceo. Alae albae. Corpus nigrum l. nigro-piceum. Pedes ferruginei, femoribus anticis validis, saepe piceis; toti glabri, laeves, tibiis posterioribus leviter spinulosis. — Specimen a D. Westermann mihi missum, in Groenlandia captum, sub nomine *Patrobus hyperboreus* Dej. parum ab hoc differre videtur.

**37. H. pubescens**: oblongus, ferrugineus, punctatissimus pubescens, capitis thoracisque medio, elytrorum macula communi postica abdomineque nigro-piceis. ♂♀. (Long. 1¾—2 lin.)

Var. a. ♂♀. elytrorum macula communi postica nigro-picea. — Gyll. Ins. Sv. 2. 109. 26. Ahrens Fn. Ins. Eur. 9. t. 3. *Harpal.* (Ophonus) *pubescens* Dej. Spec. Coléopt. 4. 236. 39.

Var. b. ♀. elytro singulo macula postica oblonga nigra. Gyll. l. c. var. b.

Var. c. ♂. nigro-piceus, capitis, thoracis, elytrorumque marginibus testaceis. — Gyll. l. c. var. c.

Hab. in Lapponia Norvegica rar.; sub fucis rejectis ad Tynaes d. 6. Jun. a D. Boheman et Rosenschöld captus (Lapp. Norvegica).

B. Apteri.

**38. H. lepidus**: supra viridi-cupreus, subtus aeneus, ore, antennis pedibusque nigris, thorace postice utrinque fovea profunde bistriata, elytris evidenter striatis, disco tripunctatis. ♂♀. (Long. $4^1$ — 5 lin.)

*Mas*: elytris nitidis.

*Fem.*: elytris opacis.

Gyll. Ins. Sv. 2. 94. 14. Zett. Fn. Lapp. 1. 33. 30. *Carab. lepidus*. Fabr. Eleut. 1. 189. 107. Schönh. Syn. 1. 194. 151. *Poecilus lepidus* Dej. Catal. p. 11.

Hab. in Lapponia septentrionali rarius, Collect. D. Portin, sub lapidibus vero ad Lycksele et Badstutraesk, Lapponiae meridionalis, d. 25. Maj. — 30. Jun. haud infrequenter vidi. Inter majores generis. (Lapp.-Scan. freq.)

**39. H. rufipes**: supra piceus, subtus dilutior, palpis testaceis, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace postice utrinque fovea rotundata profunda punctata, elytris antice profunde punctato-striatis, striis versus apicem laevibus. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 97. 16. Zett. Fn. Lapp. 1. 34. 32. *Carab. rufipes*. Fabr. Eleut. 1. 184. 75. (alatus)? Schönh. Syn. 1. 188. 105. *Patrobus rufipes* Dej. Catal. p. 10.

Hab. sub lapidibus et muscis per totam Lapponiam Maj. —Jul. frequens, ut et in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae, ex. gr. ad Finkrog et Talvig, passim; adscendit quoque in summum jugum alpinum, ibique in nive strenue currens mense Julio a me lectus. (Lapp.-Scan. freq.)

Varietates aut colore dilutiori aut *alis completis* in Lapponia non vidi; hinc Synonymon Fabricii, quod insectum alatum adfert, non omnino certum.

**40. H. strenuus**: nitidus niger, antennarum basi pedibusque rufo-ferrugineis, thorace rotundiore, postice utrinque fovea angusta punctata, subtus punctato; elytris evidenter punctato-striatis, striis versus apicem laevibus. ♂♀. minor. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 98. 17. *Carabus strenuus* Panz. Fn. 38. f. 6. Schönh. Syn. 1. 179. 60. *Argutor strenuus* Dej. Spec. Coléopt. 3. 252. 44.

Hab. in Lapponia rarius; in Lappon. Tornensi a D. Frigelio captus, et ad Lycksele Lappon. Umensis d. 4. Jun. a me parce visus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Harp. vernali* sat similis, sed paullo minor, thorace rotundato, et in terris saltem arcticis semper apterus.

**41. H. pullus**: nitidus niger, antennarum basi pedibusque rufo-ferrugineis, thorace rotundiore, postice utrinque fovea angusta punctata, subtus punctato, elytrorum striis leviter crenatis. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 429. Sahlb. Ins. Fenn. 227. 18. *Harp. strenuus* Zett. Fn. Lapp. 1. 34. 40. (exclus. Syn. Dej.) *Carab. exaratus* Naezén, Act. Holm. 1794. p. 272. 7. T. 9. f. 5.? *Argutor pullus* Dej. Spec. Coléopt. 3. 254. 45.

Hab. in ripis fluminum et sub lapidib., per partem sylvaticam omnium Lapponiarum usque ad Juckasjervi, Lapp. Tornensis et Neestansjö, Lappon. Umensis, verno tempore praesertim frequenter; in Nordlandia ad Tromsoe mense Jul. a me, et in Finmarkia orientali ad Utsjoki a D. Fellman quoque visus; sed in ipsis alpibus nivalibus a me nunquam deprehensus. (Lapp.-Scan. pass., sed priori rarior.)

*Sectio 2. Thorax angulis posticis rotundatis.*

Statura corporis oblongo-ovata. Color niger, testaceus, saepe metallicus. Minores, alati. *Agoni*, *Stenolophi* et *Trechi* species Dej.

**42. H. aterrimus**: oblongus, niger politus, thorace late marginato, fovea utrinque profunda subpunctata, elytris tenuiter striatis, foveolis disci 3 profunde impressis. ♂♀. (Long. 5 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 153. 60. Sahlb. Ins. Fenn. 254. 65.

Hab. in Lapponia rarissime, D. Kolström, teste D. Sahlberg l. c., mihi in Lapp. non obvius, nec extra Scaniam a me lectus (Lapponia; Suecia meridionalis).

**43. H. putridus**: niger, mandibularum apice, antennarum basi pedibusque rufo-piceis, thorace obovato, postice utrinque foveolato, elytris tenuiter striatis. ♂♀. (Long. fere 3 lin.)

Var. a. ♂♀. elytris piceis, margine inflexo ferrugineo.

Zett. Fn. Lapp. 1. 35. 34. a. *H. fuliginosus* Gyll. Ins. Sv. 4. App. 448. forte.

Var. b. ♂♀. elytris totis nigris.

Zett. Fn. l. c. var. b.

Hab. in truncis putridis Lapponiae, passim, ad ÖfverTorneå, Kengis et Wittangi, nec non ad Umenaes et Badstutraesk mens. Jun. et Jul. pauca specimina inveni. (Lapp.-Angermannia, rar.)

Magnitudo et affinitas *Harp. pelidni* Gyll., a quo tamen thorace breviore posticeque foveolato satis distinctus videtur. Antennae nigrae, subpubescentes, articulo basali ferrugineo. Thorax in medio latitudine parum longior, antice subemarginatus, lateribus rotundatus, posterius angustatus, angulis rotundatis, toto ambitu breviter obovatus, niger, laevis, postice foveola utrinque parum profunda, impunctata. Elytra tenuiter striata, striis laevibus, picea, margine inflexo dilutiori. Pedes mediocres picei, tibiis tarsisque ferrugineis. — Ab *Harp. picipede* dignoscitur: colore, magnitudine paullo maiori, antennis magis pubescentibus ut et thorace latiori, foveolis posticis angustioribus.

**44. H. viduus**: niger, mandibulis rufescentibus, tarsis fulvo-pilosis, thorace subtransverso, postice utrinque fovea laevi, elytris latis, evidenter striatis, striis subpunctatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Var. a. ♂♀. supra obscure virescens.

Gyll. Ins. Sv. 2. 153. 61. Zett. Fn. Lapp. 1. 35. 35. a. *Carabus viduus* Panz. Fn. 37. f. 18. Schönh. Syn. 1. 207. 217. *Agonum viduum* Dej. Catal. p. 10.

Var. b. ♂♀. hujus omnino; supra niger. Gyll. et Zett. l. c. var. b. *Agonum lugubre* Dej. l. c. p. 10.

Hab. sub lapidibus per partem infimam Lapponiae, tempore vernali rarius. (Lapp., Helsingia-Scan. fr.)

**45. H. tarsatus**: nigro-aeneus, mandibulis femoribusque piceo-ferrugineis, tibiis obscuris, tarsis fulvo-pilosis, thorace transverso, postice subangulato, utrinque fovea subrugosa, elytris latis, tenuiter striatis. ♂♀.

Zett. Fn. Lapp. 1. 36. 36. An *Harp. versutus* Gyll. Ins. Sv. 4. App. 451.?

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, ibique duo tantum individua, alterum ad Wittangi, et alterum ad Haparanda prope Tornoam, mense Junio 1821 inveni; at in Lapponia Umensi frequentiorem vidi, praesertim ad ripas fluminum sub lapidibus, ex. gr. ad Lycksele et Umenaes d. 25. Jul. — 7. Jul. 1832; nec non in insula Dolpatie lacus StorUman uterque sexus captus. (Lappon.-Botnia borealis.)

Magnitudo praecedentis, eique valde affinis, thoracis vero structura, femorum colore, elytrorum striis tenuioribus etc. distinctus. Caput et antennae ut in priori omnino. Thorax longitudine paullo latior, postice subangulatus, dente scilicet minutissimo, loco anguli, prominente; supra laevis, in medio tenuiter canaliculatus, postice depressiusculus, fovea utrinque inaequali, sat conspicua; totus nigro-aeneus. Elytra lata, depressa, tenuiter striata, striis subpunctulatis praesertim antice, punctisque tribus disci impressis ut in antecedente; nigro-aenea. Pedes mediocres, femoribus ferrugineis, tibiis piceo-nigricantibus, tarsis nigris fulvo-pilosis.

Obs. *Harpalus viduus var. c.* Gyll. „pedibus livido-testaceis,“ et *Agonum triste* Dej. vix ut synonyma hujus referri possunt.

**46. H. dolens**: „supra virescenti-aeneus, subtus niger, nitidus, pedibus obscure testaceis, thorace lateribus rotundato, angulis posticis subdenticulatis, elytris tenuiter striatis, striis subtilissime punctulatis. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.)“.

Sahlb. Ins. Fenn. 256. 71. *Agonum triste* Dej. Spec. Coléopt. 3. 149. 16.?

Hab. in Lapponia, DD. Dammert et Kolström, test. Sahlberg l. c. (Lapponia borealis).

Valde affinis videtur nostro *H. tarsato*, ille vero paullo major et nigrior est. Sub lapide ad Lycksele-avan inter specimina *H. tarsati* individuum parvum inveni, quod ad *H. dolentem* Sahlb. sine dubio est referendum.

**47. H. sexpunctatus**: subtus virescenti-aeneus, supra viridi-aureus, elytris rubro-cupreis, tenuiter punctato-striatis, puncto 5—9 serie impressis, thorace subtransverso, postice semiorbiculato, fovea utrinque ruguloso-punctata. ♂♀. (Long. fere $3^1$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 156. 63. var. a. Zett. Fn. Lapp. 1. 36. 37. *Carabus sexpunctatus* Linn. Fn. Sv. 807. Fabr. Eleut. 1. 199. 159. Panz. Fn. 30. f. 13. Schönh. Syn. 1. 206. 216. *Agonum sexpunctatum*. Dej. Catal. p. 10.

Var. b. ♀. obscurior, virescenti-aeneus nitidus, elytris fusco-cupreis vel virescentibus.

Gyll. l. c. var. b.

Hab. in Lapponia boreali et meridionali, per partem sylvaticam verno tempore sat frequens; var. b. tantum in ripa fluminis Tornensis ad Karungi d. 27. Maj. lecta. (Lapp.-Scan. freq.)

**48. H. bifoveolatus**: supra virescenti-cupreus, elytris

aureo-cupreis subtiliter punctato-striatis, punctis serie impressis 5—6, thorace oblongo-ovato, profunde transversim strigoso, foveis posticis rugosis, foveolaque in medio minori utrinque impressa saepe obsoleta. ♂♀. (Long circiter 2½ lin.)

Var. a. ♀. supra virescenti-aeneus.

Sahlb. Ins. Fenn. 258. 74. var. *Agonum bifoveolatum* Dej. Spec. Coléopt. 3. 142. 8. certe. *Harp. 6-punctatus* Gyll. Ins. Sv. 2. 156. 63. var. c. Zett. Fn. Lapp. 1. 36. 37. var. b.

Var. b. ♂♀. simil. var. a, sed supra virescens aut violaceo-micans.

Sahlb. l. c. var. b. Zett. l. c. var. c.

Var. c. ♀. similis var. a. et b. sed supra totus aureo-cupreus, elytrorum punctis serie impressis 5 majoribus.

Hab. in Lapponia boreali passim; var. a. in ripa fluminis Tornensis ad Juckasjervi, 21. Jun.; varr. c. et d. sub lapidibus ad Wittangi 10—15. Jun. obviae. (Lappon. boreal.)

**49. H. pelidnus**: oblongus, nigro-piceus, antennis pedibusque rufo-piceis, thorace oblongo, anguste marginato, laevi, postice angustato, foveis nullis, elytrorum striis laevibus. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 150. 58. Sahlb. Ins. Fenn. 252. 62. *Agonum pelidnum* Dej. Spec. Coléopt. 3. 61. 32. vix hujus.

Hab. in Lapponia D. Fellman, test. D. Sahlb. l. c.; mihi in terris borealib. non obvius. (Lapponia; Scania rar.)

**50. H. picipes**: oblongus, nitidus niger, elytris tenuiter striatis, pedibusque fusco-testaceis, thorace subovali, postice utrinque fovea lata, parum profunda impresso. ♂♀. (Long. 2½ lin.)

Var. a. ♂♀. elytris pedibusque lividis.

Gyll. Ins. Sv. 2. 151. 59. Zett. Fn. Lapp. 1. 37. 38. *Carabus picipes* Fabr. Eleut. 1. 203. 183. Schönh. Syn. 1. 211. 246. α. β. *Carabus lutescens* Panz. Fn. 30. f. 20. *Agonum picipes*. Dej. Catal. p. 10.

Var. b. ♂♀. elytris femoribusque nigro-piceis l. brunneis.

Gyll. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b. Payk. Monogr. Car. 76. 46. β. *Agonum brunnipes* Dej. Catal. p. 10. *H. gracilis* Gyll. Ins. Sv. 4. App. 449.

Hab. ad Karesuando Lapponiae Tornensis, D. Grape, teste D. Schönherr; etiam a DD. Sanmark et Dammert in Lapponia visus, teste D. Sahlberg. (Lapp.-Scan. freq.)

*Harp. sexpunctato* fere triplo minor, angustior.

**51. H. consimilis**: subconvexus, nigro-caerulescens, elytris fusco-virescentibus, tenuiter striatis, punctis tribus disci minutis, thorace transverso, postice utrinque fovea oblonga, obliqua. (Long. 2 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 161. 67. Zett. Fn. Lapp. 1. 38. 39.

Hab. in Lapponia, DD. Forsström et Grape, mihi vero ibi nunquam obvius. (Lapponia.)

Similis praecedenti, sed dimidio minor, et thorace multo breviori aliterque constructo distinctus. Ab *Harp. 4-punctato*, cui etiam valde similis, differt: foveis nullis in disco hemelytrorum et punctis tantum tribus minutissimis.

**52. H. 4-punctatus**: oblongus, subdepressus niger, supra obscure aeneus, thorace breviori subquadrato, elytris tenuiter striatis, foveolisque disci 4 impressis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 159. 66. Sahlb. Ins. Fenn. 259. 67. *Agonum 4-punctatum* Dej. Spec. Coléopt. 3. 170. 43.

Hab. in truncis putridis, in Lapponia rarissime, ad Barrsele Lapponiae Umensis d. 1. Jul. a. D. Dahlbom tantum lectus. (Lappon.-Suecia media et meridionalis pass.)

**53. H. Deutschi**: oblongus, subpubescens, niger nitidus, antennarum articulo primo, thoracis margine postico tibiisque piceo-ferrugineis; elytris striatis, rufo-brunneis, disco nigris; thorace subquadrato, postice subangustato, utrinque foveolato, foveis, limbo toto, capitis vertice elytrorumque interstitiis exterioribus subtiliter punctulatis. ♂♀. (Long. 1½—1⅔ lin.)

Sahlb. Ins. Fenn. 261. 81. *Harp. dorsalis* Zett. Fn. Lapp. 1. 38. 40. (exclus. syn.) *H. cognatus* Gyll. Ins. Sv. 4. App. 455. *Aucupalpus cognatus* Dej. Spec. Coléopt. 4. 440. 3. *Stenolophus alpinus* Schönh. in litt.

Hab. sub lapidibus, muscis, ligno sicco dejecto etc., mens. Jun. — Aug., in omnibus Lapponiis haud raro; procedit usque ad lacum Tornensem (Torneätraesk), etiam in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, ex. gr. ad Lyngen, Alteidet et Bossekop haud infrequenter a me visus. (Lapponia-Suecia inferior rarius.)

Ab aliis affinibus punctura capitis, thoracis elytrorumque bene distinctus. Var. thoracis limbo postico ferrugineo; variat etiam junior totus testaceus oculis antennisque extrorsum solis nigricantibus. — Praecl. Deutsch insectum in Lapponia primum invenit et Cel. Sahlberg l. c. hoc adcurate et optime jam 1827 descripsit, quare nomen ab eo impositum servare justum censui.

**54. H. dorsalis**: parum convexus, glaber nitidus niger, antennarum basi elytrisque striatis, fusco-testaceis, in singulo plaga postica nigra violaceo-micante, pedibus piceis, thorace transverso, postice utrinque fovea vix punctata; vertice elytrorumque interstitiis laevibus. ♂♀. (Long. 1½ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 164. 70. *Carabus dorsalis* Fabr. Eleut. 1. 208. 207. Schönh. Syn. 1. 216. 269. *Stenolophus dorsalis* Dej. Catal. p. 15. *Carab. Vapororiarum* Linn. Fn. Sv. 796.

Var. b. ♂. thoracis limbo subtestaceo, plaga elytrorum dilatata. — Gyll. et Schönh. l. c. var. b.

Hab. in Lapponia, ut mihi relatum fuit, forte rarissime, mihi ibi nunquam obvius. Specimina, quae in Fauna Lapponica, 1. 38. 40. sub hoc nomine descripta fuerunt, jam adcuratius examinata et cum nuper collectis comparata, certe ad *Harp. Deutschi* referenda.

**55. H. meridianus**: nitidus niger, antennarum elytrorumque striatorum basi et sutura pedibusque testaceis; thorace longiore subquadrato, postice angustato, utrinque foveolato, foveis subpunctatis. ♂♀. (Long. 1½ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 165. 71. *Carabus meridianus* Linn. Fn. Sv. 797. Panz. Fn. 75. f. 9. Fabr. Eleut. 1. 206. 199.

Hab. in Lapp. meridionali rar.; ad Ekornträsk sub lapidibus d. 29. Maj. 1832 a D. Dahlbom inventus; in alpe Dowre a D. Boheman quoque captus. (Lapp.-Jemtlandia-Scan. freq.)

*Obs.* Articuli 4 primi tarsorum anteriorum in hac et in speciebus 2 insequentibus apud mares distincte dilatati sunt etc., quare Ill. Com. Dejean has ab *Harpalo* separatas jure considerat, generi *Aucupalpus* eas subjungens; vide Dej. Spec. Col. 4. 435. Gen. 36.

**56. H. collaris**: subconvexus nitidus, piceo-niger, antennis basi pedibusque pallidis, thorace transverso rufo, elytris profunde striatis, nigro-piceis, margine ferrugineo. ♂♀. (Long. 1½ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 166. 72. Zett. Fn. Lapp. 1. 39. 41. Schönh. Syn. 1. 219. 281. *Trechus collaris* Dej. Catal. p. 16.

Hab. sub lapidibus et foliis delapsis, tota aestate, in Lapponia boreali et meridionali passim; versus alpes procedit usque ad Tornetraesk, Kautokeino et Umenaes, sed in inferalpinis et maritimis Norvegiae a me non visus. (Lapp.-Scan. freq.)

Magnitudo et statura praecedentis. Thorax transversus, lateribus rotundatus, posterius angustior; supra parum convexus, disco laevis, in medio tenuiter canaliculatus, ad basin utrinque fovea magna, parum profunda, rude punctata. — Ob palporum tarsorumque anticorum in ♂, structuram hanc speciem sub eodem genere cum Gyll. *Bemb. 4-striato, paludoso, secali* etc. non possum conjungere.

**57. H. atratus**: subconvexus, nitidus, piceo-niger, antennis basi pedibusque testaceis, thorace transverso, subquadrato, utrinque foveolato, foveis subpunctatis, elytris profunde striatis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

*Harp. collaris* var. b. Gyll. Ins. Sv. 4. App. 455. *Stenolophus atratus* Dej. Cat. p. 15. *Aucupalpus atratus* Dej. Spec. Coléopt. 4. 449. 9. *Trechus brunnipes* Sturm. Fn. 6. p. 88. No. 12. T. 151. f. b. B.

Ut Lapponiae incola mecum communicatus, mihi tantum in specimine non bene conservato ad Lycksele Lapp. Umensis 1832 obvius. (Lapp.-in silvis Ostrog. pass.-Smoland rar.)

## 13. Clivina.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 95. Dej. *Scarites* Fabr.

*Corpus* parvum elongatum, subcylindricum, saepius alatum. Mandibulae inermes. Antennae moniliformes, articulo secundo tertio longiore. Tibiae anticae palmato-dentatae. *Motus* haud agilis; passibus vero celeribus, brevissimis, periculum evitare conatur. Color nigro-piceus, aeneus, nitidus; pictura nulla. *Victus* e rapina. *Hospitium* sub lapidibus, libenter locis humidis; per omnes Lapponiae regiones. *Discrimen sexus* in tarsis anticis maris paullo dilatatis, in secunda specie tantum observandum. (Spec. Scand. 7.)

*Subdiv.* 1. thorace oblongo-quadrato.

**1. C. fossor**: lineari-elongata, nigro-picea, ore, antennis pedibusque ferrugineis, elytris profunde punctato-striatis. ♂♀. (Long. 2⅓ lin.)

Var. a. ♂♀. nigro-picea.

Gyll. Ins. Sv. 2. 169. 2. Zett. Fn. Lapp. 1. 40. 1. *Tenebrio fossor* Linn. Fn. Sv. 817. *Scarites arenarius* Fabr. Eleut. 1. 125. 15. Panz. Fn. 43. 11. Schönh. Syn. 1. 128. 18. *Clivina arenaria* Dej. Catal. p. 4.

Var. b. tota rufa.

Hab. in terra et sub lapidibus locis sabulosis tota aestate, in Lapponia boreali sylvatica, passim, in Lapponia vero meridionali freq.; tempore vernali in copula capta; in Nordlandiae septentrionalis inferalpinis maritimis non nisi ad Dybvigen in insula Dyroe parce visa, var. b. in Lapponia Umensi d. 20. Maj. semel capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Subdiv.* 2. thorace subgloboso.

**2. C. arctica**: nitidissima aenea, subtus picea, palpis, antennis pedibusque rufo-testaceis, thorace suborbiculato, postice coarctato, elytris dorso punctato-striatis. ♂♀. (major, long. $2\frac{2}{3}$—3 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 168. 1. Dej. Catal. p. 4. Zett. Fn. Lapp. 1. 40. 2. *Scarites arcticus* Schönh. Syn. 1. 128. 17.

Var. b. tota brunnea. — Gyll. Ins Sv. 4. App. 455.

Hab. sub lapidibus, lichenibus et ligno sicco supra terram posito, in campis aridis et locis apricis totius Lapponiae Tornensis, praesertim ad Juckasjervi mense Junio frequens, etiam in Lapponia meridionali s. Umensi, ad Lycksele et Åsele usque ad Umenaes, Jun.—Aug., passim; nec alpes fugit et in summo jugo alpino d. 12. Jul. utrumque sexum legi; occurrit etiam, licet rarius, in Finmarkia, ex. gr. ad Altengaard et Bossekop, mense Augusto. (Lapponia freq.; Botnia rarius; Ostrogothia passim iterum frequens.)

Obs. Sub *Lichene Rangiferino* in collibus aridis ad Lärketorp Ostrogothiae anno 1813 d. 16. Aug. usque ad 19. Septbr. plura hujus speciei specimina, Lapponicis simillima, quotidie fere detexi. Sequentibus vero annis non nisi unum vel alterum individuum iisdem locis invenire mihi, indefesso quaerenti, contigit.

**3. C. thoracica**: aenea, antennarum basi pedibusque piceo-ferrugineis, thorace subgloboso, elytris undique tenuiter punctato-striatis. (minor, long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 170. 3. Dej. Catal. p. 4. Zett. Fn. Lapp. 1. 41. 3. *Scarites thoracicus* Fabr. Eleut. 1. 125. 16. Panz. Fn. 83. f. 2. Schönh. Syn. 1. 128. 19.

Hab in Lapponia, Collect. D. Kolström; mihi vero nec in Lapponia, nec in provinciis adjacentibus obvia. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. C. gibba**: nigra, antennarum basi pedibusque piceo-ferrugineis, thorace subgloboso, elytris antice profunde punctato-striatis. ♂♀. (minima, long. 1 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 171. 4. Dej. Catal. p. 4. Zett. Fn. Lapp. 1. 41. 4. *Scarites gibbus*. Fabr. Eleut. 1. 126. 17. Panz. Fn. 5. f. 1. Schönh. Syn. 1. 128. 21.

Hab. in terra et sub lapidibus locis arenosis, praesertim ad ripas fluminum, in Lapponia sylvatica tota aestate passim frequens; sed in Norvegiae inferalpinis maritimis hanc speciem non vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

## *Sect. II. Carabicorum. Elytra apice truncata.*

### 14. Brachinus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 83. Fabr. Dej.

*Corpus* mediae magnitudinis l. minoris, oblongo-ovatum, subconvexum, alatum. Thorax oblongo-cordatus. Abdomen quadratum. Tarsi articulis integris. *Color* rufus, niger, caerulescens, minus vivax. *Motus* celer. *Habitatio* sub lapidibus; per regionem sylvaticam Lapponiae. Terrefactus crepitu ani hostem pellere tentat. *Differentia sexus* in maris tarsis anticis paullo dilatatis, subtus longe et dense pilosis; in feminae iisdem simplicibus detegenda. (Spec. Scand. 1.)

**1. B. crepitans**: rufo-ferrugineus, antennarum medio, pectore abdomineque nigris, elytris obscure caeruleis, dorso obsoletissime subsulcatis ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 2. 176. 1. Fabr. Eleut. 1. 219. 12. Schönh. Syn. 1. 230. 12 Dej. Catal. p. 3. Zett. Fn. Lapp. 1. 42. 1. *Carabus crepitans* Linn. Fn. Sv. 792. Panz. Fn. 30. f. 5.

Hab in Lapponia, Collect. D. Portin; mihi tantum in Botnia obvius. (Lapp.-Gottlandia).

### 15. Cymindis.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 84. Dej. *Carabus* Fabr.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovato-oblongum, depressum, saepius apterum. Thorax cordatus. Abdomen quadrato-ovale. Tarsi articulis integris. *Color* nigro-piceus, rufescens. *Motus* celer. *Habitatio* sub lapidibus et in fissuris rupium; per omnes Lapponiae regiones. *Differentia sexus* externa nulla. (Spec. Scand. 4.)

**1. C. macularis**: nigro-fusca, confertissime punctata, subpubescens, ore, antennis, margine elytrorum et macula humerali cum margine cohaerente ferrugineo-testaceis, pedibus pallidioribus, thorace rufo-piceo, capite multo latiore, striis elytrorum vix punctatis. (Long. 3—$3\frac{1}{2}$ lin.)

Mannerh. in Fisch. Ent. Ruthen. 2. 25. 8. var. a Gyll. Ins. Sv. 4. App. 457 var. b. Sahlb. Ins. Fenn. 267. 2. var. b.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in sepulcreto ad templum Lycksele sub lapidibus d. 24. Jun. 1832 duo specimina inveni. (Lapponia meridional. — Finland. Sahlb. — Ostrogoth., Dahlb. et ipse.)

Var. a. Gyll. l. c. puncto elytrorum postico etiam pallido, in Scania saepe inveni, sed neque in Lapponia, neque in reliqua Suecia boreali unquam observavi.

**2. C. basalis**: profunde punctata, subpubescens, piceo-nigra, ore, antennis pedibusque rufo-testaceis, elytris evidenter punctato-striatis, antice late ferrugineis. (Long. 3 lin.)

Var. a. elytris antice fere ad dimidiam partem rufo-ferrugineis.

Gyll. Ins. Sv. 2. 174. 3. Zett. Fn. Lapp. 1. 42. 1. *Cymindis punctata* Dej. Catal. pag. 3. *Carabus humeralis* Schönh. Syn. 1. 185. 8. (exclus. Syn. Fabr.)

Var. b. elytris totis obscure rufo-ferrugineis.

Hab. sub lapidibus et ligno arido mensib. Jun.—Aug., in Lapponia sylvatica et meridionali et boreali, haud infrequenter; adscendit quoque in alpes, et in summo jugo alpino Tornensi utramque varietatem legi; in Finmarkiae inferalpinis, ex. gr. ad Alten, etiam rarius visa. (Lapp.-Ostrog. pass.)

### 16. Lebia.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 84. *Carabus* Fabr. *Dromii* spec. Dej.

*Corpus* parvum, ovato-oblongum, depressum, alatum. Palpi subfiliformes, nunquam securiformes. Thorax cordatus. Abdomen subquadratum. Tarsi articulo penultimo plerumque bifido. *Color* nigricans, rufescens. *Motus* tempore calido celerrimus. *Habitatio* sub lapidibus et cortice arborum; per regionem Lapponiae sylvaticam. *Duratio* vitae longior; hybernat. *Differentia sexus* in externis partibus nulla. (Spec. Scand. 15.)

*Sect. 1. Articuli tarsorum fere triangulares aut cordiformes. Lebia Bonelli,* Dej. *Huc pertinent etiam Leb. cyanocephala et chlorocephala Auct.*

**1. L. Crux minor**: brevis nigra, antennarum basi, thorace pedibusque rufis, geniculis tarsisque fuscis, elytris rufo-testaceis, cruce nigra. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 181. 3. Dej. Spec. Coléopt. 1. 261. 9. *Carabus Crux minor* Linn. Fn. Sv. 809. Fabr. Eleut. 1. 202. 177. Panz. Fn. 16. f. 2. Schönh. Syn. 1. 210. 239.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lapponia-Hernösand Ångermanniae 20. Maj. — sub lapidib. in colle arid. ad Wiffta Medelpadiae jam d. 15. Maj. sat freq. — Fogelsång Scaniae 18. April sub muscis pass.)

*Sect. 2. Articuli tarsorum fere cylindrici. Dromius* Bonelli *et* Dej.

**2. L. agilis**: oblonga, piceo-ferruginea, antennis pedibusque pallidis, thorace subquadrato, elytris obsolete striatis, disco duplici serie punctatis. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.)

Var. a. capite thoraceque rufis, elytris fuscis.

Gyll. Ins. Sv. 2. 184. 6. Zett. Fn. Lapp. 1. 43. 1. *Carabus agilis* Fabr. Eleut. 1 185. 83. Panz. Fn. 75. f. 11. *Dromius agilis* Dej. Catal. p. 3. *Carabus 4-maculatus* Schönh. Syn. 1. 218. 275. var. ♂.

Var. b. vertice thoracisque disco nigro-piceis, elytris fuscis.

Gyll l. c. var. c. Zett. l. c. var. b. An *Carabus velox* Fabr. Eleut. 1. 205. 190. (exclus. Syn. Linn.)? Schönh. Syn. 1. 213. 255.

Hab. sub cortice Betulae albae, tota aestate, in Lapponia sylvatica passim. Per regiones alpinas mihi non obvia. (Lapp.-Hernösand 21. Maj. Scan. freq.)

**3. L. fenestrata**: oblonga, rufo-ferruginea, palpis, antennis pedibusque pallidis, capite postice nigro-piceo; thorace subquadrato, elytris obsolete striatis, punctis minutis duplici serie impressis, et macula pallida in disco interiore antico. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.)

*Carabus fenestratus* Fabr. 1. 209 210. *Dromius fenestratus* Dej. Spec. Coléopt. 5. 352. 24. *Carab. 4-maculatus*

var. c. SCHÖNH. Syn. 1. 217. 275. *Carab. arcticus* OLIV. 3. 35. 97. 133. T. 12. f. 145. *Lebia agilis* var. c. GYLL. Ins. Sv. 2. 184. 6. et var. d. SAHLB. Ins. Fenn. 271. 7. ZETT. Fn. Lapp. 1. 43. var. c.

Hab. in Lapponia rarius cum priori, cui similis, sed thorace fere breviori, postice angustiori, elytrorum striis forte paullo profundioribus et macula antica pallida in disco, sat distincta. (Lapp.-Ostrogothia mens. Jul. pass.-Scan. rar.)

**4. L. truncatella**: nigra, supra obscure nigro-aenea, tibiis tarsisque fusco-testaceis, thorace postice rotundato, elytris obsolete striatis, disco impunctatis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 182. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 44. 2. *Carabus truncatellus* LINN. Fn. Sv. 814. FABR. Eleut. 210. 222. PANZ. Fn. 75. f. 12. SCHÖNH. Syn. 1. 196. 161. *Dromius truncatellus* DEJ. Catal. p. 3.

Hab. in graminosis et sub lapidibus locis aridis Jun. — Jul. in Lapponia et boreali et meridionali per partem sylvaticam passim; in copula capta. (Lapp.-Scan. freq.)

Minuta, *Bembidio celeri* minor. Tarsi articulis omnibus integris. — *Lebia foveolata* GYLL. paullo major, elytris disco bifoveolato, non sexu sed specie certe ab hac diversa, in Scania et Ostrogothia frequens, intra limitem Lapponiae non lecta, nec in reliquis provinciis borealibus a me observata.

**5. L. Sigma**: oblonga pallida, thorace quadrato, rufo-testaceo, capite nigro, elytris substriatis, sutura fasciaque postica dentata, externe dilatata, nigro-fuscis. (Long. 1¼ lin.)

SAHLB. Ins Fenn. 273. 10. *Dromius Sigma* DEJ. Spec. Coléopt. 1. 235. 3. *Lebia fasciata* DUFTSCHM. Fn. 2. 255. 24. GYLL. Ins. Sv. 4. App. 459. 11.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, mihi ibi non obvia, sed in Lapponia septentrionali a D. FRIGELIO 1832 inventa, mecumque communicata. (Lappon.-Finlandia SAHLB. Uplandia; rar.)

---

## FAM. 3. BRACHELYTRA CUV. DEJ. MANNERH. (STAPHYLINII LATR.)

### 17. Anthophagus.

GRAVENH. Monograph. Micropt. — GYLL. DEJ. *Lesteva* LATR. MANN.

*Corpus* parvum, depressum, elongatum, ano acuto. Antennae filiformes, corpore saepe longiores. Thorax cordatus, tenuiter marginatus. Tibiae vix spinulosae. Anus non appendiculatus. *Color* rufo-testaceus, piceus, nigricans. *Motus* celer; saepe volatus. *Habitatio* in foliis fruticum et sub lapidibus; per omnes Lapponiae regiones. *Differentia sexus* externa nulla. (Spec. Scand. 10; quarum 8 Faunae nostrae communes.)

**1. A. plagiatus**: pubescens, crebre punctatus niger, antennis pedibusque fusco-testaceis, elytris plaga rufescente obsoleta, fronte impressa. (Long. 1⅔ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2 195. 3. var. b. ZETT. Fn. Lapp. 1. 44. 1. GRAV. Monogr. Micropt. 222. 8. var. DEJ. Catal. p. 26. *Staphylin. plagiatus* FABR. Eleut. 2. 597. 42.

Hab. ad NordCap D. MAERKLIN, teste D. SCHÖNHERR, etiam in Lapponia boreali, a D. SANMARK visus, teste D. SAHLBERG; sub lapidibus, praesertim ad ripas fluminum, interdum quoque in floribus, per totam Lapponiam sylvaticam meridionalem usque ad Umenaes mens. Jul. 1832 mihi frequenter obvius. (Lapp.-Westrog. Gottlandia rar.)

In hoc genere maximus, totus pube tenui cinerascente obductus. Plaga elytrorum rufescente in speciminibus suecicis plerumque perspicua, in hac varietate vix observanda.

**2. A. lapponicus**: nigro-piceus glaber, thorace subquadrato, postice angustato, crebre punctato, antennarum basi, elytris pedibusque testaceis. (Long. 1¼ lin.)

SAHLB. Ins. Fenn. 275. 3.

Hab. in Lappon. rarissime: unicum specimen in Lapponia legit D. HEIKEL; alterum a D. FELLMAN e Lapponiae paroecia Utsjock missum ad D. Comit. a MANNERHEIM, in cujus Museo asservatur, teste D. SAHLBERG l. c. (Lapponia septentrionalis.)

Magnitudo et statura *A. alpini*, a quo differt thorace toto nigro, paullo longiori et crebrius protundiusque punctato. SAHLBERG.

**3. A. Caraboides**: glaber, crebre punctatus, rufo-testaceus, elytris pedibusque pallidis, abdominis segmentis duobus penultimis nigro-piceis, thorace postice angustato. (Long. 1½ lin.)

Var. a. capite nigricante, ferrugineo.

GRAV. Monogr. Micr. 221. 2. GYLL. Ins. Sv. 2. 192. 1. ZETT. Fn. Lapp. 1. 45. 2. DEJ. Catal. p. 26. *Staphylinus Caraboides* LINN. Fn. Sv. 854. PANZ. Fn. 36. f. 2.

Var. b. capite ferrugineo

GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. *Staphylin. Caraboides* FABR. Eleut. 2. 601. 65.

Hab. in foliis fruticum Lapponiae borealis rarius, meridionalis passim; in Salice ad Bossekop Finmarkiae tamen frequentiorem legi, mens. Aug. (Lapp.-Scan. freq.)

Obs. *Carabus abbreviatus* FABR. Eleut. 1. 209. 215., huc non referri potest, ut autumat Nob. GYLLENHAL.

**4. A. maxillosus**: glaber nitidus, niger, capite magno piceo, palpis, mandibulis exsertis, antennarum basi pedibusque rufo-testaceis, elytris pallidis, thorace punctato ferrugineo, postice paullo angustato. (Long. 1⅓ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 45. 3. *A. mandibularis* GYLL. Ins. Sv. 4. App. 460

Var. b. thorace rufo-testaceo.

SAHLB. Ins. Fenn. 275. 4. b.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae mens. Julio rarius; ad Finkrog in insula Reenoe, et in graminosis ad radicem alpis Lyngentind prope littus maris, quatuor specimina 25—27. Jul. 1821 detexi; deinde eundem in foliis fruticum Betulae albae, ad Wilhelmina, Gaskelougt et Tresunda, d. 6 - 22. Jul; in Lapponia Umensi frequenter legi. An mas sequentis, ut voluit D. BOHEMAN, ulterius docebunt observationes in copulatione etc. (Lapponia Norvegica et Suecica.)

Praecedente paullo minor, angustior et structura capitis ab illo diversus. Caput magnum, thorace latius, porrectum, depressum, supra inaequale, foveolatum, vix punctatum, nigro-piceum, fronte, palpis, mandibulis maxillisque magnis exsertis, rufo-testaceis. Antennae fuscae, basi rufo-testaceae. Thorax subquadratus, latitudine tamen paullo longior, postice paullo augustatus, lateribus tenuiter marginatus, subconvexus, sat distincte punctatus, totus obscure rufo-ferrugineus, disco ad certum luminis situm fusco-umbrato. Elytra sublinearia, apice oblique truncata, regulariter et distincte punctata, pallida. Corpus nigrum nitidum. Pedes pallidi.

**5. A. alpinus**: glaber, capite thoraceque postice parum angustato, parce punctulatis, piceo-niger, ore, antennarum basi, elytris pedibusque testaceis. (Long. 1¼ lin.)

Var. a. thoracis margine anguste ferrugineo.

GRAV. Monogr. Micropt. 220. 1. GYLL. Ins. Sv. 2. 194. 2. DEJ. Catal. p. 26. ZETT. Fn. Lapp. 1. 46. 4. *Staphylinus alpinus* FABR. Eleut. 2. 598. 43.

Var. b. thorace toto obscure ferrugineo. ZETT. l. c. var. b.

Hab. in foliis Betulae nanae et Salicum, per Lapponiae regionem sylvaticam, alpinam et subalpinam, mensib. Julio et Augusto, passim; in summo alpium Tornensium jugo, ut et in insula Senjen et ad radicem Lyngentind Nordlandiae borealis, nec non ad Bossekop Finmarkiae illum sat frequentem vidi. (Alpes Lapponiae et Dalecarliae, Jemtlandia-Smoland. rar.)

Statura *Anth. Caraboidis*, sed paullo minor, praesertim angustior, thorace breviori etc. distinctus. An ♀ prioris??

**6. A. omalinus**: glaber, nitidus niger, capite thoraceque parce punctulato, subtransverso, postice vix angustato, ferrugineis, ore, antennis, elytris pedibusque testaceis. (Long. 1 lin.)

Var. a. elytris pallidis, immaculatis. — ZETT. Fn. Lapp. 1. 46. 5.

*Anthophagus alpinus var. b.* GYLL. Ins. Sv. 2. 194. 2. b.

Var. b. *maculipennis*, elytris pallidis, macula discoidali pone medium magna, fusca.

ZETT. l. c. var. b.

Hab. var. a. in foliis Betulae albae per regionem alpinam praesertim Lapponiae Norvegicae mens. Julio passim; ad Björkvik, Evenäs et Lyngen Nordlandiae a me lectus; sed in Suecia non nisi ad Johannis Ro prope Tornoam Botniae borealis d. 2. Sept rar., at in Lapponia meridionali, ex. gr. in Betula et Salice caprea ad Wilhelmina, Åsele, StorUman et Umenaes haud infrequenter toto mens. Julio eum vidi; var. b. in paludosis inferalpinis Nordlandiae rarius, ex. gr. ad Hamnvigen in insula Dyroe, et ad Giebostad in insula Senjen, ubi 21—22. Jul. quinque specimina inveni, in Betula ad Gaskelougt Lappon. Umensis d. 6. Jul. rarissime. (Lapponia Norvegica et Suecica, Botnia borealis Suecica rar.)

Duplo minor praecedente, a quo imprimis distinguitur: thorace breviori et latiori, subtilius punctulato, nec non antennis totis testaceis. Habitus fere *Omalii*. Caput ut in priori constructum, ferrugineum, palpis pallidis. Antennae elongatae, filiformes, testaceae. Thorax subtransversus, longitudine paullo latior, postice perparum l. vix angustatus, undique tenuiter marginatus, supra oculo acutissime armato subtilissime punctulatus, et praeterea

punctulis in disco parce, versus latera et postice crebrius adspersis impressus; totus ferrugineus. Elytra crebre et quasi ruguloso-punctulata, pallide testacea, in var. a. immaculata, in var. vero b in disco postico singuli macula magna jam evidentiori, jam obsoleta, fusca. Pectus et abdomen nigra. Pedes pallidi.

**7. A. obscurus:** pubescens, crebre punctatus fusco-niger, antennis extrorsum pedibusque obscure rufo-testaceis, geniculis fuscis, thorace postice angustato, vertice non foveolato. (Long. 1½ lin.)

GRAV. Monogr. Micropt. 221. 7. GYLL. Ins. Sv. 2. 196. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 47. 6. *Staphylinus obscurus* PAYK. Fn. 3. 388. 28.

Var. b. elytris fuscis, antennis totis pedibusque testaceis. GRAV. l. c. var. 3. et GYLL. l. c. var. b. et c. ZETT. l. c. var. b.

Hab. in arenosis ad fluvios Lapponiae Suecicae rarius; occurrit quoque parce in inferalpinis Nordlandiae septentrionalis, ibique ad Giebostad mense Julio a me captus. (Lappon.-Scan. freq.)

Similis et affinis *Anthoph. plagiato*, sed illo paullo minor, magis pubescens et subtilius punctulatus.

**8. A. globulicollis:** subnitidus, pubescens niger, thorace cordato, pulvinato, antennarum basi pedibusque rufis, fronte biimpressa.

*Lesteva globulicollis* MANNERH. Brachel. 1830. 56. 8.

Hab. in Lappon. Norvegica, ut mihi asseveravit D. BOHEMAN. (Lappon. inferalpina littoralis; sub lapidibus ad littora lacus Saema Finlandiae orientalis, rariss. D. Com. MANNERHEIM.)

*Anthoph. plagiati* var. b. simillimus; paullo major, fortius punctatus, thorace capite multo latiore, globoso, fere pulvinato, medio obsolete canaliculato, et fronte canaliculis 2 exaratis, distinctus. MANNERH. l. c.

---

## 18. Omalium.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 147. — GRAV. Monogr. Micr. — DEJ.

*Corpus* exiguum, ovatum aut elongatum, saepe depressum. Antennae plerumque extrorsum crassiores, corpore semper breviores. Thorax transverso-quadratus, saepius distincte marginatus. Tibiae vix spinulosae. Anus non appendiculatus. *Color* nigricans, rufescens, testaceus. *Motus* celer; interdum volatus. *Habitatio* sub lapidibus, sub cortice arborum, raro in floribus; plerumque gregatim; per omnes Lapponiae regiones. *Differentia sexus* in paucis extricata. (Spec. Scand. 41.)

*Subdiv.* 1. Corpus ovatum, elytris maximam abdominis partem tegentibus.

**1. O. boreale:** nitidum, nigro-piceum, antennarum filiformium basi pedibusque testaceis, thorace subdepresso transverso, parce punctato, postice subangustato, elytris rude punctato-substriatis. (Long. 1¹ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 198. 1. ZETT. Fn. Lapp. 1. 48. 1. *Staphylinus borealis mas* PAYK. Fn. 3. 411. 57.

Hab. in ripis fluminis Tornensis ut et ad Lycksele Lapp. Umensis rarius. (Lapp.-Botniae borealis Råneå, ipse; Botnia occidentalis D. QUENSEL.)

**2. O. consimile:** nitidum, nigro-piceum, antennis extrorsum crassioribus, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace valde convexo postice subangustato, capiteque creberrime punctatis. ♂♀. (Long. 1¾ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 199. 2. ZETT. Fn. Lapp. 1. 49. 2. *Staphylinus borealis fem.* PAYK. Fn. 411. 75.

Hab. in ripis fluminum Lapponiae, mens. Majo—August. sat frequens; ex. gr. ad Lycksele, Kattilakoski, Kengis et Wittangi; d. 15. Jun. in copula captum; sed supra Juckasjervi hoc non vidi. (Lappon.-Botniae borealis Råneå; Westrogothia.)

Praecedente duplo majus. Elytra distincte et profundius, licet parcius, quam thorax, punctata. Haec species minime est tantum femina praecedentis, ut opinatus est D. PAYKULL, nam uterque sexus, isque simillimus, in copula deprehensus.

**3. O. rotundicolle:** nitidum, piceo-ferrugineum, pedibus elytrorumque marginibus paullo dilutioribus, antennis extrorsum crassioribus, thorace valde convexo, postice rotundato elytrisque profunde et crebre punctatis. (Long. 2 lin., lat. fere 1 lin.)

SAHLB. Ins. Fenn. 281. 11. MANNERH. Brach. 51. 3.



Hab. in Lappon. D. KOLSTRÖM, teste D. SAHLBERG; ad Utsjock D. FELLMAN, test. Com. MANNERHEIM; e Lapponia Tornensi unicum specimen mecum quoque a. D. DEUTSCH amicissime communicatum. (Lapp. bor.)

**4. O. quadrum:** oblongum glabrum, piceo-nigrum, antennarum basi, thoracis subquadrati, minus convexi, parcius punctati limbo anguste, elytrorumque rude punctato-substriatorum marginibus et apice ferrugineo-pallidis. (Long. 1¾ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4 App. 461. SAHLB. Ins. Fenn. 278. 3.

Hab. in Lapponia rarius; ad Utsjock D. FELLMAN; ad Lycksele d. 16. Aug. ipse. ((Lapp.-Botnia ad Råneå-Helsingia, ad Ljusneelfven 25. April. BOHEM. — Scania ipse.)

**5. O. piceum:** nitidum, rufo-piceum, antennis extrorsum crassioribus pedibusque testaceis, thorace transverso subdepresso crebre punctato, lateribus aequaliter rotundato.

GYLL. Ins. Sv. 2. 200. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 49. 3.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Westrogothia rar.; Scaniae littora, freq.)

Magnitudo et affinitas *Omalii consimilis*, a quo thoracis structura praesertim differt. Thorax brevis transversus, lateribus explanatis, postice non angustatus, supra parum convexus, sat crebre et profunde punctatus, disco piceo, marginibus testaceis. Elytra profunde et crebre subvage punctata.

**6. O. tectum:** subtiliter crebre punctulatum nitidum nigrum, antennarum basi, thoracis lateribus posticoque anguste, elytris amplis pedibusque testaceis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

*Mas:* ano acuto, piloso.

*Fem.:* ano bistylato.

GRAV. Monogr. Micr. 213. 19. GYLL. Ins. Sv. 2. 202. 5. DEJ. Catal. p. 26. ZETT. Fn. Lapp. 1. 49. 4. ♂♀.

Hab. in fungis terrestribus; succo Betulae, cadaveribus et stercore, mens. Jul.—Sept. in Lapponia suecica et boreali et meridionali passim; in Nordlandiae inferalpinis ad Evenäs, Tromsoe et Raschstind frequentius occurrit. (Lappon.-Scan. freq.)

**7. O. Ranunculi:** creberrime punctulatum, obscurum nigrum, ore, antennarum basi pedibusque flavescentibus, elytris amplis fusco-testaceis, thorace postice angulato. ♂♀. (pusillum, long. ¾ lin.)

*Mas:* elytris abdomine brevioribus, angulo interiori ad suturam recto.

*Fem.:* elytris longitudine fere abdominis; angulo interiori acuminato; in copula.

GRAV. Monogr. Micr. 215. 20. GYLL. Ins. Sv. 2. 204. 6. DEJ. Catal. p. 26. ZETT. Fn. Lapp. 1. 50. 5. *Silpha minuta.* FABR. Syst. Eleut. 1. 342. 25. SCHÖNH. Syn. 2. 132. 27.

Var. b. ♂♀. elytris brunneis, antennarum basi pedibusque luteis. — ZETT. l. c. var. b.

Hab. in graminosis et floribus silvestribus mens. Jun. — Jul. per partem sylvaticam Lapponiarum omnium passim; supra Juckasjervi Lapponiae Tornensis ut et alpem Bratliksfjell Lapponiae Umensis, vix visum. In Nordlandiae inferalpinis maritimis Björkvik, Schiervoe et Hacksten paullo frequentius occurrit, praesertim var. b. (Lapp.-Scan. var. a. freq.)

Praecedente triplo minus et ultra.

**8. O. depressum:** confertissime punctulatum depressum, opacum nigrum, pedibus ferrugineis, thorace profunde canaliculato, angulis posticis emarginatis. (Long. ¾ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 210. 11. SAHLB. Ins. Fenn. 280. 9.

Var. b. elytris fuscis aut rufo-piceis.

Hab. in fungis putridis et stercore bovino, ad Lycksele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, 20. Jun. — 22. Jul. frequenter. (Lapp. meridionalis-Scan. vulgar.)

**9. O. lapponicum:** subtilissime punctatum obscurum (opacum?) nigrum, antennarum basi, thoracis lateribus, elytris pedibusque pallidis, thorace convexo.

MANNERH. Brachel. 52. 13.

Hab. in Lapponia rarissime, mihi non obvium; e paroecia Utsjock a D. FELLMAN ad Com. MANNERHEIM missum. (Lapponia septentrionalis.)

*Omal. Ranunculi* duplo minus, subtilius punctulatum, thorace convexo, posterius minus angustato et elytris brevioribus facile distinguendum. MANNERH. l. c.

**10. O. fenestrale:** elongatum, subtiliter crebre punctatum, pubescens piceo-nigrum, antennis elongatis fuscis, pedibus fusco-testaceis, thorace rotundato, obsolete canaliculato. (Long. 1¼ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 50. 6.

Hab. in Lapponia Tornensi, rarissime; non nisi unicum individuum in fenestra domus, in pago Palojoensuu, d. 17. Aug. a me inventum. (Lapponia.)

Magnitudo *Omal. rivularis*. Caput triangulare, subtiliter parce punctulatum, fronte inter antennas bifoveolata; nitidum nigrum, ore piceo. Antennae thorace longiores, filiformes pubescentes, nigro-fuscae. Thorax subtransversus, rotundatus, undique marginatus, supra subconvexus, subtiliter punctulatus, in medio longitudinaliter obsolete canaliculatus, totus pubescens nitidus niger. Scutellum magnum, triangulare, punctatum. Elytra thorace plus quam duplo longiora, creberrime et subtiliter, attamen profundius, quam ille, punctata, pubescentia, nigro-picea. Alae amplae, albo-hyalinae, in specimine nostro prominentes. Corpus nitidum nigrum, ano piceo. Pedes obscure testacei. — Statura elongata, lineari, transitum ad subdivisionem sequentem efficit.

*Obs.* Nob. Boheman per litteras mihi significavit, se in Norvegia lapponica 1832 novum invenisse *Omalium*, cui nomen *nivale* imposuit; sed cum ipsum non viderim, hoc alio modo publicare non possum.

*Subdiv.* 2. Corpus elongatum, elytris vix dimidiam partem abdominis tegentibus. *Anthobium* Mannerh.

*O. fenestrale* in Subdiv. antecedente quaerendum.

**11. O. laeviusculum:** depressum, nitidum nigrum, antennarum basi, thoracis marginibus pedibusque testaceis, thorace transverso, foveolato, vix punctulato, elytris longioribus fuscis, subtiliter punctulatis. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 464. Sahlb. Ins. Fenn. 282. 12.

Hab. in Finmarkia occidentali, ad Nord-Cap, D. Marklin, teste D. Gyllenhal; e Muonioniska etiam a. D. Kolström ad D. Sahlberg missum. (Finmarkia Norvegica-Lapponia Tornensis.)

Affine videtur nostro *Om. impresso*.

**12. O. rivulare:** crebre punctatum nitidum piceo-nigrum, antennarum basi pedibusque rufis, elytris nigro-fuscis, thoracis disco foveis duabus longitudinalibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 214. 14. Zett. Fn. Lapp. 1. 51. 7.

Hab. in fungis betulinis et succo destillante Betulae, ut et in cadaveribus, tempore praesertim vernali, per Lapponiam sylvaticam passim, die 3. Jul. in copula observatum; supra Juckasjervi tamen hanc speciem procedentem non vidi, nec eam in Nordlandiae Finmarkiaeque subalpinis unquam legi. (Lapp.-Scan. freq.)

Var. a. genuinam Gyllenhali et Gravenhorsti: „elytris fusco-testaceis," in Lapponia non inveni. Nostra autem specimina borealia thorace foveis oblongis profundis, parum arcuatis instructo gaudent, unde *Omal. caeso* proxime accedunt. Sed antennae basi rufae et magnitudo omnino ut in *Omal. rivulari* Sueciae vulgari.

**13. O. exiguum:** confertissime punctulatum, obscurum nigrum, antennis concoloribus, pedibus testaceis, femoribus infuscatis, thorace postice angustiore, foveis duabus antice distantibus (pusillum.).

Gyll. Ins. Sv. 2. 218. 17. Zett. Fn. Lapp. 1. 51. 8.

Hab. in Lapponia rarissime; in sylva Wittangi d. 15. Jun. unicum specimen legi. (Lapponia; Suecia media rar.)

**14. O. impressum:** pubescens, depressum nigrum, ore, antennis pedibusque fusco-testaceis, elytris brevibus punctatis rufo-piceis, thorace laeviusculo margine laterali utrinque puncto impresso. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 52. 9.

Var. b. capite, thorace elytrisque rufo-testaceis, corpore piceo. — Zett. l. c. var. b.

Var. c. rufo-testaceum, pedibus pallidis, abdomine rufo-piceo. — Zett. l. c. var. c.

Hab. var. a. in summo alpium Tornensium jugo, ubi die 12. Julii in nive a me collectum; var. b. et c. sub cortice Betulae albae et sub lapidibus in ripis fluminis Tornensis ad Kattilakoski, Juhonpietis et Wittangi Lapponiae Tornensis mense Junio 1821 inventae; deindeque 1832 in Lapponia Umensi; var. a. ad Lycksele 4. Aug., var. b. in aquosis ad Badstuträsk d. 1. Jul.; et var. c. ad Gaskelougt prope Stor-Uman d. 6. Jul. deprehendi. In alpe Dowre quoque a D. Boheman var. a. capt. (Lappon.-Botnia borealis, Johannis Ro.)

Magnitudo *Omal. rivularis*. Caput laeve, foveolis duabus obsoletis inter antennas, nigrum, ore ferrugineo. Antennae thorace longiores, filiformes, pubescentes testaceae. Thorax longitudine paullo latior, angulis omnibus rotundatis, supra parum convexus, laevis s. oculo acutissime armato subtilissime et parce punctulatus, ad latera utrinque intra marginem in medio foveola s puncto majori impressus; totus niger pubescens. Elytra brevia, abdomen vix ultra tertiam partem tegentia, angulo exteriori rotundato, interiori recto; supra crebre et distincte punctulata; tota rufo-picea, pubescentia. Corpus nigrum, subtilissime punctulatum, glabrum. Pedes fusco-testacei.

Var. b. et c. tantum colore differunt, forte juniora individua, et vix a varietate a. ut species diversae separanda, licet cum illa cohabitantia non deprehensa fuerint.

**15. O. pubescens:** brevius, subtiliter crebre punctatum, pubescens, piceo-nigrum, antennis mediocribus fuscis, pedibus fusco-testaceis, thorace rotundato, non canaliculato. (Long. circiter 1 lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 52. 10.

Hab. in Lapponia rarius; ad Turtola et Karesuando Lapponiae Tornensis mense Augusto pauca specimina legi. (Lapponia.)

*Omal. fenestrali* valde affine et simile, sed paullo minus, antennis elytrisque, ut videtur, brevioribus, thorace non canaliculato, et pube paullo longiori supra vestitum, distinctum. Antennae capite thoraceque parum longiores, filiformes. Thorax subtiliter punctatus, non canaliculatus, niger. Elytra thorace duplo longiora, crebre subrugoso-punctata, pubescentia, fere pilosa, picea. Pedes fusco-lutei.

**16. O. Gyllenhali:** subdepressum, pubescens subnitidum piceo-nigrum, thorace transverso, parce punctato, utrinque foveolato, elytrisque crebre et profunde punctatis, ferrugineo-piceis, ore, antennis pedibusque testaceis. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

Sahlb. Ins. Fenn. 286. 23.

Hab. in Lapponia, D. Kolström, teste D. Sahlb. l. c. (Lapponia borealis-Finlandia.)

Magnitudo et statura *O. Viburni* Gyll. A nostro *Om. pubescente* differt magnitudine paullo majori, pubescentia tenuiori, pedibus paullo dilutioribus etc. Specimen in Lapponia Norvegica a D. Boheman captum mecumque sub nomine *O. Gyllenhali* communicatum, an hujus?

**17. O. Fåhräi:** depressum, glabriusculum, nitidum nigrum, elytris piceis, pedibus testaceis; thorace subquadrato, lateribus subrotundato, posterius paullo angustato, elytrisque elongatis crebre punctatis. (Long. 1-$1\frac{1}{4}$ lin.)

Hab. in Lapponia rar.; sub lapidibus in convalle rivulorum prope regionem nivalem in alpe Dowre Norvegiae juxta Drivstum 29. et 30. Jun. 1832 a D. Boheman lectum, et mecum benigne communicatum. (Lapp. inferalpin. Norv.)

Affine *O. pubescenti*, sed glabritie corporis, antennarum forma etc. distinctum. Ab *O. Gyllenhali*, cui etiam subsimile videtur, antennarum colore etc. mox differt. Antennae thorace fere breviores, extrorsum distincte crassiores, totae nigricantes. Os et palpi nigra. Thorax subconvexus, punctulatus, sed vix foveolis impressus; structura ut in diagnosi. Elytra thorace duplo longiora, picea, crebre et certo situ subseriatim punctulata. Pedes flavo-testacei. — Entomologorum fautori eximio pariter ac scientiae cultori excellentissimo, Dom. O. J. Fåhraeus, Vigil. Portor. region. Gothoburg. Praefecto, Equit. de Stella polari, etc. insectum hoc honoride gratissime offert Zetterstedt.

**18. O. planum:** deplanatum, subtilissime punctulatum, glabrum nitidum nigrum, antennarum basi, elytris pedibusque fusco-testaceis, thorace postice angustiore, obsolete canaliculato subfoveolatoque. (Minutissimum, long. vix 1 lin.)

Grav. Monogr. Micr. 204. 1. var. 1. Gyll. Ins. Sv. 2. 221. 20. Dej. Catal. p. 26.? Zett. Fn. Lapp. 1. 53. 11.

Var. b. elytris fusco-piceis.

Gyll. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b.

Hab. sub cortice Pinuum emortuarum, in Lapponia per partem sylvaticam passim; ad Turtola et Wittangi mense Junio frequentius legi. (Lapp.-Ostrogothia.)

**19. O. inflatum:** ovatum convexum, profunde crebre punctatum, glabrum nitidum rufum, capite, thorace transverso angulato, non foveolato, elytrisque longis amplis, rufo-piceis, antennis pilosis, extrorsum crassioribus. (Long. vix 1 lin.)

Gyll. Ins. Sv. Add. P. 3. 700. 22—23. var. b. Zett. Fn. Lapp. 1. 53. 12.

Hab. in Lapponia rarius; sub cortice Pini emortuae, ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis mense Junio 1821, et ad Badstuträsk Lapp. Umensis 29. Jun. 1832, a me lectum; minutum, *Omal. pygmaeo* brevius. (Lappon.-Scan. rar.)

**20. O. alpinum:** ovatum convexum, tenuissime pubescens, profunde punctatum, totum testaceum, pedibus pallidioribus, antennis extrorsum subfuscescentibus. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 31. Jul. 1832 ab oculatissimo itineris mei socio D. Doct. Dahlbom in unico specimine detectum. (Lapponia meridionalis.)

*Om. pygmaeo* GYLL. affine et sat simile, sed paullo brevius et latius, elytris paullo longioribus profundiusque punctatis, corpore pallidiore etc. abunde distinctum. Totum nitidum, omnium tenuissime rigide pubescens, flavescenti-testaceum, oculis nigris, et vertice macula fusca. Antennae thorace vix longiores, pubescentes, testaceae, extrorsum crassiores, fuscescentes. Thorax convexus transversus, lateribus subrotundatus, totus punctatus, sed foveolis nullis impressus. Elytra thorace fere dimidio longiora, distincte punctata, punctis certo situ seriatim dispositis. Abdomen pone elytra eorum longitudine, laeve. Pedes flavescentes.

**21. O. lineare:** elongatum angustum, lineare, crebre punctulatum, glabrum nitidum, rufum, pedibus testaceis, antennis extrorsum crassioribus, thorace postice angustato, dorso bifoveolato. (Long. 1¼ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 54. 13.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; sub cortice abietis ad Juckasjervi die 23. Jun. semel inventum. (Lapponia.)

*Omalio deplanato* GYLL. non longius, sed angustius, lineare. Species propria et a cognitis certe distincta. Caput triangulare punctulatum, foveis inter antennas obsoletissimis; nitidum, rufo-ferrugineum, ore dilutiori. Antennae capite thoraceque vix longiores, articulis primo magno incrassato, 2 minori, 3, 4 et 5 minutis, reliquis sensim majoribus dilatatis discretis, ultimo ovato; pilosae, rufo-testaceae. Thorax subtransversus, postice paullo angustior, angulis rectis, lateribus tenuiter marginatus, supra subdepressus, glaber, crebre punctulatus, dorso foveis duabus oblongis obsoletis; totus rufus. Scutellum minutissimum. Elytra thorace vix duplo longiora, forma vulgari, supra glabra nitida, crebre et distincte punctulata, punctis ad certum situm inspectis subseriatis; tota rufa. Abdomen pone elytra longitudine fere reliqui corporis, lineare, glabrum, subtilissime punctulatum rufum, marginibus elevatis. Pedes breviusculi testacei.

**22. O. quadratum:** elongatum lineare, subdepressum, profunde punctatum, subpubescens, nitidum rufum, antennis pilosis pedibusque validis, rufo-testaceis, thorace quadrato. (Long. circiter 1½ lin.)

*O. quadrum* ZETT. Fn. Lapp. 1. 54. 14. (sed nomen jam receptum in *quadratum* mutandum.)

Hab. in Lapponia rarissime; sub lapide ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 15. Jun. semel lectum. (Lapponia.)

*Omal. rivulari* duplo majus et ultra, *Omal. rufo* GYLL. affine et quodammodo simile. Caput exsertum profunde punctatum rufum, oculis parvis nigris. Antennae capite thoraceque vix longiores, subfiliformes s. extrorsum parum crassiores, totae pilosae, testaceo-rufae. Thorax quadratus, antice posticeque truncatus, lateribus parum rotundatus, tenuiter marginatus, supra parum convexus, parce subpubescens, profunde punctatus, linea in medio ante scutellum laevissima nitida; totus rufus. Elytra thorace parum latiora et vix dimidio longiora, angulis posticis exteriori rotundato, interiori ad suturam recto; supra profunde punctata subpubescentia rufa. Abdomen latum, lineare, depressum, marginibus elevatis, subtiliter punctulatum, subpubescens rufum. Pedes validi testacei, tibiis praesertim pubescentibus.

**23. O. crenatum:** glabrum, profunde punctatum, nitidum piceo-ferrugineum, antennis pedibusque rufo-testaceis, thorace longiori rotundato convexo aequali, elytris punctato-striatis. (Long. 2¾ lin.)

GRAV. Monogr. Micr. 207. 6. GYLL. Ins. Sv. 2. 230. 27. ZETT. Fn. Lapp. 1. 55. 15. *Staphylinus crenatus* FABR. Eleut. 2. 596. 34. *Acidota crenata* MANNERH. Brachel. 55. 3.

Hab. in gräminosis juxta flumina Lapponiae, mensib. Aug. Sept. rarius; ad Karesuando et Kengis a me lectum; *Omal. rivulari* fere triplo majus. (Lapponia; Angermannia; Scan.)

**24. O. substriatum:** elongatum depressum, laeve, nitidum rufo-ferrugineum, capite thorace duplo angustiore elytrisque laeviter striatis, nigris, abdomen longissimum, punctulatum, pilosum. ♂♀. (Long. 2½ — 2¾ lin.)

*Mas.:* abdominis segmento anali brevi.

*Fem.:* segmento eodem longiori; in copula.

GYLL. Ins. Sv. 2. 232. 29. ZETT. Fn. Lapp. 1. 55. 16.

Var. b. capite nigro, elytris rufo-piceis.

ZETT. l. c. var. b.

Hab. sub cortice truncorum Pini emortuorum vel putridorum, in Lapponia Tornensi mensib. Jun. — Sept. sat freqnens, die 1. Jul. in copula captum; supra Wackokoski, limitem abietis, versus alpes procedens non observavi hoc, nec in inferalpinis Norvegiae a me visum, in Lapponia iterum Umensi, ex. gr. ad Lycksele et Stensele d. 31. Maj. — 4. Jul. utramque varietatem haud infrequenter quoque vidi. (Lapp.-Westrogoth. rar.)

Praecedente parum brevius, sed multo angustius, magnitudine paullo varians. Abdomen postice attenuatum. — Var. b. totum rufum, capite tantum postice nigro, et elytris piceo-rufescentibus.

**25. O. megacephalum:** elongatum depressum, laeve nitidum, rufo-ferrugineo-brunneum, capite latitudine fere thoracis, nigro, elytris laeviter striatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 56. 17. An *O. mandibulare* GYLL. Ins. Sv. 4. App. 468.?

Hab. sub cortice truncorum emortuorum vel putridorum Pini sylvestris, mens. Jun. Jul. ad Wittangi et Juckasjervi cum *Omal. substriato* frequens, d. 25. Jun. in copula captum, sed in Lapponia Umensi non nisi rariss. ad Lycksele d. 12. Jun. visum; in Norvegiae Lapponia etiam a D. BOHEMAN lectum possideo. (Lapponia Tornensis et Umensis, per regionem sylvaticam. Norvegia-Helsingia-Jemtlandia rar.)

Praecedenti simile et valde affine, sed duplo saepe majus, colore magis saturato, capite in utroque sexu majori, praesertim in femina maximo, thoracis lateribus magis rotundatis ut et elytris rufis distinctissimum, nec nisi similia cum similibus in copula junguntur. Caput thoracis fere magnitudine, eique arcte applicatum, depressum, laevissimum, nitidum nigrum, ore ferrugineo; mandibulae exsertae. — Antennae thoracis vix longitudine, crassae, articulis extrorsum sensim majoribus; totae pilosae, rufo-testaceae. Thorax transversus, postice paullo angustior, supra nitidus laevissimus, obscure rufo-ferrugineus, disco antico piceo. Scutellum triangulare, rufopiceum, laeve. Elytra ut in priori constructa et striata, sed colore tota rufo-ferruginea, nunquam nigra. Abdomen pone elytra illis fere duplo longius, lineare, postice minus attenuatum quam in antecedente; supra fusco-piceum, segmentorum apice ferrugineo, totum punctatum pilosum, depressum, marginibus elevatis. Pedes rufo-ferruginei.

**26. O. brevipenne:** elongatum depressum, subtiliter punctulatum nigrum, antennarum basi, mandibulis pedibusque piceis, thorace subcordato, elytris brevissimis, abdomine dilatato. ♂♀. (Long. 1 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 234. 31. ZETT. Fn. Lapp. 1. 56. 18.

Hab. sub lapidibus in littore maris glacialis, rarius, ad Langfjord Finmarkiae d. 1. Aug. in copula a me lectum. (Lapponia; Bahusia rarissim.)

*Omal. rivulari* paullo brevius et angustius, praesertim antice. Antennarum articulus primus niger, 2, 3, 4 parvi ferruginei, reliqui sensim crassiores, nigri. Pedes in omnibus nostris speciminibus arcticis nigro-piceis, geniculis femoribusque basi ferrugineis.

## 19. Tachyporus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 150. GYLL. MANNERH. *Oxyporus* FABR. *Mycetoporus* MANNERH.

*Corpus* minutum, obovatum aut elongatum, postice attenuatum, antice convexum. Palporum anticorum articulus tertius incrassatus, ultimus parvus subulatus. Antennae extrorsum crassiores. *Color* niger, rufescens, variabilis. *Motus* cursorius, agilissimus; detectus refugium in occultis statim quaerit. *Habitatio* sub lapidibus, muscis et cortice arborum; per regionem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externa nulla. (Spec. Scand. 17.)

*Subdiv.* 1. Corpus obovatum, convexum, nitidum laevissimum, saepissime glabrum. Abdominis latera et apex pilosa. *Tachyporus* GRAVENH. et DEJEAN.

**1. T. chrysomelinus:** niger, antennarum basi, thorace pedibusque rufo-flavis, elytris rufo-testaceis, basi margineque humerali ultra medium nigris.

GRAV. Monogr. Micr. 128. 7. GYLL. Ins. Sv. 2. 236. 1. DEJ. Catal. p. 27. ZETT. Fn. Lapp. 1. 57. 1. *Staphylinus chrysomelinus* LINN. Fn. Sv. 855. *Oxyporus chrysomelinus* FABR. Eleut. 2. 606. 14. PANZ. Fn. 9. f. 14.

Var. b. margine humerali elytrorum disco concolore.

GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. *Oxyporus merdarius* PANZ. Fn. 27. f. 18.

Hab. sub lapidibus et muscis per Lapponiarum omnium partem sylvaticam passim; praesertim var. b. mihi in Lapponia frequenter occurrit. Parvus, 1½ lin. longus. (Lappon.-Scan. freq.)

**2. T. obscurellus:** convexus nitidus laevis glaber niger, antennarum basi, thorace pedibusque anterioribus rufo-testaceis, elytris fuscis. (Long. 1¾ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Stensele die 4. Jul. 1832 aliquot specimina legi. (Lappon. meridional.)

Similis priori et proxime sequentibus, colore ab illis tantum differt. Caput nigrum. Antennae fuscae articulo primo testaceo. Thorax rufus. Elytra obscura s. fusco-rufa, margine summo apicali pallido; abdomen nigrum. Pedes obscure rufo-testacei, femoribus posticis nigricantibus s. fuscis, tibiis ejusdem paris testaceis, tarsis pallidis.

**3. T. marginatus:** niger, antennarum basi, thoracis lateribus posterius latius, pedibusque testaceis, elytris rufo-testaceis, basi margineque humerali ultra medium nigris.

Grav. Monogr. Micr. 7. 13. Gyll. Ins. Sv. 2. 237. 2. Dej. Catal. p. 27. Zett. Fn. Lapp. 1. 57. 2.

Var. b. elytris testaceis immaculatis.

Gyll. l. c. var. *b*. Zett. l. c. var. b. *Oxyporus Hypnorum* Fabr. Eleut. 2. 607. 22. *Oxypor. dimidiatus* Fabr. l. c. 15.

Hab. cum *T. chrysomelino*, cujus magnitudine, statura et formatione partium gaudet, colore tantum distinctus; in Lapponia passim occurrit. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. T. abdominalis:** rufo-testaceus, oculis nigris, antennis extrorsum, abdomineque supra nigro-fuscis.

Grav. Mon. Micr. 7. 15. Gyll. Ins. Sv. 2. 238. 3. Dej. Catal. p. 27. Zett. Fn. Lapp. 1. 58. 3.

Hab. cum *Tachyp. chrysomelino*, cui praeter colorem alium simillimus; in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. pass.)

**5. T. analis:** flavo-testaceus, oculis, antennarum apice, elytrorum medietate antica, pectore anoque nigris.

Grav. Mon. Micr. 6. 10. Gyll. Ins. Sv. 2. 239. 4. Dej. Catal. p. 27. Zett. Fn. Lapp. 1. 58. 4. *Oxyporus analis* Fabr. Eleut. 2. 606. 10. Panz. Fn. 22. f. 16.

Hab. cum priori, cui simillimus, colore excepto, in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. T. ruficollis:** niger, antennarum basi, thorace, elytrorum margine apicali pedibusque rufo-testaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

Grav. Mon. Micr. 128. 6. Gyll. Ins. Sv. 2. 240. 5. Dej. Catal. p. 27. Zett. Fn. Lapp. 1. 58. 5.

Hab. sub lapidibus, cortice Betulae albae, etiam in fungis, mens. Majo-Julio, per Lapponiam sylvaticam frequens, in copula captus; praecedentibus fere dimidio minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**7. T. pusillus:** niger, antennarum basi, thoracis lateribus posterius latius, pedibusque testaceis, elytris fusco-testaceis margine laterali usque ad apicem nigro. (Long. $1\frac{1}{5}$ lin.)

Grav. Mon. Micr. 9. 18. Gyll. Ins. Sv. 2. 241. 6. Dej. Catal. p. 27. Zett. Fn. Lapp. 1. 59. 6.

Var. b. elytris nigris, apice testaceo-diaphanis.

Grav. et Gyll. l. c. var. b.

Hab. sub lapidibus Lapponiae sylvaticae mensib. Majo — Septemb. passim, priori paullo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**8. T. cellaris:** subtilissime punctulatus, sericeo-pubescens, nigro-piceus, ore, antennis, pedibus, thoracis lateribus maculaque baseos elytrorum ovata obliqua testaceis. (Long. fere 2 lin.)

Grav. Mon. Micr. 131. 10. Gyll. Ins. Sv. 2. 244. 9

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele die 25. Jun. captus. (Lappon.-Nericia, Ostrogoth. pass -Scan. rar.)

*Subdiv.* 2. Corpus elongatum, antice posticeque attenuatum, convexum, incurvum, nitidum, glabrum laevissimum, elytris striatis. Abdomen subpubescens et pilosum. *Tachinus* Grav. et Dejean. *Mycetoporus* Mannerh.

**9. T. lepidus:** nigro-piceus, capite rotundato nigro, ore, antennarum basi pedibusque ferrugineo-testaceis, thorace, segmentorum abdominalium marginibus, ano elytrisque rufis, his striis tribus punctatis. (Long. 2. lin.)

Var. a. thorace elytrisque rufis.

Gyll. Ins. Sv. 2. 247. 12. var. b. Zett. Fn. Lapp. 1. 59. 7. a. *Staphylinus punctato-striatus* Payk. Fn. 3. 417. 64. var. γ.

Var. b. thorace nigro, margine postico rufescente, elytris sanguineis.

Gyll. l. c. var. c. Payk. l. c. var. ae. Zett. l. c. var. b.

Var. c. thorace nigro, elytris rufis vel sanguineis.

Hab. sub lapidibus Lapponiae; varietas a. ad Wittangi mense Junio copiose; at varietas b. non nisi in ripa arenosa ad Juckasjervi mens. Julio parce, lecta. Var. c. sub itinere suo in Lapponiam Norvegicam collegit D. Boheman. (Lapp.-Scan. freq.)

*Tachip. chrysomelino* saepe duplo longior, sed multo angustior. — Hujus speciei varietatem a. Gyllenhali, Gravenhorsti et Dejeani seu genuinam: thorace nigro-piceo, margine postico rufo, elytrisque nigricantibus, margine postico rufescente, in Lapponia frustra quaesivi.

**10. T. splendidus:** rufo-testaceus, capite oblongo postice nigro, antennarum medio fusco, pectore abdominisque segmentorum basi fusco-piceis, elytris striis tribus punctatis.

Var. a. thorace elytrisque rufo-testaceis, his regione scutelli, margineque laterali interdum infuscatis.

Gyll. Ins. Sv. 2. 249. 13. Zett. Fn. Lapp. 1. 60. 8. a. *Tachinus splendidus* Grav. Mon. Micr. 24. 3. Dej. Catal. pag. 26.

Var. b. corpore toto pallidius testaceo, abdomine solum obscuriore, subfusco.

Gyll. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b.

Var. c. duplo major, thorace elytrisque rufo-sanguineis: similis *Tachyp. lepido*, sed caput oblongum rufum, vertice tantum nigro. — Zett. l. c. var. c.

Hab. varietas a. sub lapidibus et muscis ad paludes et ripas fluminum Lapponiae (praesertim borealis) sylvaticae mens. Junio haud infrequenter, ut et sub cortice truncorum emortuorum Pini passim; var. b. rarius occurrit et varietas c. sub lapide ad Wittangi d. 15. Jun. rarissime capta. (Lappon.-Scan. var. a. et b. pass.)

**11. T. punctus:** oblongus, nitidus glaber, rufo-testaceus, capite rotundato nigro, pectore, abdomine elytrorumque tristriatorum margine fusco-piceis. (Long. fere 2 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 250. 14.

Hab. in Lapponia rarissime; ex Utsjock a D. Fellman ad Comit. Mannerheim missus. (Lappon. septentrionalis, Finlandia ad Willnaes Mannerh. — ad Abusa Scaniae, Septembr.; rarissime.)

*T. lepido* similis et affinis, sed dimidio latior. Varietas: „elytris nigris, margine postico rufo", e Lapponia quoque a D. Fellman cum Illustr. Mannerheim communicata.

## 20. Tachinus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 149. Gyll. *Oxyporus* Fabr.

*Corpus* parvum, obovatum aut elongatum, postice attenuatum, antice convexum, glabrum; abdomine piloso. Palpi filiformes, articulo ultimo antecedenti longiore, subacuminato. Antennae filiformes. *Color* niger, piceus, rufescens, valde mutabilis. *Motus* cursorius, celerrimus; detectus ad occulta statim refugit, ut abscondeatur. *Habitatio* in stercoratis, fungis et sub lapidibus; per partem sylvaticam et subalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in subdivisione prima perspicua. (Spec. Scand. 31, habitu cum priori genere convenientes, notis essentialibus diversae.)

*Subdiv.* 1. Corpus obovatum, superficie tota subtiliter punctulata nitida glabra, ano parcius piloso. Color saepius obscurus. Habitatio in terra, stercoratis et sub lapidibus (non in fungis), plerumque solitarie. Differentia sexus in maris segmentis analibus emarginatis, feminae integris semper detegenda. *Tachyporus* Gravenh. Monogr. Dej. *Tachinus* Mannerh.

**1. T. elongatus:** ovato-oblongus niger, antennis extrorsum crassioribus, testaceis, palpis, thoracis margine laterali posticoque summo, elytris, pedibus, segmentorum abdominalium marginibus anoque rufo-piceis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

*Mas:* segmento penultimo leviter emarginato, ultimo emarginato, stylo corneo valido acuto utrinque armato.

*Fem.:* segmento penultimo integro, ultimo quadrifido, laciniis rotundato, stylisque quatuor acutis armato.

Var. a. ♂♀. antennis testaceis, basi pice's, elytris nigro-piceis, margine inflexo et apicali ferrugineo, pedibus piceis, tibiis tarsisque rufescentibus.

Gyll. Ins. Sv. 2. 251. 1. ♂. Zett. Fn. L. 1. 61. 1. ♂♀.

Var. b. ♀. antennis totis nigro-piceis, elytris et pedibus ut in varietate a. — Zett. l. c. var. b. ♀.

Var. c. ♀. antennis ut in varietate b.; elytris pedibusque totis piceo-nigris, tarsis solum rufescentibus. — Zett. l. c. var. c. ♀.

Hab. sub lapidibus mens. Jun.- Aug. in Lapponia passim; ad Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ut et ad Björkvik Nordlandiae et Bossekop Finmarkiae eum legi; varietates b. et c. non nisi in inferalpinis Nordlandiae mihi obviae; sed sub itinere meo lapponico 1832, e var. a marem ad lacum Wojmsjön d. 11. Jul., feminamque in fungo putrido ad Wilhelmina, Lapponiae Umensis, d. 21. Jul., ut et e var. c. ♀. iterum ad Wilhelmina, invenire mihi contigit. (Lapponia; Westrogothia var. a. rar.)

Magnus in hoc genere; sequente major praesertim longior.

**2. T. humeralis:** nigro-piceus, antennarum basi, thoracis lateribus late, pedibus anoque rufo-testaceis, elytrorum puncto humerali, margine inflexo posticoque anguste, obscure ferrugineis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

*Mas:* segmento ultimo emarginato.

*Fem.:* segmento ultimo acuminato, integro.

Gyll. Ins. 2. 256. 5. Zett. Fn. Lapp. 1. 62. 2. *Tachyporus humeralis* Grav. Monogr. Micr. 19. 36. Dej. Catal. p. 27. *Oxyporus marginellus* Panz. Fn. 9. f. 13.

Var. b. ♂. elytris rufo-ferrugineis, disco subinfuscato. Gyll. l. c. var. b.

Hab. in stercoratis Lapponiae borealis rarius, at in Lapponiis meridionalibus, ex. gr. in fungis putridis et stercore equino ad Badstuträsk, Wilhelmina et in Stöttingsfjellet, utramque varietatem d. 30. Jun.—31. Jul., haud infrequenter legi. (Lapp.-Scan. pass.)

**3. T. rufipes:** confertissime punctulatus nigro-piceus, antennis totis fusco-piceis, pedibus rufo-testaceis, elytrorum margine postico summo ferrugineo. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 2. 260. 9. Zett. Fn. Lapp. 1. 62. 3. *Tachyporus rufipes* Grav. Monogr. Micr. 17. 35. Dej. Catal. p. 27. *Staphylinus rufipes* Linn. Fn. Sv. 858. *Oxyporus rufipes* Fabr. Eleut. 2. 607. 21.

Var. b. ♂. elytris rufo-testaceis, disco obscuriori. Gyll. l. c. var. d.

Hab. in Lapponiae stercoratis, Collect. D. Kolström; *Tachin. humerali* plerumque dimidio minor et ultra. (Lapp.-Gefle-Scan. freq.)

**4. T. pullus:** confertissime punctulatus, nigro-piceus, antennarum articulo primo pedibusque rufo-testaceis, elytrorum margine postico summo ferrugineo. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 2. 260. 10. Zett. Fn. Lapp. 1. 62. 4. *Tachyporus pullus* Grav. Mon. Micr. 16. 30.

Var. b. ♂♀. elytris nigris, macula humerali oblonga, margineque apicis ferrugineis.

Gyll. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b. *Tachyp. signatus* Grav. l. c. 17. 32. Dej. Catal. p. 27.

Var. c. ♂. thoracis lateribus elytrisque totis ferrugineis, regione scutelli infuscata. — Zett. l. c. var. c.

Hab. in ripis fluminum et in stercoratis per partem sylvaticam Lapponiae passim, mihi tempore vernali praesertim obvius; var. c. tantum in ripa fluvii Råneå d. 10. Maj. semel lecta. (Lapp. — Scania var. a. b. freq.)

Magnitudo et summa similitudo praecedentis, a quo vix nisi solo antennarum colore differt. Differentia sexus ut in duobus proxime praecedentibus.

**5. T. fimetarius:** nigro-piceus, thorace laevi, lateribus subtestaceo, elytris punctulatis, macula humerali apiceque ferrugineis, abdomine pubescente, antennis basi nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

*Mas:* segmento ventrali penultimo profunde emarginato.

*Fem.:* segmento eodem integerrimo.

Gyll. Ins. Sv. 2. 263. 11. Zett. Fn. Lapp. 1. 63. 5. *Tachyp. fimetarius* Grav. Mon. Micr. 14. 28. Dej. Catal. pag. 27.

Hab. in graminosis Lapponiae sylvaticae mens. Aug. rarius, ex. gr. ad Muonioniska et Karesuando; priori paullo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. T. marginellus:** subtiliter punctulatus nigro-piceus, antennarum basi, pedibus, thoracis limbo elytrorumque linea intra-marginali apiceque rufo-testaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

*Mas:* segmento ventrali penultimo profunde emarginato.

*Fem.:* segmento eodem integerrimo.

Gyll. Ins. Sv. 2. 265. 12. Zett. Fn. Lapp. 1. 63. 6. *Tachyp. marginellus* Grav. Mon. Micr. 13. 27. Dej. Catal. pag. 27. *Oxyporus marginellus* Fabr. Eleut. 2. 607. 23.

Hab. sub lapidibus et in stercoratis Lapponiae sylvaticae rarius; parvus, *Tachin. rufipedi* triplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**7. T. flavellus:** confertissime punctulatus, rufo-testaceus, capite nigro-piceo, antennis, thorace, elytris pedibusque flavescentibus. ♂.

Zett. Fn. Lapp. 1. 64. 7.

Hab. ad margines agrorum in Lapponia Tornensi sylvatica rarissime, nec nisi duo specimina inveni, unum ad Karesuando d. 15. Aug. et alterum ad Haparanda d. 1. Sept. (Lapp.-Botnia borealis rar.)

*Tachin. fimetario* duplo minor, *Tachin. collari* Gyll. aequalis et affinis, sed thorace minus convexo, hoc et elytris paullo subtilius punctulatis, ut et colore ab illo diversus. Caput subtiliter punctulatum, nigro-piceum, palpis pallidis. Antennae testaceae. Thorax parum convexus, crebre punctulatus, testaceus. Elytra crebrius et fere fortius, quam thorax, punctata, flavo-testacea. Abdomen punctulatum, rufo-testaceum, segmentis basi paullo obscurioribus, ano quadristylato (an ♂?) rufo. Pedes flavo-testacei.

*Subdiv.* 2. Corpus angustius, elongatum, antice posticeque attenuatum, incurvum, superficie thoracis elytrorumque laevi l. punctis paucis majoribus, in elytris striatim digestis, impressa; nitidissimum glabrum, abdominis lateribus anoque fasciculatim pilosis. Color saepius rufus obscure maculatus. Habitatio in fungis putrescentibus et sub lapidibus, plerumque gregarie. Structura ani in utroque sexu subsimilis, unde discrimen sexus aegre determinandum. *Tachinus* Grav. Monogr. Dej. *Bolitobius* Mannerh. Brachel.

**8. T. analis:** niger, antennarum articulis 4 primis ultimoque testaceis, elytris, ano pedibusque flavo-rufis. ($2\frac{1}{2}$ lin. long.)

Grav. Mon. Micr. 71. var. 2. Gyll. Ins. Sv. 4. App. 472. var. b.

Hab. in Lappon. forte rarissime, mihi ibi non obvius, a D. Boheman sub itinere suo lapponico inventus mihique missus. (Lapponia? Scan. rar.)

**9. T. cernuus:** nigro-piceus, ore, antennarum basi pedibusque rufo-testaceis, elytris obsolete tristriatis, segmentorum abdominalium marginibus anoque rufo-ferrugineis. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.)

Grav. Monogr. Micr. 31. 18. Gyll. Ins. Sv. 2. 271. 17. Zett. Fn. Lapp. 1. 64.

Hab. in inferalpinis Finmarkiae rarissime; in ripa fluvii sic dicti Storelfven ad Talvig d. 2. Aug. unicum specimen inveni. Deinde in fungo Betulae albae ad Tresunda et Umenaes, Lapponiae Umensis, d. 7—12. Jul. etiam a me inventus. (Lappon. Finmark.-Ostrogoth. rar.)

Medius, magnitudine circiter *Tach. atricapilli* et *lunulati*.

**10. T. lunulatus:** rufus, ore, antennarum basi apiceque, pedibusque testaceis, capite oblongo, antennarum medio, pectore, scutello abdominisque apice nigris, elytris nigrocaeruleis, lunula humerali apiceque pallidis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

*Mas:* ano obtuso, segmentis retractis.

*Fem.:* ano acuminato, segmentis elongatis; in copula.

Zett. Fn. Lapp. 1. 65. 9.

*Staphylinus lunulatus* Linn. Syst. Nat. 2. 684. 7. Fn. Sv. 845. *Oxyporus lunulatus* Panz. Fn. 22. f. 15. *Tachinus atricapillus* Grav. Monogr. Micr. 30. 14. Gyll. Ins. Sv. 2. 273. 19. Dej. Catal. p. 26. *Staphylin. atricapillus* Fabr. Eleut. 2. 599. 49. Payk. Fn. 3. 414. 60.

Hab. in fungis putridis tempore autumnali, in Lapponia boreali rarius, sed in Lappon. meridionali, ex. gr. ad Tresunda et lacum Wojmsjoen d. 12—13. Jul. haud infrequenter vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

Obs. Nomen triviale notis magis conveniens, nec non frequentia individuorum (saltem in Suecia media et meridionali) affirmare videtur, hunc esse illam ipsam speciem, quam spectat Ill. à Linné l. c., licet ejus descriptio brevis et manca sequenti, seu *Tachin. atricapillo* nostro, etiam adaptari possit; sed hic in Suecia perrarus, forsitan a Linnaeo non cognitus.

**11. T. atricapillus:** rufus, ore, antennarum basi apiceque, pedibusque testaceis, capite oblongo, antennarum medio, pectore abdominisque apice nigris, elytris nigro-caeruleis, basi tota margineque apicali inaequaliter pallidis. (Long. 3 lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 65. 10.

*Oxyporus lunulatus* Fabr. Eleut. 2. 605. 3. (exclus. Syn. Linn. et Payk.) *Tachinus lunulatus* Gyll. Ins. Sv. 2. 274. 20. Grav. Monogr. Micr. 30. 13.

Hab. in Lapponia boreali rarissime; in fungo Betulae albae ad Alteidet Finmarkiae die 31. Jul. individuum, ut videtur femineum, unicum tantum lectum; at in Lapponia meridionali, ex. gr. ad colonias Naestansioe et Tresunda, nec non in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 13—31. Jul. 1832 plura specimina vidi. (Lapponia; Finlandia-Ostrog. ad Wadstena in fungo putrido 1—9. Aug.)

Magnitudo, statura et summa similitudo praecedentis, nec differt nisi pictura elytrorum et scutelli. In Suecia meridionali mihi nunquam obvius.

**12. T. trimaculatus:** niger, antennis, pedibus, thoracis limbo elytrisque testaceis, his angulo exteriori apicis nigro, striis crebre punctatis. (Long. 2 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 275. 21. Sahlb. Ins. Fenn. 306. 20.

Hab. in Lappon. Umensi rarissime; ad Lycksele d. 7. Aug. semel lectus. (Lapp.-Finland.-Scan. rar.)

**13. T. pygmaeus:** nigro-piceus, capite rotundato nigro, antennarum basi, thoracis limbo laterali et postico pedibusque testaceis, elytris pallidis macula anguli postici exterioris suturaque fuscis, disco striis parce punctatis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 277. 22. Zett. Fn. Lapp. 1. 66. 11. *Oxyporus pygmaeus* Panz. Fn. 27. f. 19.

Hab. in fungis putridis et in graminosis Lapponiae borealis mens. Jul. — Aug. rarius; sed in fungis Betulae ad Wilhelmina, Tresunda et lacum Stor Uman, Lapponiae Umensis, d. 5—22. Jul. paullo frequentius visus; ad Giebostad et Klöfven in insula magna Senjen Nordlandiae borealis a me lectus; *Tach. lunulato* fere duplo vel triplo minor, colore paullo varians. (Lapp.-Scan. freq.)

## 21. Staphylinus.

Latr. Gener. Crust. et Ins. 141. Fabr. Dej.

*Corpus* mediae magnitudinis aut minoris, elongatum, sublineare. Palpi saepissime filiformes. Antennae extrorsum subcrassiores. Caput a thorace collo distinctum. Thorax subquadratus, postice saepissime rotundatus. *Color* niger, rufescens, saepe aeneo-splendens. *Motus* cursorius, celerrimus, interdum volatus. *Habitatio* in stercore, sub lapidibus et muscis; lucifugus; per partem Lapponiae sylvaticam, raro subalpinam. *Differentia sexus* in abdominis segmento ultimo ventrali maris emarginato, feminae integro plerumque mox invenienda. (Spec. Scand. 81. Sectione quinta Gyllenhali remota, ejusque speciebus generi *Xantholino* introductis.)

FAM. I. PALPI OMNES FILIFORMES.

*Sect. I. Antennarum articulus ultimus apice oblique truncatus. Thorax semiorbiculatus.*

Tribus I. Thorax supra creberrime vage punctatus. *Majores.*

*Subdiv.* 1. Thorax supra inaequalis, dense longe pubescens (uti totum corpus). Color obscurus, sordidus. Habitatio in fimetis. Volatus celerrimus. *Emus* Mannerh.

**1. St. nebulosus:** niger, supra cinereo-nebulosus, antennarum basi, palpis, genubus tibiisque rufo-testaceis, abdominis segmentis ventralibus basi viridi-argenteo-pubescentibus; thoracis lateribus sinuato-compressis. ♂♀. (Long. 7 lin.)
Fabr. Eleut. 2. 590. 3. Grav. Mon. Micr. 121. 139. Gyll. Ins. Sv. 2. 282. 3.
Hab. in Lapp. Umensi rarissime; ad Lycksele d. 25. Jun. semel captum. (Lapp.-Ostrog. rar. Scan. freq.)

**2. St. murinus:** niger, antennis basi testaceis, capite, thorace elytrisque supra fusco-aeneis nebulosis, thoracis lateribus subintegris. ♂♀. (Long. 5 lin.)
Linn. Fn. Sv. 840. Fabr. Eleut. 2. 590. 4. Grav. Mon. Micr. 122. 142. Gyll. Ins. Sv. 2. 283. 4. Dej. Catal. p. 21. Zett. Fn. Lapp. 1. 67. 1.
Hab. in stercoratis, fungis et piscibus putridis mens. Maj. — Aug. per partem sylvaticam omnium Lapponiarum frequens; sed supra Juckasjervi et Karesuando Lapponiae Tornensis, ut et Wilhelmina et Umenaes, Lapponiae Umensis, alpes versus, illum non vidi, nec in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeve hanc speciem inveni. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. St. pubescens:** niger, fasciculis atris et griseis supra variegatus, antennarum articulis basalibus alternis annuloque femorum testaceis, fronte flavo-lanuginosa, maculis punctisque lucidis impressa, ventre argenteo-villoso. ♂♀. (Long. 6 lin.)
Fabr. Eleut. 2. 590. 6. Grav. Mon. Micr. 123. 144. Gyll. Ins. Sv. 2. 284. 5. Dej. Catal. p. 21. Zett. Fn. Lapp. 1. 67. 2.
Hab. in stercoratis Lapponiae sylvaticae tempore vernali rarius, ad Lycksele d. 6. Jun. uterque sexus captus; praecedente major, sed *Staph. maxilloso* minor. (Lapp.-Scan. pass.)

*Subdiv.* 2. Thorax supra aequalis, tenuiter et brevissime pubescens (uti totum corpus). Color niger, elytris saepe ferrugineis, semper opacis. Habitatio plerumque sub lapidibus. *Staphylinus* Mannerh.

**4. St. erythropterus:** creberrime punctulatus opacus niger, palpis, antennarum basi, elytris pedibusque rufo-ferrugineis, fronte, collari, thoracis macula antica utrinque limboque postico, abdominisque dorso maculis lateralibus, flavo-aureo-tomentosis, scutello atro-holosericeo. ♂♀. (7 lin. long.)
Linn. Fn. Sv. 842. Fabr. Eleut. 2. 593. 16. Panz. Fn. 27. f. 4. Grav. Monogr. Micr. 116. 133. Gyll. Ins. Sv. 2. 293. 13. Dej. Catal. p. 21. Zett. Fn. Lapp. 1. 68. 3.
Hab in fimetis Lapponiae. D. Kolström; *Staph. maxillosi* magnitudine, paullo angustior. (Lappon.-Scan. freq.)

**5. St. castanopterus:** creberrime punctulatus, opacus niger, palpis, antennarum basi apiceque, elytris pedibusque rufo-ferrugineis, fronte, collari, scutello abdominisque dorso maculis lateralibus, flavo-aureo-tomentosis. (Long. 5 lin.)
Grav. Mon. Micr. 116. 32. Gyll. Ins. Sv. 2. 295. 14. Dej. Catal. p. 21. Zett. Fn. Lapp. 1. 68. 4.
Hab. sub lapidibus et ligno sicco, per partem sylvaticam Lapponiae Tornensis a me rarius visus; priori fere duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. St. aeneocephalus:** niger, palpis, antennarum apice, elytris tarsisque obscure ferrugineis, capite thoraceque aeneis nitidis, subtiliter creberrime punctulatis tenuissimeque pubescentibus, abdomine cinereo-lineato. ♂♀. (Long. 6 lin.)
Grav. Mon. Micr. 113. 126. Gyll. Ins. Sv. 2. 291. 12. Dej. Catal. p. 21. Zett. Fn. Lapp. 1. 68. 5.
Hab. in Lapponia rarius, Coll. D. Portin; *Staph. erythroptero* non brevior, sed duplo angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

**7. St. Morio:** niger, palpis tarsisque obscure ferrugineis, capite ovato thoraceque glabris nitidis, parce subtilissime punctulatis. ♂♀. (Long. 5½ lin.)
Grav. Mon. Micr. 112. 121. Gyll. Ins. Sv. 2. 288. 9. Zett. Fn. Lapp. 1. 69. 6. *Staph. fuscatus* Dej. Catal. p. 21. (idem Gravenh. secundum Dejean). *St. subpunctatus* Gyll. l. c. 4. App. 474.
Hab. sub lapidibus et in truncis putridis Pini sylvestris, tota aestate in Lapponia sylvatica passim, rarius; in copula; praecedenti paullo minor, niger. (Lappon.-Scan. freq.)

Tribus II. Thorax supra glaberrimus, aut laevis, aut punctis paucioribus, in disco plerumque seriatim dispositis. Corpus nitidum, elytris saepe aenescentibus vel rufescentibus. *Minores* (primae Subdivisionis exceptis).

*Subdiv.* 1. Thoracis disco impunctato, laevissimo; mandibulis maximis. Habitatio in stercoratis. Rapina aliorum insectorum victitant. Anus maris plerumque sat profunde emarginatus.

**8. St. maxillosus:** niger, elytrorum abdominisque medio fascia cinerea nigro-maculata, ventre albido tomentoso, capite thoracisque limbo antico punctulatis. ♂♀. (Long. 7 lin.)
Linn. Fn. Sv. 841. Fabr. Eleut. 2. 592. 11. Panz. Fn. 27. f. 2. Grav. Mon. Micr. 126. 150. Gyll. Ins. Sv. 2. 279. 1. Dej. Catal. p. 21. Zett. Fn. Lapp. 1. 69. 7.
Hab. in cadaveribus, stercore et inter squamas piscinas per partem sylvaticam Lapponiae borealis rarius, nec supra Juckasjervi eum vidi; sed in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Wilhelmina, in fungis putridis mens. Jul. paullo frequentius occurrit. (Lappon.-Scan. freq.)

**9. St. splendens:** niger, elytris virescenti-aeneis, profunde sed non crebre punctatis, tenuissime pubescentibus, capite lato thoraceque lateribus subsinuato, laevibus. ♂♀. (Long. 5 lin.)
*Mas:* capite thorace latiori; segmento ventrali ultimo profunde inciso, penultimo emarginato.
*Fem.:* saepe minor, capite vix thoracis latitudine; segmento ventrali ultimo integro.
Fabr. Eleut. 2. 594. 21. Grav. Monogr. Micr. 87. 82. Gyll. Ins. Sv. 2. 297. 16. Dej. Catal. p. 22. Zett. Fn. Lapp. 1. 69. 8.
Hab. ad Karesuando Lapponiae Tornensis, Collect. D. Grape; praecedente minor, medius inter majores, *Staph. castanoptero* aequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

**10. St. laminatus:** niger, capite angustato thoraceque lateribus rotundato, aeneo-viridibus, laevibus, elytris crebre rugoso-punctatis, tenuissime pubescentibus, caeruleo-viridibus. ♂♀. (Long. 4 lin.)
*Mas:* segmento ventrali antepenultimo maximo, anum tegente, integro.
*Fem.:* segmento eodem reliquis aequali.
Creutz. Ins. 1. 128. 19. Tab. 3. f. 31. a. Panz. Fn. 67. f. 20. Grav. Mon. Micr. 86. 81. Gyll. Ins. Sv. 2. 298. 17. Dej. Catal. p. 22. Zett. Fn. Lapp. 1. 70. 9.
Hab. in stercoratis Lapponiae rarius. (Lapp.-Scan. freq.)
Priori affinis, sed fere dimidio minor, et capite minori rotundato viridi-aeneo, thoracisque lateribus integris rotundatis distinctus.

*Subdiv.* 2. Thoracis seriebus discoidalibus 3-raro 2-punctatis. Habitatio sub cortice arborum, muscis et lapidibus, vix unquam in stercoratis. Anus maris leviter emarginatus.

**11. St. variabilis:** niger, ore pedibusque anticis piceis, tarsis dilutioribus, capite subovato, oculis parvis, thorace dilatato suborbiculato, scutello laevissimo, elytris sat crebre sed non profunde punctatis, tenuissime pubescentibus. ♂♀. (Long. fere $3\frac{1}{2}$ lin.)

Var. a. ♂♀. totus niger, antennarum apice, tarsis anoque fusco-ferrugineis.

GYLL. Ins. Sv. 2. 303. 21. varietat. ZETT. Fn. Lapp. 1. 70. 10. *Staph. nitidus* GRAV. Mon. Micr. 42. 5. var. DEJ. Catal. p. 22.

Var. b. ♂♀. niger, antennis, pedibus segmentorumque abdominalium marginibus rufo-ferrugineis.

GYLL. l. c. var. c.

Hab. sub lapidibus et in fungis putridis Lapponiae, rarius; ad Utsjock D. FELLMAN, ad Asele Lappon. Umensis, 26. Jul. ipse. (Lapp.-Scan. pass.)

*Staph. polito* paullo minor. — Variat antennis, elytris pedibusque magis vel minus rufescentibus, unde nomen triviale GYLLENHALI praeferendum.

**12. St. lapponicus:** niger, ore, antennis pedibusque piceis, tarsis dilutioribus, elytris obscure ferrugineis: capite subovato, oculis parvis, thorace dilatato suborbiculato, scutello punctulato, elytris crebre punctatis, tenuiter pubescentibus. ♂♀. (Long. 4 lin.)

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Lycksele, Wilhelmina et Gaskelougt, d. 31. Maj. — 22. Jul. inventus. (Lapponia meridionalis, per partem sylvaticam.)

Affinis et similis *St. variabili*, praesertim ejus varietati f. GYLL.: sed differt magnitudine paullo majori, elytris obscure ferrugineis et praecipue scutello punctulato, nec laevissimo. Antennae piceae, articulo primo et ultimo rufis. Pedes nigro-picei, geniculis summis tarsisque testaceis. Abdominis segmentorum marge in ♂ saepe ferrugineus. Reliqua ut in priori.

**13. St. groenlandicus:** niger, ore, antennis pedibusque anterioribus nigro-piceis; capite rotundato, oculis parvis, thorace dilatato suborbiculato, scutello laevissimo, elytris crebre punctatis, tenuiter pubescentibus. ♂. (Long. 4 lin.)

Hab. in Groenlandia, D. WESTERMANN, cui 2 specimina ibi capta debeo. (Groenlandia.)

Magnitudo et summa praecedentis similitudo, sed differt antennis pedibusque obscurioribus, elytris nigris, scutello laevissimo, et capite magis rotundato. A *St. variabili* magnitudine majori capitisque forma mox dignotus.

**14. St. laevigatus:** niger, sericeo-submicans, palpis, antennarum basi, pedibus segmentorumque marginibus rufo-ferrugineis, elytris glabris sublaevibus rufo-castaneis, capite orbiculato, femoribus posticis subtus spinuloso-ciliatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Var. a. ♂♀. antennis fuscis basi rufo-ferrugineis, thorace nigro.

GYLL. Ins. Sv. 2. 306. 23. ZETT. Fn. Lapp. 1. 71. 11. *Staph. nitidus* PAYK. Fn. 3. 390. 30. var. *β*. *Staph. impressus* var. GRAV. Mon. Micr. p. 40. *Staph. fulvipes* FABR. Eleut. 2. 597. 40.

Var. b. ♂♀. antennis totis, thorace praesertim postice, pectoreque rufo-piceis; forte junior. Variat quoque rarius elytrorum disco infuscato, alias var. a. similis.

ZETT. l. c. var. b.

Hab. sub cortice arborum emortuarum et putridarum Pini sylvestris et Abietis in Lapponiis omnibus, per totam regionem sylvaticam mensib. Jun. — Sept. frequentissimus; occurrit quoque, sed parcius, in Finmarkiae Pinetis, ex. gr. ad Bossekop et Alten; in fimetis vero Lapponiae non nisi rarissime visus. (Lapp.-Smolandia rar.)

*Obs.* In tanta copia hujus speciei nominum, a GYLLENHALO impositum ceteris praepono, ob *laevitatem* elytrorum, quae notam optimam praebet.

**15. St. mauro-rufus:** niger, antennis, segmentorum abdominalium marginibus pedibusque obscure testaceis, elytris fusco-piceis, profunde punctatis, oculis magnis oblongis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 56. 20. GYLL. Ins. Sv. 2. 309. 25.

Hab. in Lapponia rariss., mihi ibi non obvius; a D. FELLMAN ad Com. MANNERHEIM missus. (Lapp.-Suec. med. rar. Scan. pass.)

**16. St. praecox:** fusco-ferrugineus, subtus dilutior, capite subovato, nigro-piceo, oculis magnis, scutello laevi, elytris subtiliter punctulatis. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 172. 27. GYLL. Ins. Sv. 2. 310. 26.

Hab. in Lapponia? — E Groenlandia a D. WESTERMANN missum specimen masculum possideo. (Groenlandia; Finlandia rarius — in fungis ad Lärketorp Ostrogoth. Aug rar.)

**17. St. attenuatus:** nigro-piceus, antennis brevibus pedibusque testaceis, elytris opacis subtilissime punctatis, oculis maximis, scutello punctulato. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 61. 31. GYLL. Ins. Sv. 2. 311. 27. DEJ. Catal. p. 22. ZETT. Fn. L. 1. 71. 12.

Hab. in Lapponia boreali, DD. SANMARK et DAMMERT teste D. Prof. SAHLBERG; ad Asele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis 20 — 26. Jul., ipse. Affinis *St. laevigato*, sed triplo, et ultra minor, praesertim angustior, utrinque attenuatus. (Lapp.-Scan. freq.)

**18. St. Fellmani:** niger, antennis longioribus pedibusque anterioribus testaceis, elytris obscuris, subtilissime punctulatis, oculis maximis, scutello punctulato. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.)

Hab. in Lapponia rariss.; mas e Lapponia Tornensi a D. FRIGELIO mecum communicatus, et feminam in Lapponia Umensi ad Wilhelmina ipse inveni. (Lapponia.)

Affinis et similis *St. attenuato*, sed forte paullo major, antennis aperte longioribus et pedibus tantum anterioribus testaceis distinctus. Elytra jam fusca jam nigra. Pedes postici fusci vel obscure testacei.

D. Pastori Utsjockensi FELLMAN, insectorum collectori felicissimo, qui etiam multa rara e Lapponia septentrionali mecum benignissime communicavit, in gratam memoriam hoc insectum arcticum tribuere voluit hujus operis auctor.

**19. St. boops:** niger, antennis pedibusque testaceis, elytris punctulatis pubescentibus piceo-nigris, capite rotundato, oculis maximis oblongis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 71. 54. GYLL. Ins. Sv. 2. 312. 28. DEJ. Catal. p. 22. ZETT. Fn. Lapp. 1. 72. 13.

Hab. sub muscis et lapidibus mens. Majo — Jul. in Lapponia per partem sylvaticam et subsylvaticam haud infrequens, usque ad lacum Tornensem (Torneå Träsk) procedens; *St. laevigato* affinis, sed multoties minor, circiter 2 lin. longus. (Lapp.-Ostrogothia rar.)

**20. St. subuliformis:** niger, pedibus, segmentorum ventralium marginibus anoque rufo-piceis, capite ovato, oculis parvis, palpis anticis subulatis, thoracis seriebus discoidalibus bipunctatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 61. 30. GYLL. Ins. Sv. 2. 312. 29. var. ZETT. Fn. Lapp. 1. 72. 14.

Hab. sub lapidibus ad ripas fluminum Lapponiae rarissime, tempore vernali a me captus; minutus, antecedenti statura et magnitudine fere aequalis. (Lapponia; Finlandia; Scania.)

Praecedente fere minor. Elytra fusco-picea, punctulata, pubescentia. *Not. Staphylinus subuliformis* „antennis basi ferrugineis, extrorsum crassioribus fuscis" a GYLLENH. describitur; in nostro autem *antennae filiformes totae fuscae, basi parum nigro-piceae* videntur. Ut distinctam vero speciem nostrum describere justum non reo, quando ceterae notae quoad minimum punctum quadrant.

*Subdiv.* 3. Thoracis seriebus discoidalibus, 4-punctatis. Elytra tenuiter pubescentia. Habitatio in stercoratis et sub lapidibus. Anus maris saepe distincte emarginatus.

**21. St. laticeps:** niger, mandibulis longissimis piceis, elytris crebre punctatis aeneis, capite lato, brevi, quadrangulo, thorace lateribus compresso, subsinuato, serie dorsali punctis majoribus impressis. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{4}$ — $4\frac{1}{2}$ lin.)

*Mas:* capite magno transverso, quam thorax latiori, ano profunde emarginato, tarsis anticis plerumque evidenter dilatatis, subtus dense fulvo-pilosis.

*Fem.:* paullo minor, capite latitudine thoracis, ano integro, tarsis semper simplicioribus.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 73. 15.

*Staphylinus aeneus* GRAV. Mon. Micr. 86. 80. GYLL. Ins. Sv. 2. 314. 30. var. a. DEJ. Catal. p. 22.

Hab. in stercore; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis mens. Junio a me rarius lectus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Staph. splendenti* similis et affinis, sed paullo minor, et thoracis dorso punctato distinctus.

**22. St. aeneus:** niger, mandibulis mediocribus piceis, elytris crebre punctatis aeneis, capite rotundato, thorace lateribus compresso, subsinuato, serie dorsali punctis minoribus impressis. ♂♀. (Long. 4 lin.)

*Mas:* capite thorace non latiore, ano emarginato, tarsis anticis saepe dilatatis, subtus dense pilosis.

*Fem.:* capite thorace subangustiore, rotundato, ano integro, tarsis omnibus simplicibus.

*Staphyl. aeneus* GYLL. Ins. Sv. 2. 314. 30. var. b. ZETT. Fn. Lapp. 1. 73. 16. a. *Staphylin. politus* LINN. Fn. Sv. 843. var.?

Var. b. ♀. duplo minor, alias simillimus.

Hab in stercoratis et sub lapidibus per partem sylvaticam Lapponiae tota aestate frequens; praecedente paullo minor. Varietatem b. e Lapponia Tornensi a D. Frigelio obtinui. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Has duas species sub varietatibus *Staph. politi* in Linn. Fn. Sv. l. c. commemoratis latere, magis ex frequentia individuorum, quam ex descriptione perbrevi, conjicio.

**23. St. nitidus**: niger, elytris crebre punctatis rufo-testaceis, capite rotundato pone oculos punctato, thorace lateribus compresso, subsinuato, tarsis subsimplicibus. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$ — 5 lin.)

Fabr. Eleut. 2. 596. 30. Gyll. Ins. Sv. 2. 315. 31. Zett. Fn. Lapp. 1. 74. 17. *St. coenosus* Grav. Monogr. Micr. 51. 15. Dej. Catal. p. 22.

Hab. in fimetis Lapponiae sylvaticae inferioris versus autumnum, rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

*Staph. aeneo* simillimus et magnitudine aequalis vel paullo major, sed elytris subtilissime punctulatis rufis distinctus. — Variat mas: capite thorace fere latiore, mandibulis elongatis, extrorsum subulatis arcuatis; in Angermannia 15. Sept. captus. Talem etiam in Scania et Gottlandia cum varietate a inveni.

**24. St. politus**: niger, supra aeneo-micans, antennarum articulo primo subtus testaceo, capite ovato thorace angustiore, elytris creberrime punctulatis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$ lin.)

Linn. Fn. Sv. 843. a. Fabr. Eleut. 2. 594. 22. Grav. Mon. Micr. 85. 76. Gyll. Ins. Sv. 2. 317. 33. Dej. Catal. p. 22. Zett. Fn. Lapp. 1. 74. 18.

Hab. in stercore Lapponiae rarius, ad Juckasjervi tantum collectus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Staphyl. laminato* paullo minor, praesertim brevior.

**25. St. atratus**: nitidissimus, supra subvirescens, capite orbiculato, thorace paullo minore, antennis filiformibus. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.)

Grav. Mon. Micr. 84. 74. Gyll. Ins. Sv. 2. 319. 4.

Hab. in Lapponia rarissime; e Lapponia Tornensi a D. Frigelio mecum, et D. Fellman cum Comite Mannerheim communicatus. (Lappon. borealis; Scan. mens. Jun. rar.)

**26. St. rigidicornis**: nitidus niger, elytris aeneis, pedibus piceis, antennis brevibus, capite suborbiculato, magnitudine thoracis. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.)

Grav. Mon. Micr. p. 23. 29. Mannerh. Brachel. 28. 51.

Hab. in Lapponia rarissime, a me nunquam visus, a D. Fellman ad Com. Mannerheim missus. (Lapponia borealis; in Suecia nondum detectus.)

**27. St. cephalotes**: niger, pedibus, ano segmentorumque ventralium marginibus fusco-ferrugineis; capite magno orbiculato. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.)

Grav. Mon. Micr. 71. 55. Gyll. Ins. Sv. 320. 36.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Åsele d. 26. Jul. captus. (Lappon. meridionalis, -Ostrog. Scan. pass.)

**28. St. varius**: niger, ore pedibusque nigro-piceis, tarsis dilutioribus, elytris punctulatis aeneis, alis albis, capite angustiori subovato, oculis parvis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 321. 37. Dej. Catal. p. 22. Zett. Fn. Lapp. 1. 74. 19.

*Mas:* ano distincte emarginato.

*Fem.* ano integro.

Var. b. ♀. elytris fusco-aeneis, antennarum articulo ultimo obscure testaceo.

Zett. l. c. var. b.

Hab. sub lapidibus Lapponiae sylvaticae rarius; varietatem b. tantum ad Wittangi 15. Jun. inveni. Statura *Staph. politi*, sed triplo minor, vix ultra 3 lin. longus. (Lapp.-Scan. freq.)

**29. St. sordidus**: niger, mandibulis pedibusque nigropiceis, tarsis dilutioribus, elytris distincte non crebre punctatis, aeneis, capite orbiculato, oculis parvis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

*Mas:* ano leviter emarginato.

*Fem.*: ano integro.

Gyll. Ins. Sv. 2. 326. 41. Zett. Fn. Lapp. 1. 75. 20. *Staph. fimetarius var.* Grav. Mon. Micr. 80. 72.

Hab. in stercore bovino et sub lapidibus, per partem sylvaticam Lapponiarum omnium mens. Jun.—Jul. frequentissimus; ut et in inferalpinis Nordlandiae septentrionalis, ex. gr. ad Giebostad, rarius; sequenti affinis, fere duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**30. St. fimetarius**: nitidus niger, pedibus testaceis, elytris mediocriter punctatis, capite lato, subovato. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.)

Grav. Mon. Micr. 80. 72 Gyll. Ins. Sv. 2. 324. 40. Zett. Fn. Lapp. 1. 75. 26.

Var. b. pedibus fusco-piceis. — Gyll. l c. var. b.

Hab. in stercoratis Lapponiae rarius; var. b. a D. Fellman lectus. *Staph. vario* paullo major. (Lapp-Scan. pass.)

**31. St. marginatus**: niger, antennarum articulo primo subtus, thoracis lateribus pedibusque flavo-testaceis, tarsis fuscis elytris punctulatis aeneis, capite subovato. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$ lin.)

Fabr. Eleut. 2. 597. 38. Grav. Mon. Micr. 71. 56. Gyll. Ins. Sv. 2. 322. 38. Dej. Catal. p. 22. Zett. Fn. Lapp. 1. 75. 22.

Hab. in stercoratis Lapponiae borealis, Collect. D. Kolström; ad Lycksele Lapponiae meridionalis d. 7—25. Jun.; ipse. *Staph. polito* paullo minor, angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

**32. St. Xantholoma**: subnitidus niger, elytris opacis pallido-marginatis, abdomine cinereo-lineato, pedibus fusco-ferrugineis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.)

Grav. Mon. Micr. 41. 3. Gyll. Ins. Sv. 2. 323. 39. *Cafius Xantholoma* Mannerh. Brachel. 31. 1.

Hab. in Lappon. Norvegica; sub fucis rejectis ad Tynaes et pluribus locis supra Trondheim mense Junio a D. Boheman lectus mecumque communicatus. (Lapponia inferalpina seu occidentalis — Balucs., Halland.-Scan. sub fucis littoralibus pass.)

**33. St. albipes**: niger, pedibus, segmentorum ventralium marginibus anoque fusco-testaceis, elytris creberrime punctulatis piceis, capite ovato, oculis parvis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

Grav. Mon. Micr. 76. 68. var. Gyll. Ins. Sv. 2. 327. var. Dej. Catal. p. 23. var. Zett. Fn. Lapp. 1. 75. 23.

Hab. in stercore sub lapidibus et ligno sicco in Lapponia mens. Jun. Jul. passim; ad Kardis, Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ut et Badstutraesk Lapponiae Umensis, frequenter a me lectus; *Staphyl. fimetario* duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Quae in Lapponia occurrunt specimina *Staph. albipedis* semper pedibus obscurioribus instructa; vix tamen specie distincta, nam in ceteris omni puncto conveniunt cum Sueciae inferioris vulgaribus.

**34. St. 4-punctatus**: niger, palpis, antennis pedibusque testaceis, segmentorum ventralium marginibus anguste, anoque ferrugineis, elytris creberrime punctulatis piceo-aeneis, capite orbiculato, 4-punctato, oculis maximis. ♂. (Long. circiter 2 lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 76. 24. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in trunco putrido ad Wittangi unicum specimen die 17. Jun. inveni. (Lapponia.)

*Mas:* summa affinitas *Staph. attenuati* Grav. et Gyll., a quo vix nisi magnitudine paullulum minori et thoracis seriebus dorsalibus 4-punctatis (nec tripunctatis) differt; *Staphyl. sordido* magnitudine subaequalis. Caput cum oculis orbiculatum, laevissimum, punctis 2 in fronte et 4 in angulis verticis; nigrum, palpis et ore subtus testaceis. Oculi maximi, oblongi nigri, etiam post mortem. Antennae filiformes, testaceae. Thorax forma vulgari, nigro-piceus laevis, in ipso margine postico puncta plurima minutissima, intra marginem lateralem unicum majusculum utrinque, et series dorsales 4-punctatae, punctis parvis aequali spatio remotis. Scutellum punctulatum. Elytra fusco-picea, parum aenescentia, subtilissime creberrime punctulata. Abdomen nigrum, violaceomicans, segmentorum ventralium marginibus anguste, anoque rufo-ferrugineis; segmentum ultimum leviter emarginatum. Pedes toti cum coxis rufo-testacei, tibiis posterioribus infuscatis; tarsi antici valde dilatati.

*Subdiv.* 4. Thoracis seriebus discoidalibus 5-punctatis. Oculi parvi oblongi. Elytra tenuiter pubescentia, femora antica et coxae magna compressa. Tarsi antici parum dilatati. Habitatio in stercoratis. Anus maris distincte emarginatus.

**35. St. opacus**: niger, elytrorum crebre rugoso-punctatorum stria humerali (saepe obsoleta) sanguinea, coxis anticis anoque testaceis, capite angusto, ovato. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.)

Grav. Mon. Micr. 64. 35. Gyll. Ins. Sv. 2. 340. 56. Dej. Catal. p. 23. Zett. Fn. Lapp. 1. 77. 25.

Hab. in Lapponia D. Frigel., Collect. D. Grape, mihi vero nec in Lapponia, nec in provinciis proxime adjacentibus obvius( *Staph. fimetario* paullo minor, *St. vario* subaequalis. (Lapponia; Finlandia, Uplandia et Scania freq.)

**36. St. agilis**: niger, elytris crebre rugoso-punctatis fuscis, apice subferrugineis, coxis anticis testaceis, segmentorum ventralium apicalium marginibus anoque subferrugineis, capite angusto, ovato. ♂♀. (Long. 2 lin.)

GRAV. Mon. Micr. 77. 70. GYLL. Ins. Sv. 2. 341. 57. ZETT. Fn. Lapp. 1. 77. 26. *Staph. debilis* DEJ. Catal. p. 23.
Hab. in Lapponia ad Karesuando, forte rarissime; Collect. D. GRAPE; mihi tantum ad Lycksele Lapponiae Umensis semel obvius; priori duplo minor et ultra. (Lapp.-Scan. freq.)

**37. St. varians**: niger, elytris crebre punctatis fusco-aeneis, pedibus nigro-piceis, coxis anticis disco subtestaceis, capite suborbiculato. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.)
GRAV. Mon. Micr. 82. 73. FABR. Eleut. 2. 594. 24. forte? GYLL. Ins. Sv. 2. 342. 58. ZETT. Fn. Lapp. 1. 77. 27. *Staph. nigricans* DEJ. Catal. p. 22.
Hab. in stercoratis Lapponiae tempore vernali rarius; praecedente dimidio major, *Staph. vario* subsimilis. (Lapp.-Scan. freq.)
*Obs. Staph. ochropus*: „brevior obtusus nitidus niger, pedibus fusco-piceis, elytris fusco-virescentibus, capite orbiculato," ut et *Staph. bipustulatus*: „niger nitidus, pedibus totis nigro-piceis, elytris macula postica obliqua, sanguinea, capite angusto, ovato," ad hanc subdivisionem quoque pertinent. *Staph. opaco* valde affines, ejusque magnitudine; sed hae Sueciae inferioris frequentes incolae, in Lapponia mihi nunquam obviae.

*Subdiv.* 5. Thoracis seriebus discoidalibus 6-punctatis. Oculi parvi oblongi. Elytra pubescentia. Thorax parcissime pilosus. Tarsi antici maris paullo magis, quam feminae dilatati. Habitatio in humidis, sub lapidibus et muscis (non in stercoratis). Anus maris leviter emarginatus.

**38. St. Virgo**: niger, ore tarsisque fusco-ferrugineis, elytris crebre subtiliter punctulatis, capite subovato. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.)
GRAV. Mon. Micr. 69. 45. GYLL. Ins. Sv. 2. 345. 61. ZETT. Fn. Lapp. 1. 78. 28.
Hab. in Lapponia per partem sylvaticam passim; *Staphyl. vario* et *opaco* parum minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**39. St. micans**: niger, sericeo-submicans, ore, pedibus anoque rufo-testaceis, elytris creberrime subtilissime punctulatis, capite ovato. ♂♀. (Long. 2 lin.)
GRAV. Mon. Micr. 76. 69. GYLL. Ins. Sv. 2. 344. 60. ZETT. Fn. Lapp. 1. 78. 29.
Hab. cum praecedente, quo duplo fere minor, in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

### *Sect. II. Antennarum articulus ultimus ovatus, subacuminatus. Thorax oblongo-ovatus. Corpus lineare.*

Minutissimi, glabri, nitidi. Caput oblongo-quadratum. Oculi parvi. Color niger testaceus. Habitatio in humidis sub muscis et lapidibus (non in stercoratis). Anus maris late, sed non profunde emarginatus, feminae integer. An proprii generis? *Cafius* LEACH. et MANNERH.

**40. St. nanus**: niger, ore, antennis, segmentorum ventralium marginibus, ano pedibusque rufo-testaceis, elytris punctatis fusco-piceis, thorace postice angustiore, seriebus discoidalibus 5-punctatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)
GRAV. Mon. Micr. 96. 93. GYLL. Ins. Sv. 2. 347. 63. var. DEJ. Catal. p. 23. var. ZETT. Fn. Lapp. 1. 79. 30.
Hab. in truncis putridis et sub lapidibus, in Lapponia sylvatica tempore vernali passim, ad Juhonpietis, Lycksele et Wittangi praesertim a me lectus; minutus. (Lapp.-Ostrogoth. freq.)
Individua, quae in Lapponia collegi, antennis totis ferrugineo-testaceis et elytris piceo-fuscis (nec ferruginantibus) semper gaudent, ceterum vero Sueciae vulgaribus simillima sunt.

**41. St. aterrimus**: niger, ore antennarumque basi piceis, ano pedibusque fusco-testaceis, elytris punctatis fuscis, thorace postice parum angustato, seriebus discoidalibus sexpunctatis. ♂♀. ($1\frac{1}{4}$ lin. long.)
Var. a. ♂♀. pedibus totis rufo-testaceis, coxis femoribusque paullo obscurioribus.
GYLL. Ins. Sv. 2. 349. 65 certe. DEJ. Catal. p. 23. ZETT. Fn. Lapp. 1. 79. 31. *Staph. nigritulus var.* GRAV. Mon. Micr. 94. 90?
Var. b. ♂♀. pedibus totis pallidius testaceis.
GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b.
Hab. in ripis fluminum Lapponiae sylvaticae tota aestate passim; priori paullo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

FAM. II. PALPI POSTERIORES ARTICULO ULTIMO OVATO.

**42. St. rufilabris**: nitidissimus ater, ore, antennarum articulo primo tarsisque rufis; thoracis seriebus dorsalibus 3-punctatis; elytris profunde punctatis. ♂. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.)



Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad finem mensis Aug. 1832 unicum individuum detexit eximius observator D. D. DAHLBOM. (Lappon. meridion.)
Affinis et similis *St. tristi* GYLL., sed palporum forma, oris antennarumque colore, capite in fronte non punctato, magnitudine breviori licet non angustiori etc. abunde distinctus. Caput ovatum, thorace minus, laevissimum, punctis tantum 4 in vertice impressum. Oculi magni. Os et palpi rufa; articulo ultimo palpor. poster. distincte ovato. Scutellum laevissimum. Elytra breviuscula, fortiter punctata, subpubescentia. Abdomen supra metallice nitens. Antennae nigrae articulo primo tarsisque rufis. Reliqua ut in *St. tristi*, a quo vix genere separandus.

---

## 22. Xantholinus.

DAHL. apud DEJ. Catal. p. 23. *Staphylinus* GRAV. et GYLL. *Gyrohypnus* KIRBY et MANNERH.

*Corpus* parvum, angustum, lineare, nitidum. Caput thorace fere latius subquadratum, antice sublaeve. Collum distinctum. Thorax oblongus, posterius angustior, postice obtuse truncatus. Antennae thorace breviores, crassae, articulo ultimo subacuminato. Palpi filiformes. Tarsi antici in utroque sexu simplices. *Color* niger, rufescens, nitidus. *Motus* celerrimus. *Odor* ingratus. *Habitatio* sub cortice arborum et sub lapidibus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* occulta, in externis nulla. (Spec. Scand. 15.)

**1. X. longiceps**: niger, ore, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, elytris vage punctulatis fusco-piceis, capite oblongo-quadrato, subtilissime parce punctulato, thorace lateribus multipunctato, seriebus discoidalibus 12-16-punctatis. ♂♀. (Long. $2\frac{2}{3}$ lin.)
ZETT. Fn. Lapp. 1. 80. 1.
*Staphyl. longiceps* GYLL. Ins. Sv. 2. 350. 66. verus *Xantholinus ochraceus* DEJ. Catal. p. 23. (Cetera Synonyma valde dubia.)
Hab. in Lapponia rarissime, in copula captus; *Lathrobio elongato* fere dimidio minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. X. ochraceus**: niger, antennis pedibusque fusco-ferrugineis, elytris externe punctato-striatis, piceis, capite crebre fortiusque punctato, thoracis seriebus dorsalibus 8—12 punctatis, lateribus arcuatis. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.)
GYLL. Ins. Sv. 4. App. 480. DEJ. Catal. p. 23.
Hab. in Lapponia Umensi rariss., ad Åsele d. 25. Jul. captus. (Lapp.-Scan. vulgar.)

**3. X. lentus**: niger, palpis, antennis, elytris vage punctatis, pedibusque rufo-testaceis, capite subquadrato, profunde sed non crebre punctato, thorace postice angustato, seriebus discoidalibus 7-8-punctatis. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.)
DEJ. Catal. p. 23. ZETT. Fn. Lapp. 1. 80. 2. *Staphylin. lentus* GRAV. Mon. Micr. 101. 101. GYLL. Ins. Sv. 2. 354. 69.
Var. b. paullo minor, elytris pedibusque pallidis, capite parcius et subtilius punctato, disco scilicet laeviori; in ceteris varietati a similis; an alter sexus?
ZETT. Fn. l. c. var. b.
Hab. sub cortice Pini sylvestris, nec non in truncis et ligno recenter secato ac resinoso ejusdem arboris, per totam Lapponiam sylvaticam mens. Jun.—Sept. frequens. (Lapp.-Scan. rar.)

**4. X. tricolor**: elongatus nigro-piceus, elytris vage punctatis pedibusque rufo-testaceis, thorace rufo, posterius angustato, nigricante, seriebus dorsalibus et lateralibus multipunctatis. (Long. 3 lin.)
*Staphyl. tricolor* GYLL. Ins. Sv. 2. 355. 70. *Staph. elegans* GRAV. Mon. Micr. 103. 104.
Hab. sub lapidibus et muscis Lappon. Umensis, ex. gr. ad Lycksele d. 30. Maj.—5. Jun. passim. (Lappon. meridionalis; Jemtland.-Helsingia. April—Maj.; -Scan. Apr.—Sept., pass.)

**5. X. pilicornis**: niger, ore antennisque extrorsum crassioribus pilosis, rufo-ferrugineis, abdominis segmentorum marginibus, ano pedibusque testaceis, elytris sublaevibus rufo-piceis, capite quadrato, punctis paucis, thorace postice subangustato, disco bipunctato. (Long. $2\frac{1}{3}$ lin.)
ZETT. Fn. Lapp. 1. 81. 3.
*Staphyl. pilicornis* GYLL. Ins. Sv. 2. 359. 73. *Staph. Palmula* GRAV. Mon. Micr. 107. 110.
Var. b. supra fusco-rufescens, subtus rufo-testaceus.
GYLL. l. c. var. c.
Hab. sub cortice truncorum putridorum Pini, in Lapponia per partem sylvaticam passim; ad Wittangi, Juckasjervi et

Lycksele, mens. Maj. Jun., var. a. a me frequenter lecta, sed var. b. tantum ad Lycksele visa, magnitudine varians. (Lapp.-Ostrogothia rar.)

---

## 23. Lathrobium.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 142. GRAV. DEJ. GYLL. MANNERH. *Paederus* FABR. *Staphylinus* LINN.

*Corpus* minusculum, angustatum, lineare, subglabrum. Caput rotundatum collo distincto, thoraxque subquadratus, margine postico recto et ab elytrorum basi intervallo disjuncto, crebre punctata. Antennae thoracis fere longitudine, saepius filiformes. Femora valida. *Color* niger, rufo-ferrugineus, subnitidus. *Motus* tempore calido celer. *Habitatio* sub lapidibus et ligno dejecto, locis occultis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in segmento ventrali antepenultimo maris emarginato, feminae integro, communiter mox detegenda. (Spec. Scand. 12.)

**1. L. elongatum**: creberrime vage punctulatum nigrum, ore, antennis, pedibus elytrisque posterius rufo-testaceis, thorace oblongo. ♂♀. (Long. 3½ lin.)

*Mas:* segmento ventrali penultimo subtus bis canaliculato, subbi-emarginato.

*Fem.:* segmento eodem elongato subconico, apice rotundato integro.

GRAV. Mon. Micr. 132. 12. GYLL. Ins. Sv. 2. 363. 1. DEJ. Catal. p. 24. ZETT. Fn. Lapp. 1. 82. 1. *Staph. elongatus* LINN. Syst. Nat. 2. 685. 14. *Paederus elongatus* FABR. Eleut. 2. 609. 3. PANZ. Fn. 9. f. 12.

Hab. in Lapponia, Collect. D. KOLSTRÖM; etiam a D. SANMARK in Lapponia captum, test. D. SAHLBERG, *Xanth. lento* dimidio majus. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. L. fulvipenne**: creberrime vage punctulatum nigrum, ore, antennis pedibusque rufo-testaceis, elytris rufo-castaneis, capite rotundato, thorace oblongo. ♂♀.

*Mas:* segmento ventrali penultimo leviter et simpliciter emarginato, nec canaliculato.

*Fem.:* segmento eodem subconico integro; in copula.

GYLL. Ins. Sv. 2. 365. 2. DEJ. Catal. p. 24. ZETT. Fn. L. 1. 82. 2. *Paederus fulvipennis* FABR. Eleut 2. 609. 4. *Lathrob. elongatum* GRAV. Mon. Micr. p. 133. var. 3.

Var. b. ♀. elytris rufo-castaneis, basi nigris.

ZETT. l. c. var. b.

Var. c. ♂♀. rufo-piceum, elytris pedibusque dilutioribus, abdomine fusco.

GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. c.

Var. d. ♂. corpore toto rufo-testaceo.

GYLL. l. c. var. c. ZETT. l. c. var. d.

Hab. sub lapidibus et ligno sicco mens. Maj. et Jun., in Lapponia Tornensi per partem sylvaticam frequens; etiam ad Umenaes Lapp. meridionalis d 7. Jul. rar.; var. d. tantum ad Juckasjervi legi; praecedente paullo majus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Species hujus generis alpes omnino fugiunt, nec in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae ullas unquam inveni.

**3. L. brunnipes**: crebre vage punctulatum nigrum, ore, antennis, ano pedibusque rufo-testaceis, capite rotundato, thorace oblongo. ♂♀. (Long. 4¼ lin.)

*Mas:* segmento ventrali penultimo late et profunde emarginato canaliculatoque.

*Fem.:* segmento eodem utrinque latissime profunde emarginato, lacinia media producta, rotundata.

GRAV. Monogr. Micr. 139. 6. GYLL. Ins. Sv. 2. 366. 3. DEJ. Catal. p. 24. ZETT. Fn. Lapp. 1. 83. 3. *Paederus brunnipes* FABR. Eleut. 2. 609. 5.

Hab. sub lapidibus per partem sylvaticam Lapponiarum omnium mens. Majo — Jun. frequens, *Lathrob. elongato* fere majus. (Lapp.-Scan. rar.)

**4. L. quadratum**: crebre subtiliter, thorace paullo fortius, punctulatum nigrum, ore antennisque piceis, tarsis rufis, capite orbiculato, thorace subquadrato, elytris elongatis. ♂♀. (Long 2¾ lin.)

*Mas:* segmento ventrali penultimo profunde, sed anguste incisum, tarsis valde dilatatis.

*Fem.:* segmento eodem in medio producto, anum lobo rotundato obtegente, tarsis dilatatis, sed minus quam in mare.

GYLL. Ins. Sv. 2. 367. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 83. 4. *Lathrob. pilosum* GRAV. secund. DEJ. Catal. p. 24.

Hab. ad ripas arenosas fluminum Lapponiae tempore plerumque vernali rarius in Lapponia boreali; at in Lapponiis meridionalibus, ex. gr. ad lacum Stor Uman, ripas fluminis Umensis usque ad Umenaes, nec non in paroecia Fredrica, mense Jul. frequenter a me visum; praecedente paullo minus. Varietates GYLLENHALI reliquae in Lapponia mihi non obviae. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. L. punctatum**: profunde vage punctatum nigrum, ore antennisque rufo-ferrugineis, pedibus piceis, tarsis testaceis, capite orbiculato, thorace oblongo-quadrato, convexiori, elytris brevibus. ♂♀. (Long. 2¼ lin.)

*Mas:* segmento ventrali penultimo leviter et anguste inciso, tarsis valde dilatatis.

*Fem.:* segmento eodem in medio producto, anum lacinia rotundata obtegente, tarsis dilatatis.

Var. a. ♂♀. pedibus piceis, tarsis dilutioribus.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 84. 5. v. a. SAHLB. Ins. Fenn. 340. 6.

Var. b. ♂ pedibus totis testaceis. — ZETT. l. c. var. b.

Hab. cum praecedente in ripis arenosis fluminum Lapponiae et borealis et meridionalis, mens. Jun. Jul. paullo frequentius. (Lapponia; Scania rar.)

Magnitudo fere *Lathrob. quadrati*, cui sat simile et affine, sed differt punctura fortiori, thorace paullo longiori et magis convexo, elytris brevioribus, ut et antennis totis rufescentibus. Caput non crebre sed sat profunde punctatum nigrum, ore ferrugineo, palpis apice fuscis. Antennae articulo primo forsitan paullo breviori et crassiori, quam in specie praecedente, totae pilosiusculae ferrugineae, in medio interdum piceae. Thorax oblongo-quadratus, convexus, sat crebre et profunde punctatus, niger. Elytra thorace non longiora, nec latiora, punctura et color ut in illo. Abdomen subtilissime punctulatum, pubescens opacum nigrum, ano parum ferrugineo. Differentia sexus ut in priori, sed incisura segmenti ventralis penultimi maris in *Lathr. punctato* parum profunda vix conspicua. Pedes validi picei, tarsis rufis, anticis dilatatis in utroque sexu, at in mare evidentius.

*Obs. Lathrob. fracticorne:* „nigrum, pedibus rufo-testaceis, capite thoraceque elongatis punctatis, punctis in hoc subseriatis, antennarum articulo primo longissime clavato," GYLL. Ins. Sv. 2. 368. 5. *Lathr. quadrato* duplo minus, in Lapponia quoque habitare creditur, mihi non obvium, generi *Xantholino* forte adsociandum.

**6. L. lineare**: crebre punctatum nigrum, ore antennisque rufo-ferrugineis, pedibus piceis, tarsis dilutioribus, capite subovato, thorace oblongo, elytris brevibus ad suturam substriatis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

*Mas:* segmento ventrali penultimo leviter emarginato.

*Fem.:* segmento eodem producto, integro.

GRAV. Mon. Micr. 132. 13. GYLL. Ins. Sv. 2. 370. 6. DEJ. Catal. p. 24. ZETT. Fn. Lapp. 1. 85 6.

Hab. in fungo Betulae albae et sub cortice ejusdem arboris tempore verno, in Lapponia boreali et meridionali, rarius; priori duplo minus et multo angustius. (Lapp.-Westrogothia pass.)

---

## 24. Paederus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 143. FABR. DEJ. MANNERH. *Rugilus* MANNERH. *Staphylinus* LINN.

*Corpus* parvum, angustum, lineare, convexum. Caput thorace latius, rotundatum collo distincto, thoraxque suborbiculatus, punctata. Antennae subfiliformes. Coxae anticae elongatae. *Color* obscurus. *Motus* celer. *Habitatio* sub lapidibus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in segmento ventrali penultimo maris sat evidenter emarginato, feminae integro, rotundato, cito invenienda. (Spec. Scand. 8.)

**1. P. riparius**: nitidus rufus, capite subangustato, antennis extrorsum, abdominis apice, pectore genubusque nigris, elytris longioribus caeruleis, profunde punctulatis, thorace subangustato convexo sublaevi. ♂♀. (Long. 3 — 3½ lin.)

*Mas:* long. 3 lin.; segmento abdominis anali penultimo anguste profunde emarginato; thorace oblongo, lateribus parallelis, capite vix altiori.

*Fem.:* long. 3' lin., segmento anali penultimo integro; thorace rotundato-oblongo, antice latiore, gibbo, supra caput distincte elevato.

GRAV. Mon. Micr. 62. 5. ♂. PANZ. Fn. 9. 11. GYLL. Ins. Sv. 2. 372. 1. ♂♀. MANNERH. Brachel. 39. 3. ♂. SAHLB. Ins. Fenn. 343. 3. ♂. *Staphyl. riparius* LINN. Fn. Sv. 846. *Paeder. littoralis* GYLL. l. c. 61. 8. ♀. MANNERH. l. c. 2. SAHLB. l. c. 1. ♀.

Hab. in Lapp. rar., ad Muonioniska D. KOLSTRÖM; ad Lycksele ipse. (Lapponia-Botnia-Sudermannia-Finlandia, pass.-Gothland.-Scania pass. freq. — Mas ejusdem sub no-

mine *P. sublongicollis* e Lipsia etiam a Cel. Prof. Kunze mihi missus.)

**2. P. confinis**: nitidus rufus, capite sublatiore, antennis in medio, abdominis apice, pectore genubusque nigris, elytris brevioribus caeruleis, profunde punctatis, thorace suborbiculato convexo parcissime punctulato. ♂♀ (Long. 3¼ — 3¾ lin.)

*Mas:* segmento anali penultimo profunde emarginato s. inciso.

*Fem.:* segmento eodem rotundato integro.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; a D. Dahlbom semel lectus. (Lapponia; Scania ad Esperöd freq., alibi rar.)

A priori, cui similis et cum quo aliquando forte confusus, capite thoraceque paullo latioribus, elytris paullo brevioribus, antennis in medio (nec apice), fuscis etc. mox dignoscitur.

**3. P. orbiculatus**: creberrime punctulatus fusco-niger, ore antennisque rufo-ferrugineis, pedibus testaceis, capite maximo orbiculato, thorace parvo, antice angustato, dorso subcarinato. ♂♀. (Long. 2 lin.)

Fabr. Eleut. 2. 609. 9. Panz. Fn. 43. f. 21. Grav. Mon. Micr. 141. 8. Gyll. Ins. Sv. 2. 374. 3. Dej. Catal. p. 24. Zett. Fn. Lapp. 1. 85. 1.

Hab. sub lapidibus in Lapponiae parte infima, rarissime; *Lathrobio quadrato* duplo vel triplo minor et ultra. (Lapp.-Scan. freq.)

## 25. Stenus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 144. Fabr. Gyll. Grav. Dej. Mannerh.

*Corpus* parvum elongatum, subcylindricum, punctatum. Caput magnum. Oculi prominuli. Antennae tenues articulis tribus apicalibus crassioribus. Coxae brevissimae. *Color* niger, pilositate saepe argentea, pictura raro flavo-punctata. *Motus* celer, abruptus. *Habitatio* sub lapidibus, in humidis, ad ripas frequenter, per partem interiorem sylvaticam Lapponiae plerumque, in Nordlandiae littoralibus rarius. *Discrimen sexus* in segmento ventrali penultimo, saepe etiam antepenultimo, maris emarginatis, feminae integris semper detegenda. (Spec. Scand. 24. genus limitatum constituentes.)

Tribus 1. Abdomen lateribus marginatum (majores plerumque.)

**1. St. biguttatus**: confertim punctatus niger, argenteo-subpilosus, palpis basi pallidis, elytris puncto postico flavo-testaceo, fronte excavata, obsolete carinata. ♂♀. (Long. 1⅔ lin.)

*Mas:* segmento ventrali penultimo late emarginato, et antepenultimo in medio sinuato, impresso.

*Fem.:* segmentis iisdem integris.

Fabr. Eleut. 2. 602. 1. Grav. Mon. Micr. 225. 2. Gyll. Ins. Sv. 2. 464. 2. Dej. Catal. p. 25. Zett. Fn. Lapp. 1. 86. 1. *Staphylin. biguttatus* Panz. Fn 11. f. 17. *Staphyl. bipustulatus* Linn. Fn. Sv. 847. (potius ad hunc, in tota Suecia vulgarem, quam ad *Sten. bimaculatum* aut *caerulescentem* Gyllenhali, in Suecia rariores, ut synonymon referri debet, licet magnitudo ibi allata „pediculi" cum nostro non conveniat.)

Hab. sub lapidibus ad margines agrorum et in ripis fluminum, in Lapponia sylvatica passim; in hoc genere medius. (Lapp.-Scan. frequentissimus, gregarius.)

**2. St. bimaculatus**: profunde punctatus niger, argenteo-subpilosus, palpis basi pallidis, elytris puncto postico fulvo, pedibus testaceis, geniculis nigris, fronte bicanaliculata. ♂♀. (Long. 2 lin.)

*Mas:* segmentis ventralibus penultimo et antepenultimo profunde emarginatis et impressis, laciniis acutis.

*Fem.:* segmentis iisdem integris.

Gyll. Ins. Sv. 2. 466. 3. Zett. Fn. Lapp. 1. 87. 2. *Stenus Juno* Grav. Mon. Micr. 225. 1. Dej. Catal. p. 25.

Hab. in ripis fluminis Tornensis mens. Majo, Junio; ad Matarengi et Junosuando a me rarius lectus, sexus femineus rarissime; major in hoc genere, praecedente multo latior et crassior. (Lapp.-Scan. rar.)

**3. St. Juno**: profunde punctatus niger, argenteo-subpilosus, palpis basi pallidis, thorace elongato elytrisque foveolatis, fronte bicanaliculata. ♂♀. (Long. 1¾ lin.)

*Mas:* segmentis ventralibus penultimo bifido, laciniis acutis; antepenultimo late, sed non profunde emarginato, impresso, bicarinato.

*Fem.:* segmentis iisdem integris, femoribus paullo minus incrassatis, quam in mare.

Fabr. Eleut. 2. 602. 2. Gyll. Ins. Sv. 2. 467. 4. Zett. Fn. Lapp. 1. 87. 3. *Sten. boops* Grav. Mon. Micr. 226. 4. Dej. Catal. p. 25.

Hab. in ripis fluminum Lapponiarum omnium per partem sylvaticam tota aestate, uterque sexus aeque frequens, in copula captus; antecedente duplo fere minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. St. boops**: profunde punctatus subglaber niger, palpis pallidis, pedibus testaceis geniculis nigris, thorace elongato elytrisque vix foveolatis, fronte obsolete bicanaliculata. ♂♀. (Long. 1⅔ lin.)

*Mas:* segmentis ventralibus penultimo emarginato, laciniis subacutis, antepenultimo latius sed non profundius emarginato, parum impresso, non carinato.

*Fem.:* segmentis iisdem integris, femoribus paullo minus incrassatis, quam in mare, et rectis (nec posticis apice subarcuatis.)

Grav. Mon. Micr. 226. 4. var. 1. Gyll. Ins. Sv. 2. 469. 5. Zett. Fn. Lapp. 1. 87. 4.

Hab. in humidis umbrosis, ut et sub lapidibus locis cultis mens. Maj. — Jun. per partem sylvaticam Lapponiarum omnium vulgaris, usque ad Juckasjervi et Umenaes visus; praesertim sexus femineus frequens; priori magnitudine et statura simillimus. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. St. buphthalmus**: confertissime punctatus niger, argenteo-subpilosus, palpis nigricantibus, thorace oblongo elytrisque non foveolatis, fronte obsolete bicanaliculata, antennis brevibus. ♂♀. (Long. 1⅔ lin.)

*Mas:* segmentis ventralibus penultimo et antepenultimo leviter emarginatis, hoc subimpresso.

*Fem.:* segmentis iisdem integris; in copula.

Grav. Mon. Micr. 230. 9. Gyll. Ins. Sv. 2. 475. 10. Zett. Fn. Lapp. 1. 88. 5. *Staphylin. clavicornis* Panz. Fn. 27. f. 11.

Var. b. ♀. antennis paullo longioribus, palpis basi testaceis, articulo ultimo incrassato, fronte inter oculos lata, non canaliculata. — An specie distinctus? Zett. l. c. var. b.

Hab. in ripis fluminum Tornensis et Umensis mens. Jun. Jul. passim; sed supra Juckasjervi et Umenaes eum frustra quaesivi; sexus masculus semper rarius occurrit; varietatem b. tantum ad Karesuando et Lycksele d. 15. Jun. — 15. Aug. inveni. Medius, *Steno binotato* aequalis, variat tamen dimidio, imo duplo minor, thorace interdum subcanaliculato. (Lapp.-Scan. var. a. freq.)

**6. St. palposus**: confertissime punctatus subaenescenti-niger, argenteo-subpilosus, palpis elongatis articulo ultimo magno inflexo, antennisque brevibus nigris, thorace oblongo, dorso depresso elytrisque vix foveolatis, fronte obsolete bicanaliculata. ♀. (Long. 1⅔ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in insula Dolpatie lacus StorUman d. 5. Jul. inventus in societate cum priori, cui simillimus praeter colorem, palporum formam, thoracisque dorsum forte magis depressum. (Lapponia meridionalis.)

**7. St. proboscideus**: crebre punctatus subnitidus, parum argenteo-pilosus, aenescenti-niger, palpis, pedibus antennisque pallidis, clava obscura, geniculis subfuscis, fronte bicanaliculata. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

*Mas:* segmentis ventralibus margine truncatis, penultimo levissime emarginato, antepenultimo integro et vix impresso.

*Fem.:* segmentis iisdem integris, penultimo in medio producto, anum obtegente.

Gyll. Ins. Sv. 2. 476. 11. Zett. Fn. Lapp. 1. 88. 6. *Paederus proboscideus* Oliv. Ent. 3. 44. 65. Taf. 1. f. 5. a, b.

Hab in Lapponia rarius, non nisi in littore maris ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae a me lectus; parvus, priori duplo minor. (Lapp.-Scan. rar.)

**8. St. binotatus**: crebre subtiliter punctatus, argenteo-pilosus niger, antennarum medio palporumque basi ferrugineis, thorace elongato bifoveolato, abdomine tenuiter marginato. ♂♀. (Long. 1⅔ lin.)

*Mas:* segmentis ventralibus penultimo late sed non profunde emarginato, anterioribus subcanaliculatis.

*Fem.:* segmentis iisdem integris et non impressis.

Grav. Mon. Micr. 229. 8. Gyll. Ins. Sv. 2. 474. 9. Dej. Catal. p. 25. Zett. Fn. Lapp. 1. 89. 7.

Hab. in graminosis per partem sylvaticam Lapponiae rarius, ad Karesuando et Muonioniska Lapponiae Tornensis, nec non in monte Stöttingsfjellet Lapponiae Umensis, mens. Aug. a me captus; parvus, priori fere minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**9. St. fuscipes**: crebre punctatus subnitidus, parum argenteo-pilosus, niger, palpis, antennis extrorsum pedibusque piceis, thorace oblongo aequali, abdomine tenuiter marginato. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

*Mas:* segmento penultimo parum emarginato.
*Fem.:* segmento eodem integro producto.
Grav. Mon. Micr. 232. 13.? Gyll. Ins. Sv. 2. 478. 13? Zett. Fn Lapp. 1. 89. 8.
Hab. sub cortice Betulae albae per partem sylvaticam Lapponiae Tornensis rarius; ego illum ad Karungi et Wittangi mens. Maj.—Jun. inveni; minutus, praecedente adhuc minor. (Lapp.-Scan. pass.)
*Obs.* Cum abdomen tenuiter tantum sit marginatum, et palpi, antennae pedesque obscure picea, fere nigra (nec ferrugineo-picea) in speciminibus lapponicis deprehendantur, dubium de synonymia remanet.

**10. St. circularis**: subopacus niger, ore pedibusque piceo-ferrugineis, thorace brevi rotundato, antennis capite parum longioribus. ♂♀. (Long. 1 lin.)
*Mas:* segmento penultimo parum emarginato.
*Fem.:* segmento eodem integro.
Grav. Mon. Micr. 233. 15. Gyll. Ins. Sv. 2. 479. 14.
Hab. in Lapponia Umensi, mihi rarissime obvius, ad Lycksele semel captus. (Lapp. meridion.-Scan. pass.)

Tribus 2. Abdomen lateribus immarginatum (minores plerique).

**11. St. oculatus**: crebre punctatus albido-subpilosus niger, antennis pallidis, articulo primo atro, pedibus testaceis, geniculis nigris. ♂♀. (Long. 1¹ lin.)
*Mas:* segmento ventrali penultimo profunde inciso, lobis rotundatis.
*Fem.:* segmento eodem integro.
Grav. Mon. Micr. 227. 5. Gyll. Ins. Sv. 2. 471. 7. Dej. Catal. p. 25. Zett. Fn. Lapp. 1. 90. 9.
Hab in graminosis per partem mitiorem Lapponiae rarius, mas rarissime; femina ad Lycksele 10. Aug. inventa; medius, *Sten. Junone* paullo minor. (Lapp.-Scan. sexus femineus freq.)

**12. St. tarsalis**: crebre punctatus argenteo-pilosus niger, palpis tarsisque dilatatis, antennis testaceis, articulo primo atro, clava fusca. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)
*Mas:* segmento ventrali penultimo parum emarginato.
*Fem.:* segmento eodem integro.
Var. a. ♂♀. thorace obsolete foveolato.
Gyll. Ins. Sv. 2. 472. 8. Zett. Fn. Lapp. 1. 90. 10.
Var. b. ♀. thorace evidentius foveolato; saepe minor.
Gyll. l. c. var. c. Zett. l. c. var. b. *Sten. clavicornis* Grav. Mon. Micr. 229. 7. Dej. Catal. p. 25.
Hab. ad margines agrorum et in ripis fluminum, in Botnia boreali et Lapponia inferiori mens. Maj.—Jun., mihi raro obvius; ad Asele ♀ d. 26. Jul. quoque capta; priori paullo minor. (Lapp.-Scan.; uterque sexus aeque freq.)

**13. St. femorellus**: crebre punctulatus parum argenteo-pilosus niger, palpis antennisque subbrevibus concoloribus, femoribus rufo-piceis. ♀. (Long. 1 lin.)
Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad novaccolarum sedem Umenaes, prope Brattiksfjell d. 7. Jul. 1832 unicum individuum inveni. (Lapponia meridionalis per partem subsylvaticam.)
Subglaber, distincte punctatus. Palpi basi pallidi. Frons lata vix canaliculata. Thorax oblongo-rotundatus, elytraque non foveolata. Pedes, praesertim femora rufo-picea.

**14. St. nigritulus**: crebre punctatus subglaber niger, palpis antennisque concoloribus, thorace oblongo aequali, antennis brevibus. ♀. (Long vix 1 lin.)
Zett. Fn. Lapp. (1826 conscripta) 1. 91. 11. (*St. nigritulus* Gyll. Ins. Sv. 4. App. 502. et Sahlb. Ins. Fenn. 429 minime idem noster.)
Hab. in ripa fluminis Tornensis rarissime, nec nisi ad Wittangi Lapponiae die 13. Jun. 1821 a me inventus. (Lapponia borealis.)
Inter lapponicos minutissimus, vix unam lineam longus; *Sten. circulari* Gyll. parum major, et illi affinis, sed a quo aperte differt: ore toto nigro (nec piceo-ferrugineo) abdomineque omnino immarginato. Caput cum oculis thorace latius, nigrum, punctatum, subglabrum. Frons et vertex depressa, obsolete bicarinata. Antennae breves, basi approximatae, supra os insertae. Thorax obovato-oblongus, aequalis, crebre punctatus, glaber, niger, opacus. Elytra crebre punctata, vix foveolata, glabra, nigra, opaca. Abdomen cylindricum, immarginatum, subtilissime punctulatum, subpubescens, nigrum, subnitidum. Segmenta ventralia integra sexum femineum produnt. Pedes tenues, nigri.
*Not.* A Dom. Boheman *Stenum* quendam in Smolandia captum et a Dom. Gyllenhal nomine „*nigritulus*" impositum obtinui huic quidem subsimilem; sed ille magnitudine paullo majori, pubescentia argentea evidentiori, et palpis basi pallidis a nostro certe differt. Talem quoque ipse in Scania ad Lund deprehendi; et hic sine dubio idem est ac Gyllenhali et Sahlbergi l. c.

---

## 26. Eristhetus Knoch. Mannerh. Sahlb. Evaesthetus (immerito).

Grav. Monogr. Micr. Gyll. Dej. Zett. (Fn. Lapp.)

*Corpus* minutissimum, gracile, lineare, convexiusculum, confertissime punctulatum. Caput magnum. Oculi prominuli. Thorax subcordatus. Antennae brevissimae, articulis tribus ultimis crassioribus. *Color* piceus. *Motus* haud celer. *Habitatio* in humidis et sub cortice arborum, tempore autumnali; per regionem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* adhuc non extricata. (Spec. Scand. 1.)

**1. E. scaber**: subnitidus nigro-piceus, capite dilutiori, ore, antennis capite parum longioribus, segmentorum ventralium marginibus, ano pedibusque rufo-testaceis, thorace rotundato-cordato, dorso bifoveolato. (Long. 1 lin.)
Grav. Mon. Micr. 202. 1. Gyll. Ins. Sv. 2. 462. 1. Dej. Catal. p. 25. Ahrens. Fn. Europ. Fascic. 7. fig. 13. Zett. Fn. L. 1. 92. 1. *Stenus bipunctatus* Ljungh. Web. Arch. 1. 1. 68. 9.
Hab in Lapponia rarius; ad Karesuando Lapponiae Tornensis d. 15. Aug. a me lectus, simillimus illi, quem ipse primus inveni. Clariss. Ljungh e Smolandia mecum benigne communicavit. Minutus, vix ultra lineam longus. (Lapp.-Finlandia, Westrogothia; Smolandia rar.)

---

## 27. Boreaphilus.

Sahlb. Ins. Fenn.

*Corpus* parvum, postice dilatatum, statura Anthophagis subsimile. Caput orbiculatum, subexsertum. Palpi anteriores 4-articulati, articulo tertio clavato, ultimo parvo subulato. Antennae subfiliformes, extrorsum paullo crassiores. *Color* piceus. *Motus* —. *Habitatio* ad littora lacuum Lapponiae septentrionalis. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 1, nostra.)

**1. B. Henningianus**: „piceus punctulatus, parce pubescens, ore, antennis pedibusque testaceis, segmentorum ventralium marginibus abdomineque supra piceo-nigris, abdomine ovato, lateribus elevato-marginatis." Sahlb. (Long. 1⅔ lin.)
Sahlb. Ins. Fenn. 433. 1.
Hab. in Lapponia boreali rarissime. In littore lacus Mandujervi ad domicilium Pastoris Utsjockensis, sub quisquiliis tria specimina die 9. Aug. 1830, legit Ferd. Sahlberg, fil., teste l. c. Dom. Prof. Sahlberg, cujus quoque diagnosin transscripsi insecti valde memorabilis, quod mihi nunquam invenire, ne quidem videre contigit. (Lapponia, maxime septentrionalis.)

---

## 28. Oxytelus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 145. Grav. Gyll. Dej. *Staphylinus* Fabr. *Bledii* et *Platystethi* spec. Mannerh.

*Corpus* parvum, lineare. Caput validum, collo distincto. Thorax semiorbiculatus, postice rotundatus, dorso canaliculatus. Antennae extrorsum crassiores. Tibiae extrorsum crassiores, spinulis ciliatae. *Color* nigro-piceus, rufescens, subnitidus. *Motus* haud celer; interdum volatus. *Habitatio* in stercoratis et quisquiliis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in externis vix detegenda. (Spec. Scand. 22.)

**1. O. carinatus**: punctatus niger, ore, antennarum extrorsum crassiorum medio, pedibusque rufo-piceis, thorace transverso, antice latiori, lateribus immarginatis crenulato, dorso sulcis tribus alternatim attenuatis. (Long. 1⅔ lin.)
Grav. Monogr. Micr. 187. 5. Gyll. Ins. Sv. 2. 452. 8. Dej. Catal. p. 25. Zett. Fn. Lapp. 1. 92. 1. *Staphylinus carinatus* Panz. Fn. 57. f. 24.
Hab. sub lapidibus et in fimetis Lapponiae sylvaticae, borealis rarius, meridionalis passim; major in hoc genere, magnitudine tamen variat. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. O. piceus:** punctulatus niger, ore, antennarum extrorsum crassiorum basi, elytris pedibusque testaceis, thorace transverso, lateribus rotundato marginato integerrimo, dorso sulcis tribus aequalibus. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 190. 6. GYLL. Ins. Sv. 2. 454. 9. a. DEJ. Catal. p. 25. ZETT. Fn. Lapp. 1. 93. 2.

Var. b. elytris piceis.

GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. *Staphyl. piceus* LINN. Syst. Nat. 2. 686. 25. FABR. Eleut. 2. 601. 67. PANZ. Fn. 27. f. 14.

Hab. in stercore bovino per partem sylvaticam Lapponiarum omnium tempore vernali, passim; sed supra Juckasjervi et Karesuando eum non vidi, nec in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque inveni; medius, praecedente minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. O. nitidulus:** evidenter punctatus niger, ore pedibusque testaceis, elytris rufo-piceis, thorace brevi transverso, lateribus rotundato integerrimo, dorso sulcis tribus sub-linearibus. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 186. 4. PANZ. Fn. 104. f. 13. GYLL. Ins. Sv. 2. 458. 12. DEJ. Catal. p. 25. ZETT. Fn. Lapp. 1. 93. 3.

Hab. in stercoratis Lapponiae rarissime; minutissimus, vix ultra dimidium lineae longus. (Lapp.-Suecia media freq. — Scan. rar.)

**4. O. caelatus:** nigro-piceus, ore, pedibus anoque rufo-testaceis, elytris confertim punctatis piceis, thorace nigro transverso, convexo, marginato, subtilissime punctulato, punctis versus latera profundis crebrioribus, dorsoque foveis duabus arcuatis. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

Var. a. capite magno, quam thorax majori latiori, mandibulis elongatis; forte *Mas.*

GYLL. Ins. Sv. 2. 459. 13. ZETT. Fn. L. 1. 93. 4. a. ♂.

Var. b. capite quam thorax minori angustiori, mandibulis minus elongatis; forte *Femina.*

GYLL. l. c. descr. var. ZETT. l. c. var. b. ♀.

Hab. in quisquiliis Lapponiae passim; ad Kengis utramque varietatem d. 22. Aug. frequentiorem vidi. (Lappon.-Scan. rar.)

Magnitudo variat; plerumque *Oxyt. piceo* paullo minor. Antennae crassae subfiliformes pilosae fusco-nigro-piceae, basi saepe rufescentes, articulo primo crasso, supra plerumque linea abbreviata nigra.

**5. O. cornutus:** obsolete punctulatus niger, ore tarsisque rufo-piceis, fronte cornubus duobus porrectis, thorace brevissimo unisulcato. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

GRAV. Monogr. Micr. 195. 10. GYLL. Ins. Sv. 2. 450. 6. *Oxyt. morsitans* DEJ. Catal. p. 25. ♂. ZETT. Fn. Lapp. 1. 94. 5.

Hab. in Lapponia DD. SANMARK et DAMMERT, teste Prof. SAHLBERG, mihi in Lapponia non obvius. (Lappon.-Fennia —?)

*Oxyt. piceo* paullo minor. Hic vix alter sexus est *Oxyt. morsitantis* GYLL. qui paullo minor, evidenter punctatus, capite magno mutico in Scania et Ostrogothia frequenter occurrit, ubi *Oxyt. cornutus* adhuc non est inventus.

**6. O. fuliginosus:** subtilissime punctulatus subnitidus nigricans, pedibus testaceis, antennis elytrisque fusco-piceis, thorace subcordato, obsoletissime bifoveolato. (Long. 1 lin.)

GRAV. Mon. Micr. 102. 1. GYLL. Ins. Sv. 2. 460. 15. SAHLB. Ins. Fenn. 418. 18.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Wittangi Lapp. borealis 14. Jun. 1821, et ad Lycksele 30. Maj. 1832 duo specimina inveni. (Lappon.-Fennia-Suecia rar.)

**7. O. Talpa:** subopacus niger, ore, apice antennarum tarsisque fusco-ferrugineis, elytris caerulescentibus nitidis punctatis, thorace obsoletissime punctato canaliculatoque. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 448. 4. AHRENS. Fn. Eur. fasc. 11. Tab. 3.

Hab. in Lappon. Tornensi D. FRIGELIUS. (Lapp. Ostrogoth. ad Wadstena-Smoland. rar.)

**8. O. morsitans:** crebre et evidenter punctatus nitidus niger, ore, tibiis tarsisque testaceis, capite magno mutico, striga verticis transversa, sulculo abbreviato et fovea frontis profunde excavatis, thorace brevissimo, antice latiore, unisulcato. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 108. 9. GYLL. Ins. Sv. 2. 451. 7. SAHLB. Ins. Fenn. 411. 6.

Hab. in Lappon. Tornensi D. FRIGELIUS. (Lapp.-Scan. freq.)

**9. O. lapponicus:** omnium subtilissime punctulatus subnitidus niger, antennarum medio, genubus, tibiis tarsisque testaceis, capitis vertice bistrigulato, thorace brevi obsoletissime unisulcato; elytris fuscis. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 2. Jun. 1832 unicum individuum inveni. (Lappon. meridion.)

Similis et affinis videtur *Oxyt. nitenti* SAHLB. Ins. Fenn. 413. 9., sed differt ab illo antennarum elytrorumque colore, ore nigro, et capite praeter strigulas 2 verticis omnino laevi, nec binodulo.

---

## 29. Lomechusa.

GRAV. Mon. Micropt. GYLL. DEJ. *Dinardae* spec. LEACH. et MANNERH.

*Corpus* parvum, breve, latum, crassiusculum. Caput parvum, intrusum. Thorax transversus, disco canaliculatus, lateribus elevato-marginatus, postice sinuatus. *Color* rufo-brunneus subopacus. *Motus* celer. *Habitatio* sub cortice arborum et sub lapidibus, in societate cum formicis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 6, genus naturale formantes.)

**1. L. strumosa:** fusco-rufescens subopaca, elytris brevibus testaceis, antennis dimidio corpore longioribus subsetaceis, thoracis elytrorumque angulis posticis parum prominulis. (Long. 3 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 437. 1. SAHLB. Ins. Fenn. 403. 1.

Hab. sub lapidibus tempore vernali in Lapponia meridionali rarissime. (Lappon.-ad Wiffta et Mehede Medelpadiae d. 15. Maj. passim; — Finlandia-Suec. media, rar.)

**2. L. inflata:** parum punctata, fusco-rufescens, antennis subfiliformibus, thoracis lateribus incrassatis, elytris pedibusque saturate rufo-testaceis, thoracis elytrorumque angulis posticis prominulis.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 95. 1.

Hab. in Lapponia rarissime; sub cortice *Betulae albae* emortuae et trunco perforatae unicum specimen in societate cum *Formica rufa* ad Wittangi Lapponiae Tornensis, initio mensis Junii inveni. (Lapponia.)

*Lomech. strumosae* similis et affinis, sed differt: antennis dilutioribus, thoracis lateribus magis incrassatis, disco obscuriori, et quod duplo minor et ultra, *Lom. paradoxae* aequalis. Caput parvum, nigrum laeve, fronte foveata. Os rufescens. Antennae elongatae rufo-ferrugineae, articulo 1 crassissimo, 2 brevissimo, 3 longiori, obconicis, 4—10 nodiformibus, remotis, subaequalibus, ultimo elongato, angustiori, conico, acuto. Thorax fere ut in *Lom. strumosa* formatus, scilicet brevis transversus, postice in medio productus, utrinque sinuatus, angulis subrectis, minime prominulis; supra discum depressus inaequalis, vix canaliculatus, margine antico et postico parum, lateralibus valde elevatis, et his etiam incrassatis; fusco-piceus nitidus, lateribus ferrugineo-testaceis, opacis; totus parce et obsoletissime punctulatus, subpilosus. Elytra, abdomen et pedes omnino ut in *Lom. strumosa* etiam quoad pubescentiam.

**3. L. dentata:** confertissime rugoso-punctata, subopaca nigra, thoracis emarginati lateribus, elytris pedibusque rufo-brunneis, angulis spinosis, antennis brevibus, extrorsum crassioribus. (Long. $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 181. 4. GYLL. Ins. Sv. 2. 441. 4. *Dinarda dentata* MANNERH. Brachel. 65. 1.

Hab. sub cortice truncorum et sub lapidibus, plerumque in societate cum formicis, in Lapponia meridionali rarissime. (Lappon.-Helsingia pluribus locis, speciatim ad Glosbo, d. 17. April — 2. Maj., DD. BOHEMAN et ROSENSCHÖLD. — Ostrogothia ad Lärketorp die 17. Jul. 1835 D. DAHLBOM. — Nullibi vero vulgaris occurrit.)

---

## 30. Aleochara.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 151. GRAV. GYLL. DEJ. SAHLB. *Staphylinus* Fabr.

*Corpus* exiguum, elongato-lineare, interdum latius, subdepressum, polymorphum. Antennae plerumque extrorsum crassiores. Tibiae tenues, inermes. *Color* obscurus, nigricans, rufescens. *Motus* celerrimus. *Habitatio* sub lapidibus, cortice arborum, in stercore, fungis etc.; vix partem sylvaticam Lapponiae versus alpinam transgrediens. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 117.)

*Phalanx I. Caput sessile (collo nec latissimo nec tenuissimo sed mediocri a thorace remoto thorace angustius vel aequale.*

Tribus I. Thorax subquadratus, parum scilicet longior quam latus, angulis rotundatis. *Bolitochara* MANNERHEIM.

*Subdiv.* 1. Thorax depressus, dorso magis vel minus canaliculato. *Drusillae* spec. MANNERH.

**1. A. canaliculata**: confertissime punctata, obscure rufo-brunnea, antennis extrorsum fuscis, pedibus testaceis, capite abdominisque cingulo nigris, thorace obovato, foveato canaliculatoque. (Long. 2 lin.)

Var. a. thoracis dorso late foveolato.

GRAV. Mon. Micr. 148. 1. GYLL. Ins. Sv. 2. 391 14. DEJ. Catal. p. 28 ZETT. Fn. Lapp. 1. 96. 1. a. *Staphylin. canaliculatus* FABR. Eleut. 2. 599. 52 PANZ. Fn. 27. f. 13.

Var. b. thoracis dorso canaliculato, fovea antescutellari angusta

GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b.

Hab. utraque varietas sub lapidibus et muscis, tempore praesertim vernali, per totam partem sylvaticam omnium Lapponiarum frequens; domicilium sub cortice Pinuum emortuarum haud raro quoque quaerens; etiam ipso mens. Septemb. capta. Supra Juckasjervi et Karesuando a me parcissime visa, et in alpinis vel subalpinis regionibus nunquam. Inter majores sui generis, *Oxytelo piceo* subaequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. A. angustula**: subtilissime punctulata subnitida nigra, ore antennarumque basi rufo-ferrugineis, elytris obscure testaceis, pedibus pallidis, fronte impressa, thorace obsolete canaliculato. (Long. $1\frac{1}{6}$ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 393. 16. DEJ. Catal. p. 28. ZETT. Fn. Lapp. 1. 97 2

Hab. sub lapidibus, etiam in fungis, passim; ad Juckasjervi et ad Cataractam Meraslinka Lapponiae Tornensis mens. Junio eam praesertim legi; praecedente triplo vel quadruplo minor. (Lappon.-Ostrogothia pass.)

**3. A. elongatula**: creberrime subtilissime punctulata subopaca nigra, antennis longioribus extrorsum crassioribus elytrisque fusco-piceis, ano, marginibus segmentorum ventralium pedibusque flavis, thorace subquadrato, foveola antescutellari impresso. (Long. $1\frac{1}{8}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 153. 18. GYLL. Ins. Sv. 2. 396. 18. DEJ. Catal. p. 28. ZETT. Fn. Lapp. 1. 97. 3.

Var. b. nigrior, segmentorum ventralium marginibus concoloribus.

GYLL. l. c. var. b. SAHLB. Ins. Fenn. 359. 25. var. b.

Hab. cum praecedente, qua paullo minor, rarius in Lapponia, var. b. ibi frequentior, test. D. SAHLBERG. l. c. (Lapp.-Westrogothia.)

**4. A. borealis**: subtiliter punctulata, pubescens, nitida nigra, tarsis piceo-ferrugineis, thorace postice subangulato-rotundato. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

SAHLB. Ins. Fenn. 361. 29.

Hab. in Lapponia rarissime, FERD. SAHLBERG, teste D. SAHLBERG l. c. (Lapponia borealis.)

Magnitudo et statura *A. atrae* GYLL., sed ab hac et ceteris thoracis forma imprimis distincta. Antennae thorace longiores." SAHLB.

**5. A. quisquiliarum**: crebre punctulata nitida, sericeo-pubescens nigra, antennis extrorsum sensim crassioribus, basi, pedibusque testaceis, elytris anoque piceis, thorace obsolete canaliculato postice angustiori. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 398. 20. ZETT. Fn. Lapp. 1. 97. 4.

Hab. in stercoratis Lapponiae tempore autumnali passim frequens, ex. gr. ad Karesuando; etiam sub cortice Pini ad Wittangi d. 13. Jun.; *A. elongatula* paullo major. (Lapp.-Scan. freq.)

*Subdiv.* 2. Thorax convexiusculus, aequalis aut foveola ante scutellum impressus.

**6. A. collaris**: profundius punctata nitida, rufo-testacea, capite, antennis a basi ultra medium, elytris, pectore anoque nigris, thorace foveola ante scutellum impresso. (Long. 2 lin.)

GRAV. Mon. Micr. 72. 6. var. GYLL. Ins. Sv. 2. 385. 8. SAHLB. Ins. Fenn. 348 6.

Hab. sub lapidibus, ad Muonioniska Lapponiae Tornensis D. FERD. SAHLBERG rarius; in fungo Betulae ad Tresunda Lapponiae Umensis d. 12. Jul., ipse.

**7. A. lunulata**: crebre punctulata subnitida rufo-testacea, pedibus pallidis, capite, antennarum medio, elytrorum disco posteriori abdominisque cingulo fusco-nigris, thorace foveola antescutellari. (Long. $1\frac{2}{3}$ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 386. 9. ZETT. Fn. Lapp. 1. 97. 5. *Staphylinus lunulatus* PAYK. Fn. 3. 415. 61. *Aleochara cincta* GRAV. Mon. Micr. 166. 46.

Hab. in fungis autumnalibus, Coll. D. KOLSTRÖM, mihi non nisi ad Wilhelmina et Naestansjoe, Lapponiae Umensis, 13—17. Jul. obvia; magnitudine vix *Aleoch. canaliculatae.* (Lappon.-Scania freq.)

**8. A. coracina**: punctulata subpubescens nitida nigra, tibiis piceo-ferrugineis, tarsis pallidis, antennarum articulo elongato, thorace subquadrato, foveola antescutellari impresso. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

SAHLB. Ins. Fenn. 350. 10.

Hab. in Lapponia rarissime, F. SAHLBERG, test. Prof. SAHLBERG l. c. Magnitudo et statura *A. aterrimae* GYLL. (Lappon. borealis.)

**9. A. circellaris**: crebre punctulata subnitida rufo-testacea, elytris pedibusque pallidioribus, capite abdominisque medio piceis, antennis extrorsum subcrassioribus, thorace foveola antescutellari. (Long. 1 lin.)

GRAV. Mon. Micr. 155. 22. GYLL. Ins. Sv. 2. 387. 10. DEJ. Cat. p. 28. ZETT. Fn. Lapp. 1. 98. 6.

Hab. sub cortice Pini in fungis et sub lapidibus per partem sylvaticam Lapponiarum omnium passim; minuta, vix lineam longa, angusta, gracilis. (Lapp.-Scan. freq.)

**10. A. teres**: subtilissime punctulata nitida nigra, ore antennisque extrorsum multo crassioribus, fusco-ferrugineis, elytris longioribus piceis, pedibus obscure testaceis, thorace foveola antescutellari obsoleta. (Long. $\frac{7}{8}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 155. 20. GYLL. Ins. Sv. 2. 390. 13. ZETT. Fn. Lapp. 1. 98. 7.

Hab. in fungis et sub cortice truncorum putridorum Pini, per partem sylvaticam Lapponiae, passim; ad Wittangi et Kolare a me praesertim lecta; magnitudine, statura et affinitate praecedentis. (Lapp.-Scan. rar.)

**11. A. reptans**: creberrime punctulata subnitida nigra, ore, antennis extrorsum multo crassioribus, articulo ultimo subgloboso, elytris anoque rufo-testaceis, pedibus pallidis, thorace fusco pubescente, fovea antescutellari nulla. (Long. 1 lin.)

GRAV. Mon. Micr. 154. 19. GYLL. Ins. Sv. 2. 389. 12. ZETT. Fn. Lapp. 1. 98. 8.

Hab. in fungis; sub cortice Betulae cum formicis etiam capta in Lapponia rarius tempore verno; affinis praecedenti, ejusque magnitudine, sed differt: elytris paullo brevioribus, thorace non foveolato et colore alio. (Lapp.-Westrog. pass.)

Tribus II. Thorax transversus, multo brevior quam latus, angulis saepissime rotundatis.

*Subdiv* 1 Thorax depressus, dorso magis vel minus foveolato aut canaliculato. *Bolitochara* MANNERH.

**12. A. humeralis**: creberrime punctulata, pubescens rufo-ferruginea, elytris fuscis, basi pedibusque testaceis, capite abdominisque cingulo postico piceo-nigris, thorace depresso, inaequali, postice angulato. (Long. fere $2\frac{1}{4}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 169. 50. GYLL. Ins. Sv. 2. 399. 21. var. ZETT. Fn. Lapp. 1. 99. 9.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae rarissime; sub lapidibus in littore maris ad Evenas juxta Ofotenfjord d. 17. Jul. a me inventa; in hoc genere magna, *Aleoch. canaliculata* duplo major et ultra. (Lapp.-Scan. rar.)

**13. A. limbata**: creberrime punctulata, pubescens rufo-ferruginea, elytrorum disco posteriori obscuro, limbo pedibusque testaceis, capite abdominisque cingulo postico piceo-nigris, thorace fusco convexiusculo, foveolato, postice rotundato. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 167. 48. GYLL. Ins. Sv. 2. 400. 22. DEJ. Catal. p. 28. ZETT. Fn. Lapp. 1. 99. 10.

Hab. sub lapidibus verno tempore, in Lapponia rarius; priori similis, sed certe ab illa distincta; media, *Aleoch. canaliculata* non longior, sed paullo latior. (Lapp.-Scan. freq.)

**14. A. socialis**: parum punctulata, nitida nigra, ore antennisque crassiusculis, basi, piceis, elytris subquadratis testaceis, angulis apicis scutellique regione fuscis, pedibus pallidis, thorace foveola antescutellari obsoleta. (Long. $1\frac{1}{8}$ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 406. 28. ZETT. Fn. Lapp. 1. 99. 11. *Staph. socialis* PAYK. Fn. 3. 407. 51. *Aleochara Boleti* GRAV. Mon. Micr. 156. 23. DEJ. Catal. p. 28.

Var. b. antennis basi testaceis.
GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b.
Hab. in fungis, stercore et succo destillante arborum, in Lapponia passim; minuta, vix ultra lineam longa. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Nulla necessitate mutationis nominis veteris in novum urgente, GRAVENHORSTI et DEJEANI rejeci, originarium PAYKULLI restitueus.

**15. A. atramentaria:** creberrime punctulata pilosa, subaeneo nitida, tota nigra, pedibus piceis, antennis brevibus, crassiusculis. (Long. $\frac{5}{6}$ lin.)
GYLL. Ins. Sv. 2. 408. 30. ZETT. Fn. Lapp. 1. 100. 12. SAHLB. Ins. Fenn. 373. 51.
Hab. sub lapidibus in Lapponia boreali, passim; ad Wittangi 13. Jun. a me lecta; sociali similis, paullo minor, antennis brevioribus, punctura et colore distincta. (Lapp.-Scan. pass.)

**16. A. aenescens:** subtilissime punctulata, subpilosa, nitida, aenescenti-nigra, antennis breviusculis, extrorsum paullo crassioribus, abdomine pedibusque nigris, tarsis piceis. (Long. $\frac{5}{6}$ lin.)
Hab. in stercoratis; ad Lycksele d. 24. Jun. passim lecta (Lappon. meridionalis).
Simillima *A. atramentariae*, sed differt thorace elytrisque subaenescentibus glaberrimis; pedibus nigris, tarsis tantum fusco-testaceis. Antennae pubescentes. Abdomen pilis rarioribus obsitum. Foveola antescutellaris parva obsoleta in thoracis postico impressa.

**17. A. atrata:** brevis lata depressa subnitida nigra, antennis longitudine thoracis pedibusque fuscescentibus, tibiis tarsisque dilutioribus, thorace brevissimo, ante scutellum obsolete foveolato. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.)
SAHLB. Ins. Fenn. 375. 54. a. *Bolitochara atrata* MANNERH. Brachel. 82. 45.
Var. b. ore elytrisque fusco-testaceis, pedibus totis pallidioribus, thorace haud foveolato.
Hab. var. a. in Fennia; var. b. in Lapponia boreali, ubi a D. F. SAHLBERG lecta fuit. (Lappon. var. b.)

**18. A. sericans:** creberrime punctulata nitida nigra, flavescenti-sericans, antennis crassiusculis elytrisque subquadratis piceo-ferrugineis, ano pedibusque testaceis, thorace obsolete canaliculato. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)
GRAV. Mon. Micr. 159. 28. GYLL. Ins. Sv. 2. 404. 26. ZETT. Fn. Lapp. 1. 100. 13.
Hab. sub muscis, ad Wittangi Lapponiae d. 13. Jun. capta. (Lapp.-Scan. pass.)
*Aleocharae quisquiliarum* simillima, sed thorax multo brevior et aliter constructus, antennaeque breviores, crassiores.

**19 A. longicornis:** brevior, creberrime punctulata, pilosa nitida nigra, elytris anoque fusco-piceis, pedibus testaceis, antennis longis, crassiusculis, basi fusco-ferrugineis, extrorsum obscurioribus. (Long. $1\frac{1}{6}$ lin.)
GRAV. Mon. Micr. 87. 29. GYLL. Ins. Sv. 2. 405. 27. ZETT. Fn. Lapp. 1. 100. 14.
Hab. in stercore, sub lapidibus et in succo destillante Betulae in Lapponia passim, ad Wittangi medio mensis Junii frequens. Priori similis et affinis, sed dimidio minor, brevior, longius pilosa, antennisque longioribus distincta. (Lapp.-Scan. freq.)

**20. A. moesta:** brevior, creberrime punctulata, pilosiuscula nitida nigra, elytris nigricantibus, pedibus testaceis, femoribus anoque fusco-piceis, antennis longis, crassiusculis. (Long. 1 lin.)
ZETT. Fn. Lapp. 1. 101. 15. *A. aterrima* GRAV. Mon. Micr. 162. 33. SAHLB. Ins. Fenn. 368. 42. *A. longicornis* var. b. GYLL. Ins. Sv. 2. 405. 27.
Hab. in stercore et sub lapidibus Lapponiae passim mens. Majo et Junio, ad Karungi et Wittangi frequentius visa. (Lapp.-Scan. freq.)
Praecedenti simillima, sed differt thorace paullo magis depresso, elytris totis nigris, segmentis ventralibus vix dilutius marginatis, et corpore minus piloso.

**21. A. macilenta:** creberrime punctulata, subnitida fusconigra, elytris quadratis pedibusque fusco-testaceis, antennis mediocribus, thorace obsolete canaliculato. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.)
SAHLB. Ins. Fenn. 371. 47. (ubi etiam ratio mutationis nominis indicatur.) *A. pygmaea* ZETT. Fn. Lapp. 1. 101. 16.
Hab. sub cortice Betulae rarissime, ad Muonioniska d. 17. Aug. capta. (Lapp.-Westrogothia pass.)
Pusilla, *Al. sociali* minor, *Al Fungi* subaequalis. Caput thorace paullo angustius, subtilissime punctulatum nitidum nigrum, ore fusco-testaceo. Antennae thorace parum longiores, pubescentes, graciles, extrorsum paullo crassiores, totae nigrae. Thorax longitudine paullo latior, supra depressus, niger, parum nitidus, vix pubescens, creberrime punctulatus, in medio baseos foveola parva, obsoleta. Elytra subquadrata, tenuiter pubescentia, subtilissime punctulata, testacea. Corpus fusco-nigrum, pubescens. Pedes pallide testacei.

**22. A. fusca:** brunneo-fusca, nitida, crebre punctulata, sericeo-pubescens, capite abdomineque nigris, thorace obsolete canaliculato, antennis longis filiformibus testaceis. (Long. $1\frac{1}{6}$ lin.)
SAHLB. Ins. Fenn. 371. 48.
Hab. in Lapponia rarissime, ibique unicum legit specimen F. SAHLBERG, test. Prof. SAHLBERG l. c. (Lappon. borealis.) *A. longicorni* statura sat similis.
*Obs.* Plura specimina varietatis obscurioris *Al. macilentae*, pedibus scilicet elytrisque fuscis, in Westrogothia capta mecum communicavit Ill. GYLLENHAL, a quo etiam individuum thorace fovea magna profunde impressa in medio missum fuit. An *Al. excavata* GYLL. et SAHLB.?

*Subdiv.* 2. Thorax subconvexus aequalis saepissime absque dorsi foveola vel canalicula. Species minutissimae individuis plerumque vix 1 lineam longis. *Fungicolae*, *Gyrophaenae* spec. MANNERH.

**23. A. elegantula:** lineari-elongata, nitida rufa, capite, thoracis disco abdominisque cingulo nigro-piceis, thorace elytris apice emarginatis angustiore, basi foveolato, antennarum articulo ultimo ovato. (Long. $1\frac{1}{6}$ lin.)
SAHLB. Ins. Fenn. 377. 57. certe. *Bolitochara elegantula* MANNERH. Brachel. 83. 49.
Hab. in Lapponia Umensi rarissime; unicum individuum ejusdem verae ad Lycksele d. 25. Jun. 1832 inveni. (Lapponia meridionalis; Finlandia ad Willnäs, Com. a MANNERH. - Sub cortice Pini ad Sveg in Sueciae Herjeådalen d. 8. Maj., BOHEMAN.)

**24. A. fuscula:** brevis, creberrime punctulata vix pubescens, obscura nigra, antennis thorace paullo longioribus nigerrimis, pedibus fusco-testaceis. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.)
SAHLB. Ins. Fenn. 379. 60. *Bolitochara fuscula* MANNERH. Brachel. 84. 54.
Hab. in Lapponia D. FERD. SAHLBERG. (Lapp. borealis - Fennia ad Willnaes et Petropoli D. Com. a MANNERHEIM, ad Helsingfors jam Prof. SAHLBERG.)

**25. A. Fungi:** brevis, creberrime punctulata, tenuiter pubescens, nitida nigra, antennis longioribus extrorsum parum crassioribus pedibusque testaceis, elytris piceis. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.)
GRAV. Mon. Micr. 157. 24. GYLL. Ins. Sv. 2. 410. 32. DEJ. Catal. p. 27. ZETT. Fn. Lapp. 1. 102. 17.
Var. c. omnibus partibus dilutior, forte junior.
ZETT. l. c. var. b.
Hab. in fungis et sub muscis per partem sylvaticam Lapponiae passim; ad Wittangi, ad Muonioniska a me frequenter lecta; *Aleoch. sociali* fere dimidio minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**26. A. Pumilio:** brevis lata, creberrime punctulata, tenuissime pubescens, subopaca nigra, antennis brevibus crassiusculis elytrisque piceis, pedibus testaceis, thorace brevissimo, postice sinuato. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.)
GRAV? Mon. Micr. 175. 70. GYLL. Ins. Sv. 2. 411. 33. ZETT. Fn. Lapp. 1. 102. 18.
Hab. in Lapponiae fungis rarius; praecedente brevior, sed latior, obtusa. (Lapp.-Scania pass.)

**27. A. nana:** brevis, elytris confertim, thorace parcissime punctulatis, nitida nigro-picea, antennis extrorsum subcrassioribus, thoracis limbo, elytris, abdominis basi pedibusque pallide testaceis, thorace brevissimo postice late marginato. (Long. $\frac{1}{4}$ lin.)
GYLL. Ins. Sv. 2. 414. 36. DEJ. Catal. p. 28. ZETT. Fn. Lapp. 1. 102. 19. *Staph. nanus* PAYK. Fn. 3. 408. 52.
Var. b. pallide testacea, capite nigro, elytrorum angulo exteriori abdominisque cingulo postico nigro-fusco.
GRAV. Mon. Micr. 176. 72. GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b.
Hab. in fungis Lapponiae passim; *Aleoch. Fungi* minor, brevior. (Lapp.-Scan. freq.)

**28. A. alternans:** elongata, confertissime punctulata, tenuiter pubescens, nitida rufo-testacea, capite nigro, elytrorum angulo exteriori, pectore abdominisque cingulo postico fusco-piceis, antennis extrorsum subcrassioribus. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)
GRAV. Mon. Micr. 163. 38. GYLL. Ins. Sv. 2. 419. 41. DEJ. Catal. p. 28. ZETT. Fn. Lapp. 1. 103. 20. *Staph. melanocephalus* PAYK. Fn. 2. 416. 63.
Hab. in Lappon. fungis tempore autumnali rarius. *Aleoch. Fungi* duplo major, praesertim longior, colore *Al lunulatae* similis, sed dimidio minor et alia. (Lapp.-Scan. freq.)

*Phalanx II. Caput retractum, thorace multo minus et in ipsum intrusum, collo inconspicuo aut nullo. Thorax brevis convexiusculus, anterius angustior.*

*Subdiv.* 1. Antennae longiores tenues. Corpus subtilissime punctulatum. *Oxypoda.* MANNERH.

**29. A. opaca**: pubescens opaca fusco-nigricans, antennis subfiliformibus basi, segmentorum ventralium marginibus, ano pedibusque ferrugineis, elytris piceis, fovea antescutellari nulla.

GRAV. Mon. Micr. 163. 41. GYLL. Ins. Sv. 2. 423. 45. DEJ. Catal. p. 27.

Hab. in fungis terrestribus versus autumnum, in Lapponia rarius, ad Karesuando et Kengis a me parce lecta; parva, circiter $2\frac{1}{3}$ lin. longa. (Lapp.-Scan. pass.)

**30. A. lateralis**: punctulata, pubescens nigra, antennis thorace longioribus, harum basi, thoracis lateribus, humeris, marginibus segmentorum ventralium pedibusque rufo-testaceis. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

SAHLB. Ins. Fenn. 391. 81. *Oxypod. lateralis* MANNERH. Brachel. 70. 7. vera.

Hab. in Lapponia rar.; e Lapp. Tornensi a D. FRIGELIO mihi communicata; ad Muonioniska D. F. SAHLBERG legit. (Lappon. borealis; — in fungis Finlandiae rar. MANNERH.)

**31. A. brevicollis**: tenuiter pubescens subnitida nigra, antennarum filiformium articulo primo tarsisque rufis, thoracis disco antico subelevato, elytris opacis granulatis. (Long. 2 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 425. 47. ZETT. Fn. Lapp. 1. 103. 22. *Staphyl. brevicollis* PAYK. Fn. 3. 398. 40. *Aleoch. excisa* GRAV. Mon. Micr. 172. 66. DEJ. Catal. p. 27.

Hab. in Lapponia rarissime, in palude ad Juckasjervi d. 24. Jun. semel a me capta; inter majores generis, *Aleoch. humerali* parum minor. (Lappon.; Smoland. et Scan. pass.)

*Obs.* Mutationis nominis trivialis primarii a D. D. GRAVENH. et DEJEANO factae, nullam perspicio rationem, unde Paykullianum originarium et bonum, sancte, uti decet, retinui.

**32. A. dubia**: brevis, sericeo-pubescens, opaca nigra, ore, antennarum basi, pedibus anoque ferrugineis; thorace convexo aequali; abdomine conico, piloso. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 173. 67. GYLL. Ins. Sv. 2. 426. 48. SAHLB. Ins. Fenn. 395. 85. *Gymnusa dubia* MANNERH. Brachel. 66. 2.

Hab. in Lapponia rarissime; ibi unicum specimen a D. F. SAHLBERG lectum. (Lappon. borealis; Suecia rariss., ex. gr. in Smoland., - Scania ad Lund semel a me inventa.)

*Subdiv.* 2. Antennae breves crassiusculae. Elytra brevissima. Corpus fortius punctatum. Habitatio in cadaveribus, stercoratis et fungis. *Aleochara* MANNERH.

**33. A. bipunctata**: creberrime punctata, tenuiter pubescens, nitida atra, elytrorum macula apicali, ano segmentorumque ventralium marginibus rufis, pedibus testaceis, antennis medio subcrassioribus, basi piceis. (Long $1\frac{1}{2}$ lin.)

GRAV. Mon. Micr. 171. 61. GYLL. Ins. Sv. 2. 430. 52. DEJ. Catal. p. 27. ZETT. Fn. Lapp. 1. 104. 23.

Hab. in Lapponia forte rarissime, Coll. D. KOLSTRÖM; mihi non obvia; media. (Lapp.-Scan. freq.)

**34. A. carnivora**: crebre punctulata, tenuiter pubescens, nitida atra, segmentorum ventralium marginibus anguste, pedibusque rufo-piceis, antennis extrorsum crassioribus, basi rufis. (Long. 2 lin.)

GRAV. Mon. Micr. 171. 60. GYLL. Ins. Sv. 2. 431. 53. DEJ. Catal. p. 27. ZETT. Fn. Lapp. 1. 104. 24.

Hab. in Lapponia rarius; praecedente fere major, antennis longioribus, elytris subopacis, confertissime rugoso-punctatis etc. distincta. (Lappon.-Scan. pass.)

**35. A. villosa**: sublinearis, creberrime punctata, opaca nigra, pube brevi fusca undique tecta, antennis thorace longioribus, basi pedibusque piceis. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.)

MANNERH. Brachel. 67. 9. SAHLB. Ins. Fenn. 399. 94.

Hab. in Lapponia rarissime, mihi non obvia, a D. F. SAHLBERG ibi inventa. (Lapp. boreal.; Finlandia passim.)

**36. A. fumata**: crebre punctata, pubescens subnitida, nigra, antennis extrorsum crassioribus fuscis, basi pallidioribus, elytris, segmentorum ventralium marginibus, ano pedibusque rufo-testaceis. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

Var. a. antennis fusco-ferrugineis, basi pallidioribus.

GRAV. Mon. Micr. 172. 64. GYLL. Ins. Sv. 2. 434. 56. DEJ. Catal. p. 27. ZETT. Fn. Lapp. 1. 105. 25. a.

Var. b. antennis fuscis, articulo primo rufescente.

GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b.

Var. c. antennis ut in var. b., elytris femoribusque fuscopiceis.

GYLL. l. c. var. c. ZETT. l. c. var. c.

Hab. in fungis terrestribus mens. Aug. in Lapponia frequens; ad Karesuando et Kengis Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele et in monte subalpino Stöttingsfjellet, Lapponiae Umensis, d. 1—2. Aug., sat copiose a me visa, et quidem ex omnibus varietatibus; *Aleoch. bipunctata* parum brevior, sed multo angustior, linearis; variat etiam dimidio, imo duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs. Aleoch. Morionem* MANNERH. et SAHLBERG, ut et plures alias species, quarum quaedam a Celeb. Auctoribus forte ut nova recensitae in operibus eorum exstant, e Lapponia meridionali 1832 mecum reportavi, sed cum individua earum una alterave parte mutilata sint, harum descriptionem hac vice omittere coactus sum potius, quam eas dubias et incertas proponere.

---

## FAM. 4. MALACODERMI. LATR.

### 31. Hylecoetus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 124. DEJ. *Lymexylon* FABR. GYLL.

*Corpus* mediocre elongatum, cylindricum. Antennae breves serratae. Thorax transversus. *Color* niger, testaceus, inconstans. *Motus* agilis. *Habitatio* in lignis; aestivalis; per partem inferalpinam Lapponiae Norvegicae. *Differentia sexus* e palporum structura et colore corporis mox detegenda. (Spec. Scand. 1.)

**1. H. Dermestoides**: discolor, pubescens, antennis thorace brevioribus; elytris punctulatis, lineis tribus longitudinalibus elevatis, obsoletis. ♂♀.

*Mas:* palporum articulo ultimo ovato, acuto, penultimo magno, appendiculato ovato, fisso; niger, elytris pedibusque testaceis, illis apice nigris.

*Fem.:* saepe major, palpis simplicibus, subfiliformibus, articulo ultimo truncato, testacea, oculis, antennarum apice, alis, pectore, abdominisque basi, nigris.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 1. 266. 1. ♂♀. SCHÖNH. Syn. 3. 44. 1. ♂♀. DEJ. Catal. p. 39. ZETT. Fn. L. 1. 106. 1. ♂♀. *Cantharis Dermestoides* LINN. Fn. Sv. 702. ♀. *Lymexylon Dermestoides* FABR. Syst. Eleut. 2. 87. 1. ♂. PANZ. Fn. 22. f. 2. ♀. GYLL. Ins. Sv. 1. 314. 1. ♂♀. *Lymex. proboscideum* FABR. Eleut. 2. 87. 3. ♂. PANZ. Fn. 22. f. 3. ♂.

Hab. in truncis arborum Alni et Betulae, in Norvegiae insulis maritimis Nordlandicis et Finmarkicis mens. Julio passim; ad Giebostad in insula Senjen et ad Alteidet ego plura specimina utriusque sexus legi. Nec alpes reformidat, et in alpe Gamstenstind eum quoque vidi; sed in Lapponia Suecica mihi non nisi ad radicem alpium Beattiksfjell Lapponiae meridionalis d. 8. Jul. ♀ rarissime occurrebat. (Lapp.-Scan. pass. rar.)

---

### 32. Lycus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 115. FABR. DEJ. SAHLB.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum, depressum. Antennae filiformes, compressae, thorace longiores. Thorax parvus, subquadratus, marginatus. *Color* ater, rufus, ardens, determinatus. *Motu* valde segnis, nisi circa tempus copulationis, tum vivacior. *Habitatio* larvarum in truncis arborum, imaginum saepe in floribus; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in emarginatura ani et antennarum proportione quaerenda. (Spec. Scand. 4.)

*Subdiv.* 1. Os rostratum. (*Lycus* Illig.)

**1. L. sanguineus**: ater nitidus, thoracis rugosi lateribus elytrisque sanguineis, his obsolete striatis, sericeo-pubescentibus. ♂♀.

*Mas:* abdominis segmento ventrali penultimo emarginato, ultimo subacuto, antennisque longitudine dimidii corporis.

*Fem.:* abdominis segmento ventrali penultimo integro, ultimo lato, obtuso, leviter emarginato, antennisque longitudine vix dimidii corporis; in copula.

FABR. Eleut. 2. 116. 29. PANZ. Fn. 41. f. 9. GYLL. Ins. Sv. 1. 320. 1. SCHÖNH. Syn. 3. 74. 32. DEJ. Catal. p. 35. ZETT. Fn. Lapp. 1. 107. 1. *Cantharis sanguinea* LINN. Fn. Sv. 704. (Diagnosis.) *Lycus rufipennis* LATR. Gen. Crust. et Ins. 1. 256. 2. (non idem FABRICII.)

Hab. in Umbellatis Lapponiae mens. Jul. et Aug. rarius; in floribus tamen Chaerophylli ad Altengaard Finmarkiae et ad Muonioniska Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele et Katisavan, Lapp. Umensis, d. 27. Jun. — 2. Aug., illum sat copiose inveni. Magnitudine variat. (Lapp.-Smol., pass. freq.)

*Subdiv.* 2. Os non rostratum. (*Homalisus* ILLIG.)

**2. L. Aurora:** niger, holosericeo-pubescens, thoracis fundo fusco, margine undique reflexo costisque elevatis coccineis, elytris sanguineis, glabris, costatis, interstitiis concinne reticulatis. ♂♀.

*Mas* et *Femina* ut in praecedente differunt; in copula capti.

FABR. Eleut. 2. 116. 30. PANZ. Fn. 41. f. 10. GYLL. Ins. Sv. 1. 321. 2. SCHÖNH. Syn. 3. 76. 36. DEJ. Catal. p. 36. ZETT. Fn. Lapp. 1. 107. 2. *Cantharis sanguinea* LINN. Fn. Sv. 704. (Descriptio.)

Hab. in truncis putridis aut exaridis Pini, mens. Jun. — Sept. in tota Lapponia sylvatica sat frequens, d. 31. Maj. — 17. Jun. in copula captus; regiones alpinas et subalpinas omnino fugit, nec longius in Lapponia quam ad Karesuando, Juckasjervi et cataractam Wackokoski (ubi abies desinit crescere Lapponiae Tornensis, nec non ad Stensele Lapponiae Umensis, hanc speciem procedentem observavi, in totius Nordlandiae Finmarkiaeque maritimis littoralibus nequaquam habitantem. Lapp.-Ostrogothia pass.)

**3. L. minutus:** niger, holosericeo-pubescens, thorace costato atro, antennarum articulo ultimo testaceo, elytris sanguineis subpubescentibus costatis, interstitiis subconfuse reticulatis. ♂♀.

*Mas* et *Femina* ut in praecedente differunt.

FABR. Eleut. 2. 117. 34. PANZ. Fn. 41. f. 11. GYLL. Ins. Sv. 1. 233. 4. SCHÖNH. Syn. 3. 75. 35. DEJ. Catal. p. 36. ZETT. Fn. Lapp. 1. 108. 3. ♂♀.

Hab. in vicinitate Lapponiae rarissime; prioribus duplo et ultra minor. (Lapp. Finlandia-Smol. rar.)

---

## 33. Cantharis.

FABR. Syst. Eleut. 58. DEJ. *Telephorus* LATR.

*Corpus* mediocre, elongatum. Palpi articulo ultimo securiformi. Antennae filiformes, thorace longiores. Elytra abdominis longitudine. *Color* nigricans, pallescens, raro rufescens, luridus. *Motus* agilis, saepe volans, praesertim tempore copulationis. *Habitatio* in herbis et foliis fruticum, per partem sylvaticam, subsylvaticam et subalpinam Lapponiae; vernalis l. aestivalis; frequenter in copula. *Differentia sexus* in ano *maris* attenuato, ultimo scilicet abdominis segmento parvo angusto, in *feminae* ano latiori, ultimo nempe segmento magno, obtuso, rotundato, semicirculari, mox detegenda. (Spec. Scand. 30, minoribus 7. [Sect. 2dae GYLL.] ad proprium genus seu subsequens relegatis, heic non computatis.)

*Subdiv.* 1. Elytris nigricantibus.

**1. C. fusca:** fusco-nigra, ore, antennarum basi, abdominis limbo thoraceque punctato, rufis, hoc macula nigra margine antico contigua. ♂♀.

*Mas:* abdominis segmentis octo, antennis dimidio corpore longioribus.

*Fem.:* abdominis segmenti. septem, antennis dimidio corpore brevioribus; in copula.

FABR. Eleut. 1. 294. 1. LINN. Fn. Sv. 700. GYLL. Ins. Sv. 1. 329. 1. SCHÖNH. Syn. 2. 60. 1. ZETT. Fn. Lapp. 1. 109. 1. ♂♀. *Telephorus fuscus* LATR. Gen. Crust. et Ins. 1. 260. 1. *Canth. antica* DEJ. Catal. p. 36.

Hab. in Lapponia mense Junio, rarius, larva in nive saepe visa; inter majores generis. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. C. rustica:** fusco-nigra, ore, antennarum basi, abdominis limbo, femoribus ultra medium thoraceque punctato, rufis, hoc macula disci discreta. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 1. 330. 2. SCHÖNH. Syn. 2. 61. 2. ZETT. Fn. L. 1. 109. 2. ♂♀. *Canth. fusca* DEJ. Catal. p. 36.

Hab. in plantis Lapponiae, mihi rarissime obvia, in reliqua Suecia frequentissima, in copula; magnitudine praecedentis. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. C. dispar:** fusco-nigra, ore, antennarum basi, abdominis limbo, femoribus ultra medium thoraceque, laevi, rufis, hoc immaculato. ♂♀.

FABR. Eleut. 1. 295. 3. GYLL. Ins. Sv. 1. 331. 3. SCHÖNH. Syn. 2 61. 3. DEJ. Catal. p. 36. ZETT. Fn. Lapp. 1. 109. 3. ♂♀.

Hab. rarius in Lapponia, in ceteris Sueciae provinciis vulgaris, in copula; praecedentibus simillima, sed paullo minor angustior, thorace laevi, immaculato distincta. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. C. nigricans:** nigro-fusca, ore, antennis, thoracis abdominisque limbo, pedibusque flavo-testaceis, femorum posticorum apice tibiisque obscuris. ♂♀.

FABR. Eleut. 1. 296. 9. GYLL. Ins. Sv. 1. 333. 6. SCHÖNH. Syn. 2. 65. 17. DEJ. Catal. p. 37. ZETT. Fn. Lapp. 1. 109. 4. ♂♀. *Canth. obscura* LINN. Fn. Sv. 706.

Hab. in Lapponia rarius; priori affinis, sed adhuc minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. C. obscura:** fusco-nigra, pedibus concoloribus, mandibulis, antennarum articulo primo subtus, thoracis lateribus abdominisque summo margine, pallidis. ♂♀.

FABR. Eleut. 1. 296. 7. (exclus. Syn. LINN. Fn.) GYLL. Ins. Sv. 1. 334. 7. SCHÖNH. Syn. 2. 64. 15. DEJ. Catal. p. 37. ZETT. Fn. Lapp. 1. 110. 5. ♂♀.

Hab. rarius in Lapponia cum praecedente, ejusque magnitudine. (Lappon. Botnia occidental. ad Nordmaling jam 25. Maj. Scan. freq.)

**6. C. lapponica:** pubescens nigra, palpis, antennarum basi pedibusque pallidis, thorace angustiori subquadrato, dorso carinato. ♂♀.

*Mas:* angustior, clypeo toto, palpis mandibulisque flavis.

*Fem.:* clypeo piceo, mandibulis palpisque testaceis, femoribus obscuris, in copula.

GYLL. Ins. Sv. 2. Add. XV. ♂. SAHLB. Ins. Fenn. 117. 7. ♂. ZETT. Fn. Lapp. 1. 110. 6. ♂.

Hab. in Lapponia Mus. D. SCHÖNHERR; rarius quoque in Lapponia a D. SANMARK inventa, teste D. SAHLBERG; mihi vero et D. DAHLBOM, in foliis Betulae albae, Alni, Salicis etc. locis umbrosis paludosis, in Lapp. meridional. Umensi passim frequenter obvia, ex. gr. ad Lycksele, Stensele, Naestansjö et novaculum Nydal, d. 15. Jun. — 30. Jul., haud raro visa, in copula saepe capta; magnitudine parva et statura lineari-elongata sequentis. (Lapponia.)

**7. C. elongata:** nigra, femorum posticorum apice summo tibiisque omnibus basi late, fusco testaceis, thorace subquadrato, postice canaliculato. ♂♀.

*Mas:* thorace fere longiori quam lato, mandibulis antennarumque basi fusco-testaceis.

*Fem.:* thorace fere latiori quam longo, maudibulis anteunarumque basi piceis; in copula pluries capta.

FALL. Monogr. Canthar. et Malach. Suec. 1. 11. 8. GYLL. Ins. Sv 1. 335. 8. SCHÖNH. Syn. 2. 66. 29. DEJ. Catal. p. 37. ZETT. Fn. Lapp. 1. 110. 7. ♂♀.

Hab. in sylvaticis Lapponiae, mens. Julio et Augusto, vulgaris; scilicet in Betuletis Nordlandiae et Finmarkiae a Björkvik usque ad Altengaard, nec non in frondibus Pini et Abietis per partem interiorem Lapponiae Tornensis a Kautokeino usque ad Kengis et infra, frequenter occurrit; etiam in Pinetis et Betuletis ad Lycksele, Stensele et Badstutraesk, Lapponiae Umensis, haud rara, in copula d. 28. Jun. — 4. Aug. capta; sed in regione alpina a me nunquam visa. *Canth. obscura* duplo minor et ultra, praesertim mas. (Lapp. Ostrogothia freq.; nec longius versus meridiem descendentem observavi speciem, extra Scandinaviam vix habitantem.)

**8. C. atra:** nigra, femorum posticorum apice summo, tibiisque totis luteo-testaceis, thorace brevi subtransverso. ♂♀.

FALL. Mon. Canth. et Malach. Sv. 1. 12. 9. GYLL. Ins. Sv. 1. 336. 10. SCHÖNH. Syn. 2. 67. 31. (vix FABRICII et LINNAEI.) ZETT. Fn. Lapp. 1. 111. 8. ♂♀.

Var. b. ♀. pedibus fere totis testaceis, femoribus tantum basi nigris.

Hab. in Lapponiae plantis passim; ad Kengis et Kolare Lappon. borealis mens. Augusto nec non in Pinetis et Betuletis ad Stensele, Badstutraesk, Wojmsjön et Stöttingsfjellet, 29. Jun. — 1. Aug., a me lecta; feminae plerumque maribus serius videntur; praecedente duplo minor, mari sequentis aequalis. (Lapp.-Ostrogoth., Blekingia.)

**9. C. paludosa:** nigra, mandibulis, antennarum tibiarumque basi summa, fusco-testaceis, thorace brevi subtransverso. ♂♀.

FALL. Monogr. Canth. et Malach. Sv. 1. 12. 10. GYLL. Ins. Sv. 1. 336. 9. DEJ. Catal. p. 37. ZETT. Fn. Lapp. 1. 111. 9. ♂♀. *Canth. atra* FABR. Eleut. 1. 297. 18.?

Hab. in Lapponiae plantis mens. Julio passim; in Nordlandia Norvegica frequenter occurrit, et ad Björkvik juxta Ofotenfjord, nec non ad Giebostad in insula Senjen sat copiose lecta, die 15. Jul. copulata visa; in paludosis et Pinetis ad Lycksele d. 13. Jun. freq. obvia; longius, quam *Canth. elongata*, in alpibus adscendit, et in ipso alpium Tornensium jugo in ipsa nive reptans deprehensa; mas prior

aequalis, femina paullo major. (Lappon.-Scania, ubi jam mens. Majo in copula capta.)

Antennarum tibiarumque basis saepe vix pallescit, et tunc antennae et tibiae totae nigrae. Synonymon FABRICII dubium; ob corpus vero, quod l. c. dicitur *„totum nigrum“* potius ad hanc quam ad antecedentem speciem pertinet. *Canth. paludosa* nostra Germaniae quoque incola est, sed *Canth. atra* Scandinaviae forsitan propria.

**10. C. borealla:** pubescens subnitida nigra, elytris nigro-fuscis, ore antennisque basi subtus sordide testaceis, thorace brevi transverso lateribus testaceo-albido. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele, mens. Jun. semel lecta. (Lapponia meridionalis.)

Parva. Affinis et similis *C. paludosae*, sed fere paullo minor et thorace alio. Mandibulae, palpi et antennarum articuli 3. primi subtus, sordide testacea. Thorax brevis transversus, angulis rectis; lateribus parallelis in medio anguste, ad angulos latius pallidis. Elytra nigro-fusca pubescentia. Pedes nigricantes tibiis tarsisque anterioribus dilutioribus.

**11. C. thoracica:** testaceo-rufa, oculis, vertice, antennarum apice elytrisque nigris, pectore piceo, thorace transverso. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 1. 338. 13. SCHÖNH. Syn. 2. 37. 34. DEJ. Catal. p. 37. ZETT. Fn. Lapp. 1. 112. 10. ♂♀.

Hab. in Lapponiae paludibus rarissime; in reliqua Suecia vulgaris, mens. Julio se copulans; praecedente parum major. (Lapp.-Scan. freq.)

**12. C. fulvicollis:** nigro-fusca, ore, antennarum basi, thorace, abdominis margine, ano pedibusque pallidis.

FABR. Eleut. 1. 300. 35. SCHÖNH. Syn. 2. 70. 50. DEJ. Catal. p. 37. SAHLB. Ins. Fenn. 118. 12. ZETT. Fn. Lapp. 1. 112. 11.

Hab. ad Rovaniemi D. FELLMAN, teste Ill. MANNERH., mihi non obvia; magnitudine forte praecedentis. (Lappon.-Fennia australis freq.)

*C. alpina* var. b. et c.; et *C. pilosa* var. c. in Subdivisione Secunda quaerendae.

*Subdiv.* 2. Elytris pallescentibus.

**13. C. alpina:** varicolor, vertice attenuato, thorace punctulato transverso, postice subemarginato, utrinque dente parvo reflexo. ♂♀.

Var. a. ♂♀. testacea, pectore abdomineque fusco-nigris.

SAHLB. Ins. Fenn. 119. 13. var. c. ZETT. Fn. Lapp. 1. 112. 12. var. a. ♀.

Var. b. ♂♀. testacea, vertice, antennarum apice, thoracis disco macula duplici connata, femoribus, pectore abdomineque fusco-nigris

GYLL. Ins. Sv. 1. 346. 21. SCHÖNH. Syn. 2. 64. 11. DEJ. Catal. p. 37. SAHLB. Ins. Fenn. l. c. var. a. ZETT. l. c. var. b. ♂♀.

Var. c. ♂♀. testacea, vertice, antennarum articulorum apice, thoracis disco macula duplici connata, femoribus, praesertim posterioribus, pectore abdomineque fusco-nigris, elytris fusco-testaceis.

GYLL., SCHÖNH. et SAHLB. l c. var. b. ZETT. l. c. var. c. ♂♀.

Var. d. ♂♀. nigro-fusca, ore antennarumque basi rufo-testaceis, thoracis lateribus pallidis.

ZETT. l. c. var. d. ♀. GYLL. Ins. Sv. 4. App. 344. var. d.

Hab. in Lapponiae plantis sylvestribus; var. a. rarius, varietates b., c. et praesertim d. in sylvis ad Alteidet et Bossekop Finmarkiae mens. Julio et Augusto, nec non ad Lycksele, Stensele, Åsele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, 28. Jun. — 17. Jul., frequentiores vidi; major in hoc genere. (Lapp.-Scan. omnes varietates pass.)

**14. C. livida:** rufo-testacea, macula verticis, pectore, abdomine, femorum posticorum apice tibiisque posterioribus nigris, thorace laevi, antice rotundato. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 701. FABR. Eleut. 1. 295. 2. GYLL. Ins. Sv. 1. 346. 22. SCHÖNH. Syn. 2. 62. 4 DEJ. Catal. p. 37. ZETT. Fn. Lapp. 1. 113. 13. ♂♀.

Hab. in Lapponiae montosis, rarissime; magnitudine *Canth. disparis*. (Lapp.-Westrogothia pass.)

**15. C. liturata:** testacea, vertice, thoracis rotundati disco posteriori litura angulata, pectore, abdomine femorumque lineis, nigris. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus testaceis, femoribus nigro-lineatis.

FALL. Monogr. Canth. et Malach. Sv. 2. 18. 24. GYLL. Ins. Sv. 1. 348. 24. SCHÖNH. Syn. 2. 63. 9. ZETT. Fn. L. 1. 113. 14. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus testaceis, femoribus nigricantibus.

Var. c. ♂♀. pedibus nigricantibus, geniculis testaceis; — saepe in copula cum var. b. capta.

SAHLB. Ins. Fenn. 120. 16. var. b. GYLL. l. c. var. b.

Var. d. ♂♀. duplo minor. SAHLB. et GYLL. l. c. var. c.

Hab. in Lapponia, var. a. rarissime; varietates vero reliquae, praesertim b. et c. in pratis paludosis ad Lycksele, Gaskelougt, Tresunda et Umenaes, Lapponiae Umensis, d. 30. Maj. — 12. Jul. frequenter obviae, in copula saepe captae, sed nunquam cum var. a. (Lapp.-Scan. var. a. et d. freq.)

**16. C. pilosa:** fusco-testacea, pilosa, antennarum apice abdomineque obscurioribus, thorace angustato, subquadrato, marginato. ♂♀.

PAYK. Fn. 1. 264. 9. GYLL. Ins. Sv. 1. 354. 30. SCHÖNH. Syn. 2. 63. 10. DEJ. Catal. p. 37. ZETT. Fn. Lapp. 1. 113. 15 ♂♀.

Var. b. ♂♀ magis obscura, tota scilicet fusca, pedibus parum dilutioribus.

GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in foliis Betulae; per partem interiorem et sylvaticam Lapponiae passim; var. a. et b. in plantis aquaticis, Equiseto etc., per totam Lapponiam Umensem s. meridionalem, a Lycksele usque ad Umenaes, 22. Jun. — 22. Jul., haud raro obviae, saepe in copula junctae; sed in Nordlandiae Finmarkiaeque subalpinis mens. Julio et Aug. utraque varietas frequentissima, versus autumnum saepe in copula visa; nec alpes minores fugit, et in alpibus Raschstind, Skaadavaara et Gamstenstind, quae ad littora maris glacialis extolluntur, pluries lecta, quamquam ad regionem nivalem vix adscendit. *Canth. liturata* duplo minor, angustior. (Lapp.-Scan. var. a.; var. b. Lapponiae forte propria.)

**17. C. testacea:** nigra subnitida, mandibulis, antennarum basi, thoracis quadrati limbo, elytris pubescentibus, femorum apice tibiisque testaceis. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 715. FABR. Eleut. 1. 304. 52. GYLL. Ins. Sv. 1. 355. 32. SCHÖNH. Syn. 2. 72. 69. DEJ. Catal. p. 37. ZETT. Fn. Lapp. 1. 114. 16. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus totis pallidis.

GYLL. l. c. var. b. *Canth. testacea* PANZ. Fn. 57. f. 4. ZETT. l. c. Var. b. ♂.

Var. c. ♂♀. thorace toto nigro, tibiis etiam infuscatis.

ZETT. l. c. var. c.

Hab. in plantis et foliis fruticum cum antecedente mense Julio passim; ego varietatem a in insula Senjen Nordlandiae et ad Muonioniska Lapponiae Tornensis, varietatem b. ad Tromsoe, et varietatem c. ad Björkvik nec non in alpe Andeness Nordlandiae juxta Malangerfjord legi; in Raschstind individua hujus speciei copulata d. 28. Jul. deprehendi, in Lapponiae meridionalis graminosis varietates a. et b. mens. Jun. et Jul. haud raro quoque vidi, et varietatem b. usque ad Umenaes et Brattiksfjell procedentem; parva, praecedente duplo et ultra minor, *Canth. atrae* subaequalis. (Lappon.-Scan. freq.)

---

## 34. Malthinus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 119. DEJ. SAHLB. *Cantharis* FABR. GYLL.

*Corpus* minutum, lineare, gracile. Palpi articulo ultimo ovato, acuto. Antennae filiformes, tenues, thorace longiores. Elytra abdomine breviora. *Color* nigricans, sulphurescens. *Motu* agilis, volans. *Habitatio* larvarum et imaginum in foliis arborum fruticumque; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* e variis notis elicitur; *mas:* abdomine angusto, segmento ultimo elongato, acuto, subconvexo, inflato; *femina:* antennis brevioribus, abdomine latiori, segmento ultimo brevi, dilatato, obtuso, plerumque consanter dignoscuntur. (Spec. Scand. 8. Sectionem 2dam Cantharidum GYLL. efficientes.)

**1. M. biguttatus:** vertice subattenuato niger, thorace transverso laevi, undique tenuiter flavo-marginato, elytris abdomine brevioribus fuscis, apice sulphureis, ano abdominique lateribus pallidis. ♂♀.

*Mas:* oculis magnis exsertis, vertice attenuato, antennis corpore fere longioribus.

*Fem.:* oculis parvis, minus exsertis, vertice parum attenuato, antennis corpore brevioribus; in copula.

SCHÖNH. Syn. 2. 74. 5. ZETT. Fn. Lapp. 1. 115. 1. ♂♀. *Cantharis biguttata* LINN. Fn. Sv. 712. FABR. Eleut. 1. 304. 53. PANZ. Fn. 11. f. 15. GYLL. Ins. Sv. 1. 342. 17. DEJ. Catal. p. 37. *Malthin. marginatus* LATR. Gen. Ins. 1. 261. 2.?

Var. b. ♂. totus niger, elytris fuscis apice parum sulphureis. — Zett. l. c. var. b. ♂

Hab. in foliis fruticum, in maritimis littoralibus Nordlandiae Norvegicae rarius; Var. a. ad Giebostad in insula Senjen a me 22. Jul. in copula visus, et var. b. non nisi in Lyngenstind Nordlandiae Jul. et altera vice ad Hernösand Ångermanniae d. 30. Aug., rarissime lectus; sed in Lapponia suecica interiori, ex. gr. in pratis umbrosis et paludosis per totam Lapponiam Umensem usque ad Stensele toto mens. Jul. frequenter deprehensus; in regione alpina non occurrens. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. M. minimus:** vertice non attenuato niger, thorace latitudine capitis, laevi, undique tenuiter flavo-marginato, elytris abbreviatis apice sulphureis pedibusque fuscis. ♂♀.

*Mas*; antennis longioribus, ano flavo, abdominis segmentis tenuiter pallido-marginatis.

*Fem.*: antennis brevioribus, abdomine nigro-fusco; vertice in utroque sexu vix attenuato; in copula.

*Cantharis minima* Linn. Fn. Sv. 713. Fabr. Eleut. 1. 304. 51. Gyll. Ins. Sv. 1. 344. 19. Zett. Fn. Lapp. 1. 116. 2. ♂♀. *Malthinus marginatus* Schönh. Syn. 2. 75. 7. Dej. Catal. p. 37. (an Latr. id.?)

Var. b. elytris nigro-fuscis, apice concolore.

Gyll. et Schönh. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b.

Hab. in graminosis Lapponiae rarius; var. a. ad Kengis, Lapponiae Tornensis, ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, d. 20. Jul., et var. b. ad Lycksele d. 25. Jun., nec non in paludosis ad Bossekop Finmarkiae 6. Aug. a me capta; priori paullo minor, brevior. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. M. brevicollis:** niger, thorace brevi transverso marginato latitudine capitis, elytris pedibusque fuscis immaculatis. ♂♀.

Schönh. Syn. 2. 75. 8. *Cantharis brevicollis* Gyll. Ins. Sv. 1. 345. 20.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in paludosis ad Stensele et coloniam Naestansjö d. 3—13. Jul. in copula a me deprehensus. (Lappon. meridionalis - Scan. freq.; priori triplo minor.)

## 35. Malachius.

Latr. Gener. Crust. et Ins. 123. Fabr. Dej.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum. Caput transversum. Palpi apice subsetacei. Antennae thorace parum longiores, subserratae. Vesiculae 4 subcornutae, retractiles, ad latera pectoris et abdominis. *Color* viridis, rufus, floridus. *Motu* tempore calido agilis, volans. *Habitatio* in plantis; per partem Lapponiae. *Victitat* rapina. *Differentia sexus* antennarum structura facile detegenda. (Spec. Scand. 10.)

**1. M. aeneus:** hirtus viridi-aeneus, ore albido, elytrorum diagonaliter sectorum dimidietate exteriori sanguinea. ♂♀.

*Mas*: antennarum articulis secundo apice producto, acuminato, pallido, tertio spina apicis arcuata recurva pallida.

*Fem*: antennarum articulis simplicioribus.

Fabr. Eleut. 1. 306. 3. Panz. Fn. 10. f. 2. Schönh. Syn. 2. 76. 3. Gyll. Ins. Sv. 1. 356. 1. Dej. Catal. p. 38. Zett. Fn. Lapp. 1. 116. 1. *Cantharis aenea* Linn. Fn. Sv. 708.

Hab. in Lapponia forte rarissime; Coll. D. Kolström; mihi non obvius; reliquis nostrorum hujus generis major. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. M. bipustulatus:** hirtus viridi-aeneus, ore flavo, elytrorum apice coccineo, antennarum articulo tertio brevi. ♂♀.

*Mas*: antennarum articulis 1, magno, obconico, 2, 3 et 4 brevibus, dilatatis, subtus flavis, reliquis simplicibus extrorsum sensim minoribus.

*Fem.*: antennarum articulis simplicibus, unicoloribus, basalibus subtus flavis; stylo ani acuminato.

Fabr. Eleut. 1. 306. 4. Panz. Fn. 10. f. 3. Gyll. Ins. Sv. 1. 357. 2. Schönh. Syn. 2. 77. 4. Dej. Catal. p. 38. Zett. Fn. Lapp. 1. 117. 2. *Canthar. bipustulata* Linn. Fn. Sv. 709.

Hab. in graminosis Lapponiae rarissime; priori plerumque dimidio minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. M. Cardiacae:** nitidus niger, segmentorum abdominalium marginibus punctoque apicis elytrorum sanguineis; antennis maris pectinatis, feminae acute serratis. ♂♀.

Schönh. Syn. 2. 80. 23. Gyll. Ins. Sv. 1. 363. 8. Sahlb. Ins. Fenn. 125. 5. *Canthar. Cardiacae* Linn. Fn. Sv. 720.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in paroecia Lapponiae Fredrica d. 29. Jul. ♂. D. Dahlbom; in graminosis locis aridis ad Lycksele d. 10. Aug. ♀., ipse. Parvus, magnitudine et statura *Mal. fasciati*. (Lappon. meridional.-Jemtlandia Aug. Boheman. - Westrog. Gyll. - Suec. media Gottland. ipse; rar.)

---

## 36. Dasytes.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 122. Fabr. Dej.

*Corpus* parvum, elongatum, subconvexum, pilosum. Palpi apice oblique truncati. Antennae thorace paullo longiores, subserratae. Thorax brevis marginatus, elytris parum angustior. *Color* niger, metallice renitens, virescens. *Motu* haud agilis, interdum volans. *Habitatio* in floribus; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus*: *mares* a *feminis* discrepant magnitudine minori, antennis longioribus et segmentis ventralibus saepe impressis, penultimo semper emarginato. (Spec. Scand. 10.)

**1. D. obscurus:** subvirescenti-niger hirtus, thoracis lateribus non impressis, elytris subtiliter rugoso-punctatis, antennis obtuse serratis. ♂♀.

*Mas*: elongatus thorace subdepresso, disco sublaevi, antennis longitudine dimidii corporis, segmento abdominis ventrali penultimo emarginato.

*Fem.*: paullo latior oblonga, thorace convexo punctulato, antennis longitudine vix dimidii corporis, segmento ventrali penultimo integro; in copula.

Gyll. Ins. Sv. 3. Add. 685. 1—2. Schönh. Syn. 3. 14. 14. Sahlb. Ins. Fenn. 113. 1. Dej. Catal. p. 39. Zett. Fn. Lapp. 1. 118. 1. ♂♀.

Hab. in floribus Lapponiae mens. Jul. passim; ego illum in Achillea Millefolii ad Talvig, Bossekop et Altengaard Finmarkiae copiose legi; d. 3. Aug. in copula visus. Ad Lycksele et Rusele, Lapponiae Umensis, 6—28. Jun. passim obvius. In Karesuando et Muonioniska Lapponiae Tornensis, rarius quoque, et ad Johannis Ro Botniae borealis 2. Sept. unicum specimen inveni. In florib. Plantaginis et Geranii ad Drivstum in alpe Dowre mens. Jun. Jul. etiam a D. Bohem. visus. (Lapp.-Smol. pass.)

*Obs.* In terris septentrionalibus hoc insectum magis obscurum, minus scilicet metallice nitens, mihi semper visum, quam quod in frondibus Pini et Abietis Smolandiae ac Ostrogothiae parce deprehenditur. Genuinum nostrum et Gyllenhali extra Scandinaviam forsitan non occurrit.

**2. D. niger:** niger hirtus, thoracis lateribus sulculo impressis, elytris subtiliter punctulatis, antennis obtuse serratis. ♂♀.

*Mas*: thorace subdepresso, antennis dimidii corporis longitudine, segmentis ventralibus plurimis apice impressis, penultimo emarginato.

*Fem.*: paullo major, thorace convexiori, antennis brevioribus, segmentis ventralibus omnibus laevibus integris; in copula.

Fabr. Eleut. 2. 72. 4. Panz. Fn. 96. f. 9. Gyll. Ins. Sv. 1. 325. 2. Schönh. Syn. 3. 12. 9. Dej. Catal. p. 39. Zett. Fn. Lapp. 1. 118. 2. *Dermestes niger* Linn. Fn. Sv. 439.

Hab. rarius in floribus praetensibus per partem sylvaticam Lapponiae, plerumque in vicinitate Rubi Idaei, cujus baccarum receptaculo victitant larvae; praecedente duplo vel triplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. D. tarsalis:** oblongus, virescenti-caerulescens hirtus, fronte trifoveolata, elytris profunde punctatis, antennis profunde et acute serratis, basi tarsisque piceo-ferrugineis. ♂♀.

Sahlb. Ins. Fenn. 113. 4. Gyll. Ins. Sv. 4. App. 337.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; marem in Pino sylvestri ad Lycksele d. 30. Maj. a me inventum, et feminam a D. Boheman communicatam possideo. (Lapponia, Finlandia ad Wasam D. Wasastjerna, in Ylane D. Sahlberg; rariss.)

Magnitudo *Das. floralis*, sed distinctus.

**4. D. tibialis:** nigro-virescens hirtus punctulatus, antennarum basi tibiis tarsisque testaceis. ♂♀.

*Mas*: angustus linearis, antennis dimidio corpore fere longioribus, segmentis analibus subtus apice impressis.

*Fem.*: elongata, antennis brevioribus, segmentis analibus omnibus laevibus, integris; in copula.

Zett. Fn. Lapp. 1. 119. 3. ♂♀. *Dasytes flavipes* Fabr. Eleut. 2. 73. 6. (exclus. Syn. Panz. quod ad *Dasyt. pallipedem* Illig. pertinet. Gyll. Ins. Sv. 1. 327. 5. Schönh. Syn. 3. 13. 13. Dej. Catal. p. 39.

Var. b. femoribus anticis fusco-testaceis.
Zett. l. c. var. b.
Hab. in floribus Lapponiae, per partem mitiorem sylvaticam rarius; *D. nigro* parum brevior, sed angustior, praesertim mas. (Lapp.-Scan. freq.)
*Obs.* Inter multa, in diversis Scandinaviae provinciis collecta specimina, quae examinavi, nullum inveni pedibus *totis testaceis* instructum, unde nomen triviale *flavipes*, tanquam minus adaequatum, rejicere et aliud aptiusque substituere volui.

---

## 37. Cyphon.

Fabr. Syst. Eleut. 85. Gyll. Dej. *Elodes* Latr.

*Corpus* parvum, ovatum, pubescens. Palpi labiales apice furcati. Antennae thorace longiores, filiformes. Thorax subsemicircularis, postice latior. *Color* fuscus, testaceus, luridus. *Motu* valde agilis, volans. *Habitatio* in succo arborum et foliis fruticum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* saepius occulta. (Spec. Scand. 8., forma corporis ovali et motu celerrimo a reliquis Malacodermis aberrantes.)

**1. C. lividus**: ovalis livido-testaceus, oculis nigris, antennarum apice fusco, thorace brevi transverso, antice rotundato, capite subretracto. ♂♀.
Fabr. Eleut. 1. 501. 2. Gyll. Ins. Sv. 1. 367. 2. Schönh. Syn. 2. 321. 2. Dej. Catal. p. 35. Zett. Fn. Lapp. 1. 120. 1. ♂♀. *Cistela pallida* Panz. Fn. 8. f. 7.
Hab. in foliis Alni, in Lapponia mense Jul. rarius; in suo genere major. (Lappon.-Scan. freq.)

**2. C. marginatus**: ovalis nigro-fuscus pubescens, antennarum basi, thoracis margine laterali et antico tibiisque testaceis.
Var. a. elytris totis nigricantibus.
Schönh. Syn. 2. 322. 3. Gyll. Ins. Sv. 1. 368. 3.
Var. b. elytrorum plaga magna disci abdominisque basi subtus pallide testaceis.
Schönh. et Gyll. l. c. var. b.
Hab. in Lapponia Norvegica; in foliis Alni in convalle rivulorum ad Honger d. 11—12. Jun. a DD. Boheman et Rosenschöld lectus. (Lapponia inferalpina; Suecia media rar. — Scania ad Esperöd et Björnstorp, ipse.)
Statura prioris, sed fere duplo minor, colore alius.

**3. C. pubescens**: ovatus nigro-fuscus, thorace brevissimo, antice subemarginato, supra, elytris tibiisque griseo-testaceis.
Fabr. Eleut. 1. 502. 4. Gyll. Ins. Sv. 1. 369. 4. Schönh. Syn. 2. 322. 4. Dej. Catal. p. 35. Zett. Fn. Lapp. 1. 120. 2.
Hab. in Pinetis Lapponiae rarius; priori multo minor, *Anthreno Museorum* subaequalis. (Lapp.-Scan.)

**4. C. griseus**: ovatus nigro-fuscus, thorace brevissimo, antice subemarginato, elytris griseo-testaceis, antennarum basi pedibusque totis pallidis. ♂♀.
Var. a. nigro-fuscus, elytris griseo-testaceis, ore, antennarum basi pedibusque pallidis.
Fabr. Eleut. 1. 302. 3. Gyll. Ins. Sv. 1. 370. 5. Schönh. Syn. 2. 322. 5. Dej. Catal. p. 35. Zett. Fn. Lapp. 1. 120. 3.
Var. b. nigro-fuscus, ore, antennarum basi pedibusque testaceis.
Gyll. et Schönh. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b.
Var. c. totus nigro-fuscus, tibiis solum obscure testaceis. Zett. l. c. var. c.
Hab. in frondibus Pini et in succo destillante Betulae albae per omnem Lapponiam sylvaticam Sueciae, mens. Jul. —Aug. passim copiose, praesertim varietas obscura c. frequens. Sed neque in alpibus, neque in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque a me unquam observatus; praecedenti simillimus, et vix nisi colore ab illo distinctus, nec in copula promiscue occurrunt. (Lappon.-Scan. var. a. b. freq.)

**5. C. Padi**: ovatus nigro-fuscus, thorace brevissimo, antice subemarginato, elytrorum apice tibiisque pallidis.
Gyll. Ins. Sv. 1. 371. 6. Schönh. Syn. 2. 322. 6 Dej. Catal. p. 35. Zett. Fn. Lapp. 1. 121. 4. *Chrysomela Padi* Linn. Fn. Sv. 515.
Hab. in frondibus Pini et Abietis, in Lapponia minus frequens; praecedenti similis et affinis, sed plus duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

---

# FAM. 5. CLERII. Latr.

## 38. Clerus.

Fabr. Syst. Eleut. 51. Gyll. Dej. *Thanasimus* Latr.

*Corpus* mediocre l. minoris magnitudinis, elongatum. Palpi labiales articulo ultimo securiformi. Antennae thoracis longitudine, moniliformes, clava triarticulata. Thorax subcordatus. *Color* rufus, niger, albus; pictura fasciata. *Motu* tempore calido celerrimus, volans. *Habitatio* in truncis arborum frondiferarum; per partem sylvaticam Lapponiae. Mas et femina simillimi; igitur *sexus differentia* vix perspicua, nisi anum feminae paullo productiorem provocare velis. (Spec. Scand. 2, Faunae nostrae communes.)

**1. C. formicarius**: pilosus rufus, capite, antennis, thoracis segmento antico, pedibus elytrisque nigris, his fasciis duabus albis, basique rufis. ♂♀.
Fabr. Eleut. 1. 280. 5. Panz. Fn. 4. f. 8. Gyll. Ins. Sv. 1. 310. 1. Zett. Fn. Lapp. 1. 121. 1. Schönh. Syn. 2. 43. 5. Dej. Catal p. 41. *Attelabus formicarius* Linn. Fn. Sv. 641. *Thanasimus formicarius* Latr. Gen. Crust. et Ins. 1. 270. 1.
Hab. in truncis nuper resecatis, inprimis Pini et Abietis, per Lapponiam sylvaticam usque ad Juckasjervi et Karesuando Lapponiae Tornensis nec non ad Lycksele et Badstutraesk, Lapponiae Umensis, passim, tota aestate. Regiones alpinas et subalpinas omnino fugit, nec in Nordlandiae Finmarkiaeque maritimis littoralibus, et in insulis sylvas betulinas gerentibus a me unquam inventus; at in Lapponiae adjacentibus provinciis Botnia occidentali et boreali copiosissimus; verno tempore jam mens. Majo copulatur lascivus; formicam quodammodo simulans. (Lapp.-Scan. bor.)

**2. C. femoralis**: pilosus rufus, capite, antennarum medio, thoracis segmento antico, pectore, pedum geniculis elytrisque nigris, his basi latius rufis fasciisque duabus albis. ♂♀.
Dej. Catal. Coléopt. p. 41. Zett. Fn. Lapp. 1. 122. 2. ♂♀. *Clerus formicarius* var. b. Gyll. Ins. Sv. 1. 311. 1.
Hab. in ligno recenter secato, in Lapponia rarius, nec nisi ad ÖfverTorneå 29. Maj. et ad Muonioniska in collectione D. Kolström pauca specimina vidi, sed in Lapponia meridionali, ex. gr. in ligno resinoso Pini ad Lycksele mens. Junio haud infrequenter deprehendi. (Lapp.-Ostrog. rar.)
*Clero formicario* quidem affinis, sed semper duplo minor, et pedum colore inprimis distinctus. Caput punctatum pilosum nigrum, palpis testaceis. Antennae piceae, basi ferrugineae, articulo ultimo testaceo. Thorax punctatus pilosus rufus, segmento antico nigro. Scutellum rufum. Elytra pilosa, antice usque ad fasciam transversam profunde subseriatim punctata, rufa, deinde subtiliter punctulata, nigra, fascia ante medium angusta flexuosa, et altera versus apicem latiori, angulata, villoso-albis ut in priori. Pectus punctulatum pubescens nigrum. Abdomen rufum. Pedes pilosi rufi, geniculis femorumque apice latius vel angustius nigris.

---

## 39. Corynetes.

Fabr. Syst. Eleut. 5. Gyll. Dej. *Necrobia* Latr.

*Corpus* parvum, oblongum. Palpi filiformes, articulo ultimo crassiori obconico. Antennae vix thoracis longitudine, 11. articulatae, clava triarticulata, obconica. Thorax subquadratus. *Color* cyaneus, nitidus. *Motu* segnis. *Habitatio* larvarum et imaginum in cadaveribus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota, externa nulla. (Spec. Scand. 1.)

**1. C. violaceus**: fusco-pilosus violaceo-vel caeruleo-virescens nitidus, antennis nigris, pedibus virescentibus, elytris punctato-striatis. ♂♀.
Fabr. Eleut. 1. 285. 1. Schönh. Syn. 2. 50. 1. Gyll. Ins. Sv. 3. 376. 1. Dej. Catal. p. 42. Zett. Fn. Lapp. 1. 123. 1. ♂♀. *Dermestes violaceus* Linn. Fn. Sv. 422. Panz. Fn. 5. f. 6. *Necrobia violacea* Latr. Gen. Ins. 1. 274. 1.
Hab. in cadaveribus per partem sylvaticam et mitiorem Lapponiae rarius, ex. gr. ad Lycksele Lapp. Umensis, d. 2. Jun., in copula; *Dasyt. obscuro* magnitudine subaequalis. In alpibus et in Nordlandiae Finmarkiaeque subalpinis vix occurrit haec species, mihi saltem ibi non obvia: sed ad Karesuando Lapponiae Tornensis a D. Grape capta et D. Schönherr. (Lapp.-Hernös 29. Aug. Scan. freq.)
*Obs.* Tarsi articulis distinctis tantum quatuor; hinc ad *Tetramera* relatus.

## FAM. 6. PTINIORES. LATR.

### 40. Anobium.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 133. FABR. DEJ.

*Corpus* parvum elongatum, subcylindricum. Palpi clavati. Antennae thorace paullo longiores, filiformes, articulis tribus ultimis elongatis, subcrassioribus. *Color* fuscus, obscurus, testaceus, aridus. *Motus* tardus; partibus attractu retrahendis. *Habitatio* in ligno antiquo; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota, at antennis longioribus mares a feminis interdum dignoscuntur. (Spec. Scand. 13.)

*Subdiv.* 1. elytris punctato-striatis.

**1. A. pertinax:** nigro-fuscum obscurum, thorace basi utrinque macula pilosa lutea dorso gibbo, postice 4-carinato. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 1. 288. 1. ZETT. Fn. Lapp. 1. 124. 1. ♂♀. *Dermestes pertinax* LINN. Fn. Sv. 414. *Anobium striatum* FABR. Eleut. 1. 321. 2. PANZ. Fn. 6. f. 4. SCHÖNH. Syn. 2. 101. 3. DEJ. Catal. p. 40.

Hab. in ligno antiquo et domibus novaccolarum per partem cultam Lapponiae, verno tempore passim ad Lycksele et Fredrica, Lapponiae Umensis, 10. Jun. — 29. Jul. praesertim lectum. Supellectiles e ligno confectas destruit larva; imago caput et artus contrahit attacta et mortuam simulat, donec discrimen praeterlapsum. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. A. striatum:** fusco-piceum pubescens, antennis pedibusque dilutioribus, thorace foveolato, dorso postice compresso, carina elevata trigona. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 1. 291. 4. ZETT. Fn. L. 1. 124. 2. ♂♀. *Anobium pertinax* FABR. Eleut. 1. 322. 6. PANZ. Fn. 66. f. 5. SCHÖNH. Syn. 2. 103. 7. DEJ. Catal. p. 40.

Hab. in ligno et domibus Lapponiae rarius, praecedente semper minus, interdum triplo, immo quintuplo et ultra, nam magnitudine valde variat; in copula. Utensilia destruit, uti antecedens, captumque se contrahit immobile. Circa tempus copulationis insectum, mandibulis lignum radens, e latibulo suo edit crepitum, instar ictuum horologii citissime repetitorum, ut tali amoris signo praesentiam suam indicet conjugemque ad se alliciat. Nomen inde Suecorum *Väggsmed*, quod merito competit huic, nec *Term. pulsatorio*, ut voluit LINN. (Lapp.-Scan. freq.)

*Subdiv.* 2. elytris vage punctatis.

**3. A. molle:** testaceum pubescens, thorace postice rotundato tenuiter marginato, lateribus deflexo, antennis elongatis filiformibus. ♂♀.

*Mas*; antennarum articulis tribus ultimis valde elongatis tenuibus.

*Fem.*: plerumque paullo major, antennarum articulis tribus ultimis brevioribus, magis incrassatis; in copula.

FABR. Eleut. 1. 323. 8. GYLL. Ins. Sv. 2. 296. 8. SCHÖNH. Syn. 2. 104. 10. DEJ. Catal. p. 40. *Dermestes mollis.* LINN. Fn. Sv. 415.

Var. b. ♂. duplo minus, nigricans, antennarum basi tarsisque ferrugineis, thoracis dorso carinis duabus transversis obsoletis. Forte distincta species; vix GYLL. l. c. var. c.?

Hab. in ligno sicco, in Lapponia rarius, *Anob. pertinace* plerumque paullo minus; ex variet. b. unicum tantum specimen masculum in graminosis ad Karesuando Lapponiae Tornensis d. 15. Aug. 1821 a me captum, sed in Lapponia meridionali Umensi ad littora lacus Wojmsjön, prope Wilhelmina et Tresunda, d. 11—22. Jul. 1832 haud infrequenter observavi. (Lappon.-Scan. var. a. pass.)

**4. A. Abietis:** fusco-testaceum pubescens, thorace postice truncato immarginato, lateribus deflexo late explanato, antennis mediocribus.

FABR. Eleut. 1. 323. 10. PANZ. Fn. 66. f. 7. GYLL. Ins. Sv. 1. 297. 9. SCHÖNH. Syn. 2. 104. 11. DEJ. Catal. p. 40. ZETT. Fn. Lapp. 1. 125. 4.

Hab. in frondibus Abietis, in Lapponia rarissime, priori duplo minus, magisque convexum. (Lappon.; Finlandia; Ostrogothia; Gottlandia; rar.)

### 41. Ptinus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 136. FABR. DEJ.

*Corpus* minutum, oblongum. Palpi subfiliformes. Antennae longitudine fere corporis, filiformes, articulis subaequalibus. Thorax elytris angustior, postice coarctatus. *Color* testaceus, fuscus, sordidus. *Motus* tardus. *Habitatio* in ligno antiquo; loca occulta amat; larva noxia; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Discrimen sexus* in antennarum corporisque proportione diversa apparet. (Spec. Scand. 5, *Ptin. rufipede* ut ♂., et *Ptin. eleganti* GYLL. ut ♀., unius ejusdemque speciei consideratis.)

**1. P. Fur:** testaceo-fuscus, elytris interrupte albo-fasciatis, thorace transversim quadrifasciculato-pilosis, femoribus elongatis clavatis. ♂♀.

*Mas:* angustus, alatus, testaceo-fuscus, antennis longitudine saepe corporis.

*Fem.:* ovato-oblonga, aptera, fusco-ferruginea, antennis corpore brevioribus.

FABR. Eleut. 1. 325. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 307. 5. SCHÖNH. Syn. 2. 107. 5. DEJ. Catal. p. 41. ZETT. Fn. L. 1. 126. 1. *Cerambyx Fur* LINN. Fn. Sv. 657.

Hab. in domibus locis occultis toto anno; in Lapponia sylvatica boreali rarius, et in maritimis littoralibus Norvegiae non nisi ad Alteidet et Bossekop Finmarkiae a me parce visus; ad Gransele Lappon. Umensis die 26. Jun. quoque captus; in cetera Scandinavia frequentissimus, ibique larva collectoribus rerum naturalium notissima et valde ingrata, aves, insecta, herbaria destruens; aegre pellitur, at arsenico cum alumine usto occiditur. (Lapp.-Scan. freq.)

*Cucuji* et *Dendrophagi* genera juxta *Pythonem* sub Familia *Xylophagorum* DEJ., ob summam illorum cum hoc affinitatem, melius quam heic sine dubio collocantur, licet tarsos omnes 5-articulatos gerant pleraeque eorum species.

### 42. Dorcatoma.

HERBST. PAYK. FABR. SCHÖNH. GYLL. SAHLB.

*Corpus* parvum ($1-1\frac{1}{4}$ lin. long.), ovale, convexum. Palpi 4 inaequales securiformes. Antennae articulis 6 intermediis perfoliatis brevissimis coarctatis, ultimis 3 maximis compressis triangularibus. *Color* (in nostra) niger. *Motu* agilis. *Habitatio* in fungis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 3, scilicet nostra, *Bovistae* et *rubens.*)

**1. D. Dresdensis:** ovalis convexa pubescens nigra, antennis, tibiis tarsisque piceo-ferrugineis, elytris margine externo bistriatis, oculis integris. Long. $1-1\frac{1}{4}$ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 114. 1.? GYLL. Ins. Sv. 1. 299. 1.?

Hab. in Lapponia meridionali rar.; mihi ad Wilhelmina, Lycksele et in Stoettingsfjellet, d. 23. Jul. — 2. Aug. obvia. (Lapp.-Suecia media, Ostrog. Gottland. pass. (pedibus rufis), Scan. rariss.)

Haec nostra differt a GYLLENHALI, seu quae in Suecia inferiori vulgariter occurrit, magnitudine paullo majori (specimina suecica $\frac{3}{4}$ — 1 lin. vix attingunt), ut et femoribus nigris, tibiis et tarsis obscurius rufis, nec rufo-testaceis; nec cohabitant.

## FAM. 7. PALPATORES. LATR.

### 43. Scydmaenus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 138. DEJ. KUNZE. *Anthici* Spec. FABR.

*Corpus* minutum, orbiculato-ovatum, convexum. Palpi anteriores elongati, articulo tertio magno, ultimo minuto. Antennae longitudine circiter dimidii corporis, extrorsum crassiores, subclavatae. Thorax parvus. Elytra integra. Femora clavata. *Color* nigricans, ferruginans, nitidus. *Motus* tardus. *Habitatio* in arenosis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 4., a *Pselaphis* articulatione tarsorum et forma elytrorum distinctae.)

**1. S. minutus:** niger nitidus subpubescens, palpis, antennis extrorsum sensim crassioribus pedibusque ferrugineis, thorace postice angustiore obsolete foveolato, elytris punctatis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 286. 3. certe. SCHÖNH. Syn. 2. 59. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 127. 1. *Anthicus minutus* FABR. Eleut. 1. 292. 20. *Scydmaen. Panzeri* DEJ. Catal. p. 41.? *Scydm. pusillus.* KUNZ. Monogr. d. Ameisenk. 25. 15. f. 15.?

Var. b. elytris quoque ferrugineis. — GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b.

Hab. in arenosis et sub muscis Lapponiae sylvaticae passim; var. b. sub lapidibus ad Wittangi Lapponiae Tornensis 13. Jun. capta; vix ultra ½ lin. longus. (Lappon.-Ostrogoth. rar. Scan. freq.)

---

## 44. Pselaphus.

Latr. Herbst. Reich. Panz. Zett. Gyll. *Staphylinus* Linn.

*Corpus* minutissimum. Palpi 4 inaequales. Antennae clavatae, 11-articulatae. Elytra abbreviata truncata. Tarsi omnes biarticulati. *Color* rufescens, niger. *Motu* tardus. *Habitatio* sub lapidibus et muscis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*: *mas* minor, antennis crassioribus; *femina* major, antennis gracilioribus. (Spec. Scand. 17, elytris abbreviatis etc. a *Scydmaeno* mox dignotae).

**1. Ps. mucronatus:** pubescens niger, antennis, elytris pedibusque rufis, thorace gibbo, postice linea semicirculari impresso, femoribus coxisque anticis spina acuta armatis.

Panz. Fn. Germ. 89. 11. Gyll. Ins. Sv. 4. 231. 9. certe. *Pselaphus sanguineus* Payk. Fn. 3. 363. 1. *Staphyl. sanguineus* Linn. Fn. Sv. 853. *Psel. insignis* Reichenb. Mon. Ps. 60. 16. T. 2. f. 16. certe.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele mens. Aug. a me inventus. (Lappon. merid.-Suecia media rar.)

Vix 1 lin. long., sed tamen major in hoc genere. — Sub nomine: „*Psel. sanguineus* Payk. seu *Ps. mucronatus* Panz. alium a D. Prof. Kunze, Lipsiae captum, obtinui, qui est *P elaphus sanguineus* Reichenb. l. c. p. 49. 11. T. 2. f. 11. (excl. syn.) verus, antennis femoribusque nigris etc. a nostro distinctus; sed hic in Suecia non occurrit.

---

# FAM. 8. DERMESTINI (Dermestideae). Gyll.*)

## 45. Byrrhus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 169. Fabr. Dej.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum, valde convexum, pubescens. Antennae thorace paullo breviores, extrorsum crassiores. Caput retractum. Thorax brevis. Pedes omnes penitus contractiles. *Color* niger, opacus, ex metallico parum relucens, nunquam vivax. *Motus* iners. *Habitatio* in aridis arenosis et sub lapidibus; per omnes regiones Lapponiae. *Differentia sexus* externe nulla; mares et feminae simillimi, in copula nonnisi rarissime deprehenduntur. (Spec. Scand. 11, genus naturale condentes.)

**1. B. Pilula:** oblongo-ovatus, punctulatus niger, supra tomentosus, elytris tenuiter striatis, interstitiis dorsalibus alternis vittis interruptis holosericeo-atris. (Long. 3½—4 lin.)

Var. a. murino-vel fusco-tomentosus, elytrorum dorso in interstitiis alternis vittis holosericeo-atris, maculis ferrugineo-fuliginosis interruptis, tessellato, subtus interdum rufescens.

Fabr. Eleut. 1. 103. 2. Panz. Fn. 4. f. 3. Schönh. Syn. 1. 110. 2. Gyll. Ins. Sv. 1. 192. 1. Dej. Catal. p. 49. Zett. Fn. Lapp. 1. 128. 1. *Dermestes Pilula* Linn. Fn. 427.

Var. b. niger l. nigricans, thorace fusco-variegato, elytrorum dorso vittis interruptis holosericeo-atris, strigaque media transversa duplici flexuosa, lateraliter connata, e punctis albidis l. flavescentibus conflata.

Gyll. l. c. var. b. Schönh. l. c. var. δ. Zett. l. c. var. c. *Byrrhus albopunctatus* Fabr. Eleut. 1. 103. 3.

Var. c. totus niger, aut omnino glaber, detritus, aut vittas elytrorum interruptas atras in dorso renitens, aut denique, praeter has vittas, quoque maculas aliquot parvas pubescentiae ferrugineae in dorso conservans, tamquam vestigium fasciae.

Gyll. l. c. var. c. Schönh. l. c. var. ε. Zett. l. c. var. c. *Byrrhus ater.* Panz. Fn. f. 32. (detritus.)

Var. d. vix minor, supra fusco-ferrugineo-tomentosus, scutello elytrorumque vittis parum interruptis, brunneo-ferrugineis. — Zett. l. c. var. d.

Var. e. paullo minor, nigro-piceus, supra fusco-cinereo-tomentosus, tomento nitido, elytrorum vittis nigro-brunneis, strigaque media transversa duplici, flexuosa e punctis albidis, obsoletis composita. — Zett. l. c. var. e.

Hab. in aridis sub lapidibus locis cultis Lapponiarum omnium mensib. Junio et Julio; varietates a. et b. per partem sylvaticam passim, varietates d. et e. in ripa arenosa ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis rarissime inventae; varietas c. altius adscendit, usque ad summum alpium jugum, ubi in ipsa nive ambulans mense Julio haud infrequenter lecta; descendit etiam eadem varietas in latus Norvegicum, et in maritimis littoralibus a Björkvik Nordlandiae usque ad Bossekop et Alten Finmarkiae hinc inde a me observata, quoque mense Augusto. Major in genere suo, reliquis praesertim longior. Adtactus pedes mox contrahit mortuum se mentiens, ne laedatur. (Lapp.-Scania, exceptis variet. d. et e. Lapponiae forsitan propriis.)

**2. B. sulcatus:** oblongo-ovatus punctulatus niger, supra parum fusco-tomentosus, elytris subsulcatis, interstitiis rugosis. (Long. 4 lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 130. 2.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Karesuando Lapponiae Tornensis unicum individuum inveni. (Lapponia.)

Magnitudo, statura oblonga et affinitas praecedentis, et ejus varietati c. sat similis, at elytrorum striatura mox distinctus. Caput et thorax ut in priori omnino, sed pubescentia rariori, vix maculas cinereo-ferrugineas formanti. Scutellum atrum. Elytra ovata, valde convexa, undique declivia, ante medium marginis paullo latiora, creberrime punctulata, striisque profundis fere sulciformibus, praesertim posterius evidentioribus exarata, interstitiis convexis inaequalibus, rugosis, inprimis posterius et in dorso; tota opaca, parum cinereo- vel fusco-ferrugineo-tomentosa, vittis interruptis nullis, at maculis aliquot albis, fasciam obsoletam pone medium dorsi formantibus, et infra hanc in interstitiis alternis serie transversa macularum holosericeo-atrarum decorata. Corpus subtus nigrum, pedibus nigro-piceis, unguibus ferrugineis.

**3. B. fasciatus:** ovatus, punctulatus niger, supra squamoso-tomentosus, elytris tenuiter striatis, interstitiis dorsalibus alternis vittis interruptis holosericeo-atris, fasciaque media transversa abbreviata, arcuata, antice trifida, ferruginea. (Long. 3½ — 3¾ lin.)

Var. a. elytris ferrugineo-tomentosis, fascia media ferruginea, striga alba undique intime marginata.

Fabr. Eleut. 1. 103. 5. Schönh. Syn. 1. 111. 4. Gyll. Ins. Sv. 1. 194. 2. a. Zett. Fn. Lapp. 1. 130. 3. *B. dorsalis* Sturm. Fn. 2. 101. 9. var. a. diagn.

Var. b. elytris cinereo- l. fusco-tomentosis, fascia media non ferrugineo inscripta, striga tantum marginali relicta, arcus duos transversos, ad suturam remotiores, lateraliter connatos, e punctis albidis aut ferrugineis compositos, formante. An spec. distinct.?

Gyll. l. c. var. c. (exclus. Syn. Panz.) *Byrrh. Dianae* Fabr. Eleut. 1. 103. 4. Panz. Fn. 104. 2. Schönh. l. c. 1. 111 3. Dej. Catal. p. 48. Zett. l. c. var. b. *B. cinctus* Sturm. Fn. 2. 98. 6. Tab. 34. f. D.

Var. c. niger, capite thoraceque antice ferrugineo-tomentosis, elytrorum vittis parum interruptis brunneo-nigris, fascia media nulla. — Zett. l. c. var. c.

Var. d. niger totus, supra nigro-tomentosus, elytrorum vittis parum interruptis holosericeo-atris, fascia media nulla vel ejus in maculis paucis ferrugineis tantum vestigio; subtus saepe ferrugineus.

Gyll. l. c. var. f. Zett. l. c. var. d.

Hab. sub lapidibus locis aridis et ad ripas fluminum, in Lapponia mens. Jun. et Julio; varietates a. et b. per regionem sylvaticam omnium Lapponiarum, passim; var. c. ad Juckasjervi capta; varietas d. longius procedit, a Lycksele et Wittangi seu a parte infima Lapponiae sylvaticae ad summum alpium jugum penetrans; etiamque e Groenlandia a D. Westermann communic.; var. f. ad Hernösand Angermanniae jam 20. Maj. nec non ad Lycksele d. 25. Jun. visa; at in Lapponia Norvegica hanc speciem non vidi. (Lappon.-Scania, exceptis varietatib. c. et d., quae terris arcticis peculiares videntur.)

**4. B. cinctus:** ovatus punctulatus niger, supra fusco-ferrugineo-tomentosus, elytris tenuiter striatis, interstitiis dorsalibus alternis vittis interruptis holosericeo-atris et fascia

---

*) Cum nomina fere omnium Generum sub hac Familia comprehensorum terminatione masculina gaudeant, eandem quoque terminationem Familiae tribuendam esse existimavi. Characterem autem Familiae, a D. Gyllenhalio datum, ut nostris generibus perbene accommodatum, et genera affinia optime connectentem, intactum illis servandum volui, licet ab ordine Ill. Auctoris paullo recesserim, genera nempe *Cryptophagum* et *Scaphidium* in fine Familiae collocans, utpote quae et victu et habitu ad Fungicolas *Engides* atque *Triplacides* sequentis Familiae, naturalem transitum efficientia.

media transversa abbreviata arcuata antice trifida, thoracisque macula dorsali difformi, argenteis. (Long. 4 lin.)

ILLIG. col. bor. 1. 91. 3. *B. fasciatus* GYLL. Ins. Sv. 1. 194. 2. var. b. SCHÖNH. Syn. 1. 111. 4. var. b. ZETT. Fn. Lapp. 1. 131. *Observ.*

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Lycksele et Åsele, d. 30. Maj. — 29. Jul. a me captus. (Lapponia meridionalis; Scania rar.)

**5. B. dorsalis:** ovatus punctatus niger, supra nigro-tomentosus, thorace fulvo-maculato, elytris tenuiter striatis, interstitiis alternis vittis holosericeo-atris, maculaque communi media transversa ferruginea, striga alba undique remotius circumscripta. (Long. 3 lin.)

FABR. Eleut. 1. 104. 7. PANZ. Fn. 104. 3. SCHÖNH. Syn. 1. 111. 7. (exclus. Syn. PANZ.) GYLL. Ins. Sv. 1. 196. 3. DEJ. Catal. p. 49. ZETT. Fn. Lapp. 1. 131. 4. *B. fasciatus* STURM. 2. 103. 10. certe.

Hab. in Lapponia rarius; ad Lycksele et Åsele, Lapponiae meridionalis d. 25. Jun. — 26. Jul. parce lectus; praecedentibus duplo minor fasciaeque forma facile dignotus. (Lapp.-Scan. pass. freq.)

**6. B. varius:** ovatus punctulatus niger, supra obscure aeneus pubescens, scutello albo-piloso, elytris striatis, interstitiis alternis viridibus nigro-tessellatis. (Long. 2½ lin.)

Var. a. elytris obscure aeneis, interstitiis alternis nitidis viridibus, nigro-tessellatis.

FABR. Eleut. 1. 105. 10. PANZ. Fn. 32. f. 3. SCHÖNH. Syn. 1. 112. 11. GYLL. Ins. Sv. 1. 197. 4. DEJ. Catal. p. 49. ZETT. Fn. Lapp. 1. 132. 5. var. a.

Var. b. elytris nigro-aeneis, interstitiis alternis obscure ferrugineis, nigro-tessellatis.

SCHÖNH. et GYLL. l. c. var. b.? ZETT. l. c. var. b.

Var. c. similis var. b., vel adhuc obscurior, corpore subtus pedibusque rufis.

SCHÖNH. et GYLL. l. c. var. c. ZETT. l. c. var. c.

Hab. in aridis arenosis Lapponiae sylvaticae passim mens. Jun. Julio; var. a., ad Juckasjervi sat copiose, varietates b. et c., ad Wittangi et Muonioniska haud infrequenter legi, var. a. et b. quoque in Lapponia Umensi ad Lycksele, Åsele et Badstutraesk, d. 30. Maj. — 27. Jul. vulgares; sed in alpibus et in Norvegiae inferalpinis, maritimis littoralibus hanc speciem nunquam inveni. (Lapp.-Scan. freq.)

*Byrrho dorsali* adhuc duplo minor. Insectum lapponicum interdum magis obscurum, minus nitidum, quam quod in Suecia ejusdem speciei vulgare.

**7. B. semistriatus:** obovatus punctulatus nigro-piceus, griseo-pubescens, antennis, pedibus anoque rufo-testaceis, elytris basi tenuiter striatis, stria suturali integra. (Long. 1—1¼ lin.)

FABR. Eleut. 1. 104. 9. PANZ. Fn. 25. f. 2. SCHÖNH. Syn. 1. 112. 10. GYLL. Ins. Sv. 1. 199. 7. DEJ. Catal. p. 49. ZETT. Fn. Lapp. 1. 132. 6.

Var. b. rufo-testaceus, pedibus pallidis, capite, thorace elytrisque obscuris, his apice piceis.

GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b.

Hab. in graminosis aridis Lapponiae sylvaticae passim, nec infrequens; in aridis et agris ad Lycksele, 31. Maj. — 10. Aug., praesertim frequenter vidi; parvus, *Byrrho aeneo* triplo minor. (Lapp.-Gottland. Scan. pass.)

**8. B. piceus:** oblongus nigro-subaeneus nitidus, griseo-pubescens, pedibus rufis, elytris profundius continue striatis.

OLIV. ent. 2. 13. 9. 9. Tab. 2. f. 9. a. b. GYLL. Ins. Sv. 1. 200. 8. ZETT. Fn. Lapp. 1. 133. 7.

Hab. in Lapponiae Kemensis graminosis ad Enontekis, D. GRAPE; mihi non obvius; priori affinis, sed corpore fere dimidio longiori, at non latiori, elytrorumque striis profundioribus ad apicem usque productis diversus. (Lapponia.)

*Obs. Byrrh. aeneus:* 1¹ — 2 lin. long., oblongo-ovatus supra aeneus, griseo-pubescens, scutello albido, elytris vage punctatis; in arenosis aridis Succiae mediae et meridionalis sat frequens, in Lapponia huc usque non detectus fuit.

---

## 46. Anthrenus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 168. FABR. DEJ.

*Corpus* parvum, breviter ovatum. Antennae thorace breviores, clava solida. Caput retractum. Thorax postice trilobus. Pedes breves compressi, partim contractiles. *Color* niger, opacus, aridus, squamis facile deciduis variegatus. *Motus* haud celer: volat et serpit, at adtactus mox quiescit, pedes contrahit corpori arcte applicandos mortuumque simulat. *Habitatio* in domibus et floribus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in structura antennarum clavae quaerenda, numerus vero quinarius articulorum tarsorum in utroque sexu adesse mihi videtur. (Cfr. SAHLB. Ins. Fenn. 54. 2 in Observ. (Spec. Scand. 8.)

**1. A. Museorum:** ovatus niger, subtus cinereo-squamosus, thoracis lateribus elytrorumque fasciis subtribus griseo-ferrugineoque squamosis, tibiis rufo-testaceis, antennarum clava biarticulata. ♂♀.

*Mas:* antennae ferrugineae, clava obscura, articulo primo minuto brevissimo, ultimo magno, elongato, obconico.

*Fem.:* antennae ferrugineae, clava concolori, articulis parvis subovatis, fere aequalibus, in copula.

FABR. Eleut. 1. 107. 5. GYLL. Ins. Sv. 1. 162. 3. ♂. THUNB. Monogr. Anthr. Nov. Act. Scient. Ups. Vol. 7. p. 156. 20. DEJ. Catal. p. 47. ZETT. Fn. Lapp. 1. 134. 1. ♂♀. *Dermestes Museorum* LINN. Fn. Sv. 430. *Anthr. varius* SCHÖNH. Syn. 1. 115. 7. var. β.

Hab. in floribus et in fenestris, per partem cultam Lapponiae; magnitudine varians, *Anthr. Scrophulariae* semper minor. Larva animalium pelles destruit. (Lappon.-Ångermannia ad Hernösand 30. Aug. ♀. - Scan. freq.)

## 47. Dermestes.

LATR. Gen. Crust. et Ins. FABR. DEJ.

*Corpus* parvum, ovale aut ovatum, pubescens. Antennae thorace breviores, clava magna, saepe elongata, interdum incisa, difformi. Caput retractum. Thorax postice sinuatus. *Color niger*, obscurus, cinereus. *Motus* repens raro volans; adtactus vel terrefactus, artus contrahit, corpus jacere sinit mortuumque mentitur, mox vero se erigit et evadere festinat. *Habitatio* in cadaveribus, quisquiliis, ligno antiquo, cet; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in plerisque extricata; *mas* et *femina* nempe secundum diversam antennarum clavae formam saepe distinguuntur. (Spec. Scand. 17, quatuor diversa genera apud LATR. efficientes.)

*Subdiv.* 1. Antennae clava ovata, articulo ultimo brevi, praecedenti vix longiore, in utroque sexu simillima. Corpus augusto-ovale. *Dermestes* proprie.

**1. D. lardarius:** oblongus niger, antennis ferrugineis, elytris fascia baseos lata, cinereo-tomentosa, punctis sex nigris. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 408. FABR. Eleut. 1. 312. 1. GYLL. Ins. Sv. 1. 146. 1. SCHÖNH. Syn. 2. 83. 1. DEJ. Catal. p. 46. ZETT. Fn. Lapp. 1. 135. 1. ♂♀.

Hab. in cadaveribus, lardo, caseo, in Lapponia boreali culta minus frequens; at in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Stensele et Lycksele in supellectilibus d. 1. Jun. — 2. Jul. sat copiose vidi; e majoribus generis. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. C. murinus:** oblongus niger, antennis concoloribus, supra cinereo-irroratus, scutello fulvo-hirto, subtus niveus.

LINN. Fn. Sv. 426. FABR. Eleut. 1. 315. 15. GYLL. Ins. Sv. 1. 147. 3. SCHÖNH. Syn. 2. 90. 26. DEJ. Catal. p. 46. ZETT. Fn. Lapp. 1. 135. 2. *Dermest. Catta* PANZ. Fn. 40. f. 11.

Hab. in cadaveribus Lapponiae rarius; ad Lycksele, Karesuando et Muonioniska mens. Jun. — Aug. parce legi hunc, qui in provinciis Lapponiae adjacentibus frequentius occurrit; *Dermeste lardario* non longior, sed latior. (Lapp.-Scan. pass.)

**3. D. laniarius:** brevior convexus ater glaber, subtus albido-sericeus, antennis fusco-ferrugineis, clava parva coarctata obtusa.

ILLIG. Mag. 1. 85. 2—3. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 149. 5. DEJ. Catal. p. 46. ZETT. Fn. Lapp. 1. 135. 3.

Hab. in Lapponia Tornensi ad Karesuando D. GRAPE, test. D. SCHÖNHERR; mihi vero nec ibi nec alibi in septentrione obvius; praecedente brevior, convexior, glaber. (Lapponia; Blekingia rar.)

*Subdiv.* 2. Antennae clava elongata, articulo ultimo praecedenti longiore (maribus praesertim), triangulari aut conico. Corpus sublato-ovale. Minores. *Attagenus* LATR. DEJ.

**4. D. undatus:** oblongus pubescens niger, antennis concoloribus; thoracis angulis posticis maculaque antescutellari, elytrorumque fasciis duabus remotis undulatis, albis. ♂♀.

*Mas:* antennarum clava triarticulata, articulo ultimo conico longissimo, reliquis duabus simul sumtis aequali.

*Fem.:* saepe major, antennarum clava triarticulata, articulo ultimo ovato, singulo reliquorum parum longiore.

LINN. Fn. Sv. 410. FABR. Eleut. 1. 313. 7. PANZ. Fn. 75. f. 13. GYLL. Ins. Sv. 1. 154. 11. SCHÖNH. Syn. 2. 87. 7. ZETT. Fn. Lapp. 1. 136. 4. *Megatoma undatum* LATR. Gen. Ins. 2. 34. 1 *Attagenus undatus* DEJ. Catal. p. 46.

Hab. in parietibus et ligno antiquo Lapponiae per partem sylvaticam minus frequens; femina mare multo rarior occurrit. Magnitudine paullo variat, *Derm. Pellione* plerumque angustior, sed magis elongatus. (Lapp.-Scan. pass.)

**5. D. pubescens:** oblongus piceo-nigricans, dense griseo-pubescens, antennis, tibiis tarsisque obscure rufescentibus, thoracis angulis posticis elytrorumque fasciis duabus undulatis ferrugineis, albido-tomentosis. ♀?

ZETT. Fn. Lapp. 1. 136. 5.

Hab. in sylvis Lapponiae Tornensis, rarius; ego sub cortice Abietis ut et in truncis ejusdem arboris ad Wittangi, nec non ad cataractam Pulkapola medio mensis Junii pauca specimina, forte feminea, inveni. (Lapponia.)

Magnitudo, statura et affinitas *Derm. undati*, a quo colore magis fusco, nec atro, pubescentia paullo densiori, defectu maculae thoracis antescutellaris, fasciisque elytrorum ferrugineis tomento parciori vestitis, facile dignoscitur. Caput parvum, deflexum, nigrum, pubescens. Antennae ferrugineae, clava triarticulata, articulo intermedio coarctato, ultimo ovato et primo parum longiore, unde femina proditur. Thorax ut in praecedente constructus, supra dense pubescens praesertim ad latera, macula utrinque in angulo postico cum pubescentia laterali confluente, griseotomentosa, sed maculae antescutellaris vix vestigium detegitur. Scutellum minutum, glabrum. Elytra elongata, sublinearia, convexa, punctulata, nigro-fusca, pubescentia, fasciis duabus, una (antica) ab humero ad suturam oblique ducta, altera (postica) pone medium transversa, undulatis ferrugineis, tomento parcius tectis, ita ut color earum ferrugineus bene transluceat. Corpus et pedes nigra, glabra, tibiis tarsisque rufo-piceis.

**6. D. Pellio:** ovatus nigro-subpubescens piceo-niger subnitidus, antennarum basi tarsisque rufescentibus, thoracis maculis tribus baseos punctoque in medio singuli elytri albo-pubescentibus. ♂♀.

*Mas.:* Antennarum clava longissima triarticulata, articulo ultimo subcylindrico longitudine reliquorum totius antennae simul sumptorum.
*Fem.:* antennarum clava mediocri triarticulata, articulo ultimo ovato vix longitudine duorum praecedentium; in copula.

LINN. Fn. Sv. 411. FABR. Eleut. 1. 313. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 151. 7. SCHÖNH. Syn. 2. 86. 6. ZETT. Fn. Lapp. 1. 137. 1. *Attagenus Pellio* DEJ. Catal. p. 46.

Hab. in domibus, etiam in floribus, per partem cultam Lapponiae, mihi rarissime obvius, in reliqua Suecia vulgaris; magnitudine paullo varians. (Lapp.-Scan. freq.)

*Subdiv. 3.* Antennae clava magna, ovali, interne serrata. Corpus subovatum. Minor. *Megatoma* LATR. DEJ.

**7. D. Serra:** oblongo-ovatus nigro-subpubescens piceo-niger subnitidus, antennis clava magna compressa, interne bis incisa, totis, tibiis tarsisque flavo-testaceis. ♂♀.

*Mas:* antennarum clava maxima triarticulata, interne serrata seu bis profunde incisa.
*Fem.:* major, antennarum clava magna triarticulata, interne subserrata seu bis incisa.

FABR. Eleut. 1. 319. 39. GYLL. Ins. Sv. 1. 153. 10. SCHÖNH. Syn. 2. 94. 42. ZETT. Fn. Lapp. 1. 137. 7. ♂♀. *Megatoma Serra* LATR. Gen. Ins. 2. 35. 2. DEJ. Catal. p. 46.

Hab. in Lapponiae ligno antiquo rarius; *Derm. Pellione* plerumque paullo minor, brevior, et puncto elytrorum albo nullo mox dignotus. (Lapp.-Scan. pass.)

## 48. Cryptophagus.

GYLL. Ins. Sv. 1. 165. HERBST. PAYK. DEJ. *Dermestes* FABR. *Ips* LATR.

*Corpus* exiguum, subovatum convexiusculum. Antennae longitudine thoracis, crassiusculae, articulis tribus ultimis majoribus remotis. Thorax transversus, postice truncatus. Scutellum brevissimum, latum. Tarsi graciles. *Color* niger, fuscus, saepius ferrugineo-testaceus. *Motus* tardus: adtactus quiescit et meditatur, mox vero abit reptatu interrupto. *Habitatio* in fungis et quisquiliis; per partem sylvaticam, rarius subalpinam, Lapponiae. *Differentia sexus* in diversa antennarum structura et articulatione tarsorum interdum quaerenda. (Spec. Scand. 34.)

*Subdiv. 1.* thoracis margine laterali dentato vel ciliato-crenulato.

**1. C. fumatus:** oblongo-ovatus testaceus, subtiliter punctulatus, supra breviter pubescens, antennis crassis, thorace subquadrato, lateribus obtuse bidentato. ♂♀.

*Mas:* tarsis anterioribus 5-articulatis, posticis 4-articulatis.
*Fem.:* tarsis omnibus 5-articulatis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 167. 3. SCHÖNH. Syn. 2. 97. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 138. 1. ♂♀.

Hab. in parietibus et quisquiliis per partem sylvaticam, cultam Lapponiae passim; minutus, vix 1 lin. longus. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. C. cellaris:** oblongo-ovatus fusco-ferrugineus, subtiliter punctulatus, supra pubescens, antennis crassis, thorace brevi, lateribus bidentatis, postice ciliato-crenulatis. ♂♀.

*Mas.:* tarsis posticis 4-articulatis.
*Fem.:* tarsis omnibus 5-articulatis.

Var. a. ♂♀. elytris nigro-fuscis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 168. 4. SCHÖNH. Syn. 2. 97. 4. DEJ. Catal. p. 45. ZETT. Fn. Lapp. 1. 138. 2. a. *Dermestes cellaris* FABR. Eleut. 1. 319. 40.

Var. b. ♂♀. elytris nigro-fuscis, basi ferrugineis.

GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. *Dermestes Scanicus* LINN. Fn. 437. FABR. l. c. 1. 318. 35.

Var. c. ♂♀. totus ferrugineo-testaceus.

GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. c. ZETT. l. c. var. c. *Ips cellaris* LATR. Gen. Ins. 2. 160. 1. *Dermestes Fungorum* PAYK. Fn. 39. f. 14.

Hab. in Lapponiae quisquiliis ad novaccolarum domos passim; varietatem c. in fungis vetustis Betulinis praesertim legi; similis praecedenti, sed duplo minor, thorace breviori, convexiori. (Lapp.-Hernösand ♀. 28. Aug. - Scan. freq.)

**3. C. abietis:** oblongus convexus ferrugineus punctatus pubescens, antennis parum crassis, thorace postice angustiore, margine laterali ciliato-crenulato, antice unidentato.

GYLL. Ins. Sv. 1. 170. 5. SCHÖNH. Syn. 2. 98. 5. ZETT. Fn. Lapp. 1. 139. 3.

Hab. in frondibus Abietis per Lapponiam sylvaticam passim; priore paullo minor, longior et magis convexus. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rar.)

*Subdiv. 2* thoracis margine laterali integro, nudo.

**4. C. pallens:** oblongo-ovatus ferrugineus tenuiter pubescens, antennis crassis, capite thoraceque transverso rectangulo convexo, profundius punctatis. ♂♀.

*Mas:* antennis brevioribus, articulis mediis tibiarumque basi nigrobrunneis, tarsis posticis 4-articulatis.
*Fem.:* paullo major, saturate ferruginea, antennis tibiisque concoloribus, tarsis omnibus 5-articulatis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 177. 14. var. a. ♀. var. b. ♂. SCHÖNH. Syn. 2. 99. 15. var. α. ♀. var. β. ♂. ZETT. Fn. Lapp. 1. 139. 4. ♂♀. *Tenebrio pallens* LINN. Fn. Sv. 820. ♀. FABR. Eleut. 1. 149. 24. ♂. *Antherophagus pallens* DEJ. Catal. p. 45.

Hab. in Lapponia rarius; scilicet in Lapponia Umensi ad Lycksele et in Stöttingsfjellet, d. 1—16. Aug. 1832, femina, nec non in Lapponia Tornensi, ex. gr. in foliis fruticum ad Muonioniska 17. Aug. 1821 uterque sexus a me inventus; *Crypt. cellari* triplo et ultra major, praesertim femina. (Lappon.-Scan. rar.)

**5. C. clavatus:** oblongo-ovatus fusco-ferrugineus pubescens, antennis crassis clava magna, supra punctatus, thorace transverso lateribus subedentulo.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 140. *C. lapponicus* GYLL. Ins. Sv. 4. App. 286.

Hab. in Nordlandia Norvegica rarissime, ad Björkvik d. 15. Jul. unicum specimen inventum. (Lapponia.)

*Descr.* Priori duplo minor, *Crypt. fumato* magnitudine aequalis. Affinis *Cryptoph. cellari*, sed antennarum clava majori thoracisque lateribus fere edentatis distinctus. Antennae crassae, ferrugineae, clava magna, triarticulata dilutiori. Caput punctatum fusco-ferrugineum. Thorax brevis, transversus, latitudine fere elytrorum, supra punctatus, pubescens, fusco-ferrugineus, lateribus subedentatis seu in medio denticulo tantum obtusissimo. Scutellum brevissimum transversum. Elytra ovata, subconvexa, creberrime uti thorax punctata, pubescentia fusco-ferruginea. Corpus obscure ferrugineum. Pedes testacei.

**6. C. ater:** ovatus convexus punctatus tenuiter pubescens niger, ore, antennis, elytrorum apice pedibusque rufo-ferrugineis, thorace postice latiore, transversim impresso, marginato, angulis acutis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 179. 18. SCHÖNH. Syn. 2. 99. 19. ZETT. Fn. Lapp. 1. 140. 6. *Dermestes ater* PANZ. Fn. 23. f. 9.

*Cryptoph. fimetarius* Fabr. Eleut. 1. 316. 20. (teste Dej.) Dej. Catal. p. 45.

Var. b. dilutior totus. Gyll. et Schönh. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b.

Hab. sub lapidibus, muscis et in quisquiliis Lapponiae per partem sylvaticam a mens. Majo usque ad Septemb., haud infrequens; minutus, *Crypt. cellari* duplo et ultra minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**7. C. fimetarius**: oblongo-ovatus convexus, punctulatus, tenuiter pubescens niger, ore, antennarum apice, elytris pedibusque ferrugineis, thorace postice tenuiter marginato, angulis rotundatis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 181. 20. verus. Schönh. Syn. 2. 99. 21. (exclus. Syn. Fabr. teste Dejean) Zett. Fn. Lapp. 1. 141. 7. *Cryptophag. Ipsoides* Dej. Catal. p. 45.

Var. b. obscure ferrugineus, antennis, elytris pedibusque paullo dilutioribus.

Gyll. et Schönh. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b. *Dermestes fenestralis* Linn. Fn. Sv. 423.

Hab. in fungis et quisquiliis per partem sylvaticam Lapponiae, autumno, rarius; varietatem vero b. sub lapidibus locis aridis, nec non in frondibus Pini sylvestris ad Wittangi Lappon. Tornensis, et ad Stensele, Lapp. Umensis, mens. Jun. Jul. paullo frequentiorem observavi. *Cryptophago Abietis* plerumque duplo minor, interdum aequalis. (Lappon.-Scan. pass.)

**8. C. globulus**: globoso-ovatus laevis glaber, niger, ore, antennis pedibusque pallidis, thorace postice sinuato, scutello punctiformi. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 1. 184. 24. Schönh. Syn. 2. 100. 29. Dej. Catal. p. 45. Zett. Fn. Lapp. 1. 141. 8. *Dermestes globulus* Payk. Fn. 1. 295. 24.

Hab. in graminosis Lapponiae per partem sylvaticam parcius; ad insignem vero lacum Tornensem (Torneå Träsk), in vicinitate alpium situm, 8—10. Jul. copiosius vidi, et frequenter in copula. (Lapp.-Scan. pass.)

Minutus. *Crypt. atro* brevior, magis globosus. Mas et femina similes. Elytra in speciminibus nostris lapponicis, iisque non paucis, apice parum rufescenti-pellucida. Antennis thorace longioribus, thorace postice subsinuato, corporis glabritie et convexitate ad genus subsequens transitum efficit species minuta et gracilis, de cetero *Cryptophagis* sat conveniens; forte vero proprii generis.

**9. C. Zetterstedti**: oblongo-ovatus, convexus subtiliter punctulatus tenuiter pubescens, totus ferrugineus, thorace lateribus rotundato, postice marginato.

Schönh. in litteris.

Hab. in Lapponia Umensi per partem sylvaticam rarissime; ad pagum Lapponicum Stensele d. 3. Jul. 1832 unicum individuum inveni. (Lappon. meridionalis.)

Magnitudo et affinitas *C. fimetarii* (No. 7), ejusque varietati b. sat similis, sed punctura paullo subtiliori et colore pallidiore praecipue differt. Totus ferrugineus, oculis solum nigris. Pedes flavi.

## 49. Scaphidium.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 161. Fabr. Dej.

*Corpus* minutum, convexum, ovatum ano acuminato. Antennae thorace longiores tenues; clava 3—5 articulata, articulis remotis. Thorax trapeziformis, postice sublobatus. Elytra truncata, abdomine breviora. *Color* nitidus niger, artubus saepe rufescentibus. *Motus* valde agilis. *Habitatio* communiter in fungis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 8, nimis discrepantes, plura genera forte efficientes.)

**1. S. agaricinum**: ovatum nitidum atrum, ore, antennis pedibusque ferrugineis, elytris truncatis, parce punctatis, margine apicis pellucido-testaceis, scutello nullo.

Fabr. Eleut. 2. 576. 4. Panz. Fn. 2. f. 4. Gyll. Ins. Sv. 1. 187. 2. Dej. Catal. p. 45. Zett. Fn. Lapp. 1. 142. 1. *Silpha agaricina* Linn. Fn. Sv. 448.

Hab. sub cortice Pini, in fungis et truncis putridis praesertim betulinis, per partem sylvaticam Lapponiarum omnium mens. Jun. Jul. sat frequens; sed neque in alpinis regionibus, neque in maritimis littoralibus Nordlandiae et Finmarkiae Norvegicae a me unquam repertum. (Lapp.-Scan. pass.)

*Nitidula aenea* minus. Antennae longitudine thoracis, clava 5-articulata. Thorax antice angustior, postice ante scutellum productus. Elytra laevia, stria suturali unica. Corpus punctulatum. Pedes graciles, tibiis elongatis inermibus.

**2. S. atomarium**: ovale pubescens creberrime punctulatum nigro-piceum, antennis pedibusque pallidis, elytris apice obtusis, scutello magno, pectore laminato, alis fasciculato-pilosis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 188. 3. Zett. Fn. Lapp. 1. 143. 2. *Dermestes atomarius* De Geer Ins. 4. 218 15. Tab. 8. f. 16—20. *Dermestes Armadillo* Payk. Fn. 1. 296. 25. *Ptilium* Schüppel teste Gyll.

Hab. in fungis et quisquiliis per partem infimam Lapponiae sylvaticae rarius, sub lapidibus locis aridis ad Wittangi frequentius mens. Junio. (Lapp.-Scan. pass.)

Praecedente multo minus, inter minima insecta hujus Ordinis. Totum tenuissime pubescens. Antennae dimidio corpore longiores, clava triarticulata pilosa. Lamina pectoris quadrata femora postica obtegens. Pedes tenues.

# FAM. 9. NITIDULARIAE. Gyll.

*Necrophagi* et Species *Erotylenarum* Latr.

## 50. Engis.

Fabr. Syst Eleut. 174. Dej. *Dacne* Latr.

*Corpus* parvum, oblongo-ovatum, glabrum, nitidum, convexiusculum. Antennae clava triarticulata perfoliata, coarctata obtusa. Thorax transverso-quadratus. Tarsi breves. *Color* niger, rufus. *Motus* tardus. *Habitatio* in fungis arborum, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externe vix ulla. (Spec. Scand. 4.)

**1. E. humeralis**: oblonga punctata nigra, capite, antennis, thorace, elytrorum subtiliter punctato-striatorum macula humerali, ano pedibusque rufis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 2. 583. 2. Gyll. Ins. Sv. 1. 203. 2. Zett. Fn. Lapp. 1. 144. 1. *Dacne humeralis* Latr. Gen. Crust. et Ins. 2. 20. 1. *Dermestes Scanicus* Panz. Fn. 4. f. 9. (exclus. Syn. Linn.) *Ips bipustulata* Fabr. Eleut. 2. 578. 8. forte etiam hujus.

Var. b. tota testacea, oculis solum nigris et sutura elytrorum fusca; forte junior.

Gyll. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b. *Silpha flava* Marsh. ent. br. 1. 122. 19.

Hab. in fungis praesertim Betulae albae in Lapponia per partem sylvaticam passim; ad Wittangi et Juckasjervi Lapp. Tornensis ut et ad Lycksele Lapp. Umensis, frequenter lecta mens. Jun. — Aug.; in regione alpina et in littoralibus Nordlandiae atque Finmarkiae hanc speciem frustra quaesivi. Varietas b. in succo destillante Betulae ad Kardis 5. Jun. a me capta. *Nitidula aenea* duplo et ultra major. (Lappon.-Scan. pass.)

## 51. Triplax.

Fabr. Syst. Eleut. 173. Gyll. Dej. *Tritoma* Latr.

*Corpus* parvum oblongo-ovatum, glabrum, nitidum, convexum. Palpi inaequales securiformes. Antennae breves, crassae, moniliformes, clava ovata, perfoliata, triarticulata, obtusa. Thorax transversus. Elytra punctato-striata. Pedes breves, validi, tibiis extrorsum dilatatis, tarsis 4-articulatis. *Color* rufus, niger, caeruleo-virescens, satur, determinatus. *Motus* segnis. *Habitatio* communiter in fungis arboreis; per partem sylvaticam, subsylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in structura tarsorum anticorum investiganda. (Spec. Scand. 4. Faunae nostrae communes.)

**1. T. russica**: oblonga punctata rufo-ferruginea, antennis, oculis, elytris tenuiter punctato-striatis, scutello pectoreque nigris. ♂♀.

*Mas:* tarsis anticis paullo dilatatis, spongiosis l. pubescentibus.
*Fem.:* saepius paullo major, tarsis anticis minus dilatatis, subcompressis, subtus parum pubescentibus: in copula capti.

Gyll. Ins. Sv. 1. 205. 1. Zett. Fn. Lapp. 1. 145. 1. *Silpha Russica* Linn. Fn. Sv. 449. *Triplax nigripennis* Fabr. Eleut. 2. 581. 1. Dej. Catal. p. 29. *Ips nigripennis* Panz. Fn. 50. f. 7. *Tritoma nigripenne* Latr. Gen. Ins. 3. 70. 2.

Hab. in fungis Betulae albae mens. Jun. — Aug., per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae borealis rarius; sed in Lappon. meridionali, in Lycksele et Wilhelmina, usque ad Umenaes, d. 22. Jun. — 20. Jul., paullo frequentius visa;

occurrit etiam parce in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae Norvegicae, et a Bjorkvik et Evenas juxta Ofotenfjord usque ad Altengaard a me lecta, sed ibi semper specimina solitaria et nullibi gregatim inveni. (Lapp.-Scan. pass.)

*Dermeste lardario* paullo minor, brevior, minus convexa, sed in hoc genere magna. — Licet tarsi in hac et subsequentibus speciebus non nisi quadriarticulati conspiciantur, tamen ob summam hujus generis habitu et victu affinitatem cum *Engide* et *Ipe*, illud ab his removere et in Sectione Tertia, *Tetramera* complectente, locare, violata natura, nolui. — Exemplaria quaedam *Triplacis russicae* in Lapponia capta elytris minus regulariter punctato-striatis gaudent; etiam in Scaniae Boletis individua hujus speciei tali elytrorum punctura obsoleta ex utroque sexu parce occurrunt. Unicum specimen, ab Alten Finmarkiae reportatum, et jam in Museo meo asservatum, strigam semicircularem, nigram, impressam, in thoracis antico habet, fortuito sine dubio ortam.

**2. T. aenea**: oblongo-punctata rufo-ferruginea, antennis oculisque nigris, elytris fortius punctato-striatis caeruleo-virescentibus, thorace lateribus posticeque marginato. ♀♂.

Var. a. ♂♀. antennis atris; elytris caerulescentibus vel virescentibus.

Fabr. Eleut. 2. 582. 3. Gyll. Ins. Sv. 1. 206. 3. Dej. Catal. p. 129. Zett. Fn. Lapp. 1. 145. 1. a. ♂♀. *Cryptophagus aeneus* Herbst. Col. 4. 173. 1. Tab. 42. f. 9. i

Var. b. ♂♀. antennis fuscis et interdum ferrugineis; elytris ut in var. a.; forte junior. — Zett. l. c. var. b.

Hab. in fungis Betulae albae per partem sylvaticam et subsylvaticam Lapponiarum omnium Suecicarum, mensib. Jun.—Aug. sat frequens, mens. Julio in copula saepe capta; procedit usque ad regionem subalpinam, ubi Betula desinit crescere, et ad ipsum Torneträsk in sinu Laimolahti ad radices alpium copiose lecta; sed neque in Finmarkiae neque in Nordlandiae maritimis littoralibus a me visa; statura omnino praecedentis, sed triplo et ultra minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**3. T. bicolor**: oblongo-ovata punctata rufo-ferruginea, antennarum clava fusca, oculis elytrisque evidenter punctato-striatis, nigris, thorace lateribus marginato.

Gyll. Ins. Sv. 1. 205. 2. Sahlb. Ins. Fenn. 69. 2. Dej. Catal. p. 129. Zett. Fn. Lapp. 1. 146. 3. *Silpha bicolor* Marsh. Ent. Br. 1. 122. 18

Var. b. tota pallidior, elytris brunneis.

Gyll. l. c. 4. 295.

Hab. in fungis betulinis, var. a. ad Lycksele, Åsele, Tresunda et Fredrica, Lapponiae Umensis s. meridionalis, 10. Jul. — 7. Aug. haud infrequenter; sed var. b. rarissime, non nisi unicum specimen in fungo Betulae ad torrentem Meraslinka prope Junosuando, mox intra terminum Lapponiae Tornensis 10. Jun. inveni. *Tripl. russica* duplo fere minor, praesertim brevior. (Lapp.-Smol. rar.)

**4. T. rufipes**: ovata punctata nigra, capite, antennarum stipite, thorace lateribus marginato posticeque sinuato, pedibusque rufis, elytris obsolete punctato-striatis.

Fabr. Eleut. 2. 582. 2. Gyll. Ins. Sv. 1. 207. 4. Dej. Catal. p. 129. *Ips rufipes* Panz. Fn. 13. f. 17.

Hab. in Lapponia, Collect D. Kolström, mihi non obvia; *Tripl. bicolori* latitudine fere aequalis, sed illa brevior, magis ovata. (Lapponia; Finlandia, Smolandia rarissim.)

## 52. Tritoma.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 337. Fabr. Gyll.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum, convexum nitidum glabrum. Palpi filiformes. Antennae longitudine thoracis, moniliformes, clava ovata. Thorax transversus. Elytra striata. Pedes elongati, tarsis omnibus 5-articulatis. *Color* niger. *Motus* tardus *Habitatio* sub cortice arborum. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 2.)

**1. T. glabra**: breviter ovata nigra, antennis pedibusque piceis, elytris profunde striatis, punctis minutis in striis impressis.

Payk. Fn. 3. 335. 2. Panz. Fn. 23. f. 19. Fabr. Eleut. 2. 572. 7.? Gyll. Ins. Sv. 1. 202. 2. Zett. Fn. Lapp. 1. 417. 1.

Var. b. tota rufo-ferruginea, capite et thoracis antico tantum nigricantibus.

Hab. in Lapponia, teste D. Prof. Sahlberg, mihi nec ibi nec in Suecia boreali obvia; sed utraque varietas e Lapponia Tornensi sua solita benevolentia nuper mecum communicavit D. Assessor Deutsch. (Lappon.-Upland. rariss.)

*Trit. bipustulata* fere dimidio major. Thorax in medio longitudine plus duplo latior, antice posticeque angustatus; tenuiter marginatus, punctis paucis minutis adspersus. Elytra abdomen obtegentia convexa.

Obs. *Tr. bipustulata* Auct. „ovata atra, pedibus nigris, elytris tenuiter punctato-striatis, macula laterali baseos ungulata coccinea," minor, in Suecia media et meridionali passim occurrit, in Lapponia vix deprehenditur.

## 53. Ips.

Fabr. Syst. Eleut. 172. Gyll. Dej. *Nitidula* Latr.

*Corpus* parvum elongato-quadratum convexiusculum glabrum. Palpi filiformes, subaequales, articulo ultimo truncato. Antennae breves clava triarticulata compressa, suborbiculata. Thorax transverso-quadratus. *Color* niger, intensus, maculis rufis l. flavis determinatis parce explosus. *Motus* tardus. *Habitatio* sub cortice arborum et in earum succo ac truncis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* aegre detegitur, ad eandem ex elytrorum apice magis minusve producto aliquando concluditur. (Spec. Scand. 5.)

**1. I. ferruginea**: lineari elongata, convexa subcylindrica ferruginea punctatissima, elytris abdomine brevioribus truncatis, stria unica suturali antice evanescente

Fabr. Eleut 2. 580. 17. Gyll. Ins. Sv. 1. 212. 4. Dej. Catal p 43. Zett. Fn. Lapp. 1. 148. 1. *Dermestes ferrugineus* Linn. Fn. Sv. 433. *Lyctus Dermestoides* Panz. Fn. 8. f. 15. *Nitidula linearis* Latr. Gen. Crust. et Ins. 2. 11. 1.

Hab. in ligno abietino, recenter secato, in Lapponia sylvatica, rarius; *Ipe 4 pustulata* longitudine fere aequalis, sed illa angustior, convexior, subcylindrica. (Lapp.-Ostrogoth. pass.)

**2. I. 4-punctata**: oblongo-ovata subconvexa vage punctata nigra, elytris maculis duabus simplicibus, anteriori acuminata, tarsisque rubris.

Herbst. Col. 4. 165. 2. Tab. 42. f. 2. b. Payk. Fn. 3. 343. 2. Gyll. Ins. Sv. 1. 211. 2. Dej. Catal. p. 43. Zett. Fn. Lapp. 1. 148. 2

Hab. in Lapponia per partem sylvaticam passim; in ligno Abietis ad Wittangi et Juckasjervi mens. Junio ego eam praesertim legi; magnitudine variat, *Dermeste Pellione* paullo minor, angustior, *Triplaci aeneae* subaequalis. (Lappon.-Scan. freq.)

**3. I. 4-pustulata**: lineari-elongata depressa, subtiliter vage punctulata nigra, elytris maculis duabus rubris, anteriori triloba. ♂♀.

*Mas*: elytrorum apice rotundato.

*Fem.*: elytrorum apice ad suturam acuminato.

Fabr. Eleut. 2. 579. 11. Herbst. Col. 4. 164. 1. Tab. 42. f. 1. Gyll. Ins. Sv. 1. 210. 1. Dej. Cat. p. 43 Zett. Fn. Lapp. 1. 149. 3. *Silpha 4-pustulata* Linn. Fn. Sv. 446.

Hab. sub cortice Pini sylvestris, et in hujus et in abietis ligno nuper resecato et succoso, resinoso, nec non in succo destillante Betulae albae, per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae mens. Maj. — Jun. frequenter; ubi Pinus et Abies crescere desinunt, hoc insectum etiam habitare desinit; sic neque in regione alpina et subalpina, neque in Nordlandiae Finmarkiaeque maritimis littoralibus, sylvis acerosis destitutis, illud unquam inveni. Magnitudine variat, priore non latior, sed plerumque longior. (Lapp.-Angermannia ad Hernösand, 20. Maj. — Scania freq )

**4. I. 4-notata**: oblonga ovata depressa, thoracis lateribus punctatis, nigra, antennis, elytris punctato-striatis maculis duabus, anteriori humerali quadrata, tarsisque rubris.

Fabr. Eleut. 2. 579. 12. Gyll. Ins. Sv. 1. 213. 5. Zett. Fn. Lapp. 1. 149. 4.

Hab. cum prioribus, sed multo rarius, non nisi unicum individuum intra limitem Lapponiae inveni. Latitudine praecedentis, ejusque statura depressa, sed multo brevior. (Lapp.-Scania rar.)

## 54. Nitidula.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 156. Fabr. Dej.

*Corpus* minutum, subovatum, latum, obtusum, depressiusculum, marginatum. Palpi subaequales, breves, filiformes, articulo ultimo subacuminato. Antennae clava magna triarticulata, coarctata, perfoliata. Thorax trapeziformis.

*Color* nigricans, testaceus, sordidus, aridus, raro ex aeneo renitens. *Motus* tardus. *Habitatio* in fungis et succo arborum, sub cortice, in floribus, et quarundam in cadaveribus; per partem sylvaticam, subsylvaticam et subalpinam Lapponiae; tota aestate. *Differentia sexus* in structura tarsorum et pygidii aliquando invenienda. Mares et feminae saepius simillimi. (Spec. Scand. 40.)

*Subdiv.* 1. thoracis lateribus depressis, explanatis. *Nitidula* DEJ.

**1. N. varia**: ovata subdepressa punctata griseo-ferruginea, thoracis disco foveolato elytrisque nigro-lineatis maculatisque. ♂♀.

FABR. Eleut. 1. 350. 15. GYLL. Ins. Sv. 1. 215. 2. SCHÖNH. Syn. 2. 142. 32. DEJ. Catal. p. 44. ZETT. Fn. app. 1. 150. 1. *Silpha grisea* LINN. Fn. Sv. 464.

Hab. in succo arborum destillante Lapponiae rarius; mas et femina simillimi, in copula mens. Jul. capti. In suo genere sat magna, *Derm. Pellione* fere latior, sed saepe brevior. (Lapp.-Scan. pass.)

**2. N. sordida**: ovata depressa, brunneo-ferruginea, elytris obsolete nigro-maculatis, thoracis disco subfoveolato, utrinque sulculo incluso.

FABR. Eleut. 1. 351. 16. HERBST. Col. 5. 249. 25. Tab. 54. f. 9. i. GYLL. Ins. Sv. 1. 217. 4. SCHÖNH. Syn. 2. 142. 33. DEJ. Catal. p. 44. ZETT. Fn. Lapp. 1. 150. 2. *Silpha depressa* LINN. Fn. Sv. 463.

Hab. ad Utsjoki super Enare Lapponiae Kemensis D. Pastore FELLMANN, teste Comit. DE MANNERHEIM; mihi in Lapponia non obvia; praecedente parum minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. N. Colon**: ovato-depressa punctulata pubescens nigrofusca, thoracis postice bifoveolati margine pedibusque obscure ferrugineis, elytrorum signaturis apiceque testaceis.

FABR. Eleut. 1. 351. 20 GYLL. Ins. Sv. 1. 218. 5. SCHÖNH. Syn. 2. 143. 38. *Silpha Colon* LINN. Fn. Sv. 462. ZETT. Fn. Lapp. 1. 150. 3. *Nitidula haemorrhoidalis* PAYK. Fn. 1. 352. 7. HERBST. Col. 5. 235. 7. Tab. 53. f. 6. f.

Hab. in quisquiliis Lapponiae verno tempore, rarius; priore duplo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**4. N. bipustulata**: ovata subdepressa crebre punctulata obscure nigra, singulo elytrorum puncto medio rotundo rubro, pedibus ferrugineis.

FABR. Eleut. 1. 347. 2. PANZ. Fn. 3. f. 10. GYLL. Ins. Sv. 1. 221. 8 SCHÖNH. Syn. 2. 135. 2. DEJ. Catal. p. 44. ZETT. Fn. Lapp. 1. 151. 4. *Silpha bipustulata* LINN. Fn. 445.

Hab. in fungis putridis et cadaveribus, per partem sylvaticam Lapponiarum omnium Suecicarum, mihi passim obvia, mens. Jun. Jul. Media, priore major. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. N. obscura**: ovata subdepressa laeviuscula tenuiter pubescens obscure nigra, ore, antennarum basi pedibusque rufo-ferrugineis.

FABR. Eleut. 1. 348. 4. HERBST. Col. 5. 230. 2. Tab. 53. f. 2. b. GYLL. Ins. Sv. 1. 221. 9. SCHÖNH. Syn. 2. 136. 4. DEJ. Catal. p. 44. ZETT. Fn. Lapp. 1. 151. 5.

Hab. in cadaveribus Lapponiae rarius; duplo saepe minor *Nitid. bipustulata*. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. N. obsoleta**: ovata depressa punctata subpubescens ferruginea, thorace emarginato, lateribus rotundato, postice subsinuato, elytris apice truncatis. ♂♀.

*Mas*: ano rotundato seu pygidio parum producto.

*Fem.*: ano acuminato seu pygidio producto, triangulari, depresso.

Var. a. ♂♀. fusco-brunnea, capite, thoracis elytrorumque lateribus, puncto elytrorum postico subrotundo pedibusque pallidioribus.

GYLL. Ins. Sv. 1. 223. 11. var. a. SCHÖNH. Syn. 2. 137. 10. ae ZETT. Fn. Lapp. 1. 151. 3. var. a. ♂♀.

Var. b. ♂. eadem, puncto elytrorum postico lineaque intramarginali cum illo connexa, pallidis.

GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♀. tota testacea, oculis nigris

GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. c. ZETT. l. c. var. c. ♀.

Var. d. ♀. paullo major, tota brunnea, puncto elytrorum pallido nullo. — An GYLL l. c. var. d.?

Hab. in fungis Betulae et in hujus arboris succo destillante, per partem sylvaticam, subsylvaticam et subalpinam Lapponiae et Suecicae et Norvegicae, mens. Jun. et Jul. frequentissima. In regione alpina procedit haec species usque ad terminum, ubi crescere desinit Betula alba. Varietates b. et c. in infima et mitiore parte Lapponiae tantum legi, et var. d. non nisi in fungis betulinis ad Lycksele et in Stöttingsfjellet, Lapponiae meridionalis, 22. Jun.—1. Aug. deprehendi. — Minor, *Nitid. aenea* semper duplo major et ultra, magnitudine paullo varians. (Lapp.-Scan. freq.)

**7. N. boreella**: oblongo-ovata depressa punctulata subpubescens obscure ferrugineo-picea, thorace antice emarginato, lateribus rotundato, postice elytrisque truncatis. ♂♀.

*Mas*: ano rotundato, subinflexo.

*Fem.*: ano acuminato s pygidio elongato-triangulari, depresso.

Var. a. ♂♀. piceo-nigra tota.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 152. 7. ♂♀.

Var. b. ♂♀. nigro-picea, capite, thoracis lateribus, elytrorum margine pedibusque dilutioribus.

ZETT. l. c. var. b.

Hab. sub cortice et in ligno recenter secato atque succoso Pini sylvestris et Abietis, nec non in succo destillante et fungis Betulae albae, in Lapponia tota Suecica per partem sylvaticam, subsylvaticam et subalpinam mense Junio passim frequenter; procedit usque ad radices alpium, et ad Torneåträsk haud parce lecta; sed in summum jugum nunquam adscendit, neque in Nordlandiae Finmarkiaeque sylvis Betulinis a me visa. (Lapponia; Botnia borealis, ÖfverTorneå, Angermannia ad Hernösand 20. Maj.)

Affinis *Nitidulae obsoletae*, sed duplo vel triplo minor, angustior, magis obscura et thorace postice truncato inprimis distincta. Caput angulatum, punctulatum, piceo-nigrum, ore dilutiori. Antennae nigrae. Thorax transversus, antice emarginatus, lateribus rotundatis, angulo pone medium obtusissimo, postice recta truncato, nec ut in affinibus emarginato et subsinuato; supra subdepressus, lateribus explanatus; piceo-niger, lateribus interdum ferrugineo-piceis; totus subtiliter crebre punctulatus et tenuiter pubescens. Scutellum breve, triangulare, concolor. Elytra ovata, tenuiter marginata, parum convexa, apice truncata, tota nigro-vel ferrugineo-picea, subtiliter crebre punctulata, tenuiter l. parcissime tantum pubescentia. Corpus subtus nigrum l. piceum, sublaeve glabrum. Pedes picei, tibiis tarsisque dilutioribus.

**8. N. variegata**: ovata subconvexa punctata subpubescens rufo-ferruginea, thorace antice emarginato, lateribus latius explanatis, elytris truncatis puncto medio nigro. ♂♀.

*Mas*: ano rotundato.

*Fem.*: ano acuminato, pygidio scilicet triangulari depresso.

GYLL. Ins. Sv. 1. 225. 12. SCHÖNH. Syn. 2. 138 11. (neque 10, qui numerus menda typographica ortus est in libro.) ZETT. Fn. Lapp. 1. 153. 8. ♂♀.

Hab. in fungis Betulae albae per partem sylvaticam Lapponiae rarius, ex. gr. Junosuando, Wittangi et Wilhelmina, ubi individua quaedam utriusque sexus 10. Jun. — 30. Jul. legi; *Nitid. obsoleta* paullo minor. (Lapp.-Scan. rar.)

**9. N. pygmaea**: ovata subdepressa, rufo-brunnea punctatissima, marginibus testaceis, thorace late emarginato, elytris apice rotundatis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 225. 13. SCHÖNH. Syn. 2. 138. 11.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Wilhelmina d. 17. Jul. semel lecta. Similis *N. obsoletae*, sed plerumque duplo minor, paullo convexior, crebrius punctulata. (Lapp. meridion.-Ostrog.-Scan. rar.)

**10. N. oblonga**: oblongo-ovata depressa punctata subpubescens fusco-testacea, oculis antennarumque clava atris, thorace emarginato, elytris truncatis. ♀.

HERBST. Col. 5. 245. 20. Tab. 54. f. 4. d. GYLL. Ins. Sv. 1. 226. 14. SCHÖNH. Syn. 2. 138. 12. ZETT. Fn. Lapp. 1. 153. 9. ♀.

Var. b. nigro-picea thoracis lateribus ferrugineis, pedibus piceis.

GYLL. Ins. Sv. 5. App. 299. 14. var. c. Vix var. *Nit. boreellae* (No. 7.).

Hab. in Lapponia rarissime; var. a. in succo destillante Betulae albae ad Junosuando Lapponiae Tornensis d. 10 Jun. a me semel lecta; var. b. in Lapponia hab. teste D. GYLLENHAL l. c.; latitudine fere *Nitid. obsoletae*, sed ea paullo brevior, depressa. (Lapponia; Wasa Finlandiae; Ostrogothia.)

*Obs.* A *Nit. obsoleta* parum praeter colorem discrepat; an vere distincta?

**11. N. pusilla**: oblongo-ovata depressa punctulata subpubescens testaceo-ferruginea, thorace transverso, emarginato, lateribus subrectis, elytris apice rotundatis. ♂♀.

*Mas*: ano rotundato, inflexo.

*Fem*: pygidio triangulari, acuto depresso; in copula capti.

GYLL. Ins Sv. 1. 227. 15. SCHÖNH. Syn. 2. 138. 13. ZETT. Fn. Lapp. 1. 154. 10. ♂♀.

Hab. cum praecedentibus, in Lapponia rarius; ad Wittangi Lappon. Tornensis d. 15. Jun. 1821, et ad Lycksele Lapp. Umensis d. 15. Jun. 1832 pauca specimina legi; ma-

gnitudine *Nitid. obsoletae* vel illa interdum minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**12. N. depressa**: ovata subconvexa punctatissima subpubescens testacea, thorace emarginato, lateribus parum explanatis, elytris apice subtruncatis. ♂.

GYLL. Ins. Sv. 1. 228. 17. vera. SCHÖNH. Syn. 2. 137. 7. DEJ. Catal. p. 44. *Nitid. aestiva* LINN. Fn. Sv. 465? FABR. Eleut. 1. 348. 7? PAYK. Fn. 1. 350. 5. ZETT. Fn. Lapp. 1. 154. 11.

Hab. in floribus Nordlandiae Norvegicae mens. Jul. passim; ad Giebostad in insula Senjen, et ad Finkrog in insula Reenoen ego illam legi; sed in Lapponia Suecica mihi non nisi in paroecia Fredrica d. 30. Jul rarissime obvia. (Lapp.-Scan. freq.)

*Nitid. obsoletae* var. c. similis, sed fere dimidio major, magis convexa et thoracis lateribus minus explanatis distincta. — Ex hac specie mares tantummodo legi. Synonymia incerta, et id propter Auctorum descriptiones insufficientes. Synonymon Linnaei potius ad hanc speciem, in Suecia vulgarem, quam ad *Nit. aestivam* GYLL., in Suecia magis raram, pertinet.

**13. N. silacea**: ovata depressa punctatissima subpubescens testaceo-ferruginea, pedibus pallidioribus, thorace emarginato, lateribus late explanatis, elytris apice truncatis. ♀.

HERBST. Col. 5. 232. 4. Tab. 53. f. 3. c. GYLL. Ins. Sv. 1. 229. 18. vera. SCHÖNH. Syn. 2. 137. 8. ZETT. Fn. Lapp. 1. 155. 12. *Nitid. aestiva* DEJ. Catal. p. 44. (an FABRICII quoque eadem?)

Hab. cum praecedente rarius; ad pagum Björkvik juxta Ofotenfjord Nordlandiae pauca specimina d. 15. Jul. ut et in fungo Betulae ad Åsele et Fredrica, Lapp. Umensis, 29—30. Jul. individua quaedam inveni. (Lappon.-Ostrogothia rar.)

*Nitid. depressa* duplo major, *Nitid. Coloni* aequalis. — Licet ex hac tantum feminas et ex antecedente tantum mares invenire mihi contigerit, eas tamen ad unam eandemque speciem referre non possum, cum notis allatis valde discrepent.

*Subdiv.* 2. Thoracis lateribus non depressis; corpore convexiore. *Strongylus* HERBST. DEJ.

**14. N. rufipes**: brevis ovata convexa subpubescens obscure nigra, thorace pulvinato, margine tenui ferrugineo, pedibus rufo-testaceis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 235. 24. SCHÖNH. Syn. 2. 144. 40.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in foliis Salicis ad Wilhelmina d. 20. Jul. semel lecta. (Lapp.-Suecia media-Scan. pass.)

*N. aenea* plus duplo major, convexior, brevis obtusa. Tibiae omnes compressae.

**15. N. pedicularia**: quadrato-ovata convexa punctatissima sericeo-subpubescens nigra, pedibus anticis piceis, thorace pulvinato vix emarginato, tibiis compressis angulatis.

FABR. Eleut. 1. 352. 24. GYLL. Ins. Sv. 1. 236. 25. SCHÖNH. Syn. 2. 144. 41. DEJ. Catal. p. 44. ZETT. Fn. Lapp. 1. 155. 13. *Silpha pedicularia* LINN. Fn. Sv. 466. (Nec *Dermestes psylius* LINN. Fn. Sv. 436. multo a nostra abludit, ad *Nitid. aeneam* aegre ob colorem relatus.)

Hab. in floribus Lapponiae parcius; parva, *Nitid. obsoleta* minor, *Nitid. aeneae* subaequalis, licet paullo latior. (Lapp.-Scan. freq.)

**16. N. erythropa**: ovata convexa punctatissima sericeo-pubescens nigra, antennarum basi pedibusque fusco-ferrugineis, thorace vix emarginato, tibiis dilatatis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 237. 27. SCHÖNH. Syn. 2. 145. 45. ZETT. Fn. Lapp. 1. 155. 14.

Hab. in floribus Lapponiae rarius; minuta, sequente fere minor, eique affinis. (Lapp.-Scan. pass.)

**17. N. aenea**: oblongo-ovata minus convexa punctatissima nitida nigra, supra metallica, antennarum clava magna obtusa, thorace vix emarginato, tibiis dilatatis, anticis externe subserratis.

Var. a. supra viridi-aenea, pedibus piceo-nigris.

FABR. Eleut. 1. 353 28. PANZ. Fn. 83. f. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 237. 28. SCHÖNH. Syn. 2. 145. 47. DEJ. Catal. p. 44. ZETT. Fn. Lapp. 1. 156. 15.

Var. b. supra caerulescens, pedibus piceo-nigris.

GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. *Nitid. viridescens* FABR. Eleut. 1. 353. 29. PANZ. Fn. 83. f. 7.

Var. c. supra nigro-caerulea, pedibus rufescentibus.

GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. d. ZETT. l. c. var. c. *Nitid. rufipes* FABR. Eleut. 1. 355. 38.

Hab. in floribus Nordlandiae Norvegicae passim; ad Evenäs et Tromsoe mense Julio eam praesertim legi. In Lapponia Suecica forte etiam occurrit, sed mihi ibi non obvia, in provinciis adjacentibus et in tota Suecia ac Finlandia frequentissima species; parva, inter minores generis. (Lapp.-Scan. copiose.)

**18. N. ferruginea**: rotundato-ovata convexa fusco-ferruginea punctata, elytris rude punctato-striatis, pube seriatim adspersis.

FABR. Eleut. 1. 349. 10. GYLL. Ins. Sv. 1. 239. 29. SCHÖNH. Syn. 2. 138. 15. ZETT. Fn. Lapp. 1. 156. 16. *Sphaeridium ferrugineum* PANZ. Fn. 84. f. 2. *Strongylus ferrugineus* DEJ. Catal. p. 43.

Hab. in fungis Betulae albae, in Nordlandiae littoralibus rarius; ego ad Björkvik et Evenäs plura specimina medio mensis Julii inveni; inter majores generis, *Nitid. bipustulatae* subaequalis. (Lapp.-Scan. pass.)

---

## 55. Cercus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 157. DEJ. *Dermestes* FABR. *Catheretes* HERBST. GYLL.

*Corpus* minutum, ovatum, punctatum. Antennae clava elongata, obconica. Thorax transversus, convexus, magnus. Scutellum distinctissimum. Elytra abbreviata. Pedes breves, validi, tibiis dilatatis. *Color* niger, rufus, testaceus!, inconstans. *Motus* tardus. *Habitatio* in floribus, tempore aestivali; per partem sylvaticam et subalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in antennarum structura interdum quaerenda. (Species Scand. 5, *Cather. brachyptero* GYLL. ad genus *Omalium* relegato.)

**1. C. Urticae**: ovatus profunde punctatus tenuiter pubescens; thoracis angulis rotundatis, subaeneo-niger, antennis pedibusque fusco-vel rufo-testaceis. ♂♀.

LATR. Gen. Ins. 2. 16. 2. DEJ. Catal. p. 44. ZETT. Fn. Lapp. 1. 157. 1. *Dermestes Urticae* FABR. Eleut. 1. 320. 44. *Catheretes Urticae* GYLL. Ins. Sv. 1. 247. 2. SCHÖNH. Syn. 2. 148. 2.

Var. b. corpore toto brunneo; junior.

GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b.

Hab. in amentis Urticae dioicae per partem cultam Lapponiae mens. Jul. — Aug. rarius ad Åsele Lappon. meridionalis, tamen passim visus; parvus, *Nitid. aenea* minor, brevior. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. C. bipustulatus**: ovatus, profunde punctatus niger, elytrorum macula media magna, ore, antennis pedibusque pallide rufis. ♂♀.

*Mas:* antennarum articulo primo baseos maximo, elongato.

*Fem.:* antennarum articulo primo magno, oblongo.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 157. 2. ♂♀. *Dermestes bipustulatus* FABR. Eleut. 1. 320. 46. *Catheretes bipustulatus* GYLL. Ins. Sv. 1. 248. 3. SCHÖNH. Syn. 2. 149. 3.

Var. b. ♂♀. Elytra ferruginea, margine, angulo scutellari, apiceque nigris.

GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. ♂♀.

Var. c. ♂♀. totus obscure ferrugineus, elytrorum macula media, ore, antennis pedibusque pallidis.

ZETT. l. c. var. c. ♀.

Hab. in Caricibus et Juncis, locis paludosis, in Nordlandia Norvegica mense Julio passim. Ego illum ad Björkvik, Giebostad et Hamnvigen inprimis legi. In Lapponia Suecica boreali hanc speciem frustra quaesivi, sed in Lapponia meridionali in Juncis ad littus lacus Wojmsjön prope Pastoris Wilhelmensis sedem utrumque sexum omnium varietatum d. 20—22. Jul. 1832. inveni. (Lapponia; Dalekarlia; Uplandia rar.)

*Magnitudo* et statura sequentis. Species pulchra et distincta.

**3. C. pedicularius**: ovatus profunde punctatus-ferrugineo-testaceus, oculis nigris, pectore abdominisque basi brunneis. ♂♀.

*Mas:* antennarum articulo primo baseos maximo elongato subcylindrico, secundo breviori compresso, apice dilatato, obcordato.

*Fem.:* antennarum articulo primo modice incrassato, cylindrico, secundo breviori, apice parum dilatato, obovato.

LATR. Gen. Ins. 2. 16. 4. DEJ. Catal. p. 44. ZETT. Fn. Lapp. 1. 158. 3. *Dermestes pedicularius* LINN. Fn. Sv. 434. PANZ. Fn. 7. f. 5. ♂. FABR. Eleut. 1. 319. 43. *Catheretes pedicularius* GYLL. Ins. Sv. 1. 249. 4. SCHÖNH. Syn. 2. 149. 4

Var. b. ♂♀. pallide testaceus totus. — ZETT. l. c. var. b.

Hab. in floribus per partem sylvaticam Lapponiae Tornensis mens. Jul. — Aug., ex. gr. ad Kengis, Muonioniska et Karesuando; var. a. rarius, var. b. frequentius in provinciis borealibus occurrit; in Nordlandiae et Finmarkiae ma-

ritimis littoralibus a me non visus, regionem alpinam omnino quoque aufugiens; *Cerco Urticae* plerumque paullo major. (Lapp.-Scan. var. a. freq.)

**4. C. glaberrimus**: oblongo-ovatus convexus glaberrimus nitidus ferrugineus, antennis pedibusque luteis.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 158. 4. *Dermestes glaberrimus* PAYK. Fn. 1. 287. 13. *Catheretes glaberrimus* GYLL. Ins. Sv. 1. 250. 5.

Hab. in alpibus Dalecarlicis passim, D. D. PAYKULL; mihi in Lapponiis septentrionalibus non obvius. Magnitudo vix *Cerc. Urticae*. (Dalecarlia.)

---

## 56. Catops.

FABR. Eleut. 167. GYLL. DEJ. *Cholevα* LATR.

*Corpus* parvum, oblongo-ovatum, convexum holosericeo-pubescens. Antennae ad summum longitudine thoracis, extrorsum crassiores, clava 4-5-articulata. Thorax immarginatus, fornicatus. Tarsi elongati, tenues. *Color* fuscus. *Motu* valde agilis et volans. *Habitatio* in cadaveribus et quisquiliis, a primo vere usque ad autumnum; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in tarsis anticis maris paullo dilatatis, feminae simplicibus saepissime detegenda. (Spec. Scand. 4.)

*Subdiv.* 1. Antennarum articulus octavus septimo minor; clava 5-articulata.

**1. C. fornicatus**: nigro-fuscus holosericeus, antennarum basi apiceque pedibusque fusco-testaceis, thorace brevi transverso, elytris attenuatis substriatis. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 1. 276. 1. *Catops Morio* PAYK. Fn. 1. 344. 2. DEJ. Catal. p. 45. *Cholevα tristis* LATR. Gen. Ins. 2. 28. 3. SPENCE Monogr. 144. 5. *Helops tristis* PANZ. Fn. 8. f. 1. *Cat. tristis* GYLL. l. c. 4. 311.

Hab. in cadaveribus, fungis putridis, sub lapidibus et in succo destillante Betulae albae, per partem sylvaticam Lapponiae, mensib. Jun. — Aug. passim; ad Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ad Lycksele et Barrsele, Lapponiae Umensis, ut et ad Evenäs Nordlandiae haud infrequenter vidi. *Anthreno Museorum* paullo major, postice attenuatus. (Lapp.-Ångermannia ad Spjute 24. Maj. - Scan. freq.)

**2. C. alpinus**: oblongo-ovalis sericeo-pubescens niger, antennarum basi elytrisque rufescentibus, pedibus varicoloribus, antennarum clava crassa, articulo octavo contiguis triplo minore. ♂♀.

Var. a ♂♀. elytris pedibusque obscure castaneis. ♂.

*C. fornicatus* var. b. ZETT. Fn. Lapp. 1. 159. 1. b. ♂.

Var. b. elytris rufis; tibiis tarsisque testaceis.

*C. alpinus* GYLL. Ins. Sv. 4. App. 312. 1 - 2.

Var. c. elytris obscure castaneis, pedibus fere totis nigricantibus. — ZETT. l. c. var.

Hab. cum priori fere frequentius in omnibus Lapponiis. Magnitudo prioris. (Lapponia.)

**3. C. agilis**: fusco-piceus pubescens, elytris attenuatis laevibus pedibusque rufo-castaneis, thorace brevi transverso. ♂♀.

Var. a. ♂♀. elytris rufo-castaneis immaculatis.

FABR. Eleut. 2. 565. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 277. 2. DEJ. Catal. p. 46. ZETT. Fn. Lapp. 1. 160. 2. *Helops sericeus* PANZ. Fn. 73. f. 10.

Var. b. ♀. elytris rufo-castaneis, apice nigris.

ZETT. l. c. var. b. ♀.

Hab. in quisquiliis per partem infimam Lapponiae; var. a. ad Kengis, var. b. ad Juckasjervi et Muonioniska Lapponiae Tornensis a me lectae. (Lapp.-Scan. freq.)

A praecedente vix nisi magnitudine plerumque minori, elytrorumque colore et forte eorum laevitate diversus.

*Subdiv.* 2. Antennarum articulus octavus septimo non minor.

**4. C. brevicornis**: fuscus, elytris pedibusque dilutioribus, griseo-pubescens punctatissimus, antennis brevibus, clava magna 4-articulata, pedibus muticis, tibiis rectis. ♀.

PAYK Fn. 1. 346. 4. GYLL. Ins. Sv. 1. 280. 4. SAHLB. Ins. Fenn. 73. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 160. 3. ♀.

Hab. ad Johannis Ro Botniae borealis, nec non ad Kengis et Karesuando Lapponiae Tornensis rarius; sed feminae tantum ibi inventae. Magnitudo praecedentis. (Lappon.-Scan. freq.)

**5. C. bidentatus**: oblongo-ovatus fuscus griseo-pubescens punctatissimus, antennis brevibus, clava magna obtusa 4-articulata, femoribus tibiisque posticis unidentatis incurvatis.

SAHLB. Ins. Fenn. 95. 7. ZETT. Fn. Lapp. 1. 160. 4.

Hab. in Utsjoki supra Enara Lapponiae Kemensis, a D. Past. FELLMANN ibi lectus, teste Comite DE MANNERHEIM, mihi quoque in Lapponia meridionali Umensi ad novaculum Naestansjö in Paroecia Wilhelmina, d. 13. Jul. 1832, semel obvius. Magnitudine praecedenti similis, et *Cat. appendiculato* SAHLB. et mihi valde affinis, armatura pedum distinctus. (Lapponia, Wasa Finlandiae.)

*Obs.* Cel. SAHLBERG, Professor olim Aboënsis, jam Helsingforsensis, de Entomologia in genere et speciatim suae Patriae optime meritus, quatuor novas hujus generis in sua Fauna Fennica adcurate descripsit species, scilicet *C. dentipedem*, *appendiculatum*, *bidentatum* et *serripedem*. Eorum 2 priores, *dentipedem* et *appendiculatum*, ego quoque non solum in Gottlandia (cf. ZETT. Act. Holm. 1824), sed etiam in Lapponiae adjacente Westerbottnia inveni, sexu tantum diversos esse suspicans. Quum enim nihilo nisi armatura et curvatura pedum posticorum differant, nota ex ejusmodi structura pedum desumta magis ut sexualis, quam ut specifica consideranda, quemadmodum in *Donacia*, *Silpha littorali* et forte etiam *Anisotomae* genere obtinet. *C. appendiculatum* igitur marem, et *C. dentipedem* (*C. brunneum* ZETT. Act. Holm.) feminam ejusdem speciei esse, haud incredibile videtur, praesertim cum illius tarsi antici magis dilatati, quam hujus conspiciantur. Semper quoque simul habitant. An idem de *C. bidentato* et *C. serripede* etiam valet, et ille *mas*, hic vero *femina* unius ejusdemque speciei salutari debet?

---

## 57. Peltis.

FABR. Syst. Eleut. 71. GYLL. DEJ. *Thymalus* LATR.

*Corpus* mediae magnitudinis vel minoris, ellipticum, late marginatum, subtus planum. Antennae articulis tribus ultimis magnis perfoliatis remotis, clavam compressam efformantibus. Thorax brevis, transversus. Elytra anum obtegentia. *Color* ferrugineo-brunneus. *Motus* segnis. *Habitatio* sub cortice arborum emortuarum, cui corpus applanatum idoneum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externe nulla; mas et femina similes, in copula capti. (Spec. Scand. 5.)

**1. P. grossa**: ovalis nigro-picea glabra, elytrorum singulo lineis elevatis tribus laevibus, interstitiis profunde punctatis. ♂♀.

FABR. Eleut. 2. 343. 1. GYLL. Ins. Sv. 1. 252. 1. SCHÖNH. Syn. 2. 132. 1. DEJ. Catal. p. 43. ZETT. Fn. Lapp. 1. 161. 1. ♂♀. *Silpha grossa* LINN. Fn. Sv. 459. PANZ. Fn. 75. f. 16.

Hab. sub cortice arborum emortuarum Pini, Abietis, in Lapponia sylvatica boreali et meridionali passim. Procedit versus alpes usque ad terminum, ubi desinit silva acerosa, ideoque parum supra Wackokoski in Lapponia Tornensi occurrit; neque in Nordlandiae et Finmarkiae inferalpinis, littoralibus, unquam visa. *Silpha thoracica* saepe paullo major, interdum aequalis. (Lapp.-Botnia occid. ad Umeå 27. Maj. Helsingia. - Smolandia, pass.)

**2. P. ferruginea**: ovalis ferrugineo-brunnea glabra, elytrorum singulo lineis elevatis sex laevibus, interstitiis duplici serie punctatis. ♂♀.

FABR. Eleut. 1. 344. 2. GYLL. Ins. Sv. 1. 253. 2. SCHÖNH. Syn. 2. 132. 2. DEJ. Catal. p. 43. ZETT. Fn. Lapp. 1. 162. 2. ♂♀. *Silpha ferruginea* LINN. Fn. Sv. 458. PANZ. Fn. 75. f. 17. *Thymalus ferrugineus* LATR. Gen. Ins. 2. 9. 1.

Hab. sub cortice arborum emortuarum Pini per partem sylvaticam Lapponiarum omnium sat frequens, mensib. Majo — Julio a me lecta; praecedente triplo et ultra minor, et colore semper magis ferrugineus. (Lappon.; Scan. pass.)

**3. P. oblonga**: oblonga piceo-nigra glabra, elytrorum singulo lineis octo, alternis elevatioribus, interstitiis duplici serie punctatis. ♂♀.

FABR. Eleut. 1. 344. 3. GYLL. Ins. Sv. 1. 254. 3. SCHÖNH. Syn. 2. 133. 3. DEJ. Catal. p. 43. ZETT. Fn. L. 1. 162. 3. ♂♀. CHARPENT. Hor. Ent. 1825. p. 202. *Silpha oblonga* LINN. Fn. Sv. 460. PANZ. Fn. 75. f. 18.

Hab. sub cortice arborum emortuarum, in Lapponia rarius, Collect D. PORTIN, mihi non obvia. Longitudo praecedentis sed fere duplo angustior. (Lapp.-Scan. pass.)

**4. P. limbata**: brevis ovata convexa, supra aeneo-brunnea pubescens, limbo sanguineo, subtus ferruginea, elytris profunde punctato-striatis.

FABR. Eleut. 1. 344. 4. PANZ. Fn. 91. 8. GYLL. Ins. Sv. 1. 256. 5. SCHÖNH. Syn. 2. 134. 6.

Hab. sub cortice arborum emortuarum, praesertim Pini, et in fungo Betulae, in Lapponia Umensi rarius; ad Rusele 28 — 29. Jun. lecta. (Lapp. meridional. - Ostrogothia pass.)

*Pelt. ferruginea* duplo minor, brevior, sed multo convexior, statura fere *Cassidae.*

---

## 58. Silpha.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 153. FABR. DEJ.

*Corpus* majoris vel mediae magnitudinis, ovatum, parum convexum. Antennae longitudine circ ter thoracis, extrorsum sensim crassiores, clava articulis 5 perfoliatis remotis. Thorax subsemicircularis. Elytra late marginata. *Color* niger, saepe obscurus. *Motus* reptatus haud segnis. *Habitatio* in sordidis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in tarsis anticis maris subtus spongiosis, feminae simplicibus semper invenienda. (Spec. Scand. 14.)

*Phalanx I. Corpus subdepressum, magnum. Caput collo exsertum. Elytra truncata.*

**1. S. littoralis**: nigra, antennarum apice testaceo, thorace suborbiculato, elytrorum singulo lineis duabus elevatis, duabus externis postice tuberculo connexis ♂♀.

*Mas:* tarsis anterioribus subtus fulvo-spongiosis, femoribus posticis incrassatis subtus denticulatis, tibiis arcuatis.

*Fem.:* tarsis femoribusque simplicibus, tibiis rectis.

LINN. Fn. Sv. 450. FABR. Eleut. 1. 336. 2. var. a. ♀.; var. b. ♂. PANZ. Fn. 40 f. 15. GYLL. Ins. Sv. 1. 261. 1. var. a. ♀.; var. b. ♂.; SCHÖNH. Syn. 2. 122. 2. var. α ♀.; var. β. ♂. DEJ. Catal. p. 42. ZETT. Fn. Lapp. 1. 163. 1. ♂♀.

Hab. in quisquiliis et cadaveribus piscium ad littus maris Nordlandici rarissime; in Lapponia Suecica mihi non obvia; reliquis nostratum major. (Lapp.-Scan. pass.)

*Obs* Nec *Necrophoris*, nec *Silphis* bene congruit species haec; forte proprii generis.

*Phalanx II. Corpus ovatum, mediocre. Caput retractum. Elytra apice rotundata.*

*Subdiv.* 1. Thorace antice integro.

**2. S. opaca**: subdepressa fusca tomentosa, thorace antice truncato, elytris lineis tribus elevatis postice unituberculatis. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 454 FABR. Eleut. 1. 341. 19. GYLL. Ins. Sv. 1. 268. 7. SCHÖNH. Syn. 2. 129 20. DEJ. Catal. p. 43. ZETT. Fn. Lapp. 1. 163. 2. ♂♀. *Silpha tomentosa* PAYK. Fn. 332. 7. HERBST. Col. 5. 203. 27. Tab. 51. f. 16.

Hab. sub lapidibus et in campis, locis cultis Lapponiarum omnium, per partem sylvaticam, mens. Majo et Junio frequens; in regionem alpinum non adscendit, nec in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae a me visa; inter minores, *Silph. atrata* minor, angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Omnia in Lapponia collecta specimina, eaque plurima, differunt a suecicis vulgaribus linea illa elytrorum intermedia elevata obsoletissima, vix nisi infra tuberculum versus apicem elytri conspicua. — Oculi in utroque sexu aequaliter magni, nec in mare majores, ut contendit *Naezen* in Act. Holm. 1792.

**3. S. atrata**: convexa nigra glabra lucida, thorace semicirculari, elytris rugoso-punctatis, lineis tribus elevatis, non tuberculatis. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 451. FABR. Eleut. 1. 339. 12. GYLL. Ins. Sv. 1. 266. 6. SCHÖNH. Syn. 2. 127. 16. DEJ. Catal. p. 43. ZETT. Fn. Lapp. 1. 164. 3. ♂♀.

Hab. sub lapidibus et muscis Lapponiae Suecicae per partem infimam, sylvaticam passim; in Lapponia Norvegica a me non visa, nisi ad Alten Finmarkiae rarius; priore paullo major. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs. Silpha obscura* Linn.: „ovata nigra obscura, thorace truncato, elytris profundius punctatis, singulo lineis tribus elevatis obsoletis;" et *Silpha tristis* GYLL.: „ovata nigra obscura, thorace truncato, elytris subtilissime punctulatis, singulo lineis tribus elevatis evidentioribus;" ad hanc Subdivisionem pertinent; sed has Scaniae et Sueciae mediae frequentes incolas, magnitudine *Silph. carinata* paullo minores, seu *Silph. reticulatae* aequales, intra limitem Lapponiae nondum observavi. *Silph. reticulata* FABR. „nigra, elytris trilineatis, interstitiis transversim rugosis," vix nisi meridionalioribus Scandinaviae provinciis inhabitat.

*Subdiv* 2. Thorace antice emarginato.

**4. S. carinata**: subconvexa brunneo-nigra glabra, thorace subemarginato, elytris punctatissimis, singulo lineis tribus elevatis, non tuberculatis. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 1. 269. 8. SCHÖNH. Syn. 2. 124. 10. DEJ. Catal. p 43. ZETT. Fn Lapp. 1. 164. 4. ♂♀. *Silph. opaca* PAYK. Fn. 1. 336. 12. *Silph. lunata* FABR. Eleut. 1. 340. 15. (teste DEJ.)

Hab. cum prioribus rarius; e majoribus nostris, sequente longior, convexior. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs. Silphae*, et larvae et imagines carnivorae, voraces. Captae materiam foetidam, fuscam eructant omnes, haec vero praesertim.

**5. S. thoracica**: depressa nigra sericeo-nitens, thorace rubro fulvo-tomentoso, elytrorum singulo lineis tribus elevatis flexuosis. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 452. FABR. Eleut. 1. 337. 7. PANZ. Fn. 40. f. 16. GYLL. Ins. Sv. 1. 270. 9. SCHÖNH. Syn. 2. 123. 6. DEJ. Catal. p. 42. ZETT Fn. Lapp. 1. 165 5. ♂♀.

Hab. in cadaveribus et fungis putridis Lapponiae sylvaticae borealis rarius; sed in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele et Wilhelmina, 15. Jun. — 20 Jul., haud infrequenter visa; ad majores accedit, *Silph. obscura* paullo major, latior. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. S. rugosa**: depressa nigra subpubescens, thorace tuberculis nudis atris, elytrorum singulo lineis tribus elevatis flexuosis, interstitiis transversim rugosis. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 455. FABR. Eleut 1. 338. 10. PANZ Fn. 40. f. 17. GYLL. Ins. Sv. 1. 272. 11. SCHÖNH. Syn 2. 128. 17 DEJ. Catal. p. 42. ZETT. Fn L. 1. 165. 6. ♂♀.

Hab. in cadaveribus et stercore Lapponiae borealis per partem sylvaticam et cultam, passim; sed in Lapponia meridionali ad Lycksele et Wilhelmina, 31. Maj. — 17. Jul. frequenter observata, ibique usque ad Umenaes procedens. Statura *Silph. thoracicae*, sed fere triplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**7. S. lapponica**: depressa nigra, capite thoraceque sericeo-tomentosis, elytrorum singulo lineis tribus elevatis rectis, interstitiis tuberculato-seriatis. ♂♀.

FABR. Eleut. 1. 338. 11. GYLL. Ins. Sv. 1. 273. 12. SCHÖNH. Syn. 2. 129. 18. DEJ. Catal. p. 42. ZETT. Fn. Lapp 1 165. 7. ♂♀. *Silpha rugosa* var. LINN. Fn. Sv. 455. Fennonibus et Lapponicis Tornensibus: KIISKI.

Hab. in cadaveribus et stercoratis Lapponiae borealis, per totam partem sylvaticam et subsylvaticam mens. Jun. et Jul. copiose, carnes et pisces exsiccatos vel nondum sale imbutos consumens; sed neque in alpibus neque in inferalpinis, maritimisque littoralibus Nordlandiae et Finmarkiae a me inventa; *Silph. rugosae* valde affinis, sed ab ea magnitudine saepe duplo majori, thorace tomentoso etc. mox differt, nec nisi in Lapponia occurrit. (Lapponia.)

**8. S. sinuata**: depressa nigra obscura, antice pubescens, thorace maculis denudatis, elytris glabris, lineis in singulo tribus elevatis, interstitiis punctulatis. ♂♀.

*Mas:* elytris apice truncatis.

*Fem.:* elytris apice ad suturam in lobum rotundatum productis.

FABR. Eleut. 1. 341. 20 ♀. GYLL. Ins. Sv. 1. 274 13. ♂♀. SCHÖNH. Syn. 2. 130. 22. DEJ. Catal. p. 42. ZETT. Fn. Lapp. 1. 166. 8. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi ad Muonioniska frequens. D. KOLSTRÖM; magnitudine *Silphae rugosae*. (Lapp.-Scan. fr.)

**9. S. dispar**: depressa fusca obscura, antice pubescens, thorace maculis denudatis, elytris pilosis, singulo lineis tribus elevatis, interstitiis punctulatis. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 1. 275. 14. SCHÖNH. Syn. 2. 130. 22. DEJ. Catal. p. 42. ZETT. Fn. Lapp. 1. 166. 9. ♂♀.

Hab. cum praecedente, cui valde similis, sed semper paullo minor, obscure fusca, non nigra, nec apice elytrorum ad suturam tam longe producto ac in *Silph. sinuatae* femina; in Lapponia meridionali ad Lycksele jam d. 30. Maj. a me lecta. (Lapp.-Scan. freq.)

---

## 59. Necrophorus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 152. FABR. DEJ.

*Corpus* magnum, oblongum, postice latius. Antennae breves, capitulo coarctato globoso, valde perfoliato, quadri-articulato. Thorax suborbiculatus. Elytra truncata, anum non tegentia. Pedes validi, tibiis brevibus, conico-trigonis. Femora postica trochantere in spinam terminato. *Color* ater, aurantiacus, nitidus; pictura fasciata. *Motus* tardus, inter-

dum vero volatus velox, circularis. *Habitatio* in putrescentibus, tempore aestivali; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in tarsorum structura facile observanda. (Spec. Scand. 6.)

**1. N. Vespillo:** niger, antennarum clava elytrorumque fasciis duabus undulatis aurantiacis, pedum posticorum condylis dente elongato, tibiis posticis arcuatis. ♂♀.

*Mas:* macula clypei magna ferruginea, tarsis anticis dilatatis, longe ciliatis.

*Fem.:* macula clypei parva picea, tarsis anticis minus dilatatis, mediocriter ciliatis.

Fabr. Eleut. 1. 335. 7. Gyll. Ins. Sv. 1. 259. 7. Schönh. Syn. 2. 119. 7. Dej. Catal. p. 42. Sahlb. Ins. Fenn. 86. 1. Zett. Fn Lapp. 1. 167. 1. ♂♀. Gyll. l. c. 4. App. 307. *Silpha Vespillo* Linn. Fn. Sv. 444.

Hab. in cadaveribus Lapponiae per partem mitiorem, sylvaticam mens. Majo-Augusto, rarius, moschum spirans; elytris erectis approximatis circumvolitat, cadavera minora olfactu sagacissimo investigans, et, ovis in his depositis, sub terra sepeliens. *Silph. littorali* parum major, sed crassior. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Femora postica extus flavo-pubescentia, et trochanteris spina elongata, recta, unde synonymon Gyllenhali huc retuli.

**2. N. Investigator:** niger, antennarum clava elytrorumque fasciis duabus undulatis aurantiacis, thorace supra subnudo, pedum posticorum condylis dente brevi subincurvo, tibiis posticis rectis. ♂♀.

*Mas:* capite pone oculos tumido, macula clypei magna ferruginea, tarsis anticis dilatatis, longe ciliatis.

*Fem.:* capite pone oculos subattenuato, macula clypei parva ferruginea, tarsis anticis minus dilatatis, mediocriter ciliatis.

Herschel in Illig. Mag. 6. 274 (*N. vestigator.* Sahlb. Ins. Fenn 86. 2. Dej. Catal. p. 42. (Schönh. Syn. 2. 119. 7.) Zett. Act. Holm 1824. p. 151. 44. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 167. 2. ♂♀. Gyll. l. c. 4 App. p. 308.

Hab. rarius cum praecedente, cui magnitudine et moribus similis, ad Lycksele Lapponiae meridionalis mas d. 19. Jun. captus. (Lapp.-Scan. rar.)

**3. N. Mortuorum:** niger, antennarum clava concolore, elytrorum fascia undulata maculaque apicis utrinque reniformi, aurantiacis, pedum posticorum condylis dente brevi, tibiis rectis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. elytris nigris fascia antica, maculaque apicis lunata, aurantiacis.

*Mas:* tarsis anticis dilatatis, condylis femorum posticorum dente brevi.

*Fem.:* tarsis anticis minus dilatatis, condylis femorum posticorum dente brevissimo.

Fabr. Eleut. 1. 335. 8. Panz. Fn. 41. f. 3. Gyll. Ins. Sv. 1. 260. 4. Schönh. Syn. 2. 121 8. Dej. Catal. p. 42. Sahlb. Ins. Fenn. 87. 3. Zett. Fn. Lapp. 1. 168. 3. ♂♀.

Var. b. elytris aurantiacis, basi tantum, intra humeros, nigris.

Sahlberg l. c. var. b Zett. l. c. var. b.

Hab. in cadaveribus Lapponiae per partem sylvaticam mens. Jun. Jul. passim; var. a. ad Juckasjervi et Muonioniska, Lapponiae Tornensis, ad Wilhelmina, Fredrica, Lycksele usque ad Umenaes, Lapponiae Umensis, ut et ad Bjorkvik Nordlandiae Norvegicae a me capta; var. b. tantum ad vicum Matarengi ad Paroecim ÖfverTorneå a D. Portin semel lecta, testantib. D. D. Sahlberg et Mannerheim; in alpibus haec species vix occurrit. Praecedentibus plerumque minor. Thorax orbiculatus. Femora postica parum crassa, parce nigro-pubescentia. (Lapp.-Scan. freq.)

*N. Germanicus, humator* et *Sepultor* Gyll. et Charpent. vix supra Scaniam in Suecia procedunt.

## FAM. 10. LUCANIDES. Latr. Gyll.

### 60. Synodendron.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 192. Fabr. Dej.

*Corpus* medium, ovali-cylindricum, glabrum. Antennae articulo primo valde elongato; tribus ultimis transverso-trigonis, intus in dentem prominulis, clavam serratam, compressam formantibus. Pedes breves, tibiis latere externo valide serrato. *Color* ater, constans. *Motus* valde tardus. *Habitatio* in truncis arborum cariosis et ligno putrido, ubi et larvae et imagines semper latent. Ad *Differentiam sexus* e *maris* capitis cornu longiori recurvo, *feminae* capitis cornu brevi recto statim concluditur. (Spec. Scand. 1. nec exoticae plures.)

**1. S. cylindricum:** nigrum nitidum, thoracis antico profunde punctato, elytris convexis rude l. confuse punctato-substriatis, subrugosis. ♂♀,

*Mas:* cornu capitis recurvo, intus fulvo-hirto, thorace antice retuso inaequaliter dentato, dente intermedio distincto, postice nitido laevi.

*Fem.:* cornu capitis brevi, recto, nudo, thorace toto punctato, antice parum retuso, foveis duabus carina media secatis, excavato.

Fabr. Eleut. 2. 376. 1. ♂. Panz. Fn. 1. f. 1. ♂. 2. f. 9. ♀. Gyll. Ins. Sv. 1. 71. 1. ♂♀. Dej. Catal. p. 61. Zett. Fn. Lapp. 1. 169. 1. ♂♀. *Scarabaeus cylindricus* Linn. Fn. Sv. 380. ♂.

Hab. in arborum truncis vetustis, per partem sylvaticam infimam Lapponiae rarius; *Aphodio Fossore* paullo major, longior (Lapp.-Scan. pass. freq.)

*Obs. Nosodendron fasciculare* Dej. (*Byrrhus* idem Schönh.) insectum Gallicum, nuper etiam inopinate Faunae Suecicae vindicatum, scilicet ad Lund Scaniae detectum, nostrae certe peregrinum.

## FAM. 11. SCARABAEIDES.

*Lamellicornes.* Dej.

### 61. Melolontha.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 198. Fabr. *Anomalae* spec. Dej.

*Corpus* (in nostra) medium, convexum, scutellatum. Antennae capitulo triphyllo. Elytra anum non tegentia, margine laterali integra. Tibiae calcaratae. Tarsi biungulati. *Color* variabilis. *Motus* incessu lento, at volatu vespertino. *Habitatio* larvarum in terra, plantarum radices devorantium, imaginum in campis et pratis folia consumentium, aestivo tempore; in vicinitate Lapponiae; *Differentia sexus* in hac specie nondum extricata. (Spec Scand. 9.)

**1. M. Julii:** oblongo-ovata convexa glabra caeruleo-virescens, thoracis lateribus concoloribus, elytris nigro-caerulescentibus striatis

Payk. Fn. Sv. 2. 210. 5. *β.* Gyll. Ins. Sv. 1. 62. 6. var. b. Schönh. Syn. 3. 196 154. *χ.* Sahlb. Ins. Fenn. 1. 20. 4. c. Zett. Fn. Lapp. 1. 170. 1. *Mel. Frischii* var. Naezén Act. Holm. 1794. 265. 1.

Hab. in Lapponia infima, Collect. D. Kolström; in foliis Salicis capreae et Betulae, Alni in Botnia occidentali d. 25 Jul 1791, frequens D. Naezén; in Tavastia et Savolaxia Finlandiae D. Sahlberg; intra limites vero Lapponiae mihi non obvia. *Melol. horticola* plus duplo major. (Lapponia; Botnia; Scania pass.)

### 62. Trichius.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 204. Fabr. Dej.

*Corpus* (in nostro) medium, subdepressum, scutellatum, breviter ovatum, postice latius. Thorax rotundatus. Elytra quadrata, anum non tegentia, margine laterali integra. Pedes elongati. Tarsi unguibus validis. *Color* varius. *Motus* segnis, raro volans. *Habitatio* larvarum in ligno putrescente, imaginum in floribus, ubi longe quiescunt; tempore aestivali; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in clypei et pygidii structura quaerenda. (Spec. Scand. 4, cum *Trichio Eremita* Gyll. et *Trich. Eremitico* Gyll. unam speciem efficientibus, sexu tantum diversis.)

**1. T. fasciatus:** clypeo emarginato, flavo-tomentosus niger, elytris fasciis duabus interne saepius confluentibus luteis. ♂♀.

*Mas:* clypeo villis omnibus erectis, anterius subattenuato parum ruguloso, pygidio angusto parcius villoso.

*Fem.:* clypeo villis tantum posticis erectis, anticis subdepressis, magis dilatato, antice rugoso, pygidio lato densius villoso; plures in copula capti.

Var. a. ♂♀. Elytra nigra, fasciis duabus arcuatis luteis ad suturam conjunctis, anteriori postica plerumque latiori; regione scutelli interdum fulva; in copula.

Gyll. Ins. Sv. 1. 53. 1. Schönh. Syn. 3. 103. 10. Dej. Catal. p. 61. Sahlb. Ins. Fenn 17 et 18. 1. b. et c. Zett. Fn. L. 1. 171. 1. a. ♂♀. *Scarabaeus fasciatus* Linn. Fn. Sv. 395.

Var. b. ♂. Elytra nigra, fasciis duabus luteis, anteriori latiori, decurrenti, non vero posteriori juncta; posteriori parva libera lunata.

Schönh. l. c. var. β. et App. 39. 60. β. Sahlberg l. c. 18. 1. d. Zett. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♂♀. Elytra nigra, fasciis duabus luteis, anteriori latiori, decurrenti, posteriori in medio interrupta, macula exteriori transversa, libera.

Schönh. l. c. var. γ. et App. 39. 60. γ. Sahlberg. l. c. 18. 1. e. Zett. l. c. var. c. ♂.

Var. d. ♂♀. Elytra nigra, fasciis duabus luteis, anteriori latiori, decurrenti, posteriori maculis duabus liberis transversim positis, exteriori majori subtriangulari, interiori (ad suturam) minutissima, rotundata, punctiformi.

Schönh. l. c. var. δ. et App. 39. 60. δ. Sahlb. l. c. 18. 1. f. Zett. l. c. var. d. ♂.

Var. e. ♂♀. Elytra nigra, fasciis duabus luteis, anteriori lata, libera, posteriori angusta cum linea suturali, quae ad medium elytri extenditur, conjuncta. Interdum in copula cum var. a. inventa.

Sahlb. l. c. var. g. Zett. l. c. var. e. ♀.

Var. f. ♂. Elytra nigra, fasciis luteis, liberis, maculas quatuor lunatas in dorso formantibus.

Gyll. l. c. 1. 53. 1. b. Schönh. l. c. var. ε. (exclus. Syn. Linn.) et App. 39. 60. ε. Sahlb. l. c. var. k. Zett. l. c. var. f. ♂.

Var. g. ♂♀. Elytra lutea, macula humerali, callo nitido inserta, transversa, fascia media interne abbreviata, plagaque apicali, callo nitido etiam inserta, atris, omnibus his signaturis margine nigro connexis; clypeo emarginato.

Schönh. l. c. var. ξ. et App. 39. 60. ξ. Zett. l. c. var. g. *Trichius fasciatus* Fabr. Eleut. 2. 131. 4. (exclus. Syn. plur.)

Hab. in floribus Sorbi, Spiraeae Ulmariae, Umbellatarum etc. in Lapponia Suecica et Norvegica, per partem sylvaticam et cultam, mens. Augusto, passim; ego varietates b et c ad Tromsoe Nordlandiae septentrionalis, variet. a et g ad Bossekop et Alten Finmarkiae, varietates d, e et f ad Kengis, Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis, et varietates a. c. e. g. (a. et c. interdum in copula) iterum frequenter in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Stensele, Åsele, Wilhelmina nec non in monte subalpino Stöttingsfjellet, in pratis inveni. Varietates a. et e., frequenter (interdum promiscue in copula), at varietas f. rarissime, occurrunt. In regione alpina nunquam deprehenditur haec species. (Lappon.-Scan. pass. non vero omnes varietates.)

---

## 63. Cetonia.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 206. Fabr. Dej.

*Corpus* magnum, robustum, depressum, scutellatum. Clypeus quadratus. Thorax subtrigonus. Elytra basi latiora, scapulis sive lamina pectorali utrinque assurgente suffulta; margine externo antice exciso. Sternum antice productum. *Color* metallicus, viridis, aureus, ardens. *Motu* valde segnis, interdum breviter volans. *Hospitium* larvarum in ligno putrescente et in formicarum acervis; imaginum in floribus, tempore aestivo; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externe nulla: *mares* et *feminae* simillimi, in copula capti. (Spec. Scand. 3; *Ceton. stictica* relegata, vix Sueciae incola.)

**1. C. aenea:** supra viridi-aenea, clypeo subemarginato, elytris albo-strigosis glabris, sterno antice tuberculiforme, subtus plano punctulato, apice truncato. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 1. 50. 2. Schönh. Syn. 3. 119. 38. Dej. Catal. p. 61. Zett. Fn. Lapp. 1. 173. 1. *Ceton. metallica* Payk. Fn. 2. 203. 3.

Var. b. supra cuprea. — Gyll. et Schönh. l. c. var. b.

Hab. in Lapponia boreali passim rarius; sed in meridionali, ex. gr. ad Lycksele et Wilhelmina, d. 3. Jun. — 10. Aug. frequenter a me visa, usque in regionem inferiorem frondosam alpium Brattiksfjell adscendens; larvas in formicarum acervis mense Junio, imagines declaratas in floribus Cardui mens. Aug. ad Muonioniska et Kengis vidi. *Scarab. stercorario* parum brevior, sed angustior, multo minus convexa. (Lapp.-Suecia media freq. Scan. pass.)

**2. C. aurata:** supra viridi-aurea, clypei apice subreflexo, emarginato, elytris albo-strigosis parce pilosis, sterno antice tuberculiforme, apice subgloboso, laevissimo. ♂♀.

Fabr. Eleut. 2. 137. 9. Panz. Fn. 41. f. 15 Gyll. Ins. Sv. 1. 51. 3. Schönh. Syn. 3. 117. 37. Dej. Catal. p. 61. Zett. Fn. Lapp. 1. 173. 2. ♂♀. Heer. Mittheil. 1834. p. 82. (in regione montana Alpium Helveticorum non rar.) *Scarabaeus auratus* Linn. Fn. Sv. 400.

Hab. in Lapponia rarissime cum praecedente, cui magnitudine aequalis. (Lappon.-Scan. pass.)

---

## 64. Trox.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 191. Fabr. Dej.

*Corpus* mediae vel minoris magnitudinis, ovatum, scabrum, supra valde convexum, scutellatum, subtus planum. Clypeus brevissimus. Antennae breves articulo basilari magno rigide pilosissimo. *Color* nigricans opacus aridus, nunquam vivax aut maculatus. *Motus* tardus. *Habitatio* in arenosis aridis (non in stercoratis), tempore praesertim vernali; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externe nulla. (Spec. Scand. 3.)

**1. Tr. sabulosus:** niger, elytris substriatis, interstitiis alternis elevatioribus fasciculato-hispidis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 1. 110. 3. Panz. Fn. 7. f. 1. Schönh. Syn. 1. 117. 4. Gyll. Ins. Sv. 1. 10. 1. Dej. Catal. p. 56. Zett. Fn. Lapp. 1. 174. 1. ♂♀. *Scarabaeus sabulosus* Linn. Fn. Sv. 390.

Hab. in Lapponia meridionali per partem infimam rariss.; ab alpibus omnino exsul. *Chrysomela staphylaeae* parum major. (Lapp.-Scan. pass.)

---

## 65. Psammodius.

Gyll. Ins. Sv. 1. p. 6. Dej. *Aphodius* Fabr.

*Corpus* parvum oblongo-ovatum, undique convexum, glabrum, scutellatum. Clypeus brevis latus transversus, convexus, non tuberculatus. Antennae breves, clava ovata. *Color* niger, piceus. *Motus* tardus. *Habitatio* in stercore et sub lapidibus, locis sabulosis, saepe in vicinitate aquae; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* externe non manifesta. (Spec. Scand. 7, in sabuletis Scaniae et Hallandiae pleraeque degentes.)

**1. Ps. Sabuleti:** nigro-piceus, clypeo integro thoraceque crebre punctatis, elytris profunde punctato-striatis. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 1. 7. 3. Dej. Catal. p. 55. Zett. Fn. Lapp. 1. 174. 1. ♂♀. *Aphodius Sabuleti* Fabr. Eleut. 1. 31. 56. Schönh. Syn. 1. 86. 75.

Var. b. totus ferrugineus, nuper exclusus.

Hab. in stercore et sub lapidibus ad ripas fluminum per partem sylvaticam Lapponiae Tornensis sat frequens, Umensis ad Lycksele etc. passim; mens. Maj. — Junio. In Nordlandiae inferalpinis littoralibus mens. Julio ad Evenäs et Björkvik quoque inventus, at in ipsis alpibus frustra quaeritur. Scandinaviae propria species, nam in regione montana alpium Suessionensium, ex. gr. in Matt a Col. O. Heer 1834 lecta. Var. b. ad pagum Kardis Tornoae superioris d. 6. Jun. a me lecta. (Lapp.-Scan. rar. pass.)

*Aphodio haemorrhoidali* paullo minor, angustior, convexior.

---

## 66. Scarabaeus.

Fabr. Syst. Eleut. 3. Gyll. Schönh. *Geotrupes* Latr. Dej.

*Corpus* magnum, orbiculato-ovale, valde convexum, glabrum scutellatum. Clypeus parvus, angulatus, subdepressus, (in nostris) inermis. Antennae clava ovata. Thorax abdomine brevior, antice sensim angustior. *Color* niger, in violaceum l. cyaneum saepe vergens. *Motus* tardus, laborans; tempestate serena volatus. *Habitatio* in stercore: in terra cuniculos fodientes vitam suam longiorem degunt et larvae et imagines, coprophagae; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in armatura pedum quaerenda. (Sp. Scand. 6; clypeo armato instructae, Sueciae australis incolae.)

**1. Sc. stercorarius:** breviter ovalis niger, subtus violaceus, thorace laevi, elytris subsulcatis, interstitiis laevibus. ♂♀.

*Mas:* tibiae anticae apice parum latiores, latere interno dentibus paucis parvis, uno versus apicem distincto valido elongato erecto; femora postica versus basin dentibus duobus distinctis.

*Fem.*: tibiae anticae latiores carina interna denticulata, denticulis plurimis parvis obsoletis; femora postica versus basin dente unico obsoleto.

LINN. Fn. Sv. 427. FABR. Eleut. 1. 24. 10. SCHÖNH. Syn. 1. 26. 11. GYLL. Ins. Sv. 1. 4. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 175. 1. ♂♀. HEER. Mitth. 1834. p. 81. *Geotrupes stercorarius* DEJ. Catal. p. 56.

Norvegis: *Tordival.*

Hab. in stercoratis per partem sylvaticam omnium Lapponiarum passim. Alpes omnino fugit, nec in regione subalpina reperitur unquam. Vespera circumvolitat magno cum susurru serenum diem posterum annuntians insectum notissimum. Acaris in hoc climate minus infestatur. In suo genere inter nostrates maximus, magnitudine tamen variat. (Lapp.-Scan. frequentiss.)

**2. Sc. sylvaticus**: subhemisphaericus cyaneo-niger, subtus violaceus, thoracis disco sparsim punctato, elytris striatis, interstitiis transversim strigosis. ♂♀.

*Mas*: tibiae anticae latere interno dentibus duobus validis, inaequalibus, apicali minore; femora postica dente unico distincto.

*Fem.*: tibiae anticae carina interna denticulis tantum tribus aut quatuor.

FABR. Eleut. 1. 25. 11. PANZ. Fn. 49. f. 3. SCHÖNH. Syn. 1. 27. 12. GYLL. Ins. Sv. 1. 4. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 176. 2. ♂♀. *Geotrupes sylvaticus* DEJ. Catal. p. 56.

Hab. in fungis terrestribus et sub foliis deciduis arborum per Lapponiam sylvaticam, nec ad regionem alpinam adscendens; in Wilhelmina Lappon. Umensis mens Jul. pass.; priori minor, brevior. Mas raro deprehenditur. (Lapp.-Scan. fr.)

**3. Sc. vernalis**: subhemisphaericus cyaneus, thorace confertim punctato, elytris obsolete punctato-striatis. ♂♀.

*Mas*: tibiae anticae latere interno dentibus sex aut septem distinctis parvis, penultimo majori; femora postica subtus denticulis plurimis crenulata, seu subserrata.

*Fem.*: tibiae anticae latere interno brevissime et obsolete denticulato; femora postica subtus mutica seu dente unico obsoleto.

Var. a. ♂♀. supra cyaneus.

LINN. Fn. Sv. 389. FABR. Eleut. 1. 25. 12. PANZ. Fn. 49. f. 2. SCHÖNH. Syn. 1. 27. 13. GYLL. Ins. Sv. 1. 5. 5. ZETT. Fn. Lapp. 1. 176. 3. 1. *Geotrupes vernalis* DEJ. Catal. p. 56.

Var. b. ♂♀. supra niger.

GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in stercore Lapponiae rarius, prioribus plerumque minor. (Lapp.-Scan. freq.)

*Not. S. alpinus* DAHL. DEJ. Cat. p. 56, in rupibus Gottlandiae semel a me lectus, in omnibus regionibus, etiam alpina, alpium Suessionensium, speciatim in Matt, occurrens, secund. Cel. HEER. Mittheil. 1834 pag. 81., neque in alpibus neque in regionibus inferioribus Lapponiae a me observatus.

## 67. Aphodius.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 187. FABR. DEJ.

*Corpus* minoris magnitudinis seu parvum, ovale, convexum, scutellatum. Clypeus amplus semicircularis aut lunatus, saepe tuberculatus. Thorax transverso-quadratus. *Color* niger, rufus, lividus, saepe nitidus. *Motus* tardus. *Habitatio* communiter in stercoratis, gregatim. Vita subbimestris: vernalis plerisque, aestivalis aliis, autumnalis paucis; per partem sylvaticam Lapponiae frequenter, in alpibus raro. *Differentia sexus*: *mas* plerumque major, et tuberculis clypei saepe distinctioribus quam in *femina*. (Spec. Scand. 47; pleraeque Scaniae incolae.)

*Subdiv.* 1. Clypeo in mare distincte, in femina saepe obsolete trituberculato.

**1. A. Fossor**: niger convexus, thoracis lateribus parce punctatis, elytris tenuiter punctato-striatis, interstitiis laevibus. ♂♀. (major.)

FABR. Eleut. 1. 67. 2. SCHÖNH. Syn. 1. 66. 2. GYLL. Ins. Sv. 1. 12. 1. DEJ. Catal. p. 54. ZETT. Fn. Lapp. 1. 177. 1. ♂♀. *Scarabaeus Fossor* LINN. Fn. Sv. 384.

Hab. in stercore per partes cultas Lapponiae passim, in suo genere magnus. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. A. terrestris**: niger convexus, thorace creberrime punctato, elytris tenuiter punctato-striatis, interstitiis punctulatis. ♂♀. (minor.)

FABR. Eleut. 1. 71. 13. SCHÖNH. Syn. 1. 69. 13. GYLL. Ins. Sv. 1. 13. 2. DEJ. Catal. p. 55. ZETT. Fn. Lapp. 1. 177. 2. ♂♀. *Scarabaeus ater* PANZ. Fn. 43. f. 1.



Hab. in stercore bovino per partem sylvaticam Lapponiae passim; praecedente quadruplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. A. foetens**: niger, thoracis parce punctati angulis anticis, elytrorum profunde striatorum limbo abdomineque rubris. ♂♀.

FABR. Eleut. 1. 69. 8. SCHÖNH. Syn. 1. 67. 8. GYLL. Ins. Sv. 1. 13. 3. DEJ. Catal. p. 54. ZETT. Fn. Lapp. 1. 178. 3. ♂♀. *Scarabaeus foetens* PANZ. Fn. 48. f. 1.

Hab. cum praecedente, rarius, tempore aestivali. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. A. fimetarius**: niger, antennis, thoracis parce punctati angulis anticis elytrisque modice striatis, rubris; thoracis lateribus rotundatis. ♂♀.

*Mas*: tuberculis clypei majoribus, et dentibus tibiarum anticarum longioribus.

*Fem.*: tuberculis clypei minoribus, et dentibus tibiarum anticarum parvis: in copula.

FABR. Eleut. 1. 72. 19. SCHÖNH. Syn. 1. 71. 19. GYLL. Ins. Sv. 1. 14. 4. DEJ. Catal. p. 54. ZETT. Fn. Lapp. 1. 178. 4. ♂♀. *Scarabaeus fimetarius* LINN. Fn. Sv. 385. ae. PANZ. Fn. 31. f. 2. *Norvegis*: Mögbasse.

Var. b. ♂♀. elytris obscurioribus piceo-rufis. Lycksele 6. Jun.

Hab. in stercore Lapponiarum omnium per partem sylvaticam, frequens, ab alpibus exsulans*); inter majores generis; notissima species, verno tempore inprimis vigens. (Lapp.-Scan. freq.)

*A. autumnalis*: brevis testaceus nitidus, clypeo trituberculato scutelloque nigris, elytris testaceo-rubris punctato-striatis, striis crenulatis. (Magnitudine *A. fimetarii.*) SAHLB., SCHÖNH. et GYLL., ad Umeå a D. NARZEN olim detectum, et nunc a D. WASASTJERNA ad Wasam Finlandiae sero autumno deprehensus, mihi ignotus.

**5. A. Lapponum**: niger, antennarum stipite, thoracis crebre punctulati angulis anticis elytrisque, ferrugineis; thoracis lateribus rotundatis. ♂♀.

SCHÖNH. Syn. 1. 72. 21. GYLL. Ins. Sv. 1. 15. 5. DEJ. Catal. p. 54. ZETT. Fn. Lapp. 1. 178. 5.

Var. b. ♂. elytris nigris, limbo ferrugineo-cum var. a., ad Lycksele rar.

Hab. in stercore bovino Lapponiae, et Suecicae et Norvegicae, usque ad Alten Finmarkiae, mensibus Junio et Julio, copiose. In summas alpes vix adscendit; extra Lapponiam a me non visus. (Lapponia.)

Magnitudine paullo variat, *Aphod. fimetario* saepius paullo minor et elytris semper magis obscure rufescens. Variat quoque thoracis angulis anticis pedibusque nigris vel piceis. Individua clypei tuberculis obsoletis certe feminea. Differt a sequente seu *A. Rhenonum*: thorace convexiori subtilius punctulato, magisque nitido, ut et quod saepe paullo major latior, tuberculis clypei evidentioribus. Ex ambabus speciebus uterque quoque occurrit sexus.

**6. A. Rhenonum**: niger, thoracis crebre punctati angulis anticis elytrisque, ferrugineis; thoracis lateribus subrectis. ♂♀.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 179. 6.

Hab. in stercore Rhenonum et Boum Lapponiae, et borealis et meridionalis rarius. In ipsa nive in alpium Tornensium jugo ambulans, mense Julio captus. (Lapponia.)

*Descr. Aphodio fimetario* duplo minor et ultra, sequenti aequalis. Differt a praecedente, cui nimis affinis, praeter magnitudinem paullo minorem, inprimis thorace paullo breviore, lateribus magis rectis, nec ut in illo rotundatis, ut et angustior. *Clypeus* angulatus, antice parum emarginatus; punctulatus, tuberculis tribus obsoletis. *Antennae* pallidae, clava fusca. *Thorax* parum convexus, lateribus subrectis seu in medio vix dilatatus; sat crebre punctatus, niger, angulis anticis plerumque ferrugineis vel piceis. *Scutellum* nigrum. *Elytra* thorace plus duplo longiora, in medio haud dilatata, punctato-striata, nitida ferruginea. *Corpus* subtus nigrum. *Pedes* picei, tarsis dilutioribus.

*Obs.* An idem ac *Aph. rubens* vel *Aph. picimanus* DEJEANI, qui in Styriae alpibus occurrunt? Ex illustr. Auctoris nudo *Catalogo*, quem ad manum habeo, nihil certi concludere possum.

Var. b. ♂. aut totus niger, aut elytris nigro-piceis. — In Lapponia Tornensi D. FRIGELIUS; in stercore bovino ad Lycksele, Lappon. Umensis, d. 15. Jun. cum var. a. rarius, ipse.

**7. A. haemorrhoidalis**: niger, thorace scutelloque magno punctatis, elytris crenato-striatis, apice rufis. ♂♀.

*) Usque in regionem alpinam alpium Suessionensium adscendit, teste HEER. in Mittheil. 1834 p. 81.

Fabr. Eleut. 1. 75. 30. Schönh. Syn. 1. 78. 41. Gyll. Ins. Sv. 1. 18. 9. Dej. Catal. p. 55. Zett. Fn. Lapp. 1. 179. 7. ♂♀. *Scarabaeus haemorrhoidalis* Linn. Fn. Sv. 386. Panz. Fn. 28. f. 8.

Hab. in stercore equino et bovino Lapponiae sylvaticae borealis passim, meridionalis ad Lycksele mens. Jun. frequenter; *Aph. fimetario* plus duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

8. **A. piceus:** nigro-piceus, thoracis crebre punctati angulis anticis rufis, elytris punctato-striatis. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 1. 21. 14. Zett. Fn. Lapp. 1. 180. 8. *Scarab. inquinatus* var. Fabr. Ent. Syst. 1. 28. 88. *Aph. inquinatus* var. b. Schönh. Syn. 1. 74. 25.

Var. b. ♂♀. elytris brunneis; junior.

Hab. in stercore bovino et sub lapidibus in Lapponia Tornensi, etiam in Nordlandia et Finmarkia Norvegiae, mensib. Majo — Augusto, vulgaris; in Lapponia meridionali ad Lycksele, Tresunda, Badstutraesk et Wilhelmina, mens. Jun. Jul., etiam copiose visus. Var. b. vero non nisi ad Lycksele mens. Maj. parce legi. — Ad alpes nivales raro adscendit, ex. gr. in alpium Tornensium jugo repertus, et usque ad Torneå atque ripas Råneå Botniae borealis descendit, sed mitiores Scandinaviae regiones omnino aufugit. (Lapp.-Botnia borealis - Herjeådalen Bohem.)

Magnitudo antecedentis vel fere longior, convexus, scutello parvo. Elytra distincte punctato-striata, apice vix rufescentia. Femora rufo-picea, tibiis tarsisque dilutioribus.

9. **A. borealis:** niger, thoracis crebre punctulati angulis anticis, elytrorum tenuiter punctato-striatorum apice pedibusque rufo-piceis.

Var. a. elytris nigris, puncto humerali apiceque late rufopiceis.

Zett. Fn. Lapp. 1. 180. 9. a. Gyll. Ins. Sv. 4. App. 248.

Var. b. elytris piceis, puncto humerali apiceque late rufis. Zett. l. c. var. b.

Hab. in stercore bovino ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis rarius, d. 22. Jun. 1821 primum captus, deinde ad Lycksele, Lapponiae Umensis d. 10. Jun. 1832 in stercoratis utramque varietatem paullo frequentius deprehendi. (Lappon.)

*Descr. Aphodio piceo* duplo minor, *Aph. grano* subaequalis. Clypeus subemarginatus, trituberculatus, subtilissime punctulatus, niger, margine antico reflexo piceo. Thorax subconvexus, punctulatus, nitidus niger, angulis anticis saepe rufo-piceis. Scutellum parvum triangulare, nigrum, lineola apicis elevata. Elytra parum convexa, tenuiter striata, striis subcrenatis, interstitiis subtilissime punctulatis; aut nigra, in var. a., apice late rufescente, aut picea, puncto humerali apiceque late rufis. Pedes toti rufoferruginei. Medius quasi inter *Aphodium putridum* et *piceum*.

10. **A. inquinatus:** niger, thoracis subtiliter punctulati lateribus antice-rufis, pedibus elytrisque pallidis, his maculis nigris, interioribus tricompositis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 1. 73. 23. Schönh. Syn. 1. 74. 25. Gyll. Ins. Sv. 1. 22. 15. Dej. Catal. p. 54. Zett. Fn. Lapp. 1. 181. 10. ♂♀. *Scarab. inquinatus* Panz. Fn. 28. f. 7.

Var. b. ♂♀. maculis elytrorum magis vel minus connexis. Gyll. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b. ♂♀. *Aph. nubilus* Schönh. Syn. 1. 74. 26.

Hab. in stercore passim cum *Aph. piceo*, cui magnitudine aequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

11. **A. sordidus:** flavo-testaceus, subdepressus, vertice thoracisque disco parce punctulato nigris, corpore pedibusque nigro-variis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 1. 74. 26. Schönh. Syn. 1. 75. 33. Gyll. Ins. Sv. 1. 26. 19. Dej. Catal. p. 54. Zett. Fn. Lapp. 1. 181. 11. ♂♀. *Scarab. sordidus* Panz. Fn. 48. f. 2. *Scarab. fimetarius* var. b. Linn. Fn. Sv. 385.

Var. b. ♂♀. elytris puncto humerali et altero pone medium fuscis.

Gyll. l. c. var. c. Schönh. l. c. var. c. Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in stercoratis Lapponiae per partem sylvaticam versus autumnum rarius, ab alpibus semper distans; *Aph. fimetario* fere aequalis, sed angustior, et multo minus convexus. (Lapp.-Scan. freq.)

12. **A. rufescens:** rufo-ferrugineus, subconvexus, [illegible]cis disco crebre punctulato nigro, pedibus immaculatis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 1. 74. 27. Schönh. Syn. 1. 76. 34. Gyll. Ins. Sv. 1. 27. 20. Dej. Catal. p. 54. Zett. Fn. Lapp. 1. 12. ♂♀. *Aph. sordidus* var. b. Sturm. Fn. 1. 93. 9. var. f. 9.

Hab. rarius in Lapponia cum priori, quo plerumque paullo minor, sed magis convexus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Varietates elytris nigro-maculatis a D. D. Schönh. et Gyll. l. c. commemoratae, in Suecia vulgares, quaeque etiam ut Finlandiae incolae a D. Prof. Sahlberg in Opere ejus, quod *Insecta Fennica* inscribitur, afferuntur, in Lapponia mihi non obviae.

*Subdiv.* 2. Clypeo in utroque sexu mutico.

13. **A. rufipes:** oblongus, convexus nigro-piceus, subtus dilutior, clypeo thoracisque disco laevibus, elytris subcrenato-striatis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 1. 76. 35. Schönh. Syn. 1. 79. 49. Gyll. Ins. Sv. 1. 31. 27. Dej. Catal. p. 55. Zett. Fn. Lapp. 1. 182. 13. ♂♀. *Scarab. rufipes* Linn. Fn. Sv. 403. Panz. Fn. 47. f. 10.

Var. b. totus ferrugineo-piceus, nuper exclusus.

Gyll. l. c. Zett. l. c. var. b.

Hab. in stercoratis Lapponiae inferioris rarius; ad Lycksele et Åsele, Lapponiae meridionalis, 15. Jul. — 12. Aug. tamen frequentius visus; in hoc genere magnus, *Aph. Fossore* parum brevior, sed angustior, minus convexus. (Lapp.-Scan. freq.)

14. **A. nigripes:** ovatus, subdepressus niger, tarsis piceis, clypeo thoraceque punctatis, elytris punctato-striatis, interstitiis punctulatis.

Fabr. Eleut. 1. 76. 36. Schönh. Syn. 1. 80. 50. Gyll. Ins. Sv. 1. 32. 28. Dej. Catal. p. 55. Zett. Fn. Lapp. 1. 182. 14. *Scarab. nigripes* Panz. Fn. 47. f. 9.

Hab. in Lapponiae stercoratis passim. Ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, et ad Hamnvigen in insula Dyroen Nordlandiae Norvegicae mens. Junio et Julio a me lectus; deinde etiam in Lapponiae meridionalis stercore bovino ad Lycksele d. 7—20. Jun. passim visus; at in ipsis alpibus eum nunquam observavi. Priori minor, sed *Aph. fimetario* plerumque major, multo magis depressus. (Lapp.-Scan. fr.)

15. **A. depressus:** ovatus, subdepressus niger, palpis tarsisque ferrugineis, clypeo thoraceque punctatis, elytris rufis punctato-striatis, interstitiis punctulatis.

Fabr. Eleut. 1. 80. 55. Schönh. Syn. 1. 86. 74. Gyll. Ins. Sv. 1. 33. 29. Dej. Catal. p. 55. Zett. Fn. Lapp. 1. 183. 15. *Scarab. depressus* Panz. Fn. 39. f. 1.

Var. b. elytris infuscatis.

Hab. in stercoratis Lapponiae borealis passim, meridionalis, ex. gr. ad Lycksele 6—7. Jun. frequentius. — In alpe Dowre, plaga boreali, pluribus locis utraque varietas quoque a D. Boheman inventa. Magnitudine aequalis priori, cujus forte mera varietas elytris rufis. (Lapp.-Scan. rar.)

16. **A. lutarius:** ovatus, subdepressus opacus, pubescens, punctatus niger, elytrorum striatorum limbo pedibusque rufo-maculatis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 33. 31. Sahlb. Ins. Fenn. 11. 27. Fabr. Ent. Syst. 1. 35. 112. Dej. Catal. p. 54. Zett. Fn. Lapp. 1. 183. 16. *Scarab. lutarius* Panz. Fn. 47. f. 11. *Aph. immundus* Fabr. Eleut. 1. 77. 41. Schönh. Syn. 1. 82. 56.

Hab. ad Muonioniska Coll. D. Kolström, mihi in Lapponia non obvius; praecedente duplo minor. (Lapponia? Finlandia - Scania pass.)

17. **A. prodromus:** oblongus, subdepressus laevis niger, thoracis transversi lateribus subpunctatis, pedibus elytrisque pubescentibus pallide griseis, his plaga magna fusca. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 1. 36. 33. var. a. ♀. var. b. ♂. Zett. Fn. Lapp. 1. 183. 17. ♂♀. *Aph. consputus* Fabr. Eleut. 1. 77. 40. Schönh. Syn. 1. 81. 54. *Aph. pubescens* Dej. Cat. p. 54.

Hab. in stercore Lapponiae sylvaticae frequens, *Aph. sordido* plerumque minor. Mares clypeo obsolete trituberculato cum feminis clypeo omnino inermi instructis in copula capti. (Lapp.-Scan. freq.)

18. **A. sphacelatus:** oblongus, subdepressus niger, clypeo thoraceque punctatis, thoracis lateribus, pedibus elytrisque pubescentibus pallide griseis, his plaga magna fusca. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 1. 37. 33. Zett. Fn. Lapp. 1. 183. 18. ♂♀. *Scarabaeus sphacelatus* Panz. Fn. 58. f. 5. *Aph. consputus* Dej. Catal. p. 54.

Hab. cum praecedente haud infrequens. (Lapp.-Scan. fr.)

Magnitudo prioris, eique valde affinis, sed notis allatis constantibus specie bene distinctus. Ex utraque ambo quoque occurrunt sexus, nec promiscue copulantur.

19. **A. foetidus:** oblongus convexus niger, thoracis punctati angulis anticis, elytris punctato-striatis pedibusque rufis.

Fabr. Eleut. 1. 82. 64. Schönh. Syn. 1. 88. a. 91. Gyll. Ins. Sv. 1. 38. 35. Dej. Catal. p. 54. Zett. Fn. Lapp. 1. 184. 19.

Var. b. macula elytrorum disci lunulaque postica nigris; femoribus piceis.

Gyll. l. c. var. c. Zett. l. c. var. b. *Scarab. serotinus* Panz. Fn. 67. f. 2.

Hab. in stercore bovino Lapponiae; ad Wittangi, Juckasjervi, Kengis et Lycksele mens. Jun. — Aug. haud infrequenter lectus, sed neque in alpibus neque in Lapponia

Norvegica a me repertus; *Aph. inquinato* paullo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**20. A. Granum:** oblongus convexus niger, thoracis punctati angulis anticis, elytrorumque punctato-striatorum apice rufis, pedibus rufo-piceis. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 1. 19. 11. Zett. Fn. Lapp. 1. 184. 20. ♂♀. *Aph. granarius* Fabr. Eleut. 1. 75. 29. Schönh. Syn. 1. 77. 39. Dej. Catal. p. 55. *Scarab. granarius* Panz. Fn. 43. f. 3.

Var. b. duplo minor.

Zett. et Gyll. l. c. var. b. *Aph. pusillus* Schönh. Syn. 1. 88. a. 90.

Hab. in stercoratis Lapponiae inferioris passim. (Lapp.-Scan. freq.)

Hic *Aph. foetido* magis affinis quam ulli alii videtur, etiam clypeo mutico, quare in hac Subdivisione potius quam in priori locavi, invitis Illustr. Gyllenhal et Schönherr. A specie praecedente vix differt nisi magnitudine minori et colore rufo, qui tamen in var c. *Aphodii grani*, in Suecia frequenter occurrente, idem est. Clypeo linea elevata utraque species gaudet, sed elytrorum interstitia in *Aph. foetido* plana, in *Aph. grano* magis convexa apparent. Nomen triviale *granarius* huic tribuere nolui, sed illud genuino *Aph. granario* Linn. cum Nobil. Gyllenhal reservavi.

**21. A. tristis:** oblongus convexus niger, thorace immaculato punctulatissimo, elytris punctato-striatis, interstitiis punctulatis, tibiis posticis dilatatis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 20. 12. Schönh. Syn. 1. 78. 42. Dej. Catal. p. 55. Zett. Fn. Lapp. 1. 185. 21. *Scarab. tristis* Panz. Fn. 73. f. 1.

Hab. parce in Rovaniemi seu parte meridionali Lapponiae Kemensis, D. Pastor Fellmann, teste Com. de Mannerheim; mihi in Lapponia non obvius; majoribus praecedentis individuis aequalis. (Lapp.-Scan. pass.)

**22. A. niger:** oblongus subcylindricus niger nitidissimus, clypeo inaequali, elytris tenuiter punctato-striatis, scutello minuto.

Gyll. Ins. Sv. 1. 30. 25. Schönh. Syn. 1. 84. 65. Dej. Catal. p. 55. Zett. Fn. Lapp. 1. 185. 22. *Scarab. niger* Panz. Fn. 37. f. 1.

Hab. in Rovaniemi D. Fellmann teste D. de Mannerheim. (Lapp.-Scan. pass.)

Longitudo *Aph. tristis*, sed paullo angustior.

**23. A. merdarius:** oblongus, parum convexus, niger, thoracis punctulati angulis anticis rufis, elytris punctato-striatis flavo-testaceis, sutura striaque marginali nigris. ♂♀.

Fabr. Eleut. 1. 80. 52. Schönh. Syn. 1. 85. 70. Gyll. Ins. Sv. 1. 29. 23. Dej. Catal. p. 54. Zett. Fn. Lapp. 1. 185. 23. ♂♀. *Scarab. quisquilius* Panz. Fn. 48. f. 4.

Hab. cum *Aph. grano*, cui magnitudine aequalis, sed minus convexus; in Lapponia haud frequenter occurrit. (Lapp.-Scan. freq.)

---

## 68. Copris.

Fabr. Syst. Eleut. 5. *Onthophagus* Latr. Dej.

*Corpus* mediae l. minoris magnitudinis; breve, ovatum, parum convexum, exscutellatum. Antennarum clava quadrato-orbiculata. Thorax magnus rotundatus. Femora intermedia basi remota. *Color* (in speciebus borealibus) fuscus, parum ex metallico renitens, luridus, opacus. *Motus* tardus. *Habitatio* in stercore, gregatim; tempore vernali; per partem inferiorem Lapponiae. *Differentia sexus* in maris vertice mutico mox detegenda. (Spec. Scand. 10.)

**1. C. nuchicornis:** aeneo-nigra, clypeo subintegro, thoracis angulis anticis porrectis, elytris luridis nigro-adspersis. ♂♀.

*Mas:* occipite spina erecta, basi dilatata.

*Fem.:* clypeo carinis duabus transversis valde elevatis, thorace antice producto.

Fabr. Eleut. 1. 50. 90. Schönh. Syn. 1. 51. 112. Gyll. Ins. Sv. 1. 46. 4. Zett. Fn. Lapp. 1. 186. 1. ♂♀. *Scarabaeus nuchicornis* Linn. Fn. Sv. 381. Panz. Fn. 4. f. 1. *Onthophagus nuchicornis* Dej. Catal. p. 54.

Hab. in stercore, in vicinitate Lapponiae rarius. (Lapp.-Scan. freq. — in regione montana alpium Suessionensium frequenter quoque occurrit secund. Heer. Mitth. 1. p. 81.)

**2. C. fracticornis:** aeneo-fusca, clypeo subemarginato, thoracis angulis anticis subreflexis, elytris luridis fusco-adspersis. ♂♀.

*Mas:* clypeo productiori, lamina occipitis utrinque dentata, spina terminali nutante.

*Fem.:* clypeo lineis duabus transversis, antica arcuata longiori, thorace mutico.

Fabr. Eleut. 1. 50. 91. Schönh. Syn. 1. 52. 113. Gyll. Ins. Sv. 1. 47. 5. Zett. Fn. Lapp. 1. 187. 2. ♂♀. *Scarab. fracticornis* Panz. Fn. 49. f. 9. *Onthophagus fracticornis* Dej. Catal. p. 53.

Hab. frequentius cum priori, cui magnitudine aequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

---

# FAM. 12. HISTEROIDES. Gyll. Payk.

*Byrrhii* Latr. *Clavicornes* Dej.

## 69. Hister.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 172. Fabr. Dej. Payk.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum obtusum, subdepressum, durum, glaberrimum. Palpi 4 inaequales, articulis internis obconicis. *Color* nitidus ater, rubedine raro interlucente. *Motus* tardus. *Habitatio* in stercore, cadaveribus, fungis et sub cortice arborum, tota aestate; per partem tantum sylvaticam et subsylvaticam Lapponiae. *Larva* hexapoda, corpore tereti, membranaceo. *Differentia sexus* ignota; mares et feminae rarissime in copula deprehenduntur. (Spec. Scand. 42.)

*Sect.* 1. *Thorace longitudinaliter striato* (nec punctato).

*Subdiv.* 1. Thoracis lateribus bistriatis.

**1. H. unicolor:** ater nitidus, elytris striis septem, extima tribusque interioribus abbreviatis, tibiis anticis tridentatis, dente extimo bifido.

Linn. Fn. Sv. 440. Fabr. Eleut. 1. 84. 3. Schönh. Syn. 1. 89. 6. Gyll. Ins. Sv. 1. 74. 1. Payk. Monogr. Histeroid. 19. 10. T. 2. f. 7. Dej. Catal. p. 47. Zett. Fn. Lapp. 1. 187. 1.

Hab. in stercore et quisquiliis per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae et borealis et meridionalis, mens. Jun. Jul., passim; inter majores lapponicos hujus generis. (Lapp.-Scan. pass.)

**2. H. brunneus:** ater nitidus, elytris striis septem, duabus interioribus abbreviatis; tibiis anticis sexdentatis.

Fabr. Eleut. 1. 86. 15. Schönh. Syn. 1. 92. 21. Gyll. Ins. Sv. 1. 75. 2. Zett. Fn. Lapp. 1. 188. 2. *H. unicolor* Panz. Fn. 4. f. 2. *H. cadaverinus* Payk. Histeroid. 21. 12. T. 2. f. 8. Dej. Catal. p. 47.

Hab. in cadaveribus, stercore et succo arborum per partem sylvaticam Lapponiae, passim; priori paullo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**3. H. parvus:** ater nitidus, antennarum capitulo ferrugineo, elytris striis sex, duabus interioribus abbreviatis, tibiis anticis quadridentatis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 79. 7. Zett. Fn. Lapp. 1. 188. 3. *H. bissexstriatus* Fabr. Syst. Eleut. 1. 84. 4. Schönh. Syn. 1. 89. 7. Payk. Histeroid. 32. 21. T. 3. f. 3. Dej. Catal. p. 47.

Hab. in stercore Lapponiae rarius; parvus. (Lapp.-Scan. freq.)

Thoracis stria margini proxima in angulo antico tantum observanda. Variat elytrorum striis tribus interioribus abbreviatis, ut et tibiis anticis interdum tridentatis, unde Gyllenhali varietates a. et b. exstant.

*Subdiv.* 2. Thoracis lateribus unistriatis.

**4. H. purpurascens:** ater nitidus, elytris disco rubris, str[illegible] dorsalibus septem, duabus interioribus abbreviatis, fo[illegible] marginali laevi, tibiis anticis quinquedentatis.

[illegible]. Eleut. 1. 87. 18. Schönh. Syn. 1. 93. 28. Gyll. Ins. Sv. 1. 81. 9. Payk. Histeroid. 38. 26. T. 3. f. 7. Dej. Catal. p. 47. Zett. Fn. Lapp. 1. 188. 4.

Hab. in Lapponia cum praecedentibus parcius; *H. parvo* parum major. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. H. carbonarius:** ater nitidus, elytris striis septem, tribus interioribus abbreviatis, fovea submarginali punctata, tibiis anticis quinque- l. sex-dentatis.

Schönh. Syn. 1. 90. 9. Gyll. Ins. Sv. 1. 82. 10. Payk. Histeroid. 39. 27. T. 3. f. 8. Dej. Catal. p. 47. Zett.

Fn. Lapp. 1. 189. 5. *Hist.* 12-*striatus* FABR. Eleut. 1. 85. 5.
Hab. in Lapponiae stercoratis passim, magnitudine varians, *H. brunneo* tamen plerumque paullo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

*Sect.* 2. *Thorace punctato* (nec longitudinaliter striato).

**6. H. nitidulus**: ovatus subconvexus nigro-subaeneus punctulatus, thoracis antice utrinque foveolati disco elytrorumque antico laevibus, horum striis quinque obliquis abbreviatis, tibiis anticis multicrenatis.
FABR. Eleut. 1. 85. 7. PANZ. Fn. 93. f. 1. SCHÖNH. Syn. 1. 90. 13. GYLL. Ins. Sv. 1. 88. 17. PAYK. Histeroid. 58. 43. T. 5. f. 3. DEJ. Catal. p. 48. ZETT. Fn. L. 1. 189. 6.
Hab. in fimetis et cadaveribus Lapponiae minus frequens; *H. carbonario* magnitudine aequalis. (Lapp.-Scan. pass.)

**7. H. aeneus**: ovatus subconvexus aeneus punctatus, thoracis disco elytrorumque area antica subgemina laevissimis, horum striis subquinis inaequalibus, suturali integra, tibiis anticis multidenticulatis.
FABR. Eleut. 1. 88. 25. PANZ. Fn. 93. f. 2. SCHÖNH. Syn. 1. 94. 34. GYLL. Ins. Sv. 1. 89. 18. PAYK. Histeroid. 68. 52. T. 6. f. 6. DEJ. Catal. p. 48. ZETT. Fn. Lapp. 1. 189. 7.
Hab. rarius cum praecedente, quo duplo minor et ultra. (Lappon.-Scan. pass.)

**8. H. rotundatus**: ovatus subdepressus niger, undique punctatus, elytris striis quatuor abbreviatis, suturalis antice rudimento, tibiis anticis dilatatis, subquinque denticulatis.
GYLL. Ins. Sv. 1. 93. 23. SAHLB. Ins. Fenn. 30. 18. PAYK. Histeroid. 77. 49. T. 7. f. 3. DEJ. Catal. pag. 48. (Reliqua Synonyma mihi dubia videntur). ZETT. Fn. Lapp. 1. 190. 8.
Hab. sub cortice arborum et in fungis Lapponiae parcius; *H. aeneo* dimidio minor et minus convexus. (Lapp.-Scan. pass.)

**9. H. flavicornis**: oblongo-ovatus parum convexus, undique punctulatus, piceo-niger, antennis flavescentibus, elytris basi obsolete striolatis, pedibus rufo-piceis, tibiis anticis extus dilatatis, denticulatis.
SCHÖNH. Syn. 1. 99. 69. GYLL. Ins. Sv. 1. 96. 27. PAYK. Histeroid. 90. 74. T. 8. f. 6. DEJ. Catal. p. 48. ZETT. Fn. Lapp. 1. 190. 9. *H. minutus* PANZ. Fn. 93. f. 3.
Hab. sub cortice arborum emortuarum in Lapponia sylvatica haud infrequens; minutus, vix lineam longus. (Lapp.-Scan. pass.)

**10. H. vulneratus**: ovalis subconvexus niger, undique punctulatus, thorace subquadrato, disco elevato, sulco utrinque laterali lineolaque transversa ante medium impresso.
PANZ. Fn. 37. f. 6. SCHÖNH. Syn. 1. 99. 71. GYLL. Ins. Sv. 1. 97. 29. (exclus. Syn. PAYK. sub quo latet *H. pusillus* PAYK. Histeroid. 96. 80. T. 11. f. 4. qui in Suecia et Lapponia vix occurrit). PAYK. Histeroid. 95. 79. T. 11. f. 6. DEJ. Catal. p. 48. ZETT. Fn. Lapp. 1. 190. 10.
Hab. cum praecedente in Lappon. minus frequens. (Lapp.-Scan. pass.)
Inter minimos hujus generis, vix dimidium lineae longus. Elytra minime striata. Clava antennarum pallida. Pedes rufo-picei, tibiis anticis apice dilatatis, spathulatis, inermibus.

**11. H. caesus**: breviter ovalis convexus nigro-piceus, thoracis late marginati lateribus rotundatis, disco elevato, sulco medio transversim impresso.
FABR. Eleut. 1. 92. 43. SCHÖNH. Syn. 1. 99. 70. GYLL. Ins. Sv. 1. 96. 28. PAYK. Histeroid. 94. 78. T. 11. f. 5.
Hab. sub cortice Pini ad Lycksele Lapponiae Umensis, d. 30. Maj. — 3. Jun. pass. (Lappon. meridionalis; Ångermannia ad Hernösand 20. Maj. - Suecia media ad Wadstena-Scania pass.)
Minutissimus, praecedente fere minor.

**12. H. frontalis**: ovalis subdepressus nitidus ater, antennarum capitulo ferrugineo, capite linea elevata transversali, elytris sexstriatis, exterioribus 3 integris, tibiis anticis 4-dentatis.
SCHÖNH. Syn. 1. 98. 60. GYLL. Ins. Sv. 1. 84. 12. PAYK. Histeroid. 44. 31. T. 9. f. 8.
Hab. sub cortice arborum in Lappon. Umensi rarissime; ad Lycksele d. 3. Jun. semel captus. Parvus, *H. purpurascente* minor, circiter $1\frac{1}{4}$ lin. long. (Lappon. meridionalis-Suecia inferior-Finlandia rar.)

**13. H. angustatus**: lineari-elongatus, parum convexus niger, thoracis lateribus punctulatis, elytris striis sex, duabus interioribus abbreviatis, tibiis anticis quadridentatis.
SCHÖNH. Syn. 1. 99. 66. GYLL. Ins. Sv. 1. 86. 15. var. b. PAYK. Histeroid. 92. 76. T. 10. f. 4. DEJ. Catal. p. 48. ZETT. Fn. Lapp. 1. 191. 13.
Hab. sub cortice arborum emortuarum Pini et Abietis versus autumnum in Lapponia boreali et meridionali passim. (Lapp.-Scan. pass.)
Longitudine *Histri parvi*, sed duplo angustior, sublinearis, transitum ad subsequens genus efficiens. — Var. b. duplo minor (an distincta species?) et var. c. totus rufescens, ad Lycksele mense Junio inventus.

---

## 70. Hololepta.

PAYK. Monogr. Histeroid. p. 101. DEJ. *Hister* FABR. LATR.

*Corpus* parvum, valde tenue, depressum, durum, glaberrimum. Palpi quatuor inaequales, articulis omnibus subcylindricis. *Color* ater nitidus, nunquam aeneo-renitens. *Motus* tardus. *Habitatio* semper sub cortice arborum frondiferarum emortuarum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* apoda, depressa, coriacea, rugosa. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 2; at exoticae novem numerantur.)

**1. H. depressa**: ovalis lata depressa nigra nitida, antennis ferrugineis, fronte impressa, thorace marginato, lateribus punctulato, elytris striis quinque, interiori abbreviata, suturali nulla.
PAYK. Histeroid. 104. 1. ♂. ZETT. Fn. Lapp. 1. 191. 1. *Hister depressus* PAYK. Fn. 1. 41. 8. *H. deplanatus* GYLL. Ins. Sv. 1. 85. 13. DEJ. Catal. p. 48.
Hab. sub cortice arborum emortuarum Betulae et Pini, in Lapponia sylvatica et boreali et meridionali, mens. Jun., sat frequens. (Lapp.-Scan. pass.)
*Histero angustato* affinis, at paullo brevior et latior, pedibus rufescentibus, tibiis anticis quadridentatis. Praeter hanc varietatem, et toto corpore rufo, nullam in Lapponia vidi. Diversa instrumentorum cibariorum structura larvarumque discrepantia novum Paykullianum genus justificat et distinctum ab *Histero* declarat.

---

# FAM. 13. SPHAERIDIOTA. LATR.

*Palpicornes.* DEJ.

## 71. Sphaeridium.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 181. FABR. DEJ.

*Corpus* minoris magnitudinis aut parvum, subhemisphaericum, glabrum. Antennarum capitulum coarctatum. Tibiae spinosae. Tarsi filiformes, articulo primo longiori. *Color* niger in testaceum vel rubrum facile pronus. *Motus* festinans. *Habitatio* in stercore. Species plures simul hospitantur; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in tarsorum structura vel colore elytrorum interdum detegitur. (Spec. Scand. 13.)

**1. S. Scarabaeoides**: ovatum subtilissime et creberrime punctulatum nigrum, thoracis elytrorumque margine concolore, horum stria unica suturali ab apice ad medium ducta. (Majus.) ♂♀.
*Mas:* tarsis anticis articulo ultimo magno incrassato, ungue interne valido, valde incurvato.
*Fem.:* tarsis iisdem simplicibus; in copula saepe capti.
Var. a. ♂♀. elytris macula humerali rubra aliaque apicis flavescente lunata.
FABR. Eleut. 1. 92. 1. PANZ. Fn. 6. f. 2. SCHÖNH. Syn. 1. 100. 1. GYLL. Ins. Sv. 1. 100. 1. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. Lapp. 1. 192. 1. a. ♂♀. *Dermestes Scarabaeoides* LINN. Fn. Sv. 428.
Var. b. ♂♀. elytris macula modo apicis lunata lutescente. SCHÖNH., GYLL. et DEJ. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. ♂♀. *Sphaerid. lunatum* FABR. Eleut. 1. 93. 2.
Var. c. ♂♀. elytris macula tantum humerali rubra.
GYLL. l. c. P. 3. Add. p. 675. c.
Hab. in Lapponiae borealis sylvaticae stercore mensib. Junio et Julio, var. a. frequens, var. b. parcius; in Lapponia vero meridionali et var. b. et c. in stercore bovino ad Lycksele haud infrequenter observavi; sed ex hac et reliquis hujus generis speciebus ulla individua neque in Norvegicis, neque in Suecicis alpinis et subalpinis vidi. (Lapp.-Scan. fr.)

**2. S. marginatum**: ovatum subtilissime et creberrime punctulatum nigrum, thoracis elytrorumque margine rufo-

ferrugineo, horum stria unica suturali ab apice ad medium ducta. (Minus.) ♂♀.

*Mas* et *Femina* differunt ut in priori; in copula visi.

Var. a. ♂♀. elytris praeter marginem praesertim posticum rufo-ferrugineum, totis nigris.

FABR. Eleut. 1. 93. 4. GYLL. Ins. Sv. 1. 101. 2. ZETT. Fn. Lapp. 1. 193. 2. a. ♂♀. *Sphaer. Scarabaeoides* var. γ. SCHÖNH. Syn. 1. 100. 1.

Var. b. ♂♀. elytris ut in var. a., macula apicis lunata rufis.

GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. ♂♀. *Sphaerid. bipustulatum* FABR. Eleut. 1. 93. 3. DEJ. Catal. p. 51. *Sph. Scarabaeoides* var. δ. SCHÖNH. Syn. 1. 101.

Var. c. ♂♀. elytris ut in var. b., macula praeterea humerali rufa.

GYLL. l. c. var. c. ZETT. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. mens. Jun. — Aug. haud infrequens cum praecedente, quo duplo vel triplo minus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Equidem confiteor hasce duas allatas species non nisi magnitudine et coloris pictura inter se differre; cum vero ex utraque ambo occurrunt sexus, et nunquam nisi similis cum simili in copula deprehenditur, illas ut distinctas describere, Illustr. viris THUNBERG, PAYKULL, GYLLENHAL et DEJEAN consentaneis, rectius judicavi, invitis Illustr. LATREILLE, SCHÖNHERR et SAHLBERG.

**3. S. unipunctatum**: oblongo-ovatum punctulatum nitidum nigrum, thoracis transversi lateribus, elytris tenuiter punctato-striatis pedibusque pallidis. ♂♀.

*Mas*: minor, angustior, elytris immaculatis; rarior.

*Fem.*: major, elytris macula in medio communi transversa nigra, sutura infuscata.

FABR. Eleut. 1. 97. 24. ♀. β. ♂. PANZ. Fn. 3. f. 1. ♀. SCHÖNH. Syn. 1. 103. 16. ♀. β. ♂. GYLL. Ins. Sv. 1. 102. 3. ♂♀. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. Lapp. 1. 194. 3. ♂♀. *Coccinella unipunctata* LINN. Fn. Sv. 470. ♀. *Scarabaeus quisquilius* LINN. l. c. 397. ♂.

Hab. in stercore per totam Lapponiam sylvaticam mens. Junio — Septemb. vulgare, tempore sereno per aërem volitans, ad Lycksele, Juckasjervi et Muonioniska imprimis infrequens; praecedente multoties minus, praesertim mas. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. S. melanocephalum**: oblongo-ovatum punctulatum nitidum nigrum, elytris rufo-testaceis, anguli antico maculaque subscutellari triangulari nigris, pedibus griseis.

FABR. Eleut. 1. 96. 19. SCHÖNH. Syn. 1. 102. 9. GYLL. Ins. Sv. 1. 103. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 194. 4. *Dermestes melanocephalus* LINN. Fn. Sv. 425.

Hab. in stercore bovino per Lapponiam cultam mens. Jun. — Aug. vulgare; praesertim ad Juckasjervi frequens vidi, feminae praecedentis magnitudine subaequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Reliquae ab Auctoribus commemoratae varietates, colore magis vel minus rufescente abludentes, quae in Sueciae et Finlandiae stercoratis atque fungis putridis frequenter occurrunt, in Lapponia mihi non obviae fuerunt.

**5. S. pygmaeum**: ovatum subtilissime punctulatum pusillum nigrum, elytris striatis, basi nigris, pedibusque rufo-testaceis.

ILLIG. Mag. 1. 40. 5. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 104. 5. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. Lapp. 1. 195. 5.

Hab. in stercore Lapponiae cum praecedentibus parcius. (Lapp.-Scan. freq.)

Minutum, *Sphaerid. unipunctato* ♂ triplo minus et ultra. Elytrorum basis variat latius angustiusque nigricans.

**6. S. haemorrhoidale**: rotundato-ovatum subgibbosum nigrum punctulatum, thorace foveola antescutellari impresso, elytris striatis, apice ferrugineis, pedibus rufo-piceis.

FABR. Eleut. 1. 96. 22. PANZ. Fn. 61. f. 1. SCHÖNH. Syn 1. 102. 11. GYLL. Ins. Sv. 1. 105. 6. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. L. 1. 195. 6.

Var. b. elytris piceis, apice dilutioribus.

Hab. in stercore bovino et fungis putridis per Lapponiam sylvaticam mense Jun. Augusto, passim, ad Lycksele utramque varietatem legi sat frequenter. (Lappon. Scan. freq.)

*Sphaer. melanocephalo* paullo majus, convexius, puncto thoracis ante scutellum impresso distinctum.

**7. S. atomarium**: rotundato-ovatum nigrum opacum punctatissimum, elytris profunde striatis, apice pedibusque ferrugineis.

FABR. Eleut. 1. 96. 18. SCHÖNH. Syn. 1. 102. 7. GYLL. Ins. Sv. 1. 106. 7. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. Lapp. 1. 195. 7. *Sphaerid. crenatum* PANZ. Fn. 23. f. 3.

Hab. cum praecedentibus passim, in stercore bovino ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 27. Jun. copiose nec non ad Lycksele Lapp. Umensis, 2—3. Jun., passim, legi. (Lapp.-Scan. freq.)

Statura praecedentis, sed triplo et ultra minus. Synonymon FABRICII vix dubium, quamquam ab illustri auctore insectum *laeve* dicitur.

**8. S. terminatum**: oblongo-ovatum nitidum nigrum, postice acuminatum, elytris tenuiter punctato-striatis, apice rufo-ferrugineis, pedibus piceis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 108. 1. *Sph. aquaticum* DEJ. Catal. p. 51.

Var. b. duplo minus, pedibus rufescentibus.

GYLL. l. c. var. b. *Sphaer. anale* PANZ. Fn. 103. 1.

Hab. in Lapponia rar.; var. a. e Lapponia Tornensi D. FRIGELIUS; et var. b. in Lapponia Umensi ad Lycksele, ipse. (Lapp.-Scan. pass.)

Sph. haemorrhoidali fere duplo minus et ultra.

**9. S. littorale**: ovale nigro-piceum nitidum subdepressum, clypeo subemarginato, elytris punctato-striatis, pedibus piceis..

GYLL. Ins. Sv. 1. 111. 13. SAHLB. Ins. Fenn. 37. 11.

Hab. in Lapponia Norvegica; ad littora maris mens. Aug. a D. BOHEMAN deprehensum. Magnitudo fere *S. haemorrhoidalis*, magis oblongum. In Lapponia Suecica vix obvium insectum mere littorale. (Lapponia inferalpina; Scania ad littora maris sub fucis rejectis freq.)

---

## FAM. 14. HYDROPHILII. LATR.

*Sphaeridiota* GYLL. *Palpicornes* DEJ.

### 72. Hydrophilus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 178. FABR. DEJ.

*Corpus* minoris magnitudinis vel parvum, ovatum aut ovale, supra convexum, glabrum. Antennarum capitulum elongatum. Pedes natatorii. Tarsi filiformes articulo primo minuto stipuliformi, secundo reliquis longiori. *Color* ut frequenter in semper aquaticis niger vel testaceus, luridus, nunquam ardens vel ex metallico renitens. *Motus* in aqua segniter natans, in terra rejectis lente repens. *Habitatio* communiter in aquis, ubi longiorem vitam degunt individua, sub toto anno colligenda; per partem inferiorem Lapponiae. *Differentia sexus* externe nulla. (Spec. Scand. 16, quarum una, *H. piceum* puta, maxima, Sueciae meridionaliori forsitan propria.)

**1. H. fuscipes**: ovalis, convexus, nigro-piceus punctatissimus, elytris regulariter striatis; antennarum basi, palpis, tibiis tarsisque pallidis, femoribus piceis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. tibiis pallidis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 114. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 196. 1. ♂♀. *Dytiscus fuscipes* LINN. Fn. Sv. 766. *Scarabaeus aquaticus* LINN. l. c. 404. *Hydrophilus Scarabaeoides* FABR. Eleut. 1. 251. 9. PANZ. Fn. 67. f. 12. SCHÖNH. Syn. 2. 4. 14. DEJ. Catal. p. 51.

Var. b. ♂♀. tibiis nigris-frequentior.

Hab. in aquis fluminum Lapponiae toto anno frequens. *Coccinella 7-punctata* parum brevior, sed angustior. In superficie aquae saepe natat resupinus, corpore sericeo tecto. In copula. In Nordlandia et Finmarkia Norvegica species hujus generis a me nullae repertae, ab his tamen regionibus ut et ab aquis jugi alpini vix exsules omnes. (Lappon.-Scan. freq.)

**2. H. spinosus**: oblongus subconvexus, subtus niger, supra griseo-testaceus parce fusco-maculatus, pedibus pallidis; elytris punctato-striatis, interstitiis punctulatis, apice bispinosis.

SCHÖNH. Syn. 2 8. 33.

Hab. in Lapponia Norvegica, D. BOHEMAN. Affinis sequenti, sed duplo major, minus convexus, et elytris apice spinosis abunde distinctus. (Lapp. inferalpina; Scan. rariss.)

**3. H. luridus**: oblongus, convexus, punctatissimus niger, capite thoracisque disco cupreo, elytris crenato-striatis luridis fusco-maculatis, palpis, thoracis lateribus pedibusque pallidis. ♂♀.

FABR. Eleut. 1. 253. 22. PANZ. Fn. 7. f. 3. GYLL. Ins. Sv. 1. 115. 4. SCHÖNH. Syn. 2. 6. 29. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. Lapp. 1. 197. 3. ♂♀. *Dytiscus luridus* LINN. Fn. Sv. 767.

Hab. cum *H. fuscipede* frequens. (Lapp.-Scan. freq.)

Praecedente fere duplo minor, gibbus. Femora posteriora basi nigra.

**4. H. minutus**: subhemisphaericus, punctulatus nigricans, antennis, palpis, thoracis lateribus pedibusque pallidis, elytris griseis, creberrime punctato-striatis, fusco-lineatis.
GYLL. Ins. Sv. 1. 116. 5. *Chrysomela minuta* LINN. Fn. Sv. 533. *Hydroph. bipunctatus.*
FABR. Eleut. 1. 254. 26. PANZ. Fn. 67. f. 14. SCHÖNH. Syn. 2. 9. 35. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. L. 1. 197. 3.
Hab. sat frequens cum praecedente, quo triplo fere minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. H. globulus**: subhemisphaericus, subtilissime punctulatus fusco-nigricans, thoracis lateribus, tibiis tarsisque dilutioribus, elytris stria unica suturali, antice evanescente.
GYLL. Ins. Sv. 1. 117. 6. SCHÖNH. Syn. 2. 5. 18. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. Lapp. 1. 197. 4. *Hydroph. minutus* FABR. Eleut. 1. 254. 27.
Hab. in aquis quietis et fluitantibus Lapponiae frequens; in graminosis humidis ad ripas saepe quoque legitur; magnitudine et statura praecedentis. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. H. melanocephalus**: ovatus, convexus, crebre punctulatus nigricans, palpis, frontis macula utrinque, thoracis lateribus elytrisque griseo-pallidis, horum stria unica suturali, antice evanescente. (Major.)
FABR. Eleut. 1. 253. 23. GYLL. Ins. Sv. 1. 119. 9. SCHÖNH. Syn. 2. 7. 30. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. Lapp. 1. 198. 5.
Hab. in aquis stagnantibus, fundo argillaceo, in Lapponia mihi raro obvius. (Lapp.-Scan. freq.)
Proxime praecedentibus minus convexus, at multo major, *Gyrino natatore* fere aequalis. Discus thoracis plus minusve obscurus. Tibiae tarsique plerumque testacei. — Plerasque varietates hujus speciei ab auctoribus descriptas parum notabiles existimo, praeter varietatem majorem (var. b. GYLL. l. c.) in Bahusiae maritimis a D. GYLLENHAL lectam, intra Lapponiam non visam.

**7. H. nigricans**: ovalis-convexus, crebre punctulatus niger, palpis, macula frontis utrinque, thoracisque lateribus griseo-pallidis, pedibus fuscis, tarsis dilutioribus, elytris fusco-nigricantibus, stria unica suturali, antice evanescente. (Medius.)
An *H. melanocephal.* var. e. GYLL. Ins. Sv. 1. 119. 9.?
Hab. in Lapponia rar.; in Lapp. Tornensi D. FRIGELIUS, in Umensi ad Lycksele 20. Jun., ipse. (Lapp.-Scan. rar.)
*H. melanocephalo* similis, sed dimidio minor et colore obscuriore distinctus. Thorax quoque antice paullo angustior, angulis scilicet magis depressus, quam in priori videtur.

**8. H. affinis**: oblongo-ovatus, convexus, crebre punctatus nigricans, thoracis lateribus elytrisque obscure griseis, horum stria unica suturali, antice evanescente. (Min.) ♂♀.
GYLL. Ins. Sv. 1. 123. 12. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. Lapp. 1. 198. 6. ♂♀. *Hydroph. marginellus* var. β. SCHÖNH. Syn. 2. 6. 25.
Hab. in aquis quietis Lapponiae frequens. (Lapp.-Scan. fr.)
Variat magnitudine, *Hydroph. melanocephalo* saepe triplo minor. Variat quoque colore supra obscuriori aut griseo, interdum fere nigro limbo dilutiori, et hic forte *Hydr. marginellus* FABR. qualis in Scaniae aquis frequenter occurrit.

**9. H. griseus**: oblongo-ovatus, parum convexus nigricans, supra griseus punctatissimus, stria suturali nulla, palpis longissimis. ♂♀.
FABR. Eleut. 1. 253. 24. GYLL. Ins. Sv. 1. 122. 11. SCHÖNH. Syn. 2. 7. 32. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. Lapp. 1. 198. 7. ♂♀. *Hydrophil. chrysomelinus* PANZ. Fn. 67. f. 15.
Hab. in aquis Lapponiae passim, *Hydr. melanocephalo* paullo minor et minus convexus. (Lapp.-Scan. freq.)

**10. H. truncatellus**: oblongo-ovatus, subdepressus, laevis niger, thoracis angulis posticis testaceo-pellucidis, elytris truncatis ano acuminato brevioribus. ♂♀.
FABR. Eleut. 1. 255. 30. GYLL. Ins. Sv. 1. 123. 13. SCHÖNH. Syn. 2. 9. 39. DEJ. Catal. p. 51. ZETT. Fn. Lapp. 1. 199. 8.
Hab. in Lapponiae aquis quietis frequenter; minutus, *Hydr. affini* triplo et saepe ultra minor. (Lapp.-Scan. freq.)

---

## 73. Helophorus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 179. *Elophorus* FABR. DEJ.

*Corpus* parvum, oblongum, minus convexum. Antennae articulis 3, 4, 5 distinctis, clava quadriarticulata, elongato-ovata. Palpi articulo ultimo crassiori, ovali. Scutellum minutum. Tarsi filiformes, articulo primo minuto. *Color* obscurus, griseus, ex aeneo renitens. *Habitatio* aut in aqua, vel saltem in ejus vicinitate, aut in terrestribus aridis. In aqua aut plantis adhaerent, aut *motu* segniori natant imagines. Species terrestres sub lapidibus et truncis latitant. Per totam Lapponiam. *Differentia sexus* in externis nulla. (Spec. Scand. 8.)

**1. H. aquaticus**: oblongus fusco-nigricans, capite thoraceque 5-sulcato, postice angustiori lateribus sinuato, aeneis, elytris punctato-striatis stria abbreviata versus scutellum, parce aeneo-maculatis pedibusque griseis. (Major.) ♂♀.
FABR. Eleut. 1. 277. 1. PANZ. Fn. 26. f. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 126. 1. ZETT. Fn. Lapp. 1. 199. 1. ♂♀. *Silpha aquatica* LINN. Fn. Sv. 461. *Elophorus grandis* SCHÖNH. Syn. 2 39. 1. DEJ. Catal. p. 50.
Hab. in aquis stagnantibus et rivis lente fluentibus Lapponiae per partem sylvaticam passim; in superficie aquae interdum natat resupinus. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. H. granularis**: oblongus fusco-nigricans, capite thoraceque 5-sulcato, lateribus rotundato integro, aeneis, elytris punctato-striatis, interstitiis angustis subconvexis, pedibusque obscure griseis. (Minor.)
Var. a. thorace aeneo, elytris pedibusque obscure griseis.
GYLL. Ins. Sv. 1. 127. 2. SCHÖNH. Syn. 2. 39. 2. ZETT. Fn. Lapp. 1. 200. 2. *Eloph. minutus* DEJ. Catal. p. 50.
Var. b. minor, thorace fusco-aeneo, elytris fusco-nebulosis pedibusque pallidis.
ZETT., GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. b. (exclus. forte Syn. LINN.)
Hab. in aquis quietis et in humidis ad ripas fluminum Lapponiae per partem sylvaticam frequens; in terris arcticis plerumque obscurior quam in Suecicis aquis vulgaris. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. H. griseus**: oblongior nigricans, capite thoraceque 5-sulcato, lateribus subrectis, viridi-aeneis, elytris punctato-striatis parce fusco-maculatis pedibusque pallidis. (Minor.)
GYLL. Ins. Sv. 1. 128. 3. SCHÖNH. Syn. 2. 40. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 200. 3. *Buprestis granularis* LINN. Fn. Sv. 763.?
Var. b. totus obscurus aeneo-micans, elytris pedibusque vix dilutioribus. In ceteris varietati a. similis.
ZETT. l. c. var. b.
Hab. in Lapponia cum praecedentibus, adhuc frequentius, mens. Jun. Jul. in Lycksele-avan et ad Wilhelmina, Lapponiae Umensis praesertim copiose vidi, solito interdum majorem. Pediculo parum major, *Heloph. granulari* magnitudine aequalis, vel paullo longior, sed angustior. Var. b. memorabilis, tantummodo in summo alpium Tornensium jugo mihi obvia, in ipsa nive mense Julio ambulans. (Lapp.-Scan. copiose var. a.)
In varietate a. elytra fere tota pallida sunt, nec nisi macula suturali communi pone medium, fusca, saepe obsoleta. Meliori igitur jure Synonymon LINNAEI ad hoc insectum, quod etiam frequentissime ubique occurrit, refertur, quam ad speciem praecedentem. „Habitatio in *agris*" certe menda est typographica, pro *in aquis*. Individua lapponica paullo majora sunt, quam in Suecia vulgaria. *Helophor. granularis* et *griseus* GYLL. ut variat. ejusdem speciei in Catalogo DEJEAN. exstant sub nomine: *Elophor. minutus*.

**4. H. tuberculatus**: opacus niger, thorace obsolete 5-sulcato, elytris punctulato-striatis, interstitiis alternis tuberculis oblongis elevatis.
GYLL. Ins. Sv. 1. 129. 4. SCHÖNH. Syn. 2. 40. 4.
Hab. in Lappon. Umensi rarissime; ad Lycksele d. 1. Jun. semel a me captus. (Lapp. merid.-Fennia-Westrog. rar.)
Majoribus *H. granularis* individuis aequalis.

**5. Fennicus**: oblongus opacus fusco-nigricans, thorace 5-sulcato, antice truncato, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis carinato-elevatis laevibus, pedibus griseo-testaceis. (Major.)
GYLL. Ins. Sv. 1. 129. 5. SCHÖNH. Syn. 2. 40. 5. DEJ. Catal. p. 50.
Hab. ad ripas fluminum Lapponiae rarius; sub lapidibus in ripa arenosa fluminis Tornensis ad Wittangi et Juckasjervi quaedam specimina mens. Junio et Julio reperi; ex Utsjock Lappon. Kemensis a. D. FELLMAN missus. Sed in ipsa aqua non observavi insectum forte *Heloph. nubili* indolis. (Lapponia-Finlandia, Botnia rar.)
Magnitudo *Hel. aquatici*, statura et affinitas *Hel. nubili*, a quo differt inprimis thorace antice truncato, nec sinuato, et elytrorum carinulis laevibus, nec crenulatis. FABRICII Synonymon a GYLLENHALO citatum, ad Auctorum *Hel. nubilum*, „Germaniae vulgarem incolam," potius referendum, quam ad nostrum *H. fennicum*, insectum mere boreale, licet Cel. FABRICII descriptio perbrevis hic ut alias saepe ansam dubitationis facile praeberet.

## 74. Hydraena.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 180. Schönh. *Elophorus* Fabr. Gyll.

*Corpus* minutissimum, oblongo-ovatum, subdepressum, glabrum. Antennae fere ab articulo tertio clavatae, articulis 3, 4, 5 minimis subindistinctis, clava elongata. Palpi maxillares articulo ultimo praecedenti graciliori apice acuminato. *Color* obscurus, aenescens. *Habitatio* in aquis. *Motus* segnis. *Differentia sexus* externe non detegenda. *Habitus Helophori*, a quo palporum antennarumque structura praecipue distinguitur. (Spec. Scand. 4.)

**1. H. riparia**: ovata, depressa, nigro-aenea, thorace semiorbiculato sulculo medio foveaque laterali utrinque impresso, elytris punctato-striatis apice pedibusque piceo-testaceis.

Illig. Col. Bor. T. 1. p. 279. 1. Schönh. Syn. 2. 42. 3. Zett. Fn. Lapp. 1. 202. 1. *Ochthebius riparius* Dej. Catal. p. 50. *Elophorus pygmaeus* Fabr. Eleut. 1. 278. 7. Gyll. Ins. Sv. 1. 133. 9. *Ochthebius pygmaeus* Ahrens. Fn. Eur. fasc. 8. f. 7.

Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae sylvaticae passim; insectum valde minutum, pediculo duplo minus, *Latridio porcato* Herbstii aequale. (Lapp.-Scan. freq.)

---

# FAM. 15. AMPHIBII. Gyll.

*Otiophori* et *Byrrhii* Latr. *Clavicornes* et *Hydrocanthari* Dej.

## 75. Heterocerus.*)

Latr. Gen. Crust. et Ins. 174. Fabr. Dej.

*Corpus* pusillum, oblongo-ovale, parum convexum, pubescens. Antennae capitis vix longitudine, recurvae, clava 7-articulata, compressa, serrata. Pedes breves, compressi fossorii, tibiis ciliatis, anticis trigonis. *Color* obscurus, ferrugineo-maculatus. *Motus* segnis. *Habitatio* in humidis ad ripas et littora; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in partibus externis nulla. (Spec. Scand. 1.)

**1. H. marginatus**: ovalis pubescens subtilissime punctulatus fuscus, thoracis pulvinati angulo antico, elytrorum maculis tarsisque ferrugineo-testaceis, tibiis anterioribus ciliato-spinosis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 1. 355. 1. Panz. Fn. 23. f. 11. Gyll. Ins. Sv. 1. 137. 1. Schönh. Syn. 2. 150. 1. Dej. Catal. p. 50. Zett. Fn. Lapp. 1. 203. 1. ♂♀.

Hab. in humidis ad ripas, in luto saepe sepultus, pedum concussione prodiens et paullo post denuo abscondendus, cuniculos in arena fodiens; in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele rarissime, in Botnia parce, in Suecia meridionali passim frequens, *Heloph. granulari* paullo major. (Lapp.-Scan. freq.)

---

## 76. Parnus.

Fabr. Syst. Eleut. 68. Dej. *Dryops* Latr.

*Corpus* parvum, subcylindricum, villosum, villis facile detegendis. Antennae brevissimae, articulo secundo maximo, clava lanceolata, multiarticulata. Caput parvum, retractum. Tibiae cylindricae, inermes. *Color* obscurus, pictura nulla. *Motus* tardus. *Habitatio* in aquosis et humidis, alternatim sub aqua; per partem inferiorem Lapponiae. *Differentia sexus* externe nulla: *Mas* et *femina* simillimi. (Spec. Scand. 2.)

**1. P. prolifericornis**: oblongus, tomentosus, subtilissime punctulatus olivaceo-fuscus, elytris obsoletissime substriatis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 1. 132. 1. Panz. Fn. 13. f. 1. Gyll. Ins. Sv. 1. 139. 1. Schönh. Syn. 1. 116. 1. Dej. Catal. p. 49. Zett. Fn. Lapp. 1. 203. 1. ♂♀. *Dryops auriculatus* Latr. Gen. Crust. et Ins. 2. 55. 1. A.

Hab. in paludosis et stagnis, plantis aquaticis adhaerens, interdum sub aqua, in cujus etiam superficie circumfertur villosus, natare nescius; in copula mense Junio captus; intra limites Lapponiae rarissime occurrit, in reliqua Suecia vulgaris; *Dermest. Pellione* non longior, sed multo angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. P. auriculatus**: oblongus pubescens nigricans, elytris subtiliter vage punctatis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 140. 2. forte var. Schönh. Syn. 2. 116. 2.

Hab. in Lapponia Umensi passim; sub lapidibus ad ripas fluminis Umensis prope Lycksele et Stensele 15. Jun. — 5. Jul. haud infrequenter visus. (Lapp.-Scan. freq.)

Magnitudo praecedentis vel paullo major. Specimina lapponica suecicis pubescentia breviori fusca nec nigra teguntur. In elytris tamen nullum vestigium striarum detegitur, quare ad hanc speciem refero individua inter *P. prolifericornem* et *auriculatum* quasi intermedia.

---

## 77. Gyrinus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 176. Fabr. Dej.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum, nitidum et (in nostris) glaberrimum. Antennae brevissimae, rigidae, articulo primo maximo, clava septemarticulata. Oculi quatuor, duo utrinque, illo supero, hoc infero. Pedes antici ambulatorii, posteriores breviores, natatorii. *Color* niger ex viridi et caeruleo renitens, in ferrugineum propensus. *Motus* velox, supra aquam per orbes, raro volans. *Habitatio* communiter in aqua, supra quam natat. In foliis plantarum aquat. gregatim deponuntur. *Ova* flava, nitida, elongata, e quibus post hebdomad. tres larvae excluduntur. *Victus*: rapina. *Copulatio* in superficie aquae peragitur. *Differentia sexus* externa in magnitudine feminae fere duplo majore et colore magis virescente, quam in mare, plerumque quaerenda; praeterea *Mas*: tarsis anticis compressis, latere inferiori subspongioso; *Fem.*: tarsis anticis compressis, utroque latere simplici, instruitur. (Spec. Scand. 7.)

**1. G. natator**: ovalis lucidus glaberrimus, caerulescenti-niger, marginibus supra virescentibus, elytris subtiliter punctato-striatis, margine inflexo, ano subtus pedibusque testaceo-ferrugineis. ♂♀.

*Mas*: minor, tarsis anticis compressis dilatatis, latere interiori spongioso vel granulato.

*Fem.*: major, tarsis anticis compressis non dilatatis, utroque latere laevi; in copula visi.

Fabr. Eleut. 1. 274. 1. Panz. Fn. 3. f. 5. Gyll. Ins. Sv. 1. 141. 1. Schönh. Syn. 2. 36. 1. Dej. Catal. p. 21. Ahrens. Faun. Ins. Europ. fascic. 2. fig. 5. Zett. Fn. L. 1. 204. 1. ♂♀. *Dyticus natator* Linn. Fn. Sv. 779.

Hab. in rivulis et stagnis, tempore hyemali in fundo; glacie jam primum soluta in superficiem aquae se petit, ibi tota aestate ludificans, velocissime gyros faciens Tipulariasque supernatantes pro esca persequens; lacessitus urinatur et aquam subit, foetens; in Lapponia inferiore, exempl. gratia ad Wittangi et Muonioniska frequenter, at in regione alpina nunquam mihi obvius. *Dermest. Pellione* duplo major, utrinque attenuatus. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. G. marinus**: oblongo-ovatus, nitidus, glaberrimus caerulescenti-niger, marginibus supra virescentibus, elytris punctato-striatis, margine inflexo aeneo, pedibus testaceo-ferrugineis. ♂♀.

*Mas*: minor, tarsis anticis compressis distincte dilatatis, subtus spongiosis.

*Fem.*: major, tarsis anticis compressis, simplicibus, laevibus.

Gyll. Ins. Sv. 1. 143. 4. Schönh. Syn. 2. 38. 2. Forsberg. de Gyrin. Nov. Act. Ups. Vol. 8. p. 310. Ahrens. Fn. Ins. Europ. Fasc. 2. f. 7. Zett. Fn. Lapp. 1. 205. 2. ♂♀.

Var. b. ♂. supra magis opacus. An *G. opacus*.? Sahlb. Ins. Fenn. 47. 3. et Gyll. l. c. 4. App. 280.?

Hab. cum praecedente adhuc frequentior, et in Lapponia longius penetrans usque ad radices alpium, ubi insectum ex. gr. in lacu Tornensi (Torneå Träsk) die 10. Jul. sat copiose vidi. E Groenlandia eundem quoque mihi communicavit D. Westermann. In Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele vulgaris, jam 31. Maj. vigens; ibi etiam var. b. 20. Jun. inveni. Priori paullo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

Individua, quae in aquis regionis subalpinae Lapponiae occurrunt pedibus obscurioribus, piceis gaudent.

---

*) In dispositione Coleopterorum secundum numerum articulorum tarsorum, seriei naturali minime adaequata, genus hoc tarsis omnibus 4-articulatis instructum ad aliam Sectionem, et quidem *Tetramera* juxta *Cis* et *Mycetophagum* stricte amandandum erit, sed quoad structuram partium corporis et victum *Parno* et *Gyrino* magis affine, in Familia Amphibiorum libentius collocavi.

**3. G. minutus:** oblongo-ovalis subnitidus glaberrimus, supra caerulescente-niger, marginibus virescentibus, subtus piceus, elytris fortius punctato-striatis; margine inflexo, ano subtus pedibusque testaceis. ♂♀.

*Mas* et *Femina* magnitudine subaequales, secundum tarsorum structuram ut in praecedentibus differunt.

FABR. Eleut. 1. 276. 10. PANZ. Fn. 101. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 143. 5. SCHÖNH. Syn. 2. 38. 14. DEJ. Catal. p. 21 FORSB. de Gyrin. Nov. Act. Ups. Vol. 8. p. 310. ZETT. Fn. Lapp. 1. 206. 3. ♂♀.

Hab. in aquis Lapponiae rarius, corpore subtus obscuriore, quam in insecto Suecico. Ad Lycksele mense Jun. paullo frequentius vidi. Masculis *G. notatoris* adhuc duplo minor, angustior, magis elongatus. (Lapp.-Scan. pass.)

---

## FAM. 16. HYDROCANTHARI.

### 78. Dyticus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 104. *Dytiscus* Auctorum.

*Corpus* variae magnitudinis, ovatum, depressum. Antennae thorace paullo longiores. Pedes natatorii. Femora postica basi nuda, libera. Tarsi omnes 5-articulati. *Color* niger, testaceus, nitidus. *Motus* incessu natatorio, agili. *Habitatio* larvarum et imaginum sub vita longiori in aquis, puparum in terra humida; per omnes regiones Lapponiae. *Differentia sexus* in tarsorum anticorum structura saepius facile detegenda. (Spec. Scand. 54.)

#### *Sectio* 1. *Scutellati.*

*Subdiv.* 1. Corpus magnum, ovatum, applanatum. Antennae setaceae. Tarsi antici maris articulis tribus baseos dilatatis, patellam formantibus. Elytra feminarum sulcata. (*Dyticus* proprie.)

**1. D. latissimus:** niger, elytrorum margine dilatato, vitta laterali thoracisque limbo toto luteis. ♂♀. (13 lin. long.)

*Mas:* elytris laevibus, tarsis anticis dilatatis patellatis.

*Fem.:* elytris sulcatis, tarsis simplicibus.

LINN. Fn. Sv. 768. FABR. Eleut. 1. 257. 1. PANZ. Fn. 86. f. 1. 2. SCHÖNH. Syn. 2. 10. 1. GYLL. Ins. Sv. 1. 465. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in stagno ad Lycksele d. 19. Jun. a D. DAHLBOM et me inventus. Nostratum maximus. (Lapponia; Gottlandia-Finlandia rar. — Scan. pass.)

**2. D. marginalis:** supra olivaceo-nigricans, thoracis limbo elytrorumque margine luteis, subtus testaceis, sterno postice bifurco, laciniis lanceolatis. ♂♀. (Long. 10 lin.)

*Mas:* thorace elytrisque laevibus.

*Fem.:* thorace punctulato, elytris ultra medium sulcatis; in copula.

LINN. Fn. Sv. 769. ♂. FABR. Eleut. 1. 258. 3. PANZ. Fn. 86. f. 3. ♂. 4. ♀. SCHÖNH. Syn. 2. 11. 3. GYLL. Ins. Sv. 1. 466. 2. ♂♀. DEJ. Catal. p. 18. ZETT. Fn. Lapp. 1. 207. 1. ♂♀. *Dyt. semistriatus* LINN. Fn. Sv. 772. (in diagnosi elytra *villosa* inepte dicuntur.)

Hab. in aquis Lapponiae passim. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. D. lapponicus:** supra nigricans, thoracis limbo, elytrorum margine lineisque disci plurimis tenuissimis luteis, subtus testaceus, sterno postice bifurco, laciniis subulatis. ♂♀. (Long. 8—9 lin.)

*Mas:* thorace elytrisque laevibus.

*Fem.:* thorace punctulato, elytris ultra medium sulcatis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 468. 3. ♂♀. DEJ. Catal. p. 18. AHRENS. Fn. Europ. Fasc. 9. f. 4. ♂♀.

Hab. in aquis Lapponiae passim, ad Lycksele, Wittangi, Juckasjervi et Muonioniska frequens; in insula Nordlandica Schiervoe in aqua stagnante specimina hujus speciei quoque legi. (Lapp.-Scan. rar.)

Similis praecedenti, sed fere duplo minor.

**4. D. septentrionalis:** niger, thoracis limbo, elytrorum vitta marginali lineisque pluribus luteis, sterni laciniis acutis, elytris laevibus et tarsis anticis in utroque sexu simplicibus. (Long. 8—9 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 373. *D. lapponicus* GYLL. l. c. 468. 3. var. b. ZETT. Fn. Lapp. 1. 207. 2. var. b.

*Mas:* thoracis disco nigro impunctato, tibiis tarsisque omnibus nigro-piceis.

*Fem.:* thoracis disco nigro subtilissime punctulato, pedibus testaceis, posticis tantum infuscatis in copula.

Hab. in Lapponia rarissime, mihi ibi non obvius. (Lappon.-mas tarsis anticis dilatatis ex Åboa Finlandiae mihi missus.)

**5. D. sulcatus:** orbiculari-ovatus, planus nigricans, ore, antennis, thoracis margine fasciaque transversa, pedibus anticis, femorum posticorum apice, abdominisque maculis lateralibus. ♂♀. (Long. 6 lin.)

*Mas.:* elytris creberrime punctulatis, glabris.

*Fem.:* elytris sulcis quatuor latis, villosis; in copula capti.

LINN. Fn. Sv. 773. ♀. FABR. Eleut. 1. 261. 14. PANZ. Fn. 31. f. 9. ♂. 10. ♀. SCHÖNH. Syn. 2. 14. 17. GYLL. Ins. Sv. 1. 427. 6. ♂♀. DEJ. Catal. p. 18. ZETT. Fn. Lapp. 1. 207. 3. ♂♀.

Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae passim, ad Wittangi et Lycksele frequens; *D. marginali* fere triplo minor, breviter ovalis. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. D. sulcipennis:** ovalis, planus nigricans, ore, antennis, thoracis margine fasciaque transversa, pedibus anticis, femoribus posticis totis, abdominisque fasciis ventralibus, flavo-luteis. ♂♀. (Minor. long. 5 lin.)

*Mas:* elytris creberrime punctulatis, glabris.

*Fem.:* elytris sulcis quatuor latis, villosis.

SAHLB. Ins. Fenn. p. 157. Not. ZETT. Act. Holm. 1824. p. 156. 50. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 208. 4. ♂♀. *Dyt. canaliculatus* NICOL. Coleopt. Halens. 29. 8. ♂♀. SAHLB. Ins. Fenn. 156. 6. ♂♀. *Dyt. dispar* DEJ. Catal. p. 18.

Hab. in aquis Lapponiae rarius, ad Karesuando et Muonioniska Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele Lapponiae Umensis, 15—20. Jun., a me lectus; etiam in flumine Råneå Botniae borealis jam die 10. Maj. captus. (Lapponia, Finlandia, Ostrogothia in lacu Wettern sero autumno, rar.)

A praecedente non distinguitur nisi forma magis ovali, femoribus posticis totis abdominisque segmentorum ventralium basi flavo-luteis, unde fasciae ventri latae, continuatae (nec abruptae vel maculae tantum laterales ut in priori) exstant, et quod duplo minor.

**7. D. verrucifer:** ovalis depressus niger, capite flavo-variegato, thorace strigoso, limbo fasciaque transversa integra flavis, elytris confertissime verrucosis, corpore flavo-testaceo. ♀. (Long. 4¾ lin.)

HUMMEL Essai Ent. 3. 17. GYLL. Ins. Sv. 4. App. 376.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in stagno sylvatico juxta pagum Lycksele d. 19. Jun. 1832 unicum specimen femineum inveni. (Lapp.; Finland. SAHLBERG.)

Statura omnino *D. sulcipennis*, eoque vix brevior, sed paullo angustior. *Mas:* elytris laevibus nigris, margine laterali late pallido punctisque plurimis obscure flavescentibus in disco sparsis, a D. GYLLENHAL descriptus, a me non visus.

*Subdiv.* 2. Corpus mediae magnitudinis, ovali-oblongum. Antennae setaceae. Tarsi antici articulis tribus baseos distincte dilatatis (non tamen patellatis), subtus spongiosis. Elytra in utroque sexu non sulcata. (*Colymbetes* CLAIRV. et LATR. non DEJ.)

**8. D. zonatus:** ovatus subconvexus flavo-testaceus, thorace fasciis duabus intra-marginalibus, elytris nigricantibus flavo-irroratis. ♂♀. (Long. 5 lin.)

*Mas:* tarsis anticis valde dilatatis.

*Fem.:* tarsis anticis simplicibus.

FABR. Eleut. 1. 262. 22. PANZ. Fn. 38. f. 13. SCHÖNH. Syn. 2. 16. 29. GYLL. Ins. Sv. 1. 475. 9. ZETT. Fn. Lapp. 1. 208. 5. ♂♀.

Hab. in aquis Lapponiae passim, inprimis ad Karesuando lectus; statura fere *D. sulcipennis*, magis ovatus, paullo minor et magis convexus. (Lapp.-Scan. freq.)

**9. D. striatus:** oblongus, posterius attenuatus, niger, labro, fronte, antennarum basi thoracisque lateribus inaequaliter flavis, elytris subtilissime transversim strigosis nigro-fuscis, margine dilutiori. ♂♀. (Long. 6 lin.)

*Mas.:* tarsis anticis modice dilatatis, coarctatis (ut in sequentibus hujus Subdivisionis).

*Fem.:* tarsis anticis simplicibus; in copula.

FABR. Eleut. 1. 261. 16.? SCHÖNH. Syn. 2. 15. 20. (Syn. LINN. Fn. forte exclus.) GYLL. Ins. Sv. 476. 10. DEJ. Catal. p. 19. ZETT. Fn. Lapp. 1. 209. 6. ♂♀.

Var. b. ♀. thorace flavo-testaceo, litura media transversa, abbreviata, sinuata nigra. — ZETT. et GYLL. l. c. var. b.

Hab. in aquis Lapponiae et borealis et meridionalis, mens. Jun., passim; in fluviis et rivulis Botniae borealis frequentius, jam initio mensis Maji, glacie non omni soluta, vigens, copulam concupiscens; *Dytico sulcato* fere longior, sed dimidio angustior. (Lapp.-Scan. rar.)

**10. D. fuscus:** ovato-oblongus niger, labro, fronte, antennarum basi thoracisque lateribus inaequaliter flavis, elytris

subtilissime transversim strigosis fuscis, margine dilutiori. (Long. 5½ lin.)

Fabr. Eleut. 1. 261. 17.? Schönh. Syn. 2. 15. 21. Gyll. Ins. Sv. 1. 477. 11. Dej. Catal. p. 19. Zett. Fn. Lapp. 1. 209. 7. ♂♀. *Dytiscus striatus* Linn. Fn. Sv. 770.?

Hab. in Lapponiae aquis stagnantibus rarius, ad Karesuando Lapponiae Tornensis d. 15. Aug. a me lectus; praecedenti affinis et similis, sed paullo minor brevior. (Lapp.-Scan. freq.)

Obs. Synonyma Fabricii et Linnaei incerta. Cum vero *Dyticus fuscus* noster frequentissime occurrat in aquis provinciarum Sueciae inferioris, ubi noster *Dyt. striatus* non nisi rarius obvenit, forsitan ille est, quem in Fauna sua Suecica diagnosi perbrevi et ancipiti spectat Linn. *Dyt. fuscus* et *striatus* notis fere similis significationis describuntur a Fabricio. Mares *D. fusci* et *Bogemanni* sat similes sunt praeter tarsos anticos in *D. Bogemanni* magis dilatatos, quam in *D. fusco*.

**11. D. Bogemanni**: oblongo-ovalis niger, labro, fronte, antennis, thoracis limbo lato, elytrorumque evidenter transversim strigosorum margine flavis, pedibus testaceis. ♂♀. (Long. 6 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 3. 687. 10—11. Add. Dej. Catal. p. 19. Zett. Fn. Lapp. 1. 210. 8. ♂♀.

Hab. in Lapponiae borealis aquis rarius, in stagnis vero ad Lycksele Lapponiae meridionalis, mens. Jun. haud infrequenter captus. Magnitudo *Dyt. striati*, posterius minus angustus, et ab illo vere distinctus, propriam speciem certe efficiens. (Lapp.-Scan. rar.)

**12. D. dolabratus**: ovali-oblongus niger, labro, fronte, antennis, thoracis limbo lato, elytrorum evidenter transversim strigosorum margine, ano pedibusque testaceis. ♂♀. (Minor, long. 5 lin.)

Payk. Fn. 1. 204. 13. Schönh. Syn. 2. 15. 22. Gyll. Ins. Sv. 1. 478. 12. Dej. Catal. p. 19. Zett. Fn. Lapp. 1. 210. 9.

Hab. in aquis Lapponiae Tornensis passim, mihi ad Karesuando et Muonioniska praesertim obvius. In Lapponia meridionali a me non visus, sed in lacu in summitate alpium Dowre sito, a D. Boheman d. 13. Jul. inventus, ut etiam uterque sexus e Groenlandia a D. Westermann communicatus. (Lapp.-Matarengi, Tornoa.)

Antecedente duplo minor, strigis elytrorum crebre bifidis, anastomozantibus, nec ut in illo saepe simplicibus vel liberis, ex utroque quoque occurrunt ambo sexus, unde distinctae species jure habendae, licet ceteris notis parum discrepent.

*Subdiv.* 3. Corpus minoris magnitudinis, ovatum aut ovale, supra saepe convexum. Antennae capite thoraceque parum longiores, subfiliformes. Elytra in utroque sexu laeviuscula (non sulcata). Tarsi antici maris articulis tribus baseos paullo dilatatis. (*Colymbetes* Latr. Dejean. *Hyderus* mihi) *).

**13. D. notatus**: oblongo-ovatus supra flavicans, vertice thoracis punctis tribus, medio maculiformi, nigris, elytris crebre nigro-irroratis, striis nullis punctatis. ♂♀. (Long. 3½ lin.)

*Mas:* pectore abdomineque nigris, elytris laevibus.

*Fem.:* pectore nigro, abdomine testaceo, elytris anterius striolis crebris abbreviatis impressis.

Fabr. Eleut. 1. 267. 50. Schönh. Syn. 2. 22. 67. Gyll. Ins. Sv. 1. 483. 17. Zett. Fn. Lapp. 1. 211. 10. ♂♀. *Colymbetes suturalis* Dej. Catal. p. 19.

Hab. in aquis Lapponiae rarius, praecedente triplo et ultra minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**14. D. agilis**: oblongo-ovatus niger, fronte, antennarum basi, thoracis medio late, pedibusque testaceis, elytris flavescentibus nigro-irroratis, striis disci punctatis. ♂♀. (Long. 3⅓ lin.)

Fabr. Eleut. 1. 266. 44. Panz. Fn. 90. f. 2. Schönh. Syn. 2. 23. 68. Gyll. Ins. Sv. 1. 484. 18. Dej. Catal. p. 19. Zett. Fn. Lapp. 1. 211. 14. ♂♀.

Hab. in aquis stagnantibus tota aestate, in Lapponia et boreali et meridionali, frequens, priori parum major. (Lapp.-Scan. freq.)

**15. D. melanopterus**: oblongo-ovatus testaceus, vertice thoracisque postico fascia abbreviata nigris, elytris atris, margine luteo, striis disci punctatis. ♂♀. (Long. 3⅔ lin.)

*) *Dyticus Hybneri*, *transversalis* et *stagnalis* corpore mediocris magnitudinis, forma exacte ovali, tarsis anticis maris patellis orbiculatis, colorisque pictura supra magis determinata, ad propriam Subdivisionem referri debent, sed hae Succiae australioris incolae in Lapponia non occurrunt.



Zett. Fn. Lapp. 1. 211. 12. ♂♀. *D. agilis* Gyll. Ins. Sv. 4. App. 378. var. b.

Hab. in aquis stagnantibus vel lente fluitantibus, in Lapponia boreali rarius, at in Lapponia meridionali, ex. gr. in Lycksele-Avan et ad Barrsele, nec non in fluviis Botniae borealis, ex. gr. in Råneå et ad Johannis Ro, frequentius, mensib. Majo et Junio visus. (Lapp.-Botnia borealis.)

*Descr.* Magnitudo et affinitas *Dyt. agilis*, colore determinato ab illo et ceteris distinctus. Totus omnium subtilissime punctulatus. Caput flavum, vertice nigro, maculis duabus testaceis. Antennae testaceae, extrorsum fuscescentes. Thorax testaceus, margine summo antico fusco, postico fascia abbreviata nigra, ut in *D. agili* sita et formata, sed breviori quam in illo, versus margines scilicet minime attenuatim continuata. Scutellum breve, triangulare, l. totum nigrum l. apice testaceum. Elytra atra, margine determinate, at anguste, flavo; in disco cujusvis elytri lineae duae longitudinales e punctis impressis, obsoletae, in femina praesertim parum perspicuae. Corpus totum subtus uti pedes testacea. Tarsi antici maris modice dilatati, feminae simplices ut in praecedente.

**16. D. collaris**: oblongo-ovatus testaceus, vertice thoracisque postico fascia abbreviata angusta obsoleta, nigris, elytris nigro-irroratis, striis disci punctatis. ♂♀. (Long. 3½ lin.)

Payk. Fn. 1. 200. 9. Gyll. Ins. Sv. 1. 485. 19. Zett. Fn. Lapp. 1. 212. 13. *Dyt. adspersus* Panz. Fn. 38. f. 18. Dej. Catal. p. 19. (non vero idem Fabricii et Schönherri.)

Var. b. ♀. elytris paullo obscurioribus.

Hab. in aquis et fluviis Lapponiae passim, ad Junosuando, Wittangi et aliis locis mens. Majo, Junio lectus; in Lapponia meridionali quoque vulgaris, sed var. b. tantum ad Lycksele rarius obvius; in fluminibus Luleå et Råneå Botniae borealis frequenter occurrit var. a. (Lapp.-Scan. freq.)

Praecedente sat similis et affinis, paullo minor, brevior.

**17. D. maculatus**: ovatus nigro-piceus, fronte, antennis, thoracis fascia media, elytrorum maculis lineisque pedibusque ferrugineo-testaceis. ♂♀. (Long. 2⅔ lin.)

Var. a. ♂♀. Elytra margine, et lineis maculisque disci pallidis.

Linn. Fn. Sv. 777. Fabr. Eleut. 1. 266. 45. Schönh. Syn. 2. 21. 57. Gyll. Ins. Sv. 1. 490 24. var. a. Zett. Fn. Lapp. 1. 212. 14. ♂♀. a. *Colymbetes maculatus* Dej. Catal. p. 19.

Var. b. ♂♀. Elytra margine maculisque disci paucioribus pallidis.

Gyll. et Zett. l. c. var. b. *Dyt. inaequalis* Panz. Fn. 14. f. 8.

Hab. in rivulis et fluviis Lapponiae passim frequens; ad Karesuando et Muonioniska illum copiose legi, et var. b. etiam ad Lycksele Lapponiae meridionalis vidi. — Sed neque hunc, neque ullum praecedentium hujus subdivisionis in aquis Nordlandiae Finmarkiaeque detegere mihi contigit. Priori duplo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**18. D. arcticus**: oblongo-ovatus, subtilissime reticulato-strigosus niger, fronte, antennarum basi, thoracis fascia media ad latera dilatata, pedibusque testaceis, elytris nigro-fuscis, margine pallido. ♂♀. (Long. 2½ lin.)

Payk. Fn. 1. 201. 10. Schönh. Syn. 2. 23. 70. Gyll. Ins. Sv. 1. 492. 25. Zett. Fn. Lapp. 1. 213. 15. ♂♀. a. *Colymb. arcticus* Dej. Catal. p. 19.

Var. b. ♂♀. thorace nigro, lateribus late pallidis, fascia scilicet media interrupta.

Gyll. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Var. c. ♂♀. similis varietati a., elytrorum basi etiam pallida. — Zett. l. c. var. c.

Var. d. ♂♀. saepe paullo minor, subpallidior, thorace fusco-testaceo, fascia nigra, elytris fuscis.

Hab. in aquis stagnantibus, nec non in fluviis Lapponiae, et borealis et meridionalis a primo vere usque ad autumnum, frequentissimus. Var. vero d. tantum in Lycksele-avan legi, sed a D. Boheman in lacubus in ipsis alpibus Dowre sitis mens. Jul. capta. — Occurrit quoque in aquis regionis subalpinae, et in lacuna montis Skaaddavaara ad Alten Finmarkiae lectus. Per flumina descendit usque ad Botniam borealem, et in Råneå jam initio mensis Maji specimina utriusque sexus copiose inveni, insecti Scandinaviae forsitan peculiaris. *Dyt. collari* duplo et ultra minor, praecedente parum brevior, sed multo angustior. (Lapp.-Botnia borealis freq.)

**19. D. Sturmii**: oblongo-ovatus, subtilissime reticulato-strigosus niger, ore, antennis, maculis duabus verticis pedibusque ferrugineis, elytris fusco-brunneis, margine pallido. ♂♀. (Long. 2⅔ lin.)

Var. a. ♂♀. pedibus ferrugineis. Zett. Fn. L. 1. 214. 16.

Var. b. ♀. pedibus nigro-piceis.
GYLL. Ins. Sv. 1. 493. 26. var. b. ZETT. l. c. var. b. ♀.
Var. c. ♀. totus niger obscurus, antennis, elytrorum margine pedibusque parum dilutioribus.
ZETT. l. c. var. c. ♀.
Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae meridionalis ad Lycksele, rarius; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis mensib. Junio et Julio tamen frequentius vidi, licet individua tantum feminea ibi deprehendere mihi contigerit. (Lapponia.)
Magnitudo fere *Dyt. collaris*, praecedente duplo major, praesertim latior, *D. maculato* subaequalis. Thorax totus niger, lateribus concolor, certo situ aeneo-renitens. *Dyticus Sturmii* GYLLENHALI l. c. var. a et SCHÖNHERRI, seu *D. umbrinus* STURM., qui in Suecia inferiori, in Germania et Gallia occurrit, sed in Lapponia mihi non obvius, forsitan speciem a nostro diversam constituit, magis „ovatus thoracisque lateribus late testaceis." Ex illo vero non nisi mares vidi, unde dubium circa hanc speciem manet usque dum plura utriusque sexus specimina colligere et inter se comparare liceat. — Caveas ne nostrum lapponicum cum aliquot similibus, ex. gr. *Dyt. angustiori*, *fuscipenni*, *congenere* et *paludoso* confundas: magnitudo, color, et inprimis forma ac superficies plerumque minus variabiles, attente observanda sunt.

**20. D. fuliginosus:** oblongo-ovatus posterius attenuatus, subtilissime reticulato-strigosus, supra aeneo-niger, thorace elytrisque flavo-marginatis, subtus ferrugineo-brunneus. ♂♀. (Long. 3½ lin.)
SCHÖNH. Syn. 2. 17. 33. GYLL. Ins. Sv. 1. 495. 28.
Hab. in Lapponia meridionali rar.; mihi tantum ad Lycksele parce obvius. (Lapp.-Scan. freq.)

**21. D. fenestratus:** oblongo-ovatus convexus, posterius attenuatus depressus, supra subtilissime reticulato-strigosus, nigro-aeneus, subtus piceus, fronte, antennis, thoracis lateribus, elytrorum margine lineolisque duabus fenestratis pedibusque piceo-ferrugineis. ♂♀. (Long. 3⅔ lin.)
FABR. Eleut 1. 264. 32. (exclus. Syn. *D. guttatus* PAYK.) SCHÖNH. Syn. 2. 18. 42. GYLL. Ins. Sv. 1. 497. 30. ZETT. Fn. Lapp. 1. 214. 17. ♂♀. *Colymb. fenestratus* DEJ. Catal. p. 19. *Dyt. aeneus* PANZ. Fn. 38. f. 16.
Var. b. ♂♀. thoracis lateribus elytrorumque margine parum dilutioribus. — ZETT. l. c. var. b. ♂.
Var. c. ♂♀. paullo major, totus aterrimus, ore, antennis pedibusque anterioribus ferrugineis, elytrorum lineola marginali et guttula apicali pallidis.
An GYLLENHAL. l. c. var. c.?
Hab. in aquis Lapponiae, vulgaris; etiam sub lapidibus ad ripas fluminis Tornensis prope Juckasjervi mens. Junio plura specimina legi. Varietates a. et b. ad Muonioniska mens. Aug. frequenter visae, et omnes varietates ad Lycksele Lappon. meridion. quoque vulgares. (Lapp.-Scan. freq.)
Magnitudo *Dyt. agilis*, postice magis attenuatus. — Exemplaria lapponica hujus speciei mihi semper visa fuerunt corpore magis obscuro, quam suecica corpore fere ferrugineo seu piceo-ferrugineo.

**22. D. serricornis:** ovalis, convexus, laeviusculus piceo-niger, ore, fronte, antennis, thoracis lateribus elytrorumque margine pedibusque rufo-piceis. ♂♀. (Long. 3⅓ lin.)
*Mas:* antennis extrorsum compressis, serratis, femoribus anticis subtus dentatis.
*Fem.:* paullo minor, antennis femoribusque simplicibus.
PAYK. Fn. 3. Add. 443. 16—17. ♂. SCHÖNH. Syn. 2. 18. 40. GYLL. Ins. Sv. 1. 500. 33. ♂♀. DEJ. Catal. p. 19. ZETT. Fn. Lapp. 1. 215. 18. ♂♀. *Agabus serricornis* LEACH. Zool. Misc. 111. 72. 7. AHRENS. Fn. Europ. Fasc. 5. f. 3.
Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae passim; ad Muonioniska et ad villam Mauno prope Enontekis frequentius occurrit; ad Lycksele Lapponiae Umensis uterque sexus d. 14—20. Jun. a me inventus, et a D. FELLMAN ex Enare Lapponiae septentrionalis missus. (Lapp.-Botnia.)
Mas magnitudine fere *D. fenestrati*, sed convexior, postice magis obtusus, femina dimidio minor. Sub oculo acutissime armato tota elytrorum superficies subtilissime creberrime punctulata apparet, et praeterea in singulo striae tres e punctis evidentioribus inordinatis impressis, ut in affinibus.

**23. D. guttatus:** oblongo-ovatus subdepressus nitidus niger, ore, antennis, thoracis summo margine, pedibusque rufo-piceis, elytris guttulis 2 rotundatis pallidis. ♂♀. (Long. 2⅔ lin.)
Var. a. ♂♀. guttulis elytrorum pallidis simplicibus.
SCHÖNH. Syn. 2. 19. 46. GYLL. Ins. Sv. 1. 502. 34.
Var. b. paullo major (long. 3 lin.), guttulis elytrorum majoribus subferrugineis, anteriore didyma.
GYLL. l. c. 4. App. 380. 34. var. b.
Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia; Ostrog. Scania passim, sed tantum var. a.)

**24. D. bipustulatus:** obovatus depressus nitidus niger, ore antennisque testaceis, punctis verticis rufis, pedibus piceis, tibiis tarsisque ferrugineis, elytrorum strigis longitudinalibus tenuissimis crebris anastomozantibus. ♂♀. (Long. 3¼ lin.))
LINN. Syst. Nat. 2. 667. 17. PAYK. Fn. 1. 208. 17. FABR. Eleut. 1. 263. 29. LATR. Gen. Crust. et Ins. 1. 231. 3. SCHÖNH. Syn. 2. 17. 35. DEJ. Catal. p. 19. ZETT. Fn. Lapp. 1. 216. 19. *Dyt. carbonarius* FABR. Eleut. 1. 263. 28. (var. punctis verticis, ut saepe accidit, inconspicuis.) SCHÖNH. Syn. 2. 17. 34. GYLL. Ins. Sv. 1. 506. 38.
Var. b. ♂. pedibus rufo-testaceis.
ZETT. et GYLL. l. c. var. b.
Hab. in aquis Lapponiae passim. Versus alpes longius procedit et in Torneåträsk, nec non in aquis ad Giebostad insulae Senjen Nordlandiae a me lectus; *D. fenestrato* paullo brevior, multo magis depressus, praesertim postice. (Lapp.-Scan. freq.)

**25. D. tarsatus:** oblongus subdepressus nitidus niger, ore, antennis, punctis 2 verticis tarsisque rufo-ferrugineis, elytrorum strigis longitudinalibus tenuissimis crebris anastomozantibus. ♂♀. (Long. 2¾ lin.)
Var. b. ♀. paullo minor angustior (long. 2½ lin.), elytrorum superficie tota coriacea.
Var. c. similis var. b. pustula rufa ad marginem elytrorum exteriorem.
Hab. in Lapponia meridionali rarius; ad Wilhelmina uterque sexus var. a. d. 17—21. Jul. a me captus; var. b. e Dowre a D. BOHEMAN communicata, et var. c. etiam in Dowre lecta, test. D. SCHÖNHERR in litteris. (Lapponia.)
Similis *D. bipustulato*, sed paullo minor, angustior, forte etiam paullo magis convexus, pedibus totis nigris, tarsis tantum rufis distinctus. — Var. b. et c. an ab a. spec. distinct.

**26. D. fuscipennis:** obovatus depressus nitidus niger, ore, antennis, punctis verticis, thoracis limbo pedibusque testaceis, femoribus fusco-maculatis, elytris subtilissime punctulatis obscure brunneis, margine antico et laterali pallidis. ♂♀. (Long. 3 lin.)
PAYK. Fn. 1. 209. 18. SCHÖNH. Syn. 2. 18. 36. GYLL. Ins. Sv. 1. 507. 39. ZETT. Fn. Lapp. 1. 216. 10. ♂♀.
Hab. in Lapponia D. SANMARK teste D. SAHLBERG in Ins. Fenn. pag. 166; a me in Lapponia frustra quaesitus. (Lapp.-Scan. pass.)
Magnitudo et statura omnino praecedentis, sed superficies non striata, modo oculo acutissime armato omnium subtilissime punctulata, et series tres disci e punctis minutissimis impressis, obsoletissimae. Palpi pallidi, articulo ultimo fusco. Os late testaceum. Puncta verticis 2 rufa. Thorax niger, margine antico et postico angustissime, lateribus latius, testaceus. Pedes testacei, femoribus praesertim posticis magis vel minus fuscescentibus; qualis in Ölandiae, Smolandiae aquis, passim, et in Lundensibus stagnis fundo argillaceo, frequenter, mihi obvius. Similem quoque Nobil. GYLLENHAL e Westrogothia misit, quare de synonymia non haesito, quamquam celeberr. auctoris descriptio in nostrum non bene convenit.

**27. D. Grapei:** oblongo-ovatus depressus subtilissime punctulatus niger, ore, frontis margine, antennis, lunula verticis pedibusque rufo-ferrugineis, thoracis lateribus piceis, angulis posticis productis acutis. ♂♀. (Long. 3¼ lin.)
GYLL. Ins. Sv. 1. 505. 37. SAHLB. Ins. Fenn. 165. 30. AHRENS. Fn. Europ. Fasc. 6. fig. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 217. 21. ♂♀.
Hab. in aquis Lapponiae rarius; *D. bipustulato* fere longior, sed angustior, nec posterius attenuatus. (Lapponia; Finlandia; Scania, ubi ad Esperöd die 23. Aug. 1820 individuum femineum ipsissimae speciei inveni.)

**28. D. chalconatus:** oblongo-ovalis depressus subtilissime punctulatus niger, ore, frontis margine antennisque rufo-testaceis, verticis punctis, thoracis lateribus, elytrorum summo margine pedibusque anterioribus piceo-ferrugineis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.)
PANZ. Fn. 38. f. 17. SCHÖNH. Syn. 2. 19. 43. GYLL. Ins. Sv. 1. 504. 36. ZETT. Fn. Lapp. 1. 217. 22. ♂♀. a. *Colymbetes chalconatus* DEJ. Catal. p. 19.
Var. b. ♂♀. duplo minor obscurior, thoracis scilicet lateribus elytrorumque margine vix ferrugineis, femoribus omnibus nigro-piceis.
GYLL. Ins. Sv. l. c. var. c. ZETT. l. c. var. b. ♀.
Hab. in aquis stagnantibus, in Lapponia rarius, ex. gr. ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis; in provincia adjacenti Botnia boreali frequentius occurrit, ut ad ÖfverTorneå, Calix et Umeå, jam mense Majo obvius. Varietas a *D. bipustulato* magnitudine parum cedit, var. b. duplo minor, ma-

gis ovalis, ad Lycksele Lapponiae Umensis haud infrequenter captus, forte specie distinct. (Lapp.-Scan. praesertim var. b.)

Differt a *D. fenestrato*, cui alias simillimus, forma magis ovali, colore paullo nigriore et defectu macularum fenestratarum in elytris; a *D. bipustulato* statim dignoscitur superficie elytrorum coriacea, nec strigulis longitudinalibus invicem connexis.

**29. D. guttiger**: oblongo-ovalis convexiusculus, omnium subtilissime punctulatus niger, subtus nigro-piceus, ore, frontis margine, antennis, punctis verticis pedibusque piceo-ferrugineis, elytris lineola punctoque prope marginem fulvo-fenestratis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 1. 499. 31. DEJ. Catal. p. 19. (speciminibus e Lapponia.) ZETT. Fn. Lapp. 1. 218. 23. ♂♀.

Var. b. ♂♀. guttulis elytrorum obsoletis vel nullis.

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 379. 31. var. c.

Hab. in Lapponiae aquis rarius, ad Karesuando frequens Collect. GRAPEI, in aquis stagnantibus ad Lycksele Lapponiae Umensis, mens. Jun. a me frequenter lecta utraque varietas. *D. fenestrato* duplo fere minor et angustior. (Lapp.-Smolandia rar.)

**30. D. vittiger**: oblongo-ovatus nigro subaeneus, minus convexus, palpis antennisque ferrugineis, pedibus rufo-piceis, elytris linea unica laterali rufescente abbreviata.

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 379.

Var. b. elytrorum linea rufescente obsoleta vel nulla.

GYLL. l. c. var. b.

Hab. in Lapponiae borealis aqua. D. GRAPE, teste D. GYLL. l. c. (Lapponia.)

*D. guttigero* similis et affinis, paullo minor.

**31. D. angustior**: oblongus angustus convexus, posterius attenuatus, subtilissime punctulatus nigro-aeneus, ore, frontis margine, antennis punctisque verticis ferrugineis, corpore pedibusque piceis. (Long. 2¾ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 1. 500. 32. ZETT. Fn. Lapp. 1. 218. 24.

Var. b. elytris striolae lateralis pallidioris rudimento obsoleto.

GYLL. l. c. Add. P. 3. 688. 32. var. c. ZETT. l. c. var. b. GYLL. l. c. 4. App. 380.

Hab. in Lapponia, Collectione D. KOLSTRÖM, mihi vivus non visus. Varietatem b. Dom. SCHÖNHERR e Lapponia obtinuit. *D. guttigero* valde affinis, sed adhuc minor, inprimis angustior, convexior et maculis elytrorum fenestratis nullis. (Lapp.-Upland. rar.)

**32. D. affinis**: ovato-oblongus convexiusculus, omnium subtilissime punctulatus niger, labro, antennarum basi punctisque verticis ferrugineis, elytris lineolis duabus pellucidis, pedibus rufescentibus, posticis nigro-piceis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

PAYK. Fn. 1. 211. 21. SCHÖNH. Syn. 2. 19. 48. GYLL. Ins. Sv. 1. 503. 35. ZETT. Fn. Lapp. 1. 218. 25. ♂♀. *Colymbetes affinis* DEJ. Catal. p. 19.

Var. b. duplo major, elytrorum lineolis pellucidis elongatis. — GYLL. Ins. Sv. 4. App. 380. 35. b.

Var. c. etiam duplo major, elytris immaculatis.

GYLL. l. c. var. c.

Hab. in aquis Lapponiae Tornensis rarius, DD. QUENSEL, et FRIGELIUS. Specimina, quae hic descripsi, ad Haparanda Botniae borealis d. 20. Maji, et in aqua stagnante ad Juckasjervi Lapponiae d. 25. Jun. legi. (Lapp.-Scan. rar.)

Inter minimos hujus generis, *D. bipustulato* seu *carbonario* GYLL. quadruplo et ultra minor. Elytra nitida; in disco antico series tres irregulares e punctis impressis, posterius vero puncta plurima sparsa inordinata; versus apicem, juxta suturam, ordo e punctis simplici serie digestis. GYLL.

**33. D. elongatus**: oblongus convexus nigro-subaeneus, ore, lineolis 2 verticis, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, elytrorum margine toto rufo-brunneo.

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 381.

Hab. in aquis Lapponiae passim, D. GRAPE, teste GYLL. l. c.; mihi nunquam obvius. Ceteris plerisque magis elongatus; *D. affinis* var. a., vix latior, sed fere dimidio longior. (Lapponia.)

**34. D. confinis**: ovalis subdepressus laevissimus nitidus niger, labro, antennis punctisque verticis ferrugineis, elytris nigro-fuscis margine flavo-testaceo, pedibus piceis, tibiis anticis tarsisque omnibus rufescentibus. ♂♀. (Long. 2⅔ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 1. 511. 43. ZETT. Fn. Lapp. 1. 219. 26. ♂♀. *Colymb. confinis* DEJ. Catal. p. 19. (Specimin. e Lapponia.)

Hab. in aquis Lapponiae passim, ad Karesuando D. GRAPE, in ipso alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. eundem legi. (Lappon.-Blekingia rar.)

*D. affine* fere duplo major. Elytrorum superficies laevis, punctis aliquot et sparsis et seriatis ut in *D. affine* dispositis.

**35. D. congener**: ovalis subdepressus, subtilissime punctulato-strigulosus nitidus niger, labro, antennarum basi punctisque verticis ferrugineis, elytris fusco-piceis margine pallidiori, pedibus rufescentibus, femoribus nigro-maculatis. ♂♀. (Long. 2⅓ lin.)

*Mas*: elytris fuscis, superficie tota (praeter puncta majora impressa ordinaria) fere laevi.

*Fem.*: elytris plerumque obscurioribus, superficie tota subtilissime punctulato-substrigosa; in copula.

PAYK. Fn. 1. 214. 23.? ♀.? SCHÖNH. Syn. 2. 22. 61. GYLL. Ins. Sv. 1. 509. 4. var. a. ♂. ? var. b. ♀.? ZETT. Fn. Lapp. 1. 219. 27. ♂♀. *Colymbetes congener* DEJ. Catal. p. 19.

Var. b. ♂♀. elytris fere totis nigris. — ZETT. l. c. var. b. ♀.

Var. c. ♂♀. in copula; similis varietati a., duplo major.

ZETT. l. c. var. c. ♂♀.

Hab. in aquis stagnantibus per totam Lapponiam usque ad regionem alpinam vulgaris. In Nordlandia et Finmarkia quoque frequenter occurrit, et ad Björkvik juxta Ofotenfjord, in insulis Senjen, Schiervoe ac Tromsoe, nec non ad Alten et Bossekop copiose visus, in copula mense Julio saepe captus. Var. b. ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ad Tresunda et Barrsele, Lapponiae Umensis, 2—12. Jul., et var. c. tantum ad Giebostad Nordlandiae lecta. (Lapp.-Scan. freq.)

Magnitudo *D. affinis*. Specimina lapponica mihi semper visa fuerunt superficie magis laeviori, quam in suecicis vulgaribus, unde Synonymon PAYKULLI non nisi dubius huc retuli. Synonymon vero GYLLENHALI, praesertim ejus varietatem a, confidentius citavi.

**36. D. paludosus**: ovalis subdepressus laevis niger, ore, labro, antennis, punctis verticis, thoracis lateribus pedibusque ferrugineis, elytris fuscis basi margineque pallidis. ♂♀. (Long. 2⅓ lin.)

FABR. Eleut. 1. 266. 42. GYLL. Ins. Sv. 1. 510. 42. ZETT. Fn. Lapp. 1. 220. 28. ♂♀. *Colymbetes paludosus* DEJ. Catal. p. 19. *Dytiscus congener* var. SCHÖNH. Syn. 2. 22. 61. b. c.

Hab. in aquis Lapponiae rarius, ad Karesuando Lapponiae Tornensis D. GRAPE, teste D. SCHÖNHERR, mihi tantum ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, d. 21. Jul. rarius obvius. Priori magnitudine et statura simillimus. (Lapp.-Scan. rar.)

**37. D. uliginosus**: ovalis convexus subpunctulatus nitidus niger, ore, labro, frontis margine late, antennis, punctis verticis, thoracis lateribus, elytrorum margine pedibusque rufo-ferrugineis. ♂♀. (Long. 2¼ lin.)

LINN. Fn. Sv. 776. FABR. Eleut. 1. 266. 41. SCHÖNH. Syn. 2. 23. 56. GYLL. Ins. Sv. 1. 512. 44. ZETT. Fn. Lapp. 1. 221. 29. ♂♀. *Colymbetes uliginosus* DEJ. Cat. p. 19.

Hab. in Rovaniemi Lapponiae Kemensis D. Past. FELLMAN, teste Comite DE MANNERHEIM, etiam in Lapponia a D. SANMARK lectus, mihi vero ibi non obvius. *D. congeneri* paullo minor, brevior, magis convexus. (Lapp.-Scan. freq.)

**38. D. femoralis**: oblongo-ovatus, subdepressus, punctulatus nigro-subaeneus, thoracis elytrorumque lateribus dilutioribus, ore, labro, frontis margine late, antennarumque basi testaceis, punctis verticis pedibusque rufis, femoribus anticis pallido-ciliatis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

PAYK. Fn. 1. 215. 24. SCHÖNH. Syn. 2. 22. 60. GYLL. Ins. Sv. 1. 513. 45. ZETT. Fn. Lapp. 1. 221. 30. *Colymb. femoralis* DEJ. Catal. p. 19.

Var. b. ♂♀. elytris subtestaceis. ZETT. et GYLL. l. c. var. b.

Hab. in Lapponiae aquis D. D. SANMARK et DAMMERT, teste D. SAHLBERG, mihi in Lapponia boreali non obvius; sed in Lapponiae meridionalis aquis haud infrequenter visus praesertim var. a. (Lappon.-Scan. freq.)

Praecedenti minus convexus, et dimidio fere minor, ideoque minimus hujus sectionis. Obs. *Dyt. fuscipennis, affinis, confinis, congener, paludosus, uliginosus* et *femoralis* valde similes sunt et affines, difficillimeque dignoscuntur. E magnitudine, colore et punctura elytrorum notae discernentes tamen eliciuntur.

### *Sect. 2. Exscutellati.*

Minuti, thoracis margine postico in medio loco scutelli producto. Color pallescens. *Laccophilus* LEACH. et DEJEAN. *Noterus* LATR. DEJ.

**39. D. minutus**: obovatus, subdepressus, laevissimus virescenti-flavus, elytris fusco-flavo-virescentibus, margine pallido-maculato. ♂♀. (Long. 1⅔ lin.)

FABR. Eleut. 1. 272. 78. SCHÖNH. Syn. 1. 229. 40. GYLL. Ins. Sv. 1. 514. 46. ZETT. Fn. Lapp. 1. 222. 30. ♂♀. *Laccophilus minutus* DEJ. Catal. p. 19. *Dyt. interruptus* PANZ. Fn. 26. f. 5.

Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae meridionalis, rarius. (Lapp.-Smol. freq.)

Parvus, *Dyt. femorali* triplo et ultra minor. Tarsi in utroque sexu aequales, simplices.

**40. D. crassicornis**: oblongo-ovatus, subconvexus, nitidus pallide ferrugineus subtus suturatior, elytris dilute castaneis, serie triplici irregulari punctorum impressus. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

*Mas:* antennarum medio tarsorumque anticorum basi incrassatis, tibiis anticis intus valide dentatis, femoribus apice nigro-fasciatis. *Fem:* antennis tarsisque simplicibus, tibiis muticis, femoribus immaculatis; in copula.

FABR. Eleut. 1. 273. 81. ♂. SCHÖNH. Syn. 2. 24. 79. GYLL. Ins. Sv. 1. 516. 47. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 222. 31. ♂♀. *Noterus crassicornis* DEJ. Catal. p. 19.

Hab. rarius in Lapponia cum praecedente, quo duplo fere minor est, angustior, posterius attenuatus. (Lapp.-Scan. freq.)

---

## 79. Hyphydrus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 105. SCHÖNH. GYLL. ILL. *Dytiscus* FABR.

*Corpus* parvum, oblongo-ovatum, subtus convexum. Antennae thorace parum longiores, filiformes. Scutellum nullum. Femora postica basi nuda, libera. Tarsi quatuor anteriores quadriarticulati, postici evidenter quinquearticulati. *Color* nigricans, fuscus, testaceus; pictura saepe lineata. *Motus* incessu natatorio agilissimo. *Habitatio* in aquis; per omnes fere Lapponiae regiones. *Differentia sexus* in externis nulla. (Spec. Scand. 44.)

*Subdiv.* 1. Corpore longiusculo, subdepresso.

**1. H. griseo-striatus**: oblongo-ovatus subtilissime punctulatus pilosiusculus niger, capite macula antica subtriangulari, antennarum basi pedibusque ferrugineo-flavis, thorace pallido medio nigro-vario; elytrorum limbo lineisque plurimis subinterruptis pallidis. (Long. 1¾ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 1. 523. 7. AHRENS. Fn. Europ. Fasc. 9. f. 6. certe. ZETT. Fn. Lapp. 1. 223. 1. *Hydroporus griseostriatus* DEJ. Catal. p. 19. *Dytiscus Halensis* PAYK. Fn. 1. 230. 41. (exclus. Syn. FABR.)

Var. b. flavedine frontis in vertice ramulum utriusque emittente. — GYLL. l. c. 4. App. 385. var. b.

Var. c. thoracis litura nigra minore, in maculas 2 divisa, elytrorum lineis pallidis latioribus.

GYLL. l. c. 4. App. 385. c.

Hab. in aquis stagnantibus per totam Lapponiam frequentissime; in insulis Nordlandiae et Finmarkiae copiose quoque occurrit; in lacubus minoribus in alpibus Dowreensibus sitis omnes varietates quoque a D. BOHEMAN mens. Jul. Aug. inventae. (Lapp.-Scan. rar.)

*Dyt. crassicorni* paullo major, latior. Elytra parce griseo-pilosa apice subacuminata, pallida, lineis 6-7 nigris. Tarsi fusci. In Lapponia specimina hujus speciei lineas elytrorum flavas raro habent interruptas, sed de cetero insecto suecico simillima, unde vix ad speciem distinctam referenda.

**2. H. alpinus**: oblongo-ovatus, subtilissime punctulatus glaber subnitidus niger, capite, antennis, thorace elytris angustiore utrinque impresso pedibusque flavo-testaceis, elytris pallidis, nigro-lineatis, apice acuminatis. (Long. 1⅔ lin.)

Var. a. segmento abdominis ultimo s. anali pallido.

SCHÖNH. Syn. 2. 34. 23. GYLL. Ins. Sv. 1. 524. 8. KUNZE Fragmenta Entomol. 67. 9. AHRENS. Fn. Eur. Fasc. 9. f. 7. ZETT. Fn. Lapp. 1. 224. 2. *Dytiscus alpinus* PAYK. Fn. 1. 226. 36. *Hydroporus alpinus* DEJ. Catal. p. 20.

Var. b. sine dubio *alter sexus*: segmento anali nigro.

*H. borealis* GYLL. Ins. Sv. 4. App. 386. Sub hoc latet etiam *H. alpinus* ZETT. Fn. Lapp. l. c.; forte quoque DUFTSCHM. et KUNZEI l. c.

Hab. in aquis stagnantibus et fluitantibus Lapponiarum omnium freq., ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 15. Jun. ut et ad Lycksele sat copiose lectus praesertim var. b. (Lapp.-Dalekarlia rar. In lacubus Dowreens. a. et b. BOHEM.)

Praecedente fere minor, augustior, posterius magis attenuatus, supra glaber subnitidus. Thorax laevis, non punctatus, sed infra marginem fovea arcuata utrinque impressus, in disco lineola transversa saepe fusca. — Vertex in utraque varietate aut totus pallidus aut arcu fusco; sed elytrorum apex in utraque varietate mihi videtur aequaliter acuminatus.

**3. H. bidentatus**: oblongo-ovatus, subtilissime punctulatus glaber niger, capite, antennis, thorace elytris angustiore utrinque impresso pedibusque flavo-testaceis, elytris pallidis, nigro-lineatis, apice productis, emarginato-bidentatis. (Long. 1⅔ lin.)

Var. a. ano pallido.

GYLL. Ins. Sv. 1. 525. 9. certe. AHRENS. Fn. Europ. Fasc. 9. f. 8. (figura optima.) ZETT. Fn. Lapp. 1. 224. 3.

Var. b. forte *alter sexus*: ano nigro.

Sub *H. bidentato* ZETT. l. c. latet.

Hab. in aquis Lapponiae D. D. FORSSTRÖM et GRAPE; ad Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis ut et ad Lycksele, Lapponiae Umensis, a me quoque rarius lectus; sed in lacubus alpium Dowreensium mens. Jul. Aug. utraque varietas a D. BOHEMAN visa. (Lapponia.)

Magnitudo et summa praecedentis similitudo, nec differt nisi elytrorum apice late emarginato. Elytra pallida, singulo lineis sex et maculis duabus parvis subquadratis lateralibus, nigris. Variat uti praecedens ano pallido et nigro, forte nota sexuali. Variat etiam fronte et vertice aut totis pallidis aut plus minus fusco-piceis. Variat denique elytrorum apice aut plerumque late emarginato, bidentato (ano vel pallido vel nigro), aut rarius truncato et parum emarginato.

**4. H. depressus**: oblongo-ovatus, subtilissime punctulatus glabriusculus ferrugineus, thoracis macula antescutellari gemina elytrisque nigris, his pallido-maculatis substriatisque, ante apicem utrinque denticulo minuto. (Long. 1¼ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 34. 21. GYLL. Ins. Sv. 1. 526. 10. ZETT. Fn. Lapp. 1. 225. 4. *Dyt. depressus* FABR. Eleut. 1. 268. 56. *Hydroporus depressus* DEJ. Catal. p. 19. *Dyt. elegans* PANZ. Fn. 24. f. 5.

Hab. in aquis Lapponiae rarius; ad Muonioniska Collect. D. KOLSTRÖM e Lapponia Tornensi D. DEUTSCH. (Lapp.-Scan. pass.)

Praecedente fere major, ejusque omnino statura. Antennae totae pallidae. Thorax elytrorum basi parum angustior, lateribus rotundatis, supra testaceus, margine antico anguste, maculisque ante scutellum 2 plerumque discretis, nigris. Elytra parum convexa, parumque pubescentia, testacea, sutura lineisque subsenis, subinterruptis, nigris, maculisque ad latera in singulo 2 majoribus ejusdem coloris. Corpus subtus ferrugineum, pectore obscuriore. — Specimina, quae inter Charas in lacubus Ostrogothiae et Scaniae frequenter occurrunt, supra magis pallida videntur, maculisque thoracis nigris basi plerumque connexis.

**5. H. Frater**: ovatus, subtilissime punctulatus subpubescens niger, capite, antennis, thorace, elytrorum margine et lineis disci subsenis pedibusque ferrugineis; elytris ante apicem utrinque denticulo minuto. (Long. 1¼ lin.)

Var. a. thorace ante scutellum macularum 2 nigrarum rudimento.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 225. 5. a. *H. hyperboreus* GYLL. Ins. Sv. 4. App. 388.

Var. b. thorace ante scutellum maculis duabus rotundatis, non inter se, sed margini connatis, nigris.

ZETT. l. c. var b. *Hyph. Frater* SPENCE, KUNZE Fragm. Ent. in Nov. Act. Hal. II. IV. p. 62. 5. *Dyt. depressus* DUFTSCHM. Fn. Austr. I. p. 272. (excl. Syn.)

Var. c. similis varietati a., pectore abdomineque obscure ferrugineis; forte junior.

KUNZE l. c. var. b. ZETT. l. c. var. c. An *H. areolatus* SAHLB. Ins. Fenn. 173. 7.?

Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae; ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 25. Jun. plura specimina legi. Var. b. et c. rarissime occurrit. (Lapponia.)

Praecedente paullo, fere duplo, minor, brevior, illi valde affinis. Thorax elytris vix angustior, lateribus fere rectis. Elytra nigra,

---

*) Licet *Hyphydrorum* tarsi quatuor anteriores in utroque sexu tantum 4-articulati deprehendantur, tamen ob magnam cum generibus *Dytico* et *Haliplo* in ceteris affinitatem, species hujus nostri generis sub *Hydrocantharorum* Familia retinere, more GYLLENHALI, aptius duxi, quam regulis systematis artificialis inconsulte obstrictus, easdem species, violata natura, hospites inter *Tetramera* collocare. Nomen CLAIRVILLEI et DEJEANI *Hydroporus* non placet, utpote nimium consonans *Hydrophoro*, quod in Dipterorum Ordine jam est receptum.

margine lineisque 5-7 in disco subinterruptis pallidis; hae vero lineae juxta marginem et suturam in maculas non dilatatae, ut in antecedente. Apex elytrorum oblique truncatus, angulo externo denticulo minuto. Palporum antennarumque apex, margo thoracis anticus angustissime, tarsique saepe nigro-fusca. — Priori paullo convexior videtur. — Quem D. Kunze descripsit in Anglia captum. —

**6. H. picipes**: oblongo-ovatus subtus niger, supra ferrugineo-testaceus nitidus profunde punctatus, elytris nigrolineatis, striis 4 baseos profundius punctatis. (Long. 1¾ lin.)
Schönh. Syn. 2. 31. 9. Gyll. Ins. Sv. 1. 528. 12. Kunze Nov. Act. Hall. 2. 4. 61. 3.
Hab. in Lapponia Umensi rarius; in Lycksele-avan d. 18—20. Jun. legi. (Lapp. merid.-Scan. freq.)

**7. H. nigro-lineatus**: oblongo-ovatus, creberrime subtiliter punctulatus, subopacus, subtus ater, pedibus pallidis, supra flavo-testaceus, thoracis macula media rhombea, elytrorumque lineis novem nigris, suturali communi. (Long. 1⅔ lin.)
Kunz. Fragm. Ent. p. 60. Gyll. Ins. Sv. 3. 668. Sahlb. Ins. Fenn. 176. 17. Zett. Fn. Lapp. 1. 226. 6. *Hyph. parallelogrammus* Nicolai Dissert. Coleopt. 32. 8. (exclus. forte Syn. plur.)
Hab. in aqua stagnante ad Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele Lapponiae Umensis, mens. Jun., rarius. (Lapponia; Scania in lacu Silfåkra rar.)
Magnitudo *Hyph. Fratris*. Apex palporum, antennarum tarsorumque niger. Thorax parum punctatus. Elytra parum convexa, subtilissime punctulata, striis impressis nullis, tota opaca flavo-testacea, sutura lineisque in singulo quatuor nigris, extima saepe interrupta, et cum linea tertia interne connexa.

**8. H. consobrinus**: ovato-oblongus, creberrime punctulatus, subnitidus, subtus ater, pedibus testaceis, supra ferrugineus, thoracis macula media rotundata, elytrorumque lineis novem nigris, suturali communi. ♂♀. (Long. 1⅔ lin.)
Kunze Ent. Fragm. in Nov. Act. Hal. II. IV. p. 61. 2. Nicol. Dissert. Coleopt. 33. 9. Zett. Fn. Lapp. 1. 227. 7. *H. nigro-lineatus* Sahlb. Ins. Fenn. 176. 17. (in observ.) Sub hoc nomine etiam a D. Drewsen ex Havnia missus.
Hab. in aqua stagnante ad Wittangi Lapponiae Tornensis, mens. Junio sat copiose visus, etiam in Lycksele-avan, Lapponiae meridionalis d. 20. Jun. in copula frequenter observatus. (Lapponia; Scania cum priori rar.)
Magnitudo, statura et summa praecedentis affinitas. Differt a priori punctura elytrorum evidentiori, colore testaceo-ferrugineo (nec flavo), ut et superficie, ut videtur, magis nitida. Macula thoracis nigra quoque minor, rotunda vel subquadrata. Antennarum apex, tarsique saepe fuscescentia. Elytrorum lineae in singulo quatuor, praeter suturalem communem, nigrae, extima in medio interrupta, pone medium dilatata et ibi cum tertia plerumque connexa. Stria compressa in elytris nulla, quare Synon. Schönherri *Hyphyd. nigro-lineati* vix nisi dubius ad hunc referre potui.

**9. H. figuratus**: oblongo-ovatus subdepressus pallidus, thoracis medio, elytrorum basi interiore, puncto humerali, plaga magna disci, maculis lineaque apicis nigris, pectore brunneo.
Gyll. Ins. Sv. 4. App. 387.
Hab. in Lapponia rarissime, D. Grape, test. D. Gyll., mihi in Lapponia non obvius. Statura *H. depressi*, sed paullo minor. (Lapp. borealis.)

**10. H. planus**: obovatus, depressus, crebre punctulatus, subnitidus pubescens niger, antennarum basi, verticis margine postico glabro laevi, pedibusque ferrugineis, femoribus basi piceis. (Long. 1½ lin.)
Var. a. elytris nigris, basi margineque antico piceis.
Schönh. Syn. 2. 35. 25. Gyll. Ins. Sv. 1. 531. 15. Zett. Fn. Lapp. 1. 227. 8. a. *Dytiscus planus* Fabr. Eleut. 1. 268. 55. *Hydroporus planus* Dej. Catal. p. 20. *Dytisc. erythrocephalus* Linn. Syst. Nat. 2. 666. 14.
Var. b. elytris fuscis, basi margineque antico testaceis, pedibus fere totis ferrugineis.
Zett. l. c. var. b. Gyll. l. c. var. *Dyt. flavipes* Fabr. Eleut. 1. 273. 82.
Hab. in aquis Utsjoki Lapponiae Kemensis D. Past. Fellman, teste Com. Mannerheim, etiam a D. Deutsch e Lapp. Tornensi mecum communicatus; sed a me in Lapponiis reliquis frustra quaesitus. (Lapp.-Scan. freq.)
*Hyph. consobrino* aequalis vel fere major, sed magis depressus, supra totus pilis griseis depressis adspersus. Elytra non striata, nec thorax impressus.

**11. H. Lapponum**: oblongo-ovatus, subconvexus, subtiliter punctulatus, tenuiter pubescens niger, capite, antennarum basi, thoracis transversim impressi lateribus, elytrorum margine baseos pedibusque rufo-ferrugineis. (Long. 1¼ lin.)
Var. a. Elytra nigra, margine flavo-ferrugineo.
Gyll. Ins. Sv. 1. 532. 16. Zett. Fn. Lapp. 1. 228. 9. a.
Var. b. Elytra tota obscure brunnea, margine dilutiori.
Gyll. et Zett. l. c. var. b.
Hab. in Lapponiae aquis, DD. Forström et Grape. Varietatem a. ad Muonioniska d. 17. Aug. et var. b. in aquosis alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. ipse legi. (Lappon.)
*Hyph. plano* valde similis et affinis, sed paullo major, capite rufo, pedibus pallidioribus, thorace antice posticeque transversim impresso, et elytris tenuiter tantum pubescentibus distinctus. — Quod mihi celeberrimus Kunze e Saxonia misit sub nomine *Hyph. marginatus* Kunz. Fragm. Ent. 67. 10. *Dyt. marginatus* Duftschm. Fn. Austr. 1. 269. 26. *Hyph. Lapponum* Gyll. l. c. aliud omnino est insectum, magis depressum, capite antice posticeque rufo, thorace parum impresso, elytris subtilius punctulatis, basi late, margineque inaequaliter flavis dignotum, ad novam speciem referendum.

**12. H. rufifrons**: ovatus convexus profunde punctatus, parce pubescens nitidus niger, capite antice, elytrorum basi margineque pedibusque ferrugineis. (Long. 1⅔—1¾ lin.)
Gyll. Ins. Sv. 4. App. 390.
Hab. in Lapponia Umensi passim; in flumine Umensis ad Lycksele et Stensele, d. 18. Jun. — 2. Jul. a me lectus. *H. plano* fere duplo major, multo magis convexus. (Lapp. meridional.; Westrog. rar.)

**13. H. erythrocephalus**: oblongo-ovatus, subconvexus, punctulatus pubescens niger, capite, thoracis transversim impressi lateribus, pedibusque ferrugineis, antennarum basi elytrorum margine toto rufo-testaceis. ♂♀. (Minor. long. 1⅓ lin.)
Var. a. ♂♀. in copula, elytris pubescentibus nigris, humeris et margine laterali pallide testaceis.
Schönh. Syn. 2. 35. 27. Gyll. Ins. Sv. 1. 533. 17. Zett. Fn. Lapp. 1. 229. 10. a. *Dytiscus erythrocephalus* Linn. Fn. Sv. 774. Fabr. Eleut. 1. 267. 47. Panz. Fn. 101. f. 3. *Hydroporus erythrocephalus* Dej. Catal. p. 20.
Var. b. ♂♀. in copula, glabrior, elytris brunneis, sutura infuscata.
Zett. et Gyll. l. c. var. b. *Hyph. ruficeps* Nicol. Diss. Coleopt. 33. 15.
Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae et borealis et meridionalis, tota aestate, frequens, in copula, ad Wittangi die 15. Jun. copiose visus. (Lapp.-Scan. freq.)
*Hyph. plano* similis, sed paullo minor, praesertim multo angustior, magis convexus, et pubescentia rariore. — E varietate b. plura individua feminea in copula cum maribus similibus vidi, unde conjectura D. Gyllenhali, hanc varietatem non nisi marem varietatis a. esse, experientia non comprobatur. Forte species distinctae?

**14. H. deplanatus**: ovatus planus subtilissime punctulatus, tenuiter pubescens, opacus niger, capite antice, thoracis lateribus, elytrorum basi margineque, antennarum basi pedibusque ferrugineis. (Long. 1½ lin.)
Gyll. Ins. Sv. 4. App. 391. Sahlb. Ins. Fenn. 178. 22.
Hab. in aquis Lapponiae, test. D. Sahlberg l. c., mihi in Lapponia non occurrens. *H. plano* paullo angustior, multo major depressus. (Lapponia; in aquis stagnantibus Sueciae inferioribus passim; ut ♂ semel in copula cum *H. erythrocephalo* a me captus.)

**15. H. sex-pustulatus**: oblongo-ovatus, subdepressus, subtiliter punctulatus, pubescens niger, capite, thoracis lateribus pedibusque ferrugineis, antennarum basi, elytrorum margine maculisque lateralibus livido-testaceis. (Long. 1½ lin.)
Var. a maculis elytrorum lateralibus tribus.
Schönh. Syn. 2. 34. 20. Gyll. Ins. Sv. 1. 534. 18. Zett. Fn. Lapp. 1. 229. 11. a. *Dyt. 6-pustulatus* Fabr. Eleut. 1. 269. 58. *Hydroporus 6-pustulatus* Dej. Catal. p. 20. *Dyt. lituratus* Panz. Fn. 14. f. 4.
Var. b. maculis lateralibus elytrorum duabus, una baseos majore, altera intra apicem.
Zett., Schönh. et Gyll. l. c. var. b. *Dyt. palustris* Linn. Fn. Sv. 775. Fabr. Eleut. 1. 269. 59. *Hyphydr. palustris* Nicol. Dissert. Coleopt. 33. 14.
Var. c. elytris pallidis, margine basali ad scutellum angustissime, sutura, fascia media, utrinque abbreviata maculaque postica communi subdilatata, nigris.
Hab. in aquis stagnantibus et fluitantibus Lapponiarum omnium frequens; occurrit quoque in Finmarkia, et ad Alten 6. Aug. illum legi; var. b. ad Muonioniska capta; var. c. in agris Dowreensibus ad Vaage, Boheman, d. 3—4. Aug

capta; *H. erythrocephalo* fere duplo minor, subtilius punctulatus. (Lapp.-Scan. toto anno freq.)

**16. H. Marklini**: oblongo-ovatus, convexus, punctatus, glaber niger, fronte, antennarum basi, thoracis fascia media pedibusque testaceis, elytris griseis, plaga magna communi sinuata fusca.

GYLL. Ins. Sv. P. 3. Add. 689. 18—19. ZETT. Fn. Lapp. 1. 230. 12.

Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae rarius; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis mensib. Jun. — Jul. a me visus; statura et affinitas praecedentis, sed fere minor, paullo magis convexus, glaber et pictura alia. (Lapp.-Olandia rar.)

**17. H. nigrita**: oblongo-ovatus, subdepressus, subtilissime crebre punctulatus, pubescens niger, antennarum basi pedibusque rufo-ferrugineis, elytris stria disci interioris punctata obsoleta. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 36. 28. GYLL. Ins. Sv. 1. 535. 19. ZETT. Fn. Lapp. 1. 230. 13. ♂♀. *Dytisc. nigrita* FABR. Eleut. 1. 273. 84. *Hydroporus Morio* DEJ. Catal. p. 20.

Hab. in aquis Lapponiae passim, in copula mense Junio captus; adscendit usque ad regionem alpinam, et in rivulo in summo alpium Tornensium jugo die 12. Jul. lectus; e Groenlandia a D. WESTERMANN benigne quoque communicatus. *Hyph. erythrocephalo* duplo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**18. H. ruficornis**: ovalis subdepressus, subtilissime parce punctulatus, glaber subnitidus ater, capite antice, antennis totis pedibusque rufo-ferrugineis. (Long. 1¼ lin.)

Hab. in Lapponia rarissime; e Lappon. Tornensi a D. FRIGELIO communicatus. (Lappon. borealis.)

Statura ovali, antice posticeque parum angustiori, colore, punctura et glabritie a priori distinctus. Var. b. fere paullo major, antennis extrorsum subfuscioribus, elytris forte paullo crebrius punctulatis, an hujus vel sequentis varietas; ad Tresunda, Lapponiae Umensis semel a me lectus.

**19. H. melanocephalus**: ovato-oblongus subconvexus subtiliter punctulatus glaber niger, antennarum basi ferruginea, pedibus piceis. (Long. 1—1⅓ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 1. 537. 21. ZETT. Fn. Lapp. 1. 231. 14.

Var. b. duplo minor, capite pedibusque rufo-ferrugineis. An var. b. GYLL. l. c.? ZETT. l. c. var. b.

Var. c. similis var. a. sed totus piceus; junior.

Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae frequens; in Nordlandia et Finmarkia quoque occurrit et ad Bossekop et Alten mens. Aug. copiose visus. Var. b. in fluviis ad Umeå d. 4. Maj. et ad Wittangi d. 17. Jun. capta, et var. c. cum var. a. ad Tresunda, Lycksele, nec non in alpe Brattikfsjell, d. 20. Jun. — 20. Jul. a me lecta. (Lapp.-Scan. pass.)

Variat magnitudine, praecedente plerumque paullo major, *Hyph. sexpustulato* subaequalis et affinis. Superficies tota subtilissime et minus crebre punctulata, vix pubescens.

**20. H. tristis**: oblongo-ovatus, subconvexus, angustatus, subtiliter crebre punctulatus glaber niger, capite elytrisque rufo-piceis, antennarum basi pedibusque ferrugineis. (Long. 1 lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 36. 29. GYLL. Ins. Sv. 1. 538. 22. ZETT. Fn. Lapp. 1. 231. 15. a.

Var. b. duplo minor. — ZETT. l. c. var. b.

Var. c. similis var. a., capite elytrisque ferrugineis. Vix varietas *Hyph. erythrocephali*, nam omnino glaber.

ZETT. l. c. var. c.

Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae passim, varietates a. et c., ad Wittangi et Juckasjervi mens. Junio, et var. c. ad Muonioniska mens. Aug. legi. (Lapp.-Scan. var. a. freq.)

*Hyph. nigrita* et *melanocephalo* paullo minor, angustior. Superficies sub oculo armato subtilissime crebre punctulata, sed vix pubescens videtur. Species 17—20. inter se valde affines sunt.

**21. H. striola**: oblongo-ovatus niger subdepressus tenuiter pubescens, capite antice, antennarum basi pedibusque ferrugineis, elytris obsolete punctulatis testaceis, disco communi striolaque obliqua posteriori nigris. (Long. 1 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 392. SAHLB. Ins. Fenn. 181. 29.

Hab. in Lappon. DD. SANMARK et E. KOLSTRÖM, test. D. SAHLB. l. c. (Lapponia.)

Var. b. elytris testaceis, disco posteriori communi nigro, sed striola obliqua nigra nulla; forte hujus; in stagno ad Lycksele d. 20. Jun. semel lecta.

**22. H. umbrosus**: oblongo-ovatus, subconvexus, subtilissime crebre punctulatus pubescens niger, capite, antennarum basi pedibusque ferrugineis, elytris rufo-piceis, posterius attenuatis. (Long. ¾ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 1. 538. 23. NICOL. Diss. Coleopt. 34. 20. ZETT. Fn. Lapp. 1. 232. 16.

Hab. in paludibus Lapponiae passim; ad Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis, ad Lycksele Lapponiae Umensis, nec non ad Bossekop Finmarkiae, mens. Jun. — Aug. ego illum vidi. Minutus, *Hyph. tristi* duplo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**23. H. lineatus**: oblongo-ovatus, convexus, subtilissime punctulatus pubescens ferrugineus, elytris postice attenuatis, disco fuscis, ferrugineo-lineatis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 32. 15. ZETT. Fn. Lapp. 1. 232. 17. ♂♀. *Dytisc. lineatus* FABR. Eleut. 1. 272. 76. PANZ. Fn. 101. f. 4. *Hydropor. lineatus* DEJ. Catal. p. 20.

Hab. in aquis Lapponiae freq. D. DE PAYKULL, mihi in Lapponia non obvius. (Lapp.-Scan. freq.)

Parvus, *Hyph. sexpustulato* fere dimidio minor. Elytra ferruginea singulo lineis tribus nigris ob pubescentiam parum conspicuis.

**24. H. granularis**: oblongo-ovatus, subconvexus, subtilissime punctulatus subpubescens niger, antennarum basi pedibusque testaceis, elytrorum margine lineisque duabus pallidis. (Long. ½ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 36. 30. GYLL. Ins. Sv. 1. 540. 25. ZETT. Fn. Lapp. 1. 232. 18. *Dytisc. granularis* LINN. Syst. nat. 2. 667. 32. FABR. Eleut. 1. 270. 67. *Hydropor. granularis* DEJ. Catal. p. 20.

Hab. in Lapponia D. KOLSTRÖM et FRIGELIUS. (Lapp.-Scan. freq.)

*Hyph. umbroso* fere duplo minor, inter minimos hujus generis. Thoracis latera saepe picea. Elytra evidenter punctulata.

*Subdiv.* 2. Corpore breviusculo, convexo, glabro. (*Halipiformes*).

**25. H. inaequalis**: ovalis, profunde punctatus ferrugineus, antennarum apice thoracisque suturis nigris, elytris nigris margine laterali late inaequaliter ferrugineo. (Long. 1 lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 29. 5. GYLL. Ins. Sv. 1. 519. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 233. 19. *Dytiscus inaequalis* FABR. Eleut. 1. 272. 77. *Hydroporus inaequalis* DEJ. Catal. p. 20.

Hab. in aquis Lapponiae, FRIGELIUS et Collect. D. GRAPE. Parvus, *Hyph. lineato* fere latior, sed multo brevior, convexior, gibbus. (Lapp.-Scan. copiose.)

**26. H. reticulatus**: ovalis ferrugineus, elytris parcius subtiliter punctatis, disco nigris, lineis interruptis ferrugineis. (1—1¼ lin. long.)

SCHÖNH. Syn. 2. 30. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 520. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 233. 20. *Dytiscus reticulatus* FABR. Eleut. 1. 273. 8. *Hydropor. reticulatus* DEJ. Catal. p. 20.

Var. b. elytris ferrugineis basi, sutura, lineisque distinctis interruptis nigris.

ZETT., SCHÖNH. et GYLL. l. c. var. b. *Dyt. collaris* PANZ. Fn. 26. f. 4.

Hab. in Lapponiae aquis D. D. SANMARK et DAMMERT teste D. SAHLBERG; var. b. ad Karesuando D. GRAPE, teste D. SCHÖNHERR. (Lapp.-Scan. freq.)

Praecedente fere dimidio major, et satis affinis, at distinctus.

**27. H. confluens**: ovatus subdepressus subtiliter punctulatus niger, capite thoraceque ferrugineis, elytris pallidis, lineis quatuor abbreviatis nigris. ♂♀. (Long 1½ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 30. 7. GYLL. Ins. Sv. 1. 522. 5. ZETT. Fn. Lapp. 1. 233. 21. ♂♀. *Dytiscus confluens* FABR. Eleut. 1. 270. 68. PANZ. Fn. 14. f. 5. *Hydroporus confluens* DEJ. Catal. p. 20.

Hab. in aquis Lapponiae D. D. SANMARK et DAMMERT teste D. SAHLBERG, mihi in Lapponia non visus, sed in Scaniae aquis stagnantibus verno praesertim tempore frequenter in copula captus. *Hyph. inaequali* duplo major, longior, sed multo minus convexus. (Lapponia; Gottlandia rar., Scania freq.)

**28. H. assimilis**: late ovatus, brevis, convexus, laevis nigricans, capite, antennarum basi, thorace utrinque longitudinaliter impresso, pedibusque testaceis, elytris pallidis, lineis abbreviatis nigris, exterioribus brevibus. (Long. 1½ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 1. 522. 6. KUNZ. Fragm. Ent. p. 63. 7. certe. (SCHÖNH. Syn. 2. 34. 22.?) An *Dytisc. assimilis* PAYK. Fn. 1. 236. 31.? ZETT. Fn. Lapp. 1. 234. 22. An quoque *Hyph. septentrionalis* GYLL. l. c. 4. App. 385. var.?

Hab. in aquis Lapponiae borealis passim. Collect. D. D. KOLSTRÖM et PORTIN; in lacu illo magno sic dicto Torneå-träsk, qui in vicinitate alpium Tornensium jugi situs est, 8—10. Jul. sat copiose a me collectus; et altera vice in Lapponia Tornensi a D. DEUTSCH captus. — In regione alpina alpium Suessionensium etiam inventus a D. HEER. (Lapp.-Suecia australis? rar.)

*Hyph. confluenti* magnitudine et colore sat similis, impressione longitudinali ad latera thoracis inprimis distinctus. Antennarum apex, thoracis margo anticus, femora in medio tarsique fusca. Lineae illae elytrorum nigrae, in singulo subsenae, variant integrae l. interruptae, liberae l. hinc illinc confluentes, unde exstant varietates *β*. KUNZE seu *Hyph. fluviatilis* LEONH. et DEJEAN. et forte etiam *H. septentrionalis* GYLL.? An quoque *H. Sanmarkii* SAHLB. Ins. Fenn. 172. 5.? — Synonymia PAYKULLI praesertim dubia videtur, dum Ill. Auctor impressionem thoracis non commemorat, contra vero describit puncta duo thoracis baseos approximata, quorum in meis speciminibus, iisque plurimis, ne vestigium quidem detegitur.

**29. H. quinque-lineatus**: ovatus, brevis, convexus, profunde crebre punctatus, glaber ferrugineus, thoracis margine postico in medio lineisque elytrorum quinis, suturali communi, exterioribus in medio flexuosis, nigris. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

Var. a. ♂♀. supra ferrugineus, elytris lineis nigris.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 234. 23. ♂♀.

Var. b. supra pallidus, elytris nigris, margine laterali lineaque disci una alterave interrupta flavis.

Hab. in aquis Lapponiae borealis passim, ad Wittangi Lapponiae Tornensis mense Junio sat copiose visus; etiam in copula captus; ad Haparanda et Råneå Botniae borealis jam mense Majo frequenter occurrit. (Lapp.-Botnia borealis.)

Magnitudo *Hyphydri assimilis*, punctura *Hyph. inaequalis*, et color fere *Hyph. reticulati*; at ab omnibus certe distinctus. Totus ferrugineus punctatus. Antennarum articulus ultimus niger. Thoracis margo posticus in medio infuscatus. Lineae in singulo elytro pure nigrae (praeter suturalem communem), interior recta, exterior in medio aut flexuosa, aut interrupta, et tunc apice lineae superioris extrorsum flexo; saepe etiam linea parva lineae exteriori postice adjacet. *Hyph. inaequali* proximus est, sed paullo major.

**30. H. rivalis**: brevis convexus supra flavo-testaceus, thorace utrinque stria laterali insculpto, elytrorum disco nigro, flavo-maculato. (Long. 1⅓ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 384.

Hab. ad Nordcap Finmarkiae Norvegicae, D. MARKLIN. test. D. GYLL. l. c. (Lappon. septentrionalis.)

Priori affinis videtur et var. ejus b. sat similis, sed punctura subtiliori et thorace stria laterali utrinque insculpto etc. statim differt; a me non inventus.

---

## 80. Halipus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 106. DEJ. *Dytiscus* FABR.

*Corpus* parvum, ovatum, antice posticeque attenuatum, crassum, convexum, glabrum. Antennae longitudine thoracis, filiformes. Scutellum nullum. Femora postica basi lamina duplici clypeiformi tecta. Tibiae posticae arcuatae. Tarsi omnes 5-articulati. *Color* ferrugineus, pallidus, pictura maculis nigris. *Motus* incessu natatorio. *Habitatio* in aquis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in externis non perspicua. (Spec. Scand. 6.)

**1. H. elevatus**: oblongo-ovatus, supra pallidus, subtus testaceus, elytris punctato-striatis, nigro-lineatis, carinula disci abbreviata; thorace plano. (1¼—1½ lin. long.)

SCHÖNH. Syn. 2. 27. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 545. 1. DEJ. Catal. p. 20. ZETT. Fn. Lapp. 1. 235. 1. *Dytiscus elevatus* PANZ. Fn. 14. f. 9.

Hab. in Lapponia D. FORSSTRÖM; mihi nec ibi, nec alibi in Suecia obvius, a D. Doct. ERICHSON e Berolin. 1835 mihi benigne missus. (Lapponia.)

Reliquis hujus generis magis oblongus, *Hyphydro erythrocephalo* paullo minor.

**2. H. ferrugineus**: ovalis, nitidus ferrugineus, elytris griseis nigro-maculatis, profunde punctato-striatis, interstitiis seriebus punctorum minorum. (Long. 1⅔ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 26. 1. var. *β*. GYLL. Ins. Sv. 1. 546. 2. var. b. ZETT. Fn. Lapp. 1. 236. 2. an *Dyt. fulvus* FABR. Eleut. 1. 271. 70.?

Var. b. nitidus niger, capite, thoracis antico piceo-ferrugineis, antennis pedibusque rufis.

GYLL. l. c. 4. App. 394. 2. var. c.

Hab. in aquis stagnantibus Lapponiae var. a. passim; ad Karesuando D. GRAPE, ad Muonioniska D. KOLSTRÖM, ad Juckasjervi 3. Jul. ipse; varietas vero b. in aquis Lapponiae rarissime occurrit, mihi non obvia. (Lapp.-Scan. freq. toto anno.)

Major reliquis hujus generis, *Hyphydro reticulato* et *confluente* duplo et ultra major. Thorax antice posticeque fascia punctorum infuscatorum. Elytrorum sutura maculaeque oblongae disci in nostro nigrae sunt. — Varietatem a. GYLLENHALI hujus speciei in Lapponia non vidi. — An hae varietates ut distinctae species considerandae?

**3. H. impressus**: ovalis, nitidus flavo-testaceus, elytris obsolete nigro-maculatis, punctato-striatis, striis infuscatis, interstitiis punctis paucis sparsis. (Long. ¾ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 26. 2. GYLL. Ins. Sv. 1. 547. 3. var. b. *Dytiscus impressus* PAYK. Fn. 1. 235. 49.

Hab. cum praecedente in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq. toto anno.)

Statura prioris, sed fere triplo minor. Elytra semper nigro-maculata. Thorax undique, licet in disco parcius, punctatus, flavus, margine antico fusco. — Neque ex hac specie genuinam FABRICII, GYLLENHALI et PANZERI in Lapponia invenire mihi contigit, sed in Scaniae aquis varietates GYLLENHALI a., b. et c. saepe mixtae occurrunt, specie non distinguendae.

---

## FAM. 17. STERNOXI. LATR.

## 81. Buprestis.

LATR. Gen. Crust. et Ins. FABR. DEJ.

*Corpus* majoris vel mediae magnitudinis, oblongum, postice saepe acuminatum, durum, non saliens. Palpi filiformes articulo ultimo subcylindrico. Antennae breves, serratae. *Color* saepe metallicus, viridis, auratus, excellens. *Motus*: incessus rarus, at volatus celer. *Habitatio* larvarum in ligno sicco, imaginum in silvis, raro in floribus; per partem sylvaticam et subalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in emarginatura segmenti ventralis penultimi apud marem evidentiori quam apud feminam interdum quaerenda. (Spec. Scand. 21, pleraeque Sueciae mediae incolae.)

### *Sect. 1. Scutellum punctiforme; minutum, suborbiculare.*

**1. B. acuminata**: supra fusco-cuprea obscura, subtus cuprea rugosa, thorace in medio longitudinaliter canaliculato, elytris rugoso-striatis, apice integro acuminatis. ♂♀.

*Mas*: ano bidentato, tibiis intermediis dente armatis.

*Fem.*: ano tridentato, dente intermedio minuto, tibiis omnibus muticis.

FABR. Eleut. 2. 205. 104. PANZ. Fn. 68. f. 20. GYLL. Ins. Sv. 1. 457. 16. ♀. SCHÖNH. Syn. 3. 251. 199. ♂♀. DEJ. Catal. p. 29. ZETT. Fn. Lapp. 1. 237. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponiae sylvis mense Julio rarius, in adjacenti Botnia boreali et occidentali frequentius. *Bupr. rustica* fere major. (Lapponia-Smolandia rar.)

**2. B. conspersa**: supra nigro-aeneo-variegata, subtus obscure cuprea, rugosa, thorace in medio canalicula laevi, elytris apice obtuso, obsolete bidentato. ♂♀.

*Mas*: segmento ventrali penultimo (quinto) exciso.

*Fem.*: segmento ventrali penultimo leviter emarginato.

GYLL. Ins. Sv. 1. 441. 3. SCHÖNH. Syn. 3. 217. 28. ♂♀. DEJ. Catal. p. 29. ZETT. Fn. Lapp. 1. 237. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime, magnitudine et statura *Bupr. rusticae*. (Lappon.-Ostrogothia rar.)

**3. B. rustica**: supra virescenti-aenea, subtus obscure viridi-cuprea, thorace anterius angustato, profunde punctato, elytris striatis, apice truncatis, obsolete bidentatis. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 756. FABR. Eleut. 2. 204. 101. PANZ. Fn. 68. f. 19. GYLL. Ins. Sv. 1. 442. 4. SCHÖNH. Syn. 3. 221. 48. DEJ. Catal. p. 29. ZETT. Fn. Lapp. 1. 238. 3. ♂♀.

Hab. in sylvis Lapponiae rarius; media magnitudine et colore paullo varians. (Lapp.-Scan. pass.)

**4. B. appendiculata**: subdepressa, tota nigra, thoracis lateribus rotundatis, supra creberrime granulato-punctatis; elytris foveolatis, apice extus subserrulato acutis. ♂♀.

*Mas*: ano levissime emarginato.

*Fem.*: ano truncato.

PANZ. Fn. 68. f. 22. GYLL. Ins. Sv. 1. 451. 11. SCHÖNH. Syn. 3. 237. 126. DEJ. Catal. p. 30. ZETT. Fn. Lapp. 1. 238. 4. ♂♀. *Bupr. Morio* PAYK. Fn. 2. 230. 17.

Hab. intra limitem regionis sylvaticae Lapponiae, scilicet locis ubi crescit Pinus sylvestris, passim, occurrit etiam in ipsa Finmarkia, et in Pinetis ad Altengaard plura specimina initio mensis Augusti legi. In parietibus ligneis, soli expositis, saepe quoque ad Bossekop deprehensa, valde agilis et captu difficilis. (Lapp.-Smoland. pass.)

*Elat. murino* paullo minor, brevior. Thorax postice saepe bi-, quadri- vel sex-foveolatus, unde exstant varietates a Cel. Sahlb. in Ins. Fennicis recensitae.

5. **B. tarda**: subdepressa, supra virescenti caerulea, subtus caeruleo-aenea, clypeo flavescente, thoracis lateribus subrectis, elytris confertissime rugoso-punctulatis, apice extus serrulato rotundatis. ♂♀.

Panz. Fn. 68. f. 21. Gyll. Ins. Sv. 1. 450. 10. Schönh. Syn. 3. 237. 125. Dej. Catal. p. 30. Zett. Fn. Lapp. 1. 239. 5. ♂♀. *Bupr. cyanea* Fabr. Eleut. 2. 216. 168.

Var. b. tota aenea, elytris nigris.

Gyll. et Schönh. l. c. var. b.? Zett. l. c. var. b.

Hab. in truncis secatis Pini sylvestris, per partem sylvaticam Lapponiae, mens. Julio et Aug. rarius; varietatem b. ad Muonioniska legi. Magnitudo et statura praecedentis. (Lapp.-Ostrogothia passim.)

*Sect.* 2. *Scutellum triangulare.* Corpus ovatum, mediocre.

6. **B. chrysostigma**: purpurascenti-aenea, subtus splendida, elytris obscuris elevato-costatis, margine foveisque duabus disci rubro-aureis, thorace inaequali, rugoso. ♂♀.

*Mas*: segmentum abdominis quintum profunde emarginatum.

*Fem.*: segmentum abdominis quintum levissime emarginatum.

Linn. Fn. Sv. 755. Fabr. Eleut. 2. 198. 69. Panz. Fn. 68. f. 18. Gyll. Ins. Sv. 1. 447. 8. ♂. Zett. Fn. Lapp. 1. 239. 6. ♂♀. Schönh. Syn. 3. 234. 111. ♂♀. Dej. Catal. pag. 30.

Hab. in Lapponia sylvatica mens. Julio et Augusto, rarius; ad Tresunda et Lycksele, Lapponiae Umensis a me, ut et ad Matarengi in Paroecia Tornoå superiori a D. Portin lecta; in regione montana alpium in Sweitz a DD. Fr. et Heer. quoque visa. *Buprest. tarda* duplo major. (Lapp.-Smolandia rar.)

*Sect.* 3. *Scutellum cordatum.* Corpus ovatum, parvum.

7. **B. quadripunctata**: aeneo-nigra, unicolor, depressa, thorace foveolis quatuor transversim impressis, elytris rude punctatis. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 759. Fabr. Eleut. 2. 210. 134. Gyll. Ins. Sv. 1. 458. 18. Schönh. Syn. 3. 257. 226. Dej. Catal. p. 30. Zett. Fn. Lapp. 1. 240. 7. ♂♀.

Hab. in floribus et lignis siccis, sepibus etc. per partem sylvaticam Lapponiae, mense Junio, Julio et Augusto passim, in copula; ad Kengis et Matarengi frequentius occurrit; nec non ad Gransele, Åsele et Katisavan, Lapponiae Umensis vulgaris; sed neque in Nordlandiae, neque in Finmarkiae alpinis vel inferalpinis a me visa; in regione vero montana alpium Suessionensium non raro occurrit testantib. Dom. Fröbel et Heer. Mittheil., Zürich 1834. 1. p. 83. Parva, *Bupr. tarda* quadruplo minor, circiter 3 lin. longa. (Lapp.-Ostrog. freq. Scan. rar.)

*Sect.* 4. *Scutellum veluti duplicatum l. carina transversa divisum.* Corpus minoris magnitudinis, lineari-elongatum.

8. **B. viridis**: obscure aenea, unicolor, subcylindrica, fronte convexa, thorace brevissimo, transversim impresso, posterius angustiori, postice trisinuato, elytris punctatis, apice rotundatis. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 762. Fabr. Eleut. 2. 212. 143. Panz. Fn. 101. f. 11. Gyll. Ins. Sv. 1. 453. 13. Schönh. Syn. 3. 244. 152. Dej. Catal. p. 30. Zett. Fn. Lapp. 1. 240. 8.

Hab. in foliis Betulae albae nec non Salicum, per partem sylvaticam et subsylvaticam Lapponiae mens. Jul. et Aug. passim; ad Muonioniska Lapponiae Umensis, nec non ad Lycksele, Gransele, Hornmyra et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, d. 15. Jul. — 17. Aug. frequentius; in copula saepe capta. In alpibus vix occurrit, nec in subalpinis Lapponiae Norvegicae a me lecta. (Lapp.-Scan. freq.)

Variat magnitudine; priori plerumque brevior, sed semper multo angustior, sublinearis. Omnia specimina hujus speciei, in Lapponia collecta, eaque non pauca, magis obscura colore fuerunt, quam in Suecia vulgaria.

---

## 82. Trachys.

Fabr. Syst. Eleut. 129. Dejean. *Buprestis* Latr.

*Corpus* parvum, breve, ovato-trigonum. Palpi 4 brevissimi, aequales. Antennae breves, inferne moniliformes, versus apicem serratae. Thorax postice lobatus. Scutellum obsoletum. *Color* obscurus, aenescens. *Motus* Buprestidis; insectum in foliis quiescens tardum, attactum celeriter aufugit. *Habitatio* in foliis fruticum, per partem inferiorem Lapponiae. *Differentia sexus* externa nulla. (Spec. Scand. 3, Scaniae praesertim incolae.)

1. **T. minuta**: nigro-aenea, nitida, pilosa, elytris inaequalibus rugulosis, fasciis undatis albido-pilosis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 2. 219. 5. Panz. Fn. 95. f. 5. Gyll. Ins. Sv. 1. 462. 2. Schönh. Syn. 3. 265. 6. Dej. Catal. p. 30. Zett. Fn. Lapp. 1. 241. 1. ♂♀. *Buprestis minuta* Linn. Fn. Sv. 760.

Hab. in Lapponiae regione mitiori, rarius; ad Karesuando ipse vidi, et ad Matarengi in Paroecia Tornoa superiori pauca specimina collegit D. Portin. Parva, *Bupr. 4-punctata* quadruplo minor, depressa, trigona, fronte excavata. (Lapp.-Scania, praesertim in corylo, freq.)

---

## 83. Elater.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 109. Fabr. Dej.

*Corpus* mediae, vel minoris magnitudinis, elongatum, convexiusculum scutellatum. Palpi exserti, securiformes. Antennae filiformes, saepe serratae. Thoracis anguli postici saepe producti. *Color* niger, metallicus, testaceus, raro rufus. *Motus* singularis; insectum pedibus brevibus tarde repens, sed dorso impositum (ope mucronis in sterno) alte saliens: interdum lente et circulatim volans. *Habitatio* larvarum in lignis, imaginum saepe in floribus; per omnes Lapponiae regiones, praesertim sylvaticas. *Differentia sexus* antennarum forma et proportione interdum proditur. (Spec. Scand. 71, *Elat. pygmaeo* etc. ab hoc genere separatis et ad nov. gen. *Eucnemis* relatis.)

*Sect.* 1. *ore porrecto.*

*Subdiv.* A. fronte impressa.

1. **E. fasciatus**: niger, supra squamis atris, albido-argenteis immixtis adspersus, thoracis maculis elytrorumque fascia postica undulata albis distinctioribus, thorace canaliculato, angulis posticis planis.

Linn. Fn. Sv. 737. Fabr. Eleut. 2. 229. 43. Panz. Fn. 76. f. 2. Gyll. Ins. Sv. 1. 376. 2. Schönh. Syn. 3. 282. 91. Dej. Catal. p. 31. Zett. Fn. Lapp. 1. 242. 1.

Hab. sub cortice Pini, in Lapponia sylvatica mense Jun. — Aug. passim; ad pagos Pello, Wittangi et Muonioniska Lappon. Tornensis, nec non ad Lycksele et Wilhelmina, Lappon. Umensis, illum legi, at in alpinis et subalpinis hanc speciem habitare non observavi, sed in regione montana alpium Suessionensium haud raro deprehensus a D. Heer. Inter majores, longitudine *El. pectinicornis* sed latior. (Lapp.-Smoland. pass.)

2. **E. conspersus**: nigro-piceus, supra squamis nigris pallidis immixtis adspersus, thoracis maculis elytrorumque fascia postica undulata pallidis distinctioribus, thorace foveolato, postice angustiore, angulis carinatis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 377. 3. Schönh. Syn. 3. 282. 92. Dej. Catal. p. 31. Sahlb. Ins. Fenn. 130. 2. Zett. Fn. Lapp. 1. 242. 2.

Hab. rarius cum praecedente, cujus magnitudine et statura gaudet, sed tamen specie potius quam sexu distinctus. Variat interdum brunneus, squamis scilicet et signaturis detritis; utraque varietas ad Lycksele et Badstutraesk, Lapponiae Umensis, 1-29. Jun. inventa. (Lapp.-Ostrogothia rar.).

3. **E. murinus**: brevis, latus, nigro-fuscus, supra pube pallida, cinerea et albida variegatus, subtus griseo-pubescens, antennis tarsisque ferrugineis, thorace inaequali. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 738. Fabr. Eleut. 2. 228. 37. Gyll. Ins. Sv. 1. 380. 6. Schönh. Syn. 3. 279. 78. Dej. Catal. p. 31. Zett. Fn. Lapp. 1. 243. 3. ♂♀.

Hab. in graminosis aridis per partem infimam Lapponiae, rarissime. *El. fasciato* multo brevior, sed latior, magnitudine valde varians. (Lapp.-Scan. freq.)

4. **E. holosericeus**: brevis nigricans, supra pube holosericea griseo-pallida unicolore subfasciatus, subtus glabriusculus, pedibus fusco-ferrugineis, thorace aequali. ♂♀.

Fabr. Eleut. 2. 228. 39. Gyll. Ins. Sv. 1. 381. 7. Schönh. Syn. 3. 280. 82. Dej. Catal. p. 34. Zett. Fn. Lapp. 1. 243. 4. ♂♀.

Hab. in plantis Lapponiae Suecicae, rarius, nec non in subalpinis Nordlandiae Norvegicae, ex. gr. in Raschstind

Schiervoe, ubi specimina quaedam 28. Jul. legi, in copula. Praecedente minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**5. E. undulatus**: elongatus nigricans, supra griseo-villosus, subtus tenuiter pubescens, elytris piceis, fasciis tribus flexuosis denudatis nigris.

Payk. Fn. Sv. 3. 8. 10. Schönh. Syn. 3. 287. 108. Dej. Catal. p. 31. Zett. Fn. Lapp. 1. 243. 5. *Elat. trifasciatus* Panz. Fn. 3. f. 14. Gyll. Ins. Sv. 1. 382. 9.

Hab. sub cortice arborum, in Lapponia rarissime, mihi tantum in trunco Betulae albae ad Alteidet Finmarkiae d. 31. Jul 1821, et altera vice ad Umenaes et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, d. 9—19. Jul. 1832, obvius. Magnitudo fere *El. pectinicornis*, sed paullo longior et angustior. (Lapp.-Smol. rarissim.)

**6. E. bifasciatus**: elongatus niger, cinereo-pubescens, elytris subnudis nigris, fasciis duabus anticis cinereo-villosis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 383. 10. Schönh. Syn. 3. 287. 109. Sahlb. Ins. Fenn. 131. 8. Zett. Fn. Lapp. 1. 244. 6.

Hab. in Lapponia Tornensi ad Karesuando D. Grape teste D. Schönherr, mihi tantum in silva ad Stensele Lapponiae Umensis d. 3—4. Jul., obvius. (Lappon.-Finland.-?)

Statura et summa affinitas praecedentis, sed multo minor, angustior. — Secundum opinionem plurium recentiorum Entomologorum, praemonente D. Gyllenhal, hic tantum alter sexus s. mas prioris est; quam sententiam antennarum structura diversa inprimis affirmare videtur. Sed tamen dubium adhuc manet, dum in copula non observatae fuerunt hae species.

**7. E. linearis**: elongato-linearis varicolor, thorace cruce impresso. ♂♀.

Var. a. ♂♀. in copula. Niger, ore, frontis margine antico elevato tibiisque pallidis, thoracis limbo rufo, elytris in mare testaceis sutura basi fusca, in femina nigris, margine testaceo.

Linn. Fn. Sv. 723. ♂. Fabr. Eleut. 2. 233. 62. var. ♂. Gyll. Ins. Sv. 1. 384. 11. var. a. ♂. Schönh. Syn. 3. 292. 126. ♂. Dej. Catal. p. 34. Gyll. l. c. 4. App. 349. 11. var. d. Zett. Fn. Lapp. 1. 244. 7. a. ♂♀. *Campylus linearis* Fisch. Ent. Ross. 2. p. 151. T. 24. f. 7—9.

Var. b. ♂♀. similis var. a. at thorace toto rufo immaculato.

Gyll. et Schönh. l. c. var. β. ♂. var. γ. ♀. Zett. l. c. var. b. ♂♀. *El. livens* Fabr. Eleut. 2. 232. 59. ♂. *El. bicolor* Panz. Fn. 8. f. 11. ♂. *El. mesomelas* Linn. Fn. Sv. 725. ♀. Fabr. Eleut. 2. 233. 60. ♀. Panz. Fn. 7. f. 6. ♀. Dej. Catal. p. 34.

Var. c. ♂. similis mari varietatis a. elytris totis testaceis, regione circa scutellum parum tantum infuscata.

Zett. l. c. var. c. ♂.

Var. d. ♂. fusco-testaceus, thorace fere toto nigro, et sutura elytrorum tota fusca.

Hab. in Betuletis per omnes Lapponiae regiones mense Jul. et Aug. frequentissime; adscendit quoque in alpibus usque ad terminum Betulae albae, et in Raschstind, Gamstenstind et alpibus adjacentibus Nordlandiae, Finmarkiaeque haud raro a me captus, in alpe Brattiksfjell Lapponiae meridionalis seu Suecicae interioris quoque a me visus; sed var. d. non nisi ad Katisavan Lapponiae Umensis d. 27. Jun. rariss. inventus. *El. aeneo* parum brevior, sed multo angustior, linearis. — Varietates a. et b. minime sunt specie diversae, quod tamen voluisse videtur Ill. Dejean. (Lapp.-Scan. freq. Var. a. b. c.)

**8. E. borealis**: lineari-elongatus niger, supra glaber, subtus tenuiter pubescens, antennis serratis, thorace oblongo, subfoveolato, lateribus rectis; elytris crenato-striatis.

Payk. Fn. Sv. 3. 6. 7. Gyll. Ins. Sv. 1. 385. 12. Schönh. Syn. 3. 293. 128. Dej. Catal. p. 32. Zett. Fn. Lapp. 1. 245. 8.

Hab. in Lapponia rarissime D. D. Paykull et Sahlberg, mihi ibi non obvius. Statura elongata et fere magnitudo praecedentis. (Lapp.-Botnia-Fennia australis rar.)

**9. E. hyperboreus**: brevior subpubescens niger, antennis, pedibus anoque rufo-testaceis, thorace punctato, lateribus rotundato, elytris sulcatis, interstitiis punctulatis.

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 350. 13—14.

Var. b. rufo-testaceus, capite elytrisque infuscatis.

Gyll. l. c. var. b.

Hab. ad Nordcap Finmarkiae occidentalis, D. Marklin; in Lapponia boreali D. Grape, test. D. Gyllenhal l. c., mihi in terris arcticis nunquam obvius. (Lappon. septentr.)

Latitudo *E. cincti*, sed brevior, statura fere *El. obscuri*.

**10. E. pectinicornis**: elongatus nitidus pubescens viridi-aeneus, antennis pedibusque nigricantibus, thorace profunde sulcato; postice parum latiori. ♂♀.

*Mas*: viridi-aeneus, antennis thorace longioribus, pectinatis.

*Fem.*: latior et obscurior, aenea, antennis vix thoracis longitudine, serratis

Linn. Fn. Sv. 741. ♂♀ Fabr. Eleut. 2. 231. 49. ♂♀. Panz. Fn. 77. f. 1. ♂. Gyll. Ins. Sv. 1. 387. 14. ♂♀. Schönh. Syn. 3. 285. 104. ♂♀. Dej. Catal. p. 31. Zett. Fn. Lapp. 1. 245. 9.

Hab. in graminosis mense Junio, in Lapponia rarissime, Collect. D. Kolrtröm. Ad majores accedit, antennis distinctus. (Lapp.-Scan. freq.)

**11. E. melancholicus**: oblongus nitens glaber, scutello depresso villoso, violaceo-caerulescenti-nigricans, antennis mediocribus simplicibus nigris, articulo ultimo oblongo, fronte profunde impressa, thorace convexo aequali, postice non angustiore. ♂♀.

*Mas*: antennis thorace longioribus, articulo ultimo elongato, elytris saepe caeruleis vel violaceo-caerulescentibus.

*Fem.*: plerumque paullo latior, antennis longitudine thoracis, articulo ultimo oblongo, elytris saepe virescenti-aeneis vel caeruleo-virescentibus.

Var. a. ♂♀. pedibus nigris.

Fabr. Eleut. 2. 241. 100. Panz. Fn. 93. f. 11. Gyll. Ins. Sv. 1. 389. 16. Schönh. Syn. 3. 284. 101. Dej. Catal. p. 31. Zett. Fn. Lapp. 1. 246. 10. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus rufis.

Gyll. et Schönh. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. sub lapidibus et ligno sicco, locis cultis mense Maj. Jun. et Jul., in Lapponia et boreali et meridionali passim frequens; variet. a. et b. cohabitant; procedit usque ad terminum Pini abietis, et ad Wackokoski et Karesuando Lapponiae Tornensis a me visus. Ad Juckasjervi copiosius lectus; sed neque in Nordlandia, neque in Finmarkia deprehensus. Affinitas et magnitudo *El. aenei*, sed plerumque paullo angustior, praesertim mas. (Lapp.-Botnia borealis; Dalekarlia; Fennia australis.)

**12. E. aeneus**: oblongus nitidus glaber aeneus, antennis brevibus simplicibus nigris, articulo ultimo ovato, fronte subplana, thorace convexo aequali; postice subangustiori, elytris pone medium dilatatis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. in copula, pedibus rubris.

Linn. Fn. Sv. 740. Gyll. Ins. Sv. 1. 388. 15. Schönh. Syn. 3. 283. 100. Dej. Cat. p. 31. Zett. Fn. Lapp. 1. 246. 11. var. a. ♂♀. Fröb. et Heer. Mittheil., Zürich 1834. 1. pag. 83.

Var. b. pedibus nigro-piceis.

Fabr. Eleut. 2. 230. 47. var. a. Gyll. et Schönh. l. c. var. b. Zett. l. c. var. b.

Var. c. supra caeruleus, pedibus rubris.

Gyll. l. c. var. c.

Hab. sub lapidibus et in Pini sylvestris frondibus mense Maj., Jun. et Jul. per partem sylvaticam Lapponiae borealis et merid., haud infrequens; ad Lycksele praesertim vulgaris; in foliis Betulae albae ad Wilhelmina Lapponiae Umensis rarius vidi; supra limitem, ubi crescere desinit Pinus, vix adscendit, nec in subalpinis Nordlandiae et Finmarkiae a me observatus; sed in omnibus regionibus alpium Suessionensium frequenter occurrit, testant. DD. Heer. et Fröb. l. c. (Lapp.-Scan. freq.)

*Elat. pectinicorni* fere brevior, sed paullo latior, obtusus, magnitudine varians. At varietas colore violaceo insignita, in Suecia interiori frequens, in Lapponia mihi nunquam obvia.

**13. E. impressus**: oblongus pubescens, obscure aeneus, antennis brevibus nigris, pedibus fusco-piceis, thorace obsolete canaliculato, elytris pone medium dilatatis. ♂♀.

*Mas*: antennarum articulo ultimo oblongo.

*Fem.*: antennarum articulo ovato.

Var. a. ♂♀. pedibus fuscis vel fusco-piceis.

Fabr. Eleut. 2. 230. 48. Gyll. Ins. Sv. 1. 390. 17. Schönh. Syn. 3. 284. 102. Dej. Catal. p. 31. Zett. Fn. Lapp. 1. 247. 12. ♂♀.

Var. b. pedibus rufis. — Gyll. l. c. var. b.

Var. c. pedibus nigris.

Hab. sub cortice Pini et in graminosis Lapponiae mens. Maj., Jun. et Jul. passim frequenter, praesertim femina; ad Wittangi, Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis, ad Lycksele et Stensele, Lappon. Umensis, nec non in insulis Nordlandicis Schiervoe et Hacksten ego varietatem a. legi; sed var. b. non nisi ad Lycksele d. 2. Jun. et var. c. ad Wilhelmina d. 15. Jul., Lapponiae meridionalis inveni. Magnitudo et statura *E. aenei*. (Lapp.-Scan. pass.)

**14. E. tessellatus**: elongatus pubescens fusco-cupreo-aeneus, antennis nigris, thorace postice latiore, elytris maculis griseo-pubescentibus, tessellatis. ♂♀.

*Mas*: antennis longitudine thoracis, articulo ultimo oblongo, apice acuminato.

*Fem.*: (saepe detrita, unde nitidior) antennis thorace brevioribus, articulo ultimo ovato.

LINN. Fn. Sv. 739. FABR. Eleut. 2. 229. 41. GYLL. Ins. Sv. 1. 393. 20. SCHÖNH. Syn. 3. 281. 85. DEJ. Catal. p. 31. ZETT. Fn. Lapp. 1. 247. 13. ♂♀.

Hab. in graminosis humidis mens. Jun., per Lapponiae partem inferiorem rarius. Magnitudo et statura speciminis masculi *El. pectinicornis*. (Lapp.-Scan. freq.)

Variat, forte junior, pedibus aeneo-piceis unguibusque plerumque rufis.

**15. E. assimilis**: elongatus, aequaliter griseo-pubescens fusco-aeneus, antennis nigris, thorace postice latiore. ♂♀.

*Mas*: antennis longitudine thoracis, articulo ultimo oblongo.

*Fem.*: nitidior, antennis thorace brevioribus, articulo ultimo ovato.

GYLL. Ins. Sv. 1. 394. 21. SCHÖNH. Syn. 3. 281. 86. DEJ. Catal. p. 31. ZETT. Fn. Lapp. 1. 248. 14. ♂♀.

Hab. in Lapponiarum meridionalium graminosis, verno tempore passim. Praecedente saepius paullo minor, at valde affinis. (Lapp.-Scan. freq.)

**16. E. Quercus**: elongatus niger, pedibus elytrorumque obscure aenescentium margine inflexo fusco-testaceis, fronte profunde punctata, thorace postice laevi. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 1. 397. 26. SCHÖNH. Syn. 3. 307. 196. DEJ. Catal. p. 32. ZETT. Fn. Lapp. 1. 248. 15. ♂♀. *El. pallipes* PAYK. Fn. Sv. 3. 14. 17.

Hab. in graminosis aridis Lapponiae rarius; in fruticibus ad Gernaes et Naes, Lapponiae Norvegicae mens. Jun. pass. D. BOHEMAN. (Lapponia; Dalekarlia; Botnia occidentalis; Finlandia.)

*El. obscuro* duplo et ultra minor, praesertim angustior. — Cum in arbore Quercus insectum forsitan non nisi casu occurrit, at in Provinciis, ubi minime crescit haec arbor, saepe tamen hospitatur, nomen triviale *Quercus*, huic speciei impositum, minus quidem placet; nec nomen PAYKULLI: *pallipes*, sat conveniens, dum illud alii insecto Indiae proprio, a FABRICIO jam tributum est: primum tamen retineo, ne nimis augeatur nomenclatura.

**17. E. serraticornis**: oblongus subaeneo-niger, antennis longis compressis, serratis, pedibusque fusco-nigris, tibiis tarsisque dilutioribus, thorace elongato, marginato punctato. ♂♀.

*Mas*: angustior, antennis longioribus, profunde et acute serratis.

*Fem.*: paullo latior, antennis brevioribus subserratis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 400. 29. ♂. SCHÖNH. Syn. 3. 308. 202. ♂. DEJ. Catal. p. 32. ♂. ZETT. Fn. Lapp. 1. 249. 16. ♂.

Hab. in Lapponia boreali rarissime; unicum tantum individuum masculum in trunco sicco ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 28. Jun. 1821 inveni; at in Lapponia meridionali, in graminosis, locis aridis, ad vias, sub lapidibus etc., ad Lycksele, Barrsele et Stensele, d. 15. Jun. — 4. Jul. 1832 utrumque sexum passim inveni. Praecedente paullo minor, at *El. Bructeri* fere major. (Lapponia; Fennia; Westrogothia rar.)

**18. E. minutus**: elongatus niger nitidus, parce pubescens, thorace oblongo, punctato, elytris parum convexis, subopacis. ♂♀.

*Mas*: antennis thorace paullo longioribus serratis.

*Fem.*: antennis longitudine thoracis, articulis obconicis.

LINN. Fn. Sv. 744. FABR. Eleut. 2. 242. 106. GYLL. Ins. Sv. 1. 398. 27. SCHÖNH. Syn. 3. 308. 200. DEJ. Catal. p. 32. ZETT. Fn. Lapp. 1. 249 17. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; a me tantum ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae 15. Jul. lectus. Sequente paullo longior, sed angustior, linearis, minus convexus. (Lapp.-Suecia media et Gottlandia rar.; Scan. freq.)

*Obs.* Antennae in speciminibus lapponicis magis graciles videntur, quam in Scanensibus vulgaribus. Tarsi quoque in nostris individuis rufescunt, tibiaeque anticae piceae sunt. Affinis praecedenti.

**19. E. Bructeri**: oblongus, convexus, nitidus fusco-aeneo-niger, pedibus piceis, thorace breviori punctato, elytris obsolete striatis, interstitiis punctatissimis.

FABR. Eleut. 3. 243. 111. PANZ. Fn. 34. f. 13. GYLL. Ins. Sv. 1. 401. 30. SCHÖNH. Syn. 3. 310. 213. DEJ. Catal. p. 32. ZETT. Fn. Lapp. 1. 249. 18. *El. minutus* PAYK. Fn. 3. 40. 46.

Hab. in graminosis Nordlandiae rarius; etiam ad Wilhelmina Lapponiae Suecicae meridionalis d. 20. Jul. a me lectus. Parvus, subcylindricus. (Lapp.-Finlandia, Ostrogothia freq.)

**20. E. riparius**: oblongo-ovatus nitidus parce pallide pubescens nigro-aeneus, antennarum articulo primo, pedibus anoque rufo-testaceis, thorace brevi subtransverso, elytrorum striis laevibus.

FABR. Eleut. 2. 243. 110. GYLL. Ins. Sv. 1. 402. 31. SCHÖNH. Syn. 3. 310. 209. DEJ. Catal. p. 34. ZETT. Fn. Lapp. 1. 250. 19.

Hab. sub lapidibus locis cultis Lapponiae et borealis et meridionalis, mens. Majo — Aug. sat frequens. In insulis Nordlandiae, Finmarkiaeque quoque occurrit, et ad Giebostad et Talvig plura specimina lecta. (Lappon.; Fennia; Botnia; Bahusia etc. pass. rar.)

Praecedente vix longior, sed dimidio latior. Individua paullo angustiora et obscuriora forte mascula.

**21. E. rivularius**: elongato-oblongus subpubescens aenescenti-piceo-niger, antennis thoracis longioris angulis posticis, elytrorum striatorum margine anoque rufo-testaceis, pedibus pallidis. (Minutus.)

GYLL. Ins. Sv. 1. 403. 32. SCHÖNH. Syn. 3. 310. 209. ZETT. Fn. Lapp. 1. 250. 20. *El. riparius* PANZ. Fn. 34. f. 12.

Var. b. paullo minor, angustior, thoracis angulis posticis vix vel parum rufescentibus. An Mas?

Var. c. *alpestris*; magis differt: niger nitidus subglaber, antennis, thoracis angulis posticis elytrisque totis rufo-testaceis, pedibus pallidis.

Hab. sub lapidibus et ligno sicco, locis cultis et ad rivulos Lapponiae Tornensis et Botniae borealis mensib. Majo — Julio vulgaris; scilicet ad Ofver-Torneå, Kengis, Wittangi, Juckasjervi, Karesuando et Muonioniska illum copiose legi, in Lapponia Umensi non nisi ad Lycksele, var. a., et ad Gaskelougt, var. b. parce; ex Utsjock Lapponiae Kemensis, a D. FELLMAN missus. Adscendit quoque in alpes, et in ipso alpium jugo, in nive reptans die 12. Jul. vidi. In insulis Norvegicis Senjen et Schiervoe, nec non Alteidet parcius occurrit. Var. c. in Gamstenstind Finmarkiae d. 30. Jul. tantum inveni. (Lapponia; Botnia borealis, Herjeådalen 14—15. Maj. freq.)

*El. ripario* valde affinis, sed duplo minor, angustior. Licet individua varietatum a. et b. in magna copia saepe obvia fueriut, tamen ulla copulata invenire mihi nunquam contigit.

**22. E. costalis**: ovato-oblongus, convexus nigricans, supra fusco-aeneus pubescens, elytris creberrime punctulatis, obsolete striatis, pone medium dilatatis, margine inflexo, tibiis tarsisque flavo-ferrugineis.

GYLL. Ins. Sv. 1. 403. 33. SCHÖNH. Syn. 3. 310. 212. SAHLB. Ins. Fenn. 137. 29. ZETT. Fn. Lapp. 1. 251. 21.

Hab. in truncis et ligno recenter secato Pini sylvestris mens. Jun. et Jul. in Lapponia passim; ad Wittangi, Juckasjervi et Muonioniska ego illum inveni; sed supra terminum arborum frondiferarum alpes versus vix adscendit, nec in subalpinis Nordlandiae, Finmarkiaeque a me visus. Magnitudo *El. obscuri*. (Lapponia; utraque Botnia; Finlandia rar.)

**23. E. affinis**: elongatus niger depressiusculus subpubescens, antennis simplicibus, thorace oblongo, marginato, tenuiter canaliculato, punctulatissimo, elytrorum striis laevibus. ♂♀.

*Mas*: antennarum articulis subcylindricis; rarior.

*Fem.*: antennarum articulis obconicis; frequentior.

Var. a. ♂♀. pedibus nigricantibus.

GYLL. Ins. Sv. 1. 405. 35. SCHÖNH. Syn. 3. 278. 71. SAHLB. Ins. Fenn. 137. 30. DEJ. Catal. p. 32. ZETT. Fn. Lapp. 1. 251. 22. ♂♀.

Var. b. pedibus rufescentibus.

Hab. in sylvis, praesertim in foliis Pini mensib. Jun., Jul., Aug. in Lapponiis omnibus passim; procedit usque ad Torneå Träsk Lapponiae Tornensis, et in Betuletis totius Nordlandiae sat frequenter occurrit. In Lapponia Umensi quoque vulgaris, ibique a Lycksele, Åsele et Wilhelmina usque ad alpem Brattiksfjellet deprehenditur. Varietas b ad Giebostad in insula Senjen mens. Julio capta, et ♂ varietatis b. in copula cum ♀ var. a. in trunco carioso ad Lycksele d. 14. Jul. semel lectus. In Betula ad Garnaes et Naes Lapponiae Norvegicae meridionalis 2—3. Jun. a D. BOHEMAN etiam visus. (Lapponia; utraque Botnia, Fennia rar.)

Statura depressa fere *El. bipustulati*, sed plus duplo major et longior, individuo masculo minori *El. hirti* s. *nigri* GYLL. fere aequalis.

**24. E. hirtus**: oblongus convexiusculus niger nitidus fusco-hirtus, antennis serratis, thorace oblongo, punctato, non canaliculato, elytris tenuiter striatis, basi sulcatis. ♂♀.

*Mas*: antennis thorace longioribus.

*Fem.*: saepius major, antennis thoracis longitudine.

SCHÖNH. Syn. 3. 277. 70. DEJ. Catal p. 32. ZETT. Fn.

Lapp. 1. 252. 23. ♂♀. *El. niger* Linn. Fn. Sv. 743.? Panz. Fn. 101. f. 16. Gyll. Ins. Sv. 1. 406. 36. Sahlb. Ins. Fenn. 138. 31. (exclus. Syn. Schönh.) *El. aterrimus* Fabr. Eleut. 2. 227. 34.

Hab. in graminosis umbrosis Lapponiae rarius. Femina mare *El. pectinicornis* fere aequalis, mas plerumque duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**25. E. fulvipes:** elongatus posterius attenuatus pubescens, supra nigricans, subtus piceus, antennis serratis pedibusque ferrugineis, elytris punctato-striatis, thorace antice angustiore. ♂♀.

*Mas:* antennis thorace paullo longioribus, pedibus obscure ferrugineis.

*Fem.:* saepe duplo major, antennis longitudine thoracis, thorace antice minus angustato, pedibus testaceo-ferrugineis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 407. 37. Schönh. Syn. 3. 287. 112. Zett. Fn. L. 1. 252. 24. *El. obscurus* Fabr. Eleut. 2. 233. 63. (exclus. Syn. Linn.) Dej. Catal. p. 32.

Hab. in truncis arborum frondiferarum Pini et Abietis, in Lapponia rarius. Inter majores nostratum, praecedente longior, non vero latior. (Lapp.-Smoland. pass.)

**26. E. ruficaudis:** lineari-elongatus pubescens, nigrofuscus, abdomine, pedibus elytrisque punctato-striatis piceis, his margine anoque rufo-ferrugineis, antennis simplicibus, thorace antice vix angustiore. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 1. 409. 38. Schönh. Syn. 3. 288. 114. Zett. Fn. Lapp. 1. 253. 25. ♂♀. *El. obscurus* Payk. Fn. 3. 2. 2. (exclus. Syn. Linn.) *El. haemorrhoidalis* Fabr. Eleut. 2. 235. 71.? Dej. Catal. p. 32.

Hab. in graminosis, per Lapponiam sylvaticam rarius, mihi ad Wittangi et Öfver-Torneå obvius; in copula. Magnitudo valde variat, *El. hirto* plerumque aequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

Obs. Nomen *obscurus* huic et praecedenti speciei ab Auctoribus inconsulte additum, *Elateri obscuro* Linnaei genuino reservavi; Synonymia Fabricii quoque incerta, unde nomen Gyllenhali *ruficaudis* retinere optime putavi.

**27. E. sub-fuscus:** elongato-linearis pubescens nigricans, ore, antennis simplicibus, thoracis limbo, elytris tenuiter punctato-striatis, ano pedibusque ferrugineo-testaceis. ♂♀.

*Mas:* thorace angustato, antennis extrorsum plerumque fuscis.

*Fem.:* paullo major, latior, praesertim in thorace, antennis saepe totis rufescentibus; in copula.

Gyll. Ins. Sv. 1. 411. 40. Schönh. Syn. 3. 289. 117. Dej. Catal. p. 32. Zett. Fn. Lapp. 1. 253. 26. ♂♀. *El. analis* Fabr. Eleut. 2. 240. 95.?

Hab. in foliis Betulae albae Nordlandiae Norvegicae mens. Jul. passim frequenter, ex. gr. ad Björkvik, Giebostad et Finkrog; etiam in Lapponia Suecica rarius occurrit, mihi ibi ad Almsele Lappon. Umensis d. 24. Jul. obvius. (Lapp.-Hernosand.-Scan. freq.)

Praecedente triplo fere minor, longitudinis *El. obscuri* mihi, sed multo angustior. — *El. vittato* valde affinis, ille vero, qui elytris testaceis sutura late, et margine laterali fuscis distinguitur, et quod paullo major, in Lapponia huc usque non visus, in Suecia inferiore frequens.

*Subdiv. B.* fronte subconvexa.

**28. E. praeustus:** oblongus ater fusco-hirtus, elytris sanguineis, summo apice nigris, tarsis ferrugineis, thorace depressiusculo, non canaliculato. ♂♀.

Fabr. Eleut. 2. 238. 85. Panz. Fn. 93. f. 8. Gyll. Ins. Sv. 1. 417. 46. Schönh. Syn. 3. 301. 166. Zett. Fn. Lapp. 1. 254. 27. ♂♀. *El. elongatulus* Dej. Catal. p. 33.

Var. b. ♀. elytris apice concoloribus; Lycksele.

Hab. in truncis Betulae albae, in Lapponia boreali rarius, ad Wittangi et Öfver-Torneå 29. Maj. et 15. Jun. tantum obvius; in foliis Salicum vero Lapponiae meridionalis, ex. gr. ad Lycksele uterque sexus mens. Junio haud infrequenter occurrit; in copula. Ab *El. sanguineo* suecico vix nisi magnitudine duplo aut triplo minori, et thorace minus convexo hic noster differt. (Lapp.-Scan. pass.)

**29. E. elongatulus:** oblongus ater fusco-hirtus, elytris ferrugineo-testaceis, summo apice fusco, tarsis piceis, thorace depressiusculo, non canaliculato. ♂♀.

Fabr. Eleut. 2. 239. 90. Gyll. Ins. Sv. 1. 418. 47. Schönh. Syn. 3. 301. 168. Sahlb. Ins. Fenn. 141. 40. Zett. Fn. Lapp. 1. 254. 28. ♂♀. *El. crocatus* Ziegler. Dej. Catal. p. 33.

Hab. sub cortice arborum emortuarum, in Lapponia rarissime. Magnitudo et summa prioris affinitas, et vix differt nisi colore elytrorum magis testaceo quam sanguineo in utroque sexu. (Lapp.-Scan. pass.)

Obs. Mas et femina simillimi, in copula capti, non structura antennarum, sed magnitudine tantum, utpote in praecedente, differunt.

**30. E. balteatus:** oblongus ater fusco-hirtus, antennis tibiisque piceis, tarsis rufis, elytris rufo-ferrugineis apice late nigris. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 732. Fabr. Eleut. 2. 239. 88. Panz. Fn. 93. f. 9. Gyll. Ins. Sv. 1. 419. 48. Schönh. Syn. 3. 303. 174. Dej. Catal. p. 33. Zett. Fn. Lapp. 1. 254. 29. ♂♀.

Hab. in truncis putridis et sub cortice Pini Lapponiae sylvaticae, rarius; ad Lycksele Lapponiae meridionalis 31. Maj. — 7. Jun. a me visus; etiam ad Hamnvigen in insula Dyroe Nordlandiae d. 21. Jul. a me lectus. Statura et affinitas praecedentis, sed paullo minor et distinctus. (Lapp.-Botnia ad Nordmaling 25. Maj.-Scan. pass.)

**31. E. tristis:** oblongus posterius attenuatus pubescens niger, antennarum articulo 2 et 3 tarsisque ferrugineis, elytrorum basi margineque exteriori livido-testaceis.

Linn. Fn. Sv. 736. Fabr. Eleut. 2. 236. 75. Gyll. Ins. Sv. 1. 420. 50. var. Schönh. Syn. 3. 295. 149. Dej. Catal. p. 33. Sahlb. Ins. Fenn. 141. 42. Zett. Fn. Lapp. 1. 255. 30.

Hab. in floribus Salicis, in truncis cariosis Betulae albae, nec non sub cortice Pinuum emortuarum, in Lapponia per partem sylvaticam passim; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ut et ad Barsele, Lycksele, Åsele et usque ad Umenaes, Lapponiae Umensis, 31. Maj. — 23. Jul., plura specimina legi. In Nordlandiae, Finmarkiaeque inferalpinis mihi non obvius. (Lapp.-Dalekarlia freq. Finlandia, Scania rar.)

Statura fere et magnitudo *El. balteati* vel paullo major, posterius magis attenuatus. — Variat macula elytrorum basali livida, jam parva, jam magna elongata, cuneatim versus suturam descendente. Variat quoque, forte junior, antennis totis tibiisque ferrugineo-piceis, qualis a D. D. Gyllenhalio et Sahlbergio describitur.

**32. E. nigrinus:** elongato-oblongus, nitidus subpubescens ater, antennis pedibusque piceo-nigris, tarsis rufis, thorace antice angustiori, elytris punctato-striatis interstitiis rugosis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 421. 51. var. Schönh. Syn. 3. 296. 150. Dej. Catal. p. 33. Zett. Fn. Lapp. 1. 255. 31.

Hab. in floribus Salicis, in truncis putridis et sub cortice arborum emortuarum Pini sylvestris et Abietis Lapponiarum omnium per totam partem sylvaticam, mens. Jun., Jul. vulgaris; sed in Nordlandia et Finmarkia a me non observatus. (Lapp.-Scan. freq.)

*El. balteato* vix brevior, sed paullo angustior. Antennae et pedes picea, qualia a D. Gyllenhal significantur, non nisi in individuis junioribus vidi. *El. auriti* Sahlbergii, Herbstii et Schönherri, „thoracis lateribus et angulis, antennis pedibusque rufescentibus," huic nostro affinis et similis, Botniae orientalis est incola, intra limitem Lapponiae adhuc non inventus, quantum novi.

**33. E. ruficollis:** glaber, niger, thorace laevi, medio latiori, rubro, antice nigro, elytris profundius punctato-striatis, nigro-caerulescentibus.

Linn. Fn. Sv. 724. Fabr. Eleut. 2. 237. 78. Gyll. Ins. Sv. 1. 422. 52. Schönh. Syn. 3. 297. 156.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in silva ad Lycksele die 14. Jun. semel volando captus. (Lapp. meridional.; Finlandia rar.; Scan. freq.)

*El. balteato* fere duplo minor.

**34. E. pulchellus:** oblongus, convexus, tenuiter pubescens niger, antennarum basi testacea, elytris profunde punctato-striatis flavo-maculatis, pedibus pallidis, thorace elongato carinula dorsali subelevata glabra, angulis posticis acutis carinatis.

Linn. Fn. Sv. 745. Fabr. Eleut. 2. 343. 114. Panz. Fn. 76. f. 8. Gyll. Ins. Sv. 1. 423. 53. Dej. Catal. p. 34. Zett. Fn. Lapp. 1. 256. 32.

Hab. ad ripas fluminum Tornensis et Kemensis, Com. de Mannerheim parce, mihi non obvius, parvus, inter minimos nostratum hujus generis, vix 2 lineas longus. (Lapp.-Scan. pass.)

**35. E. 4-pustulatus:** oblongus, tenuiter pubescens niger, antennarum basi, elytris depressis maculis duabus pedibusque pallidis, elytrorum striis laevibus, thorace subquadrato carinula dorsali subelevata glabra, angulis posticis acutis carinatis.

Gyll. Ins. Sv. 1. 424. 54. Schönh. Syn. 3. 315. 251. Dej. Catal. p. 34.

Hab. ad ripas arenosas fluviorum, in Lapponia rarius, in adjacenti Botnia occidentali frequentius. (Lapp.-Westrogothia rar.)

Affinis priori, at distinctus, duplo minor, *Cryptophago cellari* parum major. Maculae elytrorum interdum omnino deficiunt, aut non nisi una in singulo deprehenditur, unde varietates Auctorum. Affinis quoque *El. Agricolae* mihi, in agris Scanensibus frequenter capto, sed ille duplo major, thoracis angulis posticis fere subulatis, non carinatis, pallidis, in Suecia boreali vix occurrit.

### *Sect. 2. Ore deflexo.*

**36. E. fugax:** elongato-oblongus tenuissime fulvo-pubescens punctatissimus niger, elytris castaneis, pedum geniculis, tibiis tarsisque ferrugineis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. elytris obscure castaneis vel brunneis.

Fabr. Eleut. 2. 237. 80. Gyll. Ins. Sv. 1. 428. 57. Schönh. Syn. 3. 298. 161. Dej. Catal. p. 33. Zett. Fn. Lapp. 1. 257. 34. ♂♀.

Var. b. elytris obscurioribus nigricantibus.

Zett., Gyll. et Schönh. l. c. var. b. Variat quoque sutura tantum infuscata.

Hab. in floribus Salicis, in truncis et ligno recenter secato, per totam Lapponiam sylvaticam et borealem et meridionalem mense Maj., Junio, Julio passim copiose; occurrit quoque non minus prope terram circumvolans, quam in ipsa terra, locis soli expositis, agiliter repens, pugnans, invicem persequens, quasi in ludis hymenaeis occupatus. In copula tamen raro deprehenditur. Supra Juckasjervi et Karesuando Lapponiae Tornensis, nec non ad radicem alpis Brattiksfjell Lapp. Umensis, versus alpes, illum non observavi, nec in Nordlandia et Finmarkia a me visus. *E. fugax* ut ♂, in copula cum *E. brunneo* ut ♀, ad Lycksele semel capti d. 20. Jun. Var. b. in truncis putridis ad Lycksele, Wittangi et Juckasjervi mens. Junio inveni. (Lapp.-Ostrog. freq. Scan. pass.)

Statura et magnitudo fere *Elat. balteati* vel paullo major, *El. tristi* subaequalis. Corpus totum, praesertim thorax, pube brevissima aureo-nitenti *fugaci* tegitur, unde nomen insecti.

**37. E. brunneus:** oblongus glabriusculus punctatissimus rufo-ferrugineus, capite, antennis extrorsum, thoracis vittis tribus, scutello, pectore abdominisque basi nigris.

Linn. Fn. Sv. 721. Fabr. Eleut. 2. 237. 79. Gyll. Ins. Sv. 1. 426. 56. Schönh. Syn. 3. 298. 160. Dej. Catal. p. 33. Zett. Fn. Lapp. 1. 258. 35.

Hab. in societate cum praecedente, frequenter; sed individua nulla invicem, tantum semel cum priori in copula deprehendere mihi contigit. Vix varietas feminea praecedentis, quo paullo major, saltem latior et robustior videtur. (Lapp.-Ostrog. freq. Scan. pass.)

**38. E. obscurus:** ovato-oblongus, pubescens opacus punctatissimus, nigro-fuscus, antennis pedibusque fusco-piceis, thorace gibbo, elytris regulariter punctato-striatis. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 735. Gyll. Ins. Sv. 1. 430. 59. Schönh. Syn. 3. 304. 182. Zett. Fn. Lapp. 1. 258. 36. ♂♀. *El. variabilis* Fabr. Eleut. 2. 241. 98. Dej. Catal. p. 33.

Hab. in graminosis et sub lapidibus in provinciis borealibus et Lapponia verno tempore rarius; ad Matarengi in Paroecia Öfver-Torneå, D. Portin, ad Wittangi ipse. (Lapp.-Finlandia; Scan. freq.)

*El. fugaci* fere brevior, sed crassior, magnitudine tamen variat, variat etiam obscurior et dilutior secundum aetatem. — In Scania frequentissimus. — Huic similis est: *El. Sputator* auctor. sed ille duplo est minor angustior. — *El. Segetis* Gyll. s. *El. striatus* Fabr. nostro *El. obscuro* quoque affinis est et magnitudine aequalis, sed elytris „griseis fusco-lineatis" mox distinguitur, et hac Sueciae inferioris frequentes incolae in Lapponia a me non sunt observatae.

**39. E. marginatus:** lineari-elongatus, pubescens nitidus punctatissimus fusco-piceus, antennarum simplicium basi, thoracis limbo pedibusque rufo-ferrugineis, elytris rufo-testaceis, sutura margineque nigris. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 733. Fabr. Eleut. 2. 236. 76. Gyll. Ins. Sv. 1. 432. 61. Schönh. Syn. 3. 296. 152. Dej. Catal. p. 33. Sahlb. Ins. Fenn. 145. 55. Zett. Fn. Lapp. 1. 259. 37. ♂♀.

Hab. in Betuletis Lapponiae rarius; etiam ad Tromsoe Nordlandiae mens. Jul. lectus. *El. balteato* vix brevior, sed multo angustior, linearis, tenuis. (Lapp.-Scan. freq.)

Obs. *El. limbatus* huic affinis est et similis, sed fere quadruplo minor et antennis subserratis distinctus, et in Lapponia vix obvius.

Nec *Elat. pygmaeum* seu *Eucnem. pygmaeum* Mannerh. „oblongum subcylindricum rugoso-punctatum nigrum, tibiis tarsisque pallidis, antennis crassis, maris pectinatis, feminae serratis" in Suecia media, Gottlandia, Finlandia et Botnia orientali passim obvium, in Lapponia invenire potui. — Genera *Trixagus* (*Troscus* Latr.) et *Melasis* huic familiae inserenda, ad Faunam nostram vix numerari possunt.

---

# II. HETEROMERA.

## FAM. 18. TENEBRIONITES. Latr.

### 84. Upis.

Fabr. Eleut. 175. Dej. Gyll. *Tenebrio* Latr.

*Corpus* majoris magnitudinis, ovato-oblongum, glabrum. Antennae thorace paullo breviores, articulis basalibus obconicis, ultimis quinque paullo majoribus, lenticularibus. Thorax postice elytris angustior, subcylindricus. *Color* ater, opacus. *Motus* segnis. *Habitatio* in Boletis et sub cortice Betulae; per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 1.)

**1. U. Ceramboides:** ater punctulatus, elytris varioloso-rugosis, femoribus basi attenuatis, tarsis omnibus subtus dense villosis. (Long. 7 lin.)

Fabr. Eleut. 2. 584. 1. Gyll. Ins. Sv. 2. 594. 1. Dej. Catal. p. 67. *Attelabus Ceramboides* Linn. Fn. Sv. 643. Zett. Fn. Lapp. 1. 260. 1.

Hab. in fungis arboreis et sub cortice Betulae albae, in Lapponia et boreali et meridionali per partem sylvaticam mens. Majo—Aug. passim; ad Ickorntraesk et Lycksele, Lapponiae Umensis haud infrequenter vidi. *Tenebrione molitore* paullo longior, et in elytris multo latior, *Carabo arvensi* subaequalis. (Lapp.-Westerbotten ad Umeå-Smolandia rar.)

---

### 85. Sarrotrium.

Fabr. Syst. Eleut. 64. Dej. *Orthocerus* Latr.

*Corpus* parvum, elongato-quadratum, sublineare, depressiusculum. Antennae thorace breviores, crassae, clava 8-articulata pilosa. Scutellum distinctum. Pedes breves. *Color* nigro-fuscus, opacus. *Motus* tardus. *Habitatio* in sabulosis; per partem mitiorem Lapponiae. *Differentia sexus* in partibus externis nulla. (Spec. Scand. 1., etiam exteris in suo genere sola.)

**1. S. muticum:** nigro-griseum, subtus fusco-piceum, antennarum clava elongata atra, pilosa, thorace subquadrato foveolato, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 1. 327. 1. Gyll. Ins. Sv. 1. 283. 1. Schönh. Syn. 2. 111. 1. Dej. Catal. p. 67. Zett. Fn. L. 1. 260. 1. ♂♀. *Hispa mutica* Linn. Syst. Nat. 2. 604. 4. Panz. Fn. 1. f. 8. *Dermestes clavicornis* Linn. Fn. Sv. 413. *Orthocerus hirticornis* Latr. Gen. Crust. et Ins. 2. 172. 1.

Hab. sub lapidibus locis arenosis, per partem inferiorem Lapponiae mens. Maj. — Aug. rar.; ad Lycksele a me in copula captus. Statura fere et magnitudo *Helophori elongati* vel paullo major. (Lapp meridion.-Scan. pass.)

Obs. E Generibus *Tenebrio* et *Blaps*, sub hac Familia militantibus, nullas species agnoscit Fauna nostra Lapponica.

---

## FAM. 19. DIAPERIALES. Gyll. Latr.

### 86. Rhyzophagus.*)

Gyll. Ins. Sv. 3. 420. Herbst. Dej.*). *Lyctus* Fabr. Payk.

*Corpus* minutum, elongato-lineare, nitidum, glabrum. Antennae thorace multo breviores, articulo decimo magno, ro-

*) in Familia *Xylophagorum* inter *Tetramera*.

tundato, articulo parvo, obsoleto aucto. Elytra truncata. *Color* ferrugineus, piceus. *Motus* tardus. *Habitatio* sub cortice arborum, in earum succo destillante, et in fungis; per partem sylvaticam, subsylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in partibus externis nulla detegenda. (Spec. Scand. 5.)

**1. R. ferrugineus**: rufo-ferrugineus, antennarum medio piceo, pedibus testaceis, thorace subquadrato, profunde punctato, elytris evidenter punctato-striatis.

Gyll. Ins. Sv. 3. 420. 1. Dej. Catal. pag. 103. Zett. Fn. Lapp. 1. 261. 1. *Lyctus ferrugineus* Payk. Fn. 3. 326. 1.

Hab. sub cortice arborum frondiferarum Pini et Abietis in Lapponia rarius, Collect. D. Grape, e Lappon. Tornensi etiam a Deutsch missus. Sequentibus major; *Clivinae fossori* fere aequalis, magnitudine varians. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scania rar.)

**2. R. parvulus**: subdepressus nigro-piceus, ore, antennis pedibusque ferrugineis, elytris tenuiter punctato-striatis, luride testaceis, limbo laterali et postico fuscescente, thorace subquadrato, subtiliter punctulato.

Gyll. Ins. Sv. 3. 424. 4. Dej. Catal. p. 103. Zett. Fn. Lapp. 1. 262. 2. *Lyctus parvulus* Payk. Fn. 3. 329. 4.

Hab. sub cortice arborum emortuarum, in Lapponia rarius; in succo exstillante Betulae nec non sub cortice Pini ad Lycksele Lappon. Umensis d. 31. Maj.; 6. Jun. 1832 passim; et altera vice in succo destillante Betulae albae 29. Maj. — 5. Jun. 1821 ad Öfver-Torneå et Kardis frequentiorem vidi. Praecedente fere triplo minor. (Lappon.-Finlandia-Ostrogothia rar.)

**3. R. dispar**: linearis, thorace oblongo, postice angustiore, dorso subtiliter punctulato, elytris tenuiter punctato-striatis. ♂♀.

Var. a. rufo-ferrugineus, elytris fascia media lata nigro-picea.

Gyll. Ins. Sv. 3. 424. 1. Dej. Catal. p. 103. Zett. Fn. Lapp. 1. 262. 3. var. a. *Lyctus dispar* Payk. Fn. 3. 328. 3.

Var. b. obscurior, rufo-ferrugineus, thorace, pectore abdominisque basi nigro-piceis, elytris fascia media latissima nigra. Saepe paullo major.

Zett., Gyll. et Payk. l. c. var. b.

Var. c. nigro-piceus, antennis, pedibus, elytrorum basi lunulaque ante apicem rufo-ferrugineis. Minor.

Gyll. l. c. var. d. Zett. l. c. var. c.

Hab. sub cortice Abietis et in fungis Betulae mens. Maj. — Sept. in Lapponia et boreali et meridionali haud raro, usque ad Torneåträsk procedens. Varietas c. in inferalpinis Nordlandiae ad Giebostad d. 22. Jul. tantum visa. *Rhyz. ferrugineo* paullo minor, praesertim angustior, subconvexus. (Lapp.; Hernösand.-Scan. pass.)

## 87. Hypophloeus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 232. Dej. Fabr.

*Corpus* parvum, elongato-lineare, nitidum, glabrum. Antennae breves, compressae, clavatae, utrinque serratae. Thorax elongato-quadratus, marginatus. Tibiae a basi ad apicem sensim latiores. *Color* rufo-ferrugineus. *Motus* tardus. *Habitatio* sub cortice arborum emortuarum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 9.)

**1. H. Pini**: rufo-ferrugineus, elytris subtilissime vage punctatis pedibus pallidis rufo-testaceis, thorace subquadrato. (Long. $1\frac{2}{3}$ lin.)

Panz. Fn. 67. f. 19. Dej. Catal. p. 67. Zett. Fn. Lapp. 1. 263. 1. *Hypophloeus Fraxini* Payk. Fn. 3. 322. 2. Gyll. Ins. Sv. 2. 579. 2.

Hab. semper sub cortice Pini sylvestris, in Lapponia sylvatica rarius, ex. gr. ad Lycksele d. 31. Maj. — 6. Jun.; in Botnia Boreali frequentius, locis a quibus *Fraxinus* longe distat. *Rhyzophago ferrugineo* paullo brevior, sed latior. (Lapp. sub cortice Pini dejectae in Herjeådalen d. 11. Maj. — Ostrogothia rar.)

Obs. In Sueciae meridionalis *Fraxinis* hoc insectum a me nunquam visum, nec nomen Paykulli optimum putavi, quare recentiorum adoptavi.

## 88. Boros.

Gyll. Ins. Sv. 2. 584. Dej. *Hypophloeus* et *Trogosita* Fabr.

*Corpus* minoris magnitudinis, lineari-elongatum, parum convexum, nitidum, glabrum. Antennae breves, clavatae, articulis tribus ultimis latioribus compressis. *Color* piceus ferrugineus. *Motus* tardus. *Habitatio* sub cortice arborum; per partem sylvaticam inferiorem Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 2 Faunae nostrae communes.)

**1. B. elongatus**: profunde punctatus nigro-piceus, subtus dilutior, thorace subovali dorso impresso, elytris obsolete striatis, interstitiis subtiliter vage punctulatis. (Long. $4\frac{1}{2}$ lin.)

Herbst. Col. 7. 319. 1. Tab. 110. f. 7. Dej. Catal. p. 67. Zett. Fn. Lapp. 1. 264. 1. *Hypophloeus Boros* Fabr. Eleut. 2. 558. 2. *Helops Schneideri* Panz. Fn. 34. f. 1. *Trogosita picipes* Schönh. Syn. 1. 155. 4. *Boros corticalis* Gyll. Ins. Sv. 2. 584. 1.

Hab. in Lapponia, ut fertur; mihi nec ibi, nec in adjacenti Botnia boreali obvius. Longitudo fere *Tenebrionis Molitoris*, dimidio angustior. (Lapp.?-Nylandia, Westrog. rar.)

**2. B. thoracicus**: creberrime concinne vage punctulatus rufo-ferrugineus, elytris nigro-piceis margine dilutiore, thorace subquadrato, angulis posticis acutis. (Long. 3 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 586. 2. Dej. Catal. p. 67. Ahrens. Fn. Eur. 1. Fasc. 9. f. 9. Zett. Fn. Lapp. 1. 264. 2. *Trogosita thoracica* Fabr. Eleut. 1. 152. 7. Schönh. Syn. 1. 156. 6. Payk. Fn. 1. 92. 2.

Hab. sub cortice Pini Abietis in Lapponia per partem sylvaticam rarius, ad pagos Pello et Wittangi a me mens. Junio lectus. In Botniis passim occurrit teste D. Paykull. — Praecedente multo minor, *Corynet. violaceo* dimidio longior, sed parum latior. (Lappon.-Botnia-Finlandia pass.)

## 89. Boletophagus.

Fabr. Syst. Eleut. 16. Gyll. Dej. *Eledona* Latr.

*Corpus* parvum, obtuse oblongum, convexum, scabrum opacum glabrum. Antennae longitudine fere thoracis, arcuatae, extrorsum crassiores. Thorax transversus, antice emarginatus. Scutellum distinctum. Tibiae angustae. *Color* niger, pictura nulla. *Motus* tardus. *Habitatio* in fungis arboreis perennantibus, et larvarum et imaginum; per omnes Lapponiae regiones, exceptis tantum nivalibus, arboribus destitutis. *Differentia sexus* externa nulla. (Spec. Scand. 2.)

**1. B. crenatus**: niger, antennarum apice palpisque rufo-piceis, thoracis lateribus dilatatis, crenatis, angulis antico producto, postico acuminato, elytris elevato-striatis, interstitiis grosse punctatis. ♂♀. ($2\frac{1}{2}$ lin. long.)

Fabr. Eleut. 1. 113. 2. Schönh. Syn. 1. 120. 3. Dej. Catal. p. 68. Zett. Fn. Lapp. 1. 265. 1. ♂♀. *Bolithophagus reticulatus* Gyll. Ins. Sv. 2. 600. 1.

Hab. in fungis et sub cortice Betulae albae mensib. Majo — Septemb. per totam Lapponiam et borealem et meridionalem, haud raro, in copula mens. Jul. frequenter captum. Longe in alpibus procedit, nec ibi ante limitem arborum desinit. In Gamstenstind Finmarkiae, ut et in truncis Betulae albae ad radicem ipsius jugi alpini Tornensis mense Jul. sat copiose quoque a me visus. Longitudo *Opatri sabulosi*, sed angustior, magis convexus, *Dermest. lardario* brevior, ejus vero latitudine. (Lappon.-Scan. pass. freq.)

Obs. *Bol. Agaricola*: fusco-piceus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thoracis angulis posticis obtusis, elytris poreatis; multo minor; in Suecia inferiore vulgaris, in Lapponia a me non inventus. Nec species quasdam *Opatri* generis in provinciis arcticis detegere mihi contigit.

## 90. Diaperis.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 234. Fabr. Gyll. Dej.

*Corpus* minoris magnitudinis, hemisphaerico-ovale, coccinelliforme, nitidum, glabrum. Antennae breves compressae, articulis 4—10 latis, perfoliatis, ultimo ovato. Thorax brevis, transversus, antice emarginatus. Tibiae angustatae. *Color* (in nostra) niger, flavo-fasciatus. *Motus* tardus. *Habitatio* in fungis arboreis; per partem inferiorem Lapponiae. *Differentia sexus* (in nostra) externa nulla (Spec. Scand. 4.)

**1. D. Boleti**: ovalis, gibba nigra, elytris fasciis duabus undulato-dentatis maculaque apicis flavis ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.)

Fabr. Eleut. 2. 585. 1. Gyll. Ins. Sv. 2. 549. 1. Dej. Catal. p. 68. Zett. Fn. Lapp. 1. 266. 1. ♂♀. *Chrysomela Boleti* Linn. Fn. Sv. 527.

Hab. in Lapponia forte rarissime, Collect. D. Portin, mihi in provinciis borealibus non obvia. Magnitudo *Chrysomelae Staphyleae*, magis convexa. (Lapp.-Scan. pass. freq.)

## 91. Tetratoma.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 236. FABR. GYLL. DEJ.

*Corpus* parvum, oblongum, subconvexum, glabrum, nitidum. Oculi reniformes prominuli. Antennae longitudine thoracis, basi tenues, articulis 4 ultimis majoribus clavam oblongam perfoliatam formantibus. Thorax transversus elytraque punctata. Pedes mediocres, tibiae subaeque latae, inermes. *Color* rufo-testaceus, niger. *Motus* tardus. *Habitatio* in fungo et sub cortice Betulae; per omnes regiones Lapponiae et in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* in externis nulla. (Spec. Scand. 2.)

**1. T. Ancora:** rufo-testacea, antennarum clava obscura, elytris nigris signaturis variis pallidis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Var. a. corpus piceum, capite, thorace pedibusque testaceis, elytris nigris, plaga magna communi lobata, maculisque pallidis.

FABR. Eleut. 2. 575. 4. PANZ. Fn. 9. f. 9. GYLL. Ins. Sv. 2. 555. 2. ZETT. Fn. Lapp. 1. 267. 1.

Var. b. rufo-testacea, thoracis disco obscuro, antennarum clava, femoribus posticis, pectore, abdomine elytrisque nigris, his in singulo maculis aut 2, aut 3, aut 5 pallidis.

ZETT. l. c. var. b. GYLL. P. 4. App. 511. 2. c.

Hab. in fungo Betulae albae et sub hujus arboris cortice, in Lapponia Tornensi per omnes regiones usque ad summum jugum alpinum mens. Majo — Aug. passim; in Lapponiae meridionalis Paroecia Fredrica, in fungis arboreis, Merulio etc. d. 30. Jul. et var. b. et d. a D. DAHLBOM inventae. Occurrit etiam in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, et ad Giebostad, Finkrog et Alten lecta. Ad Johannis Ro Botniae borealis jam die 14. Maj. capta. (Lappon.-Botnia, Westmannia rarissime.)

Magnitudo et statura *Engidis humeralis*, interdum paullo major, colore corporis et pictura elytrorum valde varians.

---

## 92. Anisotoma.

FABR. Eleut. 11. DEJ. *Leiodes* LATR.

*Corpus* minutum ovale l. subhemisphaericum, glabrum nitidum. Antennae breves, clava saepius 5-articulata, articulo secundo minimo, rarius 3- articulata. Thorax transversus. Elytra marginata. Tibiae extus spinosae. *Color* niger, ferrugineus. *Motus* saepe celerrimus. *Habitatio* sub cortice arborum putrescentium, in fungis et graminosis; per partem sylvaticam, subsylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in tarsis anticis maris multo magis dilatatis, quam feminae, interdum invenienda. (Spec. Scand. 37.)

**1. A. abdominalis:** subhemisphaerica nigra, subtus picea; abdomine rufo, thoracis marginibus lateralibus et postico ferrugineo-pellucidis, elytris regulariter punctato-striatis, interstitiis sublaevibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

SCHÖNH. Syn. 1. 107. 5. GYLL. Ins. Sv. 2. 557. 1. DEJ. Catal. p. 69. ZETT. Fn. Lapp. 1. 268. 1. ♂♀. *Anisotoma glabrum* PANZ. Fn. 37. f. 9.

Hab. in truncis putridis et fungis Lapponiae borealis rarius, meridionalis passim, ex. gr. ad Stensele et in Stöttingsfjellet 4. Jul. — 1. Aug.; in copula capta. Magnitudine variat; majores *Coccinellae bipustulatae* aequales, alii dimidio minores et ultra. (Lapp.-Scan. pass.)

**2. A. humeralis:** subhemisphaerica nigra, subtus rufo-ferruginea, thoracis marginibus lateralibus et postico ferrugineo pellucidis, elytris tenuissime fulvo-pubescentibus, confuse punctato-striatis, interstitiis confertissime striatis, macula humerali rubra. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.)

FABR. Eleut. 1. 99. 2. SCHÖNH. Syn. 1. 106. 4. GYLL. Ins. Sv. 2. 558. 2. DEJ. Catal. p. 69. ZETT. Fn. Lapp. 1. 268. 2. ♂♀. *Sphaeridium humerale* PANZ. Fn 23. f. 1.

Hab. in truncis putridis Betulae albae, in Lapponia rarius; in ipso jugo alpino Tornensis latere Norvegico d. 13. Jul. et ad Alteidet Finmarkiae d. 1. Aug. a me lecta. Magnitudo fere praecedentis. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. A. axillaris:** subhemisphaerica nigra, subtus rufo-ferruginea, thoracis marginibus lateralibus et postico ferrugineo-pellucidis, elytris glabris, confuse gemellato-striatis, interstitiis laevibus, macula humerali rubra. ♂♀. (Long. 1 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 560. 3. DEJ. Catal. p. 69. ZETT. Fn. Lapp. 1. 268. 3. ♂♀.

Hab. in Lapponiae truncis putridis rarius, ad Björkvik juxta Ofotenfjord Nordlandiae utrumque sexum d. 17. Jul. legi. Praecedentis minoribus individuis magnitudine aequalis. (Lapp.-Scan. pass.)

**4. A. castanea:** subhemisphaerica nigra, subtus rufo-ferruginea, thoracis marginibus lateralibus et postico ferrugineo-pellucidis, elytris glabris immaculatis, antice vage, postice confuse gemellato-substriatis, interstitiis punctulatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

SCHÖNH. Syn. 1. 107. 6.? GYLL. Ins. Sv. 2. 560. 4. var.? DEJ. Catal. p. 89.? ZETT. Fn. Lapp. 1. 269. 4. ♂♀. *Sphaeridium castaneum* PAYK. Fn. 1. 70. 21. var.?

Hab. in truncis putridis Pini, in Lapponia rarius, ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 17. Jun., nec non ad Lycksele et Naestansjö, d. 30. Maj., 13. Jul., a me tantum visa. (Lappon.-Ostrogothia?)

Specimina lapponica hic descripta sunt paullo majora, magis hemisphaerica et in illis elytra nigriora (parum picea), quam in exemplaribus, quae in Ostrogothia copulata saepe legi. An species distincta? In ceteris vero conveniunt.

**5. A. ferruginea:** ovalis ferruginea, antennarum clava fusca, elytris evidenter punctato-striatis, in interstitiis alternis punctis paucis seriatis impressis, tibiis spinosissimis, posticis mediocribus vix arcuatis. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

FABR. Eleut. 1. 99. 1. SCHÖNH. Syn. 1. 106. 1. GYLL. Ins. Sv. 2. 564. 7. DEJ. Catal. p. 69. ZETT. Fn. Lapp. 1. 269. 5.

Hab. in Lapponiae borealis graminosis rarius. Collect. D. KOLSTRÖM; in Lapponia meridionali ad Åsele et Umenaes, d. 7—26. Jul. a me lecta. Magnitudine valde variat, prioribus plerumque minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. A. picea:** oblongo-ovata nigro-picea, antennis pedibusque ferrugineis, elytris profunde punctato-striatis, tibiis posticis longis, arcuatis. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

Var. a. supra nigra; paullo major.

GYLL. Ins. Sv. 2. 562. 6.? SAHLB. Ins. Fenn. 463. 7.?

Var. b. corpore toto ferrugineo, paullo minor.

GYLL. et SAHLB. l. c. var. b.

Hab. in Lapponia Umensi, var. a. rarissime ad Lycksele d. 7. Aug., var. b. raro ad Åsele et Lycksele d. 26. Jul.— 16. Aug. An ♂ *An. ferrugineae?* (Lapp. meridional.-Scan. rarius.)

**7. A. suturalis:** ovalis ferrugineo-testacea, antennarum clava obscura, pedibus pallidis, profunde punctata, elytris confertim punctato-striatis, sutura infuscata, tibiis ciliatis rectis. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

An *Anisotoma punctulatum* GYLL. Ins. Sv. 2. 566. 9.? SAHLB. Ins. Fenn. 465. 11.

Hab. in Lapponiae Tornensis graminosis rarissime; ad pagum Palojoensun d. 16. Aug. a me unicum hujus individuum loco arido inventum. (Lapponia —?)

Minimis *Anisot. ferrugineae* speciminibus aequalis, et *Anisot. punctulatae* GYLL. maxime affinis videtur, vix tamen eadem. Caput punctulatum castaneum, mandibulis magnis. Antennae basi ferrugineae, clava 5-articulata fusca, structura ut in antecedentibus. Thorax castaneus, crebre evidenter punctatus. Scutellum triangulare, ferrugineum, punctatum. Elytra ut in priori constructa, ferrugineo-testacea, sutura tenuissime fusca, tota sat profunde et confertim punctato-striata. Corpus subtus obscure testaceum. Pedes pallidi, tibiis omnibus rectis, ciliatis, sed vix spinulosis.

*Obs.* An GYLLENHALI *Anisot. punctulatum* huc referri debeat, pro certo affirmare non possum. Utcumque vero, nomen illud *punctulatum*, utpote a D. D. ZIEGLER et ANDERSCH etiam aliis speciebus impositum, rejiciendum, ne ansam confusionis praebeat.

**8. A. multistriata:** ovalis ferruginea, capite thoraceque subtiliter punctulatis saturatioribus, antennarum clava fusca, pedibus pallidis, tibiis ciliatis rectis, elytris confertissime punctato-striatis. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.)

GYLL. Ins. Sv. Add. 3. 708. 9—10.

Var. b. tota pallida.

Hab. var. a. in graminosis Lapponiae rarissime, ad Alten Finmarkiae d. 4. Aug. capta; var. b. in fungo Betulae ad Åsele Lapponiae Umensis semel d. 27. Jul. inventa. Praecedente minor. (Lappon.-Suecia meridionalis rar.)

**9. A. spinula:** ovalis ferruginea, capite thoraceque subtiliter punctulatis saturatioribus, antennarum clava 5-articulata fusca, pedibus brevibus testaceis, femoribus subtus valide dentatis, tibiis rectis, spinuloso-ciliatis, elytris confertissime punctato-striatis. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 270. 8. SAHLB. Ins. Fenn. 465. 13.

Hab. in graminosis locis aridis versus autumnum, in Lapponia Tornensi rarissime, duobus individuis mihi tantum obviis, et altera vice in Lapponia meridionali ad Lycksele d. 16. Aug. semel capta. (Lapponia.)

Praecedente paullo minor, alias, praeter structuram pedum, ei simillima, an tantum alter sexus seu masculus! Caput rufo-piceum, subtilissime punctulatum, palpis pallidis. Antennae basi tenues, testaceae, clava 5-articulata, fusca. Thorax ut in priori constructus, saturate rufo-ferrugineus, subtilissime, uti scutellum, punctulatus. Elytra rufo-ferruginea, punctato-striata, interstitiis etiam seriatim punctatis, unde quasi confertissime punctato-striata videntur. Corpus rufo-piceum. Pedes breves, validi, rufo-testacei, femoribus crassis, subtus ad apicem dente magno armatis, tibiis subrectis, spinuloso-ciliatis.

**10. A. pusilla**: ovalis, parum convexa ferruginea, pedibus antennarumque basi testaceis, clava 5-articulata fusca, capite thoraceque laevibus, elytris subtilissime punctato-striatis, interstitiis obsolete transversim strigosis, tibiis rectis ciliato-spinulosis. (Long. circit. ½ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 271. 9.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Giebostad in insula Senjen Nordlandiae d. 22. Jul. unicum specimen inveni. (Lapponia.)

Praecedente iterum fere minor. *Anisotom. brunneae* GYLL. valde similis et affinis videtur, sed paullo longior, minus convexa, et thorace minori, pedibus paullo longioribus ac tenuioribus etc. ab illo distincta. Caput ferrugineum, laeve. Antennae basi tenues testaceae, clava sat crassa, 5-articulata, fusca. Thorax subdepressus ferrugineus, laevis. Elytra subconvexa subtiliter punctulata, interstitiis obsolete transversim substrigosis. Pedes longiores et tenuiores, quam in praecedente, testacei, femoribus simplicibus, tibiis omnino rectis, parce spinuloso-ciliatis.

**11. A. Seminulum**: globosa, lucida laevis nigro-picea, subtus rufa, elytris apice ferrugineis; stria suturali antice abbreviata, antennarum clava triarticulata, thorace amplo. (Long. ¾ lin.)

FABR. Eleut. 1. 100. 5. SCHÖNH. Syn. 1. 108. 13. GYLL. Ins. Sv. 2. 573. 16. ZETT. Fn. Lapp. 1. 271. 10. *Silpha Seminulum* LINN. Fn. Sv. 447. *Agathidium globosum* PANZ. Fn. 37. f. 13.

Hab. in truncis putrescentibus, per partem sylvaticam Lapponiae, rarissime, ad Lycksele d. 1. Jun. capta in formam globosam tacta se contrahens; *Anisotom. abdominali* multoties minor. (Lapp. Helsingia sub cortice Pini Abietis die 27. April., D. BOHEMAN-Scan. pass.)

**12. A. orbicularis**: globosa, lucida laevissima nigra, antennis clava triarticulata pedibusque rufo-piceis, elytris stria suturali nulla thorace amplo. (Long. ⅔ lin.)

DEJ. Catal. p. 69. ZETT. Fn. Lapp. 1. 272. 12. *Tetratoma orbicularis* HERBST. Col. 4. 91. 10. T. 38. f. 10. k. *Anisotoma orbiculatum* GYLL. Ins. Sv. 2. 574. 17. *Anisotoma Seminulum* SCHÖNH. Syn. 1. 108. 13. var. b.

Hab. in Lapponia passim; sub cortice Pinuum putridarum ad Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis mense Junio, ut et in fungis Betulae albae ad Alteidet et Alten Finmarkiae mens. Jul., Aug., et denique ad Lycksele Lapponiae Umensis, 31. Maj. — 3. Jun., a me lecta; praecedente duplo minor, terrefacta in globum se contrahens. (Lapp.-Scan. rar.)

**13. A. rotundata**: globosa nitida laevissima nigra, ore, antennarum basi, thoracis limbo laterali, tibiis tarsisque rufo-testaceis, corpore subtus femoribusque piceis, elytris stria suturali dimidiata. (Long. vix ⅔ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 513.

Hab. in Lapponiae Tornensis fungis rarissime, a me semel inventa. (Lapp. boreal.-Suec. rar.)

---

## FAM. 20. MELOOIDES. GYLL. (CANTHARIDIAE LATR.)

### 93. Meloë.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 259. FABR. DEJ. ERICHS.

*Corpus* magnum, grossum oblongum, molle, glabrum, apterum, elytris abbreviatis, apice dehiscentibus. Antennae thoracis longitudine, moniliformes. Thorax parvus. Scutellum absconditum. Abdomen magnum, tumidum. Pedes oleum per geniculos emittentes, compressi. *Color* nigro-caerulescens, pictura nulla. *Motu* valde segniter humi repens. *Habitatio* in apricis aridis verno tempore; per partem infimam Lapponiae. *Differentia sexus* in antennarum structura cito invenienda. (Spec. Scand. 4, genus naturale efficientes.)

**1. M. proscarabaeus**: crebre profunde rugoso-punctatus, atro-violaceus, antennis elongatis, medio subincrassatis, apice elytrisque nigris, thorace subquadrato. ♂♀. (Long. 8—10 lin.)

*Mas:* antennarum articulis mediis (6, 7) compressis, dilatatis, subconcavis.

*Fem.:* antennarum articulis mediis ceteris parum crassioribus.

LINN. Fn. Sv. 826. GYLL. Ins. Sv. 2. 482. 1 DEJ. Catal. p. 76. ZETT. Fn. Lapp. 1. 272. 1. ♂♀. BRANDT et ERICHSON Monogr. Meloës, 1831 p. 13. 1. *Meloë punctata* PANZ. Fn. 10. f. 16. ♀.

Hab. in Lapponia per partem inferiorem; Coll. D. PORTIN; mihi non obvius. Magnitudo valde variat, feminae gravidae pollicem et ultra fere longae, mares breviores. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. M. violaceus**: subtilius punctatus, totus caeruleo-violaceus, antennis longis tenuioribus, medio subcrassioribus, thorace angustiori oblongo. ♂♀. (Long. 8—10 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 483. 2. certe. ZETT. Fn. Lapp. 1. 273. 2. BRANDT et ERICHS. Monogr. Mel. 16. 2. *Meloë proscarabaeus* FABR. Eleut. 2. 587. 1. PANZ. Fn. 10. f. 12.

Hab. in Lapponia boreali rarius, e Karesuando Lapponiae Tornensis a D. GRAPE ad D. SCHÖNHERR missus, in Lapponia vero meridionali, in graminosis ad ripas fluminum ad Lycksele, Wilhelmina et usque ad StorUman, d. 16. Jun. 14. Jul. frequenter: in copula saepe visus. In alpibus Suessionensibus in regione et montana et subalpina quoque haud raro occurrit, secund. HEER. Mittheil. 1834 p. 86. Magnitudo et affinitas praecedentis, certe tamen distinctus. (Lapp.-Scan. pass.)

Obs. *Meloë brevicollis*: „nigro-violaceus, thorace brevissimo, antennis brevibus extrorsum crassioribus," in Scania frequentissimus, in Lapponia hactenus non visus.

---

### 94. Anthicus.

FABR. Syst. Eleut. 56. DEJ. *Notoxus* LATR.

*Corpus* minutum, oblongum, elytris convexiusculis, rigidis, non abbreviatis. Caput nutans. Antennae thorace paullo longiores, filiformes, extrorsum subcrassiores. Thorax subcordatus, elytris angustior. Scutellum minutissimum. *Color* testaceus, niger. *Motu* agilis pedibus cursoriis. *Habitatio* in floribus et graminosis; per partem infimam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 15.)

*Subdiv.* 1. Thorax antice in cornu porrectus.

**1. A. monoceros**: pubescens testaceus, capite thoraceque antice fuscis, elytris macula laterali, fascia postica lata suturaque in medio nigris, thoracis cornu apice rotundato, serrulato. (Long. 1¾ lin.)

FABR. Eleut. 1. 288. 1. SCHÖNH. Syn. 2. 54. 1. GYLL. Ins. Sv. 2. 490. 1. DEJ. Catal. p. 72. ZETT. Fn. Lapp. 1. 274. 1. *Attelabus monoceros* LINN. Fn. Sv. 639. *Notoxus monoceros* PANZ. Fn. 26. f. 8.

Hab. in Lapponia, D. PORTIN; mihi ibi non obvius. *Anobio striato* subaequalis. (Lappon.-Scan. freq.)

*Subdiv.* 2. Thorax muticus.

**2. A. antherinus**: tenuiter pubescens, crebre punctulatus niger, elytris fasciis duabus ferrugineis obliquis irregularibus, tibiis tarsisque fusco-testaceis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

FABR. Eleut. 1. 291. 13. SCHÖNH. Syn. 2. 56. 20. GYLL. Ins. Sv. 2. 492. 3. DEJ. Catal. p. 72. ZETT. Fn. Lapp. 1. 274. 2. ♂♀. *Meloë antherinus* LINN. Fn. Sv. 829.

Hab. in Lapponiae sylvaticae floribus, rarissime; priori duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. A. sellatus**: tenuiter griseo-pubescens crebre punctulatus opacus niger, antennis pedibusque rufo-testaceis, fascia media lata nigra. (Long. 1⅛ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 493. 4. SCHÖNH. Syn. 2. 57. 21.

Hab. in Lapponia D. BOHEMAN. (Lappon.-Ostrog. pass.)

**4. A. ater**: glabriusculus subnitidus niger totus, tarsis piceis, thorace convexo subtiliter punctulato, elytris profunde punctatis. (Long. 1⅓ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 56. 15. GYLL. Ins. Sv. 2. 494. 5. DEJ. Catal. p. 72. ZETT. Fn. Lapp. 1. 274. 3. *Notoxus ater* PANZ. Fn. 31. f. 15.

Hab. in Lapponia, D. D. Magist. SANMARK et DAMMERT, teste D. Prof. SAHLBERG; a me in Lapponia meridionali sub lapidibus locis aridis cultis ad Lycksele 31. Maj. — 10.

Aug., inventus. Priori vix major. (Lapp.-Scan. ad littora maris freq.)

**5. A. floralis**: glabriusculus subtilissime punctulatus nitidus nigro-brunneus, thorace, elytrorum basi pedibusque ferrugineis. (Long. 1 lin.)

Fabr. Eleut. 1. 291. 15. Schönh. Syn. 2. 57. 25. Gyll. Ins. Sv. 2. 495. 6. Dej. Catal. p. 72. Zett. Fn. Lapp. 1. 274. 4. *Notoxus floralis* Panz. Fn. 23. f. 4. (*Meloë floralis* Linn. Fn. Sv. 830. an hujus varietas?)

Hab. in graminosis Lapponiae rarissime. Praecedente paullo minor, brevior. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. A. rufipes**: tenuiter pubescens confertissime punctulatus subopacus niger, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace convexo. (Long. ¾ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 497. 7. Schönh. Syn. 2. 58. 30.

Hab. in ripis arenosis fluminis Umensis ad Lycksele d. 14—16. Jun. freq., alibi rarius. (Lapp. meridional.-Scan. freq.)

**7. A. nigrinus**: tenuiter pubescens confertissime punctatus parum nitidus obscure rufus, antennis, palpis pedibusque dilutioribus, elytris nigris, macula antica utrinque humerali ferruginea. (Long. 1¼ lin.)

Sub nomine: *Anth. nigrinus* Gyll. *A. instabilis* Dej. ♀. a D. Boheman 1832 mihi communicatus.

Hab. in Lapponia Norvegica D. Boheman. (Lappon.)

---

## FAM. 21. PYROCHROIDES. Latr. Gyll.

### 95. Calopus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 251. Fabr. Schönh. Gyll. Dej.

*Corpus* mediae magnitudinis, lineari-elongatum, angustum, punctatissimum, pubescens. Antennae longae, filiformes. Oculi lunati. Thorax elongato-subquadratus. Pedes graciles, femoribus compressis. *Color* fuscus, subaeneus. *Motus* tardus. *Habitatio* in ligno antiquo, et sub cortice arborum frondiferarum, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in antennarum anique structura quaerenda. (Spec. Scand. 2. Faunae Lapponicae communes.)

**1. C. serraticornis**: fusco-testaceus, capite obscuriori, thoracis lateribus immarginatis, elytris obsolete trilineatis, antennis elongatis, serratis, tarsorum articulo ultimo bilobo. ♂♀. (Long. 6—7 lin.)

*Mas*: antennis longitudine fere corporis, sat profunde serratis; abdominis segmento ventrali ultimo emarginato.

*Fem.*: antennis corpore brevioribus parum serratis, extrorsum simplicibus; abdominis segmento ventrali ultimo integro.

Fabr. Eleut. 2. 312. 1. Panz. Fn. 3. f. 15. Schönh. Syn. 3. 410. 1. Gyll. Ins. Sv. 2. 511. 1. Dej. Catal. p. 72. Zett. Fn. Lapp. 1. 275. 1. ♂♀. Sahlb. Ins. Fenn. 446. 1. *Cerambyx serraticornis* Linn. Fn. Sv. 665. ♂.

Hab. in ligno antiquo Lapponiae rarius, jam mense Majo inventus; in Botnia occidentali frequentius, ibique in Juniperetis saepe visus. Longitudo fere et color *Callidii rustici*, sed multo angustior. (Lapp.-Ostrogoth. rar.)

**2. C. aeneus**: subnitidus fusco-aeneus, subtus niger, thoracis margine acuto, elytris inaequalibus, antennis mediocribus tarsorumque articulo ultimo simplicibus. ♂♀. (Long. 5 lin.)

*Mas*: abdominis segmento ventrali ultimo late, sed parum profunde emarginato.

*Fem.*: segmento eodem integro.

Gyll. Ins. Sv. 2. 513. 2. Schönh. Syn. 3. 411. 2. Zett. Fn. Lapp. 1. 276. 2. ♂♀. Sahlb. Ins. Fenn. 446. 2. *Dryops aenea* Payk. Fn. 2. 152. 1. Dej. Catal. p. 71. *Helops fennicus* Ahrens. Fn. Europ. Fascic. 11. Tab. 13. (fig. non bene colorata.)

Hab. sub cortice arborum emortuarum, praesertim Betulae in Lapponia boreali rarius; ad Muonioniska D. Kolström, ad Karesuando ipse; in Lapponia meridionali sub cortice Betulae ad Tafvelsjö prope Lycksele non nisi specimen mortuum masculum d. 27. Maj. inveni. Priori plerumque dimidio minor. Antennae vix dimidio corpore longiores, tenues. (Lapp.-Finland. rar.)

---

### 96. Pyrochroa.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 252. Fabr. Dej.

*Corpus* mediae l. minoris magnitudinis, oblongum, depressum, posterius dilatatum. Antennae capite thoraceque paullo longiores, filiformes, pectinatae. Caput nutans. Oculi reniformes. Thorax suborbiculatus. Pedes validiusculi. *Color* niger, rufus, nitidus. *Motu* tarda, saepe volans. *Habitatio* in sylvaticis; per partem inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in antennarum anique structura mox detegenda. (Spec. Scand. 3.)

**1. P. pectinicornis**: atra, elytris, thoracisque dorso rufo-testaceis, hoc macula centrali nigro-fusca. ♂♀. (Long. 3¼ lin.)

*Mas*: antennis longius pectinatis, radiis 8, angustis filiformibus; abdominis segmento ventrali ultimo in medio impresso, subemarginato

*Fem.*: antennis brevibus, acute serratis, segmento ventrali ultimo integro.

Fabr. Eleut. 2. 109. 4. ♂. Panz. Fn. 13. f. 12. Gyll. Ins. Sv. 2. 507. 3. Dej. Catal. p. 72. Zett. Fn. Lapp. 1. 277. 1. ♂♀. *Cantharis pectinicornis* Linn. Fn. Sv. 715. ♂.

Hab. in sylvis betulinis Finmarkiae Norvegicae mens. Jul. Aug. passim; in Gamstenstind et alpibus adjacentibus ad Alteidet pluries a me lecta; in Lapponia Suecica meridionali non nisi ad Lycksele et Barrsele ♀ 15. Jun. — 1. Jul. rar. inveni. Media, *Donacia sericea* subaequalis magnitudine, magis depressa. (Lapp.-Scan. rar.)

Obs. *Pyr. coccinea*: atra, elytris thoracisque dorso immaculato sanguineis, triplo major, in Scaniae sylvis passim, nec non in regione montana alpium Suessionensium haud rar. occurrit, teste Heer.; et *Pyr. rubens*: atra, capite, thorace elytrisque rufo-sanguineis, duplo major, in Finlandiae pratis rarissime, in Lapponia vix occurrunt.

---

### 97. Pytho.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 246.*) Fabr. Dej.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum, valde depressum, posterius dilatatum, glabrum. Antennae arcuatae, filiformes, apice moniliformes. Caput exsertum. Thorax orbiculato-cordatus, immarginatus. *Color* caeruleus, testaceus, inconstans, nitidus. *Motus* valde segnis. *Habitatio* sub cortice arborum emortuarum; per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae. *Differentia sexus* externa nulla. (Spec. Scand. 1.)

**1. P. depressus**: subtiliter punctulatus, thorace rotundato-cordato, foveis duabus lunulatis, elytris sulcis abbreviatis punctulatis, colore corporis vario. (Long. 4½ lin.)

Var. a. niger, ore, antennis, tibiis tarsisque testaceis, elytris violaceo-caeruleis.

Gyll. Ins. Sv. 2. 509. 1. a. Dej. Catal. p. 70. Zett. Fn. Lapp. 1. 278. 1. a. Schönh. Syn. 3. 55. 1. Sahlb. Ins. Fenn. 443. 1. a. *Tenebrio depressus* Linn. Syst. Nat. 2. 675. 11. *Pytho festivus* Fabr. Eleut. 2. 96. 2.

Var. b. similis var. a. abdomine rufo-testaceo.

Zett. et Gyll. l. c. var. b. *Pytho caeruleus* Fabr. Eleut. 2. 95. 1. Panz. Fn.. 95. f. 2.

Var. c. rufo-testaceus, capite, thoracis disco pectoreque nigro-piceis, elytris plaga magna postica communi violaceo-caerulescente.

Gyll. l. c. var. d. Zett. l. c. var. c.

Var. d. niger, ore, antennis, pedibus (aut totis aut tibiis tarsisque) abdominisque margine anoque testaceis, elytris castaneis, violaceo-micantibus, margine postico magis vel minus caerulescente.

Gyll. l. c. var. c. Zett. l. c. var. d. *Pytho castaneus* Fabr. Eleut. 2. 96. 3. Panz. Fn. 95. f. 3.

Var. e. similis var. d. thoracis lateribus testaceis.

Gyll. l. c. 3. Add. 706. var. f. Zett. l. c. var. e.

Var. f. similis etiam var. d. dilutior, thorace toto abdomineque testaceis, pectore piceo.

Zett. l. c. var. f. Sahlb. l. c. var. g.

Hab. sub cortice arborum detruncatarum, mens. Majo et Aug. per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae vulgaris, ibique passim, ex. gr. in sylvis frondosis Pini et Abietis ad Lycksele, Stensele et Umenaes, nec non ad Wittangi et Juckasjervi sat copiose. Varietates a., b. et f. tamen rarius occurrunt, et varietas c. Gyllenhali in Lapponia mihi nunquam obvia. Supra Wackokoski (limitem Abietis Lapp.

*) In Familia *Helopiorum*.

Tornensis) et Karesuando vix versus alpes longius procedit, nec in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque a me unquam visus. (Lapp.-Smoland. rar.)

In omnibus varietatibus magnitudo valde variat. *Elat. lineari* plerumque parum brevior, sed multo latior, praesertim postice, *Elat. aeneo* subaequalis. Specimina sub cortice Betulae albae in Smolandia et Gothlandia a me lecta, colore varietati a. et b. simillima, sed a Lapponicis differre videntur capite thoraceque paullo fortius punctatis elytrorumque sulcis sublatioribus, crebrius et magis irregulariter punctulatis, nec oleum resinaceum exsudant, quale sub cortice Pini collecta exemplaria post plurium annorum exsiccationem adhuc fere fluidum servant

## FAM. 22. CUCUJIPES. Latr. Gyll.

*Xylophagi.* Dej. *)

### 98. Cucujus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 306. Fabr. Dej.

*Corpus* minutum, elongatum, subaeque latum, valde depressum, subtiliter punctulatum, glabrum. Antennae thorace saepius longiores, 11-articulatae, submoniliformes. Palpi 4 subaequales, articulo ultimo obconico, apice truncato. *Color* niger, subferrugineus. *Motus* tardus. *Habitatio* in truncis, in fungis et sub cortice arborum; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in structura antennarum et articulatione tarsorum interdum quaerenda. (Spec. Scand. 6.)

**1. C. Dermestoides**: opacus fusco-ferrugineus, pedibus testaceis, thorace subtransverso in medio latiori, supra bifoveolato, lateribus utrinque quadridenticulato, scutello brevissimo transverso. ♂♀.

*Mas:* tarsis posticis tantum quadriarticulatis (teste Gyllenh.).
*Fem.:* tarsis omnibus quinquearticulatis.

Fabr. Eleut. 2. 94. 12.? Panz. Fn. 3. f. 13. Gyll. Ins. Sv. 2. Add. p. VIII. 2. certe. Zett. Fn. Lapp. 1. 280. 1. ♂♀.

Hab. sub lapidibus in truncis arborum et parietibus ligneis, in Lapponia boreali rarius; ad Bossekop Finmarkiae d. 8. Aug. a me captus; sed in Lapponiis meridionalibus, ex. gr. ad Stensele, Wilhelmina et Tresunda 4—21. Jul. paullo frequentius mihi obvius. (Lapp.-Smoland. pass.)

*Lebia lineari* saepe minor, *Harpal. meridionali* subaequalis. — Synonymon Fabricii a D. Dejean in dubium sistitur — *Cuc. depressus:* niger, capite, thoracis dorso elytrisque rufis; *Lyco aurorae* magnitudine et colore subaequalis, in Finlandia captus, in Lapponia a me frustra quaesitus.

**2. C. muticus**: nitidus niger, antennis pedibusque fusco-piceis, thorace subquadrato, antice sublatiori, intra marginem utrinque unistriato, lateribus mutico, elytris substriatis.

Fabr. Eleut. 2. 94. 13.? Payk. Fn. 2. 169. 6. certe. Panz. Fn. 94. f. 3. Gyll. Ins. Sv. 2. Add. p. 10. 3. Zett. Fn. Lapp. 1. 280. 2. Schönh. Syn. 3. 54. 12. *Cuc. pusillus* Dej. Catal. p. 104.

Hab. sub cortice arborum emortuarum praesertim Betulae in Lapponia boreali mens. Maj. Junio rarissime, sub cortice Betulae in Lapponia meridionali ad Dagersors, Tafvelsjö et Lycksele verno tempore tamen passim obvius, in fungo putrido Betulae albae ad Naetra Ångermanniae jam die 30. April a me copiose lectus. Parvus, praecedenti brevior, sed non angustior. (Lapp.-Blekingia pass.).

**3 C. testaceus**: subtilissime punctulatus nitidus rufo-testaceus immaculatus, thorace subquadrato immarginato mutico, obsolete bistriato, elytris substriatis.

Gyll. Ins. Sv. P. 2. Add. p. 12. Schönh. Syn. 3. 55. 17. Sahlb. Ins. Fenn. 106. 4.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in trunco decorticato, resinoso Pini vivae ad Lycksele d. 6. Jun. semel inventus. (Lapp.-Finlandia-Suec. infer. rar.)

Statura *Cuc. mutici*, sed triplo minor.

*) Inter Tetramera. Secundum Gyllenhal species quaedam Cucuji generis gaudent tarsis omnibus quinque articulatis, aliae in altero sexu posticis tantum quadriarticulatis, unde Familiam anomalam ob magnam habitu et victu cum Pythone in Familia antecedenti convenientiam, hic inserere aptum putavi.



### 99. Dendrophagus.

Gyll. Ins. Sv. 2. Add. p. XIV. Schönh. Dej. *Cucujus* Fabr.

*Corpus* parvum, elongato-lineare, valde depressum, punctatum, glabrum. Antennae filiformes, longitudine fere corporis. Palpi 4 inaequales, antici in medio crassiores, articulo ultimo subacuminato; postici brevissimi clavati. *Color* piceus, testaceus. *Motus* tardus. *Habitatio* sub cortice arborum emortuarum, unde forma insigniter deplanata; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in externis nulla. (Spec. Scand. 1.)

**1. D. crenatus**: subnitidus nigro-piceus, ore, antennis pedibusque rufo-testaceis, elytris brunneis crenato-striatis, thorace lateribus sinuato, dorso fovea sat profunda per carinulam mediam subelevatam divisa. ♂♀.

Var. a. elytris obscure brunneis.

Schönh. Act. Holm. 1809. 51. Syn. 3. 58. 1. Gyll. l. c. 1. Dej. Catal. p. 104. Ahrens. Fn. Europ. Fasc. 6. f. 7. Zett. Fn. Lapp. 1. 281. 1. a. ♂♀. Sahlb. Ins. Fenn. 107. *Cucujus sulcatus* Fabr. Eleut. 2. 93. 5.

Var. b. elytris pallidioribus, brunneo-testaceis, thoracis margine antico et postico saepe rufo-piceis.

Zett. l. c. var. b.

Hab. sub cortice arborum emortuarum et putridarum, praesertim Pini sylvestris, uti etiam aliquando Betulae albae, mense Junio, in Botnia boreali et Lapponia per partem sylvaticam haud infrequens, in copula captus Supra Juckasjervi sensim evanescit, et ab alpibus atque inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque forsitan omnino exsul. In Lapponia meridionali ad Lycksele et in Stöttingsfjellet utraque varietas 1. Jun.—31. Jul. capta. *Cucuj. Dermestoide* duplo major, praesertim longior. (Lapp.-Blekingia pass.)

## FAM. 23. HELOPII. Latr. Gyll.*)

### 100. Mycetocharis.**)

Gyll. Ins. Sv. 2. 541. et 4. 510. Dej. *Cistela* Fabr. *Helops* Latr.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum parum convexum, subpubescens. Antennae thorace parum longiores, filiformes. Palpi antici securiformes, postici clavati, truncati. Caput breve. Thorax transversus. Pedes longiusculi. *Color* niger, artibus testaceis. *Motus* agilis. *Habitatio* larvarum et imaginum in lignis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 6.)

**1.* M. axillaris**: nigro-picea, subtus dilutior, ore, antennis pedibusque rufo-testaceis, elytris crenato-striatis, lineola humerali testacea, thorace transverso, subdepresso rugoso-punctato, basi utrinque foveolato. (Long. 3 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 542. 2. Dej. Catal. p. 71. Zett. Fn. Lapp. 1. 282. 1. *Cistela axillaris* Schönh. Syn. 2. 336. 17. (exclus. Syn. Herbst.)

Hab. in ligno antiquo Lapponiae rarissime. (Lapponia, Botnia, Finlandia, Scania rariss.)

*Cistela sulphurea* parum brevior, sed augustior, magis depressa. — Etiam in trunco subcarioso Salicis ad Lund Scaniae mens. Aug. anno 1822 inveni individuum vivum hujus ipsius speciei, tantum ut Finlandiae Botniaeque incolae hactenus cognitae.

**2. M. obscura**: supra undique punctata, tota nigra, antennis pedibusque obscure ferrugineis, tibiis tarsisque dilutioribus, elytris punctato-striatis, thoracis margine postico distincte depresso. (Long $1\frac{3}{4}$ lin.)

Hab. in Lapp. Umensi rarissime; in trunco carioso ad Stensele d. 4. Jul. 1832 semel a me lecta. (Lapp. merid.)

Affinis *M. brevi*, forte paullo longior, thorace magis depresso, praesertim postice, ubi etiam latiori et vix sinuato, pedibus, inprimis femoribus obscurioribus, etc. distincta. Palpi obscuri.

**3. M. flavipes**: lineari-elongata nigra, ore, antennis, pedibus, pectore abdomineque antice, flavo-testaceis, elytris profunde punctato-striatis, macula humerali flava. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 2. 546. 6. Schönh. Syn. 2. 336. 18.

Hab. in fungis arboreis et praecipue truncis cariosis Betu-

*) Huic Familiae associantur genera *Melandrya* et *Helops*, Faunae Lapponicae ignota.

**) Mutationis nominis *Mycethophilae* in *Mycetocharis* rationem videas in Gyll. Ins. Sv. 4. App. 510.

lae, in Lapponia Umensi passim rar.; ad Wilhelmina et Naestansjö a me capta. (Lapp. meridion.-Scan. pass.)

## 101. Serropalpus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 243. GYLL. DEJ. *Dircaea* FABR.

*Corpus* mediae magnitudinis, valde elongatum, subcylindricum, posterius angustatum, tenuissime pubescens. Antennae longitudine fere dimidii corporis, filiformes, tenues. Palpi antici maximi, subtus profunde incisi, articulo ultimo patelliforme; postici minuti, articulo ultimo truncato. Caput deflexum. Thorax subquadratus. Pedes graciles. *Color* fuscus, subopacus. *Motus* celer? *Habitatio* in lignis siccis Abietis; per partem inferiorem Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 1.)

**1. S. barbatus:** subtilissime rugoso-punctatus, sericeo-pubescens, fusco-brunneus, palpis, antennis, pectore pedibusque obscure testaceis, elytris obsolete striatis, posterius attenuatis, thoracis margine acuto, carinato. (Long. 3—6 lin.)
DEJ. Catal. p 70. ZETT. Fn. Lapp. 1. 283. 1. *Serropalpus striatus* PAYK. Fn. Sv. 2. 163. 1. GYLL. Ins. Sv. 2. 515. 1. SAHLB. Ins. Fenn. 447. 1. SCHÖNH. Syn. 3. 47. 1.
Hab. in Lapponia Collect. D. KOLSTRÖM, mihi non obvius. Variat magnitudine ab *Elateris fulvipedis* usque ad triplo minorem. (Lapponia; Finlandia; Westrogothia rar.)

## 102. Dircaea.

FABR. Eleut. 113. GYLL. DEJ. *Xylita* PAYK.

*Corpus* mediae l. minoris magnitudinis, oblongum, convexum. Antennae thorace vix longiores, arcuatae, extrorsum paullo crassiores. Thorax elytrorum latitudine. Tarsorum articulus penultimus parvus, bilobus. *Color* fuscus, ferrugineus. *Motus* celerrimus (minime ut FABRICIUS dicit, tardus). *Habitatio* in truncis et lignis antiquis; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 9.)

**1. D. discolor:** creberrime punctulata pubescens, fusco-picea, antennarum basi, tibiis tarsisque fusco-testaceis, palpis anticis securiformibus. (2—4 lin. long.)
FABR. Eleut. 1. 89. 2. PANZ. Fn 97. f. 6. DEJ. Catal. p. 69. ZETT. Fn. Lapp. 1. 284. 1. *Dircaea laevigata* GYLL. Ins. Sv. 2. 517. 1.
Hab. sub cortice arborum emortuarum Pini et Abietis, ut et in truncis cariosis Betulae albae mens. Majo — Aug., in Lapponia boreali et meridionali per partem sylvaticam, subsylvaticam et subalpinam usque ad Torneåträsk frequens, in Finmarkia Norvegica ad Alten et in Skaaddavaara quoque haud parce inveni. (Lapp.-Helsingia April.-Ostrog. pass.)
Magnitudo et statura fere *Elateris obscuri* GYLL. Color imprimis elytrorum et pedum variat jam fusco-testaceus.

**2. D. ferruginea:** profunde punctata subvillosa obscure ferruginea, elytris saturatioribus, disco interiori punctato-substriatis, thorace brevi, postice transversim impresso, foveolato, palpis anticis securiformibus. (Long. 2 lin.)
GYLL. Ins. Sv. 2. 521. 4. DEJ. Catal. p. 69. ZETT. Fn. Lapp. 1. 284. 2.
Hab. in truncis et sub cortice Pini sylvestris in Lapponia boreali rarius, ad Juckasjervi mense Junio a me lecta; sed ad Lycksele Lapp. meridionalis 1 — 4. Jun. paullo frequentius. Priori paullo minor, brevior. (Lapponia; Finlandia; Westrogothia rar.)

**3. D. 3-fasciata:** punctulata tenuiter pubescens rufo-ferruginea, pectore piceo, elytris sutura, fasciis duabus apiceque nigris. (Long. fere $1\frac{1}{4}$ lin.)
Hab. in Lapponiae meridionalis inferalpinis, ex. gr. ad Naes, D. BOHEMAN. (Lapponia Norvegica.)
Affinis *D. 3-guttatae*, sed multo major, aliter colorata etc. Antennae in medio fuscae. Thorax substrigulosus (an in specimine laeso?). Elytra ferruginea fasciis 2 integris, antica ramulum in singulo elytro versus thoracem emitteute, postica parallela, macula postica apicem totum occupante, suturaque tota angusta, nigris.

## 103. Orchesia.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 245. DEJ. *Dircaea* FABR. *Hallomenus* GYLL. PAYK.

*Corpus* parvum, elongatum convexum, posterius attenuatum. Antennae subclavatae. Palpi antici subsecuriformes. Tibiae posticae apice longe spinosae. *Color* fusco-piceus, subtestaceus. *Motus* velocissimus. *Habitatio* in fungis arboreis; per partem sylvaticam, subsylvaticam et subalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 2. *Dircaeae* valde affines.)

**1. O. micans:** subtiliter rugoso-punctulata, pubescens fusco-picea, subtus ferruginea, antennarum basi pedibusque testaceo-rufis. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.)
Var. a. antennis extrorsum distincte crassioribus, subclavatis.
LATR. l. c. 2. 195. 1. DEJ. Catal. p. 69. ZETT. Fn. L. 1. 285. 1. a. SCHÖNH. Syn. 3. 54. 1. *Dircaea micans* FABR. Eleut. 2. 91. 11. *Hallomenus micans* PANZ. Fn. 16. f. 18. GYLL. Ins. Sv. 2. 532. 6. SAHLB. Ins. Fenn. 453. 6.
Var. b. minor, obscurior, subtus scilicet fusco-picea, antennis extrorsum minus incrassatis; an alter sexus?
ZETT. Fn. Lapp. 1. 285. 1. b.
Hab. in fungis Betulae albae, in Finmarkia passim; ad Alteidet ut et in alpinis inter Alten et Kautokeino mens. Jul. — Aug. et larva et imago sat frequenter a me visae. Varietas b., cum varietate a parce, nec non in fungo Betulae ad radicem jugi alpini Tornensis, latere Norvegico, rarissime lecta. Variat magnitudo, *Mordella frontali* saepius major ocissime saltitans. (Lapp.-Scan. var. a. rar.)

**2. O. fasciata:** subtiliter punctulata pubescens fusco-ferruginea, antennarum medio, thoracis postico pectoreque obscurioribus, elytris rufo-testaceis, fasciis duabus irregularibus, apiceque nigris.
DEJ. Catal. p. 69. ZETT. Fn. Lapp. 1. 285. 2. SCHÖNH. Syn. 3. 52. 2. *Hallomenus fasciatus* GYLL. Ins. Sv. 2. 331. 5. SAHLB. Ins. Fenn. 453. 5.
Hab. in fungis betulinis Lapponiae rarissime; in Botnia passim. Magnitudo et statura praecedentis. (Lapp.-Westrogothia rar.)

## 104. Hallomenus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 244. PAYK. GYLL. DEJ. *Dircaea* FABR.

*Corpus* parvum, elongatum, convexum, posterius subattenuatum. Antennae filiformes. Palporum anticorum articulus ultimus ovatus compressus, subacuminatus. Tibiae posticae muticae. *Color* rufo-testaceus, obscurus. *Motus* celerrimus, saltitans. *Habitatio* in fungis arboreis tota vita; in Lapponia praesertim per partem littoralem Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 4.)

**1. H. flexuosus:** subtilissime punctulatus sericeo-pubescens rufo-testaceus, vertice piceo, antennarum thoracisque medio, elytrorum fasciis duabus flexuosis, pectore abdomineque nigris. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)
GYLL. Ins. Sv. 2. 529. 4. DEJ. Catal. p. 69. SCHÖNH. Syn. 3. 51. 5. ZETT. Fn. Lapp. 1. 286. 1. SAHLB. Ins. Fenn. 452. 4. *Hallomen. undatus* PANZ. Fn. 68. f. 23.
Hab. in fungis betulinis, in Nordlandia et Finmarkia passim; ad Giebostad et Alteidet mense Julio a me frequenter visus, sed in Lapponia Suecica hanc speciem non nisi in Lapponia meridionali ad Naestansjö, Tresunda et in Stoettingsfjellet, passim inveni. Magnitudo *Mordellae frontalis*. Citissime salit et aufugit, uti sequentes hujus generis, quae a genere praecedente habitu et victu parum discrepant, notis vero essentialibus diversae, *Mordellae* generi sat appropinquae. (Lapp.-Scan. rar.)

**2. H. fuscus:** rugoso-punctulatus pubescens fusco-piceus, ore, antennis, pedibus elytrorumque limbo testaceis. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)
GYLL. Ins. Sv. 2. 528. 2. DEJ. Catal. p. 69. SCHÖNH. Syn. 3. 51. 2. ZETT. Fn. Lapp. 1. 286. 2. var. a. SAHLB. Ins. Fenn. 451. 2. a.
Var. b. toto corpore pallidiore.
ZETT. et GYLL. l. c. var. b.
Hab. in Lapponiae fungis arboreis rarius. (Lapp.-Ostrogoth. freq.)
Praecedente plerumque paullo major. — Affinis *Hallom. humeralis*, hic vero „rufo-testaceus, subtilissime rugoso-punctulatus, thora

cis lineis duabus nigris, elytris obsolete striatis fuscis, basi pallidis," in Suecia haud infrequenter, in Lapponia vix occurrit.

**3. H. affinis:** laeviusculus tenuissime sericeo-pubescens testaceus, vertice thoracisque disco late fuscis, pectore rufo-ferrugineo. (Long. 1¼ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 2. 529. 3. DEJ. Catal. p. 69. SCHÖNH. Syn. 3. 51. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 287. 3.

Hab. in fungis Betulae albae Lapponiae rarius; ad Alteidet Finmarkiae tamen plura specimina d. 31. Jul. legi. Priori duplo minor. (Lapp.-Westrogoth. rar.)

---

## FAM. 17. MORDELLARIAE (MORDELLONAE LATR.)

### 105. Mordella.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 254. FABR. DEJ.

*Corpus* parvum, fornicatum, gibbum, oblongum, postice attenuatum (ano aculeato), holosericeo-pubescens. *Antennae* longitudine thoracis, filiformes, subserratae. *Thorax* postice sublobatus. *Tarsi* simplices. *Motus* celerrimus, gyrans. *Color* niger, parum testaceus. *Habitatio* in floribus. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 11.)

**1. M. aculeata:** nigra immaculata, antennis medio distincte serratis, thorace brevi transverso, elytris attenuatis, aculeo ani elongato. (Long. 1¾ lin.)

LINN. Fn. Sv. 832. FABR. Eleut. 2. 121. 1. GYLL. Ins. Sv. 2. 604. 1. DEJ. Catal. p. 73. SCHÖNH. Syn. 3. 82. 2. ZETT. Fn. Lapp. 1. 287. 1.

Hab. in Lapponia secundum Collectiones boreales; mihi ibi non obvia. *Anasp. frontali* duplo plerumque major, latior, robustior. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. M. atomaria:** breviuscula laevis nigra, elytris crebre albido-guttatis, antennis extrorsum incrassatis, serratis, aculeo ani brevissimo. (Long. 1½ lin.)

FABR. Eleut. 2. 123. 12. DEJ. Catal. p. 73. SCHÖNH. Syn. 3. 85. 16. ZETT. Fn. Lapp. 1. 288. 2. *Mordella maculosa* NAEZÉN. Act. Holm. 1794. p. 273. T. 9. f. 6. *Mordella guttata* GYLL. Ins. Sv. 2. 607. 4. SAHLB. Ins. Fenn. 486. 5.

Hab. in floribus et truncis arborum Lapponiae rarissime, in Botnia occidentali passim. Priori saepius minor, brevior, obtusior. (Lapp.-Ostrogoth. rar.)

---

### 106. Anaspis.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 255. DEJ. *Mordella* FABR.

*Corpus* minutum, elongatum, parum gibbum, postice minus attenuatum (ano mutico), pubescens. *Antennae* thorace paullo longiores, subfiliformes, extrorsum paullo sensim subcrassiores. *Thorax* margine postico subrecto. *Tarsorum* anteriorum articulus penultimus bilobus. *Color* niger, testaceus. *Motus, habitatio, victus* et *habitus Mordellae*. *Differentia sexus* in plerisque ignota. (Spec. Scand. 7.)

**1. A. frontalis:** nigra, antennarum basi palpisque flavescentibus, capitis pedumque colore variante, antennis extrorsum crassioribus, articulis brevibus nodosis, ultimo majori, ovato, subobtuso. ♂♀. (Long. 1½ lin.)

Var. a. ♂♀ ore, labro pedibusque anticis flavescentibus.

*Mas.*: frontis margine antico latius et determinate flavo-testaceo. *Fem.*: frontis margine antico angustius et indeterminate rufo-piceo; in copula.

LATR. l. c. 2. p. 210. 1. DEJ. Catal. p. 73 SCHÖNH. Syn. 3. 87. 1. ZETT. Fn. Lapp. 1. 288. 1. a. ♂♀. *Mordella frontalis* LINN. Fn. Sv. 834. ♂. FABR. Eleut. 2. 125. 24. ♂. PANZ. Fn. 13. f. 13. ♂. GYLL. Ins. Sv. 2. 614. 11. ♂♀. SAHLB. Ins. Fenn. 489. 11. ♂♀. a.

Var. b. Magnitudo var. a., ore pedibusque piceis.

ZETT. l. c. var. b.

Var. c. ♂♀. duplo minor varietatibus a. et b., ore, labro pedibusque anterioribus flavescentibus; sexus ut in varietate a dignoscitur. — ZETT. l. c. var. c. ♂♀.

Ob antennarum structuram similem has omnes ut varietates tantum unius ejusdemque speciei consideravi, colore et magnitudine paullo discrepantes.

Hab. in Lapponia mens. Jul. — Aug. rarius; var. a. rarissime, var. b. in floribus Sorbi ad Alteidet Finmarkiae, var. c. ad Johannis Ro Botniae borealis, ad Kihlangi et Karesuando Lapponiae Tornensis nec non ad Lycksele versus autumnum, a me lectae. *Mordella aculeata* duplo minor. (Lapp.-Scan. var. a.)

**2. A. rufilabris:** elongata nigra fusco-pubescens, ore antennarumque basi fusco-testaceis, pedibus fusco-piceis, antennis longioribus submoniliformibus. (Long. 1¼ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 521. SAHLB. Ins. Fenn. 489. 12. *Anasp. frontalis* ZETT. Fn. Lapp. 1. 288. 1. var. d.

Hab. in Lapponia passim, ad lacum Wojmsjoen, ad colonias Tresunda et Umenaes d. 7—12. Jul. 1832, nec non in insulis Nordlandiae Senjen et Schiervoe, 22—28. Jul. 1821, a me lecta. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. A. thoracica:** nigra, capite, antennarum basi, thorace pedibusque anterioribus flavo-testaceis, antennis extrorsum subcrassioribus, articulis brevibus, apice truncatis, ultimo majori oblongo, parum acuminato. (Long. 1 lin.)

DEJ. Catal. p. 74. SCHÖNH. Syn. 3. 88. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 289 2. *Mordella thoracica* LINN. Fn. Sv. 835. FABR. Eleut. 2. 126. 26. GYLL. Ins. Sv. 2. 616. 13. SAHLB. Ins. Fenn. 419. 14.

Hab. in floribus Lapponiae borealis rarissime, at in Lapponia meridionali ad Withelmina et in Brattiksfjell 8—20. Jul. passim vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

Minoribus individuis praecedentis plerumque aequalis magnitudine. *Anasp thoracicam* et *An. flavam* (no. 6. infra), priorem ut ♂, et posteriorem ut ♀, copulatas semel in Gottlandia inveni; structura tamen antennarum dissimilis diversas prodit species.

**4. A. lateralis:** nigra, ore, fronte antica, antennarum basi, thoracis limbo laterali pedibusque anterioribus testaceis, antennis extrorsum subcrassioribus, articulis paullo elongatis, subcyathiformibus, ultimo ovato obtuso. (Long. 1¼ lin.)

SCHÖNH. Syn. 3. 88. 1. ZETT. Fn. Lapp. 1. 290. 3. *Mordella lateralis* FABR. Eleut. 2. 125. 23. GYLL. Ins. Sv. 2. 616. 12. SAHLB. Ins. Fenn. 490. 13.

Hab. in floribus Lapponiae per partem infimam mitiorem rarius; ad Stensele d. 3. Jul., etiam in Botnia boreali ad Torneå passim. Prioribus paullo minor. (Lapp.-Ostrogoth. Gottlandia rar.)

**5. A. ruficeps:** nigra, ore, fronte antica, antennarum basi pedibusque anterioribus testaceis, vertice ferrugineo, thorace fusco-piceo, antennis extrorsum subcrassioribus, articulis elongatis, subcyathiformibus, ultimo ovato obtuso. (Long. 1½ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 290. 4.

Hab. in floribus Sorbi Aucupariae; ad Alteidet Finmarkiae d. 30. Jul. unicum individuum inveni. (Lapponia.)

*Anasp. frontali* affinis, et majoribus ejus individuis magnitudine aequalis, sed differt capitis thoracisque colore alio, at praeprimis antennarum structura diversa, articulis exterioribus scilicet paullo elongatis, subcyathiformibus, nec ut in *A. frontali* nodosis, unde etiam sequenti affinis; an ejus varietas obscurior? Tota omnium subtilissime punctulata, subpubescens. Caput ferrugineum, ore et fronte antica testaceis; antennae extrorsum subcrassiores nigrae, basi flavae. Thorax fusco-piceus, margine antico indeterminate fusco-ferrugineo. Elytra nigra. Pectus et abdomen atra. Pedes anteriores flavo-testacei, tarsis obscurioribus, postici fusco-picei.

**6. A. arctica:** testacea, antennis extrorsum, pectore abdomineque nigris, elytris fuscis basi indeterminate testaceis, antennis extrorsum subcrassioribus, articulis elongatis subcyathiformibus, ultimo ovali obtuso. (Long. 1½ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 290. 5. a. SAHLB. Ins. Fenn. 491. 16. certe.

Var. b. rufo-testacea, antennis extrorsum, pectore abdomineque nigris, elytris nigricantibus, basi angustius indeterminate testaceis. Var. a. similis, paullo obscurior.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 290. 5. b.

Var. c. sim. var. a. sed elytris flavis, apice tantum summo nigris.

Hab. in floribus Achilleae Millefolii et Sorbi Aucupariae var. a. et b. ad Alteidet, Alten et Bossekop Finmarkiae mens. Jul. — Aug. sat copiose, nec non ad Tresunda prope Wojmsjoen, ad Wilhelmina et usque ad Umenaes, Lapponiae Umensis, 12—15. Jul. frequenter a me lecta; var. b. tantum in floribus Chaerophylli sylvestris ad Barrsele Lapponiae Umensis, d. 6. Jul. rar. inventa. (Lapponia. Finmarkia.)

*Anasp. flavae* subsimilis et affinis, sed paullo major, et antennarum structura praeprimis distincta. Tota omnium subtilissime transversim strigulosa, nec punctata, ut recte admonuit Cel. SAHLBERG, l. c.; subpubescens. Caput rufo-testaceum. Antennae basi

testaceae, extrorsum crassiores nigrae, articulis paullo longioribus, quam in *Anasp. frontali*, subcyathiformibus, apicali ovali, obtuso. Thorax rufo-testaceus. Elytra antice testacea, postice nigricantia, nigredine saepius ad medium et ultra indeterminate assurgente, et in var. b. adhuc altius, ita ut elytra in illa fere tota nigra evadant, relicta tantum fascia indeterminata ad basin testacea. Corpus nigrum. Pedes testacei, tarsis plerumque infuscatis.

**7. A. flava**: testacea, antennis extrorsum, pectore abdomineque nigris, elytris apice fuscis, antennis extrorsum crassioribus, articulis moniliformibus, ultimo majori, ovato obtuso. (Long. 1¼ lin.)

Dej. Catal. p. 73. Schönh. Syn. 3. 89. 4. Zett. Fn. Lapp. 1. 291. 6. *Mordella flava* Linn. Fn. Sv. 836. Fabr. Eleut. 2. 126. 28. Panz. Fn. 13. f. 14. Gyll. Ins. Sv. 2. 617. 14. Sahlb. Ins. Fenn. 492. 17.

Hab. in Lapponia rarissime, non vero cum praecedente visa. Priori plerumque paullo minor, *Mordellae thoracicae* subaequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

## FAM. 25. CISTELARIAE (CISTELENIAE Latr.). *)

### 107. Necydalis.

Fabr. Gyll. Sahlb. *Cantharis* Linn. *Oedemera* Latr.

*Corpus* minoris aut mediae magnitudinis, angustatum, glabriusculum. Palpi 4 filiformes. Antennae longiores, filiformes aut subsetaceae. *Color* pallidus aut saepius virescens. *Motu* tarda. *Habitatio* in floribus saepe Umbellatarum. *Differentia sexus* in structura ani femorumque forma diversa plerumque invenienda. (Spec. Scand. 11, pleraeque in Suec. meridionali hospitantes.)

**1. N. virescens**: punctatissima obscure viridis immaculata, antennis brevioribus nigris, elytris valde elongatis, posterius parum angustatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

*Mas:* femoribus posticis arcuatis, clavatis, abdominis segmento ventrali penultimo emarginato;

*Fem.:* femoribus posticis simplicibus, segmento ventrali penultimo integro.

Fabr. Eleut. 2. 369. 4. Gyll. Ins. Sv. 2. 638. 9. ♂♀. Sahlb. Ins. Fenn. 498. 7. ♂♀. *Cantharis virescens* Linn. Syst. 2. 650. 24.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in floribus Ranunculi ad Hornmyra et in Stoettingsfjellet d. 30. Jul. — 1. Aug. a Clar. Dahlbom inventa. (Lapp. merid.-Scan. freq.)

### 108. Salpingus.

Gyll. Ins. Sv. 2. 640. Illig. Dejean.

*Corpus* minutum, oblongum, antice angustius, totum glabrum nitidum. Antennae thoracis longitudine extrorsum crassiores. Caput depressum, ore parum producto. Thorax subcordatus, postice angustior. *Color* nigro-aeneus. *Motus* tardus. *Habitatio* in fruticibus. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 5.)

**1. S. ater**: nigro-subaeneus, ore, antennarum basi, tibiis tarsisque rufo-piceis, thorace brevi, punctatissimo, bifoveolato, elytris punctato-striatis, capite rotundato.

Gyll. Ins. Sv. 2. 642. 3. Zett. Fn. Lapp. 1. 292. 1. *Dermestes ater* Payk. Fn. 1. 298. 28.

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime; ad Björkvik Nordlandiae d. 14. Jul. captus. (Lapp.-Scan. rar.)

Parvus, vix 1 lin. longus. *Apione flavipede* parum major.

**2. S. foveolatus**: nigro-aeneus, antennarum basi tarsisque ferrugineis, thorace brevi cordato, inaequali, fovea singuli elytri ante medium transversim ovata. (Long. 1¼ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 4. App. 524. Sahlb. Ins. Fenn. 500. 4.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; sub cortice Betulae albae emortuae ad Lycksele die 30. Maj. semel a me lectus. *Salp. atro* similis et affinis, sed paullo major et distinctus. (Lappon. meridionalis; Westrog. Smoland. rar.)

### 109. Rhinosimus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 267. Dej. *Anthribus* Fabr. *Curculio* Linn.

*Corpus* minutum, oblongum, antice angustius, totum glabrum nitidum. Antennae vix thoracis longitudine, extrorsum crassiores. Caput depressum, ore producto in rostrum planum, medio saepius coarctatum. Thorax subcordatus, postice angustior. *Color* nigro-caeruleus, rufus. *Motus* tardus. *Habitatio* sub cortice arborum et in foliis fruticum; per partem sylvaticam et subalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 2.)

**1. R. ruficollis**: nigro-piceus l. ferrugineus, vertice elytrisque striatis, nigro-caeruleis, rostro thoraceque longitudine aequalibus punctatis pedibusque rufo-testaceis, antennis extrorsum fuscis. (Long. 1⅓ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 293. 1. *Curculio ruficollis* Linn. Fn. Sv. 595. *Salpingus ruficollis* Gyll. Ins. Sv. 2. 640. 1. var. a. et b. Sahlb. Ins. Fenn. 499. 1. *Anthribus Roboris* Fabr. Eleut. 2. 410. 23. Panz. Fn. 104. f. 5. *Rhinosimus Roboris* Dej. Catal. p. 77.

Hab. sub cortice Betulae albae, ad radicem ipsius jugi alpini Tornensis latere Norvegico, locis longe a Quercu Roboris sitis, die 13. Jul. specimina legi. Sub cortice Aceris Pseudoplatani in regione montana alpium Suessionensium, testantib. Fröbel et Heer in Mitth. Zürich 1834. p. 87. Parvus, vix 1½ lin. longus. (Lappon.-Scan. pass.)

# III. TETRAMERA. *)

## FAM. 26. BRUCHELAE. Latr. (CURCULIONITES Dej.)

### 110. Anthribus. **)

Latr. Gen. Crust. et Ins. 268. Fabr. Dej. *Platyrhinus* et *Brachytarsus* Schönh.

*Corpus* mediocre aut parvum, oblongum aut ovatum, antice angustius. Antennae rostro plano insidentes, clavatae, clava e tribus articulis formata, ultimo acuminato. Caput collo exserto nullo. Elytra apice inflexa. Pedes robusti, femoribus parum incrassatis. *Color* niger, fuscus, opacus. *Motus* segnis. *Habitatio* in truncis et foliis arborum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in plerisque ignota. (Spec. Scand. 10.)

**1. A. dorsalis**: oblongus niger, rostro, thoracis lateribus, elytrorum macula communi rhombea, punctisque niveis, thoracis striga elevata arcuata.

Gyll. Ins. Sv. 3. 5. 4. Ahrens. Fn. Europ. Fasc. 6. f. 12. Zett. Fn. Lapp. 1. 294. 1.

Hab. in Lapponia Tornensi, e Karesuando a D. Praepos. Grape ad D. Schönherr missus, mihi in Lapponia nunquam obvius. *Anthr. albino* parum minor. (Lapp.-Scan. rar.)

**2. A. varius**: breviter ovatus nigro-fuscus, pedibus fusco-piceis, thoracis lineis obsoletis elytrorumque maculis subquadratis crebrioribus, cinereo-pilosis.

Fabr. Eleut. 2. 411. 29. Panz. Fn. 15. f. 16. Gyll. Ins. Sv. 3. 10. 8. Dej. Catal. p. 78. Zett. Fn. Lapp. 1. 294. 2.

*) Ad hanc Familiam pertinent genera Fischeriana, Fabriciana et Latreilliana: *Ditylus*, *Cistela* et *Oedemera*; sed horum forsitan nullas species agnoscit frigida et humida Lapponia, me saltem teste ibi frustra quaerenda. Genera tantum duo, praeter *Necydalem*, hujus Familiae, *Salpingum* et *Rhinosimum* puta, ore in rostrum planum magis vel minus producto insignia, naturalem transitum ad Familiam sequentem efficientia, mihi contigit in Faunam Lapponicam introducere.

*) *Corynetes violaceus* inter Pentamera in Famil. 5. *Cleriorum* quaerendus.

**) *Bruchus*, alterum hujus Familiae genus, cujus species semina *Fabae*, *Pisi*, *Loti*, *Ervi*, *Lathyri*, ceterorumque nobilioris indolis plantarum in meridionalibus Sueciae terris destruunt, in Lapponia peregrinus.

Hab. in frondibus Abietis Lapponiae sylvaticae rarissime. Parvus, *Derm. Pellione* minor, brevior, *Bruch. granario* subaequalis. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rar.)

**3. A. scabrosus**: ovatus niger, elytris punctato-striatis varicoloribus, interstitiis alternis elevatioribus, fasciculis atro-holosericeis albidisque alternantibus tessellatis. (Long. 1½ lin.)

Var. a. elytris rufis.

Gyll. Ins. Sv. 3. 8. 7. a. *Brachytarsus scabrosus* Schönh. Syn. Curc. 1. 1. p. 171. 1. a.

Var. b. elytris nigris, macula magna humerali rufa, pedibus rufo-nigroque variis.

Gyll. et Schönh. l. c. var. b.

Var. c. totus niger, tibiis intermediis macula rufa.

Hab. in Lapponia meridionali s. Umensi rarissime; var. a. a me non inventa; var. b in Ledo palustri loco paludoso ad Lycksele d. 21. Jun. 1832 semel legi; et var. c. in Pino sylvestri ad Stensele d. 3. Jul. in unico specimine deprehendere mihi contigit. (Lappon. merid.-Uplandia; Ostrogothia ad Laerketorp; Scania in foliis Coryli ad Bjoernstorp, 20. Maj.; sed semper rariss. et tant. var. a. et b.

---

## FAM. 27. CURCULIONITES. Latr.

### *Sect.* 1. *Recticornes.*

### 111. Rhynchites.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 273. Dej. Schönh. *Attelabus* Fabr.

*Corpus* parvum, ovatum, antice angustatum. Caput pone oculos elongatum, collo nullo. Rostrum saepius capite longius, versus os dilatatum. Antennarum clava articulis 3 remotis. Thorax conico-cylindricus, postice latior. Abdomen subquadratum. Tibiae anticae inermes. *Color* nitidus, aut aureo-viridis ardens, aut niger. *Motus* tardus. *Habitatio* in foliis arborum et fruticum; per partem sylvaticam et subalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in armatura thoracis aut proportione pedum mox invenienda. (Spec. Scand. 10)

**1. R. Betuleti**: punctatus glaber, supra aureo-viridis, subtus cum rostro et pedibus viridi-cupreus, antennis nigris, fronte parum impressa, elytris irregulariter punctato-striatis. ♂♀.

*Mas:* thorace mutico.

*Fem.:* thorace ante medium utrinque spina porrecta viridi armato.

Gyll. Ins. Sv. 3. 19. 1. ♂♀. Dej. Catal. p. 80. Zett. Fn. Lapp. 1. 295. 1. ♂♀. *Attelabus Betuleti* Fabr. Eleut. 2. 421. 28. ♂. Panz. Fn. 29. f. 6. *Curculio Betulae* Linn. Fn. Sv. 605. ♀.

Var. b. ♂♀. áureo-cupreo-viridis, thorace elytrisque caerulescenti-micantibus.

Gyll. l. c. var. c.? Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in Betula alba, cujus folia contorquet, versus autumnum, in Lapponia mitiori rarius, in Botnia et Finlandia boreali, ad Johannis Ro et Kemi frequentissimus. Statura fere *Attelabi Coryli*, sed saepius paullo minor, brevior. (Lapp.-Scan. pass.)

**2. R. Populi**: punctatus glaber, supra aenescenti-aureo-viridis, subtus cum apice rostri et pedibus caeruleo-violaceus, antennis nigris, fronte evidenter canaliculata, elytris irregulariter punctato-striatis. ♂♀.

*Mas:* thorace mutico.

*Fem.:* thorace ante medium utrinque spina longitudine variante, porrecta nigro-violacea armato.

Gyll. Ins. Sv. 3. 21. 2. ♂♀. Dej. Cat. p. 80. Zett. Fn. Lapp. 1. 296. 2. ♂♀. *Attelabus Populi* Fabr. Eleut. 2. 422. 29. Panz. Fn. 20. f. 7. *Curculio Populi* Linn. Fn. Sv. 606.

Var. b. ♂♀. paullo minor, thorace elytrisque supra aureo-cupreis, nitidissimis.

Gyll. l. c. var. c. Zett. l. c. var. b.

Hab. in foliis Populi Tremulae tempore autumnali, in Lapponia boreali interiore rarius, in Botnia boreali ad Torneå et Kemi sat frequens; in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele et Badstutraesk, 23—30. Jun. haud raro visus. Praecedenti sat similis et affinis, dimidio minor. (Lappon.-Scan. freq.)

**3. R. Betulae**: punctatus tenuissime pubescens ater, rostro brevi depresso, capite magno, collo angustiori thoraci adnexo, elytris regulariter punctato-striatis. ♂♀.

*Mas:* femoribus posticis maximis, incrassatis.

*Fem.:* major, femoribus posticis clavatis arcuatis; in copula capti.

Gyll. Ins. Sv. 3. 29. 9. ♂♀. Dej. Catal. p. 80. Zett. Fn. Lapp. 1. 296. 3. ♂♀. Dahlb. Skandinaviska Insecters nytta och skada. Lund 1837. p. 47. *Attelabus Betulae* Linn. Fn. Sv. 640. Fabr. Eleut. 2. 427. 61. Panz. Fn. 20. f. 15.

Hab. in Betulae albae foliis, quae rodendo pulchre crispa reddit, in Lapponia Suecica, et boreali et meridionali mens. Jun.—Aug., passim; in copula 28. Jul. visus; in Septentrione usque ad Alten Finmarkiae procedit, nec non ad radicem ipsius jugi alpini Tornensis latere Norvegico a me lectus. *Rhynchit. Populi* triplo et ultra minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. R. nanus**: oblongus angustior, caeruleo-virescens glaber, thorace profunde punctato, elytris subcylindricis, punctato-striatis, interstitiis impunctatis.

Gyll. Ins. Sv. 3. 28. 8. Dej. Catal. p. 80. Zett. Fn. Lapp. 1. 297. 4. *Attelabus nanus* Payk. Fn. 3. 176. 9.

Hab. in Utsjoki Dom. Fellmann, teste Com. de Mannerheim, a me in provinciis borealibus non visus. Minutus, *Apione Viciae* parum major. (Lapp.-Ostrogoth. rar.)

**5. R. Rhinomacer**: oblongus niger, dense cinereo-villosus, antennis longioribus pedibusque testaceis, elytris vage punctatis. (Long. 1¼ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 3. 30. 10. *Rhinomacer Attelaboides* Schönh. Syn. Curc. T. 1. P. 1 p. 242. 1.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; sub cortice Pini et truncis decorticatis resinosis ejusdem arboris ad Lycksele et Åsele, d. 6. Jun. — 26. Jul. a me captus. (Lappon. meridion.-Westrogoth.-Scania ad Bjoernstorp 20. Maj.; rarius.)

---

### 112. Apion.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 274. Dej. Schönh. Syn. Curc. gen. 36. *Attelabus* Fabr.

*Corpus* minutum, obpyriforme, anterius valde attenuatum. Antennarum clava ovato-acuminata, triarticulata, coarctata. Rostrum tenue, cylindricum, extrorsum saepe attenuatum. Thorax conico-cylindricus. Abdomen ovatum. Tibiae inermes. *Color* niger, saepius caerulescens, testaceus. *Motus* cursorius. *Habitatio* in plantis, plerumque humilibus, in Diadelphistis libentissime; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in maris rostro, quam in femina, breviori, magis recto et densius pubescenti, saepe detegenda. (Spec. Scand. 57.)

**1. A. frumentarium**: punctatum, parce et tenuissime pubescens testaceo-sanguineum opacum, pedibus pallidioribus, oculis ungulorumque apice nigris, rostro breviori arcuato glabro, elytris crenato-striatis.

Gyll. Ins. Sv. 3. 32. 1. certe. Zett. Fn. Lapp. 1. 297. 1. *Curculio frumentarius* Linn. Fn. Sv. 586. *Attelabus frumentarius* Fabr. Eleut. 2. 427. 59. *Apion ferrugineum* Dej. Catal. p. 81.

Hab. in plantis littoralibus Nordlandiae passim; a me ad Andeness et Lyngen mens. Julio, nec non ad Åsele Lapponiae Suecicae meridionalis d. 27. Jul., lectum. Medium in hoc genere, variat tamen *Apione Pomonae* et majus et minus, *Rhynchit. Betulae* semper minus, angustius. (Lapp.-Scan. fr.)

**2. A. Viciae**: punctulatum, supra tenuiter, subtus dense albido-pubescens, totum nigrum obscurum, antennis, femoribus omnibus tibiisque anterioribus pallidis, rostro subattenuato, elytris latis. ♂♀.

*Mas:* rostro thoracis longitudine subrecto, supra densius griseo-pubescente.

*Fem.:* rostro thorace fere longiori, parum arcuato, glabro, nitido; in copula.

Gyll. Ins. Sv. 3. 35. 4. Dej. Catal. p. 81. Zett. Fn. Lapp. 1. 298. 2. ♂♀. *Attelabus Viciae* Payk. Fn. 3. 181. 16. *Apion difficile* Herbst. Col. 7. 124. 13. Tab. 103. f. 1. A. (sub quo nomine etiam a D. Kunze e Lipsia missum.)

Hab. in Vicia Cracca, aliis plantis, in Nordlandiae Norvegicae maritimis mens. Julio passim; in insula fertilissima Hacksten prope Schiervoe, et ad Andeness frequentius observavi, sed in Finmarkia et Lapponia Suecica nunquam. Priori saepius duplo minus, brevius. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. A. flavipes**: punctulatum glabrum nigrum, antennarum basi, femoribus tibiisque pallidis, rostro longo, cylindrico subarcuato, thorace elongato elytrisque angustis. ♂♀.

*Mas*: rostro paullo crassiori, punctato.
*Fem.*: rostro tenuiori, laevi, polito; in copula capti.

GYLL. Ins. Sv. 3. 36. 5. DEJ. Catal. p. 81. ZETT. Fn. Lapp. 1. 298. 3. ♂♀. *Attelabus flavipes* FABR. Eleut. 2. 427. 57.

Hab. in Lapponiae borealis infimae graminosis, locis apricis rarius, in adjacenti Botnia boreali frequentius, in Lapponia meridionali per totam partem sylvaticam, in graminosis ad Wilhelmina, Åsele et in Stoettingsfjellet, 21. Jul. — 1. Aug. feminas quoque haud raro vidi. Parvum, praecedente parum brevius, sed angustius, magnitudine paullo varians. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. A. apricans**: punctulatum glabrum nigrum, antennarum basi picea, femoribus pallidis, rostro longo, cylindrico subarcuato, thorace elongato elytrisque angustis. ♂♀.
*Mas*: rostro paullo crassiori, punctulato.
*Fem.*: rostro tenuiori, laevi, polito; in copula.

DEJ. Catal. p. 81. ZETT. Fn. Lapp. 1. 299. 4. ♂♀. *Curculio ater*, *femoribus exalbidis* LINN. Fn. Sv. Ed. 1. a. 469. *Curculio Fagi* LINN. Fn. Sv. Ed. 2. a. Descript. (minime diagnosis.) *Attelabus flavipes* PANZ. Fn. 20. f. 13. *Apion flavipes* GYLL. Ins. Sv. 3. 36. 5. var. b.

Hab. cum praecedente; nunquam tamen cum illo in copula observatum. (Lapp.-Scan. freq.)

Priori simillimum magnitudine et statura, nec differt nisi antennarum basi obscuriori, tibiisque aut omnibus aut saltem posterioribus nigro-fuscis; cum vero seorsim semper copulantur, ut distinctas species cum Ill. D. D. DEJEAN et GERMAR consideravi.

**5. A. Craccae**: punctatum cinereo-pubescens opacum nigrum, antennis subferrugineis, rostro crasso arcuato, apice attenuato, elytris gibbosis punctato-striatis, interstitiis planis. ♂♀.
*Mas*: rostro thorace fere breviori, valde incrassato, apice tantum attenuato, supra dense cinereo-pubescente; antennis totis testaceis.
*Fem.*: paullo major, rostro thoracis longitudine, modice crasso, exterius ad dimidiam partem attenuato, cylindrico subglabro, nitido; in copula capti.

GYLL. Ins. Sv. 3. 38. 6. DEJ. Catal. p. 81. ZETT. Fn. Lapp. 1. 299. 5. ♂♀. *Attelabus Craccae* FABR. Eleut. 2. 425. 51.?

Hab. in plantis sylvaticis per Lapponiam mitiorem rarissime. *Ap. flavipede* duplo majus et postice magis convexum. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. A. Sorbi**: punctatum glabrum nigrum, rostro longo cylindrico arcuato, thorace lateribus prope apicem utrinque impresso, foveaque antescutellari angusta, elytris subglobosis, concinne punctato-striatis, interstitiis planis. ♂♀.
*Mas*: rostro vix capite cum thorace longiori, crassiusculo arcuato, punctulato subglabro, elytris nigris angustioribus.
*Fem.*: duplo major, rostro capite cum thorace multo longiori, cylindrico, arcuato, sublaevi glabro, elytris caerulescentibus; in copula.

GYLL. Ins. Sv. 3. 42. 10. ♂♀. DEJ. Catal. p. 81. FABR. Eleut. 2. 426. 52. ♀. PANZ. Fn. 20. f. 11.? ZETT. Fn. L. 1. 300. 6. ♂♀. *Curculio aterrimus* LINN. Fn. Sv. 582. ♂.

Hab. in floribus Sorbi Lapponiae mens. Jul rarius. Femina *Ap. Craccae* paullo major et elytris magis globosis. (Lapp.-Scan. praesertim femina freq.)

**7. A. marchicum**: remotius punctulatum glabrum nigrum, elytris caeruleis, concinne punctato-striatis, interstitiis planis, rostro elongato crassiusculo, arcuato, maris brevi, thorace angusto subcylindrico, fovea antescutellari obsoleta impresso. ♂♀.

HERBST. Col. 7. 118. 19. Tab. 103. f. 7. G. GYLL. Ins. Sv. 4. 545. 33. verum. ZETT. Fn. Lapp. 1. 300. 7. (excl. syn. GYLL.) SCHÖNH. Syn. Curcul. T. 1. P. 1. 294. 102. ♂♀.

Hab. in Vicia aliisque plantis, locis sylvaticis, per totam Nordlandiam mense Jul. freq.; sed in Lapponia Suecica a me non nisi ad Åsele Lapponiae meridionalis d. 26. Jul. parce, observatum. Magnitudo fere *Ap. Craccae*. (Lappon.-Ostrogoth. Smoland. rar.)

**8. A. affine**: nigrum nitidulum subglabrum, rostro ♂ brevi, thorace latiore densius et profundius punctato, elytris obovalibus, punctato-sulcatis, virescenti-caeruleis vel violaceis. ♂♀.

SCHÖNH. Syn. Curcul. T. 1. P. 1. p. 294. 103. ♂♀. var. α. β.

Hab. in Lapponia meridionali rariss.; ad Åsele d. 27. Jul. 2 specimina a D. DAHLBOM lecta. (Lappon. merid.-Ostrog. ad Wadstena 21. Jul. rar.)

*A. Marchico* sat affine. Elytra in nostris individuis violacea, sutura virescenti.

Obs. Plures hic omissae *Apionis* species Scandinaviae in Lapponia nostra sine dubio degunt, sed cum nec mihi, nec alii, quantum novi, obviae fuerunt, non nisi descriptas recensere potui.

---

## *Sect. 2. (Curculionitum). Fracticornes.*

## 113. Rhynchaenus.

FABR. Eleut. 159. GYLL. *) *Curculio* LINN.

*Corpus* mediae magnitudinis, saepe parvum, oblongum aut ovatum. Antennae in medio rostri, vel paullo anterius insertae, clava ovata, coarctata, 3- vel 4-articulata. Rostrum cylindricum, vix thorace brevius. *Color* varius, cinereus, testaceus, caerulescens, niger, obscurus, saepe albido vel griseo immixtus. *Motus* tardus. *Habitatio* in plantis variis, interdum sub lapidibus; per omnes partes Lapponiae. *Differentia sexus* externa in structura rostri, vix unquam aliter, quandoque invenienda. (Spec Scand. 156. variis GYLLENHALI speciebus ad genera *Cionum* et *Orchestem* relatis, in museo meo adsunt.)

### *Sectio prima. Femoribus dentatis.*

### Tribus I. Corpore oblongo.

*Subdiv.* 1. *Apioniformes.* *Corpus* parvum, obpyriforme, antice angustatum glabriusculum. Thorax subquadratus, antice subito coarctatus, postice angulatus, totus sat crebre et profunde punctatus. *Color* caerulescens, niger, immaculatus. *Habitatio* in foliis arborum et fruticum. *Differentia sexus* in plerisque ignota. *Rhinodes* SCHÖNH. et DEJEAN. *Magdalis* GERMAR. *Thamnophilus* GYLL. SCHÖNH. Syn. Curc. gen. 200.

*Piniphili*: supra caerulescentes, subtus nigricantes.

**1. R. violaceus**: nigro-caerulescens, elytris laetioribus, punctato-striatis, interstitiis seriato-granulatis, capite brevi convexiusculo, sublaevi, oculis depressis. ♂♀.
*Mas*: rostro capite cum thorace dimidio breviore, sat crasso, praesertim infra antennas, toto subopaco.
*Fem.*: saepe major, rostro capite cum thorace paullo breviore, minus sed aequaliter crasso, punctulato, nitido; in copula.

FABR. Eleut. 2. 486. 227. GYLL. Ins. Sv. 3. 181. 97. ZETT. Fn. Lapp. 1. 302. 1 ♂♀. a. *Curculio violaceus* LINN. Fn. Sv. 579. PANZ. Fn. 42. f. 20. *Magdalis violacea* GERMAR. Ins. Spec. 1. 192. e.

Var. b. elytris virescentibus. — GYLL. l. c. 4. 558. var. c.

Hab. in frondibus Pini sylvestris, in Lapponia Suecica borealis et meridionalis per partem sylvaticam mens. Jun., Jul., Aug. sat frequens, in copula captus. Var. b. tantum ad Åsele Lapponiae Umensis lectus. Magnitudo variat; majores *Rhynch. Pini* fere aequales, alii duplo, imo triplo minores, *Rhynch. Pruni* aequales et similes. (Lapp.-Scan. var. a. pass.)

**2. R. frontalis**: nigro-caerulescens, capite evidentius punctulato, thorace breviore, angustiore, margine reflexo, elytris cyaneis punctato-striatis, interstitiis obsoletius ruguloso-tuberculatis, rostro valde arcuato. ♂♀.

*Thamnophilus frontalis* GYLL. Ins. Sv. 4. 558. 2. SCHÖNH. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. 265. 2. ♀.

Hab. in Pinetis Lappon. merid. ad Åsele, Stensele, Badstutraesk ad Umenaes, 27. Jun. — 26. Jul. pass., saepe in copula. Magnitudo et affinitas prioris. (Lapp.-Ostrog. pass.)

**3. R. duplicatus**: niger, capite evidentius punctulato, thorace breviore, antice angustiore, vix constricto, elytris nigro-caeruleis punctato-striatis, interstitiis planis crebre punctatis, rostro arcuato. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{4}$ lin.)

*Thamnophilus duplicatus* GYLL. Ins. Sv. 4. 559. 3. SCHÖNH. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. 265. 4. ♂♀. *Rhynch. violaceus* v. b. *Seminiger* ♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 302. 1. b.

Hab. in Pinubus Lapponiae meridionalis passim, ad Lycksele et Stensele d. 24. Jun. — 3. Jul. a me inventus. Prioribus paullo minor. (Lappon.-Ostrog. rar.)

*) Illustr. Viri DEJEAN et SCHÖNHERR genus hoc Fabricianum omni certe jure in plura diviserunt. Sed cum tantum parcior numerus hujus generis specierum in Lapponia occurrit, Subdivisiones Gyllenhalianas, naturae sat convenientes, plerumque secutus sum, characterem habitualem singulae allegans. Genera vero *Cionus* et *Orchestes*, a *Rhynchaenis* genuinis toto habitu discrepantia, separata habere volui.

**4. R. phlegmaticus**: nigro-caerulescens, elytris laetioribus punctato-striatis, interstitiis crebre punctatis, capite longiori, subdepresso, punctulato, oculis exsertis. ♀.

Gyll. Ins. Sv. 3. 182. 98. Zett. Fn. Lapp. 1. 302. 2. *Magdalis phlegmatica* Germ. Ins. Spec. 1. 192. f. *Rhinodes Pinastri* Dej. Catal. p. 98.?

Hab. in Lapponia Suecica per partem sylvaticam mensib. Maj. — Jul. passim; ad Stensele Lapponiae meridionalis d. 3. Jul. rarius, sed in frondibus Pini sylvestris exsiccatae ad Juckasjervi Lapponiae borealis frequentius a me lectus. Magnitudo, statura et color *R. frontalis*. (Lappon.-Smolandia rar.)

Rostrum omnino ut in femina *R. frontalis*; an igitur specimina 10, quae hujus speciei mecum e Lapponia reportavi, et nunc ante oculos habeo, omnia feminea sunt!

*Betuliphili:* nigricantes, unicolores, subnitidi.

**5. R. atramentarius**: niger, subnitidus glaber, thoracis lateribus crenulatis, elytrorum striis cancellatis interstitiis convexis sublaevibus, femoribus acute dentatis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin. absque rostro.)

*Mas:* rostro brevi crasso subrecto, apice dilatato, antennis crassis, clava elongata, 4-articulata;

*Fem.:* paullo saepe major, rostro tenuiore, arcuato cylindrico, antennae basi tenues.

*R. carbonarius* Zett. Fn. Lapp. 1. 303. 3. ♀. (excl. Syn. Fabr.) Gyll. Ins. Sv. 3. 185. 101. ♀. *Thamnophilus atramentarius* Gyll. Ins. Sv. 4. 562. 9 ♂♀. Schönh. Syn. T. 3. P. 1. 269. 13. ♂♀. *Rh. atratus* Gyll. l. c. 3. 187. 102. ♂. Zett. l. c. 303. 4. ♂.

Hab. in foliis Betulae albae, mens. Jul. — Aug. in Lapponia et boreali et meridionali, passim; versus alpes longe procedit, unde etiam ad radices alpium, ubi crescit Betula alba, in tota Nordlandia et Finmarkia haud raro deprehenditur. Statura et affinitas *R. violacei*, saepe paullo major, magnitudine tamen pari modo ac ille varians. (Lapp.-Ostrogoth. pass.)

**6. R. nitidus**: niger nitidus, capite punctulato, thorace oblongo supra depresso, subtilius punctato, antice utrinque impresso, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, subtilissime subdisperse punctulatis, rostro subrecto. (Long. 1½ lin.)

*Thamnophilus nitidus* Gyll. Ins. Sv. 4. 561. 6. Schönh. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. 266. 6.

Hab. in Lapponia meridionali, verus sed rarissimus, ad Lycksele semel a me captus. (Lappon - Ostrogoth. in monte Omberg 18. Jul. a me detectus; ipsissimus a D. D. Gyll. et Schönh. l. c. descriptus.)

*Subdiv. 2. Longirostres: Foliicolae.* *Corpus* parvum, ovato-oblongum, pubescens. Rostrum longum, tenue. *Color* rufus, niger. *Habitatio* in foliis arborum. *Differentia sexus* ignota. *Anthonomus* Germ. Dej. Catal. p. 87. Schönh. Syn. Curc. gen. 217.

**7. R. Pomorum**: fusco-piceus, cinereo-pubescens, elytris ferrugineis, fascia postica obliqua albida, nigro-inclusa, scutello niveo, rostro tenui arcuato.

Gyll. Ins. Sv. 3. 188. 103. *Anthonomus Pomorum* Schönh. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. 340. 11.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lapp.-Helsingia ad Mo-myskie in Pruno Pado d. 24. April D. Boheman.-Scan. freq.)

Sequenti plerumque paullo minor, minus convexus.

**8. R. Druparum**: saturate rufo-testaceus, antennis pedibusque pallidioribus, illarum clava obscura, elytris griseo-flavo-pubescentibus, fasciis duabus dentatis denudatis, rostro subrecto. (Long. circiter 1¼ lin.)

Fabr. Eleut. 2. 489. 243. Gyll. Ins. Sv. 3. 191. 105. Zett. Fn. Lapp. 1. 304. 5. *Curculio Druparum* Linn. Fn. Sv. 617.

Hab. in foliis Pruni Padi, in Lapponia, ut fertur, in Botnia et Finlandia certe. *Rh. Pomorum* paullo major, prioribus brevior, saepe vero vix angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

**9. R. pubescens**: griseo-pubescens rufus, scutello albo, antennarum clava fusca, capite, rostri arcuati apice, pectore abdomineque nigris, femoribus obsolete dentatis.

Gyll. Ins. Sv. 3. 192. 106. Payk. Fn. 3. 198. 15. Zett. Fn. Lapp. 1. 304 6.

Hab. in frondibus Pini Abietis, in Lapponia rarissime, in Botnia et Finlandia frequentius. Statura praecedentis, sed fere paullo minor. (Lapp.-Uplandia rar.)

**10. G. varius**: cinereo-pubescens niger, scutello albo, antennis testaceis, clava fusca, rostro arcuato, thorace profunde punctato, femoribus dente parvo acuto.

Var. a. elytris rufis margine omni nigro.

Fabr. Eleut. 2. 485. 222. Gyll. Ins. Sv. 3. 193. 107. Zett. Fn. Lapp. 1. 305. 7. a.

Var. b. paullo minor, elytris macula discoidali oblonga rufa. — Zett. l. c. var. b.

Var. c. magnitudo var. b. elytris totis nigris.

Zett. l. c. var. c. Gyll. l. c. var b. *Curculio perforator* Herbst. Col. 6. 143. 103. Tab. 69. f. 8.

Hab. in truncis et frondibus Pini sylvestris mense Junio in Lapponia boreali rarissime, nec nisi unicum individuum ex singula varietate invenire mihi contigit; sed in meridionali, ex. gr. ad Lycksele var. a. pass. vidi medio mens. Junio; in Botnia occidentali var a. et c. frequentius occurrunt, teste D. Paykull, et varietatis prioris multa specimina ex Ylane Finlandiae a D. Sahlberg missa, frequentiam illius ibi quoque ostendunt. Statura praecedentis, sed duplo fere minor. (Lapp.-Helsingia in Pino mens. April freq.; Bohem.-Uplandia var. a.; Westrogoth. var. b. rar.)

*Subdiv. 3. Longirostres: Floricolae.* *Corpus* parvum elongato-oblongum, pubescens. Rostrum longum, plerumque minus tenue. *Color* ferrugineo-testaceus, fuscus. *Habitatio* in plantis amentaceis, saepissime in earum floribus. *Differentia sexus* externa saepe fere nulla. *Dorytomus* Germar. Dej. Catal. p. 85. *Erirhinus* Schönh. Syn. gen. 204.

**11. R. dorsalis**: niger fere glaber, elytris rubris, margine suturaque antica dimidiata nigris, rostro longiusculo, crassiori, striato. ♂♀.

*Mas:* segmento ultimo ventrali in medio impresso, utrinque denticulo armato;

*Fem.:* sequente eodem laevi, mutico.

Gyll. Ins. Sv. 3. 196. 109. *Erirhinus dorsalis* Schönh. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. 306. 36. ♂♀.

Hab. in Lapponiae meridionalis Salicetis rarissime. *Rh. Pomorum* paullo minor angustior. (Lapp.-Jemtlandia ad Skaltjaernstugan in floribus Salicis capreae 30—31. Maj. D. Boheman.-Finlandia-Smolandia rar.)

**12. R. bituberculatus**: cinereo-pubescens, fusco-piceus, supra variegatus, rostro mediocri subarcuato, pectore abdomineque nigris, antennis, thorace antice posticeque pedibusque obscure rufescentibus, elytris ante apicem tuberculo albo-pubescente. ♂♀.

*Mas:* rostro capite cum thorace parum longiori.

*Fem.:* rostro capite cum thorace paullo longiori; in copula.

Var. a. ♂♀. in copula; elytris maculatim cinereo-pubescentibus rufo-piceis, maculis confluentibus, praesertim in disco interiori perspicuis nigris; rostro in femina paullo longiori, quam in mare.

Zett. Fn. Lapp. 1. 305. 8. a. ♂♀. *Erirhinus bituberculatus* Schönh. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. 295. 18. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. elytris submaculatim cinereo-pubescentibus, pallide rufescentibus, maculis minoribus subdiscretis aequaliter fere sparsis nigris.

Zett. et Schönh. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♀. elytris aequaliter cinereo-pubescentibus fusco-nigris, macula humerali apiceque rufo-piceis, puncto ante apicem tuberculiformi, pube alba vestito evidentiori.

Zett. et Schönh. l. c. var. c. ♀.

Hab. in Lapponiae Salicibus tempore vernali rarius, nec nisi pauca specimina per partem inferiorem Lapponiae Tornensis invenire mihi contigit; in Lapponia meridionali s. Umensi var. c. in Salice ad Lycksele mens. Aug. etiam a me rarissime visa; in Lapponia Norvegica quoque inventus. (Lapponia-Botnia occidentalis, Jemtlandia ad Skaltjaernstugan in floribus Salicis capreae 31. Maj. haud infreq. D. Boheman.)

Magnitudo fere sequentis, et affinitas *Rhynch. Tremulae* ac praesertim hujus varietatis b. a Gyllenh. descriptae, sed a *Rh. affini* mox differt rostro longiori, thorace minus dilatato, ut et colore, et a *Rhynch. Tremulae* magnitudine minori, rostro crassiori et minus arcuato etc. Rostrum capite cum thorace paullo longius, mediocriter tenue, parum arcuatum, substriatum nigrum, apice piceum. Antennae rufae, clava fusca. Thorax longitudine paullo latior, antice subito coarctatus, transversim impressus, lateribus rotundatus, postice etiam angustior, supra modice convexus punctatus, pubescens niger, antice posticeque anguste ferrugineus. Elytra punctato-striata, cinereo-pubescentia, fusco-nigra; in varietatib. a et b elytra variegata, sed in varietate c fere unicolora, seu parum ferrugineo-maculata, praeter punctum humerale et ipsum apicem rufo-picea. Ante apicem tuberculum obsoletum pube alba vestitum in singulo elytro observatur. Pedes mediocres, pubescentes, obscure rufo-ferruginei, femoribus omnibus subtus acute, sed non valide dentatis.

**13. R. affinis**: maculatim cinereo-pubescens niger, antennis pedibusque obscure ferrugineis, clava geniculisque fuscis, elytris nigro-maculatis, rostro crassiori rugoso, thorace brevissimo, postice vix angustiori, angulis griseo-pubescentibus.
GYLL. Ins. Sv. 3. 174. 92. ZETT. Fn. Lapp. 1. 307. 9.
Hab. in Lapponia boreali, ut fertur, mihi ibi non obvius, sed in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele in Populo Tremula et ad radicem hujus arboris d 18. Jul. sat copiose vidi. *Rh. Tremulae* simillimus, pleruinque paullo minor; rostro breviori, crassiori, rugoso praecipue distinctus. Margo anticus et posticus thoracis subferrugineus est. (Lapponia?-Uplandia; Scania pass.)

**14. R. taeniatus**: maculatim cinereo-pubescens nigrofuscus, antennis, thorace brevi antice posticeque, pedibusque rufo-testaceis, clava femorumque apice fuscis, elytris pallidis nigro-maculatis, rostro mediocri subarcuato.
FABR. Eleut. 2. 492. 255. GYLL. Ins. Sv. 3. 175. 93. var.? ZETT. Fn. Lapp. 1. 307. 10.
Hab. in Lapponia, forte rarissime, mihi enim non nisi ad Karesuando mense Aug. unicum individuum obvium, magnitudine praecedentis. (Lapp.-Scania?)
Specimen nostrum lapponicum differt colore obscuriori et rostro paullo longiori ac tenuiori, a speciminibus, quae hujus speciei genuinae in Scania et Ostrogothia permulta legi, sed cum magnitudine, thoracis structura et ceteris conveniat, vix ut distincta species considerari debet.

**15. R. tortrix**: tenuissime pubescens subnitidus pallide testaceus immaculatus, pectore fusco, rostro mediocri parum arcuato, elytris convexioribus. (Long. $1\frac{3}{4}$ — 2 lin.)
GYLL. Ins. Sv. 3. 173. 91. *Curculio tortrix* LINN. Fn. Sv. 622. *Erirhinus tortrix* SCHÖNH. Syn. Curc. T. 3. P. 1. 305. 33.
Hab. in Lappon. meridion. rarissime; in silva ad Wilhelmina d. 21. Jul. a me captus. (Lapp.-Suecia media Ostrogothia pass.-Scan. freq.)

**16. R. parvulus**: dense subaequaliter cinereo-pubescens, pectore albido villoso, niger, antennis rufis clava fusca, elytris pedibusque obscure ferrugineis fusco-variegatis, rostro subcrassiori, thorace oblongo. ♂♀.
ZETT. Fn. Lapp. 1. 307. 11. ♂♀. FRÖBEL et HEER. Mitth. Zürich 1834. p. 89. *Rhynchaen. taeniatus* GYLL. Ins. Sv. 3. 175. 93. var. c. *Curculio affinis var. minor* PAYK. Fn. 3. 190. 7. *Erirhinus salicinus* SCHÖNH. Syn. Curc. T. 3. P. 1. 297. 21. GYLL. Ins. Sv. 4. 584.
Var. b. thorace toto ferrugineo. Lycksele.
Hab. var. a. in floribus Salicis, locis paludosis mensib. Majo — Junio, in Lapponia boreali et meridionali, passim, in Botnia boreali et ad Råneå copiose, in copula a me frequenter captus. (Lapponia; Botnia borealis; Finlandia; Jemtlandia ad Skaltjaernstugan in floribus Salicis capreae, 30—31. Maj. D. BOHEMAN; Scania rar.)
Parvus, *Rhynch. bipunctato* aequalis, distinctus. Rostrum longitudine capitis cum thorace, in mare paullo brevius, in utroque sexu crassiusculum, pubescens, rugosum nigrum, apice piceum. Thorax longitudine non latior, subcylindricus niger, antice posticeque auguste ferrugineus. Elytra nigra, saepe ferrugineo-variegata, raro unicolora, apice plerumque rufescente. Pedes ferruginei, femoribus magis vel minus infuscatis, interdum totis obscuris.
*Obs.* In floribus Salicis ad Abusa Scaniae d. 22. Maj. 1816 unicum par copulatum certissime hujus speciei etiam invenire mihi contigit, individuis Lapponicis in omnibus simillimum, modo pedibus totis ferrugineis, femoribus parum infuscatis.

**17. R. majalis**: parce maculatim cinereo-pubescens niger, rostri apice, antennis totis, thorace brevi, pedibusque rufo-ferrugineis, elytris testaceo-rufis, sutura margineque nigris.
GYLL. Ins. Sv. 3. 167. 94. var. c. ZETT. Fn. Lapp. 1. 308. 12. *Curculio majalis* PAYK. Fn. 251. 71.
Hab. in Nordlandiae inferalpinis rarius, in insula Senjen ad Giebostad d. 22. Jul. ego inveni. (Lapp.-Jemtlandia ad Skaltjaernstuga in floribus Salicis capreae d. 29. Maj. D. BOHEMAN.-Scan. rar.)
Magnitudo praecedentis. Rostrum ab apice ad medium rufum. Thorax longitudine paullo latior, rufus, subtus niger. Elytrorum sutura anterius late, postice auguste nigra; margine exteriori ultra medium nigro. Pectus et abdomen totum nigra, ano minime rufo. Pedes ferruginei, femoribus obsolete denticulatis. Reliquae hujus speciei varietates a GYLLENHALIO descriptae, in Lapponia a me non visae.

**18. R pectoralis**: maculatim cinereo-pubescens rufo-testaceus, rostro longiori, apice oculisque nigris, femoribus clavatis acute dentatis.
Var. a. pectore nigricante.
FABR. Eleut. 2. 490. 246. GYLL. Ins. Sv. 3. 178. 95. ZETT. Fn. Lapp. 1. 308. 13. DEJ. Catal. p. 86. *Curculio pectoralis* PANZ. Fn. 36. f. 16.
Var. b. pectore rufo-testaceo, pedibus pallidioribus.
ZETT. et GYLL. l. c. var. b. *Curculio melanophthalmus* PAYK. Fn. 3. 196. 13.
Hab. in foliis et floribus Salicum Lapponiae Suecicae rarius; pauca tantum specimina inveni. Duorum proxime praecedentium major. (Lapp.-Smoland. rar.)
*Obs.* Varietas c. GYLL. „corpore toto pallido," seu *Rhynch. arcuatus* FABR. ut distincta species a D. DEJEAN consideratur; sed hic in Lapponia mihi nunquam obvius.

*Subdiv.* 4. *Curculioniformes.* *Corpus* mediocre, ovato-oblongum. Rostrum crassiusculum. *Color* niger, piceus, interdum albescens. *Habitatio* in frondibus arborum Pini et Abietis, ut et in foliis plantarum. *Differentia sexus* in externis partibus nulla. *Hylobius* GERM. DEJ. SCHÖNH. Syn. Curcul. gen. 137.

**19. R. Abietis**: opacus piceo-niger, tibiis subdilutioribus, elytris cancellato-striatis, interstitiis valde rugosis, fasciis macularibus flavescenti-pilosis. ♂♀. (major, long. $3\frac{3}{4}$—4 lin. absque rostro.)
FABR. Eleut. 2. 464. 130. GYLL. Ins. Sv. 3. 167. 86. ZETT. Fn. Lapp. 1. 309. 14. *Hylobius Abietis* DEJ. Catal. p. 88. *Curculio Abietis* LINN. Fn. Sv. 615. PANZ. Fn. 42. f. 14.
Hab. in frondibus et ligno recenter secato Pini sylvestris et Abietis, in Lapponia mens. Junio passim, parum longe supra Juckasjervi et Karesuando, alpes versus procedens, in copula captus. Inter majores nostratum, *Rhynch. Pini* triplo major, mas tamen femina saepe dimidio et ultra minor. (Lappon.-Smoland. freq.)

**20. Pinastri**: subnitidus nigro-piceus, pedibus rufo-ferrugineis, elytris cancellato-striatis, interstitiis rugulosis, fasciis macularibus pallido-seu albido-pilosis. ♂♀. minor, 3 lin. long. absque rostro.)
GYLL. Ins. Sv. 3. 168. 87. ZETT. Fn. Lapp. 1. 310. 15. ♂♀. *Hylobius Pinastri* DEJ. Catal. p. 88.
Hab. in Lapponia cum praecedente, multo rarius, ei simillimus et affinis, sed duplo, imo quadruplo minor et distinctus. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rar.)
*Obs.* Ad Ottenby Ölandiae, et ad Esperöd Scaniae, locis longe a Pino distantibus plura individua hujus speciei quoque inveni.

**21. R. Lapathi**: gibbosus, opacus niger, supra squamis fasciculatis atris tuberculatus, thorace subtus elytrorumque fascia humerali apiceque albo-squamosis, rostro tenui arcuato, femoribus bidentatis. ♂♀. (Long. 3—$3\frac{1}{2}$ lin.)
FABR. Eleut. 2. 466. 140. GYLL. Ins. Sv. 3. 169. 88. ZETT. Fn. Lapp. 1. 310. 16. ♂♀. *Curculio Lapathi* LINN. Fn. Sv. 591. PANZ. Fn. 42. f. 15. *Cryptorhynchus Lapathi* DEJ. Catal. p. 85.
Hab. in Alno et Salice, in Nordlandiae inferalpinis rarius; ad Björkvik prope Ofotenfjord d. 14. Jul. a me in copula captus, sed in Lapponia Suecica non nisi ad Lycksele et Wilhelmina 7. Jun. — 19. Jul. frequenter deprehensus. *Rhynch. Equiseti* statura et habitu similis, sed duplo et ultra major. (Lapp.-Scan. freq.)

Tribus II. Corpore brevi, ovato l. subquadrato.

*Subdiv.* 1. *Corpus* parvum, cinereo-pubescens. Thorax subaequalis, non tuberculatus, nec antice reflexus. Rostrum elongatum, tenue. *Color* niger, opacus. *Habitatio* varia. *Differentia sexus* in rostri structura, aut ventris impressione detegenda. *Balaninus* et *Cleopus* DEJEAN. SCHÖNH. Syn. Curcul. gen. 224.

**22. R. Salicivorus**: subconvexus niger, supra cinereo-subpubescens, subtus cum scutello albo-squamosus, antennarum basi ferruginea, rostro longissimo arcuato, atro. ♂♀. (Long. 1 lin.)
*Mas:* rostro longitudine dimidii corporis, tenuiori, valde arcuato, basi striato.
*Fem.:* rostro longitudine fere corporis, tenuiori, valde arcuato, laevi, nitido.
GYLL. Ins. Sv. 3. 206. 116. ZETT. Fn. Lapp. 1. 310. 17. ♂♀. *Balaninus salicivorus* DEJ. Catal. p. 86. *Rhynchaen. Brassicae* FABR. Eleut. 2. 483. 211.?
Hab. in Salicibus Lapponiae. Collect. D. KOLSTRÖM. *Rh. Campanulae* fere duplo minor, praesertim angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

**23. Rh. Graminis**: subdepressus niger, cinereo-longe pubescens, rostro cylindrico subarcuato antennisque longis, tenuibus, femoribus posticis dentatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

*Mas:* abdomine subtus basi fovea distincta impresso.

*Fem.:* saepe major, abdomine subtus basi parum impresso; in copula.

GYLL. Ins. Sv. 3. 210. 120. ZETT. Fn. Lapp. 1. 311. 18. *Curculio Campanulae* PAYK. Fn. 3. 212. 29. (exclus. Syn.) ♀. *Cleopus Graminis* DEJ. Catal. p. 83.

Hab. in graminosis Lapponiae rarissime. *Rh. Campanulae* duplo major. (Lapp.-Scan. pass.)

*Subdiv.* 2. *Corpus* parvum, pubescens. Thorax inaequalis, tuberculatus. Rostrum elongatum tenue, arcuatum. *Color* niger, opacus, saepe pictura albo-maculata. *Habitatio* in foliis herbarum, vix in fruticibus l. arboribus. *Differentia sexus* parum perspicua. *Falciger* DEJ. Catal. p. 84.

**24. R. didymus:** convexus niger, corpore subtus elytrorumque maculis quatuor albo-squamosis, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace canaliculato bituberculato, elytris profunde punctato-striatis. ♂♀. (Long. 1-1¼ lin.)

*Mas:* rostro subpubescente, segmento abdominis ventrali penultimo obsolete impresso.

*Fem.:* rostro glabro nitido, segmentis ventralibus non impressis; in copula.

FABR. Eleut. 2. 482. 209. GYLL. Ins. Sv. 3. 225. 131. ZETT. Fn. Lapp. 1. 311. 19. *Ceutorhynchus didymus* GERM. Ins. Spec. 1. 220. 10. *Curculio didmus* PANZ. Fn. 42. f. 17.

Hab. in Urtica dioica Lapponiae inferioris rar. *Rh. Campanulae* vix aequalis magnitudine. (Lapp.-Scan. freq.)

**25. R. Boraginis:** subdepressus niger, subtus cinereo-squamosus, elytris cinereo-irroratis, suturae basi albida, antennis fusco-ferrugineis, tarsis rufis, thorace canaliculato, bituberculato, elytris tenuiter striatis.

FABR. Eleut. 2. 483. 12. GYLL. Ins. Sv. 3. 227. 133. ZETT. Fn. Lapp. 1. 312. 20. *Curculio quadridens* PANZ. Fn. 36. f. 13.

Hab. in plantis Tetradymis Lapponiae rar. Priori angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs. Cryptorhynchus Boraginis* AHRENS. Fn. Europ. 4. 10. Citat. FABR. aliud omnino est insectum, mihi ignotum.

## *Sectio Secunda. Femoribus muticis.*

### Tribus I. Corpore oblongo.

*Subdiv.* 1. *Longirostres.* *Corpus* in plerisque majusculum. Rostrum elongatum, interdum arcuatum et tenue. *Color* niger, piceus, aridus. *Habitatio* in plantis et sub lapidibus. *Discrimen sexus* externum in rostri proportione saepe detegitur. *Hylobii*, *Pissoclis*, *Rhynchaeni*, *Rhinodis*, *Baris* et *Bagoi* species DEJEAN et SCHÖNH. *Pissodes* SCHÖNH.

**26. R. arcticus:** niger, griseo-pubescens, elytris puncto disci ventreque maculis seriatis utrinque, albo-pilosis, rostro crassiusculo thoraceque medio dilatato carinatis. ♂♀.

Var. a. pubescentia cinereo-alba.

GYLL. Ins. Sv. 3. 64. 1. ZETT. Fn. Lapp. 1. 312. 21. ♂♀. *Curculio arcticus* PAYK. Fn. 3. 221. 40.

Var. b. pubescentia albescenti-flava. — ZETT. l. c. var. b.

Hab. in truncis et foliis Salicum mense Jun. — Julio in Lapponia Tornensi vulgaris, in Lapponia Umensi s. meridionali passim quoque copiose, ex. gr. ad Lycksele, in copula frequenter captus, nec alpes reformidat et in ipso alpium jugo passim lectus. In inferalpinis Nordlandiae non nisi parce ad Björkvik vidi. Maximus nostratum, sequente plerumque dimidio major. (Lapponia; Botnia borealis.)

**27. R. Pineti:** pubescens subnitidus piceo-niger, antennarum basi tibiisque ferrugineis, elytris fasciculato-pilosis, rostro-crassiusculo thorace tereti, thorace subrugoso. ♂♀.

Var. a. ♂♀. elytrorum pilis fasciculatis albidis.

FABR. Eleut. 2. 440. 6. ZETT. Fn. Lapp. 1. 313. 22. ♂♀. a. *Hylobius Pineti* DEJ. Catal. p. 88.

Var. b. elytrorum pilis fasciculatis cinereo-flavicantibus.

GYLL. Ins. Sv. 3. 65. 2. a. ZETT. l. c. var. b. *Curculio Pineti* PAYK. Fn. 3. 223. 41.

Var. c. ♀. corpore toto piceo, pubescentia detrita, femoribus clavatis subtus subdentatis; ex hac varietate feminas plerumque cum varietate a., in copula inveni.

ZETT. l. c. var. c. ♀.

Hab. in truncis Pini sylvestris, at inprimis in ejus ligno recenter secato, in Lapponia sylvatica boreali et meridionali, usque ad Juckasjervi, Wackokoski et Karesuando ut et ad Umenaes, mens. Maj. — Julio sat frequens, in copula captus. Var. a. et c. vulgares, at var. b. vix nisi in Botnia boreali et Suecia occurrit. Priori saepe dimidio minor, *Rh. Abietis* similis, sed plerumque dimidio major et distinctus. (Lapp.-Blekingia var. b.)

**28. R. Pini:** rufo-piceus, supra parce, subtus densius pallido-squamosus, pectore abdomineque nigricantibus, rostro tenui ferrugineo, elytris profunde punctato-striatis, fasciis duabus macularibus, scutello thoracis punctis 4, pallido-squamosis. ♂♀.

*Mas:* rostro capite cum thorace paullo breviore, crebre punctato.

*Fem.:* rostro longitudine capitis cum thorace, quam in mare paullo tenuiori, subtilius et minus crebre punctato; in copula.

FABR. Eleut. 2. 440. 7. GYLL. Ins. Sv. 3. 66. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 314. 23. ♂♀. *Curculio Pini* LINN. Fn. Sv. 589. PANZ. Fn. 42. f. 1. *Pissocles Pini* DEJ. Catal. p. 87.

Hab. sub cortice Pini sylvestris et in ejus ligno nuper secato ac resinoso, per totam Lapponiam et borealem et meridionalem, usque ad terminum arborum frondiferarum mens. Jun. — Aug. vulgaris, in copula frequenter captus. Occurrit etiam, licet rar., in Pinetis ad Bossekop et Alten Finmarkiae, at in ipsis alpibus et in Nordlandiae inferalpinis, Pinubus destitutis, nunquam a me visus. Medius, priori saepe triplo minor. (Lapp.-Scan. rar.)

Variat, detritus, saepe totus rufo-piceus; fasciarum tamen maculae in elytris plerumque tenacius adhaerent.

**29. R. Hercyniae:** niger, pallido-squamosus, rostro tenui nigro, elytris profunde punctato-striatis, fasciis duabus macularibus albido-squamosis. ♂♀.

*Mas:* rostro capite cum thorace paullo breviore, crebre punctato.

*Fem.:* rostro longitudine capitis cum thorace, quam in ♂. paullo tenuiori, subtilius et minus crebre punctato.

GYLL. Ins. Sv. 3. 68. 4. ZETT. Fn. Lapp. 1. 314. 24. ♂♀. *Pissocles Hercyniae* DEJ. Catal. p. 87. *Curculio* 4-*notatus* PANZ. Fn. 57. f. 12.

Hab. in Lapponia, e Karesuando a D. GRAPE ad D. SCHÖNHERR missus. Praecedente triplo et ultra minor. (Lappon.-Ostrogoth. rar.)

**30. R. notatus:** rufo-piceus, supra parce, subtus densius pallido-squamosus, pectore abdomineque nigricantibus, rostro tenui nigro-piceo, elytris obsolete punctato-striatis, fasciis duabus, posteriori latiori, scutello thoracisque punctis 4, pallido-squamosis. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 3. 69. 5. ZETT. Fn. Lapp. 1. 315. 25. ♂♀. *Lixus notatus* FABR. Eleut. 2. 501. 17.? *Pissocles notatus* DEJ. Catal. p. 87.

Var. b. glabrior.

Hab. in sylvis acerosis Lapponiae borealis et meridionalis, mensib. Jul. — Sept. passim, ad Junosuando, Juckasjervi et Muonioniska, nec non ad Lycksele a me lectus; in Pinu sylvestri ad Alten Finmarkiae quoque vidi. *Rh. Pini* saepe duplo et ultra minor, at sequente paullo major. Rostrum secundum sexum ut in priori variat. (Lapp.-Ostrogoth. freq.)

**31. R. piniphilus:** rufo-piceus, albo-squamosus, pectore abdomineque nigricantibus, rostro tenui ferrugineo, apice nigricante, thorace laeviusculo, elytris obsolete punctato-striatis, macula media, scutello thoracisque punctis 4, albo-squamosis. ♂♀.

*Mas:* rostro paullo breviori et crassiori, quam in femina, et evidentius punctato.

*Fem.:* rostro vix longitudine capitis cum thorace, tenui, arcuato, nitido, subtilissime punctulato.

GYLL. Ins. Sv. 3. 70. 6. ZETT. Fn. Lapp. 1. 315. 26. ♂♀. *Curculio piniphilus* HERBST. Col. 7. 24. 582. T. 97. f. 4. B. *Pissocles piniphilus* DEJ. Catal. p. 88.

Hab. in frondibus Abietis, in Lapponia boreali rarissime, at in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele in ligno Pini recenter secato, d. 1—25. Jun. haud infrequenter lectus; prioribus affinis, minor, *Rhynch. acridulo* magnitudine aequalis. (Lapp.-Westrogothia rar.)

**32. R. Indigena:** angustus griseo-pubescens niger, rostro tenuissimo arcuato atro nitido, antennis elytrisque rufo-testaceis, pedibus piceis. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 3. 71. 7. ZETT. Fn. Lapp. 1. 315. 27. ♂♀. *Curculio Indigena* PAYK. Fn. 3. 252. 72. *Rhinodes Indigena* DEJ. Catal. p. 98.

Hab. in Pini sylvestris frondibus, in Lapponia mens. Aug. rarius, ad Muonioniska et Karesuando a me lectus. (Lapp.-Ostrogoth. pass.)

Minutus, *Apione vernali* vix latior, sed paullo longior, linearis. — Varietatem pallidiorem, in Ostrogothia frequentem, in Lapponia nunquam vidi.

**33. R. Aethiops:** oblongus punctatus glaber niger, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro longo arcuato, elytris punctato-striatis, interstitiis subtilissime punctulatis.

Fabr. Eleut. 2. 446. 41. Gyll. Ins. Sv. 3. 72. 8. Dej. Catal. p. 87. Zett. Fn. Lapp. 1. 316. 28.

Var. b. totus piceus. Umenaes.

Hab. sub lapidibus ad ripas arenosas Botniae borealis et Lapponiae et septentrionalis et meridionalis, passim; ad Kattilakoski, Juhonpietis, Wittangi et Juckasjervi mense Junio sat frequenter vidi. Statura sequentis, sed fere triplo major, *Rh. notato* aequalis, totus glaber. (Lapponia; Botnia ad Nordmaling 24. Maj.; Westrogothia rar.)

**34. R. acridulus**: oblongo-ovatus punctatus tenuiter griseo-pubescens niger, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro longo arcuato atro, elytris punctato-striatis, interstitiis rugosis. ♂♀.

*Mas:* rostro punctulato, striato.

*Fem.*: rostro punctulato, parum striato.

Fabr. Eleut. 2. 454. 79. Gyll. Ins. Sv. 3. 75. 10. Dej. Catal. p. 87. Zett. Fn. Lapp. 1. 316. 29. ♂♀. *Curculio acridulus* Linn. Fn. Sv. 584. Panz. Fn. 42. f. 10. *Rhynch. Scirpi* Fabr. Eleut. 2. 446. 43. teste Dej.

Var. b. ♂♀. elytrorum disco posteriori utrinque puncto cinereo piloso.

Zett. et Gyll. l. c. var. b. *Rhynch. punctum* Fabr. Eleut. 2. 442. 17.

Hab. locis humidis ad ripas Lapponiae passim, minus frequenter mihi obvius; praecedente triplo minor. (Lappon.-Scan. freq.)

**35. R. T. album**: lineari-elongatus tenuiter griseo-pubescens nitidus niger, pectoris ventrisque lateribus albo-squamosis, rostro mediocri incurvo, elytris striis laevibus.

Gyll. Ins. Sv. 3. 79. 14. Zett. Fn. Lapp. 1. 317. 30. *Curculio T. album* Linn. Fn. Sv. 594. *Baris T. album* Germ. Ins. Spec. 1. 199. c. *Baris Atriplicis* Dej. Catal. pag. 99.

Hab. in Botnia occidentali D. Solander, teste Linné; in Lapponia etiam habitare fertur, mihi ibi non obvius. Longitudo fere *Rh acriduli*, sed duplo angustior, sublinearis. (Lapponia; Botnia; Gottlandia et Scania freq.)

**36. R. Alismatis**: lineari-elongatus opacus niger, squamis cinereis supra variegatus, subtus omnino tectus, antennarum medio tibiisque arcuatis ferrugineis, rostro breviusculo subarcuato, elytrorum interstitiis planis.

Gyll. Ins. Sv. 3. 87. 21. var.? Zett. Fn. Lapp. 1. 317. 31. *Bagous productus* Dej. Catal p. 89. var. *Hydronomus Alismatis* Schönh. Syn. Curc. 3. 1. 317. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime, ad Karesuando d. 15. Aug. unicum specimen inveni. (Lapp.-Scan. freq.)

Minutus, *Rhynch. Indigenae* aequalis. Rostrum subarcuatum. Thorax cylindricus, lateribus leviter impressus, dorso niger (an detritus?). Elytra sublinearia, apice attenuata declivia, tenuissime punctato-striata, interstitiis planis subtilissime coriaceis, dorso nigra vix squamosa, relicto poue medium utrinque puncto albido. Femora parum clavata. Tibiae subarcuatae, ferrugineae, in medio infuscatae. — A *Rhynch. Alismatis* Gyll. igitur paullo discrepat, sed cum huic proxime accedat, ex unico individuo, forte detrito, novam speciem formare nolui.

**37. R. Equiseti**: oblongo-ovatus niger, tibiis ferrugineis, rostro longissimo arcuato, atro, thoracis globosi lateribus, elytrorum tuberculatorum limbo dense, punctisque duobus disci albido-squamosis. ♂♀.

Fabr. Eleut. 2. 443. 24. Gyll. Ins. Sv. 3. 91. 24. Dej Catal. p. 87. Zett. Fn. Lapp. 1. 318. 32. ♂♀. *Curculio Equiseti* Panz. Fn. 42. f. 4.

Hab. sub lapidibus et in herbis humilioribus locis aridis et arenosis in Lapponia et boreali et meridionali, per regionem sylvaticam mensib. Maj. — Jul. passim frequens, mense Junio saepe in copula captus; in Nordlandiae inferalpinis, ex. gr. ad Bjorkvik quoque rarius legi. Statura fere *Rh. Lapathi*, sed saepius dimidio minor. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Qui in Sueciae Equiseto arvensi vulgaris occurrit, a Lapponico nihilo differt.

**38. R. atrirostris**: oblongo-ovatus niger, tibiis ferrugineis, rostro longissimo arcuato atro: thoracis globosi lateribus elytrisque dense albido-squamosis, his dorso antico fusco-maculatis.

Fabr. Eleut. 2. 445. 34.? Gyll. Ins. Sv. 3. 92. 25. Zett. Fn. Lapp. 1. 318. 33. *Grypidius Equiseti* var. β. Schönh. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. p. 315.

Hab. sub lapidibus locis arenosis ad Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ad novaculum Umenaes Lapponiae Umensis, d. 7. Jul., ut et ad Björkvik Nordlandiae, saepe cum praecedente, a quo parum discrepat nisi magnitudine paullo minori, et elytris squamis albidis et flavescentibus fere undique tectis, maculis tantum quibusdam denudatis fuscis in dorso antico. (Lapponia.)

*Subdiv.* 2. *Brevirostres*. *Corpus* mediocriter magnum seu parvum, oblongum. Rostrum breviusculum. *Color* nigricans, griseus. *Habitatio* in foliis et floribus plantarum, saepe sociatim. Pupa viridi-flavescens, subpellucida, herbis adfixa, medio aestatis deprehenditur. *Differentia sexus* externa vix nisi ex proportione rostri diversa concluditur. *Hyperae* et *Ellesci* species Dejean. *Phytonomus* Schönh. Syn. Curc. g. 142.

**39. R. Rumicis**: niger, squamulis cinereo-albidis nitentibus variegatus, antennis ferrugineis, clava fusca, rostro breviori subrecto, extrorsum crassiori, thorace subcylindrico, vittis duabus dorsalibus fuscis. ♂♀.

*Mas:* rostro vix longitudine thoracis, recto.

*Fem.*: rostro longitudine capitis cum thorace, subrecto; in copula.

Fabr. Eleut. 2. 456. 93. Gyll. Ins. Sv. 3. 94. 27. cum var. Zett. Fn. Lapp. 1. 319. 34. ♂♀. *Phytonomus Rumicis* Schönh. Syn. Curc. T. 2. P. 2. 370. 2. *Curculio Rumicis* Linn. Fn. Sv. 590. *Curculio Acetosae* Panz. Fn. 42. f. 9. *Hypera Acetosae* Dej. Catal. p. 80.

Var. b. ♂♀. squamulis testaceis variegatus.

Gyll. l. c. var. c. Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Var. c. corpore toto squamulis cinereis fere aequaliter tecto, thoracis dorso subdenudato; vix species distincta, nam forma thoracis et cetera conveniunt.

Hab. in foliis Rumicis, in Lapponia rarius; varietatem c. in insula Dyroen 21. Jul. tantum legi. Medius, *Rh. Polygoni* fere aequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

**40. R. Miles**: apterus niger, dense cinereo-pubescens et squamulosus, antennis ferrugineis, clava fusca, elytris fusco-punctatis, rostro breviori subrecto, thorace subgloboso. ♂♀.

*Mas:* angustior, elytris posterius subcompressis, ventre segmentis sex, quorum penultimum ceteris longius, apice in medio rotundato-productum, ultimum angustum, sinuatum.

*Fem.*: saepe major, latior, elytris posterius subdepressis, ventre segmentis quinque, quorum ultimum paullo longius apice rotundatum; in copula.

Gyll. Ins. Sv. 3. 97. 29. Zett. Fn. Lapp. 1. 319. 35. ♂♀. *Hypera Miles* Dej. Catal. p. 89.

Hab. in graminosis Lapponiae rarius. Femina *Rhynch. Rumicis* paullo major, latior, thorax convexior, magis dilatatus. (Lapp.-Scan. freq.)

**41. R. elongatus**: apterus niger, cinereo pubescens, rostro arcuato, thorace rotundato subtrilineato, elytris elongatis, obsolete fusco-maculatis. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 3. 99. 31. *Phytonomus elongatus* Schönh. Syn. Curcul. 2. P. 2. 374. 9. ♂♀.

Hab. — E. Groenlandia a D. Westermann mecum communicatus; *Rh. milite* paullo major. (Groenlandia, Suecia rariss.)

**42. R. Polygoni**: griseo pubescens niger, thoracis rotundati dorso albo-lineato, elytris cinereo-squamosis lineis tribus abbreviatis nigris, sutura dentata alba posterius nigro-dentata, rostro breviori crasso subarcuato. ♂♀.

Gyll. Ins. Sv. 3. 109. 39. Zett. Fn. Lapp. 1. 320. 36. ♂♀. *Curculio Polygoni* Fabr. Eleut. 2. 520. 77. *Hypera Polygoni* Dej. Catal. p. 89.

Var. b. elytris griseo-testaceis, lineis brunneis suturaque brunneo-dentata; forte junior.

Zett. et Gyll. l. c. var. b. *Curculio Polygoni* Linn. Fn. Sv. 597.

Hab. sub lapidibus et in plantis, locis aridis in Lapponia sylvatica boreali mens. Jun. Jul. passim, in copula captus; in Lapponia meridionali tantum ad Badstutraesk d. 30. Jun. mihi obvius. Varietas b. non nisi rarissime occurrit. Medius, *Rhynch. Rumicis* paullo longior, sed non latior. (Lapp.-Scan. freq.)

**43. R. posticus**: parum cinereo-pubescens niger, antennis, tibiis elytrorumque apice ferrugineis, rostro breviori, crassiusculo subarcuato, thorace subgloboso.

Gyll. Ins. Sv. 3. 113. 41. var. major. Zett. Fn. Lapp. 1. 320. 37

Hab. in Nordlandia septentrionali rarissime, in alpe Andeness prope Malangerfjord d. 23. Jul. a me lectus. Parvus, priori triplo et ultra minor. (Lapp.-Scan. var. major.)

Pectus parum albido-squamosum. Thorax linea utrinque cinereo-squamosa evidentiori. Antennae ferrugineae, clava obscuriori. Elytrorum apex et summus margo posticus, anguste rufo-picei. Paullo igitur a genuino differt, vix tamen alia species. Specimen lapponicum suecicis duplo minus, *Rh. nigrirostri* brevius, sed paullo latius.

**44. R. borealis:** brunneus, thoracis subglobosi dorso lineis alternis griseis nigrisque pilosis, elytris ovatis, maculis griseis nigrisque variegatis

GYLL. Ins. Sv. 3. 115. 43. ZETT. Fn. Lapp. 1. 321. 38. *Curculio borealis* PAYK. Fn. 3. 249. 68. *Rhynch. dissimilis* GYLL. l. c. 4. 572. *Phytonomus dissimilis* SCHÖNH. Syn. Curc. 2. 2. 392. 36.

Hab. in Salice arenaria ad Muonioniska Botniae borealis, initio mensis Junii D. QUENSEL, teste D. PAYKULL, mihi nec ibi, nec alibi obvius. (Botnia borealis.)

*Rhynch. nigrirostri* paullo minor. — In Lapponia propria hoc insectum non quidem adhuc lectum est, quantum novi; sed cum ad Muonioniska, Lapponiae limiti tam proximam, inventum fuerit, in Fauna nostra Lapponica insectum mere boreale desiderari nolui.

**45. R. bipunctatus:** minutus angustus, dense et longe cinereo-pubescens niger, antennis, tibiis tarsisque rufo-testaceis, elytris ad suturam medio utrinque macula denudata nigra, rostro breviusculo, cylindrico, subarcuato. ♂♀.

FABR. Eleut. 2. 452. 70. GYLL. Ins. Sv. 3. 119. 46. ZETT. Fn. Lapp. 1. 321. 39. *Curculio bipunctatus* LINN. Fn. Sv. 599. PANZ. Fn. 42. f. 7. *Ellescus bipunctatus* DEJ. Catal. p. 87. SCHÖNH. Syn. Curcul. 3. 1. 322. 2.

Var. b. elytrorum pubescentia flavescenti-cinerea.

ZETT. l. c. var. b.

Var. c. tibiis nigricantibus.

GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. b.

Hab. in floribus et praesertim in amentis femineis Salicum, in Lapponia ad Wittangi rarius; sed ad cataractam Korpikoski inter Turtola ,et Kengis Botniae borealis d. 3. Jun. in copula sat copiose vidi; var. c. in Salice ad Lycksele Lapponiae meridionalis d. 16. Jun. semel in copula inveni. *Rhynch. sylvestri* minor, angustior. (Lapp.-Scan. pass. freq.)

**46. R. Carpini:** niger subdepressus, pube cinereo-sericea nitida tectus, antennis pedibusque testaceis, rostro longissimo, arcuato.

GYLL. Ins. Sv. 3. 120. 47. *Acalyptus Carpini* SCHÖNH. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. 447. 2.

Hab. in Lappon. Norvegica; in Salice caprea ad Naes in Werdalen d. 4. Jun. a D. BOHEMAN inventus. Priori paullo brevior, sed latior, magis depressus. (Lapp.-Norv.-Suecia-Scan. pass.)

**47. R. Lythri:** minutus, parce griseo-pubescens nitidus niger, antennis, pedibus elytrorumque macula media fasciaque postica abbreviata testaceis, rostro longiusculo subarcuato, thorace conico.

FABR. Eleut. 2. 453. 76. GYLL. Ins. Sv 3. 127. 52. ZETT. Fn. Lapp. 1. 321. 46. *Orobitis Lythri* DEJ. Catal. p. 84.

Hab. rarissime in Lapponia, locis ubi crescit Lythrum Salicaria, cujus floribus delectatur; ad Lycksele mense Jun. a me lectus. Praecedente paullo minor. (Lapp. meridional.-Scan. pass.)

## Tribus II. Corpore brevi ovato l. subquadrato.

*Subdiv.* 1. *Longirostres. Mutici. Corpus* parvum. Rostrum longissimum, tenue, arcuatum. Thorax aequalis, non tuberculatus. Elytra anum non tegentia. *Color* niger, rufescens. *Habitatio* in floribus et foliis plantarum. *Sexus* ex impressione ventris interdum conjicitur. *Falciger* et *Cleopus* DEJ. *Gymnaetron* SCHÖNH.

**48. R. Campanulae:** subdepressus niger, pilis cinereo-albidis, thoracis parce, elytrorum seriatis, adspersus, thorace postice rotundato. ♂♀.

*Mas:* segmento abdominis ventrali penultimo in medio foveato, et denticulis duobus armato.

*Fem.*: segmento eodem convexo, mutico; in copula.

FABR. Eleut. 2. 448. 52. GYLL. Ins. Sv. 3. 130. 55. ZETT. Fn. Lapp. 1. 322. 41. ♂♀. *Curculio Campanulae* LINN. Syst. Nat. 2. 607. 7. PAYK. Fn. 3. 212. 29. *Cleopus Campanulae* DEJ. Catal. p. 83.

Hab. in Lychnide alpina et Geranio sylvatico Nordlandiae Norvegicae mens. Julio passim; in insula Schiervoe ad latera Raschstind in copula sat copiose vidi. In Lapponiis Suecicis rarius; ibique in floribus Leontodontis, Ranunculi auricomi, aliisque pratensibus ad Lycksele Lapponiae meridionalis d. 16. Jun. sat copiose, etiam saepe in copula, vidi. Medius inter minores, *Rh. Geranii* aequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Quem Ill. PAYKULL l. c. ut feminam descripsit, ad *Rhynch. Graminis* referri debet.

**49. R. rubicundus:** convexus niger cinereo-squamosus, elytris pilosiusculis, profunde punctato-striatis pedibusque rufescentibus, sutura fusca, basi albo-squamosa.

Var. a. elytris rufo-ferrugineis.

GYLL. Ins. Sv. 3. 136. 60. ZETT. Fn. Lapp. 1. 322. 42. *Curculio rubicundus* PAYK. Fn. 3. 263. 84. *Falciger rubicundus* DEJ. Catal. p. 84.

Var. b. elytris obscurius rufo-brunneis.

ZETT. et GYLL. l. c. var. b.

Var. c. elytris ut in varietate a., thorace etiam rufescente.

PAYK. l. c. var. ZETT. l. c. var. c.

Hab. in Betula alba Lapponiae Suecicae passim, nec non in Nordlandia ad Giebostad et Lyngen mens. Julio; varietatem b., ad Alteidet Finmarkiae tantum legi. *Rh. Quercus* magnitudine et habitu similis. (Lapp.-Scan. pass. rar.)

**50. R. Scortillum:** convexus niger, elytris profunde punctato-striatis, apice late, pedibusque rufescentibus, sutura basi corporeque subtus albo-squamosis.

GYLL. Ins. Sv. 3. 135. 59. ZETT. Fn. Lapp. 1. 323. 43. *Amalus Scortillum* SCHÖNH. Syn. C. T. 3. P. 1. p. 396. 1. *Falciger Scortillum* DEJ. Catal. p. 84.

Hab. in graminosis Lapponiae infimae rarissime; minutus; *Rhynch. Lemnae* parum major. (Lapp.-Scan. rar.)

*Subdiv.* 2. *Variirostres. Tuberculati. Corpus* saepe minutum. Rostrum varium. Thorax tuberculatus. *Color* niger, metallicus. *Habitatio* in plantarum foliis et floribus; plantas natales rarius relinquunt imagines. Larvae et pupae in gallis vel tuberculis radicum inveniuntur. *Differentia sexus* externa vix ulla. *Ceutorhynchus* SCHÜPP. GERM.

*A. Tenuirostres:* rostro longiori tenui, arcuato, pectori plerumque arcte applicato. (Thorax antice transversim impressus, margine elevato reflexo). *Falciger* DEJEAN. Catal. p. 84. *Ceutorhynchus* SCHÖNH.

**51. R. Geranii:** opacus niger, subtus albido-squamosus, thorace convexo obsolete bituberculato, elytris striatis, interstitiis muricatis. ♂♀.

*Mas:* ventre subretuso.

*Fem.*: saepe paullo major ventre subconvexo; in copula.

GYLL. Ins. Sv. 3. 140. 62. ZETT. Fn. L. 1. 324. 44. ♂♀. *Curculio Geranii* PAYK. Fn. 3. 256. 76.

Hab. in floribus Geranii, in Lapponia per partem sylvaticam rarius. Magnitudo et fere statura *Rhynch. didymi.* (Lapp.-Scan. freq.)

**52. R. Erysimi:** subnitidus obscure aeneus, antennis, rostro pedibusque nigris, elytris caeruleo-virescentibus, profunde punctato striatis, humeris prominulis, thorace canaliculato, bituberculato. ♂♀.

FABR. Eleut. 2. 452. 72. GYLL. Ins. Sv. 3. 142. 64. ZETT. Fn. Lapp. 1. 324. 45. ♂♀.

Hab. in plantis Tetradynimis Lapponiae infimae rarius; ad Muonioniska et Karesuando medio mens. Aug. a me lectus, in Lapponia Umensi quoque parcissime visus. Pusillus, priori triplo et ultra minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**53. R. contractus:** subnitidus, aenescenti-niger, elytris nigro-caerulescentibus profunde punctato-striatis, humeris prominulis, thorace obsolete canaliculato bituberculato. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 3. 143. 65. ZETT. Fn. Lapp. 1. 324. 46. ♂♀. *Curculio contractus* MARSH. Ent. Br. 1. 250. 36.

Hab. in graminosis ut etiam sub lapidibus locis aridis in Lapponia sylvatica rarius, pauca tantum specimina ad Wittangi medio mensis Junii vidi. Statura et affinitas praecedentis, sed duplo minor, *Rh. Lemnae* aequalis. (Lappon.-Scan. freq.)

**54. R. floralis:** opacus niger, elytris obsoletis crenato-striatis, cinereo-lineatis, humeris prominulis, sutura corporeque subtus dense albido-squamosis, thorace subconvexo, canaliculato, bituberculato, basi bisinuato. ♂♀.

FABR. Eleut. 2. 450. 59. GYLL. Ins. Sv. 3. 145. 67. ZETT. Fn. Lapp. 1. 325. 47. ♂♀.

Hab. in Nordlandia Norvegica passim; in copula; ad Björkvik juxta Ofotenfjord d. 14. Jul. plura individua legi, sed in Lapponia Suecica hunc non vidi. Minutus, priori tamen paullo major. (Lapp.-Scan. freq.)

**55. R. Ericae:** niger, suturae basi pectoreque albido-squamosis, rostro, antennis pedibusque rufis, thorace subdepresso, bituberculato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis rugulosis et pilis rigidis seriatim adspersis.

GYLL. Ins. Sv. 3. 147. 69. var.? *Ceutorhynchus Ericae* „var. obscura," SCHÖNH. in litteris 1836.

Hab. in Lapponia, ubi prope Karesuando unicum specimen mens. Aug. inveni. (Lapp.-Gottlandia et Ostrogothia var. genuina pass. copiose, sed var. obscura seu species nostra tantum in Smolandia inventa; etiam e Parisia ad D. SCHÖNH. missa.)

*Rhynch. florali* parum major. Caput nigrum albo-squamosum s. pilosum. Rostrum longissimum, tenue, arcuatum, ferrugineo-piceum, apice nigricans. Antennae ut in *Rh. florali* formatae, colore rufae. Thorax niger, albido-squamosus, versus basin tuberculo parvo utrinque armatus. Elytrorum interstitia rugulosa et pilis rigidis cinereis seriatim adspersa, sutura a basi fere ad medium albo-squamosa. Humeri prominuli. Corpus subtus nigrum, thorace pectoreque dense, abdomine parce, albo-squamosis. Pedes rufi, cinereo-pubescentes.

Differt praeprimis a *Rh. Ericae* Gyll. corpore minime virescente pollinoso; nec specimen nostrum detritum videtur. An species distincta, vel varietas obscura ex climate? Cum *Rh. Ericae* in plurimis convenit.

*B. Crassirostres*: rostro breviori, incrassato. (Thorax antice transversim impressus, margine parum elevato et vix reflexo). *Campylirhynchus* DEJEAN Catal. p. 84. *Phytobius* SCHÖNH. Syn. Curc. gen. 239.

**56. R. pericarpius:** niger, suturae basi corporeque subtus albido-squamosus, antennis pedibusque ferrugineis, thorace obsolete bituberculato, elytrorum interstitiis subplanis, subtiliter coriaceis. ♂♀.

*Mas:* ventre in medio subretuso.

*Fem.:* saepe paullo major, ventre subconvexo; in copula.

FABR. Eleut. 2. 451. 65. (exclus. Syn. PANZ.) GYLL. Ins. Sv. 3. 157. 78. ZETT. Fn. Lapp. 1. 326. 49. ♂♀.

Hab. in plantis Lapponiae Suecicae passim. Mas *Rh. didymo* magnitudine aequalis, femina saepissime duplo major. (Lapp.-Scan. freq.)

**57. R. Castor:** niger, supra cinereo-subnebulosus, suturae basi corporeque subtus albo-squamosis, pedibus fusco-rufo-testaceis, thorace bituberculato, antice subreflexo, elytrorum interstitiis tuberculatis. ♂♀.

FABR. Eleut. 2. 451. 64. GYLL. Ins. Sv. 3. 159. 80. ZETT. Fn. Lapp. 1. 326. 50. ♂♀. *Curculio pericarpius* LINN. Fn. Sv. 602. forte?

Var. b. nigrior, supra parum albido-squamosus et pilosus; pedibus rufis. — ZETT. et GYLL. l. c. var. b.

Hab. in Lapponia Suecica passim: in arenosis ad ripam fluminis Tornensis prope Juckasjervi initio mensis Julio, ut in locis aridis ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 20 — 24. Jun., sat copiose a me visus. In Botnia boreali ad Johannis Ro jam initio mensis Maji quoque frequenter occurrit. (Lappon.-Scan. freq.)

*Obs.* Synonymon Linnaei mihi dubium videtur. Forte sub eo, quem l. c. descripsit vir Illust. latent duae species, scilicet *Rh. pericarpius* et *Castor*, in Suecia inferiori aeque vulgares et saepe simul legendae. Specimina lapponica a scanensibus differunt: elytris parum cinereo nebulosis, thoracis margine antico minus elevato pedibusque magis rufis, quam testaceis, sed vix propriam constituunt speciem. Praecedente paullo minor, sequente vero plerumque major.

**58. R. Comari:** niger, supra cinereo-variegatus, subtus albido-squamosus, antennis, tibiis tarsisque rufo-testaceis, thorace canaliculato obsolete bituberculato; elytrorum interstitiis subconvexis subtilissime coriaceis.

GYLL. Ins. Sv. 3. 156. 77. ZETT. Fn. Lapp. 1. 327. 51. *Phytobius Comari* SCHÖNH. Syn. Curc. T. 3. P. 1. p. 462. 8.

Hab. in plantis paludosis, in Lapponia rarissime. *Rhynch. didymo* duplo fere minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**59. R. 4-tuberculatus:** niger, supra cinereo-nebulosus, subtus albido-squamosus, tibiis testaceis, thorace depresso, foveolato, quadrituberculato.

GYLL. Ins. Sv. 3. 153. 74. *Phytobius Comari* SCHÖNH. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. p. 462. 9.

Hab. in Lapponia rarius; ad ripas fluminis Gulelfven ad Walland in districtu meridionali Trondhiem Norvegiae d. 16. Jun. a D. BOHEMAN captus; ad Åsele Lapponiae Suecicae meridionalis-Ostrogoth.-Scania ad Lund etc. 8. Maj. — 20. Sept. freq., sub muscis hybernans.)

---

## 114. Cionus.

LATR. Gen. Crust et Ins. 280. DEJ. SCHÖNH. *Rhynchaenus* FABR. GYLL.

*Corpus* parvum, ovato-quadratum, crassum. Antennae paullo post medium rostri insertae, 10-articulatae, clava oblongo-ovata, 4-articulata. Rostrum capite cum thorace longius, crassiusculum, subarcuatum. Thorax minimus. Abdomen subquadratum. *Color* niger, pilis albidis; pictura subtessellata. *Motus* tardus. *Habitatio* in plantis, praesertim in Scrophularia, ubi larvae gelatinosae, pupae in folliculo flavo subpellucido, et imagines tota vita tenaciter versantur. *Differentia sexus* in structura ani mox invenienda. (Spec. Scand. 6.)

**1. C. Scrophulariae:** niger, thorace pectoreque dense albido-pilosis, elytris brunneis, interstitiis alternis elevatioribus, atro-alboque tessellatis, maculis 2 suturalibus rotundatis, atro-holosericeis.

*Mas:* ventre subretuso, segmento ultimo exserto, penultimo deflexo, in medio longe et dense cinereo-villoso.

*Fem.:* ventre subconvexo, ano sub elytris occultato, parum piloso; in copula.

DEJ. Catal. p. 83. *Curculio Scrophulariae* LINN. Fn. Sv. 603. *Rhynchaenus Scrophulariae* FABR. Eleut. 2. 478. 191. GYLL. Ins. Sv. 3. 212. 121. var. b.

Hab. in Lapponia rarius. Magnitudo minoris Pisi. *Rhynchaeno Equiseti* multo brevior, sed saepe vix angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

---

## 115. Orchestes.

SCHÖNH. Syn. Curc. Gen. 250. ILLIG. DEJ. *Rhynchaenus* FABR. GYLL.

*Corpus* pusillum, oblongo-ovatum, alatum. Rostrum elongatum validiusculum arcuatum inflexum. Oculi magni, saepissime approximati. Thorax parvus. Pedes saltatorii, femoribus posticis crassis *). *Color* niger, testaceus. *Motus* saltatorius. *Habitatio* in foliis arborum et fruticum. *Sexus* longitudine rostri dissimili in paucis dignoscitur. (Spec. Scand. 2, quaedam capite parvo inflexo, oculis in fronte fere convenientibus etc. distinctae.)

### *Sect. 1. Femoribus posticis denticulatis.*

**1. O. scutellaris:** rufo-ferrugineus, oculis rostri apice, thorace subtus, pectore abdomineque nigris, scutello albido-piloso, femoribus posticis unidenticulatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 3. 240. 141. SCHÖNH. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. p. 491. 2.

Hab. in foliis Alni ad Lycksele et Asele, Lapp. Umensis, d. 5. Jun. — 26. Jul. passim copiose, in copula frequenter captus. Mas rostro paullo breviori quam in femina. (Lapp.-meridionalis-Suecia media pass.-Scan. freq.)

**2. O. suturalis:** griseo-pubescens obscure ferrugineus, oculis, rostro, thorace subtus, pectore, abdomine elytrorumque sutura nigris, scutello albido-piloso, femoribus posticis unidentatis. ♀. (Long. $1\frac{1}{6}$ lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Wilhelmina d. 17. Jul. 1832 a me inventus. (Lappon. Suec. sylvat.)

Similis praecedenti, sed forte paullo major, obscurior, rostro fere toto (summa basi excepta), suturaque elytrorum distincte nigris, mox diversus. Elytra et pedes piceo-ferruginea.

### *Sect. 2. Femoribus posticis muticis.*

**3. O. Salicis:** depressus niger, antennis rufis, clava fusca, scutello fasciisque duabus elytrorum undato-flexuosis albido-pilosis, prima in medio flavicante, thorace angusto, basi subtruncato. ♂♀. (Long. circit. 1 lin.)

*Mas:* rostro longitudine thoracis, subarcuato, basi pubescente.

*Fem.:* rostro longitudine thoracis cum capite, basi parum pubescente; in copula.

DEJ. Catal. p. 82. ZETT. Fn. Lapp. 1. 328. 1. ♂♀. *O. bifasciatus* SCHÖNH. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. p. 502. 26. *Curculio Salicis* LINN. Fn. Sv. 610.? *Rhynchaenus Salicis* FABR. Eleut. 2. 494. 264.? GYLL. Ins. Sv. 3. 245. 145. certe.

Hab. in foliis Salicis, in Lapponia rarius, ad montem Altavaara prope Juckasjervi nec non in Lapponia meridionali ad Åsele, d. 25. Jul., a me lectus, agilissime saliens. Parvus, depressus, *Rh. didymo* fere minor. (Lapp.-Hernösand 20. Maj.-Scan. freq.)

**4. O. bifasciatus:** ovatus niger, antennis tarsisque rufis, elytrorum sutura baseos fasciisque 2 macularibus, approxi-

---

*) In speciebus nostris femora saepissime mutica. *Orchestes viminalis*, *Alni*, *Ilicis*, *Fagi*, etc. femoribus dentatis aut serratis, qui in Sueciae inferioris Quercu, Alno, Betula et Fago frequenter leguntur, e Lapponia exsulant.

matis, albido-pilosis, thorace latiore profundius punctato. (Long. $\frac{7}{8}$ lin.)

Steph. Brit. Ent. 4. 64. 16. Dej. Catal. p. 83. *Rh. bifasciatus* Gyll. Ins. Sv. 3. 247. 147. *Orchest. Rusci* Schönh. Syn. Curcul. T. 3. P. 1. p. 501. 25.

Hab. in Lappon. meridion. passim; in foliis Betulae albae ad Lycksele, Wilhelmina et Stoettingsfjellet, d. 24. Jun. — 30. Jul. a me lectus. (Lapp.-Scan. pass.)

**5. O. ruficornis:** oblongus, tenuiter pubescens niger, antennis totis, tibiis tarsisque rufis. (Long. $\frac{7}{8}$ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in Salice ad Lycksele d. 20. Jun. semel a me inventus. (Lappon. meridion.)

Statura corporis, forma thoracis et striatura elytrorum ut in *O. scutellari*, sed magnitudine paullo minori, colore, femoribus muticis etc. abunde distinctus. Rostrum breviusculum. Oculi parvi, late distantes. Vix *O. calceatus* Schönh.; in nostro enim scutellum non album, et elytra tenuiter pubescentia.

**6. O. Jota:** convexus niger, scutello niveo-piloso, elytris profunde crenato-striatis, interstitiis rugosis, oculis in fronte conniventibus. ♂♀. (Long. 1—1$\frac{1}{8}$ lin.)

*Mas:* rostro longitudine thoracis, subarcuato, subpubescente.

*Fem.:* rostro longitudine thoracis cum capite, glabriusculo.

Zett. Fn. Lapp. 1. 329. 2. ♂♀. *Rhynchaen.* idem Gyll. Ins. Sv. 3. 248. 148. *Orchestes albo-scutellatus* Dej. Catal. p. 82. *Orch. Stigma* Schönh. Syn. Curc. 3. 1. 504. 30.

Hab. in foliis Salicis et Betulae, in Lapponia boreali rarius; meridionali frequenter; saliens. Magnitudo fere praecedentis. (Lapp.-Scan. pass.)

**7. O. Saliceti:** convexus niger, antennarum basi tibiisque testaceis, scutello pectoreque albido-pubescentibus, thorace rotundato, elytris profunde punctato-striatis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{1}{2}$ lin.)

Dej. Catal. p. 83. Zett. Fn. L. 1. 329. 3. ♂♀. Schönh. Syn. Curc. 3. 1. 504. 31. *Rhynchaen. Saliceti* Fabr. Eleut. 2. 493. 262. Gyll. Ins. Sv. 3. 250. 150.

Hab. in floribus Salicis ut et in plantis aquaticis, ad Åsele et in Nordlandia Norvegica passim; ad Björkvik mens. Julio sat copiose visus. (Lapp.-Scan. rar.)

Valde minutus, prioribus triplo et ultra minor. Oculi connivents. Antennae ferrugineae, clava fusca. Corpus subpubescens.

**8. O. pulicarius:** glaber subnitidus niger, antennis testaceis, clava fusca, rostro inflexo, pectori arcte applicato, thorace rotundato, elytris punctato-striatis, interstitiis planis. ♂♀. (Long. vix $\frac{1}{2}$ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 329. 4. *Rhynch. pulicarius* Gyll. Ins. Sv. 3. 251. 151. *Rhamphus flavicornis* Schönh. Syn. Curc. T. 1. P. 1. (gen. 37.) p. 310. 1. Oken Naturg. 3. p. 773.

Hab. in foliis Betulae albae et in graminosis Lapponiae rarius; praecedente fere adhuc minor, *Latridio gibboso* aequalis; celerrime saliens. (Lapp.-Scan. freq.)

**9. O. plantaris:** convexus niger, antennis basi testaceis, scutello pectoreque albido-squamosis, rostro crasso, oculis remotis, thorace postice latiore. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$—1 lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 330. 5. *Rhynchaen. plantaris* Gyll. Ins. Sv. 3. 252. 152. *Anoplus plantaris* Dej. Catal. p. 85. Steph. Brit. Ent. 4. 52. 1. Schönh. Syn. T. 3. P. 1. p. 465. 1. ♂♀.

Hab. in foliis Betulae albae, in Nordlandiae inferalpinis frequens, mens. Julio in copula captus; in Lapponia Suecica rarius, ex. gr. ad Lycksele et Almsele, Lapponiae Umensis, d. 15. Jun. — 24. Jul., in copula; parum saliens. (Lapp.-Scan. pass.)

Duobus proxime praecedentibus paullo major; *Orchest. Jota* similis, sed minimis ejus adhuc duplo minor, brevior, ovatus, magis convexus. Femora postica parum incrassata, vix tamen *Rhynchaeni* generi associandus.

## 116. Curculio.

Fabr. Syst. Elent. 162. Gyll.

*Corpus* mediae magnitudinis, interdum parvum, saepe oblongo-ovatum. Antennae fractae, versus apicem lateralem rostri insertae, clava triarticulata. Rostrum breviusculum, crassum, versus apicem plerumque dilatatum. *Color* varius, plerumque obscurus, griseus, raro virescens, nunquam rufus; pictura haud determinata. *Motus* tardiusculus. *Habitatio* in foliis plantarum, sub lapidibus etc., nunquam in floribus. *Differentia sexus* rarissime in externis detegenda. (Spec. Scand. 65, ab Auctoribus recentioribus sub pluribus generibus, a me sub certis subdivisionibus comprehensae.)

### *Sectio prima. Femoribus dentatis.*

*Subdiv. 1.* Alati. °)

*Corpus* parvum, oblongum, subcylindricum, squamulis tectum. *Color* viridis, cinereus, nitidus. *Habitatio* in foliis arborum et fruticum, saepe sociatim. *Polydrusus* Dej. Catal. p. 93. *Phyllobius* Schönh. Syn. Curc. gen. 152.

**1. C. argentatus:** nigro-piceus, squamulis rotundatis viridi-argenteis tectus, pilisque albidis adspersus, antennis crassiusculis, tibiis tarsisque flavescentibus, femoribus valide dentatis. ♂♀. (Long. 1$\frac{1}{2}$—1$\frac{3}{4}$ lin.)

Linn. Fn. Sv. 624.? Fabr. Eleut. 2. 543. 220. Payk. Fn. Sv. 3. 283. 106. certe. Gyll. Ins. Sv. 3. 324. 47. Zett. Fn. Lapp. 1. 331. 2. ♂♀. *Phyllobius argentat.* Schönh. Syn. Curc. T. 2. P. 2. 446. 15. ♂♀.

Hab. in foliis Betulae et Urticae, in Lapponia rarius. Statura *Curc. Pyri*, sed duplo et ultra minor. (Lapp.-Scan. fr.)

**2. C. cervinus:** niger, squamulis rotundatis cinereis nitidulis tectus, elytrorum maculis denudatis fuscis variegatus, antennis tenuibus basi rufescentibus, femoribus dente parvo armatis. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 627. certe. Gyll. Ins. Sv. 3. 332. 52. Zett. Fn. Lapp. 1. 331. 2. ♂♀. *Polydrusus cervinus* Germ. Ins. Spec. 1. 452. 3. *Curculio Iris* Fabr. Eleut. 2. 541. 206. *Polydrusus Iris* Dej. Catal. p. 93. *Polydrosus cervinus* Schönh. Syn. Curc. 2. 1. 144. 16.

Hab. in foliis fruticum Lapponiae rarius. Priori saepe duplo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

*Subdiv. 2.* Apteri.

*Corpus* plerumque minusculum, oblongo-ovatum. *Color* obscurus, raro virescens, parum nitidus. *Habitatio* in viis, sub lapidibus et graminosis solitarie. *Pachygaster* Dej. Catal. p. 91. °°) *Otiorhynchus* Germ. Ins. Spec. 1. pag. 343. Schönh. Syn. Curc. gen. 175.

**3. C. aeneo-punctatus:** brevis niger, cinereo-pubescens, rostro subcarinato, thorace breviori, granulato, elytris ovatis, obsolete sulcatis, maculis sparsis, aeneo-micantibus, femoribus acute dentatis. ♂♀. (Long. 3$\frac{1}{2}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 3. 314. 39. Zett. Fn. Lapp. 1. 332. 3. *Curculio sulcatus* Payk. Fn. 3. 275. 98. *Curculio nigrita* Fabr. (secund. Germ.) *Otiorhynchus nigrita* Germ. Ins. Spec. 1. 346. 12. Schönh. Syn. Curcul. T. 2. P. 2. 594. 75. ♂♀.

Hab. in Lapponia D. D. Sanmark et Dammert, teste D. Prof. Sahlberg, a me in Lapponia non inventus. Medius, *Curc. nubilo* fere duplo minor, brevior. (Lapp.-Ostrogoth. rar. Scan. freq.)

**4. C. lepidopterus:** niger, squamulis argenteo-virescentibus tectus, pedibus rufis, genubus fuscis, thorace subgloboso, granulato, elytris obsolete striatis, interstitiis rugosis, femoribus dente parvo acuto armatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Fabr. Eleut. 2. 541. 207. Payk. Fn. 3. 276. 99. Panz. Fn. 26. f. 19. Gyll. Ins. Sv. 3. 315. 40. Zett. Fn. Lapp. 1. 332. 4. *Otiorhynchus* idem Schönh. Syn. Curc. T. 2. P. 2. 595. 76. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in fruticibus Salicis, Rubi, Alni etc. ad Garnaes et Drivstuen in alpe Dowre Norvegiae, mens. Jun. Jul. freq. D. Boheman. Priori vix brevior sed angustior. (Lappon.-Dalecarlia rar.)

**5. C. rugifrons:** opacus niger, parce cinereo-pubescens, fronte rostroque longitudinaliter rugosis, elytris punctato-striatis, femoribus dente parvo, acuto armatis. (Long. circit. 2 lin.)

Gyll. Ins. Sv. 3. 319. 43. Zett. Fn. Lapp. 1. 332. 5. *Otiorhynch.* idem Schönh. Syn. 2. 2. p. 627. 133.

Var. b. totus piceus. — Gyll. et Schönh. l. c. var. b.

Hab. sub lapidibus locis humentibus ad littus maris in Nordlandia et Finmarkia passim rarius; ad Andeness et Talvig dieb. 23. Jul. — 2. Aug. a me lectus, in alpe Dowre ad Drivstuen 26. Jun. — 10. Jul. etiam a D. Boheman inventus. Sed in Lapponia interiori Suecica vix occurrit. (Lappon.-Hallandia rar.)

Statura et affinitas sequentis, sed duplo major, antennarum articulo primo multo longiori et crassiori etc. diversus.

°) *Curculio Pyri* et *Mali* Gyll. huic subdivisioni associandi, in Lapponia vix occurrunt.

°°) Nomen *Pachygaster* inter Coleoptera rejiciendum, utpote quod jam generi cuidam Dipterorum Ordinis impositum, ne oriatur confusio.

**6. C. ovatus**: subnitidus niger, cinereo-pubescens, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, fronte rostroque subtiliter rugoso-punctatis, thorace rotundato-rugoso, elytris punctato-striatis, femoribus valide dentatis. ♂♀. (Long. 1¹ lin.)

LINN. Fn. Sv. 626. FABR. Eleut. 2. 544. 224. GYLL. Ins. Sv. 3. 320. 44. ZETT. Fn. Lapp. 1. 333. 6. ♂♀. *Otiorhynchus* idem SCHÖNH. Syn. 2. 2. p. 631. 140.

Hab. sub lapidibus in Lapponia inferiori passim, in Botniis frequentius. Inter minores, *Curc. Rumicis* duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

## *Sectio Secunda. Femoribus muticis.*

*Subdiv.* 1. Apteri.

*Corpus* mediae l. minoris magnitudinis, breve, ovatum. *Color* niger, griseus, obscurus, pictura vix ulla. *Habitatio* sub lapidibus et in graminosis. *Pachygaster* DEJ. *Otiorhynchus* GERM. Ins. Spec. 1. p. 343. *Barynotus*, *Omias* etc. SCHÖNH.

**7. C. Schönherri**: niger subnitidus, glabriusculus, postice cinereo-squamulosus, undique punctulatus, antennis piceis; rostro unisulcato, elytris punctato-striatis. ♂♀. (Long. 3½ lin.)

*Barynotus Schönherri* BOHEM. in litt.

Hab. in alpe Dowre, a D. BOHEMAN mens. Jun. 1832 detectus. (Lapp.-Norveg.-Jemtland. 20. Maj.)

Similis et affinis *Curc. obscuro* et *Bohemanni* GYLL., sed ab illo magnitudine multo minori, praesertim latitudine multo angustiori, ab hoc rostro uni- nec 5-sulcato, et ab utroque toto corpore glabriori, subnitido, vix nisi in elytrorum dimidietate posteriori plus minus dense squamoso, mox distinctus.

**8. C. Maurus**: parce cinereo-pubescens subnitidus niger, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro in medio carinato, thorace granulato, elytris punctato-striatis, interstitiis rugulosis. ♂♀.

GYLL. Ins. Sv. 3. 293. 24. ZETT. Fn. Lapp. 1. 333. 7. *Curculio sulcatus* PAYK. Fn. 3. 276. 98. var. b. *Otiorhynch.* idem SCHÖNH. Syn. Curc. 2. 2. 601. 87.

Var. b. duplo minor, sequenti speciei aequalis, elytrorum interstitiis minus rugulosis.

ZETT. et SCHÖNH. l. c. var. b.

Var. c. magnitudo var. a. toto corpore piceo, pedibus rufo-testaceis, forte junior.

ZETT. et SCHÖNH. l. c. var. c.

Hab. sub lapidibus, in Lapponia boreali ad Wittangi, Juckasjervi et Muonioniska frequens, in Lapponia meridionali ad Lycksele, Åsele etc. per totam regionem sylvaticam usque ad novaculum Umenaes, 31. Maj. — 26. Jul. quoque frequenter mihi obvius; in Botnia boreali vulgaris, mensib. Majo et Junio. Occurrit denique simillimus in alpium Tornensium jugo, ibique in ipsa nive mense Julio ambulans. Descendit iterum latere occidentali jugi in regionem subalpinam, et ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae a me lectus. E Groenlandia var. a. etiam a D. WESTERMANN mihi missa. Varietates b. et c. tantum in alpium jugo et ad Alteidet Finmarkiae parcius vidi. Sequenti duplo major. *Curc. aeneo-punctato* fere aequalis. (Lapponia; Botnia; Jemtlandia d. 15. Maj. — ?)

**9. C. laevigatus**: glaber nitidus niger, antennis, tibiis tarsisque nigro-piceis, rostro non carinato, thorace subtiliter punctulato, elytris obsolete punctato-striatis, posterius angustatis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.)

FABR. Eleut. 2. 531. 139. GYLL. Ins. Sv. 3. 292. 23. ZETT. Fn. Lapp. 1. 334. 8. *Otiorhynch. Monticula* SCHÖNH. Syn. Curcul. T. 2. P. 1. p. 603. 91. ♂♀.

Var. b. minor, elytris confertius et temere punctulatis; striae ordinariae in hac varietate aegre discernuntur.

ZETT. et SCHÖNH. l. c. var. b.

Hab. in alpium Tornensium jugo latere et Suecico et Norvegico, mense Julio frequentissimus, usque ad nivem perennem procedens. Descendit quoque in regionem inferalpinam, subsylvaticam et sylvaticam passim, ibique sub lapidibus plerumque occurrit, a me ad Björkvik Nordlandiae et Alteidet Finmarkiae, nec non ad Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis Aug. parcius lectus. E Groenlandia var. a. quoque a D. WESTERMANN mecum amicissime communicata. (Lapponia; Bahusiae, Hallandiae et Scaniae littora maris rar.)

Variat valde magnitudine. *Curc. ovato* saepe duplo l. triplo major, praecedente tamen semper minor. Variat quoque rarius antennis pedibusque totis rufo-piceis; sed specimina Finmarkica haud longe a Nordcap collecta, a Scanicis in essentialibus minime discrepant.

**10. C. setosus**: squamulis cinereo-albidis variegatus, fusco-rufescens, antennis pedibusque dilutioribus, thorace rotundato, elytris carinis quatuor setiferis, interstitiis punctis ocellatis duplici serie. (Long. 1¾ lin.)

FABR. Eleut. 2. 527. 115. GYLL. Ins. Sv. 3. 298. 28. ZETT. Fn. Lapp. 1. 335. 8. *Curculio septentrionis* HERBST. Col. 6. 360. 335. Tab. 88. f. 6. PAYK. Fn. 3. 290. 113. *Pachygaster septentrionis* DEJ. Catal. p. 91. *Otiorhynchus septentrionis* GERM. Ins. Spec. 1. 349. 48. SCHÖNH. Syn. Curc. T. 2. P. 2. p. 615. 111.

Hab. in Pinetis Lapponiae Tornensis, D. FRIGELIUS et Collect. D. KOLSTRÖM; mihi neque in Lapponia, neque in provinciis Scandinaviae borealibus obvius, nec nomen *septentrionis* a recentioribus impositum satis justum censeo. Magnitudo fere prioris. (Lapponia; Gottlandia, Blekingia, Scania-rar.)

**11. C. Coryli**: squamulis densis fuscis cinereisque variegatus niger, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, fronte rostroque latis, sulcato-rugosis, thorace brevi, lateribus parum rotundato. ♂♀. (Long. 1½—1¹ lin.)

FABR. Eleut. 2. 524. 98. PANZ. Fn. 19. f. 12. GYLL. Ins. Sv. 3. 304. 32. ZETT. Fn. Lapp. 1. 335. 10. ♂♀. a. *Thylacites Coryli* DEJ. Catal. p. 95. GERM. Ins. Spec. 1. 412. 9. *Cneorhinus* idem SCHÖNH. Syn. Curc. 1. 2. 535. 15.

Var. b. saepe minor pallidior, griseus, cinereo-fuscoque variegatus, elytris utrinque macula baseos albida.

GYLL., ZETT. et SCHÖNH. l. c. var. b. *Curc. cervinus* FABR. Eleut. 2. 528. 121. (exclus. Syn. LINN.)

Var. c. Magnitudo var. b. sed adhuc pallidior, totus testaceus, antennis pedibusque flavis, elytris squamulis albidis hinc inde maculatis; an tantum junior?

ZETT. l. c. var. c.

Hab. in foliis Betulae albae Lapponiae borealis rarius, in copula; sed in Betula et Pino Lapponiae meridionalis, ex. gr. ad Lycksele, var. a. et b., mens. Jun. frequenter a me visus, in copula quoque saepe observatus; varietatem c. ad Songamuotka (limitem Lapponiae Tornensis) die 17. Aug. tantum et rarissime legi. Variat magnitudine, priore saepe duplo, interdum quadruplo minor. (Lapp.-Suec. media freq. Scan. rar.)

**12. C. hirsutulus**: subrotundatus, exscutellatus pubescens nigro-fuscus, antennis pedibusque testaceis, thorace parvo, angusto, rostroque non canaliculatis, elytris globosis hispidis, evidenter punctato-striatis. ♂♀. (Long. 1—1⅛ lin.)

FABR. Eleut. 2. 526. 112. PANZ. Fn. 7. f. 7. GYLL. Ins. Sv. 3. 307. 34. ZETT. Fn. Lapp. 1. 336. 11. ♂♀. *Omias hirsutulus* DEJ. Catal. p. 96. SCHÖNH. Syn. Curc. T. 2. P. 2. p. 505. 13. *Thylacites hirsutulus* GERM. Ins. Spec. 1. 412. 7.

Hab. in graminosis Lapponiae passim, in copula. Parvus, priore duplo et ultra minor, brevior. (Lapp.-Scan. freq.)

**13. C. Bohemanni**: subrotundatus, exscutellatus, parum pubescens nitidus niger, antennis pedibusque flavo-testaceis, ano piceo; thorace parvo angusto non canaliculato capiteque punctulatis, elytris subglobosis parce pilosis, evidenter punctato-striatis, interstitiis laevibus. (Long. 1¼ lin.)

Sub nomine *Omias Bohemanni* SCHÖNH. a D. BOHEMAN mihi benigne communicatus.

Hab. in alpe Dowre, ibique a D. BOHEMAN mens. Jun. 1832 detectus. (Lappon. Norvegica.)

Similis priori, sed paullo major, corpore nigriore, nitidiore, glabriore, pedibus dilutius flavis, femoribus magis clavatis etc. facile distinctus. — Caveas ne hunc, nomine similem, cum *Curc. Bohemanni* GYLL. confundas, qui longe alius, multoties major, proximus *Curculioni obscuro* GYLL. et ad genus *Barynotus* SCHÖNH. referendus, nostrae Faunae ignotus.

**14. C. scabriculus**: dense sordide squamosus niger, antennis pedibusque fusco-testaceis, thorace lato, inaequali rostroque canaliculatis, elytris oblongis, squamis erectis albidis seriatis, muricatis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

FABR. Eleut. 2. 527. 114. GYLL. Ins. Sv. 3. 309. 35. ZETT. Fn. Lapp. 1. 336. 12. *Trachyphloeus scabriculus* DEJ. Catal. p. 96. SCHÖNH. Syn. Curc. T. 2. P. 2. p. 490. 2.

Hab. in graminosis locis aridis, in Lapponia rarius; in copula. Praecedenti subsimilis et ejus magnitudine, sed elytris paullo longioribus, nec ut in priori globosis. (Lapp.-Scan. freq.)

*Subdiv.* 2. Alati.

*Corpus* oblongum, subcylindricum. *Color* niger, griseus, raro viridis; pictura fasciata aut sublineata. *Habitatio* in arenosis aridis, aut in foliis arborum et fruticum.

*A. Majores.* Habitatio in arenosis. *Cleonus* Schönh. Syn. Curc. gen. 115.

**15. C. sulcirostris:** niger, dense cinereo-pubescens, elytris tenuiter punctato-striatis, transversim rugulosis, fasciis obliquis denudatis, rostro sulcis tribus aequalibus. (Long. $4-4\frac{1}{2}$ lin. absque rostro.)

Linn. Syst. Nat. 2. 617. 85. Fabr. Eleut. 2. 515. 51. Gyll. Ins. Sv. 3. 261. 1. Zett. Fn. Lapp. 1. 337. 13. *Cleonus* idem Schönh. Syn. 2. 1. 180. 16.

Hab. in aridis Lapponiae forte rarissime, mihi non obvius; in Coll. D. Portin ut Lapponiae incola visus. Inter majores nostrates hujus generis. (Lapp.-Scan. freq.)

**16. C. trisulcatus:** niger, supra pube cinereo-albida variegatus, elytris tenuiter punctato-striatis, transversim rugulosis, rostro suclis tribus, medio angustiori.

Herbst. Col. 6. 89. 49. Tab. 65. f. 5. Gyll. Ins. Sv. 3. 263. 2. Zett. Fn. L. 1. 337. 14. *Cleonus* idem Sch. Syn. 2. 1. 213. 60.

Hab. in Lapponia meridionali rarius. Priori similis, sed quadruplo et ultra minor, minoribus *Curc. albidi* individuis aequalis. (Lapponia; Dalekarlia; Scania rar.)

*B. Minores:* fasciati. Habitatio in foliis arborum gregatim. *Polydrusus* Dej. Catal. p. 93. 94. Germ. Ins. Spec. 1. p. 451. Schönh. Syn. Curc. gen. 107.

**17. C. undatus:** squamulis argenteo-cinereis tectus niger, antennis pedibusque rufis, elytris fasciis tribus undatis fusco-squamosis, thorace longiori, angusto, cylindrico, aequali. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ - $1\frac{1}{2}$ lin.)

Fabr. Eleut. 2. 525. 109. Gyll. Ins. Sv. 3. 275. 11. Zett. Fn. Lapp. 1. 337. 17. ♂♀. *Polydrosus undatus* Sch. Syn. Curc. 2. 1. p. 135. 1.

Hab. in foliis Betulae albae, in Lapponia boreali rarius; sed in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele et Wilhelmina 12. Jun. — 19. Jul. pass. obvius, ubi etiam femina major, detrita observata. Magnitudo *C. argentati*, variat interdum paullo major. (Lapp.-Scan. freq.)

**18. C. intermedius:** squamulis cinereis tectus niger, rostri apice, antennis, pedibus anoque rufis, elytris fasciis tribus denudatis, thorace breviori subcylindrico, inaequali. ♂♀.

Zett. Fn. Lapp. 1. 337. 16. ♂♀. *Polydrosus* idem Sch. Syn. Curc. 2. 1. 135. 2.

Hab. in foliis Betulae albae et Pinus sylvestris, in Lapponia Suecica passim; ad Muonioniska et Palojoënsuu Lapponiae Tornensis ut et in Alno et Betula, praesertim juxta rivulos Lappon. meridionalis, ad Lycksele, Stensele, Badstutraesk et usque ad Umenaes, a die 25. Jun. usque ad medium mensis Augusti, sat frequens, in copula saepe visus, cum conspeciebus nunquam mixtus. (Lapp., Botnia boreal.)

Colore specici antecedenti proxime accedit, magnitudine vero et structura thoracis omnino sequenti, ambabus affinis, easque connectens. Semper separatim habitat, nec nisi similis cum simili in copula jungitur, quare ut speciem distinctam hunc consideravi, qui praeter colorem, ut dictum, eumque constanter alium, in reliquis *Curc. fulvicorni* simillimus est.

**19. C. fulvicornis:** squamulis cinereis tectus rufo-brunneus, antennis pedibusque rufo-testaceis, elytris fasciis tribus denudatis, vertice, pectore, abdominisque basi nigricantibus, thorace breviori, subcylindrico, inaequali. ♂♀. (Long. circ. $1\frac{1}{3}$ lin.)

Fabr. Eleut. 2. 525. 106. Gyll. Ins. Sv. 3. 276. 12. Zett. Fn. Lapp. 1. 338. 17. ♂♀. *Polydrosus* idem Schönh. Syn. Curcul. T. 2. P. 1. p. 136. 4.

Hab. in foliis Alni incanae, in insulis maritimis, Nordlandiae Norvegicae Hindoe, Senjen, Schiervoe etc. passim copiose, mense Julio in copula frequenter captus: in Lapponia Suecica interiori a me nunquam repertus, nec in arboribus Pini visus. (Lapponia Norvegica-Ostrogothia rar.)

**20. C. flavipes:** elongatus, squamulis viridi-sericeis pilisque fuscis tectus niger, antennis tenuibus pedibusque pallide testaceis, rostro brevissimo, thorace brevi.

de Geer Ins. 5. 245. 31. Marsh. Ent. Br. 1. 311. 211. Gyll. Ins. Sv. 3. 271. 8. Zett. Fn. Lapp. 1. 338. 18. *Polydrosus* idem Schönh. Syn. Curc. T. 2. P. 1. p. 141. 10.

Hab. in Rovaniemi D. Past. Fellmann, teste Comite de Mannerheim, mihi in terris arcticis non obvius. *Curc. argentato* habitu et magnitudine simillimus, femoribus muticis etc. abunde distinctus. Individua fronte impressa, corpore magis splendido colore forte mascula, test. D. Gyllenhal. (Lappon.-Suecia media pass. Scan. freq.)

*C. Minores:* lineati. Habitatio in graminosis et plantis humilibus, saepe etiam in terra, locis aridis. *Sitona* Dej. Catal. p. 94. Germ. Ins. Spec. 1. 414. Schönh. Syn. Curc. gen. 101. Distincti certe generis.

**21. C. caninus:** niger, dense fusco-squamosus, antennarum basi tibiisque ferrugineis, thorace longiori, lateribus in medio parum dilatato, toto subtilissime punctulato, obscure trilineato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ — fere $1\frac{3}{4}$ lin.)

Fabr. Eleut. 2. 524. 101. Gyll. Ins. Sv. 3. 277. 13. Zett. Fn. L. 1. 339. 19. ♂♀. *Sitona 8-punctatus* Schönh. Syn. Curc. T. 2. P. 1. p. 104. 10.

Hab. in Lapponia sylvatica passim, ad Lycksele Lappon. meridionalis, nec non in Lapponia boreali, ex. gr. ad Wittangi et Juckasjervi, mens. Jun. — Jul. a me frequenter lectus; in copula. Sequentibus paullo major. (Lapp.-Scan. fr.)

**22. C. lineatus:** niger, supra fusco-subtus argenteo-cinereo-squamulosus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace breviori, lateribus pone medium subdilatato, toto subtilissime punctulato, albido-trilineato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

Linn. Fn. Sv. 630. Fabr. Eleut. 4. 524. 99. Gyll. Ins. Sv. 3. 279. 14. Zett. Fn. Lapp. 1. 339. 20. ♂♀. *Sitona lineatus* Schönh. Syn. Curc. T. 2. P. 1. p. 109. 18.

Var. b. totus nigricans, squamulis plus minusve detritis. Zett. l. c. var. b. Schönh. l. c. var. δ. Gyll. l. c. var. d. *Curc. chloropus* Linn. Fn. Sv. 633

Hab. in plantis locis aridis, in Lapponia passim; in copula. Priori paullo minor, angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

**23. C. lineellus:** niger, squamulis setisque brevibus, fuscis tectus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace breviori, lateribus pone medium subdilatato, toto profundius punctato, cinereo trilineato, elytris utrinque linea inaequali, albida, nigro-maculata. ♂♀. (Long. $1-1\frac{1}{4}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 3. 281. 15. Linn. Fn. Sv. Sepos. 2274? Zett. Fn. Lapp. 1. 339. 21. *Sitona lineellus* Schönh. Syn. Curc. T. 2. P. 1. p. 111. 20. var. *Sitona crinita* Dej. Catal. p. 94. *Sitona occator* Germ. Ins. Spec. 1. 416. 9.

Hab. in Lapponia boreali rarius, in meridionali, ex. gr. ad Lycksele d. 23. Jun. locis aridis frequentius cum praecedente, quo duplo et ultra minor, brevior, in copula. (Lapp.-Scan. freq.)

**24. C. tibialis:** niger, parce cupreo-squamulosus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace mediocri, lateribus in medio subdilatato, supra subtilissime punctulato, obsolete trilineato, pectore utrinque linea argentea. (Long. circ. 1 lin.)

Herbst. Col. 6. 217. 179. Tab. 75. f. 5. Gyll. Ins. Sv. 3. 283. 16. Zett. Fn. Lapp. 1. 340. 22. *Sitona sulcifrons* Schönh. Syn. Curcul. T. 2. P. 1. p. 117. 28.

Hab. locis aridis in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

Parvus, affinibus minor. Clava antennarum fusca. Sub thoracis latere utrinque linea evidens, albo-argenteo-squamosa nitida, per latera pectoris continuata.

---

## FAM. 28. XYLOPHAGI. Dej. Latr.*)

### 117. Cossonus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 284. Gyll.

*Corpus* parvum, elongatum, subcylindricum, glabrum. Antennae breves, crassiusculae, pone medium rostri insertae, clava solida, oblonga, uniarticulata. Elytra anum tegentia. Tibiae angustae, non serratae. *Color* niger. *Motus* tardus. *Habitatio* in lignis. *Differentia sexus* in externis nulla. (Spec. Scand. 8.)

**1. C. chloropus:** punctatus niger, antennis brevibus crassis pedibusque rufo-piceis, rostro brevissimo, lato, depresso, elytris punctato-striatis, interstitiis obsolete seriato-punctatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}-1\frac{1}{2}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 3. 259. 3. *Hylesinus chloropus* Fabr. El. 2. 393. 17. *Curculio chloropus* Panz. Fn. 19. f. 14. *Rhyncolus chloropus* Dej. Catal. p. 100. *Curculio ater* Linn. Fn. Sv. 637. (ut volunt Auctores.)

Var. b. toto corpore rufo-piceo; forte junior.

Hab. sub ligno sicco, etiam sub cortice truncorum putridorum Pini sylvestris, in Lapponia sylvatica et boreali et meridionali, mensib. Maj. — Aug. haud infrequens; d. 2. Jun. in copula; captus variet. b. ad Juckasjervi d. 20. Jun.

---

*) Genera *Hylurgus*, *Tomicus*, *Scolytus* et *Hylesinus*, a D. Latr. ad Familiam Curculionitum relata, species vere Xylophagas comprehendunt. *Cossonum* quoque, ut lignivorum, a Curculionitibus separavi et in Xylophagorum Familia locavi, invito D. Dejean

*Heterocerus* in Fam. 15. *Amphibiorum* quaerendus

*Corynetes* in Fam. 5. *Cleriorum* inveniendus.

ut et in insula Dolpatie in lacu StorUman Lapponiae Umensis d. 5 Jul. legi. Parvus angustus. *Rhynchaen. T. albo* habitu similis, plerumque paullo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

*Obs. Coss. elongatus* Gyll. Ins. Sv. 4. 606. 3—4. nostro valde affinis et similis, sed differt: antennis adhuc crassioribus, thorace paullo breviore, profundius et minus crebre punctato, dorso linea media notato, elytris profundius punctato-sulcatis, etc., in sylvis acerosis Sueciae inferioris passim habitat, in Lapponia forsitan etiam occurrit, mihi vero ibi non obvius, quare in hoc libro exclusus.

## 118. Hylurgus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 285. Dej. Catal. p. 100. *Hylesinus* Fabr. Gyll.

*Corpus* plerumque parvum, oblongum, subcylindricum, saepe pubescens. Antennae brevissimae, clava ovata, 4-articulata. Rostrum breve, latum. Thorax antice angustior. Oculi elongati. Tibiae compressae, denticulatae. *Color* niger, in ferrugineum s. testaceum facile abiens. *Motus* tardus. *Habitatio* in lignis. *Differentia sexus* in externis non detegenda. (Spec. Scand. 9.)

**1. H. Ligniperda:** longius pubescens punctulatus niger, antennis piceis, clava obtusa, thorace antice angustiori, elytris punctato-striatis, interstitiis granulato-rugosis.

Zett. Fn. Lapp. 1. 341. 1. *Hylesinus Ligniperda* Fabr. Eleut. 2. 391. 5? Gyll. Ins. Sv. 3. 335. 1. certe.

Hab. sub cortice Pini Abietis, in Lapponia rarius, ad Juhonpietis et Wittangi Lapponiae Tornensis mens. Junio a me lectus; etiam sub lapidibus, sed forte errabundus, inventus. Facies sequentis, sed saepe quadruplo major, *Bostrich. Typographum* fere excedens, long. 3 lin. (Lapp.-Scan. rar.)

Specimina, quae in Suecia inferiori occurrunt, plerumque, nigro-picea, sed omnia Lapponica, a me visa, tota nigra, antennis tarsisque solum rufo-piceis.

**2. H. Piniperda:** brevius pubescens punctulatus niger, antennis tarsisque rufo-testaceis, clava subarcuata, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis punctulato-subrugosis, thorace antice angustiori. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

Var. a. elytris nigris l. nigro-piceis.

Zett. Fn. Lapp. 1. 342. 2. *Hylesinus Piniperda* Fabr. Eleut. 2. 392. 9. Gyll. Ins. Sv. 3. 337. 2.

Var. b. elytris ferrugineis, pedibus nigro-piceis, tarsis rufis.

Zett. et Gyll. l. c. var. b. *Dermestes Piniperda* Linn. Fn. Sv. 421. *Bostrichus Piniperda* Panz. Fn. 15. f. 9.

Var. c. piceus, thorace, elytris pedibusque rufis.

Gyll. l. c. var. c.

Var. d. totus rufo-testaceus. — Gyll. l. c. var. d.

Hab. in ligno sicco inprimis vero in recenter secato et adhuc resinoso, Pini sylvestris et Abietis, per totam Lapponiam sylvaticam et borealem et meridionalem, mens. Maj. — Jul. frequens. Ramulos inferiores Pini saepe perforat, exsiccat et cadere efficit hic naturae famulus. Praecedente triplo aut quadruplo minor. (Lapp.-Smoland. freq.)

Varietates pallidiores, in Suecia media vulgares, in Lapponia tantum meridionali, ex. gr. ad Fredrica d. 25—27. Jul. rarius, vidi, nec ullum individuum hujus speciei in Scaniae lucis Fagineis et Quercinis deprehendere mihi contigit.

**3. H. palliatus:** brevior subpubescens punctatus nigro-piceus, antennarum basi, thorace antice coarctato, dorso subcarinato, supra, elytris, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, elytris crenato-striatis, interstitiis rugosis. (Long. 1 lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 342. 3. *Hylesinus palliatus* Gyll. Ins. Sv. 3. 340. 4.

Hab. sub cortice Pini Abietis, in Lapponia boreali rarius; sed in Lapponia meridionali, ut ad Lycksele in Pini ligno recenter secato d. 29—31. Maj. frequentissime visus, mense iterum sequenti non nisi unum alterum individuum obvium; priori triplo et ultra minor, brevior. (Lappon.-Hernösand. 20. Maj.-Smoland. pass.)

**4. H. ater:** angustus subglaber niger, antennis tarsisque ferrugineis, rostro fronteque carinulatis, thorace elongato, subcylindrico, crebre punctato, linea dorsali sublaevi, elytris crenato-striatis, interstitiis rugulosis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 343. 4. *Hylesinus ater* Fabr. Eleut. 2. 394. 19. Gyll. Ins. Sv. 3. 343. 6.

Var. b. piceus, elytris brunneis, pedibus fusco-testaceis.

Gyll. l. c. var. b.

Hab. sub cortice arborum emortuarum Pini et Abietis in Lapponia sylvatica passim; ad Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ut et ad Lycksele et Åsele, Lapponiae Umensis, mens. Jun. — Jul. frequentius visus; var. b. tantum in Stoettingsfjellet d. 31. Jul. visa. *Cossono chloropo* sat similis, sed magnitudine paullo majori, antennarum clava crassa, tibiis compressis dilatatis, serratis etc. distinctus. (Lapp.-Smoland. pass. freq.)

**5. H. glabratus:** latior, subopacus glabriusculus niger, antennarum basi tarsisque ferrugineis, rostro fronteque non carinatis, thorace brevi, antice coarctato, dorso creberrime punctato, carinato, elytris crenato-striatis, interstitiis rugosis. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{2}{3}$ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 343. 5.

Hab. in Lapponia rarissime; in ripa arenosa ad flumen Tornense prope Juckasjervi unicum specimen vivum et completum d. 3. Julii 1821, et altera vice ad novaculum Umenaes, nec non ad radicem alpium Brattiksfjellen Lapponiae Umensis d. 8—9. Jul. 1832 parcissime inveni. (Lapponia-Dalekarlia.)

*Hylesino atro* affinis et similis, sed triplo fere major, praesertim latior, rostro fronteque non carinatis, thorace antice angustiori, dorso crebrius punctulato et linea elevata glabra evidentiori abunde distinctus. Caput punctulatum, glabrum, nigrum. Antennae ferrugineae, clava ovata obscura. Thorax latitudine postica parum longior, anterius valde angustatus, antice vertice non latior, totus niger glaber, creberrime punctatus; linea dorsali laevigata distincta, carinulata. Elytra ut in praecedente striata et punctata, etiam ut in illo fere glabra; versus apicem tantum pilis quibusdam parvis adspersa.

## 119. Bostrichus.

Fabr. Eleut. 151. Dej. *Tomicus* Latr.

*Corpus* parvum, cylindricum, subnitidum, pilosum. Antennae brevissimae, clava compressa, subrotunda, transversim 3-striata. Oculi elongati, intus subemarginati. Thorax magnus, oblongus, gibbus. Tibiae serrato-dentatae. *Color* niger, piceus, ferrugineus. *Motus* tardus. *Habitatio* in truncis sub cortice arborum praeprimis Pini Abietis et sylvestris, unde Sueciae borealis frequentes incolae. *Differentia sexus* in paucis extricata. (Spec. Scand. 21.)

### *Sect. 1. Elytris postice retusis, plerumque dentatis.*

**1. B. typographus:** longius flavescenti-pilosus nigro-piceus, antennis pedibusque dilutioribus, elytris profunde striato-punctatis, apice circulatim truncato-excavatis, singuli ambitu 6-dentato, dente quarto a dorso, majori.

Panz. Fn. 15. f. 2. Gyll. Ins. Sv. 3. 351. 1. Dej. Catal. p. 100. Zett. Fn. Lapp. 1. 344. 1. Dahlb. Skand. Ins. 1837. p. 75.

Var. b. totus ferrugineus, mandibulis, oculis elytrorumque dentibus nigricantibus.

Fabr. Eleut. 2. 385. 7. Zett. et Gyll. l. c. var. b.

Hab. sub cortice Pini sylvestris et Abietis, labyrinthos et characteres pulvere repletos formans, in Lapponia sylvatica et boreali et meridionali, passim. Pinetorum pestis. In suo genere magnus, tres lineas longus, cylindricus. (Lapp.-Smoland. pass. freq.)

**2. B. octo-dentatus:** flavescenti-pilosus nigro-piceus, antennis pedibusque dilutioribus, elytris punctato-striatis, apice circulatim truncato-excavatis, singuli ambitu 4-dentato, dente tertio a dorso, majori.

Gyll. Ins. Sv. 3. 353. 2. Dej. Catal. p. 100. Zett. Fn. L. 1. 345. 2. *Dermestes octodentatus* Linn. Fn. Sv. 418?

Hab. sub cortice arborum emortuarum Pini et Abietis, in Lapponia per partem sylvaticam passim, vias uti praecedens in truncis excavans, colore dilutiori varians, illo duplo minor. (Lapp.-Smoland. pass.)

**3. B. Laricis:** longius sed parce pallido-pilosus nigro-piceus, antennis pedibusque dilutioribus, elytris longioribus punctato-striatis, interstitiis seriato-punctatis, apice circulatim sub-excavatis, ambitu irregulariter dentato.

Fabr. Eleut. 2. 386. 10. Panz. Fn. 15. f. 3. Gyll. Ins. Sv. 3. 354. 3. Dej. Catal. p. 100. Zett. Fn. Lapp. 1. 345. 3.

Var. b. elytris brunneis, pedibus rufo-testaceis.

Gyll. l. c. var. b.

Hab. sub cortice arborum emortuarum, in Lapponia boreali rarius, sed in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Degenfors et Lycksele d. 30. Maj. — 25. Jun. utraque varietas mihi frequentissime obvia; praecedente duplo minor, colore nigro-piceo, brunneo et testaceo secundum aetatem varians. (Lapp.-Scan. pass.)

**4. B. suturalis:** linearis niger pallide villosus, antennis tarsisque pallidis, thorace punctatissimo, elytris striato-punctatis, apice rufis retusis, obtuse tuberculatis, stria suturali profunda.

Dej. Catal. p. 101. Gyll. Ins. Sv. 4. App. 622. 3–4.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in Abiete ad Lycksele 31. Maj. — 25. Jun. a me captus. *B. Laricis* similis, sed paulo minor, angustior. (Lappon.-Suec. rar.)

**5. B. geminatus:** pallido-pilosus brunneo-testaceus, antennis pedibusque flavescentibus, elytris brevibus subtiliter punctato-striatis, apice circulatim excavatis, ambitu utrinque dente gemino armato.

An *B. acuminatus* Gyll. Ins. Sv. 4. App. 620. 3-4. idem?

Hab. in Lapponia rarissime, in sylva acerosa ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 4. Jul. 1821 a me lectus. (Lapponia.)

Magnitudo et habitus *Bostr. Laricis*, sed elytris multo brevioribus, denticulatione elytrorum, colore etc ab illo satis distinctus. Caput deflexum, punctulatum piceum. Antennae pallidae, clava rotunda obtusa. Thorax latitudine longior, antice scaber, postice subtiliter punctatus, totus rufo-testaceus, parce pilosus. Elytra thorace parum longiora, tenuiter punctato-striata, nitida, testacea, parce pilosa; apice evidenter excavato, excavationis ambitu fere in medio geminatim dentato, dente scilicet lato apice emarginato, nigro. Corpus testaceum sublaeve, parce pilosum. Pedes pallidi. Anno 1832 specimen paullo majus, in Lapponia Norvegica captum, a D. Boheman mihi missum, certe hujus; sed individuum minus elytrorum ambitu apicali excavato utrinque denticulis 2 remotis, posteriori majori, armato, est aut varietas insignior aut nova species; ad Lycksele d. 25. Jun. inventum.

**6. B. bidens:** griseo-pubescens nigro-piceus, antennis pallidis, thorax antice tuberculato-scaber, postice punctulatus subcarinatus, elytris crebre subtiliter punctulato-striatis, apice circulatim determinate, sed non profunde truncato excavatis. ♂♀.

*Mas:* elytrorum ambitu excavationis singulo dente supero elongato, hamato.

*Fem.:* saepe paullo minor, dilutior, elytrorum ambitu excavationis mutico; in copula.

Fabr. Eleut. 2. 389. 22. ♂. Gyll. Ins. Sv. 3. 357. 5. var. a. ♂. var. b. ♀. Dej. Catal. p. 101. Zett. Fn. Lapp. 1. 346. 5. ♂.

Hab. sub cortice arborum emortuarum, in Lapponia sylvatica passim, ad Juckasjervi d. 4. Jul. a me in copula inventus. Pusillus. Magnitudo, statura et affinitas sequentis. (Lappon.-Gottlandia; Smolandia; minus frequens.)

**7. B. chalcographus:** subpilosus nitidus nigro-piceus, antennis pedibusque pallidioribus, elytris subtilissime punctato-striatis, rufo-testaceis, basi infuscatis, apice subretusis, singulo dentibus tribus armato. ♂♀.

*Mas:* fronte supra os profunde impressa.

*Fem.:* fronte subaequali, parum depressa.

Fabr. Eleut. 2. 387. 11. Panz. Fn. 15. f. 4. Dej. Catal. p. 101. Gyll. Ins. Sv. 3. 358. 6. Zett. Fn. Lapp. 1. 346. 6. ♂. *Dermestes chalcographus* Linn. Fn. Sv. 417.

Hab. in arboribus resinosis, in Lapponia inferiori passim, e Groenlandia quoque a D. Westermann uterque sexus benigne communicatus; priori fere minor, in hac sectione minimus, colore dilutiore varians. Thorax ut in praecedente punctatus, sed dorso postice parum carinato. (Lapp.-Suecia media freq. Scan. pass.)

### *Sect. 2. Elytris postice integris rotundatis.*

*B. bidens* ♀. vide Sect. antecedentem No. 6.

**8. B. villosus:** longius pallido-pilosus brunneus, antennis pedibusque dilutioribus, thorace ovato, creberrime aequaliter punctato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis subtilius seriato-punctatis.

Panz. Fn. 15. f. 8. Gyll. Ins. Sv. 3. 361. 8. Dej. Catal. p. 101. Zett. Fn. Lapp. 1. 347. 7. *Hylesinus villosus* Fabr. Eleut. 2. 391. 7.

Var. b. toto corpore pallidiore.

Zett. et Gyll. l. c. var. b. *Dermestes micophagus* Linn. Fn. Sv. 419. forte, licet indicata habitatio, „in cadaveribus" nostro xylophago non conveniat.

Hab. sub cortice Pini Abietis Lapponiae borealis passim, meridionalis ad Lycksele, 12 — 20. Jun. frequentius; *Bostr. Laricis* paullo major. Lappon.-Ångermannia ad Hernösand 20. Maj.-Scan. pass.)

**9. B. micrographus:** subpubescens nitidus nigro-piceus, antennis pedibusque testaceis, thorace oblongo antice scabro, elytris subtilissime subvage punctulatis, apice obtusis, muticis.

Payk. Fn. 3. 155. 14? Fabr. Eleut. 2. 387. 15? Gyll. Ins. Sv. 3. 362. 9. var. Dej. Catal. p. 101? Zett. Fn. Lapp. 1. 347. 8.

Hab. in Lapponia forte rarius, mihi tantum in sylva Wittangi d. 15. Jun. obvius. (Lapp. — — — ?)

*Bostr. chalcographo* fere duplo minor, ei de cetero valde affinis. Caput deflexum, nigrum, punctulatum, fronte subconvexa. Thorax latitudine paullo longior, s. oblongo-ovatus, nigro-piceus, antice scaber, postice subtiliter punctulatus, linea elevata laevi, certo situ conspicua. Elytra ferrugineo-picea, subpubescentia, nitida, subvage punctata, licet certo situ creberrime punctato-striata adpareant, apice declivia, sublaevia, stria suturali ibi late exarata. Corpus nigro-piceum. Pedes testacei.

Ob puncturam elytrorum Synonymia mihi dubia videtur. *Bostr. micrographo* Gyll. certe maxime affinis, nec alii speciei descriptum individuum allegare potui; neque ex unico specimine novam speciem formare volui.

**10. B. lineatus:** cylindricus subpubescens niger, antennis clava obtusa, thoracis subglobosi, exasperati postico, pedibus elytrisque punctato-striatis, rufo-testaceis, sutura, margine lineaque media nigris. ♂♀.

*Mas:* fronte profunde impressa.

*Fem:* fronte subconvexa.

Gyll. Ins. Sv. 3. 366. 12. Zett. Fn. Lapp. 1. 348. 9. ♂♀. *Apate limbatus* Payk. Fn. 3. 144. 5. (exclus. Syn. Fabr. et Linn., quorum species descripta jam *Bostrichus domesticus* audit, in Lapponia peregrinus). *Bostrich. signatus* Dej. Catal. p. 101.

Hab. in truncis et ligno nuper resecato Pini sylvestris et Abietis, ad Wittangi et Junosuando Lapponiae Tornensis, ut et ad Lycksele Lappon. Umensis, d. 1 — 15. Jun., a me praeprimis lectus; colore totius corporis pallidiori varians, unde *Hylesinus melanocephalus* Fabr. forsitan exstat. *Bostr. domestico* paullo minor, *Bostr. villoso* subaequalis. (Lapp.-sub cortice Abietis ad Troedje Helsingiae jam 22. April. D. Boheman; ad Hernösand 20. Maj. freq. ipse.-Ostrog. rar.)

**11. B. domesticus:** cylindricus subglaber niger, antennarum clava oblique acuminata, tarsisque tastaceis, thorace subgloboso exasperato, elytris griseo-pallidis, sutura limboque nigro-fuscis. ♂♀. (Long. circit. 1 lin.)

*Mas:* fronte profunde impressa.

*Fem.:* fronte subconvexa.

Gyll. Ins. Sv. 3. 365. 11. ♂♀. *Dermestes domesticus* Linn. Fn. Sv. 424.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. Magnitudo fere *B. villosi*. (Lapp.-Helsingia ad Troedje 22. Apr. Bohem., Scan. Mars freq.)

**12. B. pusillus:** oblongus subpubescens nitidus nigro-piceus, antennis, tibiis tarsisque testaceis, thorace longiori, subtiliter punctulato, elytris punctato-striatis. (Long. $\frac{1}{4}$ lin.)

Gyll. Ins. Sv. 3. 371. 16.

Hab. in Lapponia Umensi pass.; sub cortice Abietis ad Lycksele 10 - 20. Jun. a me lectus; minutissimus, vix $\frac{1}{4}$ lin. long. (Lapp. meridion.-Ostrog. Aug. freq.-Scan. rar.)

---

## 120. Apate.*)

Fabr. Syst. Eleut. 150. Gyll. Dej

*Corpus* parvum cylindricum. Os non rostratum. Antennae breves, 10-articulatae, clava serrata aut subpectinata. Oculi globosi, prominuli. Thorax brevis, rotundatus, elevatus. Tibiae angustae. *Color* nigro-piceus, obscurus. *Motus* tardus. *Habitatio* in truncis et ligno arborum Pini et Abietis, solitarie; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Finmarkiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 2.)

**1. A. substriatus:** pubescens, opacus nigro-piceus, antennarum clava pedibusque rufo-piceis, thorace tuberculato-scabro, elytris confertissime rugosis, obsolete striatis. (Long. $1\frac{1}{4}$ — fere $1\frac{3}{4}$ lin.)

Payk. Fn. 3. 142. 2. Gyll. Ins. Sv. 3. 374. 2. Dej. Catal. p. 101. Zett. Fn. Lapp. 1. 349. 1.

Hab. in truncis exsiccatis, sed etiam in ligno nuper secato, Pini sylvestris Lapponiae borealis rarius, tantum ad Bossekop

*) Huic affinia sunt genera *Clerus* et *Corynetes*; sed haec, quorum prius xylophagum et alterum sarcophagum, utraque tarsis omnibus quinque articulatis instructa, ad *Pentamera* relata, in Familia 5 *Cleriorum* locavi.

Finmarkiae, et ad Karesuando Lapponiae Tornensis mens. Aug. a me lectus. In Lapponia vero meridionali paullo frequentius occurrit, ibique ad Lycksele d. 30. Maj. — 25. Jun. mihi passim obvius. Magnitudo variat; majores *Bostr. 8-dentato* longiores, sed angustiores, alii duplo vel triplo minores. (Lapp.-Scan. rar.)

**2. A. elongatus:** glabriusculus nitidus nigro-piceus, antennarum clava pedibusque rufo-piceis, thorace subtuberculato, elytris punctis impressis subseriatis.

Payk. Fn. 3. 143. 3. Gyll. Ins. Sv. 3. 374. 3. Dej. Catal. p. 101.

Hab. in Pinu sylvestri Lapponiae Suecicae rarius; etiam in Pinetis ad Alten Finmarkiae cum praecedente mense Aug. a me inventus. Magnitudo prioris. (Lapp.-Ostrogoth. rar.)

---

## 121. Cis.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 296. Dej. *Anobium* Fabr.

*Corpus* minutum, oblongo-ovatum, supra convexum. Os non in rostrum productum. Antennae capite fere duplo longiores, 10-articulatae, articulis 3 ultimis magnis, perfoliatis. Oculi globosi, prominuli. Thorax transversus, marginatus, antice saepe elevatus et productus. *Color* fusco-piceus, testaceus. *Motus* tardus. *Habitatio* in fungis arboreis, vel sub ejusmodi cortice, ubi latitat materia quaedam boletina, saepe gregatim; per partem sylvaticam — alpinam Lapponiae. *Discrimen sexus* externum in paucis detectum; caput in masculis interdum tuberculatum. (Spec. Scand. 17.)

**1. C. Boleti:** subpubescens fusco-piceus, antennis pedibusque fusco-testaceis, thorace inaequali antice reflexo, lateribus late marginato, postice obtuse angulato, elytris subvage rugoso-punctatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

*Mas:* capitis margine antice elevato, reflexo, in medio emarginato.

*Fem.:* capitis margine antico parum elevato, vix emarginato; in copula.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 3. 12. 1. Gyll. Ins. Sv. 3. 377. 1. Dej. Catal. p. 102. Zett. Fn. Lapp. 1. 350. 1. ♂♀. *Anobium Boleti* Fabr. Eleut. 1. 323 7.

Var. b. ♂♀. corpore toto pallidiori seu brunneo.

Zett. et Gyll. l. c. var. b. (*Dermestes variabilis* Fabr. Eleut. 1. 319. 38. vix idem, nam allata nota: „elytris laevissimis," cum nostro non convenit.)

Hab. in fungis perennantibus praesertim betulinis, ut etiam sub cortice ubi Boletus excrescere incipit, in Lapponia et boreali et meridionali, tota aestate frequens; longe procedit, et in individuis illis solitariis Betulae albae, quae in ipso summo alpium Tornensium jugo hinc inde derelicta inveniuntur, e nive perenni ad ulnas saepe plures trunco circumdata, non parce inveni. In suo genere major, *Bostr. lineato* fere aequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. C. micans:** pube brevissima micante dense adspersus, fusco-piceus, antennarum basi pedibusque testaceis, thorace aequali, antice sinuato, lateribus anguste marginato, elytris obsolete vage punctato-subrugosis. ♂♀.

*Mas:* capitis margine antico elevato, in medio emarginato.

*Fem.:* capitis margine antico parum elevato, vix emarginato.

Schönh. Syn. 2. 106. Gyll. Ins. Sv. 3. 379. 2. Dej. Catal. p. 102. Zett. Fn. Lapp. 1. 351. 2. ♂♀. *Anobium micans* Fabr. Eleut. 1. 324. 14.

Hab. in fungis arboreis et sub cortice Betulae albae, in Lapponia passim; praecedente triplo minor. (Lapp.-Scan.)

**3. C. hispidus:** pube brevissima rigida adspersus fusco-piceus, antennis pedibusque testaceis, thorace aequali, antice sinuato, lateribus anguste marginato, elytris obsolete punctato-striatis.

Gyll. Ins. Sv. 3. 380. 3. Dej. Catal. p. 102. Zett. Fn. Lapp. 1. 351. 3. *Anobium micans* Panz. Fn. 10. f. 8.

Hab. in fungis Betulae albae, in Lapponia passim, ad cataractam Meraslinka et ad pagum Wittangi Lapponiae Tornensis, nec non ad Åsele et Fredrica, Lapponiae Umensis, d. 10. Jun. — 30. Jul., frequentius vidi, priori paullo minorem. (Lapp.-Blekingia rar.)

**4. C. nitidus:** nitidus glaber piceus, antennis pedibusque testaceis, thorace aequali, antice subsinuato, lateribus et postice tenuiter marginato, elytris obsoletius vage punctatis. ♂♀.

Schönh. Syn. 2. 106. Gyll. Ins. Sv. 3. 382. 5. Zett. Fn. Lapp. 1. 351. 4. ♂♀. *Anobium nitidum* Fabr. Eleut. 1. 324. 15.

Hab. in fungis Betulinis, in Lapponia passim, ad ipsum jugum alpinum procedens, colore pallidiore varians; *C. micante* semper paullo minor. (Lappon.-Scan. freq.)

**5. C. bidentatus:** convexus, glabriusculus nitidus nigro-piceus, antennis pedibusque testaceis, thorace brevi elytrisque crebre concinne punctatis. ♂♀.

*Mas:* capitis thoracisque margine antico bidentato.

*Fem.:* capitis thoracisque margine antico integro, mutico.

Gyll. Ins. Sv. 3. 383. 6. ♂♀. Dej. Catal. p. 102. Zett. Fn. Lapp. 1. 351. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica passim; sub cortice Pini Abietis, ubi fungus excrescere incipit, ad Juckasjervi et Wittangi mens. Junio haud infrequenter legi. Medius, *C. micanti* aequalis, pube vix visibili adspersus. (Lapp.-Scan. in fungis arborum Fraxini et Alni freq.)

**6. C. perforatus:** convexus, longius pubescens nitidus nigro-piceus, antennis pedibusque testaceis, thorace aequali subtiliter, elytrisque profunde, vage punctatis.

Gyll. Ins. Sv. 3. 385. 7. Dej. Catal. p. 102. Zett. Fn. Lapp. 1. 352 6.

Hab. cum *C. hispido*, quo duplo major, in fungis betulinis Lapponiae passim; colore dilutiori saepe varians; ad Wittangi mense Junio ego praesertim legi. (Lapponia; Botnia borealis ad Johannis Ro; Westrogothia in sylva Kinnensi; Scania, rarius.)

**7. C. Betulae:** parum convexus, glabriusculus nigro-piceus, antennis pedibusque rufo-testaceis, thorace subquadrato, anguste marginato elytrisque creberrime vage punctulatis. (Long. ½ fere ⅔ lin.)

Hab. in Lapponia forte rarissime; in fungo Betulae albae ad pagum Wittangi Lapponiae Tornensis d. 15. Jun. 1821 unicum specimen vivum inveni; et altera vice ad Lycksele Lappon. Umensis, d. 30. Maj. 1832 unicum quoque individuum deprehendi. (Lapponia.)

Praecedente parum longior sed fere angustior, multo minus convexus. Affinis *C. micanti*, forma thoracis ab omnibus distinctus, *Cryptophagis* accedens. Thorax subquadratus, longitudine parum latior, antice posticeque subtruncatis, angulis omnibus lateribusque anguste marginatis subrectis, supra subdepressus s. parum convexus, angulis tamen anticis deflexis; totus glaber nigro-piceus, crebre punctulatus. Elytra elongata, angustata, minus convexa, fere glabra, creberrime vage punctulata, nigro-picea. Corpus nigrum nitidum. Pedes rufo-testacei.

---

## 122. Mycetophagus.*)

Latr. Gen. Crust. et Ins. 295. Fabr.

*Corpus* parvum, ovale, minus convexum, pubescens. Antennae vix thorace longiores, extrorsum crassiores. Caput triangulare, clypeo linea postica transverse impresso. Thorax transversus, postice latior. Tibiae graciles, externe inermes. Tarsi filiformes, simplices. *Color* niger, pictura maculis ferrugineis. *Motus* agilis. *Habitatio* in fungis arboreis et sub cortice arborum emortuarum, gregatim. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 11.)

### *Sect. 1. Antennae extrorsum sensim crassiores, clava distincta haud terminatae; articulo ultimo subovato. Elytra punctato-striata. Mycetophagus* Dej.

**1. M. atomarius:** obscure ferrugineus, supra piceo-niger, antennarum articulo ultimo breviter ovato, elytrorumque evidenter punctato-striatorum macula humerali, fascia postica arcuata, punctisque 3—5 disci testaceis. (Long. circit. 2 lin.)

Fabr. Eleut. 2. 568. 14. Panz. Fn. 12. f. 10. Gyll. Ins. Sv. 3. 389. 2. Dej. Catal. p. 102. Zett. Fn. Lapp. 1. 353. 1.

Hab. in fungis arboreis vetustis et putridis praesertim betulinis, in Lapponia rarius. *Dermest. Pellione* fere duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. M. variabilis:** obscure ferrugineus, pedibus dilutioribus, supra piceo-niger, antennarum articulo ultimo longius ovato pallido, elytrorum obsolete punctato-striatorum maculis ferrugineo-testaceis.

---

*) Huic habitu similis est *Heterocerus marginatus*; sed haec species pentamera, ad ripas aquarum et locis humidis semper, nunquam in fungis degens; juxta *Parnum* in Familia 15 *Amphibiorum* melius locatur, ibique quaerendus

Var. a. elytris fascia lata baseos, alia parva, abbreviata simplici, lunata, pone medium, punctoque intra apicem testaceis.

GYLL. Ins. Sv. 3. 390. 3. DEJ. Catal. p. 102. ZETT. Fn. Lapp. 1. 354. 2. a. *Mycetophag. piceus* FABR. Eleut. 2. 569. 22. PANZ. Fn. 1. f 22.

Var. b. puncto insuper parvo, pallido, in medio marginis elytrorum, inter fascias.

ZETT. et GYLL. l. c. var. b.

Var. c. similis varietati b, thorace dilutius ferrugineo.

ZETT. et GYLL. l. c. var. c. *Mycetophagus lunaris* FABR. Eleut. 2. 568. 19.

Hab. in Lapponiae fungis arboreis Alni et Betulae rarius. Magnitudo praecedentis. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Varietates reliquas a D. GYLLENHAL recensitas, pictura elytrorum diversas, in Suecia media et meridionali frequentiores, in Lapponia non vidi.

**3. M. multipunctatus**: oblongus ferrugineo-piceus, antennis articulo ultimo breviter ovato pedibusque dilutioribus, elytris evidenter punctato-striatis, testaceo-maculatis, thorace brevi, punctato.

Var. a. elytris ferrugineo-piceis, maculis punctisque plurimis testaceis variegatis.

GYLL. Ins. Sv. 3. 393. 5. ZETT. Fn. Lapp. 1. 354. 3. a.

Var. b. pallidior, elytris rufo-piceis, maculis punctisque plurimis dilatatis testaceis variegatis.

GYLL. l. c. var. b. FABR. Eleut. 2. 558. 16. PANZ. Fn. 12. f. 11. DEJ. Catal. p. 102. ZETT. l. c. var. b.

Hab. in fungis Betulae albae, mense Junio, in Lapponia sylvatica passim; ad Junosuando, Kuoxu, nec non ad torrentem Meraslinka Lapponiae Tornensis a me copiose visus; ut et Nordlandiae inferalpinis, ex. gr. ad Finkıog parcius. Praecedente duplo minor, praesertim angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. M. fulvicollis**: oblongus, longius pubescens niger, antennarum basi articuloque ultimo breviter ovato, thorace punctato pedibusque fulvis, elytris subdepressis, punctato-striatis, testaceo-fasciatis.

Var. a. elytrorum margine fasciisque duabus interruptis pallide testaceis.

FABR. Eleut. 2. 569. 21. PANZ. Fn. 62. f. 4. GYLL. Ins. Sv. 3. 395. 6. DEJ. Catal. p. 102. ZETT. Fn. Lapp. 1. 355. 4. a.

Var. b. similis variet. a., puncto insuper rotundato ad marginem inter fascias, pallido.

ZETT. l. c. var. b

Hab. in Lapponia rarissime; in trunco carioso arboris ad Wittangi utramque varietatem d. 15. Jun. legi; sub cortice Pini emortuae etiam ad Lycksele Lapponiae Umensis, d. 1. Jun. 1832 var. a. semel captus; et in Botnia boreali ad Calix quoque occurrit, ibique jam d. 16. Maj. lectus. Priori paullo longior, sed vix latior. (Lapp.-Smoland. rar.)

***Sect. 2. Antennae clava terminali distincta, ex articulis 3 aut 4 composita: ultimo subgloboso. Elytra saepe vage punctata. Minores. Triphyllus*** DEJ. Catal. p. 102.

**5. M. bifasciatus**: niger, antennarum basi pedibusque ferrugineis, thoracis angulis posticis, elytrorumque vage punctatorum fasciis pallide testaceis (Long. circit. ⅔ lin.)

Var. a. elytris fasciis duabus apiceque pallide testaceis.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 3. 10. 2. GYLL. Ins. Sv. 3. 396. 7. ZETT. Fn. Lapp. 1. 355. 5. *Ips bifasciata* FABR. Eleut. 2. 579. 14. *Mycetophagus signatus* PANZ. Fn. 57. f. 20.

Var. b. elytris fasciis duabus tantum testaceis, puncto apicis pallido nullo.

ZETT. l. c. var. b.

Var. c. duplo minor, elytris fascia testacea tantum unica postica; fascia scilicet antica punctoque apicis deficientibus; loco fasciae anticae macula ad marginem saepe adest. Vix species distincta? — ZETT. l. c. var. c.

Var. d. elytrorum fasciis latioribus, confluentibus.

ZETT. l. c. var. d. GYLL. l. c. var. b. *Ips marginalis* PANZ. Fn. 2. f. 24.

Hab. in fungis putridis truncorum vetustorum Betulae albae, in Lapponia et boreali et meridionali, tempore vernali passim; omnes varietates simul captae. Parvus, *Cryptophago cellari* vix major. (Lappon.-Ostrogothia pass.)

**6. M. fumatus**: pallido-pubescens ferrugineo-testaceus, oculis nigris, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis rugulosis.

GYLL. Ins. Sv. 3. 599. 9. ZETT. Fn. Lapp. 1. 356. 6. *Dermestes fumatus* SCHÖNH. Syn. 2. 94. 45. *Dermestes stercoreus* LINN. Fn. Sv. 432.

Hab. in Lapponia, secundum Collectionem D. KOLSTRÖM, mihi in terris arcticis non obvium insectum parvum, *Cryptophagi Lycoperdi* facie et magnitudine. (Lapp.-Scan. pass.)

## 123. Silvanus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 303. DEJ. *Dermestes* FABR.

*Corpus* minutum, angustum, valde depressum. Antennae thorace paullo longiores, 11-articulatae, clava triarticulata. Caput anterius angustatum, subtriangulare; clypeo linea transversa postica impressa non distincta. Pedes breves, femoribus validis. *Color* ferrugineo-testaceus. *Motus* tardus. *Habitatio* sub cortice arborum et in fungis. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 2.)

**1. S. unidentatus**: punctulatus, testaceo-ferrugineus, pedibus dilutioribus, oculis nigris, thorace elongato, postice angustato, angulis anticis acuminato-productis, elytris punctato-striatis. (Vix ultra ½ lin. long.)

LATR. Gen. Crust. et Ins. 3. 20. 1. T. 11. f. 2. GYLL. Ins. Sv. 3. 405. 1. DEJ. Catal. p. 103. ZETT. Fn. Lapp. 1. 357. 1. *Dermestes unidentatus* FABR. Eleut. 1. 317. 27. PANZ. Fn. 3. f. 6.

Hab. sub cortice et in fungis truncorum putridorum Betulae, in Lapponia rarius, in Botnia boreali frequentius. Parvus, tenuis, *Lycto bipustulato* minor. (Lapp.-Smoland. pass.)

## 124. Lyctus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 300. FABR. DEJ.

*Corpus* parvum, lineari-elongatum, depressiusculum. Mandibulae exsertae. Antennae thoracis longitudine, 11-articulatae, clava biarticulata, in quibusdam 5-articulata mihi videtur. Caput anterius angustatum, oculique subprominuli. Thorax subquadratus, postice elytris angustior. *Color* brunneus. *Motus* tardus. *Habitatio* sub cortice arborum, solitarie. *Differentia sexus* externa nulla. (Spec. Scand. 4.)

**1. L. contractus**: glaber, ferrugineo-castaneus, elytris depressis, punctato-striatis, sutura nigra, thorace subcordato, bifoveolato. (Long. fere 2 lin.)

FABR. Eleut. 2. 563. 16. GYLL. Ins. Sv. 3. 410. 2. DEJ. Catal. p. 103. ZETT. Fn. Lapp. 1. 357. 1.

Hab. sub cortice truncorum Pini, in Lapponia rarissime. Parvus. Magnitudo variat. (Lapp.-Ostrogoth. pass.)

*Obs.* Altera hujus generis species vulgaris seu *Lyct. canaliculatus*: fusco-brunneus, opacus pubescens, thorace lateribus denticulato, dorso fovea oblonga impresso, elytris convexo-cylindricis striatim pilosis; in Succiae inferioris Quercetis frequens, in Lapponiae sylvis acerosis vix occurrit, nec mihi in Botnia boreali et occidentali obvia.

## 125. Bitoma.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 299. DEJ. *Lyctus* FABR.

*Corpus* minutum, elongatum, depressiusculum. Antennae capite paullo longiores, 11-articulatae, clava bi-articulata. Mandibulae absconditae. Caput breve, obtusum. Thorax quadratus, postice latitudine fere elytrorum. *Color* niger, pictura rufo-maculata. *Motus* tardus. *Habitatio* sub cortice arborum emortuarum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 2.)

**1. B. crenata**: opaca nigra, antennis pedibusque ferrugineo-piceis, elytris rufis, cruce nigra, subtiliter crenato-striatis, interstitiis alternis costatis, thorace utrinque bicarinato. (Long. 1 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 3. 412. 1. DEJ. Catal. p. 103. ZETT. Fn. Lapp. 1. 358. 1. *Lyctus crenatus* FABR. Eleut. 2. 561. 10. *Monotoma crenata* PANZ. Fn. 1. f. 24.

Hab. sub cortice truncorum et arborum emortuarum, in Lapponia rarius. Parva, *Rhyzophago bipunctato* paullo brevior, sed latior. (Lapp.-Scan. freq.)

## 126. Latridius.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 302. HERBST. DEJ. *Dermestes* FABR.

*Corpus* valde minutum, oblongum, depressiusculum. Antennae thorace paullo longiores, 11-articulatae, clava triarticulata, subperfoliata, abrupta. Caput angustum, antice breviter et obtuse subproductum. Thorax elytris angustior. *Color* niger, brunneus. *Motus* haud agilis. *Habitatio* in fungis, in parietibus et succo arborum etc. per partem sylvaticam — subalpinam Lapponiae, et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 25.)

**1. L. lapponicus:** confertim punctulatus, brevius pubescens nigro-piceus, antennis pedibusque ferrugineis, thorace rotundato, lateribus acute crenulato, dorso subconvexo, foveola antescutellari subrotunda impresso, elytris obsolete, irregulariter punctato-striatis. (Long. ¼ lin.)

*Latridius serratus* ZETT. Fn. Lapp. 1. 356. 1. (excl. syn.)

Hab. in fungis et succo destillante Betulae albae in Lapponiis Suecicis borealibus frequentissimus; ut et ad Schiervoe Nordlandiae et Bossekop Finmarkiae parcius. Parvus, *Cryptophago cellari* fere minor. *L. pubescenti* GYLL. Ins. Sv. 4. 123. 1. sat similis, sed forte paullo minor, thorace breviori magis rotundato, elytris tenuiter pubescentibus etc. distinctus; a *L. crenulato* thoracis lateribus acutius crenulatis, ut et a *L. serrato*, qualem ab ipso D. GYLLENHAL obtinui, magnitudine duplo majori, colore obscuriore, pubescentia forte evidentiori, nec non elytrorum interstitiis punctulatis sed non transversim rugulosis, differt. Variat paullo dilutior. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. L. gibbosus:** subtiliter punctulatus pubescens fusco-ferrugineus, antennarum basi pedibusque rufo-testaceis, thorace rotundato, lateribus integro, dorso subconvexo, foveola antescutellari transversa impresso, elytris punctato-striatis. (Long. ⅓ lin.)

DEJ. Catal. p. 102. GYLL. Ins. Sv. 4. 132. 10. ZETT. Fn. Lapp. 1. 359. 2. *Dermestes gibbosus* PAYK. Fn. Sv. 1. 301. 32.

Var. b. dilutior, totus ferrugineo-testaceus; junior.

ZETT. l. c. var. b.

Hab. in frondibus Abietis, etiam sub lapidibus mens. Maj. — Aug. in Lapponia passim; ad Wittangi, Torneatrask, Muonioniska et Karesuando haud infrequenter vidi. Praecedente paullo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. L. pubescens:** longius pubescens fusco-ferrugineus, thorace longiori subcordato, lateribus crenato, fovea majori postica impresso, elytris confertim punctato-striatis, transversim subrugulosis. (Long. fere ⅔ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4. 123. 1. *Dermestes fenestral.* PAYK. Fn. 1. 297. 26.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; ad Lycksele d. 2. Jun. a D. DAHLBOM inventus. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. L. crenulatus:** longius pubescens fusco-piceus, thorace breviore rotundato, lateribus obsoletius crenulato, elytris confertim punctato-striatis, transversim subrugosis. (Long. ½ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4. 125. 2.

Hab. in Lapponia D. BOHEMAN. (Lapp.-Suecia rar.)

**5. L. ferrugineus:** sublinearis glaber castaneus, capite nigricante, thorace quadrangulo punctatissimo, elytrorum latitudine, elytris pallidioribus, simpliciter striato-punctatis. (Long. vix ultra ⅓ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4. 131. 9. *Dermest. fenestralis* LINN. Fn. Sv. 423. ut autumat D. GYLLENHAL.

Hab. in Lappon. Umensi rar.; ad Stensele et in fenestra ad Wilhelmina, d. 15. Jul. captus. (Lapp. merid.-Suec. pass.)

**6. L. nigricollis:** subglaber niger, antennis, elytris confertim tenuiter punctato-striatis, interstitiis punctulatis, pedibusque fusco-testaceis, thorace breviore transverso, lateribus rotundatis obsolete denticulatis, fovea antescutellari rotunda. (Long. paullo ultra ⅓ lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rariss.; in graminosis ad Wilhelmina 20. Jul. captus. Aff. *L. ferrugineo et fusculo* (Lapponia.)

**7. L. rufulus:** punctulatus subglaber rufus, elytris convexiusculis confertim punctato-striatis, interstitiis punctulatis, pedibusque rufo-testaceis, thorace breviori transverso, lateribus parum rotundatis submuticis, fovea antescutellari rotundata impressa. (Long. vix ⅓ lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. Affinis prioribus; parvus, rufescens, antennis brevioribus. (Lappon. Umensis.)

**8. L. acuminatus:** glaber, rufo-ferrugineus, antennis pedibusque testaceis, thorace quadrato, depresso, rugoso, lineis duabus margineque laterali subelevatis, elytris punctato-striatis, apice acuminatis. (Long. fere ⅞ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 360. 3. GYLL. Ins. Sv. 4. 135. 14. *Latridius quadratus* HERBST. Col. 5. p. 8. 6. t. 44. *Dermestes acuminatus* PAYK. Fn. 1. 299. 29.

Hab. in Lapponiae quisquiliis rarius; praecedentibus paullo major, longior. (Lappon.-Scan freq.)

**9. L. marginatus:** glaber, nigro-piceus, antennis pedibusque ferrugineis, thorace subquadrato, antice latiori, margine laterali elevato, dorso depresso, inaequali, postice transversim impresso, elytris crenato-striatis. (Long. parum ultra ½ lin.)

DEJ. Catal. p. 102. ZETT. Fn. Lapp. 1. 360. 4. *Dermestes marginatus* PAYK. Fn. 1. 300. 30. *Latridius porcatus* HERBST. Col. 5 p 6. 4. t. 44. 4. GYLL. Ins. Sv. 4. 142. 22.

Hab. in parietibus et quisquiliis, in Lapponia boreali et meridionali rarius, e Groenlandia etiam a D. WESTERMANN missus; *Latr. gibboso* magnitudine aequalis. (Lappon.-Scan. freq.)

**10. L. fusculus:** subtiliter punctulatus piceus, ore, antennarum basi pedibusque rufo-testaceis, thorace latiori, lateribus integro, dorso subconvexo, foveola antescutellari transversa impresso, elytris punctato-striatis, pubescentibus, fusco-ferrugineis. (Long. ⅓ lin.)

SCHÜPPEL in litt. ZETT. Fn. Lapp. 1. 360. 5. GYLL. Ins. Sv. 4. 133. 12. *Latr. angulatus* GYLL. in litt.

Hab. sub lapidibus locis aridis, ad Wittangi Lapponiae Tornensis et Lycksele Lapponiae Umensis frequenter, d. 15 — 24. Jun. captus. (Lapp. Scan. pass.)

Magnitudo et summa affinitas *Latr. gibbosi*, et parum differt nisi colore paullo obscuriori, ut et thorace paullo latiore.

**11 L. longicollis:** punctatus subpubescens rufo-ferrugineus, antennis pedibusque dilutioribus, thorace cordato, lateribus obsolete serrulato, fovea antescutellari impresso, elytris convexis confertim punctato-striatis, interstitiis transversim rugulosis. (Long. ⅓ lin.)

Hab. in graminosis Lapponiae meridionalis ad Wilhelmina d. 20. Jul. semel captus. Similis sequenti, colore alio. (Lapponia.)

**12. L. linearis:** elongatus subpubescens fusco-ferrugineus, thorace cordato foveola antescutellari impresso, elytris convexis, striato-punctatis, transversim rugulosis. (Long. ⅓ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 4. 129. 7.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime. Similis priori, colore obscuriore et thorace paullo minus profunde punctato distinctus. (Lapp.-Scan. pass.)

— — —

## 127. Cerylon.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 298. DEJ. *Lyctus* FABR.

*Corpus* parvum, elongato-quadratum, depressum. Antennae capite subduplo longiores, thorace tamen breviores, 10-articulatae, clava-triarticulata, perfoliata. Thorax subquadratus. Tibiae ad apicem paullo latiores. *Color* niger. *Motus* tardus. *Habitatio* sub cortice arborum emortuarum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Discrimen sexus* ignotum. (Spec. Scand. 6.)

**1. C. Juglandis:** opacus scaber fuscus, antennis, pedibus maculaque humerali rufo-testaceis, thorace transversim quadrangulo, undique marginato, elytris crenato-striatis, seriatim hispidis. (Long. circ. 1 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 3. 416. 1. *Synchita Juglandis* DEJ. Catal. p. 102.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in trunco carioso Betulae albae ad novaculum Naestansjoe in Lapponiae paroecia Wilhelmina die 13. Jul. 1832 unicum individ. inveni. (Lapponia meridionalis; Ostrogothia ad Wadstena-Smoland. rar.)

**2. C. Histeroides:** nitidus glaber niger, antennis pedibusque testaceo-ferrugineis, thorace quadrato, immarginato, profunde punctato, elytris subtiliter punctato-striatis. (Long. ⅔ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 3. 418. 3. var. a. DEJ. Catal. p. 102. ZETT. Fn. L. 1. 361. 1. *Lyctus Histeroides* FABR. Eleut. 2. 561. 9. PANZ. Fn. 5. f. 16.

Var. b. corpore toto pallidiore.

GYLL. l. c. var. b.

Hab. sub cortice arborum emortuarum, praesertim Pini sylvestris et Betulae albae, ut etiam in fungis betulinis, in

Lapponia sylvatica boreali et meridionali, mens. Maj.—Jun. frequentissimus; colore totius corporis ferrugineo nuper exclusus varians ut in var. b. Parvus, *Histeri flavicorni* aequalis, eum mentiens. (Lapp. - Scan. freq.)

**3. C. picipes:** opacus subhispidus niger, antennis pedibusque testaceo-ferrugineis, thorace oblongo-quadrato, lateribus crenulato, dorso punctato, postice bifoveolato, elytris crenato-striatis, apice subtruncatis.

GYLL. Ins. Sv. 3. 417. 2. ZETT. Fn. Lapp. 1. 361. 2. *Monotoma picipes* HERBST. Col. 5. 24. 2. t. 46. f. 2. DEJ. Catal. p. 103.

Hab. sub cortice arborum, in Lapponia rarius; colore pallidiore varians; parvus, priori paullo angustior, praesertim antice. (Lapp. - Scan. pass.)

*Obs.* Sub nomine *Monotoma scabra* MACRAL. seu *Ceryl. angusticollis* GYLL. Ins. Sv. 4. 634. 2—3, insectum huic affine et subsimile, ab amico D. Prof. KUNZE in Saxonia captum obtinui; sed hoc in Suecia media rarissime lectum, in Lapponia non occurrit.

---

## FAM. 29. CAPRICORNES. DEJ. (CERAMBYCINI LATR.)

### 128. Cerambyx.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 312. FABR. SCHÖNH.

*Corpus* magnum, elongatum, angustum, sublineare, depressiusculum. Antennae longissimae, setaceae. *Color* niger. *Motus* tardus, at saepe volatus. *Habitatio* larvarum in truncis, imaginum supra truncos; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in antennarum proportione diversa interdum quaerenda. (Spec. Scand. 4.)

**1. C. Cerdo:** niger glaber, antennarum articulis quatuor basalibus incrassatis, thorace utrinque unispinoso, dorso transversim profunde, elytrisque antice rugosis. ♂♀. (Long. 6—8 lin.)

LINN. Syst. Nat. 2. 629. 39. PAYK. Fn. 3. 55. 3. FABR. Eleut. 2. 270. 20. SCHÖNH. Syn. 3. 355. 40. ZETT. Fn. L. 1. 362. 1. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. 50. 4. *Haematicherus Cerdo* DEJ. Catal. p. 105. GERM. Ins. Spec. 1. p. 499.

Hab. ad Karesuando Lapponiae Tornensis, Collect. D. GRAPE. *Cerambyce alpino* et *moschato* Suecorum paullo minor, brevior. (Lapponia; Olandia; Scania pass.)

### 129. Lamia.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 311. FABR. SCHÖNH.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongum, convexiusculum, posterius angustum. Antennae longissimae, setaceae. *Color* niger, griseus. *Motus* tardus, saepe volatus. *Habitatio* in sylvis. *Differentia sexus* externa in antennarum proportione aut in structura ani diversa quandoque invenienda. (Spec. Scand. 3.)

**1. L. Sutor:** rugoso-punctata nigra, scutello elytrorumque maculis flavo — l. griseo — pubescentibus, thorace utrinque unispinoso. ♂♀. (Long. 5—6 lin.)

*Mas:* antennis corpore duplo longioribus, totis nigris.
*Fem.:* antennis corpore dimidio vix longioribus, nigris, articulorum basi cinereis.

FABR. Eleut. 2. 294. 68. PAYK. Fn. Sv. 3. 62. 2. SCHÖNH. Syn. 3. 384. 110. ♂♀. ZETT. Fn. L. 1. 363. 1. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. 51. 1. ♂♀. *Cerambyx Sutor* LINN. Fn. Sv. 655. ♂♀. *Monochamus Sutor* DEJ. Catal. p. 106.

Hab. in sylvis Lapponiae Tornensis frequens, praesertim ad Karesuando et Muonioniska; Collect. D. D. GRAPE et KOLSTRÖM; mihi quoque in Lapponia Umensi, ex. gr. Rusele, Wilhelmina, Lycksele et Åsele, mense Julio, haud raro obvia. *Ceramb. Cerdone* plerumque paullo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**2. L. aedilis:** obsolete punctato-rugosa grisea, cinereo-pubescens, antennarum articulis apice nigricantibus, thorace utrinque unispinoso, dorso punctis quatuor luteis, elytris depressis fusco-fasciatis. (Long 4—5 lin.)

*Mas:* antennis corpore quadruplo et ultra longioribus, ano obtuso.
*Fem.:* antennis corpore duplo l. triplo longioribus, ano producto; in copula.

FABR. Eleut. 2. 287. 32. PAYK. Fn. 3. 62. 3. ♂♀. SCHÖNH. Syn. 3. 373. 48. ZETT. Fn. Lapp. 1. 363. 2. GYLL. Ins. Sv. 4. 53. 3. ♂♀. *Cerambyx aedilis* LINN. Fn. Sv. 653. ♂♀. *Acanthocinus aedilis* DEJ. Catal. p. 106.

Suecis: *Timmerman*; Lapponibus Juckasjervensibus Fennice: *Sarvi Kiiski*. *Timmerkusen* in Lapponia Lyckselensi.

Hab. in Lapponia et boreali et meridionali, per partem sylvaticam mens. Maj. — Jun. frequens, in Botnia vulgaris; sed supra cataractam Wackokoski (limitem Abietis) et Karesuando Lapponiae Tornensis ut et ad Umenaes haud longe a Brattiksfjell, Lapponiae Umensis, haud vidi, nec in Nordlandiae Finmarkiaeque subalpinis a me observata. Tempore verno, sole sereno et urente, imagines supra truncos secatos et decorticatos arborum, praesertim Pini sylvestris, sat celeriter currunt, invicem persequentes lascivae, concubitus avidae. Ova foecundata deinde in truncis deponunt feminae. — Insectum priori paullo minus, notissimum, a Scania usque ad summam Lapponiam inviolatum. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. L. grisea:** longior subdepressa nigro-brunnea, dense cinereo-pubescens, thorace punctis 4 flavo-pilosis, elytris sublinearibus, fascia, maculis punctisque denudatis brunneis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.)

SCHÖNH. Syn. 3. 375. 49. GYLL. Ins. Sv. 4. 55. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Stensele d. 3. Jul. a D. DAHLBOM lecta. (Lapp. meridionalis-Finlandia freq.-Ostrog. pass.-Scan. AGARDH, rar.)

Priori affinis, sed multo minor, angustior.

### 130. Pogonocherus.

DEJ. Catal. p. 107. *Lamia* SCHÖNH. *Cerambyx* FABR.

*Corpus* parvum, oblongum, subconvexum, posterius angustatum. Antennae mediocres. *Color* fuscus, brunneus, pubescentia grisea, pictura fasciata. *Motus* tardus. *Habitatio* in sylvis. *Differentia sexus* in externis vix perspicienda. (Spec. Scand. 6, seu praeter nostram, *Ceramb. nebulosus, ovalis, balteatus, hispidus* et *pilosus* Auctor.)

**1. P. fasciculatus:** brunneo-testaceus, fusco-nebulosus pubescens, elytris apice truncato, integro, fascia antica obliqua albida, fasciculisque tribus nigris, thorace utrinque unispinoso, antennis hirtis. (Long. 2—2¼ lin.)

DEJ. Catal. p. 107. ZETT. Fn. Lapp. 1. 364. 1. *Cerambyx fasciculatus* PAYK. Fn. 3. 58. 7. FABR. Eleut. 1. 277. 55. *Lamia fascicularis* SCHÖNH. Syn. 3. 376. 58. PANZ. Fn. Germ. 14 f. 15. GYLL. Ins. Sv. 4. 64. 13. *Cerambyx hispidus* var. a. LINN. Fn. Sv. 651.

Hab. sub cortice truncorum emortuorum Pini sylvestris, ut et in ligno recenter secato ejusdem arboris, per totam Lapponiam sylvaticam et borealem et meridionalem, usque ad Juckasjervi et Karesuando, nec non ad Wilhelmina et Umenaes, mens. Majo — Jul. frequenter. (Lapp.-Ostrogoth. in Abiete frequenter.)

Parvus, ad summum vix 3 lin. longus. Antennae corpore parum longiores pedesque nigricantia, pallido-annulata. Fascia elytrorum lata, albida, ab humeris ad suturam attenuatim oblique ducitur. In singulo elytro lineae duae elevatae, et fasciculi tres e pilis densis rigidis nigris, longitudinaliter dispositi, conspiciuntur. — Huic valde affinis est et similis *Ceramb. hispidus* LINN., sed hic „elytris bidentatis“ dignotus in Suecia inferiori vulgaris, in provinciis borealibus mihi non obvius fuit.

### 131. Saperda.

FABR. Syst. Eleut. 141. DEJ. *Lamiae* species LATR.

*Corpus* saepe majoris magnitudinis, elongatum, subcylindricum, posterius paullo angustatum. Antennae corpore parum longiores, setaceae. Thorax cylindricus, muticus. *Color* niger, griseus, testaceus. *Motus* tardus, sole sereno agilis, saepe volatus. *Habitatio* in sylvaticis; per partem sylvaticam Lapponiae et subalpinam Finmarkiae. *Feminae* a *maribus* vix nisi corpore robustiori externe differunt. (Spec. Scand. 12.)

**1. S. Carcharias:** nigra, pube grisea aut flavescente tecta, supra nigro-punctata, antennis cinereis, articulorum apice nigricante. ♂♀. (Long. 6—9 lin.)

PAYK. Fn. 3. 71. 1. FABR. Eleut. 2. 317. 1. SCHÖNH. Syn. 3. 422. 35. ♂♀. DEJ. Catal. p. 108. GYLL. Ins. Sv. 4. 103. 1. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 365. 1. ♂♀. *Ceramb. Carcharias* LINN. Fn. Sv. 660.

Hab. in Populetis per partem infimam Lapponiae, rarissime; Collect. D. Portin; mihi in terris borealibus non obvia. In suo genere magna, *Ceramb. Cerdone* paullo major, robustior, praesertim femina. (Lapponia-Ostrogothia pass. Scan. rar.)

**2. S. scalaris**: nigra, pube cinereo-albida dense tecta, elytris glabris, linea suturali crucifera maculisque lateralibus albo-pubescentibus, antennis nigro-annulatis, thoracis dorso denudato. ♂♀. (Long 4—5 lin.)

Payk. Fn. Sv. 3. 75. 6. var. Fabr. Eleut. 2. 318. 2. var. Schönh. Syn. 3. 423. 37. ♂♀. var. Zett. Fn. Lapp. 1. 366. 2. ♂♀. Dej. Catal. p. 108. var. Gyll. Ins. Sv. 4. 104. 2. var. *Leptura scalaris* Linn. Fn. Sv. 697. var.

Hab. in foliis et truncis Betulae albae mens. Jul. — Aug. in Lapponia frequens, a me ad Kihlangi, Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis, nec non ad Barrsele et Umenaes, Lapponiae Umensis, lecta; occurrit quoque in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque parcius, et in insula Hacksten prope Schiervoe, nec non in nemoribus ad Alten vidi. (Lapp.-Scania rar.)

Praecedente fere triplo minor. — Quae in Lapponia occurrunt specimina pube cinereo albida (nec flavescente) *semper* teguntur, unde facies aliena. Vix vero hae distinctam efficiunt speciem, dum individua eodem modo colorata in Suecia meridionali cum insecto vulgari flavescenti certe sunt lecta, licet parcius.

**3. S. oculata**: luteo-testacea, capite, antennis punctisque duobus thoracis atris, elytris profunde vage punctatis nigris, cinereo-pubescentibus. ♂♀.

Payk. Fn. 3. 72. 2. Fabr. Eleut. 2. 319. 11. Panz. Fn. 1. 18. Schönh. Syn. 3. 424. 45. Dej. Catal. p. 109. Zett. Fn. Lapp. 1. 366. 3. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 108. 6. *Cerambyx oculatus* Linn. Fn. Sv. 664.

Hab. in Salicetis Lapponiae rarissime, Collect. D. Kolström, mihi non obvia. *Saperda scalari* paullo longior, sed multo angustior, sublinearis. (Lapp.-Smoland. rar.)

**4. S. nigripes**: nigra, griseo-pilosa, thoracis linea utrinque scutelloque cinereo-villosis, elytris nigro-caerulescentibus, rugoso-punctatis, apice rotundatis. ♂♀. (Long. 3—4 lin.)

Payk. Fn 3. 73. 4. Fabr. Eleut. 2. 320. 16. Schönh. Syn. 3. 427. 53. Dej. Catal. p. 109. Zett. Fn. Lapp. 1. 367. 4. Gyll. Ins. Sv. 4. 110 8.

Hab. in Lapponia meridionali rarius. (Lapp.; Dalekarlia; Scan. rar.)

Similis et affinis *Saperd. cylindricae*; sed haec Sueciae inferioris tempore vernali sat frequens incola, paullo minor, elytris nigricantibus apice subpraemorsis, pedibus anticis luteis, dignota, in Lapponia vix occurrit, mihi saltem in septentrione non obvia.

**5. S. populnea**: nigra, subtus parce lutescenti-pubescens, thorace linea utrinque, elytrorumque punctis 4—5 lutescenti-villosis, antennarum articulis basi cinereis. ♂♀. (Long. 3½—4¼ lin.)

Payk. Fn. 9. 77. 9. var. densius pubescens. Panz. Fn. 69. f. 7. Fabr. Eleut. 2. 327. 55. Schönh. Syn. 3. 433. 93. Dej. Catal. p. 109. Zett. Fn. Lapp. 1. 367. 5. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 108. 5. *Cerambyx populneus* Linn. Fn. Sv. 661.

Hab. in Lapponia rarius, ad Karesuando et Muonioniska Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele Lapp. Umensis, a d. 20. Jun. usque ad medium mensis Augusti a me lecta. *Saperda nigripede* fere latior, sed interdum paullo brevior. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Insectum hujus speciei, quod in Sueciae provinciis meridionalibus occurrit, pube densiori (praesertim subtus) aut flavescenti (*Saperda populnea* Auctor.), aut albescenti (*Saperd. Salicis* Zett. Act. Holm. 1818 p. 258.), semper tegitur. Individua autem, quae jam ante oculos habeo, in Lapponia capta viva paullo minora sunt, pube magis grisescente, quam lutescente parce tecta, ut et thoracis lineis tantum duabus (dorsali media scilicet nulla) praedita; vix vero sunt specimina detrita, nam omnia similia, et de cetero bene conservata. Varietas igitur forte e climate severiori orta.

*Obs.* E genere *Clyto* Fabr. ad hanc Famil. pertinente, nullae species in Lapponia detectae, quantum novi.

---

## 132. Molorchus.

Latr. Fabr. Payk. Panz. Schönh. Gyll. *Necydalis* Linn.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, elongatum angustum. Antennae longitudine corporis, aut raro illo breviores, interdum longiores, setaceae. Palpi subfiliformes, apice truncati. Thorax obsolete tuberculatus. Elytra brevissima, rotundata. *Color* nigricans. *Motus* tardus, sole vero urente cursorius; volatus frequens, celer. *Habitatio* in floribus et sepibus, interdum etiam in truncis arborum emortuarum, in quibus feminas ova deponere vidi; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in proportione antennarum mox detegenda. (Spec. Scand. 3.)

**1. M. dimidiatus**: pubescens niger, elytris testaceis, lineola obliqua alba, antennis ferrugineis, corpore longioribus. ♂♀. (Long. 2¼ fere usque ad 4 lin.)

*Mas:* antennis corpore dimidio longioribus, 12-articulatis;

*Fem.:* antennis corpore parum longioribus, 11-articulatis; in copula.

Hab. in Lapponia Umensi passim; mihi in floribus Salicum ad Lycksele, Wilhelmina et lacum Wojmsjoen praesertim obvius, a d 15. Jun. ad 22. Jul. vigens. (Lapp. meridionalis-Suec. med. Ostrogoth., Blekingia passim.)

---

## 133. Spondylis.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 309. Fabr. Dej.

*Corpus* majoris magnitudinis, robustum, elongatum, subcylindricum. Antennae filiformes, breves. Thorax suborbiculatus muticus. Tibiae extus denticulatae. *Color* niger. *Motus* tardus. *Habitatio* in truncis arborum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* latet. (Spec. Scand. 1.)

**1. S. Buprestoides**: niger rugoso-punctatus glaber, thorace rotundato, elytro singulo lineis duabus elevatis. (Long. 3½—6 lin.)

Payk. Fn. 3. 138. 1. Fabr. Eleut. 2. 376. 1. Dej. Catal. p. 104. Zett. Fn. Lapp. 1. 368. 1. Gyll. Ins. Sv. 4. 117. 1. *Attelabus Buprestoides* Linn. Fn. Sv. 644.

Hab. in Lapponia, Collect. D. Portin, mihi vero nec in Lapponia nec in Botnia boreali obvius. (Lapp.-Suecia media freq. Scan. pass.)

---

## 134. Callidium.

Fabr. Eleut. 142. Schönh. Dej. *Cerambycis* species Latr.

*Corpus* mediae s. majoris magnitudinis, elongatum, lineare, depressum. Antennae corpore breviores aut ejus longitudine, subfiliformes. Thorax rotundatus, inermis. Femora postica pedunculato-clavata. *Color* niger, brunneus, violaceus, metallice saepe nitens. *Motus* tardus. *Habitatio* in ligno et sub cortice arborum. *Discrimen sexus* parum perspicuum, in structura ani, apud feminam prominuli, interdum observandum. (Spec. Scand. 19, quibusdam Paykullianis ad *Clytum* relatis.)

**1. C. striatum**: nigrum opacum, tenuiter pubescens, creberrime punctulatum, thorace rotundato, subimpresso, elytris leviter striatis, interstitiis inaequaliter latis subrugulosis, femoribus subsimplicibus. ♂♀. (Long. 4—5 lin.)

*Mas:* segmento ventrali ultimo brevi obtuso.

*Fem.:* segmento ventrali ultimo elongato, apice rotundato; in copula.

Payk. Fn. 3. 83. 4. Fabr. Eleut. 2. 343. 57. Panz. Fn. 70. 13. Schönh. Syn. 3. 455. 57. Dej. Catal. p. 110. Zett. Fn. Lapp. 1. 368. 1. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 80. 10. *Cerambyx striatus* Linn. Fn. Sv. 668.

Var. b. elytris antennisque brunneis; forte immaturum. Schönh. Syn. l. c. var. β. Zett. et Gyll. l. c. var. b. *Callidium agreste* Fabr. Eleut. 2 338. 27.

Hab. in sylvis mense Jun. — Aug. in Lapponia Tornensi passim; in Lapponia Umensi ad Lycksele in Pinetis 10—20. Jun. utraque varietas frequenter; ad Raschstind in insula Schiervoe Nordlandiae, et Gamstenstind vulgare; nec non in parietibus ligneis, soli expositis, ad Bossekop et Altengaard Finmarkiae, frequens, ex utraque varietate. Magnitudo variat; *Callid. rustico* plerumque minus, praesertim brevius, non vero angustius. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rar.)

**2. C. rusticum**: fusco-brunneum opacum, parum pubescens, creberrime punctulatum, thorace rotundato, impresso, elytris lineis duabus elevatis, femoribus simplicibus. ♂♀. (Long. 5—7 lin.)

*Mas:* segmento ventrali ultimo brevi, obtuso.

*Fem.:* saepe major obscurior, segmento ventrali ultimo oblongo, ipso apice obtuso; in copula.

Payk. Fn. 3. 80. 1. Fabr. Eleut. 2. 338. 24. Panz. Fn.

70. f. 8. Schönh. Syn. 3. 449. 30. Dej. Catal. pag. 110. Zett. Fn. Lapp. 1. 369. 2. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 81. 11. *Cerambyx rusticus* Linn. Fn. Sv. 666. (*Callid. triste* Fabr. Eleut. 2. 342. 53. secund. Schönh. Syn.)

Hab. in parietibus ligneis per Lapponiam sylvaticam rarius. Praecedente fere majus, longius; *Saperdae scalari* subaequale. (Lapp.-Suecia med. freq. Scan. pass.)

**3. C. Bajulus:** piceo-nigrum pilosiusculum, thorace rotundato, cinereo-villoso, puncto utrinque elevato denudato nitido, elytris rugulosis glabriusculis, maculis in medio albo-pubescentibus. ♂♀. (Long. 4—6 lin.)

*Mas:* segmento anali brevi obtuso; et

*Fem.:* saepe major, segmento anali longe producto, genitali plerumque exserto; in copula, colore similes.

Payk. Fn. 3. 85. 6. Fabr. Eleut. 2. 33. 2. Panz. Fn. 70. f. 1. Schönh. Syn. 3. 440. 2. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 370. 3. ♂♀. Dej. Catal. p. 110. Gyll. Ins. Sv. 4. 70. 1. *Cerambyx Bajulus* Linn. Fn. Sv. 672. var. ae.

Var. b. nuper exclusum, elytris testaceis.

Zett. et Gyll. l. c. var. b.

Hab. in Lapponiae sylvis, praecedente forsitan rarius, sed illo parum minus. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. C. violaceum:** nigro-caerulescens nitidum subpilosum, thoracis rotundati dorso elytrisque intense violaceis, rugosis, glabris, femoribus subclavatis. ♂♀. (Long. 3—5 lin.)

Payk. Fn. 3. 90. 11. Fabr. Eleut. 2. 335. 10. Panz. Fn. 70. f. 4. Schönh. Syn. 3. 445. 14. Dej. Catal. p. 119 Zett. Fn. Lapp. 1. 370. 4. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 77. 7. *Cerambyx violaceus* Linn. Fn. Sv. 667. Novaculis Umensibus: *Krink-Jon*, quasi retro ambiens, *Blå-Erik*, *Blå-Jon*, *Blå Jacob*.

Hab. in Lapponiae borealis parte sylvatica passim; ad Muonioniska D. Kolström, et sub cortice Abietis ad Juckasjervi d. 23. Jun. ipse, in Lapponia vero meridionali, in domibus novacolarum, per totam partem sylvaticam a Lycksele usque ad Umenaes, mens. Jul. frequenter. Magnitudo fere *Callid. striati*, sed plerumque paullo latius. (Lappon.-Scan. pass.)

**5. C. dilatatum:** supra aeneum nitidum, subtus obscure testaceum, thorace rotundato dilatato, subaequali, punctulato, antice posticeque elevato-marginato, elytris profunde rugosis, posterius latioribus. ♂♀. (Long. 3—5 lin.)

Var. a. ♂♀. supra-virescenti-aeneum.

Payk. Fn. Sv. 3. 91. 12. Schönh. Syn. 3. 448. 23. Dej. Catal. p. 110. Zett. Fn. Lapp. 1. 370. 5. Gyll. Ins. Sv. 4. 78. 8. *Callidium variabile* Fabr. Eleut. 2. 337. 19. (exclus. Syn. Linn.) Panz. Fn. 70. f. 6. Kunz. in litteris (Lipsiae captum).

Var. b. ♂. supra aeneo-violaceum. — Zett. l. c. var. b.

Hab. in Lapponia sylvatica, ad Karesuando et Muonioniska frequens, alibi rarius. (Lappon.-Uplandia ad Upsalam rar.)

Magnitudo fere praecedentis. Antennarum articuli basi plerumque testacei.

**6. C. coriaceum:** nigro-fuscum pubescens, pedibus nigro-violaceis, elytris rugulosis, fusco-testaceis, thorace rotundato, dilatato rugoso, medio impresso, antice posticeque elevato marginato, femoribus elongatis, subelevatis. (Long. 3—5 lin.)

Payk. Fn. 3. 91. 13.? Schönh. Syn. 3. 448. 24 Dej. Catal. p. 110. Zett. Fn. Lapp. 1. 371. 6. Gyll. Ins. Sv. 4. 79. 9.

Hab. in Lapponia boreali per partem sylvaticam inferiorem, rarius, ad Palojoensun et Kihlangi mens. Aug. a me lectum; in Lapponia meridionali non nisi ad Wilhelmina specimen femineum d. 21. Jul. inveni. Magnitudo prioris. (Lapponia et Botnia borealis ad Johannis Ro rar. — In Ostrogothia et Blekingia an idem?)

*Obs.* Ad Lätketorp Ostrogothiae, et ad Bruatorp Blekingiae, in ramis exsiccatis arborum detruncatarum plura specimina legi, quae a lapponicis differunt antennis longioribus (longitudine corporis) et impressione thoracis evidentiori, lineas tres, laterales arcuatas, in medio dorsi subelevatas, laeves, nitidas formante; forte species distincta, an idem *Callid. coriaceum* Payk. genuinum!

**7. C. undatum:** nigro-fuscum pubescens, antennis pedibusque piceo-testaceis, elytris rugulosis nigris, summo margine fasciisque duabus undulatis pallidis, thorace punctulato, antice bi-subtuberculato. ♂♀. (Long. 6 lin.)

Payk. Fn. 3. 92. 14. Fabr. Eleut. 2. 344. 66. Schönh. Syn. 3. 456. 65. Zett. Fn. Lapp. 1. 371. 7. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 86. 15. var. a. *Cerambyx undatus* Linn. Fn. Sv. 675.

Hab. in Lapponiae sylvaticae et borealis et meridionalis truncis et ligno nuper caeso Junio passim; praecedentibus plerumque paullo minus. (Lapp.-Ostrog. freq. Scan. rar.)

**8. C. luridum:** subdepressum subtilissime punctulatum, thorace nigro-nitido subcanaliculato, elytris opacis elevato-lineatis varicoloribus, femoribus brevibus clavatis. ♂♀. (Long. 3—5 lin.)

Var. a. ♂♀. (*mas* minor) elytris brunneo-testaceis, antennis pedibusque ferrugineis aut piceis, femoribus obscurioribus.

Schönh. Syn. 3. 453. 51. Gyll. Ins. Sv. 4. 82. 12. var. a.

Var. b. ♂♀. elytris nigris, pedibus nigro-piceis.

Gyll. l. c. var. d. Schönh. l. c. var. γ.

Var. c. ♂. simile var. b., sed saepe triplo minus, thoracis foveis lateralibus solito majoribus.

Gyll. l. c. var. e. *Callid. impressum* Payk. Fn. 3. 84. 5. Schönh. Syn. 3. 453. 52.

Hab. in Lapponiae Umensis sylvis Abietinis et truncis nuper secatis, 29. Jun. — 1. Aug., passim; ego illud ad Stensele, Badstutraesk, Stoettingsfjellet et usque ad Umenaes, praesertim vidi; d. 3. Jul. in copula captum. *C. rustico* affine; minus. (Lappon. meridional.-Suecia med. Ostrogothia freq.-rarius infra.)

**9. C. fuscum:** angustatum nigrum, thorace confertim ruguloso-punctato sub-opaco canaliculato, limbo ferrugineo, elytris luride testaceis, elevato-lineatis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ lin.)

Schönh. Syn. 3. 454. 53. Gyll. Ins. Sv. 4. 84. 13.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lappon.-Hernösand 30. Aug.-Ostrog. pass.-rarius infra.)

---

## 135. Rhagium.

Fabr. Eleut. 139. Schönh. Dej. *Lepturae* species Latr.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongum, antice posticeque angustatum. Antennae corpore breviores, articulis brevibus, subfiliformes, in fronte approximatae. Thorax subtrapeziformis, utrinque in medio spinosus. *Color* niger, cinereus, testaceus: pictura fasciis obsoletis. *Motus* tardus. *Habitatio* ad radices arborum viventium et in truncis putridis; per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* in structura ani non sine difficultate invenitur. (Spec. Scand. 3, *Rhagio Cursore*, *mutico* et *fennico* Paykulli ad alia genera relatis.)

**1. R. Inquisitor:** nigrum, pube brevi cinerea undique tectum, macula pone oculos nigra, elytris rugoso-punctatis obsolete elevato-trilineatis, fasciis duabus obliquis testaceis subapproximatis macula denudata nigra disjunctis. ♂♀. (Long. 5-6 lin.)

*Mas:* ventre depressiusculo subincurvo, segmento ultimo breviori lato.

*Fem.:* ventre convexo, non incurvo, segmento ultimo paullulum longiori, angustiori; in copula.

Payk. Fn. Sv. 3. 66. 1. Fabr. Eleut. 2. 313. 2. Panz. Fn. 82. f. 4. Schönh. Syn. 3. 412. 3. Zett. Fn. Lapp. 1. 372. 1. ♂♀. Dej. Catal. p. 112. Gyll. Ins. Sv. 4. 45. 2. *Cerambyx inquisitor* var. β. Linn. Fn. Sv. 659.

Hab. in sylvis betulinis Lapponiae Norvegicae maritimae vulgare, ut et in floribus Sorbi et Salicis passim mens. Jun. — August.; ad Evenäs et Hacksten Nordlandiae, in Gamstenstind et ad Alten Finmarkiae a me frequentius visum, in copula d. 18. Jul. captum. In Lapponiis Suecicis praesertim meridionalibus, haud infrequenter etiam observatum, et ad Lycksele, Grantraesk, Stoettingsfjellet usque ad regionem inferiorem alpium Brattiksfjellen, deprehensum. Magnitudo fere *Ceramb. Cerdonis*. (Lapp.-Scan. pass.)

*Obs.* *Rhagium mordax* Fabr. majus, capite pone oculos tumido, pube flavescenti nec cinerea adspersum et macula elytrorum inter fascias flavas denudata nulla, certe species distincta, sed haec Scaniae incola in Lapponia non occurrit.

**2. R. Indagator:** nigrum, pube brevi grisea undique tectum, capite thoraceque linea laterali nigra utrinque notatis, elytris rugosis lineis tribus elevatis, fasciis duabus remotioribus testaceis obsoletis. ♂♀.

*Mas:* segmento ventrali ultimo brevi, lato.

*Fem.:* abdomine convexiori, segmento ventrali ultimo distincte longiori angustiori; in copula

Payk. Fn. Sv. 3. 67. 2. Fabr. Eleut. 2. 313. 3. Panz. Fn. 82. 5. Schönh. Syn. 3. 412. 4. Zett. Fn. Lapp. 1. 373. 2. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 46. 3. *Cerambyx Inquisitor* var. ae. Linn. Fn. Sv. 659.

Var. b. ♂. triplo minor. — Gyll. l. c. var. b. Lycksele.

Hab. in sylvis acerosis Lapponiae Suecicae et borealis et meridionalis, mensib. Majo — Aug. vulgare; sub cortice

Pini et Abietis nuper exclusum saepe invenitur. In Lapponia Norvegica non nisi ad Alten Finmarkiae haud frequenter vidi. (Lapponia. - Angermannia ad Hernosand 29. Aug. ♂. - Ostrogothia freq. - Scania pass.)

Praecedente magnitudine raro aequale, plerumque duplo minus; variat quoque interdum illo triplo et ultra minus, elytrisque subtestaceis fasciis tribus undulatis nigris obsoletis, ex qua varietate sine dubio exstat *Rhag. minutum* FABR., minime species distincta, in copula cum nostro jam ut mas, jam ut femina saepe captum.

---

## 136. Toxotus.

DEJ. Catal. p. 112. *Rhagii* et *Lepturae* species FABR. *Lepturae* species LATR. GYLL.

*Corpus* magnum, oblongum, antice posticeque angustatum. Antennae longitudine fere corporis, subsetaceae, articulis elongatis, subcylindricis; in fronte haud approximatae. Thorax subtrapeziformis, utrinque in medio unispinosus. *Color* nigrescens, testaceus, variabilis. *Motus* haud agilis, nisi sole urente. *Habitatio* in truncis arborum et foliis fruticum; per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* in colore corporis diverso et determinato externe exprimitur. (Spec. Scand. 2. nostrae Faunae communes.)

1. **T. Cursor:** discolor, thorace utrinque valide spinoso, elytris subcostatis, rugulosis, longius et parcius pubescentibus, apice acutis. ♂♀. (Long. 5—6 lin.)

*Mas*: niger, griseo-pubescens, clypei margine tuberculisque inter antennas ferrugineis, abdomine angusto, incurvo, ano longe deflexo. (Long. circiter 5 lin.)

*Fem.*: major, robustior, nigricans, pube flavescenti subtus densiori tecta, ore, antennis, abdomine pedibusque subtus ferrugineis, elytris rufo-testaceis, sutura vittaque longitudinali utrinque nigris. (Long. circit. 6 lin.)

DEJ. l. c. ZETT. Fn. Lapp. 1. 374. 1. ♂♀. *Rhagium Cursor* PAYK. Fn 3. 68. 3. ♂♀. FABR. Eleut. 2. 314. 4. ♀. SCHÖNH. Syn. 3. 415 8. ♀. et var β. ♂. *Ceramb. Cursor* LINN. Fn. Sv. 658. ♀. *Rhag. Noctis* FABR. Eleut. 2. 314. 7. ♂. PANZ. Fn. 17. f. 3. ♂. *Leptura Cursor* GYLL. Ins. Sv. 4. 42. 38. ♂♀.

Hab. in Lapponiae meridionalis truncis passim; ad Lycksele, Gransele et Wilhelmina, 21. Maj. — 29. Jul. uterque sexus haud infrequenter a me visus; specimina feminea, ut solito, plerumque seriora. Individua majora *Rhagium Inquisitorem* magnitudine aequant. (Lappon. - Dalekarlia-Ostrog.-Scan. rar.)

2. **T. meridianus**: discolor, breviter et dense pubescens, thorace utrinque obsolete spinoso; elytris non costatis, subtilissime punctatis, apice subemarginatis. ♂♀. (Long. 5—7 lin. et ultra.)

*Mas*: pube sericeo-flavescenti subtus dense tectus; fusco-niger, elytrorum margine, vitta longitudinali disci tibiisque testaceis; abdomine angusto, subincurvo, elytris postice attenuatis.

*Fem.*: major crassior, pube sericeo-cinerea subtus dense tecta, aut rufescens aut nigricans, abdomine semper convexo, recto, elytrisque minus attenuatis, in Suecia inferiori passim frequenter occurrit, in Lapponia a me non inventa.

DEJ. l. c. p. 112. ZETT. Fn. Lapp. 1. 374. 2. ♂♀. *Cerambyx meridianus* LINN. Fn. Sv. 648. var. *Leptura meridiana* PAYK. Fn. 3. 104. 4. FABR. Eleut. 2. 356. 13. var. SCHÖNH. Syn. 3. 478. 17. var. GYLL. Ins. Sv. 4. 40. 37. ♂♀. var.

Hab. in Lapponia rarissime; in Betula alba tantum ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae d. 13. Jul marem descriptum inveni; sed nullam feminam in Lapponia detegere mihi contigit. Magnitudo valde variat: Mas praecedente saepius minor, angustior, femina duplo et ultra major. (Lapponia; Finlandia; Scania plures varietates freq.)

---

## 137. Leptura.

FABR. Syst. Eleut. 144. LATR. GYLL. *Pachytae* et *Lepturae* species DEJ.

*Corpus* majoris magnitudinis aut mediae, oblongum, antice posticeque attenuatum. Caput nutans. Palporum articulus ultimus longior, obconicus, apice truncatus. Antennae corpore breviores (in *Lept. spadicea* corporis fere longitudine) filiformes, setaceae. Thorax aut subspinosus, aut muticus. *Color* varius: pictura punctata aut fasciata. *Motus* haud celer. *Habitatio* in floribus sylvestribus; per partem sylvaticam et subsylvaticam Lapponiae Suecicae, et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* in structura abdominis in mare angusti, subincurvi, in femina convexioris, recti, plerumque statim detegitur. (Spec. Scand. 37.)

*Sect. 1. Thorax lateribus in medio subspinosus. Corpus latius, elytris postice minus attenuatis, apice praemorso, in Lept. interrogationis et virginea fere rotundato.* (*Pachyta* DEJ. Catal. p. 112.)

1. **L. Lamed**: griseo-pubescens nigra, elytris rugoso-punctatis glabris, testaceis, nigro-subfasciatis, antennis corpore brevioribus. ♂♀. (Long. 6½—7 lin.)

Var. a. elytris lividis macula humerali nigricante.

PAYK. Fn. Sv. 3. 101. 1. var. a. ZETT. Fn. Lapp. 1. 371. 1. a.

Var. b. ♂♀. elytris lividis, macula humerali, obsoleta aliaque intra apicem oblongo-cordata distincta, nigris.

ZETT. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♀. elytris lividis, fascia ab humero ad suturam oblique ducta, lata, maculaque intra apicem oblongo-cordata, distinctis nigris.

ZETT. l. c. var c. PAYK. l. c. var. β. SCHÖNH. Syn. 3. 489. 46. var. β. GYLL. Ins. Sv. 4. 38. 35. var. a. *Cerambyx Lamed* LINN. Fn. Sv. 649. descript.

Var. d. ♂. elytris lividis, vitta longitudinali magna, extus sinuata, nigra. In hac varietate elytra etiam dici possunt nigra, limbo omni, regione scutelli, macula media marginis exterioris lividis.

ZETT. l. c. var. d. ♂. PAYK. l. c. var. γ. FABR. Eleut 2. 361. 42. SCHÖNH. Syn. l. c. var. γ. GYLL. l. c. var. b.

Var. e. ♀. tota nigra, elytris nigro-brunneis.

GYLL. l. c. var. c. forte.

Hab. in Lapponia sylvatica mense Aug. passim, ad Muonioniska frequens, D. KOLSTRÖM; in Lapponia meridionali ad Lycksele in ligno Pini recenter secato, var. c. et e. 13—17. Aug. rarius inveni. Magnitudo feminae *Toxoti Cursoris*, interdum minor. (Lappon. —, Roslagia; Ölendia rar.)

2. **L. 4-maculata**: griseo-pubescens nigra, elytris rugoso-punctatis glabris testaceis, maculis quatuor rotundis atris. ♂♀. (Long. 6—7½ lin.)

LINN. Fn. Sv. 684. FABR. Eleut. 2. 361. 41. PAYK. Fn. Sv. 3. 102. 2. SCHÖNH. Syn. 3. 488. 45. ZETT. Fn. Lapp. 1. 376. 2. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. 37. 34.

Hab. in Lapponia rarius cum praecedente, quam magnitudine fere aequat. (Lappon. - Suecia borealis; Finlandia rar.)

3. **L. spadicea**: griseo-pubescens nigra, elytris rugoso-punctatis glabris brunneis, margine postice summo nigro, antennis longitudine fere corporis. (Long. 6—6½ lin.)

PAYK. Fn. Sv. 3. 103. 3. SCHÖNH. Syn. 3. 489. 47. ZETT. Fn. Lapp. 1. 377. 3. GYLL. Ins. Sv. 4. 39. 36.

Hab. in Lapponia rarius; in adjacenti Botnia passim; praecedentibus parum minor. (Lapponia; Botnia; Dalekarlia rar.)

4. **L. Interrogationis:** griseo-pubescens nigra, elytris convexis subtiliter ruguloso-punctatis flavo-testaceis, vitta discoidali difformi, maculisque marginalibus nigris. (Long. 4—5¼ lin.)

Var. a. ♂♀. elytris flavo-testaceis, vitta longitudinali in medio angustata, postice arcuata, aut libera, aut (plerumque) cum macula marginali connexa, macula scutellari transversa communi, maculisque quatuor marginalibus, aequali spatio remotis nigris. Freq.

LINN. Fn. Sv. 685. FABR. Eleut. 2. 362. 45. PAYK. Fn. Sv. 3. 121. 24. var. ae. PANZ. Fn. 22. f. 14. ♀. SCHÖNH. Syn. 3. 490. 52. ZETT. Fn. Lapp. 1. 377. 4. var. a. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. 34. 32. var. a.

Var. b. ♂♀. elytris flavo-testaceis, vitta longitudinali in medio angustata, antice cum macula scutellari et postice cum macula marginali connexa, maculisque quatuor marginalibus cohaerentibus, nigris, pass.

ZETT. l. c. var. b. ♂♀. GYLL. l. c. var. d.

Var. c. ♀. elytris nigris, sutura (basi excepta) postice cruciformi anguste, maculisque tribus submarginalibus, prima humerali flavo-testaceis, pass.

PAYK. et SCHÖNH. l. c var. β. ZETT. l. c. var. c. ♀.

Var. d. elytris nigris, sutura (basi excepta), summo apice, punctisque duobus submarginalibus flavis; rar.

PAYK. et SCHÖNH. l. c var. γ. ZETT. l. c. var. d. GYLL. l. c. var. e. *Leptura marginella* FABR. Eleut. 2. 362. 46.

Var. e. elytris nigris, sutura (basi excepta) summoque apice flavis, rar.
Payk. et Schönh. l. c. var. ♂.
Var. f. ♂♀. elytris flavis, in singulo maculis sex vel septem difformibus nigris; similis var. a. et b., at vitta media interrupta, maculis tantum duabus in disco relictis; pass.
Payk. et Schönh. l. c. var. ε. Zett. l. c. var. f. Gyll. l. c. var. c.
Var. g. ♂. duplo minor elytris nigris, in utroque fascia antica obliqua inaequali, linea semicirculari versus marginem aperta, maculaque intra apicem rotundata, flavis.
*Lept. borealis* Gyll. Ins. Sv. 4. 36. 33.
Hab. in Lapponiae Tornensis floribus mens. Julio passim copiose, in copula capta; var. a. frequentissima, var. b., c. et f. etiam vulgaris, sed var. d. et e. rarius, varietates a. et f. ad Gamstenstind et in sylva betulina ad Alteidet Finmarkiae Norvegicae quoque inveni. Var. a. quoque e Lapponiae Kemensis parte maxime septentrionali, Utsjock, a D. Fellman, et e Lapponia Norvegica a D. Boheman communicata. Sed e var. g. unicum tantum individuum in Salice ad lacum Wojmsjoen, Lapponiae Umensis, ab oculatiss. D. Dahlbom d. 11. Jul. 1832 detectum, et forte propriam speciem efficiens. *Lepturae Lamed* et *4-maculata* duplo et ultra minor. (Lapponia; Suecia borealis; Finlandia; Scania, scilicet in umbellatis locis umbrosis ad Esperöd var. a. et f. freq., ut et varietas elytris totis nigris rar.)

**5. L. virginea**: glabra nigra, elytris rugoso-punctulatis caerulescentibus, abdomine fulvo, thorace subgloboso, lateribus utrinque tuberculo armato. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.)
Var. a. ♂♀. elytris violaceis nitidis.
Linn. Fn. Sv. 690. Fabr. Eleut. 2. 365. 67. Payk. Fn. Sv. 3. 125. 27. Zett. Fn. Lapp. 1. 378. 5. a. Gyll. Ins. Sv. 4. 33. 31.
Var. b. elytris violaceo-caeruleis nitidis.
Zett. l. c. var. b.
Hab. in Lapponiae et Botniae borealis floribus rarius, Collect. boreal. mihi in septentrione non nisi in Salicetis ad Lycksele, Gransele et Rusele, Lapponiae meridionalis 17—28. Jun. utraque varietas passim obvia; priori plerumque fere duplo minor, brevior. (Lapp.-Scan. pass.)

*Sect. 2. Thorax rotundatus muticus. Corpus angustius, elytris postice modice angustatis, apice praemorsis.*

**6. L. virens**: rugulosa nigra, pube densa flavo-viridi tecta, antennis nigris, testaceo-annulatis, thorace oblongo, canaliculato. ♂♀. (Long. 5—6½ lin.)
Linn. Fn. Sv. 682. Fabr. Eleut. 2. 358. 20. Payk. Fn. Sv. 3. 117. 19. Panz. Fn. 69. f. 13. Dej. Catal. p. 112. Zett. Fn. Lapp. 1. 378. 6. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 15. 14.
Hab. in fruticibus Populi et Betulae, nec non in floribus, praesertim Spiraeae Ulmariae et Epilobii, per Lapponiam sylvaticam omnem pass. freq. mens. Jul. Aug.; in Lapponia meridionali, a Lycksele usque ad Umenaes inprimis copiose vidi. Sequentibus hujus Sectionis major, *Lept. 4-maculatae* longitudine aequalis, at multo angustior. (Lappon.-Scania pass. rar.)

**7. L. smaragdula**: nigra, pube sericea virescenti minus dense tecta, antennis, elytris pedibusque colore vario, subtiliter punctulata, thorace subgloboso, postice canaliculato. ♂♀. (Long. 3—4 lin.)
Var. a. ♂♀. in copula, antennis, elytris pedibusque nigris, immaculatis, viridi-pubescentibus, freq.
Fabr. Eleut. 2. 358. 21. Payk. Fn. 3. 118. 20. Schönh. Syn. 3. 483. 25. Zett. Fn Lapp. 1. 379. 7. var. a. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 28. 27. var. a. b. *Pachyta smaragdula* Dej. Catal. p. 112.
Var. b. ♀. antennis, elytris pedibusque uti reliquo corpore atris, nitidis (forte detrita) rar.
Schönh. l. c. var. β. Zett. l. c. var. b. ♀. *Leptura Morio* Fabr. Eleut. 2. 365. 65.
Var. c. ♂♀. antennis pedibusque nigris, elytrorum summo margine rufo-testaceo, pass.
Zett. l. c. var. c. Payk. l. c. var. β. (excl. Syn. Fabr.) *Lept. marginata* Naezén Act. Holm. 1794. p. 271. 6. t. 9. f. 4. certe. Gyll. Ins. Sv. 4. 29. 28. var. a.
Var. d. ♀. antennis nigris, elytrorum summo margine tibiarumque posticarum basi ultra medium rufo-testaceis, pass.
Zett. l. c. var. d. *Lept. marginata* Fabr. Eleut. 2. 360. 34. Gyll. l. c. var. b.
Var. e. ♂♀. antennis nigris, elytrorum summo margine tibiarumque omnium basi ultra medium rufo-testaceis, rar.
Zett. l. c. var. e. Schönh. Syn. l. c. var. ε?
Var. f. ♂♀. antennarum in medio annulis, elytrorum summo margine tibiarumque omnium basi ultra medium rufo-testaceis, pass.
Zett. l. c. var. f. Schönh. l. c. var. ξ. Gyll. l. c. var. c.
Var. g. ♂♀. antennis pedibusque nigris, elytris rufo-testaceis, rar.
Zett. l. c. var. g. Schönh. Syn. l. c. var. η. ♀. Gyll. l. c. var. e. *Lept. smaragdina* var. β. Naezén Act. Holm. 1792. 3. p. 174.
Hab. in Lapponia mens. Jul. Aug. passim; var. a. in floribus pratensibus, praesertim Spiraeae Ulmariae etc. ad Calix, Kihlangi, Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis, in Stoettingsfjellet, ad Wilhelmina, lacum Wojmsjoen et Umenaes Lappon. Umensis, in Salicetis, vulgaris, ut et ad Bossekop et Altengaard Finmarkiae copiose; var. c. et g. tantum in parietibus ligneis, soli expositis, ad Talvig et Bossekop haud infrequenter, nec non in Pino ad Lycksele, Lapponiae meridionalis, ♀ d. 16. Jun. semel, lecta; varietates d., e. et f. rarius in Lapponia boreali, et var. b. mihi non obvia. Praecedente triplo et ultra minor, *Lept. sanguinolentae* subaequalis l. sequente paullo major. (Lappon.-Umea var. c.; Ostrogoth. var. e. f. rar.)

**8. L. strigilata**: griseo-pubescens nigra, elytris punctatis luride testaceis, vitta humerali nigricante, thorace subgloboso, subtilissime punctulato, parum canaliculato. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.)
Var. a. ♂♀. elytris testaceis, vitta humerali ultra medium disci, sutura anguste, apice nigricantibus, passim.
Fabr. Eleut. 2. 355. 9. Payk. Fn. Sv. 3. 112. 13. Schönh. Syn. 3. 476. 11. Zett. Fn. Lapp. 1. 380. 8. var. a. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 23. 22. var. a. Ahrens. Fn. 12. t. 11. ♂. *Pachyta strigilata* Dej. Catal. p. 122.
Var. b. ♂♀. elytris testaceis, aut immaculatis, aut puncto humerali, sutura anguste, apiceque summo brunneis l. fuscis; vulgaris.
Payk. et Schönh. l. c. var. β. Zett. et Gyll. l. c. var. b.
Hab in Sueciae borealis et Lapponiae, non solum borealis sed etiam meridionalis, Betuletis mens. Jun. Aug. haud infrequens, praesertim var. b. vulgaris, ut etiam ad Bossekop Finmarkiae passim. Inter minores; praecedente duplo saepe minor. (Lapp.-Ostrogoth. ad Laerketorp freq.; alibi rarius.)

**9. L. maculicornis**: griseo-pubescens nigra, antennis in medio pallido-anguste annulatis, elytris punctatis rufo-testaceis, apice nigricantibus, thorace rotundato, creberrime punctulato. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.)
Fabr. Eleut. 2. 355. 5. Payk. Fn. Sv. 3. 111. 12. Schönh. Syn. 3. 474. 5. Dej. Catal. p. 113. Zett. Fn. Lapp. 1. 381. 9. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 22. 21. ♂♀.
Hab. in floribus mens. Jul. Aug. in Lapponia boreali rarius, in Lappon. Umensi in floribus Sorbi ad Stensele, passim, in Botnia boreali adjacenti frequentius, in copula saepe capta; magnitudine praecedentis, femina paullo major. (Lappon.-Smolandia freq. Scan. rar.)

**10. L. sanguinolenta**: subconvexa, subtus parce et brevissime sericeo-pubescens, thorace oblongo, supra parum villoso, nigra, elytris punctulatis, testaceis l. sanguineis. ♂♀. (Long. 4½—5 lin.)
*Mas:* elytris testaceis, margine anguste, apiceque latius nigris. (Long. 4 lin.)
*Fem.:* major, elytris sanguineis, summo apice nigro (long. fere 5 lin.); in copula.
Fabr. Eleut. 2. 356. 11. ♀. Linn. Fn. Sv. 679. ♀. Panz. Fn. 69. f. 8. Schönh. Syn. 3. 477. 14. ♂♀. Dej. Catal. p. 113. Zett. Fn. Lapp. 1. 381. 10. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 20. 19. *Lept. variabilis* Payk. Fn. Sv. 3. 109. 10. ♂♀.
Hab. in Lapponiae floribus rarissime. Priori fere duplo major. (Lappon.-Suec. media et meridion. freq.)

**11. L. cincta**: subdepressa, subtus densius aureo-sericeo-pubescens, thorace oblongo supra villoso, nigra, elytris punctulatis testaceis l. sanguineis, nigro-marginatis. ♂♀.
*Mas:* elytris testaceis, margine apiceque late, sutura anguste, nigris. (Long. 4¼ lin.)
*Fem.:* antennis brevioribus, elytris sanguineis, margine apiceque nigris (long. 5 lin.); in copula.
Fabr. Eleut. 2. 356. 12. ♂. Schönh. Syn. 3. 477. 15. Dej. Catal. p. 113. Zett. Fn. Lapp. 1. 382. 11. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 19. 18. var. a. ♂♀. *Lept. sanguinolenta* Panz. Fn. 69. f. 10. var. ♂. Fabr. Ent. Syst. var. 2. 341. 10. ♂♀. *Lept. variabilis* Payk. Fn. 3. 109. 10. var. ♂♀.
Hab. in floribus pratensibus, praesertim in Achillea Mille-

folium ad Calix, Muonioniska et Karesuando, Lapp. Tornensis, mens Aug. sat frequens, at in Lapponia Umensi seu meridionali per totam partem sylvaticam a Lycksele usque ad Umenaes, 22. Jun. — 12. Aug. vulgatissima, in copula saepe capta. Praecedente parum major. (Lappon.-Botnia, Suecia borealis et media-Ostrogoth., pass.)

*Sect.* 3. *Thorax suboblongus, postice latior, angulis acuminatis. Corpus angustatum, elytris posterius attenuatis.*

**12. L. nigripes:** creberrime punctulata, subtus holosericeo-pubescens, thorace griseo-tomentoso, postice subdilatato; nigra, elytris testaceis, apice rotundatis, summo nigro. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$–$5\frac{1}{4}$ lin.)

PAYK. Fn. 3. 121. 23. SCHÖNH. Syn. 3. 478. 16. DEJ. Catal. p. 113. ZETT. Fn. Lapp. 1. 382. 12. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. 4. 3. ♂♀.

Hab. in Lapponia boreali rarius; sed in Lapponiae meridionalis truncis putridis, ex. gr. ad Åsele et Lycksele, 27. Jul. — 2. Aug., paullo frequentius a me observata. Magnitudo *Lept.* 4-*fas ciatae*, sed mas femina duplo minor. (Lappon.-Finlandia-Smolandia rar.)

**13. L. 4-fasciata:** subtiliter punctulata sericeo-pubescens, thorace postice transversim profunde impresso, nigra, elytris fasciis quatuor, basali et apicali maculiformibus, flavis. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$–$5\frac{1}{2}$ lin.)

LINN. Fn. Sv. 687. FABR. Eleut. 2. 364. 56. PAYK. Fn. 3. 114. 15. SCHÖNH. Syn. 3. 464. 93. ♂♀. DEJ. Catal. p. 112. ZETT. Fn. Lapp. 1. 382. 13. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. 9. 9. ♂♀.

Hab. in Lapponiae floribus mens. Aug. passim, in copula capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Est e majoribus hujus generis, mas tamen femina minor. Fasciae elytrorum flavae sutura nigra interruptae; intermediae duae undulatae. Elytrorum apex oblique praemorsus.*

**14. L. sexmaculata:** crebre punctulata parce sericeo-pubescens, nigra, elytris fasciis tribus undulatis testaceis; apice rotundato. ♂♀. (Long. 4, interdum usque ad 5 lin.)

Var. a. ♂♀. elytris flavis, fasciis tribus undulatis latioribus, prima interrupta, apicali ovata, nigris; frequentior.

LINN. Fn. Sv. 686. FABR. Eleut. 2. 362. 47. PAYK. Fn. 3. 123. 25. SCHÖNH. Syn. 3. 491. 57. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 383. 14. var. a. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. 14. 13. *Pachyta sexmaculata* DEJ. Catal. p. 112.

Var. b. ♀. elytris flavis, fasciis tribus undulatis latioribus, secunda ad suturam abbreviata, apicali ovata, nigris; rariss.

ZETT. et GYLL. l. c. var. b.

Var. c. ♂♀. elytris nigris, fasciis tribus undulatis latioribus, prima seu baseos maculiformi, flavis, pass.

ZETT. l. c. var. c. ♀.

Var. d. ♂♀. elytris nigris, fasciis tribus, prima maculiformi, secunda (media) et tertia angustis dentatis, flavis, freq.

PAYK. et SCHÖNH. l. c. var. ♀. ZETT. l. c. var. d. ♂.

Var. e. ♂♀. elytris nigris, fasciis 3 flavis, prima maculiformi, secunda angusta angulata, tertia transversa recta; pass.

Var. f. ♂♀. ut var. d. et e. sed fasciae flavae, prima et secunda, linea flava in medio connexis; pass.

Hab. in fruticibus et floribus *Epilobii angustifolii* aliarumque, locis cultis juxta pagos et domos Lapponiae Tornensis, ad Kolare, Muonioniska et Karesuando mense Aug. var. a. haud infrequens; praecedente duplo minor; var. vero b., c. et d. mihi rarissime obviae: in Lapponia Norvegica quoque occurrit var. a.; etiam ad Alten Finmarkiae eadem parcius lecta; sed in Lapponiis meridionalibus, per totam partem sylvaticam, a Lycksele usque ad Umenaes, 19. Jun. — 18. Jul., individua ex omnibus varietatibus, jam ut ♂, jam ut ♀, invicem copulata deprehendi. (Lapp.-Smolandia var. a. et c. rar.)

**15. L. melanura:** subtus parce sericeo-pubescens nigra, elytris punctulatis lividis l. rubris, sutura apiceque oblique praemorso, nigris, thorace oblongo, evidenter punctato. ♂♀. (Long. 3–4 lin.)

*Mas:* elytris lividis, sutura margineque exteriore postice anguste, apiceque nigris.

*Fem.:* elytris rubris, sutura apiceque late nigris.

LINN. Fn. Sv. 678. ♂♀. FABR. Eleut. 2. 355. 6. ♂♀. PAYK. Fn. Sv. 3. 110. 11. ♂♀. PANZ. Fn. 69. f. 19. ♀. SCHÖNH. Syn. 3. 474. 6. ♂♀. DEJ. Catal. p. 113. ZETT. Fn. Lapp. 1. 384. 15. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. 6. 5.

Hab. in Lapponia forte rarius, mihi non obvia, tantum in collectionibus lapponicis visa. Inter minores. Priori fere triplo minor, praesertim multo angustior. (Lapp.-Finlandia; Suecia media et Scania frequentiss.)

*Obs.* GYLLENHALI species: *L. thoracica:* nigra subnitida parce pubescens, thorace mutico, supra rubro (long. 5 lin.); *L. attenuata:* elongata angusta nigra, punctulata, antennis extrorsum, pedibus fasciisque 4 elytrorum luteis, thorace mutico (long. $4\frac{1}{2}$—5 lin.); et *L.* 6-*guttata:* lineari-elongata nigra crebre punctulata, cinereo-pubescens, elytro singulo maculis 3 luteis longitudinaliter dispositis, thorace mutico (Long. 3—4 lin.); Sueciae borealis et Finlandiae incolae, forsitan etiam Lapponiae; sed cum intra terminum Lapponiarum nulla hacteuus sit inventa, quantum novi, hoc modo illas investigatoribus futuris significare volo.

---

## FAM. 30. CHRYSOMELINAE. LATR. GYLL. DEJ.

Subdivisio 1ma. Lemoideae GYLL. (Criocerides LATR.)

### 138. Donacia.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 318. FABR. SCHÖNH. DEJ.

*Corpus* mediocre, oblongum, postice attenuatum. Antennae longitudine fere dimidii corporis, articulis elongatis, primo crasso subovato. Oculi prominuli. Caput porrectum. Elytra oblongo-subtrigona. Femora clavata. *Color* aeneus, viridis, violaceus, metallice plerumque resplendens, nitidus. *Motus* tardus, nisi ab una ad alteram plantam volatus. *Habitatio* in plantis aquaticis, paludosis, ripariis et littoralibus; per partem sylvaticam Lapponiae, et interalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* externa in armatura pedum diversa saepius invenienda. (Spec. Scand. 28.)

*Sect.* 1. *Femoribus posticis dentatis.*

**1. D. crassipes:** latior, depresso-plana, supra violaceo-virescens, subtus argenteo-sericea, thorace canaliculato laevi, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis laeviusculis, femoribus posticis longissimis arcuatis. ♂♀. (Long. 3–4 lin.)

*Mas:* femoribus posticis subtus tridentatis, dente medio majori.

*Fem.:* femoribus posticis subtus unidentatis.

FABR. Eleut. 2. 126. 1. GYLL. Ins. Sv. 3. 646. 1. ♂♀. SCHÖNH. Syn. 3. 90. 1. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 385. 1. ♂♀. KUNZ. in Nov. Act. Hal. 2. 4. 1. 1. *Leptura aquatica* LINN. Fn. Sv. 677. var. *β*. *Donacia striata* PANZ. Fn. 29. f. 1.

Hab. in plantis aquaticis Lapponiae borealis rarius; in Lappon. meridionali passim, ad Lycksele 25. Jun. capta. Inter majores generis. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. D. cincta:** latior, subconvexa, supra violaceo-virescens, subtus argenteo-sericea, thorace canaliculato transversim ruguloso, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis rugosis, femoribus posticis modice elongatis et arcuatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

*Mas:* femoribus posticis subtus dentibus duobus acutis aequalibus.

*Fem.:* femoribus posticis subtus dente unico obsoleto; in copula.

DEJ. Catal. p. 113. GERMAR. KUNZ. Ent. Fragm. 2. 4. p. 5. ZETT. Fn. Lapp. 1. 385. 2. ♂♀. *Donacia bidens* GYLL. Ins. Sv. 3. 648. 2. ♂♀. SCHÖNH. Syn. 3. 91. 2. ♂♀. (excl. Syn. OLIV.? et HOPPE). *Don. clavipes* PAYK. Fn. Sv. 2. 190. 3. ♀. FABR. Eleut. 2. 128. 11. ♀.

Hab. cum praecedente rarius, illa paullo, interdum duplo minor. (Lapp.-Scan. frequentiss.)

**3. D. dentipes:** latiuscula, subdepressa, supra viridi-aenea, subtus flavescenti-sericea, thorace rugoso-punctato, elytris punctato-striatis, vitta media longitudinali rubro-cuprea, femoribus posticis unidentatis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$ lin.)

*Mas:* dente femorum elongato, crasso.

*Fem.:* dente femorum valido; in copula.

FABR. Eleut. 2. 127. 6. PANZ. Fn. 29. f. 5. GYLL. Ins. Sv. 3. 650. 3. ♂♀. SCHÖNH. Syn. 3. 91. 4. DEJ. Catal. pag. 113. ZETT. Fn. Lapp. 1. 386. 3. ♂♀. *Leptura aquatica* LINN. Fn. Sv. 677. var. ae. (sub qua plures *Donaciae* species in Suecia frequentiores sine dubio commixtae latent.)

Hab. in plantis locis humidis, in Lapponia Tornensi passim, in Umensi frequentius, ibique ad Lycksele mens. Jun. lecta; in copula *Don. crassipede* paullo minor. (Lappon.-Scan. freq.).

**4. D. obscura:** latiuscula subdepressa, supra obscure aenea, parum nitida, subtus flavescenti-sericea, thorace sub-

quadrato, rugoso-punctato, angulis anticis prominulis, elytris punctato-striatis, interstitiis coriaceis, basi crebre vage punctatis, dorso lacunosis, femoribus posticis unidentatis. ♂♀. (Long. 3¾—4 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 3. 654. 6. SCHÖNH. Syn. 3. 93. 7. KUNZE Entom. Fragm. 2. 4. p. 13. DEJ. Catal. p. 113. ZETT. Fn. Lapp. 1. 386. 4. *Donac. impressa* AHRENS. Mon. (exclus. Syn. PAYK.)

Hab. in Lapponiae Tornensis plantis aquaticis passim; ad Wittangi et Karesuando a me lecta, sed in Lapponia Umensi frequentius occurrit, ibique in plantis ripariis ad lacus minores, praesertim circa Lycksele, toto mense Junio haud raro obvia, in copula saepe inventa. *Don. dentipede* paullo major, longior. (Lappon.-Smoland. rar.)

**5. D. sericea**: angustior, convexa, supra metallica varicolor nitida, supra tenuiter sericea, thorace oblongo laeviusculo, antice utrinque tuberculato, elytris crenato-striatis, interstitiis transversim rugosis, femoribus crassis, posticis valide unidentatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Var. a. ♂. (♂. in copula cum variet. f. ♀.) supra caeruleo-violacea, freq.

GYLL. Ins. Sv. 3. 656. 8. var. a. certe. ZETT. Fn. Lapp. 1. 386. 5. var. a. ♂♀. *Leptura sericea* LINN. Fn. Sv. 683. FABR. Eleut. 2. 365. 64. *Don. Nympheae* PAYK. Fn. Sv. 2. 196. 9. var. β.

Var. b. supra nigro-subviolacea, pass.

ZETT. et GYLL. l. c. var. b. SCHÖNH. l. c. var. δ. *Donac. Festucae* FABR. Eleut. 2. 127. 4.

Var. c. ♂. (♂. in copula cum var. f. ♀.) supra aeneo-viridis, freq.

ZETT. et GYLL. l. c. var. d. SCHÖNH. l. c. var. β. *Donac. micans* PANZ. Fn. 29. f. 9. *Don. Nympheae* PAYK. l. c. var. ae. ♂.

Var. d. ♀. (♀. in copula cum var. c. ♂.) supra rubro-cuprea, freq.

ZETT. l. c. var. d. ♀. GYLL. l. c. var. f. SCHÖNH. l. c. var. γ. *Don. Nympheae* FABR. Eleut. 2. 128. 7. PAYK. l. c. var. ae. ♀. PANZ. Fn. 29. f. 6. *Don. Proteus* KUNZ. Entom. Fragm. 2. 3. pag. 23.

Var. e. ♂♀. in copula; supra obscure aenea, nitida, freq.

ZETT. l. c. var. e. ♂♀. GYLL. l. c. var. g. SCHÖNH. l. c. var. ε. *Don. armata* PAYK. Fn. 2. 194. 7. ae.

Var. f. duplo minor, supra nigra, sub-aeneo-micans, rar.

ZETT. l. c. var. f.

Var. g. magnitudine var. f., supra obscure aenea aut cuprea, pass.

Var. h. ♂♀. magnitudine var. a., supra cuprea, splendida, in copula rar.

Hab. in plantis paludosis, in insulis Norvegicis maris glacialis, Senjen, Schiervoe etc. mens. Julio frequens; varietates c. et e. quoque ad Juckasjervi et Karesuando Lapponiae Suecicae lectae, in plantis paludosis Lapponiae meridionalis, ex. gr. ad Lycksele, Asele, Tresunda et Umenaes variet. a., c., d., e. et g. mensib. Jun. Jul. etiam vulgares vidi, sed e var. h. non nisi unicum par ad Åsele d. 27. Jul. inveni. Media in hoc genere, *Don. dentipede* tamen plerumque minor, inprimis mas, qui femina paullo angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

Hae aberrationes, punctura et structura omnino similes atque promiscue copulantes, ut diversae species minime considerari debent, cum tantum colore discrepent. *Donac. Nympheae* DEJEANI; an etiam *Don. micans* et *sericea* AHRENSII et KUNZEI sub his latent? Synonyma GYLLENH. certa. Species ab Illustr. Viro optime etiam quoad varietates descripta est, qualis scilicet in Suecia occurrit.

**6. D. discolor**: angustior, convexa, supra metallica, ore, antennarum basi, ano pedibusque rufo-testaceis, thorace oblongo-quadrato, inaequali, creberrime punctulato, angulis anticis obtusis, elytris crenato-striatis, interstitiis coriaceis, apice rotundatis, femoribus crassis, posticis valide unidentatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

*Mas*: supra nigro-obscure violaceus.

*Fem.*: supra virescenti-aenea.

GYLL. Ins. Sv. 3. 660. 10. ♂♀. SCHÖNH. Syn. 3. 95. 13. ♂♀. DEJ. Catal. p. 114. ZETT. Fn. Lapp. 1. 388. 6. ♂♀. *Don. nigra* PAYK. Fn. Sv. 2. 196. 10 ♂♀. *Don. affinis* KUNZ. Ent. Fragm. 2. 4. p. 37. 12. (ab ipso Cel. Viro communicata.)

Hab. in Lapponia rarius, in plantis paludosis et floribus Calthae, in Suecia frequens, in copula saepe capta. Priori paullo brevior, sed latior. (Lapp.-Scan. freq.)

*Sect. 2. Femoribus muticis.*

**7. D. Menyanthidis**: elongata, subdepressa, supra viridi-aenea, subtus argenteo-sericea, antennis pedibusque ferrugineo-testaceis, thorace antice sublatiori, dorso striguloso, elytris crenato-striatis, interstitiis transversim rugulosis. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.)

FABR. Eleut. 2. 129. 14. GYLL. Ins. Sv. 3. 662. 11. SCHÖNH. Syn. 3. 96. 16. DEJ. Catal. p. 114. KUNZ. Nov. Act. Hal. 2. 4. 44. 17. ZETT. Fn. Lapp. 1. 388. 7. ♂♀. *Don. clavipes* PANZ. Fn. 29. f. 13. forte etiam FABR. Eleut. 2. 128. 11. (testantib. Auctorib.)

Hab. in plantis paludosis Lapponiae Suecicae borealis rarius; sed in Arundine Phragmit. in lacubus prope pagos Lycksele et Stensele, Lapponiae Umensis, d. 30. Jun. — 4. Jul. 1832, sat frequenter observata. Reliquis nostris major, longior. (Lapponia-Gottland.-Scania pass. rar.)

Mas femina plerumque dimidio minor. Quae in Lapponia occurrit, a suecica vulgari differt magnitudine paullo minori, colore viridi-aeneo in cupreum vergente, et antennis totis testaceis; in ceteris similis.

**8. D. semicuprea**: subconvexa, supra virescenti-aenea, subtus cinereo-sericea, pedibus fusco-ferrugineis, thorace punctatissimo, elytris crenato-striatis, dorso rubro-cupreis, interstitiis transversim rugosis. ♂♀. (Long. circ. 3 lin.)

PANZ. Fn. 29. f. 14. KUNZ. Ent. Fragm. 2. 4. 47. 20. *D. simplex* GYLL. Ins. Sv. 3. 664. 12. ♂♀.

Hab. in plantis paludosis, juncis etc. ad rivulos Lapp. meridionalis, ex. gr. ad Lycksele, pass., die 14—16. Jun. capta. Variat elytris aut unicoloribus, aut vitta cuprea. (Lapp.-Scan. freq., ibique etiam semel ut ♂ in copula hybrida juncta cum *D. sericea* ♀, a me inventa.)

---

## 139. Orsodachna.

LATR. SCHÖNH. GYLL. *Crioceris* PAYK. PANZ. FABR.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum. Caput exsertum. Oculi globosi prominuli integri. Antennae extrorsum paullo crassiores, articulis obconicis. Thorax postice angustior. *Color* testaceus, fuscus. *Motu* tarda. *Habitatio* in floribus et foliis plantarum; per partem inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* externe nulla. (Spec. Scand. 1.)

**1. O. chlorotica**: elongata, glabra, vage punctata, rufo-testacea, elytris pedibusque pallidioribus, pectore abdomineque sericeo-pubescentibus nigro-fuscis. (Long. circ. 2 lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 287. 1. GYLL. Ins. Sv. 3. 642. 1.

Hab. in Lapponiae meridionalis inferalpinis rar., in Sorbo Aucuparia ad Soeberg in districtu meridionali Trondhiem, d. 14. Jun. a D. BOHEMAN capta. (Lappon. Norvegica; Smoland. Calmariae, rar.)

## 140. Auchenia.

DEJ. *Crioceris* FABR. *Orsodachna* GYLL.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum, postice obtusum. Caput sessile. Oculi subglobosi, prominuli integri. Antennae dimidio corpore longiores, filiformes, extrorsum paullo crassiores. Thorax latitudine medii fere brevior. *Color* fuscus, testaceus. *Motus* tardus. *Habitatio* in foliis arborum; per partem infimam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 3.)

**1. A. Betulae**: creberrime punctata, pubescens, brunnea, l. nigro-fusca, ore, antennis, elytrisque lineis tribus elevatis margine, pallide testaceis, thorace utrinque denticulato. (Long. 2—2½ lin.)

DEJ. Catal. p. 114. ZETT. Fn. Lapp. 1. 389. 1. *Crioceris Betulae* FABR. Eleut. 462. 61. *Lema Betulae* SCHÖNH. Syn. 2. 286. 38. *Orsodachna Betulae* GYLL. Ins. Sv. 3. 644. 2.

Var. b. paullo major, supra obscurior.

GYLL. l. c. var. b.

Hab. in foliis Betulae albae in Lapponia et Botnia passim, in Lapponia meridionali ad Lycksele et Stensele, Jun., freq. In Dowre, BOHEMAN. Magnitudo et statura elongata *Lemae Asparagi*. (Lapponia; Dalecarlia; Westrogothia rar.)

**2. A. subspinosa**: supra vage profunde punctata subglabra, nigra, capite, antennarum basi, thorace utrinque unispinoso, pedibusque rufo-flavis. (Long. 1¼ lin.)

DEJ. Catal. p. 114. *Zeugophora* eadem KUNZ. in Nov. Act. Hal. 2. 4. 75. 1. *Lema* eadem GYLL. Ins. Sv. 3. 640. 7.

Hab. in Populo Tremula ad Lycksele et Badstutraesk,

Lapp. Umensis, 5—10. Aug. In Dowre BOHEMAN. (Lapp.-Scan. pass.)

## 141. Lema.

FABR. Eleut. 83. SCHÖNH. DEJ. *Crioceris* LATR.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovato-oblongum, postice obtusum. Antennae submoniliformes, articulo basilari crasso, ovato. Caput collo distincto a thorace remotum. Oculi prominentes, interne emarginati. Thorax posterius coarctatus. Elytra subquadrata. *Color* rufus, niger, caeruleus, intensus. *Motus* tardus. *Habitatio* in herbis et graminosis; per partem infimam Lapponiae. *Differentia sexus* saepe ignota. (Spec. Scand. 6.)

**1. L. brunnea:** rufa, antennis, oculis, pectore, abdomine, pedum geniculis tarsisque nigris, thorace utrinque pone medium impresso, elytris punctato-striatis. (Long. circiter 3 lin.)

FABR. Eleut. 1. 473. 11. SCHÖNH. Syn. 2. 280. 10. GYLL. Ins. Sv. 3. 634. 2. DEJ. Catal. p. 114. ZETT. Fn. Lapp. 1. 390. 1. *Crioceris brunnea* PANZ. Fn. 45. f. 1. *Chrysomela merdigera* LINN. Fn. Sv. 563.

Hab. in Lapponia Tornensi, D. PORTIN. *Lema melanopa* multo major. (Lapp.-Scan. pass.)

**2. L. cyanella:** nitida caerulea, antennis tarsisque nigris, corpore subtus pedibusque subtilissime hispidulis. ♂♀. (Long. 1¼—1⅓ lin.)

*Mas:* minor, thorace nitido, antice convexo parce punctulato, postice transversim profunde impresso.

*Fem.:* major, thorace parum convexo, crebrius punctato, postice obsolete impresso; in copula.

Hab. in Lapponia rar. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs. Lema melanopa:* caerulea, thorace pedibusque rufis, antennis tarsisque nigris; minor, in Sueciae graminosis et herbis frequens, in Lapponia mihi non obvia.

Subdivisio 2da. Cryptocephaloideae GYLL.

## 142. Eumolpus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 327. FABR. DEJ.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum, crassum. Antennae dimidio corpore longiores, extrorsum gradatim paullo crassiores. Thorax elytris multo angustior, supra convexus subgibbosus. *Color* niger. *Motus* tardus. *Habitatio* in floribus sylvestribus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Discrimen sexus* externum nullum. (Spec. Scand. 1. Faunae nostrae communis.)

**1. E. obscurus:** subopacus, tenuiter pubescens crebre punctulatus niger, antennarum basi ferruginea, thorace subgloboso, elytris subquadratis. ♂♀. (Long. 1½—1¾ lin.)

FABR. Eleut. 1. 421. 19. SCHÖNH. Syn. 2. 236. 24. GYLL. Ins. Sv. 3. 583. 1. DEJ. Catal. p. 125. ZETT. Fn. Lapp. 1. 391. *Chrysomela obscura* LINN. Fn. Sv. 561. *Cryptocephalus obscurus* PANZ. Fn. 5. f. 12.

Hab. in plantis et floribus sylvestribus, libenter in Epilobio angustifolio, per partem sylvaticam Lapponiae mens. Jun. — Aug. frequens; ad Kengis, Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele, Stensele, Wilhelmina et usque ad Umenaes, Lapponiae Umensis, a me praesertim copiose visus. *Cryptocephalo dispar.* paullo brevior, sed non angustior. (Lapp.-Scan. pass.)

## 143. Cryptocephalus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 326. FABR. DEJ.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum, firmum, subglabrum nitidum. Antennae simplices, filiformes, saepius longitudine fere corporis. *Color* niger, ruber, testaceus, viridis, caerulescens, pictura punctata. *Motus* segnis. *Habitatio* in foliis et floribus plantarum; per partem sylvaticam Lapponiae, rarius per inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* externa in impressione segmenti ventralis ultimi saepius quaerenda. (Spec. Scand. 26.)

### *Sect. 1. Elytris disco vage punctatis.*

**1. C. sericeus:** viridi-sericeus, aureo-vel caerulescenti-micans, antennis nigris, thorace crebre punctulato, elytris rugoloso-punctatis, apice singulatim rotundatis, ad scutellum elevatis. ♂♀. (Long. 1½—2 lin.)

*Mas:* antennae longitudine dimidii corporis, segmento ventrali ultimo in medio late, sed non profunde impresso.

*Fem.:* antennae vix longitudine dimidii corporis, segmento ventrali ultimo in medio non late, sed profunde impresso seu foveato; in copula capti.

FABR. Eleut. 2. 49. 46. PANZ. Fn. 102. f. 13. SCHÖNH. Syn. 2. 361. 42. GYLL. Ins. Sv. 3. 603. 7. ♂♀. DEJ. Catal. p. 127. ZETT. Fn. Lapp. 1. 391. 1. ♂♀. *Chrysomela sericea* LINN. Fn. Sv. 554.

Hab. in floribus Syngenesistarum, in Lapponia rarius. Inter majores generis, magnitudine tamen varians. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. C. 4-pustulatus:** niger, ore, antennarum basi, thoracis laevissimi angulis anticis, pedibus anterioribus elytrorumque macula subhumerali et apicali flavo-testaceis, his irregulariter subseriato-punctatis. ♂♀. (Long. 1⅓—1½ lin.)

*Mas:* segmento ventrali ultimo non impresso.

*Fem.:* duplo major, antennis brevioribus, segmento ultimo ventrali profunde impresso.

SCHÖNH. Syn. 2. 369. 80. (exclus. Synon. FABR. cum LINNAEI, quod ad *Mycetophagum 4-maculatum* referendum). GYLL. Ins. Sv. 3. 613. 12. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 392. 2. var. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. elytrorum apice nigro, immaculato.

ZETT. et GYLL. l. c. var. b.

Hab. in foliis fruticum ad Muonioniska et Karesuando mens. Aug. parcius lectus; var. b. in Lapponiae montosis frequentius occurrit, et in Lapponia meridionali ad Lycksele, Badstutraesk et Stensele, 30. Jun. — 10. Aug., a me haud raro visa, feminae praesertim vulgares. *Cryptoceph. Moraei* subsimilis magnitudine et habitu. (Lapp.-Scan. rar.)

**3. C. variabilis:** niger, maculis frontalibus thoracisque vittis tribus, media postice dilatata, flavis, elytris rubris; punctis tribus l. quatuor disci, sutura margineque angustissime, nigris, thorace punctulato, lateribus parum dilatato. (Long. fere 2 lin.)

FABR. Eleut. 2. 44. 20. PANZ. Fn. 17. f. 7. SCHÖNH. Syn. 2. 357. 20. GYLL. Ins. Sv. 3. 595. 2. var. a. et b. DEJ. Catal. p. 127. ZETT. Fn. Lapp. 1. 392. 3.

Hab. in Salicetis Lapponiae rarius. *Cryptoceph. dispare* (*bipunctato* FABR.) fere major. (Lappon.-Finlandia —?)

**4. C. 6-punctatus:** niger, maculis frontalibus thoracisque vittis tribus flavo-testaceis, elytris rubris, maculis tribus magnis difformibus; sutura margineque dilatato, nigris, thorace punctulato, lateribus distincte dilatato. ♂♀. (Long. 1½—1⅞ lin.)

*Mas:* ventre incurvo, in medio bispinoso.

*Fem.:* major, antennis brevioribus, ventre convexo, segmento ultimo profunde impresso.

Var. a. ♂♀. thorace nigro, margine antico vittisque tribus, media abbreviata, lateribus intramarginalibus puncto nigro notatis, rubris; elytris rubris punctis quatuor in fascias duas confluentibus nigris.

GYLL. Ins. Sv. 3. 600. 4. d. SCHÖNH. Syn. 2. 359. 28. var. f. ZETT. Fn. Lapp. 1. 393. 4. var. a. ♂.

Var. b. ♀. thorace nigro, margine antico vittisque lateralibus flavo-testaceis, elytris rubris, punctis quatuor nigris, posteriori scilicet diviso.

GYLL. l. c. var f. ZETT. l. c. var. b.

Var. c. ♂♀. thorace ut in var. a., elytris nigris, lunula baseos, macula obsoleta in medio marginis et alia magna intra apicem, rubris.

GYLL. l. c. var. e. ZETT. l. c. var. c. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Lapponiae borealis rarius; at in Lapponiae meridionalis Salicetis, ex. gr. ad Lycksele et Badstutraesk, 7. Jun. — 2. Aug. haud infrequenter obvius, sed feminae var. a. et b. praesertim visae. Magnitudo praecedentis et sequentis. (Lappon.-Suecia borealis rar.)

*Obs.* Varietates, quae in foliis Coryli Sueciae meridionalis frequenter occurrunt, thoracis vittam mediam anchoraeformem testaceam, et elytrorum suturam margineque angustius nigra habent, ad quas Synonyma FABRICII, PAYKULLI, LINNAEI etc. referenda.

**5. C. variegatus:** niger, antennarum basi, thoracis limbo maculaque postica didyma flavescentibus, elytris testaceis nigro-punctatis, thorace punctato. ♂♀. (Long. 1½—1⅞ lin.)

*Mas.:* segmento ventrali ultimo obsolete impresso.

*Fem.:* paullo major, antennis longioribus, segmento anali distincte impresso.

Var. a. ♂♀. elytris singulo punctis duobus nigris.

FABR. Eleut. 2. 46. 27. SCHÖNH. Syn. 2. 359. 25. GYLL.

Ins. Sv. 3. 597. 3. DEJ. Catal. p. 127. ZETT. Fn. Lapp. 1. 594. 5. var. a. ♂♀. *Cryptocephalus distinguendus* PANZ. Fn. 13. f. 8.

Var. b. ♀. elytris singulo puncto tantum humerali nigro. ZETT., SCHÖNH. et GYLL. l. c. var. b.

Var. c. ♂♀. elytris singulo punctis duobus suturaque nigris, thoracis marginibus anguste testaceis maculaque ejus postica aut deficiente, aut parva lineari, saepe in duas divisa. ZETT., SCHÖNH. et GYLL. l. c. var. c.

Var. d. ♀. elytris singulo punctis quatuor, exterioribus magnis, interioribus (ad suturam) minoribus obsoletis, suturaque nigris. Thorax ut in var. c. Puncta elytrorum fascias duas fere formant. — ZETT. l. c. var d. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi et Botnia boreali rarius; var. d. ad Muonioniska d. 17. Aug. inveni. In Betuletis et Salicetis Lapponiae Umensis, ut ad Lycksele et Badstutraesk, feminas var. c. quoque legi. Magnitudo prioris. (Lapponia; Suecia borealis; Finlandia pass.)

**6. C. Coryli:** niger, antennarum basi lineolisque duabus frontalibus flavis, elytris rubris, punctis subquatuor suturaque anguste, nigris, thorace subtilissime parce punctulato nigro aut rubro. ♂♀. (Long. fere 2 lin.)

*Mas:* ventre subincurvo, segmento ultimo integro; thorace nigro.
*Fem.:* major, ventre convexo, segmento ultimo profunde impresso; thorace rufo.

GYLL. Ins. Sv. 3. 602. 5. var. b. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 394. 6 ♂♀. *Cryptocephalus bimaculatus* NAEZÉN Act. Holm. 1794. 268. 3. t. 9. f. 1.

Hab. in Lapponia Tornensi, secundum Collectiones boreales; mihi vero nec in Lapponia, nec in Botnia obvium fuit insectum, Coryli Avellanae et Salicum foliis victitans, magnitudine praecedentis, paullo longius. (Lapponia?-Botnia occidentalis. NAEZÉN; Suecia media rar.)

*Obs.* In Suecia inferiori elytra immaculata sunt, qualis a FABRICIO, PAYKULLIO et LINNAEO describitur haec species.

**7. C. Pini:** testaceus, pectore abdomineque saturatioribus, oculis antennarumque apice nigris, elytris pallidis, capite thoraceque confertissime punctulatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

*Mas:* antennis longitudine fere corporis, ventre incurvo, segmento ultimo integro; pectore abdomineque brunneis.
*Fem.:* paullo major, antennis longitudine dimidii corporis, ventre convexo, segmento ultimo distincte impresso; pectore abdomineque obscure testaceis; in copula.

FABR. Eleut. 2. 56. 83. PANZ. Fn. 39. f. 17. SCHÖNH. Syn. 2. 369. 87. GYLL. Ins. Sv. 3. 603. 6. ♂♀. DEJ. Catal. p. 128. ZETT. Fn. Lapp. 1. 395. 7. var. a. ♂♀. *Chrysomela Pini* LINN. Fn. Sv. 556. ♂.

Var. b. ♂♀. in copula; obscurior, rufo-testaceus, corpore subtus elytrorumque disco nigro-brunneis.

GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. b. ♂. ZETT. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in frondibus Pini sylvestris, per partem sylvaticam Lapponiae et borealis et meridionalis, mense Augusto sat frequens; variet. a. et b. promiscue copulantes, at ex posteriori varietate feminae rarius occurrunt. Individua var. obscurioris praecipue in Lapponiis septentrionalibus mihi obvia. Prioribus multo minor, *Cryptoceph. Moraei* aequalis; mas femina saepe duplo minor. (Lapp.-Dalecarlia-Ostrogothia tantum var. a. freq.)

## *Sect. 2. Elytris regulariter punctato-striatis.*

**8. C. dispar:** niger, antennis longitudine corporis, basi, elytrisque rufis, his nigro-marginatis maculatisque, thorace laevissimo. ♂♀. (Long. 1¼—1¾ lin.)

*Mas:* segmento ultimo ventrali in medio obsolete impresso.
*Fem.:* segmento eodem profunde impresso; in copula.

Var. a. ♂♀. elytris rufis, margine omni punctisque duobus in singulo nigris.

PAYK. Fn. 2. 142. 15. SCHÖNH. Syn. 2. 355. 18. a. GYLL. Ins. Sv. 3. 614. 13. ZETT. Fn. Lapp. 1. 396. 8. var. a. ♂♀. *Cryptocephal. bipunctatus* FABR. Eleut. 2. 43. 16. PANZ. Fn. 68. f. 2. DEJ. Catal. p. 127. *Chrysomela bipunctata* LINN. Fn. Sv. 548.

Var. b. ♂♀. elytris rufis, margine omni vittaque lata longitudinali discoidali in singulo nigris.

LINN., PAYK., SCHÖNH. et GYLL. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. b. ♂♀. *Cryptocephal. lineola* FABR. Eleut. 2. 44. 17. PANZ. Fn. 102. f. 10. DEJ. Catal. p. 127.

Var. c. ♀. elytris nigris, limbo anguste rufo.

GYLL. l. c. var. c.

Hab. in foliis fruticum, praesertim Salicis, per Lapponiam borealem inferiorem rarius, var. a. et b. promiscue copulantes. In Lapponia meridionali ♂ var. b. ad Umenaes d. 7. Jul. et ♀ var. c. ad Fredrika d. 26. Jul. tantum vidi. Medius, *Cryptoceph. 6-punctato* paullo angustior; variat etiam dimidio minor. (Lappon.-Scan. freq.)

*Obs.* Dum varietas a. saepe in copula cum varietate vittata b., jam ut mare jam ut femina, deprehenditur, nomen specificum LINNAEI: ***bipunctatum*** retinere nolui, nec has meras varietates ut distinctas species cum Illustr. DEJEAN considerare potui. Varietates: elytris nigris apice rufo-maculatis, quae in Suecia inferiori occurrunt, in Lapponia non vidi.

**9. C. 10-punctatus:** niger, antennarum basi, macula frontis, thoracis punctulati vitta media et maculis lateralibus, pedibusque anterioribus testaceis, elytris aut flavis nigro-maculatis, aut totis nigris. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

Var. a. ♂♀. elytris flavis, margine omni angusto, maculisque in singulo quinque nigris.

FABR. Eleut. 2. 53. 65. PANZ. Fn. 68. f. 12. SCHÖNH. Syn. 2. 366. 68. GYLL. Ins. Sv. 3. 619. 15. DEJ. Catal. p. 127. ZETT. Fn. Lapp. 1. 396. 9. var. a. ♂♀. *Chrysomela 10-punctata* LINN. Fn. Sv. 560.

Var. b. ♂♀. elytris nigris, thoracis margine antico vittaque media postice dilatata, striola fusca divisa, testaceis.

SCHÖNH. l. c. var. f. GYLL. l. c. var. c. ZETT. l. c. var. b. ♂♀. *Cryptocephalus botnicus* FABR. Eleut. 2. 45. 22. PANZ. Fn. 68. f. 3. *Chrysomela botnica* LINN. Fn. Sv. 577.

Var. c. ♂♀. elytris nigris, thoracis vitta media testacea angusta simplici, abbreviata, vix medium disci attingente.

GYLL. l. c. var. e. ZETT. l. c. var. c. ♂♀. *Chrysomela botnica* DE GEER Ins. 5. 335. 39.

Hab. in Lapponiae foliis Salicum passim, var. a., b. et c. promiscue copulantes. *Cryptoceph. Moraei* magnitudine plerumque aequalis. (Lapponia; Botnia freq.-Ölandia var. a. et c. freq.-Ostrogoth. var. a. rar.)

**10. C. punctiger:** niger, fronte, thoracis punctati margine antico, antennarum basi pedibusque anterioribus flavo-testaceis, elytris caeruleis, profunde punctato-striatis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.)

*Mas:* segmento anali subtus laevi, minor.
*Fem.:* segmento anali impreso; fronte tantum apice pallida, margine thoracis angustissime flavo, et pedibus anterioribus saepe fusco-testaceis.

SCHÖNH. Syn. 2. 364. 57. GYLL. Ins. Sv. 3. 624. 18.

Hab. in foliis fruticum Lapponiae meridionalis, passim; ad Lycksele, Badstutraesk, Wilhelmina et Almsele, utrumque sexum, 24. Jun. — 25. Jul. inveni. (Lapp.-Suec. media, Ostrogothia, pass.)

**11. C. labiatus:** niger, ore, antennis elongatis basi, pedibusque anterioribus flavis, thorace laevissimo, elytris profunde punctato-striatis, apice laeviusculis. ♂♀. (Long. ⅔—¾ lin.)

FABR. Eleut. 2. 51. 56. PANZ. Fn. 68. f. 9. SCHÖNH. Syn. 2. 363. 53. GYLL. Ins. Sv. 3. 627. 21. DEJ. Catal. p. 128. ZETT. Fn. Lapp. 1. 397. 10. ♂♀. *Chrysomela labiata* LINN. Fn. Sv. 553.

Hab. in foliis Salicum mensib. Jun. — Septemb., in Lapponia Suecica boreali et meridionali vulgaris; occurrit etiam in Nordlandiae inferalpinis, et in Raschstind insulae Schiervoe, ac in Gamstenstind frequenter visus, in copula saepe captus; in regione alpina alpium Suessionensium etiam a D. HEER observatus (vide FRÖB. et HEER Mitth. Zürich 1834 p. 97.), pusillus, priori multo minor, *Cryptoceph. minuto* aequalis, mas plerumque dimidio minor femina. (Lapp.-Scan. freq.)

**12. C. bilineatus:** niger, thorace subtilissime rugoso, flavo-marginato, elytris flavis, sutura vittaque media nigris, antennarum basi pedibusque pallide testaceis. ♂♀. (Long. vix ⅔ lin.)

*Mas:* fronte flava, postice nigro-marginata.
*Fem.:* fronte nigra, ore punctisque 2 verticis flavis.

SCHÖNH. Syn. 2. 363. 49. GYLL. Ins. Sv. 3. 630. 23. ♂♀. CHARPENTIER. Horae Entom. p. 242. T. 8. f. 4.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Suecia media, Ostrogoth. pass.-Scan. rar.)

*Obs. Crypt. Wasastjernae:* „niger, lineis 2 frontalibus, ore, antennarum basi pedibusque anterioribus flavis, thorace subtilissime strigoso, elytrorum striis apicem fere attingentibus.“ ♂♀. (Long. ⅔ lin.) — GYLL. Ins. Sv. 4. 669. 21—22., in Botnia orientali a D. WASASTJERNA detectus, in Lapponiae parte inferiore forsitan etiam occurrit; sed cum intra limitem Lapponiae hactenus non sit visus, insectum boreale tantum hoc modo indicare possum.

## 144. Clythra.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 325. Fabr. Schönh. Dej.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum, subcylindricum, nitidum. Antennae vix thorace longiores, serratae, exsertae. Thorax brevis, transversus. *Color* niger, testaceus, pictura (in nostra) punctata. *Motus* tardus, at sole lucente saepe volatus. *Habitatio* in foliis fruticum; per Lapponiam Norvegicam, maritimam. *Differentia sexus* in impressione anali externe quaeritur. (Spec. Scand. 7, in quibus mares plurimi mandibulis validioribus, pedibusque anticis longioribus a feminis dignoscuntur.

**1. C. 4-punctata:** subtiliter vage punctata nigra, subtus griseo-pubescens, elytris rufo testaceis, singulo maculis duabus nigris, posteriori majori transversa, saepe gemina. ♂♀. (Long. 3 lin.)

*Mas:* segmento ventrali ultimo late, sed non profunde foveato.

*Fem.:* segmento eodem minus late, sed distincte foveato; in copula.

Fabr. Eleut. 2. 31. 13. Panz. Fn. 106. f. 10. Schönh. Syn. 2. 344. 14. Gyll. Ins. Sv. 3. 585. 1. Dej. Catal. p. 126. Zett. Fn. Lapp. 1. 398. 1. ♂♀. *Chrysomela quadripunctata* Linn. Fn. Sv. 547.

Hab. in foliis Betulae albae, in Nordlandia Norvegica mense Julio passim; ad Björkvik et Evenäs frequentius a me lecta, sed in Lapponia Suecica non nisi ad Wilhelmina Lapponiae meridionalis, ibique d. 21. Jul. in copula capta, a me visa. Reliquis speciebus Suecicis major, longior. (Lapponia-Scania, ibique in Corylo, freq.)

**2. C. tridentata:** punctatissima caeruleo-virescens, elytris testaceis immaculatis, thoracis angulis posticis elevatis, antennis brevioribus, pedibus anticis elongatis, femoribus rectis. ♂♀. (Long. 2—2¾ lin.)

Schönh. Syn. 2. 347. 27. Gyll. Ins. Sv. 3. 587. 3. ♂♀. *Chrysomela* eadem Linn. Fn. Sv. 546.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; non nisi ad Lycksele d. 2. Aug. a me inventa. ♂ minor, pedibus primi paris longis longioribusque quam in ♀. (Lapp. Umensis-Ostrogoth., Smoland. pass.)

Subdivisio 3tia. Cassideae Gyll.

## 145. Cassida.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 323. Fabr. Dej.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, clypeiforme, suborbiculatum, glabrum, parum nitidum, supra disco convexiusculum. Caput sub thorace semicirculari absconditum Antennae subfiliformes, extrorsum paullo crassiores. *Color* virescens, pallidus. *Motus* tardus. *Habitatio* in foliis plantarum et sub lapidibus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externa nulla. (Spec. Scand. 13.)

**1. C. viridis:** breviter ovata, supra obscurius viridis, subtus nigra, elytris punctato-substriatis, regione scutellari rubiginosa, pedum geniculis, tibiis tarsisque pallidis, thoracis angulis acutis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.)

Linn. Fn. Sv. 467. var. femoribus nigris. Panz. Fn. 96. f. 4. Payk. Fn. 2. 45. 2. Fabr. Eleut. 1. 387. 1. Schönh. Syn. 2. 209. 1. Latr. Gen. Ins. 3. 52. Dej. Catal. p. 117. Zett. Fn. Lapp. 1. 399. 1. ♂♀. *Cassida rubiginosa* Gyll. Ins. Sv. 3. 437. 3.

Hab. in Lapponia rarius. Inter majores generis. (Lappon.-Scan. pass.)

*Obs. Cassidam viridem* Linn. l. c. eandem ac nostram esse seu varietatem pedibus pallidis, ex frequentia insecti et „abdomine toto nigro," credere mihi fas videtur. *Cassida equestris* Auctor. huic similis, paullo major, elytris crebre vage punctatis, basi non ferrugineis, thoracis angulis rotundatis, ut etiam abdominis limbo pedibusque totis flavis, in Suecia inferiori haud raro, in Lapponia vix occurrit.

**2. C. sanguinolenta:** breviter ovata, supra laete viridis, subtus nigra, antennarum basi, abdominis margine anguste, pedibusque pallidis, elytris convexis distincte punctato-striatis, regione scutelli sanguinea, thorace amplo postice arcuato, angulis obtusis. (Long. 1½ lin.)

Fabr. Eleut. 1. 389. 8. Payk. Fn. 2. 46. 3. Schönh. Syn. 2. 212. 7. Gyll. Ins. Sv. 3. 441. 6. Dej. Catal. p. 117. Zett. Fn. Lapp. 1. 400. 2.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; praecedente duplo et ultra minor. (Lapponia; Dalecarlia; Ostrogothia; Scania rar.)

**3. C. nebulosa:** breviter ovata, supra griseo-flavescens, subtus nigra, antennarum basi, abdominis margine anguste, pedibusque pallidis, elytris nigro-maculatis, profunde punctato-striatis, punctis subocellatis, thoracis angulis rotundatis. ♂♀. (Long. 2 - 2½ lin.)

*Mas:* abdominis margine apicali summo pallido, femoribus plerumque nigris.

*Fem.:* major, abdominis margine paullo latius, pedibusque totis pallidis; in copula.

Linn. Fn. Sv. 468. Schönh. Syn. 2. 215. 21. var. β. Gyll. Ins. Sv. 3. 442. 7. Zett. Fn. Lapp. 1. 400. 3. ♂♀. *Cassida affinis* Fabr. Eleut. 1. 388. 5. Dej. Catal. p. 117.

Hab. in Lapponiae plantis rarius. Media, magnitudine et statura fere *Cassidae viridis.* (Lappon.-Scan. pass.)

**4. C. obsoleta:** breviter ovata, supra flavescens, subtus nigra, antennarum basi, fronte, abdominis limbo anguste, pedibusque pallidis, thorace lateribus depresso, angulis rotundatis, puncto antescutellari fusco, elytris profunde punctato-striatis, punctis ocellaribus. (Long. 1¾ lin.)

Var. a. elytris flavescentibus immaculatis.

Schönh. Syn. 2. 215. 22. Gyll. Ins. Sv. 3. 444. 8. Dej. Catal. p. 117. Zett. Fn. Lapp. 1. 400. 4. var. a. *Cassida pallida* Payk. Fn. 2. 50. 8

Var. b. elytris flavescentibus, dorso magis vel minus fusco-nebuloso.

Zett. et Gyll. l. c. var. b. *Cassida nebulosa* Fabr. Eleut. 1. 390. 11. (exclus. Syn. Linn.)

Hab. in plantis et sub lapidibus Lapponiae passim, ad Karungi, Öfver-Torneå et Wittangi mens. Maj. — Jun. a me lecta; priori duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.

**5. C. nobilis:** oblongo-ovata, convexa, supra griseo-flavescens, subtus nigra, antennarum basi, abdominis limbo laterali late, femoribus apice, tibiis tarsisque testaceis, elytris profunde punctato-striatis, interstitio secundo a sutura latiori, caerulescenti-argenteo, thoracis angulis obtusis. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 469. Fabr. Eleut. 1. 396. 47. Schönh. Syn. 2. 219. 68. Gyll. Ins. Sv. 3. 445. 9. Dej. Catal. p. 117. Zett. Fn. Lapp. 1. 401. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius, in copula capta. Magnitudo praecedentis. (Lapp.-Scan. freq.)

Color argenteus lineae elytrorum juxta suturam cum vita fere omnino perit, remanente tinctura pallida, nitida.

Subdivisio 4ta. Gallerucoideae Gyll.

## 146. Galleruca.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 331. Fabr. Dej.

*Corpus* mediae vel minoris magnitudinis, ovatum, subconvexum. Antennae subapproximatae, filiformes, extrorsum parum crassiores. Caput parvum. Thorax brevis transversus. Pedes simplices (femoribus posticis non incrassatis). *Color* niger, testaceus, luridus. *Motus* tardus: insectum attactum vel sole urente vix vivacius, plantis natalibus segnitur adhaerens. *Habitatio* sub lapidibus, aut plerumque in foliis fruticum, saepe sociatim; per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae. *Differentia sexus* externa in emarginatura anali quaerenda. (Spec. Scand. 17.)

**1. H. Tanaceti:** nigra unicolor, saepe crebre et vage profunde rugoso-punctata, thorace inaequali, lateribus subsinuato, elytris lineis elevatis nullis. ♂♀. (Long. 2¼—2½ lin.)

*Mas:* segmento ventrali ultimo late et profunde emarginato.

*Fem.:* segmento eodem integro; in copula.

Fabr. Eleut. 1. 481. 16. Panz. Fn. 102. f. 2. Schönh. Syn. 2. 290. 19. Gyll. Ins. Sv. 3. 502. 1. var. Dej. Catal. p. 117. Zett. Fn. Lapp. 1. 402. 1. ♂♀. *Chrysomela Tanaceti* Linn. Fn. Sv. 507.

Hab. in pascuis Lapponiae borealis per partem infimam mens. Aug. passim; at in Lapponia meridionali praesertim in plantis aquaticis ad lacus, ex. gr. prope Lycksele, Stensele et Wilhelmina 24. Jun. — 16. Jul., haud infrequenter a me visa; in copula capta, valde segnis et ignava, feminae gravidae saepe insigniter tumidae. In suo genere major. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* In Suecia variat elytris striis magis vel minus obsolete elevatis; sed in speciminibus Lapponicis elytra non quidem obsoletissime elevato-striata videntur.

**2. G. Capreae:** oblongo-ovata, glabra, nigra, supra griseo-testacea punctatissima, capite, maculis thoracis tribus

scutelloque nigris, antennis elongatis inferne, tibiisque griseo-variis. ♂♀. (Long. 1½ lin.)

*Mas:* segmento ventrali ultimo brevi, in medio profundissime impresso.

*Fem.:* segmento eodem longiori, laevi, margine integro; in copula.

FABR. Eleut. 1. 487. 46. PANZ. Fn. 102. f. 7. SCHÖNH. Syn. 2. 297. 57. GYLL. Ins. Sv. 3. 504. 3. DEJ. Catal. p. 117. ZETT. Fn. Lapp. 1. 402. 2. ♂♀. *Chrysomela Capreae* LINN. Fn. Sv. 566.

Var. b. ♂♀. obscurior, antennis fere totis thoracisque maculis dilatatis majoribus, nigris, elytris brunneis.

ZETT. et GYLL. l. c. var. b.

Var. c. supra grisea, antennis pedibusque totis nigris.

GYLL. Ins. Sv 4. App. 651. 3. var. c.

Hab. in foliis Betulae et Salicis, locis saepe paludosis, in Lapponia tempore vernali freq.; ad Wittangi et Juckasjervi mense Junio in copula sat copiose visa; var. a. quoque ad Lycksele Lapponiae meridionalis 3 - 10. Jun. sat frequenter observata; var. c. in Lapponia, test. D. GYLLENHAL l. c. Inter nostras hujus generis media, priori minor. (Lappon.-Scan. freq.)

**3. G. Nympheae:** oblongo-ovata, subdepressa, pubescens nigra, ore, fronte, antennarum articulis inferioribus basi elytrorumque margine exteriori flavis, thorace testaceo, maculis tribus nigris, pedibus pallidis, femoribus basi geniculisque fuscis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.)

*Mas:* segmento ventrali ultimo profunde et late emarginato.

*Fem.:* segmento eodem profunde et anguste emarginato; in copula.

FABR. Eleut. 1. 486. 45. PANZ. Fn. 102. f. 6. SCHÖNH. Syn. 2. 296. 56. GYLL. Ins. Sv. 3. 509. 7. DEJ. Catal. p. 118. ZETT. Fn. Lapp. 1. 403. 3. ♂♀. *Chrysomela Nympheae* LINN. Fn. Sv. 565.

Hab. in foliis plantarum, praesertim Nympheae, in Lapponia boreali et meridionali rarius; praecedente paullo major. (Lapp.-Scan. pass.)

**4. G. Sagittariae:** oblongo-ovata, subdepressa, parum pubescens nigra, fronte, antennarum articulis inferioribus basi elytrorumque fuscorum margine flavis, thorace testaceo, maculis tribus nigris, lateralibus obsoletis, pedibus pallidis, genubus tarsisque infuscatis. ♂♀. (Long. 1½ lin.)

*Mas:* segmento ventrali ultimo margine pallido, in medio sat late, sed non profunde emarginato.

*Fem.:* segmento eodem ut in mare, sed anguste emarginato; in copula.

GYLL. Ins. Sv. 3. 511. 8. ZETT. Fn. Lapp. 1. 403. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponiae meridionalis plantis paludosis rarius; praecedente duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. G. lineola:** oblongo-ovata, parum convexa, sericeo-pubescens nigra, fronte, antennarum articulis inferioribus basi, elytrorum obscure testaceorum margine suturaque, flavis, thorace testaceo, macula media nigra, ano pedibusque pallidis. ♂♀. (Long. 1½ lin.)

*Mas:* segmento ventrali ultimo late, sed non profunde emarginato.

*Fem.:* segmento eodem leviter tantum emarginato, saepe major; in copula.

FABR. Eleut. 1. 486. 44. PANZ. Fn. 102. f. 5. SCHÖNH. Syn. 2. 296. 53. GYLL. Ins. Sv. 3. 512. 9. DEJ. Catal. p. 118. ZETT. Fn. Lapp. 1. 404. 5. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, in Lapponia boreali rarius; sed in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele, in Salicetis, 4—10. Jun., in copula frequenter capta. Magnitudo prioris. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. G. Alni:** ovata nitida glabra caerulescens, antennis, tibiis tarsisque nigris, elytris violaceis, creberrime vage punctulatis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

FABR. Eleut. 1 483. 27. PANZ. Fn. 102. f. 3. SCHÖNH. Syn. 2. 292. 30. GYLL. Ins. Sv. 3. 519. 15. DEJ. Catal. p. 118. ZETT. Fn. L. 1. 404. 6. ♂♀. *Chrysomela Alni* LINN. Fn. Sv. 511.

Hab. in foliis Alni, in Lapponia rarius, Collect. D. KOLSTRÖM. Statura et magnitudo fere *Gall. Tanaceti.* (Lapp.-Scania, ibi plerumque supra magis caerulescens, freq.)

---

## 147. Haltica.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 332. GYLL. SCHÖNH. DEJ. *Chrysomela* FABR.

*Corpus* parvum, saepe minutum, breviter ovatum, convexiusculum nitidum, glabrum. Antennae filiformes, extrorsum parum crassiores, articulo secundo tertio plerumque parum breviore. Pedes postici saltatorii (femoribus incrassatis). *Color* niger, caeruleus, testaceus, rufus. *Motus* saltatorius. *Habitatio* in foliis et floribus plantarum, plerumque sociatim; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* externa in paucis observanda. (Spec. Scand. 63.)

### *Sect. 1. Elytris vage punctatis.* *)

**1. H. oleracea:** oblongo-ovata, convexa, caerulescenti-viridis, antennis extrorsum nigris, thorace laeviusculo, postice transversim impresso, elytris punctulatis. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 319. 142. PANZ. Fn. 21. f. 1. GYLL. Ins. Sv. 3. 521. 2. DEJ. Catal. p. 119. ZETT. Fn. Lapp. 1. 405. 1. ♂♀. *Chrysomela oleracea* LINN. Fn. Sv. 534. *Galleruca oleracea* FABR. Eleut. 1. 498. 108.

Var. b. supra obscurior, fusco-virescens.

ZETT. et GYLL l. c. var. b.

Var. c. supra caerulea.

ZETT. et GYLL. l. c. var. c. *Galleruca Erucae* FABR. Eleut 1. 497 99.

Hab. in plantarum foliis per partem sylvaticam Lapponiae et borealis et meridionalis mens. Maj. - Sept. passim frequens; varietatem b. etiam in paludosis ad Bossekop Finmarkiae legi. Major in suo genere. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. H. Erichsoni:** brevis rotundata valde convexa laevis nitida nigra, antennarum basi pedibusque ferrugineis, elytris obsolete punctulatis caeruleis. (Long. vix ⅔ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad novaccolum Almsele in paroecia Asele d. 24. Jul. 1832 duo specimina inveni. (Lapponia meridionalis.)

Affinis *H. mercuriali* et *caeruleae*, sed ab illa magnitudine minori, thorace laevissimo, nec impresso, pedibus luteis, etc., et ab hac, corpore breviore, magis convexo, supra laeviori, pedum colore, femoribus posticis immaculatis, etc. abunde distincta. Antennarum articuli 2 basales ferruginei. Thorax convexus laevissimus. Elytra valde convexa, obsoletissime ruguloso-subpunctulata, caerulea. Cel. Dct. W. F. ERICHSON, Berolinensi, Germanorum Entomologo Sagacissimo, elegantissimae monograph. Meloës etc. Auctori, hoc pulchrum et certe novum insectum arcticum benevole tribuit ZETTERSTEDT.

**3. H. Euphorbiae:** ovata nigra, supra aeneo-micans, antennarum basi pedibusque pallidis, femoribus posticis aeneis; thorace laeviusculo non impresso, elytris subtiliter punctulatis. (Long. vix ½ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 312. 71. GYLL. Ins. Sv. 3. 525. 5. DEJ. Catal. p. 121. ZETT. Fn. Lapp. 1. 405. 2. *Crioceris Euphorbiae* FABR. Eleut. 1. 467. 87.

Hab. in graminosis Lapponiae rarius, pusilla, *Halt. Helxines* fere triplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. H. Nemorum:** oblonga subdepressa, crebre punctulata nigra, elytris vitta longitudinali integra flava, antennis inferne, tibiis tarsisque testaceis (major) ♂♀. (Long ½—⅔ lin.)

*Mas:* articulo antennarum quarto et quinto proxime praecedentibus et praecipue sexto majoribus, crassioribus.

*Fem.:* articulis iisdem minoribus.

SCHÖNH. Syn. 2. 313. 77. PANZ. Fn. 21. f. 19. GYLL. Ins. Sv. 3. 530. 9. DEJ. Catal. p. 121. ZETT. Fn. Lapp. 1. 406. 3. ♂♀. *Chrysomela Nemorum* LINN. Fn. Sv. 543. var. major. *Crioceris Nemorum* FABR. Eleut. 1. 467. 89.

Hab. in Lapponiae plantis, inprimis Tetradynamis passim; magnitudine varians. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. H. flexuosa:** oblongo-ovata subdepressa, crebre punctulata nigra, elytris vitta longitudinali sinuata testacea, antennarum tibiarumque basi piceo-testacea (minor). ♂♀. (Long. vix ½ lin.)

*Mas* et *Fem.* ut in priori differunt.

Var. a. vitta elytrorum angustiori, parum sinuata.

SCHÖNH. Syn. 2. 314. 79. GYLL. Ins. Sv. 3. 531. 10. DEJ. Catal. p. 121? ZETT. Fn. Lapp. 1. 406. 4. ♂♀. *Altica Nasturtii* PANZ. Fn. 21. f. 9.

Var. b. vitta elytrorum dilatata, sinu brevi semicirculari nigro in medio exteriori emarginata.

ZETT., SCHÖNH. Syn. et GYLL. l. c. var. b. *Altica flexuosa* PANZ. Fn. 25. f. 12.

Hab. sub lapidibus, muscis, cortice arborum et in graminosis per Lapponiam sylvaticam et borealem et meridionalem, tota aestate passim; var. b. praesertim in ripa arenosa

*) Quoad subdivisiones hujus generis ad Faunae Suecicae *Halticas* accommodatas, cfr. GYLLENHAL Ins. Sv. 4. App. p. 652. Cfr. etiam ILLIG. Mag. 6. p. 51 seqq.

ad Juckasjervi legi. Magnitudine varians, priori semper minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. H. holsatica**: ovata, convexa, crebre punctulata nigra, elytris macula apicis rotundata luteo-picea, antennarum basi tibiisque anterioribus rufo-testaceis. (Long. ½ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 311. 64. GYLL. Ins. Sv. 3. 534. 12. DEJ. Catal. p. 121. ZETT. Fn. Lapp. 1. 406. 5. *Chrysomela holsatica* LINN. Fn. Sv. 544. *Crioceris holsatica* FABR. Eleut. 1. 467. 85.

Hab. in pratis humidis, in Lapponia rarius; ad Karungi et Wittangi tamen frequentiorem vidi, mens. Majo — Junio. Magnitudo fere praecedentis. (Lapp.-Scan. pass.)

**7. H. Fischeri**: subovata convexa crebre punctulata subaenescenti-nigra nitida, elytrorum apice, antennarum basi pedibusque flavo-testaceis, femoribus posticis superne nigropiceis. (Long. ¾ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad pagum lapponicum Lycksele d. 16. Aug. 1832 duo specimina inveni. (Lapponia meridionalis.)

*H. holsaticae* proxime accedit, eique subsimilis, sed duplo major praesertim longior, tibiis posticis etiam testaceis, macula elytrorum flava ovata apicem summum occupante, nec intra apicem retracta, etc., certe distincta.

Ne displiceat Viro nobiliss. D. Consil. Stat. Act. G. FISCHER DE WALDHEIM, Moscovito, de Entomologia Rossica meritissimo, suum nomen splendidum, obscuro insecto illustrando additum videre, optat rogatque inventor.

**8. H. lurida**: ovata, convexa, nigro-picea, antennarum basi pedibusque flavis, elytris brunneis, creberrime punctatis, apice singulatim rotundatis. ♂♀. (Long. vix ½ lin.)

*Mas*: antennis dimidio corpore longioribus, elytris anum occultantibus.

*Fem.*: paullo major, antennis longitudine dimidii corporis, elytris anum vix occultantibus.

SCHÖNH. Syn. 2. 309. 51. GYLL. Ins. Sv. 3. 537. 14. DEJ. Catal. p. 121. ZETT. Fn. Lapp. 1. 407. 6. ♂♀.

Hab. in Lapponiae graminosis, locis umbrosis passim. Pusilla, variat tamen magnitudine, *Haltica Euphorbiae* plerumque paullo major. (Lapp.-Scan. freq.)

**9. H. pratensis**: ovata, convexa, subtilissime punctulata nigra, antennarum basi, capite, thorace femoribusque posticis testaceis, pedibus elytrisque pallidis, horum humeris apiceque singulatim rotundatis. (Long. fere ⅔ lin.)

PANZ. Fn. 21. f. 16. SCHÖNH. Syn. 2. 309. 50. GYLL. Ins. Sv. 3. 539. 15. DEJ. Catal. p. 121. ZETT. Fn. Lapp. 1. 407. 7.

Var. b. pallidior, ZETT. l. c. var. b. forte LINNAEI *Chrysomela exoleta*, PAYKULLI *Galleruca atricilla* var. a., et PANZERI *Altica tabida*?

Hab. passim in Lapponia cum priori, cujus fere magnitudine et statura gaudet. (Lapp.-Scan. freq.)

**10. H. atricilla**: oblongo-ovata, convexa, subtiliter punctulata nigro-picea, antennarum basi pedibusque anterioribus pallidis, thorace rufo-testaceo, aeneo-micante, antice compresso, elytris lividis, sutura nigricante, apice rotundato. (Long. ¾ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 308. 44. GYLL. Ins. Sv. 3. 540. 16. DEJ. Catal. p. 121. ZETT. Fn. Lapp. 1. 408. 8. *Chrysomela atricilla* LINN. Fn. Sv. 537? *Crioceris atricilla* FABR. Eleut. 1. 465. 75.

Hab. in plantis Lapponiae rarius, praecedente dimidio major, praesertim longior. (Lapp.-Scan. freq.)

**11. H. melanocephala**: ovata, convexa, subtiliter punctulata nigra, capite atro, antennarum basi pedibusque anterioribus pallidis, thorace sublaevi, rufo-ferrugineo, elytris lividis, sutura nigricante, apice acuto. ♂♀. (Long. ⅔ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 309. 45. GYLL. Ins. Sv. 3. 555. 19. var. b. DEJ. Catal. p. 120. ZETT. Fn. Lapp. 1. 408. 9. ♂♀.

Hab. in graminosis, locis aridis, et ad margines agrorum, in Lapponia per partem sylvaticam mens. Jun. — Sept. passim, in copula. *Halt. atricilla* paullo minor, brevior. (Lapp.-Scan. freq.)

Varietatem GYLLENHALI l. c. a. femoribus anterioribus etiam nigro-piceis, in Lapponia non vidi.

**12. H. borealis**: ovata convexa nitida nigra, antennarum basi pedibusque anterioribus fuscis, thorace laevissimo rufescenti-testaceo, elytris punctulatis lividis, sutura margineque laterali anguste nigris, apice acuminatis. (Long. 1¼ lin.)

Forte *Crioceris Sisymbrii* FABR. Eleut. 1. 464. 76? et *Halt. Verbasci* ILLIG. Mag. 6. 167. 132? Sed *H. Verbasci* GYLL. Ins. Sv. 3. 543. 18. alia videtur.

Hab. in inferalpinis meridionalibus Norvegiae; in Verbasco nigro ad radicem alpium Fille-fjell d. 28. Aug. a D. BOHEMAN lecta. (Lapp. meridion. - ?)

*H. melanocephalae* affinis, sed quadruplo fere major, *H. testaceae* subaequalis. *H. Verbasci* GYLL. quoque similis, ejusque magnitudine, at color alius.

**13. H. Nasturtii**: ovata, minus convexa, crebre punctata nigro-picea, antennarum basi pedibusque anterioribus ferrugineis, thorace obsolete punctulato nigro, aeneo-micante, elytris testaceis, sutura margineque nigro-fuscis, apice rotundato. (Long. vix ½ lin.)

GYLL. Ins. Sv. 3. 548. 21. var. b. ZETT. Fn. Lapp. 1. 408. 10. *Crioceris Nasturtii* FABR. Eleut. 1. 465. 77. *Haltica pratensis* SCHÖNH. Syn. 2. 309. 50. var. b.

Hab. in Lapponiae plantis, tempore autumnali rarius; praecedente saepe duplo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

Varietas Gyllenhaliana a, femoribus anterioribus nigro-piceis, rarius in Suecia occurrit, nec talis in Lapponia mihi obvia fuit.

### *Sect. 2. Elytris punctato-striatis.*

**14. H. exoleta**: oblongo-ovata, rufo-testacea tota, oculis nigris, thorace convexo, marginato sublaevi, postice transversim et abbreviatim profunde impresso, elytris regulariter punctato-striatis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 310. 56. PANZ. Fn. 21. f. 14. GYLL. Ins. Sv. 3. 551. 24. DEJ. Catal. p. 120. ZETT. Fn. Lapp. 1. 409. 11. ♂♀. *Crioceris exoleta* FABR. Eleut. 1. 466. 80. (exclus. Syn. LINN. Fn. Sv., quod ad *Halt. pratensem* var. forte pertinet.) *Mordella flava* LINN. Fn. Sv. Ed. 1a. N. 535.

Hab. in graminosis Lapponiae passim; in hoc genere magna, mas tamen femina duplo minor; in copula. (Lappon.-Scan. freq.)

**15. H. femorata**: ovata nigra, capite, antennis, thorace pulvinato postice angustato et transversim impresso, tibiis tarsisque rufis, elytris caeruleis, regulariter punctato-striatis, punctis remotioribus, ore fusco. (Long. 1 lin.)

GYLL. Ins. Sv. 3. 559. 30. ZETT. Fn. Lapp. 1. 409. 12. Sed *Haltica femorata* DEJ. Catal. p. 120. forte non eadem. *Haltica rufipes* SCHÖNH. Syn. 2. 307. 36. var. b.

Var. b. elytris nigris. — ZETT. l. c. var. b.

Hab. in graminosis, plantis variis, ut et in arenosis ad ripas fluminum, in Lapponia Tornensi mens. Majo — Aug. passim, ad Kengis, Juckasjervi et Karesuando ego illam inveni; in Lapponia Umensi paullo frequentius occurrit, ibique in paludosis ad Naestansjö, Wilhelmina, Stoettingsfjellet et ad radicem alpium Brattiksfjell, 8—31. Jul. a me lecta; var. b. ad Muonioniska tantum rarissime mihi obvia. (Lapponia; Botnia borealis, Öfver-Torneå, Matarengi pass.)

Magnitudo et affinitas *Halticae rufipedis*, sed certe distincta species, nam thoracis structura, femorum colore et elytrorum punctura, praeter alias notas leviores, aperte ab illa differt, nec locus idem. Synonymon GYLLENH. haud dubius quoque nostrae allegavi, quamquam Ill. Vir „thoracis structuram exacte ut in *Halt. rufipede*" non bene determinat. *Halt. rufipes* GYLL., SCHÖNH, et LINN. (*Crioceris ruficornis* FABR.) in Suecia boreali mihi quidem non obvia fuit, sed tamen ejus diagnosin ob comparationem heic dare, non superfluum duxi.

*H. rufipes*: ovata nigra, capite, antennis, thorace convexo postice latiori et transversim impresso, pedibusque totis rufis, elytris caeruleo-virentibus, regulariter punctato-striatis, punctis approximatis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.)

Hab. in Sueciae inferioris plantis nemoralibus vulgaris.

**16. H. Helxines**: ovata nigro-virescens, antennarum basi pedibusque testaceis, femorum posticorum apice nigricante, capite thoraceque profunde punctato et postice impresso, viridi-aureis, elytris caerulescentibus, evidenter punctato-striatis. (Long. ¾ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 303. 21. var. GYLL. Ins. Sv. 3. 562. 33. var. ZETT. Fn. Lapp. 1. 410. 13. *Chrysomela Helxines* FABR. El. 1. 147. 152. et LINN. Fn. Sv. 540. Diagn. var.

Hab. in floribus et foliis Salicum Lapponiae borealis passim; in Lapponia meridionali ad Asele 27. Jul. frequentius. (Lapp.-Scan. freq.)

*Halt. exoleta* duplo et ultra minor, in hoc genere media. Varietates magis virides, a D. GYLLENHAL recensitas, in Suecia inferiori vulgares, in Lapponia non vidi.

**17. H. dentipes**: ovata, parum convexa nigra, supra aenea, antennarum basi tibiisque ferrugineis, posticis extus denticulatis, thorace crebre punctato, elytris evidenter punctato-striatis, interstitiis laevibus. (Long. ½—⅔ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 315. 85. GYLL. Ins. Sv. 3. 573. 41. DEJ. Catal. p. 120. ZETT. Fn. Lapp. 1. 410. 14.

Hab. in plantis Lapponiae borealis variis, locis aridis,

rarius; sed in Lapponiis meridionalibus, ex. gr. ad Äsele d. 26. Jul. paullo frequentius visa. Parva, *Halticae melanocephalae* subaequalis vel saepe paullo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**18. H. aridella**: ovata, convexa fusco-aenea, antennarum basi tibiisque ferrugineis, posticis extus denticulatis, thorace crebre punctato, elytris punctato-striatis, striis dorsalibus intricatis. (Long. 1 lin. et ultra.)

Var. a. supra fusco-aenea.

Schönh. Syn. 2. 315. 84. Gyll. Ins. Sv. 3. 575. 42. Zett. Fn. Lapp. 1. 411. 15. var. a. *Galleruca aridella* Payk. Fn. 2. 111. 34. Dej. Catal. p. 120.

Var. b. supra caerulescens.

Gyll. l. c. var. c. Schönh. l. c. var. β. Zett. l. c. var. b.

Hab. in Nordlandia Norvegica locis aridis; ad Björkvik et Giebostad mens. Julio haud infrequenter vidi, praesertim varietatem b. In Lapponia Suecica meridionali, var. a. ad Lycksele 12. Jun., et var. b. ad Umenaes 7. Jul. legi. Priori magnitudine subaequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

**19. H. Rubi**: ovata, convexa nigra l. nigro-picea, antennis pedibusque ferrugineis, thorace crebre subtiliter punctulato non impresso, elytris evidenter regulariter punctato-striatis. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.)

Schönh. Syn. 2. 314. 82. Gyll. Ins. Sv. 3. 581. 47. Dej. Catal. p. 121. Zett. Fn. Lapp. 1. 411. 16 *Crioceris Rubi* Fabr. Eleut. 1. 468. 92. *Galleruca Rubi* Payk. Fn. 2. 112. 35.

Hab. in Rubi idaei foliis, in Lapponia rarius. Pusilla, priori duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**20. H. Chrysanthemi**: oblongo-ovalis, valde convexa, obscure aenea, thorace punctulato postice utrinque lineola impresso, elytris regulariter punctato-striatis, pedibusque piceo-ferrugineis. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.)

Schönh. Syn. 2. 305. 24. Gyll. Ins. Sv. 3. 578. 44.

Hab. in Lappon. Umensi rariss.; ad Lycksele semel lecta; pedibus elytrorumque apice paullo obscurioribus, quam in speciminibus Suecicis vulgaribus. Vix tamen diversa. (Lapp. merid.-Scan. freq.)

---

Subdivisio 5ta. Chrysomelae genuinae.

## 148. Chrysomela.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 328. Fabr. Dej.

*Corpus* mediae l. minoris magnitudinis, breviter ovatum aut suborbiculatum, crassum, convexum, nitidum glabrum. Antennae moniliformes, extrorsum sensim crassiores. Thorax transversus. *Color* niger, caeruleus, viridis, saepe splendens, interdum testaceus. *Motus* tardus. *Habitatio* in foliis plantarum, saepe gregatim, raro sub lapidibus magis solitarie; per omnes Lapponiae regiones. Vita tenax; acu affixa anno dimidio et ultra sine aqua vixisse individua quarundam specierum ipse vidi. *Differentia sexus* externa vix ulla, nisi magnitudinem provocare velis, maribus scilicet quam feminis plerumque minoribus. (Spec. Scand. 47.)

### Sect. 1. *Elytris dorso vage punctatis.* (*Metallicae, saepe splendidae*).

**1. C. Staphylaeae**: breviter ovata testaceo-brunnea, antennis pedibusque testaceo-ferrugineis, supra subaeneo-micans, thorace margine valde incrassato, disco, elytrisque crebre subtiliter punctulato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.)

*Mas*: thoracis disco subtilissime punctulato.

*Fem.*: duplo fere major, thoracis disco paullo evidentius punctulato; in copula.

Linn. Fn. Sv. 518. Fabr. Eleut. 1. 434. 71. Schönh. Syn. 2. 251. 80. Gyll. Ins. Sv. 3. 455. 5. Dej. Catal. p. 122. Zett. Fn. Lapp. 1. 412. 1. ♂♀.

Hab. sub lapidibus Lapponiae per partem sylvaticam mens. Majo — Junio passim. Media, sequente plerumque paullo major, praesertim femina. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. C. polita**: breviter ovata, aeneo-viridis, caeruleo-micans, thorace aurato, margine incrassato, antennae nigrae, basi piceae, elytris brunneo-testaceis, crebre punctulatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.)

Linn. Fn. Sv. 522. Fabr. Eleut. 1. 434. 73. Schönh. Syn. 2. 252. 82. Gyll. Ins. Sv. 3. 456. 6. Dej. Catal. p. 122. Zett. Fn. Lapp. 1. 412. 2. ♂♀.



Hab. rarius cum priori, qua saepe paullo minor; in copula visa. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. C. Populi**: ovata ampla, nigro-caerulea, elytris creberrime punctulatis testaceis, summo apice antennisque extrorsum nigris, thorace parvo utrinque impresso, disco laevi. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ — fere 3 lin.)

Linn. Fn. Sv. 523. Fabr. Eleut. 1. 433. 68. Panz. Fn. 100. f. 3. Schönh. Syn. 2. 250. 77. Gyll. Ins. Sv. 3. 457. 7. Dej. Catal. p. 123 Zett. Fn. Lapp. 1. 413. 3. ♂♀.

Hab. in Salice et Populo, folia consumens, in Lapponia rarius, in copula capta Ad Lycksele 5. Jun. Maxima nostratum hujus generis, priori triplo fere major. Larva tumida, albo-nigroque varia, guttulas olei lutei fundit, odorem gravem et foetidum spargens. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. C. Tremulae**: thorace utrinque profunde impresso, basi subtruncato, ovata nitida caeruleo-virescens, elytris rufo-testaceis immaculatis subrugosis. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.)

Schönh. Syn. 2. 251. 78. Gyll. Ins. Sv. 3. 458. 8.

Hab. in Lapponia Norvegica; in Populo Tremula a D. Boheman, 14 18. Aug. copiose lecta. Similis priori, minor. (Lappon.-Gottlandia, Suecia rar. — Simillimam e Lipsia misit amicus Kunze.)

**5 C. collaris**: ovata, nigro-caerulea, antennis nigris inferne piceis, thoracis lateribus flavescentibus, puncto nigro, elytris subviolaceis, creberrime evidenter punctatis, scutello impresso. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.)

*Mas*: elytrorum apice mutico.

*Fem.*: paullo major, elytrorum apice acuminato, subreflexo; in copula.

Var. a. ♂♀. in copula; thoracis lateribus luteo-ferrugineis, elytris caeruleo-violaceis.

Linn. Fn. Sv. 528. Schönh. Syn. 2. 254. 89. var. b. Gyll. Ins. Sv. 3. 459. 9. Dej. Catal. p. 123. Zett. Fn. Lapp. 1. 413. 4. ♂♀. *Chrysomela Salicis* Fabr. Eleut. 1. 436. 81.

Var. b. ♂♀. in copula (invicem tantum, at non cum varietate a.); thoracis lateribus flavo-albidis, elytris aeneo-subviolaceis.

Zett. et Gyll. l. c. var. b. Schönh. Syn. l. c. var. a. *Chrysomela collaris* Fabr. Eleut. 1. 433. 80. (exclus. Syn.) Panz. Fn. 78. f. 2.

Hab. in Lapponiae Salicibus; in Collectionibus D. D. Kolström et Portin ut Lapponiae incola venditur, mihi in Suecia septentrionali non obvia. Magnitudo *Chrysomelae politae*. (Lappon.-Uplandia-Scan freq.)

**6. C. alpina**: ovata, nigro-caerulea, virescenti-micans, antennarum basi pedibusque luteis, geniculis tarsisque nigris, thoracis lateribus flavescentibus, puncto nigro, elytris caerulescentibus, creberrime, obsoletius punctulatis, scutello non impresso. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.)

*Mas*: elytrorum apice mutico.

*Fem.*: paullo major, elytrorum apice distincte acuminato, reflexo; in copula.

Var. a. ♂♀. thoracis lateribus luteo-ferrugineis, elytris caeruleis.

Zett. Fn. Lapp. 1. 414. 5. var. a. ♂♀. Fröb. et Heer. Mittheil. Zürich 1834. 1. p. 97.

Var. b. ♂♀. thoracis lateribus pallide flavis, elytris caeruleo-violaceis.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. mense Julio in summo alpium Tornensium jugo, in ipsa nive tarde ambulans, haud infrequenter; ut etiam in Salicibus humilioribus visa; var. b. quoque ad Giebostad in insula Senjen Nordlandiae parce inveni. Sed per partem sylvaticam et subsylvaticam Lapponiae interioris mihi nunquam obvia; in regione tantum alpina alpium Helveticarum seu Suessionensium a D. D. Fröbel et Heer visa. (Lapponia et Suecica et Norvegica.)

Habitus et structura partium ut in *Chrysomela collari*, a qua tamen praeter colorem alium differt etiam magnitudine paullo minori, punctura elytrorum subtiliori, ut et scutello semper laevissimo, aequali, nec ut in *Chrysomela collari* foveola triangulari impresso. Caput virescenti-caeruleum, punctulatum. Antennae nigrae, basi fere ad medium ferrugineae. Thorax viridi-caeruleus, laevis l. punctis paucioribus minutis in disco sparsis, lateribus incrassatis punctatis, aut luteis (in var. a.), aut flavis (in var. b.), puncto semper nigro. Scutellum triangulare, laevissimum. Elytra aut virescenti-caerulea, aut caeruleo-violacea, subtiliter transversim strigulosa, confertissime sed non profunde punctata. Corpus nigro-caerulescens. Pedes luteo-ferruginei, geniculis tarsisque nigris.

*Chrysomela collaris* varietas „*pedibus rarius rufescentibus*" Payk. Fn. Sv. 2. 58. 10. Descript. potius forsitan ut junior et nuper e pupa declarata *Chrysomela collaris* genuina putanda

quam ut Synonymon ad nostram referri debet, nisi Auctor Ill. ipsam e Lapponia obtinuerit. Cum non plures notae allatae sint, dubia mihi videtur haec PAYKULLI varietas.

**7. C. lapponica**: oblongo-ovata, viridi-aenea, elytris amplis crebre evidenter punctatis, signaturis varie flexuosis testaceis, thorace parvo laevi, lateribus incrassatis rugoso-punctatis. ♂♀. (Long. 1½—2 lin.)

Var. a. ♂♀. in copula, copiose. Viridi-aenea, antennarum basi, tibiis, elytrorumque margine laterali, fascia media undulata arcubusque baseos et apicis rufo-testaceis.

LINN. Fn. Sv. 526. FABR. Eleut. 1. 437. 95. PANZ. Fn. 23. f. 13. SCHÖNH. Syn. 2. 258. 103. GYLL. Ins. Sv. 3. 463. 12. DEJ. Catal. p. 123. ZETT. Fn. Lapp. 1. 415. 6. a. ♂♀.

Var. b. ♀. simillima varietati a., arcu baseos fasciaque media connexis; ex hac varietate forte non nisi feminas vidi, ut ex magnitudine majori concludere licet. Haec varietas in copula cum var. d. ad Lycksele d. 5. Jun. capta.

ZETT. l. c. var. b. ♀.

Var. c. ♂♀. freq. simillima varietati a., arcu baseos fasciaque media interruptis.

GYLL. l. c. var. b? ZETT. l. c. var. c. ♂♀.

Var. d. ♂. rarius, similis iterum varietatibus praecedentibus, sed elytris caeruleis vel caeruleo-nigricantibus, margine laterali interrupte punctoque uno alterove disci rufescentibus. Fasciae et arcus in hac varietate valde abrupta, relictis tantum hinc inde punctis quibusdam. Ex hac non nisi individua minoris magnitudinis inveni, unde ea fuisse mares conjicio. Varietas haec ut d. saepe quoque cum varietate b. ut ♀ in copula juncta deprehenditur.

GYLL. l. c. var. c. SCHÖNH. l. c. var. b. ZETT. l. c. var. d. ♂.

Var. e. ♂♀. similis varietatibus c. et d.; sed tibiis etiam aeneis. Varietatem hanc jam ut marem, jam ut feminam cum varie atibus prioribus copulatam saepe deprehendi.

Var. f. ♂♀. similis var. a., sed tibiis aeneis. Lycksele freq.

Hab. in variis Salicis speciebus locis praesertim montosis et subalpinis, in omnibus Lapponiae Suecicis et per omnes partes vulgatissima, et passim copiose, mense inprimis Jul.; adscendit usque ad alpes, et in summo alpium jugo in nive ambulantem, praesertim varietatem b. vidi. In monte Altavaara prope Juckasjervi Lapponiae Tornensis, frutices Salicis glaucae initio mensis Julii tanta copia individuorum hujus speciei tectas observavi, ut neque ramuli neque folia distingui possent. Var. a. et c. etiam e districtu boreali Trondhiem Lapponiae Norvegicae a D. BOHEMAN 10. Jun. captae mecum communicatae. Sed de cetero varietates a. et b. plerumque in Lapponiis borealibus, varietates vero c. d. e. f. in Lapponiis meridionalibus magis vulgares observavi. *Chrysomela collari* saepe duplo major, praesertim femina. (Lapponia. — Botnia occidentalis pass.)

**8. C. cuprea**: ovata, viridi-aenea, elytris magnis gibbosis, creberrime punctatis cupreis, basi plicatis, abdominis margine rufescente, thorace parvo, lateribus incrassato. (Long. 1½—2¼ lin.)

FABR. Eleut. 1. 432. 61. PANZ. Fn. 25. f. 8. SCHÖNH. Syn. 2. 248. 66. GYLL. Ins. Sv. 3. 464. 13. DEJ. Catal. p. 123. ZETT. Fn. Lapp. 1. 416. 7.

Hab. in foliis Salicis Lapponiae borealis forte rarissime, non nisi ad Muonioniska mense Aug. parce vidi; sed in Salice caprea inter Vordahl et Vorbord in districtu Trondhiem borealis Norvegiae d. 10. Jun. a D. BOHEM. haud infrequenter visa. Statura sequentis, sed plerumque dimidio major. (Lapponia-Suecia; Jemtlandia ad Skaltjernstugan 29. Maj. etc. rar.)

**9. C. aenea**: ovata creberrime punctulata, supra viridis, nitidissima, subtus aenea obscurior, ano ferrugineo, thoracis lateribus non incrassatis. ♂♀. (Long. 1¾—2 lin.)

Var. a. viridi-aenea.

LINN. Fn. Sv. 510 FABR. Eleut. 1. 444. 133. PANZ. Fn. 25. f 9. SCHÖNH. Syn. 2. 248. 67. GYLL. Ins. Sv. 3. 467. 15. DEJ. Catal. p. 123. ZETT. Fn. Lapp. 1. 416. 8. a. ♂♀.

Var. b. caeruleo-violacea l. caerulescens tota, ano rufescente.

ZETT. et GYLL. l. c. var. b.

Hab. in fruticibus Alni, cujus folia consumit, libenter in vicinitate paludum, in Lapponia mens. Aug. et Sept. pass. Varietates a. et b. in copula saepe promiscue captae. Priori paullo minor. (Lappon.-Scan. freq.)

**10. C. Graminis**: oblongo-ovata, convexa, crebre evidenter punctata, aureo-viridis nitidissima, caeruleo-micans, antennis extrorsum nigro-fuscis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.)

LINN. Fn. Sv. 509. FABR. Eleut. 1. 440. 109. SCHÖNH. Syn. 2. 247. 63. GYLL. Ins. Sv. 3. 468. 16. DEJ. Catal. p. 122. ZETT. Fn. Lapp. 1. 417. 9. ♂♀.

Var. b. splendidior, viridi-aurea, sutura viridi.

GYLL. l. c. var. c.

Var. c. ♂♀. in copula, viridis, caeruleo-variegata.

GYLL. Ins. Sv. 4. App. 647. 16. var. d. forte.

Hab. in graminosis Lapponiae sylvaticae borealis tempore vernali passim; sub lapidibus vero locis aridis arenosis ad Eckornselet, Lycksele et Stensele, Lapponiae meridionalis, 29. Maj.—3. Jul. omnes varietates frequenter vidi; in copula capta. Inter majores, *Chrysomela lapponica* plerumque paullo major. (Lapp.-Scan. freq.)

**11. C. fastuosa**: ovata, convexa, evidenter et parcius punctata, viridi-aurea, nitidissima, caerulescenti-micans, elytrorum sutura vittaque media abbreviata saturate caeruleis, antennis basi ferrugineis. ♂♀. (Long. 1¼—1¾ lin.)

LINN. Syst. Nat. 2. 588. 18. FABR. Eleut. 1. 440. 109. PANZ. Fn. 44. f. 12. SCHÖNH. Syn. 2. 260. 118. GYLL. Ins. Sv. 3. 470. 17. DEJ. Catal. p. 123. ZETT. Fn. Lapp. 1. 417. 10. a. ♂♀.

Var. b. elytris aureis, splendentibus, sutura anguste, vittaque media abbreviata caeruleis.

ZETT. et SCHÖNH. l. c. var. b. *Chrysomela speciosa* LINN. Syst. Nat. 2. 588. 19. FABR. Eleut. 1. 441. 112. forte.

Var. c. *pusilla*; similis var. b. sed triplo fere minor.

Hab. in plantis humilibus Lapponiae borealis per partem sylvaticam mens. Majo — Aug. passim; in Lapponia meridionali cum specie praecedente freq., sed var. c. tantum ad novaccolum Naestansjö Lappon. Umensis d. 13. Jul. rariss. visa; in copula. Praecedente triplo fere minor. (Lapp.-Scan. praesertim in Lamio albo freq.)

**12. C. Polygoni**: oblongo-ovata, confertissime punctulata, virescenti-caerulea, antennis nigris, basi, thorace, ano pedibusque rufo-ferrugineis, tarsis nigris. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

Var. a. ♂♀. elytris caerulescentibus.

LINN. Fn. Sv. 520. FABR. Eleut. 1. 439. 102. SCHÖNH. Syn. 2. 258. 111. GYLL. Ins. Sv. 3. 474. 20. DEJ. Catal. p. 124. ZETT. Fn. Lapp. 1. 418. 11. a. ♂♀. An *Galleruca ruficollis* FABR. Eleut. 1. 479. 6. eadem? ut voluit D. ILLIG.

Var. b. ♂♀. elytris virescentibus.

ZETT. l. c. var. b.

Hab. in campis, in plantis humilibus Lapponiae et borealis et meridionalis, mens. Maj. — Aug. passim, var. a. et b. in copula saepe mixtae. Parva, priori iterum fere triplo minor. Sed feminae ovis gravidae mense Julio valde intumescunt, ut abdomine maximo deformes evadant. (Lapp.-Scan. praesertim in Polygono aviculari freq.)

**13. C. Raphani**: oblongo-ovata nitida, supra viridi-aurea confertissime punctata, subtus caerulea, thorace antice vix emarginato, fronte sulcata. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

SCHÖNH. Syn. 2. 245. 51. GYLL. Ins. Sv. 3. 472. 19.

Hab. in Lapponia meridionali, passim; ad Lycksele d. 25. Jun. ♂ inventa; sed in Rumice juxta domum Sacerdotis in Wilhelmina uterque sexus 16. Jul. haud infrequenter observatus. (Lapp.-Scan. pass. copiose.)

**14. C. varians**: suborbicularis, convexa, metallica, antennis nigris, thorace mediocri, margine parum incrassato, disco subtiliter, elytrisque creberrime evidentius punctatis. ♂♀. (Long. 1¼, fere 1½ lin.)

Var. a. plerumque ♂. aeneo-virescens, pectore abdomineque caerulescentibus.

FABR. Eleut. 1. 433. 64. PANZ. Fn. 44. f. 9. SCHÖNH. Syn. 2. 249. 70. GYLL. Ins. Sv. 3. 471. 18. DEJ. Catal. p. 122. ZETT. Fn. Lapp. 1. 418. 12. a. ♂♀.

Var. b. plerumque ♀. tota caerulescens.

GYLL. l. c. var. d. ZETT. l. c. var. b. ♀.

Hab. in Nordlandia Norvegica rarius, in copula capta, var. a. saepius ut mas. Media, *Chrys. fastuosae* subaequalis, brevior, rotundata. (Lapp.-Scan. praesertim in Hypericis, ubi plures varietates colore insignes frequenter occurrunt.)

**15. C. Armoraciae**: suborbicularis, convexa, caeruleo-virescens, subtus nigricans, antennis nigris inferne ferrugineis, thorace parvo, brevissimo, sublaevi, elytris basi plicatis. ♂♀. (Long. 1—1⅓ lin.)

Var. a. elytris virescenti-caeruleis.

LINN. Fn. Sv. 515. FABR. Eleut. 1. 445. 136. PAYK. Fn. 2. 60. 13. PANZ. Fn. 44. f. 14. SCHÖNH. Syn. 2. 268. 143. GYLL. Ins. Sv. 3. 474. 21. DEJ. Catal. p. 124. ZETT. Fn. Lapp. 1. 418. 13. a.

Var. b. elytris violaceo-caeruleis.

PAYK. l. c. var. ZETT. l. c. var. b.

Var. c. supra aut cupreo-aenea, aut violacea.

Hab. in Salicibus Lapponiae borealis passim; ad Kengis d. 23. Aug. individua nuper exclusa et mollia ex utraque varietate copiose vidi. Sed in Lapponiae meridionalis Salicibus frequentius occurrit, ibique ad Lycksele et Badstutraesk omnes varietates, promiscue copulantes, 6–29. Jun. inveni. Priori duplo minor, *Chrysomela Cochleariae* parum major, minus convexa. (Lapp.-Ostrogoth. rar.)

## *Sect.* 2. *Elytris regulariter punctato-striatis.* (*Ferrugineae pictura variabili, rarius metallicae.*)

**16. C. Cochleariae**: breviter ovata viridi-caerulea, subtus nigricans, ani margine testaceo, elytris subtilissime punctato-striatis, humeris gibbis. ♂♀. (Long. ¾–1 lin. et ultra.)

Var. a. ♂♀. supra virescenti-caerulea.

Fabr. Eleut. 1. 445. 137. Panz. Fn. 44. f. 15. Schönh. Syn. 2. 268. 144. Gyll. Ins. Sv. 3. 479. 25. Dej. Catal. p. 124. Zett. Fn. Lapp. 1. 419. 14. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. in copula; saepe paullo minor, magis rotundata, supra splendida, aut (plerumque) viridi-aurata aut cuprea, subtus obscure aenea, thorace jam laeviusculo, jam punctulato; in ceteris varietati a., simillima, vix specie diversa, sed tantum varietas elegantior, licet colores obscuri ad splendidos raro in climate austero mutari soleant.

Zett. l. c. var. b. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. App. 648. 25. var. d.

Hab. in plantis paludosis, in Lapponia passim; var. a. ubique occurrit in Lapponiis Suecicis Jun., nec non in littore maris ad Evenäs Nordlandiae 17. Jul.; at var. b. non nisi in Lapponia Tornensi ac praecipue in ripa arenosa ad Juckasjervi mens. Jun. Jul. copiose, ut et in plantis paludosis ad Lycksele Lapponiae Umensis 16. Jun. frequenter vidi, in copula saepe capta, nunquam vero cum varietate a. (Lapp. - Scan. var. a. freq.)

Parva, *Chrysom. Polygoni* minor, brevior. Varietates caerulescenti-violaceas in Lapponia non inveni. — *Chrys. egena*, qualis a D. Erichson. e Berolin. missa, a nostra var. a. *Chrys. Cochleariae* vix differre videtur.

**17. C. viminalis**: oblongo-ovata, obtusa, nigra, supra varicolor, antennarum basi anoque testaceis, thorace disco subtiliter, intra latera profunde punctato, elytris punctato-striatis, interstitiis punctulatis. ♂♀. (Long. 1½— fere 2 lin.)

Var. a. thorace rufo, punctis baseos duobus nigris, elytris rufis immaculatis.

Linn. Fn. Sv. 524. Fabr. Eleut. 1. 436. 83. Schönh. Syn. 2. 254. 93. Gyll. Ins. Sv. 3. 487. 30. var. Dej. Catal. p. 123. var. Zett. Fn. Lapp. 1. 420. 15. a. ♂♀.

Var. b. thorace rufo, plaga magna antescutellari nigra, elytris rufis basi parce nigro-maculatis.

Gyll. l. c. var. f. Zett. l. c. var. b.

Var. c. ♂♀. in copula; thorace ut in var. b. elytris rufis, singulo maculis quinque nigris distinctis notato.

Gyll. l. c. var. g Schönh. l. c. var. β. Zett. l. c. var. c. *Chrysom. 10-punctata* Linn. Fn. Sv. 525. Fabr. El. 1. 436. 86. Panz. Fn. 100. f. 7.

Var. d. tota nigra, antennis inferne anoque rufis.

Gyll. l. c. var. l. Schönh. l. c. var. f. Zett. l. c. var. d. *Chrysom. haemorrhoidalis* Linn. Fn. Sv. 508. Fabr. El. 1. 444. 131. Panz. Fn. 78. f. 7.

Var. e. similis var. c. sed maculae elytrorum nigrae majores, confluentes.

Gyll. l. c. var. h.

Hab. in Lapponiae Tornensis Salicibus mens. Jun.—Aug. passim; var. b. ad Wittangi et Muonioniska mihi praesertim obvia; varietatem d. ut Lapponiae incolam tantum in collectionibus borealibus vidi. Var. a. et b. quoque in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele et Stensele, haud infrequenter visa, sed var. e. tantum e Lapponia Tornensi a D. Frigelio mihi missa. Media, *Chrysom. collaris* fere magnitudine. (Lapp.-Scania, ubi adhuc plures varietates vario modo pictae occurrunt.)

**18. C. affinis**: oblongo-ovata, obtusa nigra, antennis inferne ferrugineis, elytris varicoloribus, punctato-striatis, interstitiis laevibus, thorace disco subtilissime, versus latera profunde punctato. ((Long. 1½–1¾ lin.)

Var. a. elytris rufo-testaceis, singulo maculis quinque nigris.

Gyll. Ins. Sv. 3. 485. 28. var. a. Schönh. Syn. 2. 257. 99. var. γ. Dej. Catal. p. 123. Zett. Fn. Lapp. 1. 421. 16. a. ♂♀. *Chrysom. dispar* Payk. Fn. 2. 67. 20. var. δ.

Var. b. elytris rufo-testaceis, singulo maculis quatuor nigris.

Zett. et Gyll. l. c. var. b. Schönh. l. c. var. δ.

Var. c. elytris ut in varietate a., at maculis duabus l. tribus posterioribus dilatatis confluentibus maculam unam magnam posteriorem nigram in singulo formantibus.

Zett. l. c. var. c. Gyll. l. c. P. 4. 649. 28. var. e.

Var. d. elytris ut in var. a., thoracis lateribus tibiisque rufescentibus.

Gyll. l. c. P. 3. var. c. Schönh. l. c. var. β. Zett. l. c. var. d.

Var. e. elytris ut in var. b., thoracis lateribus tibiisque rufescentibus.

Gyll l. c. var. d. Schönh. l. c. var. ae. *Chrysom. dispar* Payk. l. c. var. γ? Zett. l. c. var. e.

Var. f. tota nigra, antennarum basi, elytrorum margine inflexo, tibiis tarsisque ferrugineo-testaceis.

Zett. l. c. var. f.

Var. g. tota nigra, antennarum basi, elytrorum margine inflexo, tarsisque ferrugineis.

Zett. l. c. var. g.

Var. h. tota nigra, antennarum basi, elytrorumque margine inflexo piceo-ferrugineis.

Zett. l. c. var. h.

Var. i. tota nigra, antennarum basi elytrorumque limbo anguste, apicali late, ferrugineis.

Var. k. thoracis lateribus late pallidis, elytris macula tantum unica interiore nigra, rarius altera humerali.

Gyll. l. c. P. 4. 649. 28. var. f.

Var. l. tota nigra, antennarum basi sola testacea.

Gyll. l. c. var. g.

Hab. in foliis Salicum Lapponiae mens. Jul. — Aug. vulgaris; varietates a. et b., a Lapponia inferiori sylvatica Sueciae usque ad summum alpium jugum, ut et in Nordlandia Norvegica boreali, ex. gr. ad Finkrog in Reenoe, sat copiose occurrunt; nec non in alpibus summis Dowreensibus a D. Boheman captae; var. c. in jugo rarius; et var. f. solummodo ad Alteidet Finmarkiae rarissime a me visa; var. g. et h. iterum in regione nivali et in summo alpium jugo frequenter obviae, in alpes minores Sueciae, ex. gr. Brattiksfjell descendentes; var. d. et e. (var c. et d. Gyllenhal) a me non nisi ad Umenaes, et a D. Boheman in Dowre lectae; varietates i. k. l. tandem in summitate alpium Dowre deprehensae. Media, magnitudine et statura fere *Chrys. pallidae*. (Lapp.-Suecia borealis; Finlandia pass.)

**19. C. rufipes**: oblongo-ovata, obtusa, nigra, ore, antennis, pedibus, thorace elytrisque rufis, thorace disco subtiliter, versus latera profunde punctato, macula antescutellari lata didyma nigra, elytris singulo nigro-subquinque maculato, punctato-striatis, interstitiis obsolete punctulatis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.)

Payk. Fn. 2. 69. 22. Schönh. Syn. 2. 254. 92. Gyll. Ins. Sv. 3. 486. 29. Zett. Fn. Lapp. 1. 422. 17. ♂♀. *Chrysom. 10-punctata* Dej. Catal. p. 123. (exclus. Synon. Fabricii, si Paykulli verum est.)

Hab. in Lapponia rarius. Media, praecedente paullo major, sequenti aequalis. (Lappon.-Ostrogothia; Scania?)

**20. C. pallida**: oblongo-ovata, obtusa, varicolor, thorace toto profunde punctato, elytris evidenter punctato-striatis, interstitiis laevibus. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.)

Var. a. ♂♀. (♂. etiam in copula cum var. b.) tota flavo-testacea, oculis solum nigris.

Linn. Fn. Sv. 521. Fabr. Eleut. 1. 437. 90. Panz. Fn. 78. f. 4. Dej. Catal. p. 123. Zett. Fn. Lapp. 1. 422. 18. a. ♂♀. *Chrysomela dispar* Payk. Fn. 2. 66. 20. Schönh. Syn. 2. 256. 98. Gyll. Ins. Sv. 3. 482. 27.

Var. b. ♀. rufo-testacea, pectore abdomineque nigricantibus; in copula cum f.

Zett. et Gyll. l. c. var. b.

Var. c. rufo-testacea, elytris nigro-maculatis.

Zett. et Gyll. l. c. var. c. Payk. et Schönh. l. c. var. b.

Var. d. ♂♀. (♂. etiam in copula cum variet. f.) aut flavo- aut rufo-testacea, elytrorum dorso macula cordiformi communi, pectore abdomineque nigris.

Zett. l. c. var. d. ♂♀.

Var. e. ♂♀. rufo-testacea l. flava, elytrorum macula postica communi, margine omni erosa, jam minori rotundata, jam magna dilatata fasciformi, aut altius in disco versus basin elytrorum adsurgente; raro integra, plerumque varie discreta et a maculis pluribus irregularibus quasi composita.

Zett. l. c. var. e.

Var. f. ♂. rufo-testacea, thorace magis l. minus nigro-brunneo, pectore abdomineque nigris, elytris aut immaculatis aut macula media communi cordiformi notatis, freq. in cop. cum b.

GYLL. l. c. var. e. ZETT. l. c. var. f.
Var. g. nigra, capite l. saltem ore, antennis, thoracis antico et lateribus, elytrorum maculis variis, pedibusque testaceis.
GYLL. l. c. var f. ZETT. l. c. var. g.
Var. h. nigro-brunnea, capite l. saltem ore, antennis, elytrorum margine inflexo, pedibusque testaceis.
GYLL. l. c. var. g. ZETT. l. c. var. h.
Var. i. nigra, capite, antennis, genubus tarsisque testaceis.
GYLL. l. c. var. h. ZETT. l. c. var. i.
Var. k. nigra, ore, antennarum basi, genubus tarsisque testaceis.
GYLL. l. c. var. i. ZETT. l. c. var. k.
Hab. in foliis et floribus Salicum, praesertim Salicis glaucae, mens. Julio, in Lapponia vulgaris; varietates a — f. per totam Lapponiam sylvaticam ut et in inferalpinis Nordlandiae frequentissime occurrunt, in summum alpium jugum parce adscendentes, ibique vix nisi varietas d. frequenter occurrens; in ipsa nive interdum ambulans; varietates g—k. in Nordlandia Norvegica et Dowre praecipue leguntur, et a me ad Lyngen, Tromsoe et Alteidet haud raro visae. In alpe Brattiksfjell, Lapponiae Suecicae meridionalis, omnes varietates frequenter legi, et exinde varietates pallidiores, a — e., in partem sylvaticam ejusdem Lapponiae, ex. gr. ad Umenaes, Wilhelmina et Stensele descendere observavi; varietatibus nigris f — k. in summitate montis in Salice lanata, juxta nivem se attollente, manentibus. E varietate a. plures pupas virides in quisquiliis juxta radicem Sorbi Aucupariae ad Wilhelmina d. 20. Jul. quoque inveni, d. 24. sequent. Aug. excludendas. (Lapponia. — Botnia var. a—k.; Scania var. a—c. freq.)

Tibiae ad apicem extus dentatae ut in speciebus proxime praecedentibus. *Chrysomela viminali* paullo minor, angustior. Nomen triviale: *pallida*, huic speciei a LINNAEO primum additum et, PAYKULLII recentiorumque nomine: *dispar*, abjecto, ab Illustri nostri aevi Entomologo DEJEAN iterum receptum servavi, ei legi religiose addictus, nomina *primaria* et praesertim Linnaeana non nisi caute et summa necessitate urgente esse mutanda, ne Synonymia in infinitum augeatur.

**21. C. marginata**: oblongo-ovata obtusa, virescenti nigra, antennis inferne piceis, elytris irregulariter punctato-striatis, fusco-aeneis, margine laterali flavescente, alis rufescentibus, thorace sublaevi, lateribus subincrassato. ♂♀. (Long. 1½—2 lin.)
Var. a. ♂. elytris nitidis, striis obsoletis confusis, interstitiis parce vage punctulatis; certe mas.
Var. b. ♀. elytris minus nitidis, subopacis, striis profundioribus distinctioribus, per paria subapproximatis, interstitiis subelevatis, coriaceis; duplo fere major, certe femina ejusdem speciei, in copula capta.
LINN. Fn. Sv. 530 FABR. Eleut. 1. 441. 116. PANZ. Fn. 16. f. 11. SCHÖNH. Syn. 2. 263. 125. GYLL. Ins. Sv. 3. 401. 31. DEJ. Catal. p. 122. ZETT. Fn. Lapp. 1. 424. 19. a et b.
Hab. sub lapidibus in campis et pratis aridis mens. Jun. — Jul. in Lapponia Suecica vulgaris, ad Wittangi, Juckasjervi, Muonioniska et Karesuando frequenter visa; nec non ad Lycksele d. 6. Jun. — 12. Aug., in copula saepe capta, var. a. semper ut ♂, et var. b. ut ♀. occurrit etiam in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, et ad Björkvik, Talvig et Alteidet a me lecta; media, *Chrys. viminali* subaequalis. (Lapp.-Scan. freq.)

**22. C. marginella**: oblonga, nigro-caerulescens l. virescens, thoracis punctati lateribus incrassatis elytrorumque regulariter punctato-striatorum margine exteriore late luteis. ♂♀. (Long. 1¼ fere 1½ lin.)
Var. a. ♂♀. in copula (♂. etiam saepe in copula cum var. b.) vitta abbreviata lutea in apice elytrorum nulla.
LINN. Fn. Sv. 531. FABR. Eleut. 1. 442. 122. PANZ. Fn. 16. f. 15. SCHÖNH. Syn. 2. 264. 130. GYLL. Ins. Sv. 3. 495. 34. DEJ. Catal. p. 124. ZETT. Fn. Lapp. 1. 425. 20. a. ♂♀.
Var. b. ♂♀. in copula; vitta abbreviata lutea in apice elytrorum juxta suturam, cum flavedine marginis connexa.
ZETT., GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. b.
Hab. in plantis paludosis passim, mihi in Lapponia boreali verno tempore praesertim obvia, ad Lycksele et Stensele, Lapponiae Umensis, 24. Jun. — 3. Jul. frequenter, praesertim var. a. Longitudo *Chrysomelae Polygoni*, sed angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

**23. C. Vitellinae**: ovato-oblonga, parum convexa, viridiaenea vel caerulescens, antennis inferne anique margine rufescentibus, thorace subtiliter punctulato, elytris tenuiter, dorso regulariter punctato-striatis, basi plicatis. ♂♀. (Long. 1¼-1½ lin.)
Var. a. ♂♀. supra viridi-aenea.
LINN. Fn. Sv. 519. SCHÖNH. Syn. 2. 266. 138. GYLL. Ins. Sv. 3. 497. 35. DEJ. Catal. p. 124. ZETT. Fn. Lapp. 1. 425. 21. a. ♂♀. *Galleruca Vitellinae* FABR. Eleut. 1. 487. 49. PANZ. Fn. 44. f 16.
Var. b. ♂♀. supra cupreo- aut obscurius olivaceo-aenea, freq.
ZETT. et GYLL. l. c. var. b.
Var. c. supra nigra, subtus nigro-aenea.
ZETT., GYLL. et SCHÖNH. l. c. var. c.
Var. d. ♂♀. in copula; tota caerulea.
ZETT. et GYLL l. c. var. d. FABR. et SCHÖNH. l. c. var. b. *Chrysom. vulgatissima* LINN. Fn. Sv. 517. *Galleruca Betulae* PANZ. Fn. 102. f. 4.
Var. e. supra nigro-violacea, subtus obscure aenea, antennarum basi tarsisque ferrugineis, rar.
ZETT. l. c. var. e.
Hab. in truncis et sub cortice Pini abietis ac sylvestris, nec non Salicis, Populi et Betulae, ut et in foliis Salicum, per totam Lapponiam mens. Jun. — Jul. vulgatissima, praesertim var. b.; adscendit usque ad regionem nivalem et sub cortice Betulae albae arborum solitariarum, quae in summo alpium Tornensium jugo (Fjellryggen) a Lapponibus derelictae hinc inde e nive surgunt, copiosissimam vidi d. 12. Jul. ex omni varietate una cum larvis et pupis; descendit iterum latere norvegico in regionem subalpinam Nordlandiae, et ad Tromsoe et Giebostad frequenter lecta; varietates a—d. alia vice in alpe Brattiksfjell, regione subalpina, quoque sat copiose vidi, et exinde varietates b. et d. ad Betuletas Umenenses et Lyckselenses descendere vidi; sed varietas e. tantum in ipso jugo a me inventa. — Inter minores sui generis, praecedente tamen paullo major. (Lapp.-Scan. var. a—d. freq.)

---

## 149. Helodes.

FABR. Eleut. 82. SCHÖNH. GYLL. DEJ. *Prasocuris* LATR.

*Corpus* parvum, elongato-sublineare, nitidum, glabrum. Antennae articulis 5 ultimis clavam elongatam fere efficientibus; clavae hujus articulis 4 primis semiglobosis. Thorax quadratus. *Color* metallicus, aeneus, pictura flavo-vittata. *Motus* segnis. *Habitatio* in plantis aquaticis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externa nulla, nisi magnitudinem minorem et tarsos anticos paullo magis dilatatos in mare provocare velis. (Spec. Scand. 2.)

**1. H. Phellandrii**: nigro-aenea, thoracis punctati lateribus sinuatim, elytrorum punctato-striatorum margine exteriori vittaque dorsali, femorum basi tibiisque, flavo-testaceis. ♂♀. (Long. 1½-2 lin.)
FABR. Eleut. 1. 469. 1. SCHÖNH. Syn. 2. 277. 1. GYLL. Ins. Sv. 3. 499. 1. DEJ. Catal. p. 124. ZETT. Fn. Lapp. 1. 427. 1. ♂♀. *Chrysomela Phellandrii* LINN. Fn. Sv. 569. *Crioceris Phellandrii* PANZ Fn. 83. f. 9.
Hab. in Lapponiae plantis aquaticis rarius. Collect. D. KOLSTRÖM. (Lappon.-Scan. freq.)

---

# FAM. 31. EROTYLENAE LATR. GYLL.*)

## 150. Phalacrus.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 334. SCHÖNH. DEJ. *Sphaeridium* FABR.

*Corpus* minutum, hemisphaerico-ovatum, glabrum, laeve, nitidum, in globum non contractile. Antennarum clava oblonga, triarticulata. Thorax arcuatim convexus, angulis acutis. Pedes compressi. *Color* niger. *Motus* celerrimus. *Habitatio* in floribus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externe nulla. (Spec. Scand. 9.)

**1. Ph. corruscus**: rotundato-hemisphaericus niger nitidissimus, elytris laevibus, stria suturali unica impunctata, profundiori impressa, antennarum articulo ultimo elongato, acuminato. ♂♀. (Long. ¾—1 lin.)

---

*) *Triplax* in Familia 9. *Nitidulariarum* juxta *Engidem* quaerenda.

PAYK. Fn. 3. 438. 1. SCHÖNH. Syn. 1. 108. 1. GYLL. Ins. Sv. 3. 427. 1. (exclus. forte FABRICII Synon. Sphaeridii fimetarii.) DEJ. Catal. p. 129. ZETT. Fn. Lapp. 1. 428. 1. ♂♀.

Hab. in floribus et sub cortice arborum, ubi hibernat, nunquam in stercoratis, in Lapponia mitiori rarius, in copula captus. Magnitudo *Sphaeridii haemorrhoidalis*. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. Ph. Millefolii**: rotundato-hemisphaericus niger nitidissimus, elytris regulariter obsolete punctato-striatis, antennarum articulo ultimo crassiori, obtuso. ♂♀. (Long. 1—$\frac{3}{4}$ lin.)

GYLL. Ins Sv. 4. 641. 2. SCHÖNH. Syn. 1. 109. 5. PANZ. Fn 103. f. 5. *Ph. substriatus* ZETT. Fn. Lapp. 1. 428. 2.

Hab. in floribus Lapponiae borealis passim, meridionalis ad Naestansjö et Withelmina 13—20. Jul. frequentius, in copula captus; in ripa ad flumen Råneå Botniae borealis d. 10. Maj. copiose a me observatus. Praecedente duplo minor. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rar. sub nomine *Ph. Millefolii* PAYK. eundem a D. KUNZE e Lipsia habeo.)

**3. Ph. bicolor**: oblongo-ovatus nitidissimus niger, subtus rufo-piceus, antennis pedibusque rufo-flavis, elytro singulo juxta suturam bistriato, macula ante apicem ferruginea. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.)

SCHÖNH. Syn. 1. 109. 3. GYLL. Ins. Sv. 3. 431. 6. PANZ. Fn. 103. f. 4.

Hab. in Lapponia meridionali ad Naestansjö 13. Jul. rar. (Lappon.-Scan. freq.)

**4. Ph. flavicornis**: oblongo-ovatus nitidissimus niger, subtus rufus, antennis pedibusque flavis, elytris immaculatis, singulo juxta suturam bistriato. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.)

STURM. Fn. 2. 78. 6. T. 31. f. 6. B. *Ph. bicolor* GYLL. Ins. Sv. 4. App. 641. 6. var. c.

Hab. in Lapponiae meridionalis floribus pratensibus, uti Leontodonte etc. pass. ad Lycksele et Fredrica 10. Jun. — 15. Aug. captus. Elytra certo situ tenuissime multistriata et apice immaculata. De cetero priori simillimus. (Lapponia; Suecia rariss.)

**5. Ph. multistriatus**: oblongo-ovatus nitidissimus niger supra aenescenti-niger, elytris totis tenuiter punctato-striatis. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in Paroecia Fredrica semel captus. (Lapponia Umensis.)

Simillimus *Ph. aeneo* GYLL., sed paullo minor, supra minus aeneo-micans, subtus cum pedibus niger, nec piceus, elytrisque in singulo striis 4-5 tenuibus praeditis distinctus.

*Obs. Phal. aeneus*: virescenti-aeneus, subtus piceus, elytris bistriatis, magnitudine medius, in floribus Sueciae interioris frequentissimus, in Lapponia a me frustra quaesitus.

---

# IV. TRIMERA.

---

## FAM. 32. COCCINELLIDAE. LATR.

### 151. Coccinella.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 341. FABR. DEJ.

*Corpus* raro mediae, saepius minoris magnitudinis, interdum parvum, semper rotundatum, subhemisphaericum, subtilissime punctulatum, glabrum, nitidiusculum. Antennae thorace breviores, clava compresso-obconica. Thorax transversus, elytris postice etiam angustior. Elytra subtilissime vage punctulata. *Color* niger, ruber, flavus, pantherinus; pictura saepe punctata aut subfasciata. *Motus* tardus; interdum volatus haud celer. *Habitatio* in foliis plantarum et fruticum, praesertim Salicis, vulgariter, at nullibi copiose; per partem sylvaticam et subsylvaticam Lapponiae, et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque; Aphides devastans, quas inquirendo sursum et deorsum in ramis arborum cursitat. *Differentia sexus* externe nulla. (Spec. Scand. 40, Sectionis primae PAYKULLII remotis et ad *Scymnum* etc. relatis.)

*Sect.* 1. *Corpus suborbiculare, aut breviter ovatum.*

*Subdiv.* 1. thorace antice emarginato.

**1. C. ocellata**: nigra, verticis punctis duobus, thoracisque margine antico, maculis lateralibus duabusque antescutellaribus, flavis, elytris luteis, punctis 15 nigris flavo-cinctis, tibiis tarsisque rufis. (Long. 2-3 lin.)

LINN. Fn. Sv. 484. PAYK. Fn. 2. 13. 13. FABR. Eleut. 1. 370. 80. SCHÖNH. Syn. 2. 182. 88. DEJ. Catal. p. 130. ZETT. Fn. Lapp. 1. 429. 1. GYLL. Ins. Sv. 4. 148. 4.

Hab. in Lapponia boreali, Collect. D. PORTIN; mihi non nisi in Pino sylvestri ad Lycksele-avan, Lapponiae meridionalis, die 20. Jun. rarissime, obvia. Magna in suo genere. (Lappon.-Ostrogoth freq.-Smolandia pass.)

**2. C. septempunctata**: nigra, verticis maculis duabus thoracisque angulis anticis quadrato-albidis, elytris rubris, punctis 7 nigris, scutellari communi. ♂♀. (major. Long. 2—2½ lin.)

LINN. Fn. Sv. 477. PAYK. Fn Sv. 2. 15. 15. FABR. Eleut. 1. 364. 52. SCHÖNH. Syn. 2. 172. 56. DEJ. Catal. p. 130. ZETT. Fn. Lapp. 1. 430. 2. GYLL. Ins. Sv. 4. 163. 16.

Var. b. elytris punctis 9, humerali nempe parvo adjecto. GYLL. l c. var. b.

Hab. in campis et in foliis Salicum et Pinuum, per partem sylvaticam Lapponiarum omnium, mens. Jun. — Sept. freq.; var. b. tantum ad Stensele Lappon. Umensis 3. Jul. lecta; in copula. — Notissima. (Lapp.-Scania vulgatissima.)

**3. C. intermedia**: verticis maculis 2, thoracisque angulis anticis, quadrato-albidis, elytris rubris, punctis 9 nigris, scutellari communi. (Media; long. 1¾ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; inter Degernfors et Lycksele d. 30. Maj. 1832 inventa. (Lapponia meridional.)

Priori minor, punctura elytrorum et crebriori et profundiori, ut et punctis nigris 1. 2. 2., vere distincta. A sequente, cui etiam similis et affinis, magnitudine fere duplo majori, statura oblongiori, punctorumque numero et situ mox differt.

**4. C. quinque-punctata**: nigra, verticis maculis duabus thoracisque angulis anticis quadrato-albidis, elytris rubris, punctis 5 nigris, scutellari communi. ♂♀. (minor, Long. 1½ lin.)

LINN. Fn. Sv. 474. PAYK. Fn. 2. 16. 16. FABR. Eleut. 1. 363. 47. SCHÖNH. Syn. 2. 171. 54. DEJ. Catal. p. 130. ZETT. Fn. Lapp. 1. 430. 3. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. 162. 15.

Hab. cum prioribus, minor. In copula capta. (Lapp.-Scan. pass.)

**5. C. bipunctata**: nigra, fronte punctis duobus, thoracisque lateribus late, et macula antescutellari didyma, albidis, elytris rubris, punctis 2 discoidalibus nigris. (Long. 1½ lin.)

LINN. Fn. Sv. 471 FABR. Eleut. 1. 360. 29. DEJ. Catal. p. 130. ZETT. Fn Lapp. 1. 430. 4. GYLL. Ins. Sv. 4. 167. 19. *Cocc. dispar* PAYK. Fn. 2. 17. 18. var. ae. β. SCHÖNH. Syn. 2. 159. 34.

Var. b. elytris nigris macula magna humerali et puncto pone medium juxta suturam, rubris.

GYLL. l. c. var. t.

Hab. in Lapponiae fruticibus mens. Maj. — Aug. passim, var. b. tantum ad Lycksele 25. Jun. rar. inveni. Magnitudo prioris. (Lappon.-Hernösand 20. Maj.-Scan. freq.)

**6. C. hyperborea**: nigra, frontis punctis duobus, thoracisque margine antico anguste, lateribus late sinuatim, maculaque antescutellari didyma, albidis, elytris rubris, fasciis duabus compositis nigris, margine laterali flavicante. ♂♀. (Long. fere 1' lin.)

Var. a. elytris rubris, fasciis duabus transversis nigris, una in medio e punctis tribus cohaerentibus composita, altera postica versus apicem e punctis duobus conflata.

PAYK. Fn. Sv. 2. 38. 38. SCHÖNH. Syn. 2. 159. 33. ae. DEJ. Catal. pag. 130. ZETT. Fn. Lapp. 1. 431. 5. a. GYLL. Ins. Sv. 4. 164. 17. a.

Var. b. similis var. a., sed fascia postica e duobus punctis discretis constante

SCHÖNH. l. c. var. β. ZETT. et GYLL. l. c. var. b.

Var. c. similis etiam var. a., sed fascia media (prima) lata divisa, puncto scilicet interiori versus suturam separato.

SCHÖNH. l. c. var. γ. ZETT. et GYLL. l. c. var. c.

Var. d. fascia media interrupta, puncto scilicet exteriori distincto, postica indivisa.

SCHNEID. Mag. p. 172. 29. SCHÖNH. l. c. var. δ. ZETT. et GYLL. l. c. var. d.

Var. e. ♂♀. eadem, sed fascia postica in duo puncta divisa. Hanc varietatem in copula cum varietate h. vidi.

SCHÖNH. l. c. var. ε. ZETT. et GYLL. l. c. var. e.

Var. f. similis varietati c. sed fascia postica divisa.

ZETT. l. c. var. f.

Var. g. quoad fascias similis var. d., thorace nigro, antice macula subcruciformi emissa, postice alia didyma antescutellari magna, lateribusque late, albidis, puncto utrinque rotun-

dato discreto nigro. (Thorax in hac varietate fere albidus est, M magno in disco punctoque utrinque, nigris notato.)
Zett. l. c. var. g.
Var. h. ♀. similis var. a., sed fascia elytrorum media in tria, et fascia postica in duo puncta divisis.
Zett. l. c. var. h. ♀. Schönh. l. c. var. ζ. Gyll. l. c. var. f. *Coccinella arctica* Thunb. Ins. Sv. p. 108.
Var. i. fasciis elytrorum ut in var. b., c. et e., thorace nigro, margine antico angustissime, lateribusque late, flavidis; macula scilicet antescutellaris didyma in hac varietate desideratur.
Zett. l. c. var. i. Gyll. l. c. var. k.
Var. k. fascia elytrorum media e punctis tantum duobus interioribus coalitis, postica e punctis etiam duobus constante; punctum scilicet exterius fasciae anticae deficit.
Zett. l. c. var. k. Schönh. l. c. var. η. Gyll. l. c. var. g.
Var. l. eadem, sed fascia postica omnino abest.
Zett. l. c. var. l. Schönh. l. c. var. ϑ. Gyll. l. c. var. i.
Var. m. similis var. a. at fasciis multo latioribus.
Var. n., ut var. h. sed punctis fasciarum minutissimis flavo-ocellatis.
Var. o., ut var. k. sed punctis fasciae mediae etiam separatis. — Gyll. l. c. var. h.
Hab. in foliis Salicum, praesertim in vicinitate fluminum, per partem sylvaticam Lapponiae borealis mens. Jun. Jul. vulgaris; var. a., b., e., h. et i., frequenter, var. f. et g., parcius mihi ibi obviae, et var. c., d., k. et l., secundum D. Schönherr allatae, a me ibi non inventae. Deinde vero e messe individuorum hujus speciei, quam in Salice livida in Lycksele-avan, ad Tresunda et Umenaes, Lapponiae meridionalis, 1832 feci, varietates a., b., c. (rar.), d., e., g., h., k. (rar.), m. et n. (rar.), 1–24. Jun. minus frequenter collectas, jam depromsi. Media. Magnitudo prioris. (Lapp.-Botnia pass.)

**7. C. undecimpunctata**: ovata nigra, frontis punctis duobus, thoracisque angulis anticis triangulariter albidis, elytris rubris, punctis 11 nigris, scutellari communi. (Long. 1½ lin.)
Var. a. punctis omnibus discretis.
Linn. Fn. Sv. 480. Fabr. Eleut. 1. 137. 66. Schönh. Syn. 2. 178. 73. Dej. Catal. p. 130. Zett. Fn. Lapp. 1. 432. 6. a. Gyll. Ins. Sv. 4. 159. 14. var. a. *Coccin. collaris* Payk. Fn. 2. 37. 37. var. γ.
Var. b. punctorum pari medio et postico confluentibus fascias duas nigras formantibus.
Schönh. l. c. var. δ. Zett. l. c. var. b. Gyll. l. c. var. d.
Var. c. punctis tantum primi paris connatis, posterioris liberis.
Schönh. l. c. var. γ. Gyll. l. c. var. c.
Hab. in Lapponia rarius, var. b. in pariete ligneo ad Bossekop Finmarkiae d. 4. Augusti, inveni: etiam e Lapponia Tornensi a D. Deutsch, et e Dowre a D. Boheman missa. Media, prioris fere magnitudine. (Lapp. — Var. b. usque in Botniam occidentalem descendit, ibique in littore arenoso ad Nordmaling 27. Maj. capta. — Scan. var. a. freq.)

**8. C. trifasciata**: nigra, frontis maculis duabus, thoracisque angulis anticis triangulariter, albidis, elytris rubro-testaceis, fasciis tribus nigris abbreviatis, baseos communi. (Long. 1½–1¾ lin.)
Linn. Fn. Sv. 475. Fabr. Eleut. 1. 363. 42. Schönh. Syn. 2. 170. 52. Payk. Fn. 2. 17. 17. Zett. Fn. Lapp. 1. 432. 7. var. a. Gyll. Ins. Sv. 4. 166. 18. a.
Var. b. maculis frontalibus confluentibus, margineque thoracis antico etiam anguste, albidis.
Zett. l. c. var. b.
Var. c. sim. var. a., at puncto libero externe a fascia media separato. — Gyll. l. c. var. b.
Hab. in Lapponia boreali passim; in Lapponia meridionali frequentius, ibique in Salice ad Lycksele, Wilhelmina et Umenaes 15. Jun. — 19. Jul. a me capta; in Dowre a D. Boheman etiam lecta. Sed var. c. mihi non obvia. Media, praecedenti magnitudine fere aequalis. (Lapponia. — Dalecarlia, Finlandia pass. rar.)

**9. C. ephippiata**: nigra, frontis maculis 2, thoracisque angulis anticis quadrangulariter, albidis, elytris rubro-testaceis, fascia antica communi abbreviata, punctisque 4 transversis nigris. (Long. fere 2 lin.)
Hab. in Groenlandia, e qua mecum a D. Westermann benigne communicata. (Groenlandia.)
Affinis priori, major et in multis distincta. Fascia elytrorum antica communis utrinque abbreviata, cum macula scutellari confluens. Praeterea in singulo elytro puncta 2 transversa nigra, nempe unum in medio, et alterum multo majus, posterius.

**10. C. quatuordecim-guttata**: testaceo rubra, thoracis angulis posticis puncto utrinque unico, elytrisque 14. albidis, pectore abdomineque nigris, hoc margine rufo. ♂♀. (Long. fere 2 lin.)
Var. a. ♂♀. maculis elytrorum omnibus simplicibus.
Linn. Fn. Sv. 492. Fabr. Eleut. 1. 374. 105. Payk. Fn. 2. 21. 20. Schönh. Syn. 2. 191. 115. Dej. Catal. p. 130. Zett. Fn. Lapp. 1. 433. 8. a. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 154. 9.
Var. b. ♀. maculis elytrorum nigro-marginatis.
Zett. l. c. var. c.
Hab. in Salicum foliis, in Lapponia Tornensi et Umensi valde frequens, mens. Maj. — Jul.; in Nordlandia ad Björkvik parcius visa. Proxime praecedentibus paullo major. a. et b. saepe in copula. (Lapp.-Scan. freq.)

**11. C. 18-guttata**: subovata rufo-ferruginea, thoracis lateribus guttaque duplice baseos, elytro singulo guttis 9, luteis, 2, 1, 3, 2, 1, primis duabus lunatis. (Long. 1½ lin.)
Var. a. guttis omnibus liberis.
Schönh. Syn. 2. 193. 118. Gyll. Ins. Sv. 4. 155. 11. var. a.
Var. b. guttis 2 exterioribus trigae connatis.
Schönh. et Gyll. l. c. var. b.
Var. c. supra brunnea, guttis luteis, subtus nigricans.
Schönh. et Gyll. l. c. var. d.
Hab. in Lapponia meridionali rar.; var. b. ad Gaskelougt 6. Jul. et var. c. in Fredrica 29. Jul. a me capta. (Lapp.-Helsingia in Pinetis, 27. April. - Suec. media, Ostrogoth., Gottlandia, passim.)

**12. C. bipustulata**: thorace brevissimo, lunato, orbicularis, nigra, elytrorum singulo macula discoidali transversa abdominisque apice late, sanguineis. (Long. 1¼—fere 1½ lin.)
Linn. Fn. Sv. 498. vera. Payk. Fn. 2. 24. 25. certe (non eadem Fabricii). Zett. Fn. Lapp. 1. 433. 9. *Coccinella renipustulata* Schönh. Syn. 2. 197. 133. Dej. Catal. p. 131. Gyll. Ins. Sv. 4. 145. 1.
Hab. in foliis Alni et Sorbi, in Lapponia rarius. Minor, orbicularis. (Lapp.-Scan. freq.)

**13. C. fasciata**: thorace brevissimo, lunato, orbicularis, nigra, capite elytrorumque singulo fascia e punctis tribus composita, sanguineis, abdominis apice late, tarsisque rufis. (Long. 1¼ lin.)
Payk. Fn. 2. 25. 26. Zett. Fn. Lapp. 1. 433. 10. *Cocc. bipustulata* Fabr. Eleut. 1. 379. 128. Schönh. Syn. 2. 196. 132. Dej. Catal. p. 131. Linn. Fn. Sv. 498. var. Gyll. Ins. Sv. 4. 146. 2.
Hab. rarius in foliis Salicis Lapponiae, cum praecedente non mixta, sed ejus fere magnitudine. (Lapp.-Scan. freq.)
*Obs.* Cum priori genus novum constituere forsitan debet, a quo neque 2 sequentes species multo abludunt.

**14. C. 4-pustulata**: thorace brevissimo, lunato, orbiculari, convexa late marginata nigra, lunula elytrorum humerali, pustula pone medium limboque postico abdominis rubris. (Long. 1¼ lin.)
Linn. Fn. Sv. 499. Illig., de Geer etc. Gyll. Ins. Sv. 4. 146. 3. *C. 4-verrucata* Fabr. Eleut. 1. 381. 136. Schönh. Syn. 2 198. 138.
Hab. in Lapponiae meridionalis Pinubus junioribus rarissime. (Lappon.; Helsingia, 27. April; Nericia Aug.; Ostrogothia semper in Pinetis, Sept., freq.)
*Obs.* Mutationis nominis veteris, a recentioribus factae, nullam video rationem, quare Linnaei bonum restituo, assentiente venerando nostro Gyllenhal.

**15. C. Reppensis**: nigra, thoracis lateribus elytrisque punctis duobus subapicalibus fulvis. (Long. vix 1 lin.)
Herbst. Col. 5. p. 386. 118. t. 59. f. 14. Payk Fn. Sv. 2. 26. 28. Schönh. Syn. 2. 194. 125. Gyll. Ins. Sv. 4. 186. 27. Zett. Fn. Lapp. 1. 434. 11.
Hab. in Lapponia boreali D. D. Sanmark et Dammert, teste D. Prof. Sahlberg, mihi in terris borealibus nunquam, nisi semel in graminosis ad ripam fluminis Umensis in Lycksele-avan d. 20. Jun. 1832, obvia. *Cocc. 14 pustulata* paullo minor. (Lapponia; Scania rariss.)

**16. C. conglomerata**: nigra, capite, thoracis margine antico et laterali sinuatim elytrisque flavis, his nigro-maculatis, macula apicali distincta, pedibus testaceis, femoribus nigro-notatis. ♂♀. (Long. 1¼ – 1½ lin.)

Var. a. ♂♀. elytris flavis, sutura maculisque subquadratis nigris, quibusdam contiguis.
FABR. Eleut. 1. 372. 93. PAYK. Fn. Sv. 2. 28. 30 var. ae. DEJ. Catal. p. 131. ZETT. Fn. Lapp. 1. 434. 12. var. a. ♂♀. *Coccin. conglobata* LINN. Fn. Sv. 489. SCHÖNH. Syn. 2. 186. 103. var. γ. GYLL. Ins. Sv. 4. 181. 24. var.
Var. b. elytris flavis, sutura maculisque subquadratis nigris, plurimis contiguis.
LINN. Fn. Sv. 490. PAYK. Fn. Sv. 2. 28. 30. var. β.
Hab. in Lapponiae plantis rarius. Magnitudine media. (Lapp.-Scan. freq.)

**17. C. quatuordecim-pustulata**: nigra, thoracis margine antico elytrisque punctis 14 flavescentibus. (Long. 1 lin.)
Var. a. fronte nigra, macula utrinque pallida, punctis elytrorum flavescentibus.
LINN. Fn. Sv. 502. FABR. Eleut. 1. 385. 152. PAYK. Fn. Sv. 2. 22. 22. DEJ. Catal. p. 131. ZETT. Fn. Lapp. 1. 435. 13. GYLL. Ins. Sv. 4. 156. 12. var. a. SCHÖNH. Syn. 2. 200. 153.
Var. b. minor, fronte tota pallida, punctis elytrorum rufo luteis. — GYLL. l. c. var. c. (excl. syn. forte.)
Hab. in Lapponia D. SANMARK, teste D. SAHLBERG; var. a., a me in provinciis arcticis non inventa, sed var. b. ad Lycksele 10. Aug. deprehendi. (Lapp.-Scan. freq., praesertim var. a.)
Inter minores, *Cocc. 14-guttata* duplo et ultra minor. Pedes flavescentes, femoribus tibiisque posticis nigris.

**18. C. botnica**: nigra, frontis puncto rotundo, thoracis lateribus late, maculaque duplici antescutellari, elytrorum margine antico punctisque 10, flavis, pedibus fusco-rufescentibus. (Long. 1¼ lin.)
PAYK. Fn. Sv. 2. 34. 34. SCHÖNH. Syn. 2. 168. 37. ZETT. Fn. Lapp. 1. 435. 14. GYLL. Ins. Sv. 4. 178. 22. var. a—d.
Hab. in Lapponia passim, rar. Variat elytrorum punctis varie dilatatis et confluentibus, unde exstant aberrationes a D. GYLLENHAL l. c. descriptae. Media. (Lapponia-Botnia, Helsingia, in Pinu sylvestri 28. Apr. — 2. Maj. BOHEM.)

**19. C. hieroglyphica**: nigra, frontis punctis duobus thoracisque angulis anticis, albidis, elytris luteis, sutura basi maculaque discoidali longitudinali sinuata, nigris. (Long. 1¼ lin. et ultra.)
Var. a. ramulo medio vittae elytrorum nigrae cum linea suturali connexo.
LINN. Fn. Sv. 476. FABR. Eleut. 1. 361. 31. SCHÖNH. Syn. 2. 168. 38. PAYK. Fn. 35. 35. DEJ. Catal. p. 130. ZETT. Fn. L. 1. 435. 15. GYLL. Ins. Sv. 4. 157. 13. var. a.
Var. b. vitta nigra elytrorum in medio interrupta.
GYLL. l. c. var. c.
Var. c. ut a, sed punctis 2 posterioribus liberis.
GYLL. l. c. var. d.
Var. d. vitta elytrorum a stria suturali separata, et punctis 2 posterioribus liberis.
GYLL. l. c. var. h.
Hab. in Lapponia Tornensi passim, ut etiam in Nordlandiae inferalpinis rarius; ad Giebostad d. 22. Jul. capta, in Lapponia meridionali frequentius, ibique ad Lycksele et Wilhelmina, 20. Jun. — 17. Jul. inventa. Media. (Lapp.-Umeå-Ostrogothia freq.-Scania rar.)

*Subdiv.* 2. thorace antice truncato.

**20. C. oblongo-guttata**: supra lutea, subtus brunnea, thoracis lateribus elytrorumque punctis et lineis longitudinalibus, pallide flavis. ♂♀. (Long. 1¾—2 lin.)
Var. a. ♂♀. in copula, thorace luteo l. brunneo, lateribus late albido.
LINN. Fn. Sv. 496. FABR. Eleut. 1. 376. 111. PAYK. Fn. 2. 14. 14. Diagnos. SCHÖNH. Syn. 2. 193. 119. DEJ. Catal. p. 130. ZETT. Fn. Lapp. 1. 435. 16. var. a. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. 150. 5. a.
Var. b. ♂♀. thorace luteo l. brunneo, in medio lineis duabus longitudinalibus nigricantibus, lateribus late albido.
PAYK. l. c. var. Descript. ZETT., SCHÖNH. et GYLL. l. c. var. b.
Var. c. thoracis disco fere toto, capite, corpore subtus pedibusque maxima ex parte nigricantibus.
GYLL. l. c. var. c.
Hab. in Lapponia boreali passim; ad Muonioniska frequentius; in Lapponiae meridionalis Pinu sylvestri quoque sat vulgaris; in insula Dolpatie in lacu Stor-Uman, ad Lycksele et Åsele 2. Jun. — 26. Jul. omnes varietates inveni, in copula interdum promiscue junctas; varietatem a. tamen saepe ut marem. In suo genere magna. (Lapp.-Scan. pass.)

**21. C. sedecim-guttata**: reflexo-marginata, flavo-testacea, thoracis lateribus elytrorumque punctis 16 albidis. ♂♀. (Long. 1½—1¾ lin.)
LINN. Fn. Sv. 493. FABR. Eleut. 1. 375. 108. PAYK. Fn. 2. 36. 36. SCHÖNH. Syn. 2. 192. 117. DEJ. Catal. pag. 130. ZETT. Fn. Lapp. 1. 436. 17. GYLL. Ins. Sv. 4. 152. 7.
Hab. in Lapponia Lulensi sylvatica, a LINN. Inter majores generis. (Lapp.-Scan. freq.)

## *Sect. 2. Corpus oblongo-ovatum.*

*Subdiv.* 1. thorace antice emarginato.

*C. undecim-punctata* in Sectione 1ma quaerenda.

**22. C. mutabilis**: nigra, frontis lunula, thoracis margine antico et laterali sinuatim, punctis duobus, flavo-albidis, elytris rubris, nigro-punctatis, tibiis tarsisque testaceis. ♂♀. (Long. 1¼—1½ lin.)
Var. a. ♂♀. elytris punctis 7 nigris, scutellari scilicet communi, ceteris posterioribus.
SCHÖNH. Syn. 2. 175. 59. var. i. PAYK. Fn. 2. 39. 40. a. DEJ. Catal. p. 130. *Cocc. 7-notata* FABR. Eleut. 1. 365. 54. ZETT. Fn. Lapp. 1. 437. 18. a. ♂♀. GYLL. Ins. Sv. 4. var. d.
Var. b. elytris punctis 13 nigris, horum scutellari communi.
SCHÖNH. Syn. l. c. var. β. ZETT. l. c. var. b. GYLL. l. c. var. a. *Coccinella laeta* FABR. Eleut. 1. 369. 77. certe.
Hab. in Lapponia Tornensi passim; variet. b. ad pagum Kihlangi d. 21. Aug. inveni. Media. — (Lapp.-Scan. freq.)

**23. C. M. nigrum**: nigro-picea, supra livida, thorace M brunneo, ano pedibusque rufescentibus. (Long. 1¼ lin.)
FABR. Eleut. 1. 357. 10. PAYK. Fn. 2. 41. 42. SCHÖNH. Syn. 2. 152. 7. var. β. DEJ. Catal. p. 130. ZETT. Fn. L. 1. 437. 19. GYLL. Ins. Sv. 4. 214. 51.
Hab. in Lapponia, Collect. D. KOLSTRÖM. Magnitudo media. (Lapp.-Scan. freq.)

**24. C. arctica**: nigra, ore, frontis macula cruciformi, thoracis margine antico et laterali, elytrorumque linea baseos flexuosa, puncto pone medium margineque exteriori sinuatim, luteis, tibiis tarsisque anterioribus testaceis. (Parum ultra 1 lin.)
FABR. Eleut. 1. 382. 140. PAYK. Fn. Sv. 2. 40. 41. SCHÖNH. Syn. 2. 199. 142. ZETT. Fn. Lapp. 1. 437. 20. GYLL. Ins. Sv. 4. 213. 49. *Coccinella lapponica* THUNB. Ins. Sv. p. 113.
Hab. in Lapponia septentrionali rarius, D. D. QUENSEL et EKHOLM, mihi non obvia. Magnitudo *Coccin. 14-pustulatae*, oblonga. (Lapponia.)

**25. C. strigata**: supra flava, vertice, thoracis maculis duabus dilatatis, elytrorumque sutura linea antica lyrata, puncto pone medium rotundo, lineaque intramarginali sinuata, nigris; subtus nigra, pedibus luteis. (Long. 1 lin.)
Var. a. elytrorum puncto pone medium nigro discreto.
THUNB. Ins. Sv. p. 113. SCHÖNH. Syn. 2. 199. 143. ZETT. Fn. Lapp. 1. 437. 21. var. a. GYLL. Ins. Sv. 4. 213. 50.
Var. b. puncto eodem cum linea suturali lyrata connexo.
ZETT. l. c. var. b.
Hab. in Nordlandiae Finmarkiaeque plantis paludosis passim haud frequens; ad Björkvik, Finkrog in Reenoe, et ad Bossekop prope Altengaard d. 15. Jul. — 4. Aug. quatuor specimina inveni. In Lapponiis Suecicis meridionalibus, var. a. in plantis paludosis haud raro occurrit, et a me ad Tresunda prope Wojmsjoen, ad Umenaes et in regione sylvatica alpium Brattiksfjell lecta, d. 7—12. Jul. e Lapponia Tornensi a D. DEUTSCH missa. (Lapponia.)
Statura et affinitas *Coccin. arcticae*, sed differt thoracis linea media profundiori thoracem totum longitudinaliter transeunte, linea elytrorum baseos etiam longiori, nec non abrupta, pedibus totis luteis, et quod duplo minor. — Caput cum antennis et partibus oris flavum, vertice inaequaliter nigro. Thorax flavus, maculis duabus nigris trilobis, singula quasi e tribus rotundis composita. Elytra pallide flava, sutura ad medium macula communi exacte lyrata, et sub hac puncto utrinque rotundo, nigris; reliqua pars suturae angustissime brunnea; linea deinde ab humeris usque ad apicem elytrorum intra marginem lateralem lata et sinuata, nigra. Corpus subtus nigrum. Pedes toti lutei.

*Subdiv.* 2. thorace antice truncato.

**26. C. septem-maculata**: nigra, ore thoracisque margine antico et laterali, flavis, elytris rubro-testaceis, punctis septem nigris, scutellari communi, trilobo. (Long. 1½—2 lin.)
Var. a. elytris singulo punctis nigris 5, nempe 1, 1, 2, 1,

horum secundo marginali minuto, scutellarique communi trilobo; rarius.

Fabr. Eleut. 1. 365. 53. Payk. Fn 2. 43. 45. Schönh. Syn. 2. 174. 57. Dej. Catal. p. 130. Linn. Fn. Sv. 2271. Zett. Fn. Lapp. 1. 438. 26. Gyll. Ins. Sv. 4. 204. 45. a.

Var. b. ♂♀. in copula, similis a, sed punctis 2 binis mediis connatis.

Gyll. l. c. var. b. Schönh. l. c. var. ε. frequentiss.

Var. c. similis b, sed punctis multo majoribus dilatatis.

Gyll. l. c. var. c. *Coccinella segetalis* Naez. Act. Holm. 1792. 170. t. 7. f. 1. 2. (ad Umeå capta) freq.

Var. d. similis b, sed puncto 2do marginali deficiente.

Gyll. l. c. var. d. rar.

Hab. in plantis praesertim paludosis Lapponiae Tornensis passim, mens. Maj. — August. In Salicetis in ripa fluminis Umensis ad Lycksele 30. Maj. — 20. Jun. sat frequenter a me visa; sed var. a. et d. rarissime. Inter majores generis, oblongo-ovata. (Lapp.-Scania pass.)

Elytra rubra l. lutea, puncto humerali et apicali rotundis, fascia media quasi e tribus punctis composita et macula scutellari communi triloba, nigris. Sub puncto humerali aliud minutum etiam saepissime adest. — Similis est *Coccinellae* 13-*punctatae*, quae thoracis lateribus latius flavis, puncto utrinque nigro mox dignoscitur; sed haec Sueciae frequens incola in Lapponia a me non observata.

## 152. Scymnus.

Herbst. Latr. Dej. *Coccinella* Fabr.

*Corpus* minutum, orbiculari-ovatum, subtilissime punctulatum, pubescens. Thorax elytris vix angustior, nec ab illis ad angulos posticos intervallo notabili dissitus. *Color* niger, obscurus. *Motus* tardus. Habitatio sub lapidibus et in foliis plantarum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 14, a *Coccinellis* genuinis vix nisi pubescentia corporis et structura thoracis distinctae.)

**1. S. nigrinus**: orbiculari-ovatus niger immaculatus, antennarum basi tarsisque piceis. (Vix 1 lin. long.)

Dej. Catal. p. 131. Zett. Fn. Lapp. 1. 439. 1. *Coccinella nigrina* Schönh. Syn. 2. 207. 190. Panz. Fn. 34. 12. ed. 2a. Gyll. Ins. Sv. 4. 194. 33. *Coccinella Morio* Payk. Fn. Sv. 2. 8. 6.

Hab. in Lapponiae borealis Pino sylvestri mens. Maj. — Aug. rarius; in Lapponiae meridionalis graminosis et Salicetis paullo frequentius, ibique ad Lycksele 16—23. Jun. a me lectus. (Lapp.-Ostrogothia freq.)

**2. S. analis**: oblongo-ovatus niger, capite, thoracis dimidietate antica lunatim, elytrorum apice, ano pedibusque rufo-testaceis. (Long. vix ¾ lin.)

Dej. Catal. p. 132. Zett. Fn. Lapp. 1. 439. 2. *Coccinella analis* Fabr. Eleut. 1. 378. 122. Payk. Fn. 2. 7. 3. Panz. Fn. 13. f. 3. Schönh. Syn. 2. 206. 184. Gyll. Ins. Sv. 4. 203. 44.

Hab sub lapidibus et ligno sicco in Lapponia mense Jun. — Aug. passim, ad Wittangi frequenter lectus. Praecedente duplo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

Variat thoracis medietate antica latius l. angustius arcuatim lutea.

## 153. Cacidula.

Dej. Gyll. *Coccinella* Ill. Latr. *Strongylus* Schönh.

*Corpus* minutum, oblongum, pubescens. Antennae et instrumenta cibaria fere ut in *Coccinella*. Thorax transversus, antice emarginatus, lateribus rotundatus. Elytris punctato-striatis. *Color* rufus. *Motu* tarda. *Habitatio* in plantis paludosis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externe nulla. (Spec. Scand. 1, nostra.)

**1. C. pectoralis**: pubescens rufa, pectore nigro, elytris subpunctato-striatis. (Long. 1 lin.)

Dej. Catal. p. 132 Gyll. Ins. Sv. 4. 216. 1. *Strongylus* idem Schönh. Syn. 2. 208. 2.

Hab. in plantis paludosis, ripariis et littoralibus, in Lapponia rarissime. (Lapponia; Botnia occidentalis ad Nordmaling 25. Maj.; Ostrog. Scan. freq.)

## 154. Endomychus.

Fabr. Latr. Payk. Panz. Schönh. Gyll.

*Corpus* parvum, ovatum, depressiusculum, glabrum, nitidum. Antennae articulis plerisque breviter subcylindricis, nono praecedente multo longiore; ultimo ovato, ad apicem truncato. Thorax brevis, ab apice ad basin sensim latior, postice non angustatus. Femora non abrupte pedunculato-clavata. *Color* sanguineus, pictura nigro-punctata. *Motus* segnis. *Habitatio* sub cortice arborum et in fungis. *Differentia sexus* externe nulla. (Spec. Scand. 5, Lycoperdinis huc relatis.)

**1. E. coccineus**: niger supra sanguineus, thoracis macula media elytrorumque punctis quatuor rotundis nigris, abdomine rufo. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

Fabr. Eleut. 1. 505. 2. Payk. Fn. 2. 112. 1. Schönh. Syn. 2. 323.2. Dej. Catal. p. 132. Zett. Fn. Lapp. 1. 440. 1. ♂♀. Gyll. Ins. Sv. 4. 217. 1. *Chrysomela coccinea* Linn. Fn. Sv. 532.

Hab. in fungis Betulae Nordlandiae et Finmarkiae passim mens. Jul.; ad Finkrog insulae Reenoe, et in Gamstenstind ad Alteidet a me lectus, die 21. Jul. in copula captus. In Lapponia Suecica meridionali hanc speciem tantum ad Tafvelsjoe et Wilhelmina, 27. Maj. — 17. Jul., vidi. (Lapp.-Scan. rar. In regione montana alpium Helveticarum rarius quoque occurrit, testant. D. D. Fröbel et Heer. in Mitth. Zürich 1834. 1. p. 98.)

# V. DIMERA.

*Obs.* Genera *Claviger* et *Pselaphus*, ad hanc Sectionem quidem ob tarsos biarticulatos pertinent. Sed speciem *Pselaphi* unicam Lapponiae ad Familiam 7, *Palpatores*, ob magnam cum *Scydmaeno* affinitatem, relegavi, et *Claviger foveolatus* Gyll. (testaceus Panz.) Faunae Suecicae quidem subditus est, sed non Lapponiae, cum vix nisi in Scania hactenus fuerit observatus.

# CONSPECTUS
## FAMILIARUM ET GENERUM ORTHOPTERORUM LAPPONIAE.

FAM. 1. FORFICULARIAE.

1. Forficula.

FAM. 2. BLATTARIAE.

2. Blatta.

FAM. 3. LOCUSTARIAE.

3. Locusta.

FAM. 4. GRYLLIDES.

4. Gryllus.
5. Acridium.

# ORDO II. ORTHOPTERA.

## Divisio prima.

*Corpus depressum. Hemelytra et alae horizontalia. Insecta cursoria pedibus simplicibus.*

### FAM. 1. FORFICULARIAE. ZETT.

#### 1. Forficula.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 345. FABR. ZETT.

*Corpus* mediae magnitudinis, lineare, depressum, cauda forcipata. Antennae filiformes. Hemelytra dimidiata, sutura recta. *Color* lividus. *Motus* celer. *Habitatio* sub lapidibus: per partem sylvaticam Lapponiae. Larvae a matre custodiuntur. *Victus* e floribus et fructibus dulcibus ut et ex aliis insectis. *Differentia sexus* in forcipe maris arcuato magisque aperto, quam feminae perspicua. (Spec. Scand. 2.)

**1. F. auricularia:** testacea glabra, alarum apice hemelytris brevioribus pallidiori. ♂♀. (Long. 5—6 lin. cum forcipe.)

*Mas:* abdominis segmentis 8, et caudae unguibus 2 corneis arcuatis apice conniventibus, intus basi dentatis.

*Fem.:* abdominis segmentis 6, et caudae unguibus minoribus subrectis, intus parum crenulatis; in copula.

LINN. Fn. Sv. 860. ♂. FABR. Ent. Syst. 2. 1. 1. ♂. PANZ. Fn. Germ. 87. f. 8. ♂. ZETT. Orth. Suec. 36. 1. ♂♀. Fn. Lapponica 1. 443. 1. ♂♀. CHARPENT. Hor. Ent. 1825. p. 67. Sub nomine *F. parallela* femina in Collectione PAYKULLI Holmiae occurrit.

Hab. sub lapidibus et lignis, per partem mitiorem Lapponiae, rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

### FAM. 2. BLATTARIAE. ZETT.

#### 2. Blatta.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 346. FABR. ZETT.

*Corpus* mediae magnitudinis, ovale, applanatum, cauda tentaculata. Antennae setaceae. Hemelytra margine interiori incumbentia, apice dehiscentia. *Color* lividus, nitidus. *Motus* velocissimus. *Habitatio* in fruticibus et Lapponum casis, saepe gregatim, non vero sociatim; per omnes partes Lapponiae. *Victus* e cibariis. *Differentia sexus* in numero segmentorum abdominis et structura ani mox detegenda. (Spec. Scand. 4.)

**1. B. lapponica:** flavescens, thoracis disco maris, hemelytrorum atomis crebris et maculis aliquot majoribus, abdomineque in utroque sexu, nigris. ♂♀. (Long. ♂ 3½—4, ♀ 3 lin.)

*Mas:* abdomine segmentis octo, ultimo oblongo.

*Fem.:* minor, brevior, pallidior, abdomine segmentis sex, ultimo semicirculari, in copula.

LINN. Fn. Sv. 868. FABR. Ent. Syst. 2. 10. 21. PANZ. Fn. Germ. 96. f. 13. ♂. ZETT. Orth. Sv. 45. 3. ♂. Fn. Lapp. 1. 444. 1. ♂♀. DAHLB. Skand. Ins. 1837. 107. *B. hemiptera* PANZ. Fn. 96. f. 15. ♀. FABR. Ent. Syst. 2. 12. ♀. (negat CHARPENT. Hor. Ent. 75.; affirmat HUMMEL in Ess. Ent. 5. p. 39.; demonstrat copulatio.)

Hab. inter squamas piscium in casis Lapponum, ut et in fruticibus Pini et Juniperi per universam Lapponiam mens. Jun. — Aug. frequens. Deprehenditur quoque magis solitarie in summo alpium jugo, at in Norvegiae subalpinis in Nordlandia et Finmarkia usque ad Alten procedit vulgaris. Larvae et pupae mens. Junio frequenter, et imagines mens. Augusto in copula occurrunt. (Lapp.-Scan. freq.)

## Divisio Secunda.

*Corpus subcylindricum. Hemelytra et alae verticalia. Insecta saltatoria femoribus posticis incrassatis.*

### FAM. 3. LOCUSTARIAE. LATR.

#### 3. Locusta.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 355. FABR. ZETT.

*Corpus* magnum, subcompressum. Antennae setaceae. Pectus laminatum. Oviductus feminae ensiformis. *Color* viridis, fuscus, post mortem parum mutandus. *Motus* saltatorius, interdum volatu brevi. *Habitatio* in graminosis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Victus:* plantae variae et insecta minora. *Tempus* florendi auctumnale. Hemelytra maris attritu strepentia. *Sexus* ano maris inermi, feminae ensato, mox dignoscitur. (Spec. Scand. 8.)

**1. L. verrucivora:** thorace tricarinato, carina media integra, hemelytris viridibus fusco-maculatis, abdomine longioribus. ♂♀. (Long. 11—12 lin. absque ense.)

*Mas:* ano absque ense. Area subscutellaris pentagona vitrea in hemelytro dextro.

*Fem.:* ano ense recurvo. Macula subscutellaris hemelytrorum oblonga, testacea, opaca; in copula.

FABR Ent. Syst. 2. 42. 33. PANZ. Fn. 89. f. 20. ♂. f. 21. ♀. ZETT. Orth. Sv. 65. 4. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 445. 1. ♂♀. CHARPENT. Hor. Ent. p. 124. *Gryllus verrucivorus* LINN. Fn. Sv. 870.

Hab. in Lapponiae sylvaticae graminosis auctumno, rarius. Femina ense in terra usque ad basin producto ova deponit. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. L. brachyptera:** griseo-fusca, thoracis dorso plano, subtricarinato, carina media antice abbreviata; hemelytris longitudine dimidii abdominis, fuscis, margine exteriori femoribusque posticis subtus viridibus, his utrinque longitudinaliter nigro-vittatis. ♂♀. (Long. ♂ 4—5, ♀ 5—6 lin. absque ense.)

*Mas:* ano absque ense. Area subscutellaris subrotunda vitrea in hemelytro dextro

*Fem.:* ano ense falcato. Area subscutellaris vitrea hemelytrorum nulla; in copula.

FABR. Ent. Syst. 2. 43. 36. ZETT. Orth. Sv. 66. 6. Fn. Lapp. 1. 446. 2. ♂♀. CHARPENT. Hor. Ent. p. 112. (qui recte observavit femora postica utrinque vittam habere nigram.) HAGENBACH Symbola Fn. Insector. Helvet. 1. pag. 28. f. 15. ♂. 16. ♀. *Gryllus brachypterus* LINN. Fn. Sv. 868.

Var. b. ♀. tota brunneo-grisea, vitta femorum nigra.

ZETT. l. c. 68. var. Fn. Lapp. 1. c. var. b. ♀.

Hab. in Lapponia sylvatica, mense Augusto passim; ad Karesuando, Kolare et Kengis ego illam, praesertim ejus varietatem obscuram nveni. *Locusta verrucivora* triplo fere minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**3. L. cinerea:** grisea, capite thoraceque laevibus, linea utrinque laterali femoribusque posticis extus vitta longitudinali, nigris; maris hemelytris brevissimis, feminae eorum rudimento. ♂♀. (Long. 5—6 lin. absque ense.)

*Mas:* ano absque euse. Hemelytra vix tertia parte abdominis, in dextro area subscutellari rotunda, maxime pellucida.

*Fem.:* ano ense falcato. Hemelytra, adhuc breviora, laminas tantum duas parvas rotundas opacas constituunt.

LINN. Syst. Nat. Edit. Gmel. T. 1. P. 4. 2071. 128. ZETT. Orth. Sv. 70. 8. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 446. 3. ♂♀. HAGENB. Symb. Fn. Ins. Helv. 1. 30. f. 17. ♂. 13. ♀. *L. aptera* CHARPENT. Hor. Ent. p. 117. ♂♀.

Hab. per partem infimam Lapponiae sylvaticae, auctumno, rarius, priori paullo major, robustior, praesertim femina. (Lapp.-Scan. pass.)

## FAM. 4. GRYLLIDES. ZETT.

### 4. Gryllus.

FABR. Ent. Syst. 125. LINN. ZETT. *Acrydium* LATR.

*Corpus* majoris magnitudinis, subcompressum. Antennae saepissime filiformes. Ensis nullus. Thorax postice rotundatus. *Color* virescens, fuscus, valde variabilis, et post mortem in obscurum saepe abiens. *Motus* saltatorius, raro cum volatu. *Habitatio* communiter in graminosis, ubi etiam *victus* ex foliis plantarum mollioribus; per partem sylvaticam Lapponiae, raro alpinam aut inferalpinam Nordlandiae. *Tempus* florendi auctumnale. *Sonus* frictione femorum posticorum contra hemelytra et abdominis latera efficitur. *Sexus* dignoscitur: maris ano obtuso, feminae mucronibus quatuor corneis, geminatim porrectis, armato. (Spec. Scand. 16.)

#### *Sect. 1. Hemelytra (saltem in altero sexu) longitudine abdominis, aut illo longiora.*

A. Antennae in utroque sexu filiformes. Thorax tricarinatus.

* Carinis lateralibus subrectis.

**1. G. grossus:** thorace subtricarinato, carinis lateralibus obsoletis; virescens, hemelytris in mare abdomine longioribus, in femina ejus longitudine, margine exteriori antice in utroque sexu, flavo; femoribus posticis subtus sanguineis, geniculis nigris. ♂♀. (Long. ♂ 7, ♀ 8—9 lin.)

LINN. Fn. Sv. 877. FABR. Ent. Syst. 2. 61. 60. PANZ. Fn. 33. f. 7. ♀. (figura male colorata.) ZETT. Orth. Sv. 80. 4. ♂♀ Fn. Lapp. 1. 447. 1. ♂♀. CHARPENT. Hor. Ent. p. 151. ubi etiam plura synonyma afferuntur.) *Acrid. rubripes* DE GEER Ins. 3. 477. 5. T. 22. f. 4. ♀. certe, ut e typo in collectione ipsius comitis vidi.

Hab. in Lapponia testantibus collectionibus borealibus, mihi vero ibi non obvius. *Gryll. biguttulo* et *viridulo* triplo fere major, *Gryll. stridulo* aequalis. (Lappon.?-Scan. freq.).

**2. G. parallelus:** supra lateribusque viridis, subtus flavicans, geniculis pedum posticorum nigris; maris hemelytris abdomen subaequantibus pallidis, feminae abdomine dimidio brevioribus, varicoloribus. ♂♀. (Long. ♂ 4—5, ♀ 6 lin. mens. suecan.)

*Mas:* antennae capite thoraceque longiores.

*Fem.:* antennae capite thoraceque breviores. Hemelytra longitudine vix dimidii abdominis, aut viridia, aut fuscescentia, aut pallida.

ZETT. Orth. Sv. 85. 6. ♂♀. HUMM. Ess. Ent. 1825. No. 5. p. 39. CHARPENT. Hor. Ent. p. 171. ♂♀. *Gryll. longicornis* ZETT. Fn. Lapp. 1. 448. 2. ♂♀ HAGENB. Symb. Fn. Helv. 1. 36. f. 22. ♂. f. 23. ♀. *Heridium longicorne* LATR. Hist. Nat. 12. 159. 19. ♂. (exclus Syn. LINN. et DE GEER.)??

Var. b. vertice, thoracis dorso elytrorumque rudimento sanguineis; pupa forte nuper exclusa.

ZETT. Fn. l. c. var. b.

Hab. in Lapponia sylvatica mense Aug. rarius; ad Karesuando et Kihlangi ego illum legi. Medius. Mas 6 lin., femina 9 lin. long. (Lapp.-Scan. pass.)

*Obs.* Cum nomen: *longicornis*, mari tantum hujus speciei est accommodatum, et synonymon LATR. dubium (test. Nobil. CHARPENTIER l. c.), vetus a me in Orth. Sv. 1821 impositum, et in publicis litteris (HUMM., CHARP. etc.) adoptatum: *parallelus*, jam restituo. *Gr. elegans* CHARP. huic quidem affinis, sed oculorum globositate, et declivitate frontis majore in ♂., elytrorum longitudine majore in utroque sexu, loco diverso etc., a nostro *G. parallelo* certe distinctus, ut recte admonuit Vir celeberrimus, et quoque video ex comparatione specimiuum *G. elegantis*, quae mihi benignissime communicavit ipse oculatissimus CHARPENTIER.

** Carinis lateralibus curvatis vel angulatis.

**3. G. viridulus:** thorace tricarinato, carinis lateralibus antice curvatis; supra viridis, subtus flavicans, hemelytrorum margine exteriore maris nigricante, feminae albescente; pedibus glabris. ♂♀. (Long. 4½—7 lin.)

*Mas:* antennae thorace longiores.

*Fem.:* paullo major, antennis thorace fere brevioribus; in copula.

LINN. Fn. Sv. 874. ♀. (magnitudine justo minore.) FABR. Ent. Syst. 2. 61. 59. ♀. ZETT. Orth. Sv. 86. 7. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 448. 3. a. ♂♀. CHARPENT. Hor. Ent. p. 159. ♂♀. var. nostrae a—c. speciminib. ab Ipso communicatis.

Var. b. ♂. fuscus, antennarum basi, vertice thoracisque linea media longitudinali lata, pedibusque testaceis, geniculis obscuris; hemelytris pallidis, margine exteriori late, apiceque nigris; thoracis linea utrinque atra, carinis lateralibus, eam oblique transeuntibus, pallidis abrupta. In copula cum varietate sequente captus.

ZETT. l. c. var. b.Fn. Lapp. 1. l. c. var. b. ♂. *Acridium nigro-terminatum* DE GEER Ins. 3. 481. 9. certe, ut ex Collect. DE GEERI in Museo Acad. Scient Holm. asservata, vidi.

Var. c. ♀. totus rubicundus, vertice thoraceque linea lata utrinque hemelytrorumque dorso viridibus; antennarum apice, abdominis basi, geniculisque pedum posticorum, fuscis.

ZETT. l. c. var. c. Fn. Lapp 1. l. c. var. c. ♀. *Gryll. rubicundus* LINN. Syst. Nat. Ed. Gmel. 1. 4. 2084. 190. *Acrydium rufo-marginatum* DE GEER Ins. 3. 481. 8. certe, de quo ex Collect. DE GEERI originaria convictus sum. — Forte ex hac varietate c. una cum varietate b., species distincta sub nomine: *Gryllus dispar* recte constitui debet?

Hab. in Lapponia sylvatica rarius, in Botnia boreali et occidentali frequens, mens. Aug. — Septemb. — In pratis demersis in vicinitate fluminis Umensis ad Lycksele et Degenfors 20—23. Aug. praesertim mares var. b. frequentes observavi. In Nordlandia et Finmarkia Norvegica neque imagines neque larvas vidi hujus speciei, quae cum conspeciebus regionem Lapponiae alpinam omnino aufugere videtur. (Lappon.-Scan. freq.)

Praecedente duplo major, praesertim femina.

**4. G. biguttulus:** thorace tricarinato, carinis lateralibus angulatis; fuscus, thorace linea utrinque atra, hemelytris griseis, maculis obscurioribus lineolaque obliqua versus apicem albida; pedibus longe pilosis. ♂♀. (Long. ♂ 5, ♀ 6 rar. 6' lin.)

Var. a. ♂♀. in copula. Pedes obscure testacei, fusco-maculati, femoribus subtus ventre anoque flavescentibus.

LINN. Fn. Sv. 875. FABR. Ent. Syst. 2. 61. 58. ZETT. Orth. Sv. 94. 11. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 449. 3. a. ♂♀. CHARPENT. Hor. Ent. p. 163. (ubi synonymia etiam exponitur.)

Var. b. ♂♀. ano late, femoribus posticis subtus cum tibiis, sanguineis.

ZETT. l. c. var. d. Fn. Lapp. 1. var. b. ♂♀.

Var. c. ♂♀. in copula. Obscurus, fuscus, subimmaculatus. Abdominis dorsum macula rufa; venter femoraque postica subtus flavicantia.

ZETT. l. c. var. e. Fn. Lapp. l. c. var. c. ♂♀.

Hab. in Lapponia et Botnia boreali passim, mens. Aug.— Sept. *Gryllo viridulo* paullo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

B. Antennae, in masculis saltem, extrorsum crassiores.

**5. G. biguttatus:** thorace tricarinato, carinis lateralibus angulatis obscurus, ano rufo, clava antennarum tota fusca, hemelytris griseis, macula obliqua versus apicem, alba; pedibus anterioribus pilosis. ♂♀. (Long. ♂ 3½, ♀ 4-5 lin.)

*Mas:* antennae thorace longiores, distincte clavatae, clava tota fusca, seu nigricante, compressa. Hemelytra abdomine paullo longiora.

*Fem.*: paullo major; antennae thoracis longitudine, clava fusca apicis minori compressa; in copula.

Var. a. *variegatus*, ♂♀. in copula; vitta capitis thoracisque longitudinali media, flava; hemelytris cinereis, linea longitudinali nigra, maculis subquadratis lineolaque versus apicem, albis, interrupta.

Charpent. Hor. Ent. p. 166. (var. a—c. nostrae), certissime secund. specimina ab Ipso Viro Cel. mihi benevole missa. *Gr. biguttulus* Panz. Fn. 33. f. 6. ♂. (excl. Syn.) Linn. Fn. Sv. 875. ♀. var. *Gr. rufus* Linn. Fn. Sv. 876. ♂. var. Zett. Orth. Sv. 99. 13. var. a. Fn. Lapp. 1. 450. 5. a. ♂♀.

Var. b. *lineatus*, ♂♀. similis varietati a, lineis duabus longitudinalibus hemelytrorum albis.

*G. rufus* Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Var. c. *obscurus*, ♂♀. similis quoque var. a., capite thoraceque fuscis unicoloribus, hemelytris cinereis, maculis obsoletissimis quadratis, lineolaque versus apicem distinctiori, albis.

*G. rufus* Zett. l. c. var. c. ♂♀.

Var. d. *virescens*, ♂♀. virescenti-maculatus.

Zett. Orth. Sv. l. c. var. d. ♂♀.

Hab. locis sterilibus, aridis, in Lapponia et Botnia mens. Aug. Sept. sat freq. praesertim var. a. et d. In vicinitate alpium quoque deprehenditur, et in ipso summo jugo individuum unicum hujus speciei inveni. — Ad Talvig Finmarkiae Norvegicae marem var. a. die 2. Aug. legi. Statura *Gryll. biguttuli*, at duplo minor. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Hanc speciem per totam Sueciam omnium vulgatissimam, Linnaeo plane ignotam fuisse, haud credibile videtur. Sed sine dubio haec, ob ipsam frequentiam, ab oculatissimo alias Viro cum aliis subsimilibus commixta fuit, ita ut ♀ inter individua minora Ejus *Gr. biguttuli* sit quaerenda, ut et ♂ sub *Gr. rufo* Linn. genuino lateat.

**6. G. rufus:** thorace tricarinato, carinis lateralibus angulatis, rufescenti-fuscus, pedibus dilutioribus, antennis elongatis, clava fusca, apice alba, elytris cinereo-griseis, immaculatis. ♂♀. (Long. ♂ 4—5, ♀ 5—6 lin.)

Linn. Fn. Sv. 876. genuinus. Latr. Gen. Ins. 3. p. 107. Charpent. Hor. Entom. Wratisl. 1825. p. 168. verus. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali versus autumnum, rarius; ad radicem montis borealis prope pagum Hjuken, 21. Aug. tamen frequentius utrumque sexum legimus D. Dahlbom et ipse. (Lapponia Umensis; Botnia occidentalis; Roslagia Linn.; Nericia d. 12. Sept. ♂, ipse; nec alibi mihi visus, ibidemque semper rarius.)

Priori major, antennis quoque longioribus. Pedes testacei, geniculis fuscis, tibiis luteis. Elytra fusco-livida, subimmaculata. Antennarum clava compressa nigra, apice albo. Pedes subglabri.

*Obs.* Insectum (♂ et ♀) paullo majus, pedibus posticis totis luteis, alias simillimum, ex Uplandia a D. Marklin accepi, sine dubio hujus varietas.

### *Sect. 2. Hemelytra in utroque sexu brevissima.*

**7. G. pedestris**: thorace unicarinato, corpore livido, incarnato, ventre flavicante; femoribus posticis subtus sanguineis; hemelytrorum rudimento. ♂♀ (Long. ♂ 6, ♀ 8 lin.)

*Mas:* anus obtusus, valde recurvus; antennae thorace paullo longiores.

*Fem.*: duplo major; anus acutus, porrectus; antennae longitudine thoracis; in copula, saepe.

Linn. Fn. Sv. 878. Fabr. Ent. Syst. 2. 62. 64. Panz. Fn. 33. f. 8. ♀. (figura mala)? Zett. Orth. Sv. 102. 14. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 451. 6. ♂♀. *Gr. pedester* Charpent. Hor. Ent. p. 174.

Hab. mens. Jul. — Sept. in Lapponia Tornensi, usque ad summas alpes adscendens, passim; at in Westrobotnia locis sylvaticis, sterilibus, juxta viam publicam frequentissime. Occurrit quoque in Nordlandiae Finmarkiaeque subalpinis, et ad Altengaard et Bossekop parcius a me lectus. In Gamstenstind d. 30. Jul. pupam vidi. In Lapponia meridionali ad Lycksele et in ripa fluminis Öreelf, 1—2. Aug. in copula etiam a me lectus. (Lapp.-Suecia media passim. — Scan. rarissime.)

Magnitudo fere et affinitas *Grylli grossi*.

## 5. Acridium.

Fabr. Ent. Syst. 121. Zett. *Tetrix* Latr. Charpent.

*Corpus* in hac Familia parvum, ovatum, posterius acuminatum. Antennae filiformes. Thorax postice longe productus. Hemelytra minima. *Color* obscurus, maculis aliquot determinatis albis vel nigris. *Motus* velox, non longe saltatorius; vix unquam cum volatu. *Habitatio* in graminosis et campis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Victus:* vegetabilia. *Differentia sexus* ab ani lamellis maris duabus integerrimis, sursum flexis, feminae quatuor porrectis, margine serratis. (Spec. Scand. 20. et ultra, si tantum coloris picturaeque diversitati pro speciebus distinguendis, forte parum confidendae, consulere velis.)

### *Sect. 1. Corpus angustatum. Thoracis productio postica (scutellum mentiens) abdomine longior, elongata et subadscendens. (Vernalia; locos humidos amantia).*

**1. A. subulatum:** obscure testaceo-fuscum, tibiis pallidis fusco-maculatis. ♂♀. Long. 3—5 lin.)

Var. a. ♂♀. femoribus posticis immaculatis.

Fabr. Ent. Syst. 2. 26. 3. Zett. Orthopt. Sv. 106. 1. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 452. 1. a. ♂.. *Tetrix subulata* Latr. Gen. Crust. et Ins. 3. 107. 1. ♀. Charpent. Hor. Ent. p. 179.

Var. b. ♂♀. femoribus posticis extus fascia undulata, pallida. — Zett. l. c. var. b.

Hab. in Lapponia, praesertim ad ripas fluminum Råneå, Luleå, Torneå etc. passim, in Botnia copiose, jam mense Majo proveniens; in Lapponia meridionali ad Almsele 24. Jul. quoque lectum; var. b. tamen rarius occurrit. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. A. fuliginosum:** nigro-fuscum, thoracis medio utrinque macula triangulari, femorumque posticorum latere superiori maculis trigonis, atris. ♀. (Long. 5 lin.)

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, nec nisi unicum individuum femineum ad cataractam Wackokoski supra Juckasjervi die 5. Jul. inveni. (Lapponia.)

*Descr.* Fem. Praecedente duplo majus, in hoc genere nostratum maximum, robustum. Totum obscurum nigricans. Antennarum basis tibiarumque anticarum medio annulus, testacea. Tarsi pallide maculati. Thorax in medio macula laterali triangulari atra, distincta. Strigae aliquot nigrae, basi fuscae. Femora postica nigro-fusca, in latere superiori maculis quatuor triangularibus distinctis, atris; secunda (a basi) magna subrhombea, ultima (ad genua) minima. Thoracis productio postica apice declinato. Forma et proportione partium de cetero praecedenti similis, ob magnitudinem, colorem picturamque eximiam, nec non locum borealem, ut distincta species sine dubio habeatur.

**3. A. pallescens:** fuscum, vertice, antennarum basi, thoracisque dorso toto, sordide flavo-albidis, hoc in medio macula utrinque triangulato-lunata, nigra; femoribus posticis testaceis. ♂♀. (Long. 3—4 lin.)

Zett. Orth. Sv. 109. 2. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 453. 3. ♂♀. *Acrydium bipunctatum* Panz. Fn. 5. f. 13. certe. (exclus. Syn. Linn. et Fabr.)

Hab. in Lapponiae uliginosis, graminosis, passim. Magnitudo *A. subulati*. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. A. marginatum**: griseo-brunneum, antennarum basi, thoracis margine undique, femorumque posticorum linea longitudinali extus, flavis. ♂♀ (Long. 3—4½ lin.)

Zett. Orth. Sv. 110. 3. ♂♀.

Hab. rarius cum praecedente, cujus magnitudine gaudet. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. A. dorsale:** obscure brunneum, thoracis vitta media carinali longitudinali lata albido-flava, adjecta extus utrinque linea angusta, sinuata, abbreviata atra. ♂♀. (Long. 3½—4½ lin.)

Hab. in Lapponia boreali rarissime; in Lapponia Umensi seu meridionali ad Badstutraesk, specimen masculum pulchrum, pictura distincta, d. 30. Jun. 1832. quoque invenit Clariss. Dahlbom. Magnitudo praecedentis. (Lappon.-Scan. pass. rar.)

**6. A. bimaculatum:** fusco-aut griseo-brunneum, thorace macula ad angulum humeralem utrinque, obliqua, flava, macula subtriangulari nigra infra terminata. ♂♀. (Long. 4—5 lin.)

Zett. Orth. Sv. 114. 6. ♂♀. *Gryllus* idem Linn. Syst. Nat. Gmel. T. 1. P. 4. 2058. 71.

Hab. in Lapponia meridionali rariss. (Lapp.-Suec. rar.)

**7. A. fascipes:** valde angustatum totum nigrum, antennarum basi maculaque transversa in medio lateris exterioris femorum posticorum, aurantiacis. ♀. (Long. fere 5 lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, in ripa flumi-

nis Umensis ad Lycksele 16. Jun. 1832 semel inventum. Statura prioris, angusta, productione thoracis postica valde attenuata. Ob colorem nigrum thoracis maculae ordinariae atrae aegre observantur. Fascia femorum posticorum aurantiaca. Specimen pulchrum, hoc, si quoddam, propria et distincta species. (Lapponia.)

### *Sect. 2. Corpus oblongum, robustum. Thoracis productio postica longitudine abdominis, acuta, subdescendens. (Aestivalia saepius, locos aridos et campos quaerentia; an declarata?)*

**8. A. bipunctatum**: rufescenti-testaceum, unicolor, thorace in medio utrinque macula obliqua nigra. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.)

Var. a. ♂♀. pallide rufo-testaceum, maculis thoracis lateralibus ordinariis nigris, immarginatis.

Fabr. Ent. Syst. 2. 26. 2. Zett. Orth. Sv. 115. 7. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 454. 6. a. ♂♀. *Gryllus bipunctatus* Linn. Fn. Sv. 894. *Tetrix* eadem Charpent. Hor. Ent. p. 178.

Ad Lycksele, Åsele, Juckasjervi et Muonioniska captum, freq.

Var. b. ♂♀. obscure rufescens aut cinereum, maculis thoracis ordinariis nigris, albo-anguste marginatis.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Locis aridis ad Wittangi et Wackokoski, ut et Lycksele. — Fem. ad radices montium Ångermanniae jam 28. April. inventa.

Var. c. ♂♀. brunneum aut nigro-fuscum, maculis thoracis ordinariis nigris strigaque obliqua, ex punctulis albidis in femoribus posticis, obsoletis, vulgatiss.

Zett. l. c. var. c. ♂♀.

Ad Kengis et cataractam Wackokoski, nec non ad Lycksele Lapponiae Tornensis et Umensis freq.

Var. d. ♂♀. totum rufescens, unicolor, maculis thoracis ordinariis valde obsoletis, earum tantum vestigio.

Zett. l. c. var. d. ♂♀.

Ad pagum Wittangi. — Marem ad radicem montis Angermanniae jam die 28. April provenisse vidi.

Var. e. ♀. simile omnino var. a., paullo obscurius et pedibus posticis totis testaceo-rufescentibus.

Zett. Fn. Lapp. l. c. var. e. ♀.

Ad ripam fluminis Torneå-elf prope Juckasjervi rarissime, nec alibi hanc varietatem vidi. — Habitant individua hujus speciei in campis et collibus soli expositis mens. Jun. — Aug. Var. a., b., c. in Lapponiis omnibus per partem sylvaticam, frequentes, var. d., e. parcius. — In summis alpibus vix degit, nec in inferalpinis Norvegiae visum, in Lapponia Suecica sylvatica vulgare. (Lapp.-Scan. var. a—d. fr.)

**9. A. hilare**: supra flavo-testaceum, subtus fuscum, thorace in medio utrinque macula obliqua angusta nigra, obsoleta. ♀. (Long. 3—3¼ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 455. 7.

Hab. in ripa praerupta fluminis Tornensis, prope Juckasjervi, inter frutices d. 23. Jun. 1821 captum; et alia vice in graminos. ad Lycksele d. 10. Jun. 1832 inventum. (Lapp.)

*Descr.* Fem. Speciei praecedenti magnitudine et forma simile, colore maculisque thoracis minoribus praesertim distinctum. Subtus fuscum. Supra pallidum, antennis scilicet, vertice, thoracis dorso toto femorumque posticorum latere superiori flavo-testaceis, geniculis obscuris. Maculae thoracis ordinariae ut in *Acridio bipunctato* locatae, sed multo minores, angustiores et obsoletae.

**10. A. laterale**: testaceum, capite obscuriore; thorace fusco-virescente, lobis lateralibus deflexis flavis, dorsoque in medio utrinque macula obliqua nigra, pedibus fusco-testaceoque variegatis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.)

Zett. Orth. Sv. 118. 8. ♂. Fn. Lapp. 1. 455. 8. ♂♀.

Hab. ad ripam fluminis Tornensis prope Juckasjervi, ubi versus finem mensis Junii utrumque sexum legi; in Lapponia meridionali ad Lycksele 25. Jun. individuum femineum quoque inveni. Magnitudo *Acrid. bipunctati*. (Lappon.-Ostrogothia rar.)

Lobis thoracis lateralibus deflexis determinate flavis, reliquo corpore brunnescente, ab affinibus dignoscitur.

**11. A. Ephippium**: rufescens, thorace fascia media transversa lata, flavo, antice striga, postice maculis duabus obliquis, nigris terminata. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.)

Thunb. Nov. Act. Upsal. Vol. 7. 158. 8. certe. Zett. Orth. Sv. 118. 9. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 455. 9. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi; ad Juckasjervi mens. Jun. et Jul. locis sylvaticis in vicinitate Torneå-elf raro vidi; ad Lycksele, Lapponiae Umensis ♀ 30. Maj. etiam deprehendi. Magnitudo priorum. Pulchrum. (Lapp.-Scan. pass.)

Fascia thoracis in speciminibus lapponicis obscure flava, in suecicis magis albido-flava.

**12. A. binotatum**: fusco-cinereoque variegatum, thoracis carina media apiceque late, testaceis; in medio plaga magna utrinque, alba, antice macula parva acuminate intrante, posticeque macula obliqua, nigris, terminata. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.)

Zett. Orth. Sv. 119. 10. ♀. Fn. Lapp. 1. 456. 10. ♂♀.

Hab. in Lapponia; ad Juckasjervi mens. Jul. raro captum, ad Lycksele Lapponiae meridionalis ♀ 5. Aug. lecta. (Lapp.-Smoland. rar.)

**13. A. cristatum**: griseo-fuscum, carinis frontis, verticis thoracisque media elevata, antice anguste, postice late, flavis; thorace in medio utrinque macula obliqua nigra. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.)

Thunb. Nov. Act. Ups. V. 7. 159. 10. certe. Zett. Orth. Sv. 120. 11. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 456. 11. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi; ad Juhonpietis et Wackokoski 8. Jun. — 5. Jul. aliquot specimina inveni. In Lapponia Umensi frequentius vidi, ad Lycksele 20—25. Jun. haud raro captum; et ♂ semel in copula cum *A. carbonario* ♀. (Lapp.-Smoland. pass.)

**14. A. obscurum**: fuscum l. fusco-nigricans, thorace utrinque in medio macula obliqua rhombea nigra, adjecta (supra) macula alia triangulari alba. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.)

Var. a. ♂♀. femoribus posticis extus striga pallida.

Zett. Orth. Sv. 123. 14. ♂♀. Fn. Lapp. 1. 456. 12. ♂♀. *Tetrix obscura* Hagenb. Symb. Fn. Helv. 1. 42. f. 16. (fig. bona). *Gryllus bipunctatus* Scopol. Ent. Carn. 105. 316. (teste Hagenb. l. c.)

Var. b. femoribus posticis subimmaculatis.

Hab. in ripis praeruptis fluminum Lapponiae mens. Jun. — Jul. rar. Ad Lycksele et Juckasjervi utrumque sexum legi. Magnitudo et statura robusta *Acrid. bipunctati*. (Lapp.-Smoland. pass.)

**15. A. hieroglyphicum**: fuscum, testaceo- (in ♂ albo-) maculatum, thoracis dorso lineis utrinque in ziczac directis, subinterruptis, punctisque et strigis postice inordinatis nigris, lobis lateralibus thoracis deflexis apice testaceis (in ♂ albis). ♀. (Long. fere 4 lin.)

Zett. Orthopt. Sv. 125. 16. ♀.

Hab. in graminosis; ad Lycksele et Wilhelmina Lapponiae meridionalis passim, 25. Jun. — 15. Jul. captum. (Lappon.-Smoland rar.)

**16. A. carbonarium**: totum nigrum, antennarum tibiarumque basi testacea. ♂♀. (Long. 3½ lin.)

Hab. locis sylvaticis arenosis Lapponiae meridionalis rarius; ad viam publicam inter Lycksele et Tannsele 22—24. Jun. a me inventum; et ♀ semel in copula cum ♂ *Acr. cristati*. (Lappon. Umensis.)

Affine et simile *A. obscuro*, sed totum atrum, antennarum tibiarumque basi solum testacea.

# CONSPECTUS
## FAMILIARUM ET GENERUM HEMIPTERORUM LAPPONIAE.

FAM. 1. CIMICIDES.

1. Tetyra.
2. Cydnus.
3. Aelia.
4. Cimex.
5. Coreus.
6. Alydus.
7. Corizus.
8. Lygaeus.
9. Anthocoris.
10. Geocoris.
11. Bryocoris.
12. Salda.
13. Tingis.
14. Aradus.
15. Acanthia.
16. Phytocoris.
17. Capsus.
18. Ophthalmocoris.
19. Miris.
20. Hydrometra.

FAM. 2. HYDROCORISAE.

21. Nepa.
22. Notonecta.
23. Corixa.

FAM. 3. CICADARIAE.

24. Cercopis.
25. Pholetaera.
26. Cicada.
27. Thamnotettix.
28. Cicadula.
29. Jassus.
30. Cixius.
31. Delphax.

FAM. 4. APHIDIAE.

32. Livia.
33. Chermes.
34. Aphis.
35. Thrips.

FAM. 5. GALLINSECTA.

36. Dorthesia.
37. Coccus.

# ORDO III. HEMIPTERA.

---

## Divisio Prima.

*Hemelytra semicoriacea, elytriformia.*
(Insecta partibus saepius explicatis.)

---

## *Phalanx I. Rostrum frontale e capitis apice antico enascens. Frontirostria.*

### FAM. 1. CIMICIDES. FALL.*)

#### *Sect.* 1. *Antennae quinquearticulatae.*

### 1. Tetyra.

FABR. Syst. Rhyng. 26. FALL. *Scutellera* LATR. *Odontoscelis* LAP. BURMEIST. Handb. 1835. 2. 385.

*Corpus* mediae l. minoris magnitudinis, ovato-orbiculatum. Scutellum abdomen penitus fere obtegens. *Color* obscurus. *Motus* tardus ambulatorius. *Habitatio* in locis aridis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Victus:* plantae. *Differentia sexus* e segmento anali penultimo, in mare integro, in femina rima longitudinali secato, externe mox apparet. (Spec. Scand. 8 in Museo meo adsunt.)

**1. T. lapponica:** fusco-nigra, impresso-punctata, subpubescens, thorace scutelloque carinato obscure ferrugineis, glabris; capite subquadrato. ♂. (Long. 2 lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 460. 1. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in ripa arenosa, *Sandstranden* dicta, ad Juckasjervi d. 3. Jul. individuum masculum detexi. (Lapponia.)

*Descr.* Fem. *Tetyrae Maurae* subsimilis, at triplo fere minor, *Cydno bicolori* aequalis; forma capitis, colore et scutello carinato ab affinibus certe distincta. Caput oblongo-quadratum, carina antica in medio longitudinaliter elevata, linea utrinque exarata; totum brunnescenti-nigrum, opacum, subpubescens. Thorax obscure ferrugineus, antice magis fuscus et transversim rugulosus, glaber. Scutellum glabrum, obscure ferrugineum, impresso-nigro-punctatum, carina media (crista) longitudinali, posterius sat distincte elevata. Hemelytra angustata, concolora, membrana albida. Corpus et pedes nigro-fusca, opaca, subpubescentia, geniculis testaceis. *Tetyra Tangira* FABR. Rhyng., quae in Gottlandia Sueciae nuper a Clariss. B. F. FRIES detecta fuit, huic nostro primo intuitu subsimilis, sed thoracis margine antico dente obtusissimo armato, praeter alias notas distinctissima.

---

### 2. Cydnus.

FABR. Syst. Rhyng. 30. FALL. *Pentatomae* species LATR.

*Corpus* minoris magnitudinis, orbiculato-ovatum. Clypeus latus, rotundatus, saepius emarginatus. Caput parvum. Scutellum magnum, triangulare. Thorax antice parum angustatus. Tibiae spinosae. *Color* niger. *Motus* cursorius, interdum volatus segnis. Quando capitur, timide paullo expectat, mox vero cursu celeriter effugere tentat. *Victus* e succo vegetabilium, unde *hospitium* in plantis et ad earum radices. *Odor* ingratus. *Differentia sexus* in rima anali maris nulla, feminae distincta statim invenitur. (Spec. Scand. 6.)

**1. C. bicolor:** subaenescenti-niger, thoracis macula antica, hemelytrorum lunulis humerali et apicali, tibiisque extus ad basin, albis; membrana alisque albidis. ♂♀. (Long. 1½—2½ lin.)

FALL. Cim. Sv. 53. 2. ♂♀ ZETT. Fn. Lapp. 1. 461. 1. ♂♀. *Cimex bicolor* LINN. Fn. Sv. 936. WOLFF. Cim. 2. 63. 60. t. 7. f. 60. PANZ. Fn. 32. f. 11. FABR. Rhyng. 176. 109. STOLL. Ins 94. T. 32. f. 224.

Hab. in Lapponiae plantis rarius. Magnitudo paullo variat. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. C. biguttatus:** ater, margine undique hemelytrorumque puncto medio albis, rostro tarsisque ferrugineis, thorace in medio transversim impresso, membrana hemelytrorum nigricante. ♂♀. (Long. 1½—2 lin.)

FALL. Cim. Sv. 53. 3. ♂♀. ZETT. Fn. L. 1. 461. 2. ♂♀. *Cimex biguttatus* LINN. Fn. Sv. 935. FABR. Rhyng. 178. 116. Vix *Cimex dubius* WOLFF. qui est *Cydn. albomarginatus* FALL.

Hab. in Lapponiae borealis et meridionalis locis aridis mens. Majo — Sept. passim. Priori paullo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

---

### Sciocoris.

FALL. Hemipt. Sv. Cimicid. 20. 3. *Cimex* WOLFF. PANZ. *Discocephala* LAPORTE Hemipt.

*Corpus* minoris magnitudinis, obtuse ovatum, subdepressum. Caput dilatatum. Scutellum ut in *Cydno*. Tibiae submuticae. *Color* griseus. *Motus* cursorius. Mores et victus *Cydni*. *Differentia sexus* etiam ut in illo. (Spec. Scand. 1, capitis forma pedibusque inermibus praecipue a *Cydno* distincta.)

**1. S. umbrina:** grisea, subtiliter nigro-punctata, abdomine maculis fuscis in margine geminatis; clypeo oblongo, immarginato, hemelytris brevibus. ♂♀. (Long. 1- 1½ lin.)

*Cydnus* idem FALL. Cim. Sv. 54. 5. var. ZETT. Fn. Lapp. 1. 461. 3. *Cimex umbrinus* WOLFF. Cim. 4. 142. t. 14. f. 136.

*) Apud Cel LATREILLE haec Familia in duas abiit, quarum una *Corisiae*, altera *Cimicides* audit, articulatione rostri et proportione labri fere unice distinctae; insecta habitu et victu sub eadem Familia facile conjungenda continentes. Dispositio Hemipterorum a Cel. FALLEN data, bona et naturae consentanea videtur, exoticis quoque bene adhibenda. Conferantur etiam *Hemiptera Succ.* a FALLEN in Dissertationibus academicis, Lundae 1829. P. 1—9.

Panz. Fn. 93. f. 15. *Cydnus umbraculatus* Fabr. Rhyng. 186. 10. forte mas hujus speciei?

Hab. in Lapponia boreali rarius; in ripa arenosa fluminis Tornensis ad Juckasjervi d. 24. Jun. tantum legi. Sed in Lapponia meridionali ad Wilhelmina 16—20. Jul. ad margines agrorum paullo frequentius vidi. *Cydn. bicolore* duplo et ultra minor, sed *Acanthia lectularia* paullo et major et minor. (Lapponia; Smolandia; Scan. rar.)

Exemplaria in Scania capta semper minora sunt, et clypeus in his antice subemarginatus; in lapponicis speciminibus clypeus integer deprehenditur. Mas quoque in terris borealibus abdomen saepe habet in medio subtus nigrum, qualem suum *Cydnum umbraculatum* describit Fabricius. Tibiae muticae.

*Obs. Cydnus morio*: „ater, supra confertim impresso-punctatus, antennarum articulo primo, rostro tarsisque ferrugineis;" *Cydno biguttato* subsimilis, in Suecia frequens, in Lapponia non visus, ad genus Cydnum referendus.

## 3. Aelia.

Fabr. Rhyng. 31. Fall. Hemipt. Sv. p. 33. gen. 5. *Pentatoma* Latr.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongo-ovatum, antice acuminatum. Clypeus acutus, bifidus. Thorax antice angustatus. Pedes pilosi. *Color* pallidus, fusco-lineatus. *Motus* cursorius, volatus; saepe vero in plantis moratur. *Habitatio* et *victus* Cimicum. *Odor* aromaticus. *Differentia sexus* ut in congeneribus. (Spec. Scand. 1.)

**1. Ae. acuminata:** flavescenti-exalbida, supra fusco-striata, antennarum articulis ultimis rufescenti-testaceis. ♂♀. (Long. 2–2¾ lin.)

Fabr. Rhyng. 189. 6. Fall. Cim. Sv. 51. 1. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 462. 1. ♂♀. *Cimex acuminatus* Linn. Fn. Sv. 939. Panz. Fn. 32. f. 17.

Hab. in Lapponia secundum Collect. boreales, mihi ibi non obvia. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rar.)

## 4. Cimex.

Fabr. Syst. Rhyng. 28. Fall. Hemipt. Sv. 21. 4. *Pentatomae* species Latr.

*Corpus* saepius majoris, interdum mediae magnitudinis, ovatum l. subovale. Clypeus truncatus, integer. Thorax antice angustatus. Tibiae hirsutulae, muticae. *Color* virescens, testaceus obscurus. *Motus* cursorius, volatus; in plantis saepe quiescit tardus. *Odor* ingratus, similis (uti plerumque in hac Familia) saepe odori plantarum, e quibus nutritur insectum. *Victitat* vegetabilibus. *Differentia sexus* in ano marginato, feminae apice integro, longitudinaliter rimato facile invenienda. (Spec. Scand. 20.)

A. Thorax angulis posticis in spinam elongatis. Corpus obovatum. *Asopus* Burmeist.

**1. C. bidens:** thorace acute spinoso, brunneo-griseus, antennis pedibusque rufescentibus, scutelli apice truncato, summo pallido. ♂♀. (Long. 4 lin.)

*Mas*: ano truncato, ciliato, corniculis 2 acutis elongatis.

*Fem.*: paullo major, ano convexiori, rimato, laminis duabus exsertis ciliatis.

Linn. Fn. Sv. 921. Panz. Fn. 26. f. 22. Wolff. Cim. 1. 7. 7. t. 1. f. 7. Fabr. Rhyng. 155. 2. Fall. Cim. Sv. 43. 1. Zett. Fn. Lapp. 1. 463. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponiae plantis tempore autumnali rarius. (Lapp.-Ostrogothia freq. Scan. rar.)

**2. C. rufipes:** thorace obtuse auriculatim-spinoso, supra ferrugineo-fuscus, antennarum basi, scutelli apice acuto, pedibusque rufis. ♂♀. (Long. 5 lin.)

Linn. Fn. Sv. 922. Fabr. Rhyng. 156. 5. Fall. Cim. Sv. 46. 7. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 463. 2. ♂♀.

Hab. in plantis et arbustis, in Lapponia rarius; in copula. Inter majores generis. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. C. lituratus:** thorace subspinoso, supra subvirescens, elytrorum margine interno rufescente; subtus lividus, abdominis dorso nigro; sterno ventreque carinatis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.)

Fabr. Rhyng. 170. 84. Wolff. Cim. 1. 14. t. 2. f. 14. Panz. Fn. 40. f. 19. (thorace utrinque subspinoso, antennis 5-articulatis). Fall. Cim. Sv. 44. 4. Zett. Fn. Lapp. 1. 463. 3. ♂♀.

Hab. in Lapponiae fruticibus autumno rarius. Priori minor, angustior. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rar.)

**4. C. agathinus:** thorace subspinoso, supra testaceo-, griseo- vel rufescenti-virescens, scutello medio fusco, apice pallido; subtus testaceus, ano roseo, abdominis dorso nigro; sterno ventreque carinatis. ♂♀. (Long. vix 2—2¼ lin.)

Fabr. Rhyng. 170. 82. Wolff. Cim. 2. 58. t. 6. f. 55. Fall. Cim. Sv. 45. 5. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 464. 4. ♂♀. *Cimex griseus* Linn. Fn. Sv. 926.

Hab. in Betuletis Lapponiae rarius. — Praecedente duplo minor; inter pygmaeos generis, *Cydno bicolori* subaequalis. (Lappon.-Suec. media freq. Scan. rar.)

**5. C. punctatus:** thorace subspinoso, aeneo-fuscus, pectore pallidiore, abdominis margine variegato, tibiis annulo albo, sterno ventreque non carinatis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.)

Linn. Fn. Sv. 924. Fabr. Rhyng. 157. 12. Fall. Cim. Sv. 45. 6. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 464. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, per partem mitiorem in sylvis abietinis, rarius; *Cimice Baccarum* fere duplo minor. (Lappon.-Smoland. rar.)

B. Thorax angulis posticis muticis. Corpus ovale. *) *Cimex* Burm.

**6. C. Baccarum:** fusco-rufescens, subtus griseus, antennarum annulis, scutelli apice abdominisque margine, albis, hoc maculis geminatis nigris. ♂♀. (Long. 2¾—3½ lin.)

Linn. Fn. Sv. 928. Panz. Fn. 33. f. 20. Wolff. Cim. 2. 60. 57. t. 6. f. 57. (nimis rubra). Fabr. Rhyng. 172. 92. Fall. Cim. Sv. 48. 13. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 464. 6. ♂♀.

Hab. in Lapponiae cultis, rarius. Nomine *Bärfis* Suecis notissima species, his anno proveniens mensibus: scilicet Junio et Septembri; tempore copulationis verno, sole sereno sat agilis, auctumnali in baccis Ribis aliarumque quiescens, eas foedo inquinat odore. (Lappon.-Scan. vulgar.)

**7. C. juniperinus:** viridis, margine undique scutelloque apice flavis, antennis extrorsum nigris. ♂♀. (Long. 4 lin.)

Linn. Fn. Sv. 930. Panz. Fn. 33. f. 16. Fabr. Rhyng. 167. 60. Fall. Cim. Sv. 47. 12. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 465. 7. ♂♀.

Hab. in fruticibus Juniperi, Salicis etc. in Lapponia per partem sylvaticam mensibus Majo — Septemb. passim, ad Juckasjervi 3. Jul. in copula visus; ad Lycksele, Lapponiae Umensis etiam frequenter visus. Priori major. (Lappon.-Scan. freq.)

**8. C. oleraceus:** caeruleo-aeneus, margine undique, thoracis lineola media, scutelli apice, elytrorum puncto intraapicali tibiarumque annulis, rubris vel albis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.)

Linn. Fn. Sv. 934. Panz. Fn. 32. f. 12. var. pictura rubra. Fabr. Rhyng. 177. 112. Fall. Cim. Sv. 49. 16. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 465. 8. ♂♀.

Hab. in plantis Tetradynamis Lapponiae inferioris, rarius; inter nostros minimus. (Lappon.-Scan. freq.)

*Sect. 2. Antennae quadriarticulatae.*

Tribus 1. Corpus saepissime oblongum. Thorax integer, subdilatatus.
(Insecta terrestria).

A. Membrana hemelytrorum crebre nervosa.

## 5. Coreus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 362. Fabr. Fall. Hemipt. Sv. 35. 6.

*Corpus* majoris l. mediae magnitudinis, oblongo-subquadratum. Antennarum articulus primus elongatus. Thorax postice utrinque margine elevatus. *Color* brunneus, unicolor: pictura scilicet nulla. *Motus* tardus, sed calida tempestate saepe cum susurru volatus velox. *Habitatio* in plantis, quibus victitat; per partem infimam Lapponiae. *Differentia*

*) *Reduvius subapterus* Fabr.: antennis setaceis quinque-articulatis, thorace bilobo, antice coarctato etc. etc a reliquis hujus Sectionis recedit, *Hydrometrae* et *Berytο* appropinquans. Haec vero Sueciae in campis sterilibus vulgaris incola, in Lapponia nondum inventa, quantum novi.

*sexus* in operculo anali maris integro, feminae fisso breviterque carinato et bidentato. (Spec. Scand. 6.)

**1. C. marginatus**: glaber griseo-brunneus, antennis medio rubris, thoracis postico auriculatim, abdominisque margine, elevatis, capite inter antennas bispinuloso. ♂♀. (Long. 4—5 lin.)

FABR. Rhyng. 192. 6. FALL. Cim. Sv. 56. 1. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 466. 1. ♂♀. *Cimex marginatus* LINN. Fn. Sv. 923. WOLFF. Cim. 1. 20. 20. t. 3. f. 20.

Hab. in Lapponia secundum Collect. boreales; mihi ibi non obvius. *Cimice Baccarum* magnitudine aequalis. (Lappon.-Scan. pass.)

## 6. Alydus.

FABR. FALL. Hemipt. Sv. p. 39. gen. 7. *Cimex* LINN.

*Corpus* medium, elongatum. Caput magnum exsertum. Thorax planiusculus. Hemelytra angusta, membrana oblique furcatim nervosa. *Color* obscurus. *Motus* ut in *Coreo*. *Habitatio* in plantis humilibus; per partem inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in *Coreo*. (Spec. Scand. 1, a *Coreo* corpore angustiori sublineari, capite majori, oculis valde prominulis, pedibusque posticis longissimis, femoribus crassis etc. dignota.)

**1. A. calcaratus**: fuscus, abdominis dorso disco sanguineo, antennis basi rufis articulis apice nigris; femoribus posticis acute dentatis, tibiis rufis. (Long. 3 lin.)

FABR. Rhyng. 251. 15. FALL. Hemipt. Sv. 1829. 46. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia rar.; in alpe Dowre a D. BOHEMAN inventus. (Lappon. Norvegica-Finland. Ostrogoth. ad Laerketorp, Jul. rar.)

## 7. Corizus.

FALL. Disposit. Hem. 7. Hemipt. Sv. 40. 8. *Coreus* LATR. FABR.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum. Antennarum articulus primus brevis, crassus. Thorax planiusculus. *Color* ferrugineo-griseus, variegatus. *Motus:* incessus abruptus, interdum volatus. *Habitatio* in campis aridis, sterilibus ad radices plantarum, passim copiose; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in *Coreo*. (Spec. Scand. 7, praeter *Pyrrhocorem calmariensem* FALL. [*Cimicem apterum* LINN.], huic generi facile conjungendam).

**1. C. crassicornis**: parum pilosus virescenti-griseus aut obscurus, scutelli apice concolore, rotundato, hemelytrorum membrana alisque albis. ♂♀. (Long. 2½ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 467. 1. ♂♀. *Cimex crassicornis* LINN. Fn. Sv. 952. *Lygaeus crassicornis* WOLFF. Cim. 4. 146. t. 14. f. 140. *Coreus crassicornis* FABR. Rhyng. 201. 46. PANZ. Fn. 92. f. 18. FALL. Cim. Sv. 58. 5.

Hab. in Lapponia tempore auctumnali rarius; *Cor. Hyoscyami* magnitudine fere aequiparans; larva forte hujus ad Kengis d. 22. Aug. visa. (Lapp.-Ostrogoth. freq.)

**2. C. capitatus**: distincte pilosus griseo-ferrugineus, scutelli apice subemarginato, hemelytrorum membrana alisque albis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 467. 2. ♂♀. *Coreus capitatus* FABR. Rhyng. 201. 49. *Lygaeus capitatus* WOLFF. Cim. 2. 75. 8. f. 72. PANZ. Fn. 92. (diagnos.) FALL. Cim. Sv. 59. 6.

Hab. in Lapponia rarius; praecedente fere duplo minor. (Lapp.-Scan. pass.)

**3. C. miriformis**: elongatus, angustus, nudiusculus pallide virescens, antennnis rufis pedibusque hirsutis, hemelytrorum nervis sanguineis, abdominis dorso nigro. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 467. 3. *Coreus miriformis* FALL. Cim. Sv. 60. 8. *Coreus capitatus* PANZ. Fn. 92. f. 19. (exclusis diagnosi et Syn. FABR.). *Myrmus miriformis* HAHN.)

Hab. in Lapponia rarius, in Botnia boreali passim, diebus 15. Jul. — 9. Aug. et 2. Sept. in copula captus. In terris his septentrionalibus larvaeformis, apterus, et rudimento hemelytrorum fere semper mihi obvius fuit; sed in Suecia inferiori Ostrogothia, Gottlandia et Scania individua declarata, alata etiam saepe vidi. Praecedente longior et angustior, magnitudine fere *Miris laevigati*. (Lappon.-Scan. pass.)

*Obs. Coreum Hyoscyami* et *equestrem*, rubro nigroque pulchre varios, in Suecia australiori sat frequentes, in Lapponia deprehendere mihi non contigit, nec *Alydi* speciem in terris arcticis inveni.

B. Membrana hemelytrorum 4-5- (interdum obsolete) simpliciter nervosa.

## 8. Lygaeus.

FALL. Dispos. Hemipt. 9. Hemipt. Sv. Cimicid. 1829. p. 47. gen. 10. FABR. et LATR. species.

*Corpus* saepius parvum, oblongum, duriusculum. Clypeus capitis brevis, acutus. *Color* obscurus. *Motus* cursu celeri at vix unquam volatu. *Hospitium* larvarum et imaginum ad radices herbarum arborumque, in terra, ad lapides et sub muscis, semper locis umbrosis, absconditis, propter quod, ut et ob colorem obscurum, nomen generis aptissimum. *Differentia sexus* externe distincta; *mas:* ano s. segmento ventrali ultimo convexo, integro nec rimato; *femina:* vagina sub ano elongata, carinam formante et segmenta duo ultima secante. (Spec. Scand. 33.)

*Subdiv.* 1. Caput dilatatum, oculis valde exsertis. Antennae breviusculae. Thorax trapeziformis, aut immarginatus, aut margine depressus. Femora antica incrassata, subtus raro denticulata. Tibiae semper muticae (non spinulosae). Corpus supra distincte impresso-punctatum.

**1. L. Urticae:** aeneo-griseus pilosus, antennis testaceis, hemelytris pedibusque pallido nigroque variegatis, scutelli apice abdominisque maculis marginalibus albis. ♂♀. (Long. 2 lin. et ultra.)

*Mas:* ventre nigro-aeneo, immaculato.

*Fem.:* ventre in medio macula magna, albida; in copula.

FABR. Rhyng. 231. 136. ♀. FALL. Cim. Sv. 63. 2. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 469. 1. ♂♀.

Hab. in Urtica aliisque plantis, in Lapponia meridionali rarius. (Lappon.-Scan. freq.)

Inter majores generis, circiter 2 lineas longus. Antennarum articulus primus fuscus. Hemelytra pallida, versus apicem nigro-punctata et maculata. Pedes nigro-aenei, albo-annulati. Femora antica reliquis crassiora, subtus ad apicem denticulo armata.

**2. L. Thymi:** griseus glabriusculus, capite thoraceque transversim impresso, rugose punctatis, hemelytrorum margine ante membranam nigro, antennis pedibusque testaceis, his nigro-punctatis. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.)

*Mas:* ventre nigricante.

*Fem.:* ventre in medio anoque late pallescentibus; in copula.

FALL. Cim. Sv. 63. 3. ♂♀. ZETT. Fn. L. 1. 469. 2. ♂♀.

Hab. locis aridis, arenosis, per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae mens. Jul. — Aug. passim copiose, et in Lapponia boreali et meridionali, ubi frequenter occurrit. (Lapp.-Scan. freq.)

Praecedente triplo minor. Femora antica reliquis paullo crassiora, mutica. Hemelytra membranaque maculis fuscis in lineas dispositis, magis l. minus obsoletis. Nomen triviale *Thymi* minus placet, datum insecto, non nisi fortuito in Thymo versante, sed locis arenosis in ipsa terra morante, a Karesuando Lapponiae usque ad extremas Scaniae oras frequentissime.

**3. L. groenlandicus:** obscure nigricans glabriusculus, thorace antice transversim subimpresso capiteque rugoso-punctatis; hemelytris sordide albidis, margine ante membranam nigro. ♀. (Long. 1⅔ lin.)

Hab. in Groenlandia, e qua mecum a D. WESTERMANN amicissime communicatus. (Groenlandia.)

Priori sat similis et affinis, paullo major, obscurior, totus fusco-nigricans. Hemelytris albidis, subpellucidis. Membrana fumata. Alae niveae. Punctum in vertice, macula ante pedes, femorum summa basis et genua, pallida.

*Subdiv.* 2. Caput angustatum. Thorax subquadratus s. trapeziformis, plerumque elevato-marginatus. Femora antica incrassata, subtus dentata. Tibiae saepe spinulosae. Corpus supra sublaeve, aut subtiliter impresso-punctatum.

**4. L. rusticus:** niger opacus sericeo-pubescens, hemelytris coriaceis immaculatis, antennarum medio pedibusque piceis, tibiis pallidioribus; membranae alarumque rudimento. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.)

Var. a. ♂♀. pedibus piceis, tibiis pallidioribus, pubescens. FALL. Cim. Sv. 70. 17. ♂♀. ZETT. Fn. L. 1. 470. 3. ♂♀.

Var. b. pedibus pallidis, corpore glabriusculo; an hujus — ad Hernösand Ångermanniae 30. Aug. captus.

Hab. locis aridis mens. Aug. in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

Parvus. Femora antica subtus parce ciliata. — In Suecia media et meridionali hujus speciei individua alata hemelytrorumque membrana explicata occurrunt, at in Lapponia ejusmodi non visa.

5. **L. pedestris**: niger subnitidus, pubescens, hemelytris brunnescentibus, antennis pedibusque luteis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

FALL. Cim. Sv. 71. 18. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 470. 4 ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Johannis Ro Botniae borealis locis aridis d. 2. Sept. frequentiorem vidi, etiam in copula. (Lapp.-Scan. freq.)

Praecedente adhuc minor, pulice parum major. Antennarum articulus ultimus fuscus. Femora antica subtus parce ciliata.

6. **L. Pini**: niger, glaber, subtus sericeo-nitens, thoracis fascia postica hemelytrisque griseis, nigro-punctatis, his macula rhombea atra; tibiis spinosis. ♂♀. (Long. fere 3 lin.)

FABR. Rhyng. 229. 125. WOLFF. Cim. 2. 74 71. t. 8. f. 71. FALL. Cim. Sv. 64. 5. ♂♀. *Cimex Pini* LINN. Fn. Sv. 956. ZETT. Fn. Lapp. 1. 470. 5.

Hab. in Lapponia sylvatica, in graminosis aridis, plerumque sub fruticibus, foliis deciduis et ad radices arborum Pini, Betulae etc. (Lapp.-Scan. freq.)

Inter nostrates maximus, circiter 3 lineas longus. Maculae ad basin pedum tibiaeque anticorum basi testaceae. Scutellum nigrum immaculatum. Femora antica in utroque sexu dente parvo armata. — In Scania haec species saepe longe a Pinu degit. *Lyg. lynceus* FABR. FALL. huic valde similis, sed thorace magis dilatato, et scutelli apice fulvo-lineato, in Suecia inferiore haud infrequenter, in Lapponia mihi non, obvius.

7. **L. nebulosus**: niger, parce pilosus, thoracis margine laterali anguste et fascia postica, hemelytrisque, griseis, nigro-punctatis, his macula erosa brunneo-nigra, tibiis spinulosis, anterioribus totis scutellique apice lituris 2 discretis, testaceis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

FALL. Cim. Sv. 60. 7. ♂♀. ZETT. Fn. L. 1. 471. 6. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae borealis tempore vernali passim; in adjacentibus Botnia et Ångermannia ad Lycksele Lappon. meridionalis, frequentius, ibique uterque sexus jam mense Aprili provenit, 23. Jun. — 20. Aug. in copula deprehensus. (Lapp.-Scan. freq.)

Praecedente duplo minor. Maculae ad basin pedum albidae. Femora antica dente parvo instructa. Oculi in vivo nigri.

8. **L. nubilus**: niger glaber, thoracis fascia postica hemelytrisque griseis, nigro-punctatis maculatisque, tibiis muticis anticis totis scutellique apice lituris 2 apice subcohaerentibus, testaceis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.)

FALL. Cim. Sv. 65. 6. (excluso forte Synon. LINN. *Cimicis arenarii*), ZETT. Fn. Lapp. 1. 471. 7. ♂♀.

Hab. in Lapponia, ad agros Novaccolarum rar. (Lappon.-Gottlandia; Scan. pass.)

Magnitudo praecedentis. Maculae ad basin pedum nullae. Femora antica dente parvo. Hemelytra griseo-lineata, punctis maculisque parvis nigris interjectis. Membrana alba l. fusco-maculata.

9. **L. agrestis**: niger, scutello concolore, glaber, thoracis summo margine fasciaque postica hemelytrisque griseis nigro-punctatis, his macula rhombea nigricante; tibiis spinosis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

*Mas*: antennarum articulo primo pedibusque anticis testaceis, macula femorum supra nigra, macula hemelytrorum interdum deficiente.
*Fem.*: tibiis anticis testaceis; in copula.

FALL. Cim. Sv. 66. 8. ♂♀. verus, (ut e Museo Viri defuncti derelicto, mihique donato, colligere possum.) ZETT. Fn. Lapp. 1. 471. 8. ♂♀. *Lygaeus sylvaticus* PANZ. Fn. 93. f. 16. certe (exclus. forte Synon. FABR.) *Cimex arenarius* LINN. Fn. Sv. 955 ? *Lygaeus arenarius* FABR. Rhyng. 233. 146. ?

Hab. in graminosis sub lapidibus, locis aridis, in Lapponia passim, var. a., ad Wittangi et Lycksele, mens. Jun., et varietatem b., ad Palojoensun et Karesuando Lapponiae Tornensis mense Aug. ut et ad Giebostad Nordlandiae Norvegicae mens. Jun. inveni. (Lapp.-Scan. freq.)

Magnitudo *Lyg. nebulosi.* Maculae ad basin pedum in utroque sexu testaceae. Basis femorum posteriorum et genua flava. Alae albidae. Membrana hemelytrorum fusca, albo-nervosa. Femora antica subtus denticulis 5 minutissimis armata.

Var. b. ♂. Pedes antici toti, femorumque posticorum basis fulvo-testacea.

Ad Karesuando et Giebostad rarius inventus.

10. **L. chiragra**: opaco-nigricans, thorace transversim subsulcato scutelloque immaculatis; tibiis spinulosis, anticis antennarumque articulo 2do rufis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

FABR. Rhyng. 233. 144. ♂. FALL. Hemipt. Sv. 58. 16. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius, ad Lycksele 20. Aug. captus. (Lapp.-Scan. freq.)

11. **L. erraticus**: niger glaber, thorace transversim depresso, margine laterali elevato, fascia postica, pedibus hemelytrisque ferrugineo-testaceis, membrana nigricante, puncto albo, tibiis muticis. ♂♀. (Long. 2½ lin.)

FABR. Rhyng. 232. 139. FALL. Cim. Sv. 65. 12. ZETT. Fn. Lapp. 1. 472. 9. ♂♀. *Lygaeus pedestris* PANZ. Fn. 92. f. 14. idem videtur.

Hab. sub foliis deciduis et sub cortice truncorum putridorum Pini et Betulae, in Lapponia boreali mens. Jun.—Aug. sat frequens. Procedit usque ad terminum Abietis, sed supra Wackokoski Lapponiae Tornensis a me non visus. Summas igitur alpes omnino fugit, at in inferalpinis Finmarkiae Norvegicae iterum deprehenditur, ibique ad Alten et Bossekop captus. In Lapponiis Suecicis meridionalibus quoque haud raro occurrit; et ad Lycksele, nec non Wilhelmina, mens. Jun. Jul. lectae. Feminae plerumque usque ad autumnum vigent. (Lappon.-Scania freq.)

Praecedente longior, vix latior. Hemelytra basi pallidiora. Femora antica subtus denticulata, dente unico majori. Pedes in lapponico insecto semper obscuriores, quam in scanico.

12. **L. sylvestris**: niger subpilosus, thorace angusto, teretiusculo, transversim sulcato, antennarum basi pedibusque testaceis, femoribus in medio nigris, hemelytris pallidis, macula media et postica fusco-brunneis. ♂♀. (Long. fere 2½ lin.)

FALL. Cim. Sv. 66. 15. ♂♀. verus, ut e collectione ejus Hemipterorum convictus sum. ZETT. Fn. Lapp. 1. 473. 10. ♂♀. *Cimex sylvestris* LINN. Fn. Sv. 965. certe.

Hab. in graminosis Lapponiae borealis per partem sylvaticam passim; ad Muonioniska et Karesuando frequentiorem vidi, mense Augusto. Mas quoque ad Lycksele 20. Aug. captus. Femina parcior. (Lappon.-Scan. pass.)

Praecedente parum brevior, multo angustior. Femora antica subtus denticulata. Pedes in lapponicis individuis saepe obscuri. Tibiae spinulosae. Membrana albo- et fusco-varia. — *Lygaeus sylvestris* FABR. Rhyng. 232. 138. et PANZ. Fn. 92. f. 10., est alia species sive *Lygaeus plebejus* FALL. in Lapponia hactenus non visa.

13. **L. Abietis**: corpore dilatato valde depresso, obscure ferrugineis, capite, thoracis antico scutelloque nigris. ♂♀. (Long. 2—2¾ lin.)

FALL. Hemipt. Sv. Cimicid. 1829. 61. 21. ♂♀ *Capsus Abietis* FABR. Rhyng. 245. 23. *Cimex ferrugineus* LINN. Syst. Nat. 730. 99.

Hab. in Lapponiae meridionalis Abietibus provexioribus, rarissime. (Lappon.-Medelpadia 15 Maj. — Ostrogothia ad Wadstena, Aug. D. DAHLBOM; rarius.)

*Subdiv.* 3. Caput angustatum. Thorax subtriangularis seu antennis valde angustatus, lateribus immarginatus. Femora omnia subaequaliter crassa, uti tibiae inermia. Corpus glabrum, subdepressum, minutum.

14. **L. Caricis**: fusco-brunneus, thorace dilutiori, antennis testaceis, clava nigra, hemelytris immaculatis pedibusque pallidis. ♂♀.

*Lygaeus claviculus* FALL. Cim. Sv. 64. 4. ♂♀.

Hab. et larva et imago in plantis Caricum et Juncorum, locis humentibus, in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

Statura corporis et parvitate, ad genus subsequens proxime accedit haec species, forma frontis acuta ab illo distincta. — Huic Subdivisioni inseri debet *Lygaeus didymus* mihi Act. Holm. 1819. seu *Lygaeus Resedae* PANZ. Fn. 40. f. 20.; in Lapponia hactenus non inventus.

---

## 9. Anthocoris.

FALL. Dispos. Hem. 10. Hemipt. Suec. 1829. p. 65. gen. 11. *Saldae* species FABR. *Lygaeus* FALL. Cim.

*Corpus* minutum, oblongo-ovatum, planum, tenerum. Clypeus capitis productus, truncatus. Antennae filiformes. Membrana hemelytrorum obsolete longitudinaliter nervosa. *Color* brunneus, pallidus; pictura variegata. *Motus* tardus. *Habitatio* in foliis et floribus plantarum; hinc nomen; per partem sylvaticam Lapponiae, et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* ut in *Lygaeo*. (Spec. Scand. 12, structura capitis, saepius simplicitate pedum, ut et habitatione, a Lygaeis diversae.)

**1. A. nemorum:** nigra nitida, thorace transversim impresso, antennarum basi lutea, hemelytris pallidis, brunneo-maculatis, membrana alba, apice fusca. ♂♀. (Long. 1-1¼ lin.)

Var. a. ♂♀. hemelytris pallidis, puncto medio apiceque brunneis, antennarum basi pedibusque luteis.

*Lygaeus nemorum* Fall. Cim. Sv. 71. 20. Zett. Fn. Lapp. 1. 474. 1. a. ♂♀. *Salda sylvestris* Fabr. Rhyng. 116. 17? (exclus. Syn. Linn.). Panz. Fn. 92. f. 21. *Acanthia* Wolff. Cim. 3. 90. t. 9. f. 84.

Var. b. ♂♀. hemelytris pallidis, macula media dilatata fusiformi apiceque brunneis, antennarum basi pedibusque luteis, femorum posticorum apice nigro.

Fall. l. c. var. β. Zett. l. c. var. b. ♂♀. *Lygaeus fasciatus* Fabr. Rhyng. 240. 187.

Var. c. ♂♀. hemelytris nigro-brunneis, basi pallidioribus, antennarum basi pedibusque luteis, femorum apice nigricante. An spec. distincta?

Fall. l. c. var. γ. Zett. l. c. var. c. ♀. *Salda nemoralis* Fabr. Rhyng. 116. 15.

Var. d. ♂. hemelytris brunneo-nigris, basi pallidioribus, tibiis luteis.

Fall. l. c. var. δ. Zett. l. c. var. d. ♂. *Lygaeus austriacus* Fabr. Rhyng. 239. 181.

Hab. in foliis fruticum et floribus plantarum Lapponiae mens. Jun. — Aug.; var. a, raro; var. b. frequens in Lapponia Tornensi, Umensi, et Nordlandia; var. c. et d. tantum in Pinetis ad Bossekop Finmarkiae a me lecta. Pusilla, vix ultra lineam longa. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. A. nigricornis:** nigra nitida, antennis concoloribus, thorace transversim impresso, hemelytris testaceis immaculatis, membrana alba, fusco-maculata, tibiis luteis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Hab. in Pinetis Lapponiae Umensis passim, in Pino sylvestri ad Lycksele 12—16. Aug. frequentem vidi. Priori similis, hemelytris immaculatis, testaceis, et antennis nigris, praecipue distincta. (Lappon. merid.)

**3. A. pulchella:** nigra nitida, thorace inaequali, hemelytris albis, margine laterali anguste apiceque late piceo-nigris; membrana alba, immaculata, tibiis testaceis, femoribus anticis posticisque crassis. ♂♀. (Long. 1⅛ lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rar.; sub cortice truncorum desecatorum Pini sylvestris, et larvas pupasque et imagines declaratas utriusque sexus, ad Degenfors d. 27—28. Maj. 1832, invenimus D. Dahlbom et ipse. Species pulcherrima, pictura et proportione pedum facile distincta. (Lapponia Umensis-Botnia occidentalis.)

**4. A. obscurella:** nigra nitida, thorace inaequali, hemelytris totis nigro-fuscis unicoloribus, membrana alba immaculata, tibiis sub-testaceis, femoribus anticis posticisque crassis. ♂. (Long. 1⅛ lin.)

Hab. in Lapponia Tornensi, D. Frigelius, rar. (Lapp.-borealis Wadstena, Dahlb.)

Similis priori, elytrorum colore mox dignoscenda.

**5. A. pygmaea:** nigra nitida, thorace transversim sulcato, hemelytris testaceis immaculatis, membrana alba, apice saepe fusco-maculato, antennarum basi tibiisque luteis. ♂♀. (Long. ¾ lin.)

*Lygaeus pygmaeus* Fall. Cim. Sv. 73. 21. ♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 475. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponiae meridionalis graminosis et fenestris rar., Lycksele, Tresunda Jul. Aug. (Lapp.-Scan. freq.)

Praecedente fere duplo minor, magnitudine scilicet Pediculi. In Succia meridionali pedibus totis testaceis saepe occurrit.

**6. A. tenella:** nigra subnitida, antennis pedibusque concoloribus, thorace transversim impresso, hemelytris fuscis membranaque infuscata, unicoloribus; fronte parum producta. ♂. (Long. ⅔ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 475. 3. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; in graminosis ad Wilhelmina 25. Jul. 1832 unum, et in Finmarkia Norvegica et Bossekop prope Alten alterum specimen masculum d. 4. Aug. detexi (Lapponia; Esperöd Scaniae 10. Jul. rariss.)

Mollis et pusilla, priori vix magnitudine aequiparat. Tota nigra, hemelytris solum brunnescenti-griseis, subpellucidis, et membrana subinfuscata. Costalis nervus in hemelytris niger. Alae albidae caeruleo-nitentes. Thorax transversim impressus. Clypeus frontis parum productus. An *Phytocoris* species, nam membrana vix nervosa? Habitus vero omnino *Anthocoris*.

**7. A. nigrella:** nigra nitida, thorace transversim impresso, hemelytris albidis, apice late piceo-nigris, membrana alba immaculata, rostro tibiisque fusco-testaceis. ♀. (Long. ⅔ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarius: in Salice ad Lycksele d. 20. Jun. a me inventa. Pusilla. Affinis priori, hemelytrorum membranaeque colore distincta. Hemelytra alba, apice late nigricantia, qui color in marginem lateralem interdum sat alte adsurgit. (Lapp. meridionalis.)

**8. A. stigmatella:** nigra nitida subangustata, rostro concolori, hemelytris pallidis, apice piceo-nigris, membrana alba, apice fusco-maculata, antennis basi tibiisque testaceis. ♀. (Long. 1 lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele, 16. Aug. semel a me deprehensa. — Similis *A. pygmaeae*, sed forte paullo longior et angustior, hemelytrorum puncto apicali ante membranam nigro-piceo, evidenti, certe distincta. (Lapp. merid.-Gottlandia ♂ ejusdem certe.)

**9. A. minuta:** nigra nitida, thorace transversim sulcato, hemelytris lividis, margine apicali fusco, membrana albida, antennis pedibusque totis testaceis. ♂♀.

Zett. Fn. Lapp. 1. 476. 4. ♂♀. *Lygaeus minutus* Fall. Cim. Sv. 73. 22. ♀. *Cimex minutus* Linn. Fn. Sv. 941. forte. *Anthoc. fruticum* Fall. Hem. Suec. 1829. 68. 4.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. freq.)

*Anthoc. pygmaea* duplo minor. — Synonymon Linnaei dubius attuli. Diagnosis et descriptio *Cimicis minuti* in Fauna Suecica ab Illustr. viro datae ad *Lygaeum exilem* Fall., quae distincta omnino est species, in Suecia passim obvia, aeque bene referri possunt.

---

## 10. Geocoris.

Fall. Disp. Hem. 11. Hemipt. Sv. 1829. p. 69. gen. 12. *Salda* Fabr. *Lygaeus* Fall. Cim. Sv.

*Corpus* parvum, subquadratum, impresso-punctatum. Caput dilatatum oculis valde prominulis. Antennae filiformes. Thorax transversus. Hemelytra coriacea. Membrana subenervis. Pedes simplices. *Color* niger, nitidus, pictura testacea. *Motus* celer. *Hospitium* in humo, unde nomen; locis aridis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in *Lygaeo*. (Spec. Scand. 4.)

**1. G. Grylloides:** nigra, thoracis hemelytrorumque margine flavis pedibus testaceis, membrana alisque nullis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 476. 1. ♂♀. *Lygaeus Grylloides* Fall. Cim. Sv. 63. 1. ♂♀. *Cimex Grylloides* Linn. Fn. Sv. 910. *Salda Grylloides* Fabr. Rhyng. 115. 7. *Acanthia Grylloides* Wolff. Cim. 2. 44. 41. T. 5. f. 41.

Hab. in Lapponiae locis aridis rarissime. Parva, antennis linearibus, subpilosis. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. G. lapponica:** nigra nitida, hemelytris brunneis, membrana sordide albida, pedibus varicoloribus. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

Var. a. ♂♀. pedibus totis flavis, antennis saepe fuscis.

Var. b. ♂♀. pedibus nigris tibiis testaceis.

Hab. in collibus et campis aridissimis Lapponiae Umensis passim; ad Lycksele et Åsele 26. Jul. — 22. Aug. a me inventa. Affinis et similis *G. albipenni* Fall. (*Saldae albipenni* Fabr.), sed paullo minor, et elytrorum colore facile distincta. Var. a. et b. saepe promiscue in copula junctae capiuntur. (Lapp. meridionalis.)

---

## 11. Bryocoris.

Fall. Hemipt. Suec. 1829. p. 151. gen. 20. *Anthocoris* Zett. Act. Holm. 1819. p. 74.

*Corpus* minutum, ovatum, subconvexum. Antennae filiformes, apice capillares. Thorax laevis. Hemelytra coleoptrata, convexa, membrana nulla. *Color* fuscus ferrugineus. *Motu* tarda. *Habitatio* sub Muscis, unde nomen generis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*; *femina* rima brevi in segmento abdominis ventrali ultimo, a *maribus*, segmento eodem integro, dignoscitur. (Spec. Scand. 3, magnitudine minuta, antennarum gracilitate, thoracis laevitate, hemelytrorum convexitate et duritie, absentia membranae, hospitio, etc. a *Lygaeis*, *Anthocoridibus*, *Tingidibus*, *Saldis* aliisque affinibus mox dignotae.)

**1. B. Pteridis:** glabra, subnitida, pallida, capite, antennarum apice, thoracis margine antico tuberculato, pectore abdomineque nigris, ano albido. ♂♀. (Long. parum ultra ½ lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; etiam in Dowre a Dom. BOHEMAN capta. (Lapp.-Angermannia ad Hernösand. 30. Aug. — Ostrog.-Scan. pass.)

Obs. *Br. Muscorum* FALL. (*Anthoc. coleoptrata* mihi, Act. Holm.) in Scania et Ostrogoth. haud infrequenter a me lecta, in Lapponia frustra quaesita.

**2. S. affinis**: thorace exacte triangulari, opaca nigra, supra tenuiter aureo-pilosa, hemelytro singulis maculis circiter 10 albidis, apicali majori, membrana albida, nigro-lineata, puncto in interstitiis fusco, pedibus pallidis, femoribus late nigris. ♂. (Long. 2⅛ lin.)

Hab. in paludosis ad novaccolum Umenaes Lapponiae meridionalis, 7—8. Jul. rarissime lecta. Affinis priori, minor, depressior, pilosula, thoracis lateribus rectis, nec explanatis, hemelytrorum maculis colore, numero et situ aliis, etc. distincta. (Lapponia Umensis.)

**3. S. morio**: thorace exacte triangulari, glabra, nitida, convexa atra immaculata, pedibus lividis, fusco-punctatis, femoribus anticis in medio late nigris. ♂. (Long. 2⅛ lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 1. Aug. 1832 a me inventa. (Lapponia Umensis.)

Similis *S. littorali*; multo nitidior, thoracis lateribus rectis et minime explanatis, tota aterrima etiam membrana hemelytrorum, pedibus tantum, ut in diagnosi indicatum, lividis.

---

## 12. Salda.

FABR. Rhyng. 21. FALL. Hemipt. Suec. 1829. p. 71. gen. 13. *Acanthia* LATR. *Cimex* LINN.

*Corpus* minoris magnitudinis, seu parvum, rotundato-ovatum. Caput exsertum angustum. Antennae filiformes. Oculi valde prominuli. Thorax subtriangularis, transversim impressus. Hemelytra subcoriacea, convexa. *Color* niger, griseus. *Motus*: saltus (pedibus licet simplicibus) cum volatu. *Habitatio* in littoribus et ripis frequenter, ubi aliis insectis victitat; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* externa non conspicua, in segmento tamen abdominis ultimo maris parvo, convexo, eodemque feminae majori, latiori, depresso, margine submembranaceo, attento oculo mox invenitur. (Spec. Scand. 11.)

**1. S. littoralis**: atra glabra, hemelytris coriaceis convexioribus, guttis longitudinalibus paucis flavis, membrana fusca, crasse nigro-nervosa, pedibus pallescentibus. ♂♀. (Long. 2—3 lin.)

FALL. Cim. Sv. 28. 1. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 477. 1. ♂♀. *Cimex littoralis* LINN. Fn. Sv. 915. *Salda Zosterae* FABR. Rhyng. 113. 1.

Hab. in Nordlandiae Finmarkiaeque oris littoralibus, ad Björkvik juxta Ofotenfjord usque ad Talvig et Alten, mens. Jun. — Aug. passim; nullibi vero, uti ad littora Scanensia, frequens. (Lapp.-Scan. freq.)

In suo genere magna, circiter 3 lin. longa. Guttae hemelytrorum paucae, tantum 2—3 oblongo-quadratae.

**4. S. pallipes**: thoracis lateribus antice rotundatis, sordide nigra, hemelytris albis, basi maculisque costalibus nigris, membrana nigro-lineata, puncto in interstitiis oblongo, fusco, pedibus pallidis. ♂♀. (Long. 1½ fere 1¾ lin.)

Var. a. ♂♀. macula costalis nigra unica.

FABR. Rhyng. 115. 12. certe. ZETT. Fn. Lapp. 1. 477. 3. a. ♂♀.

Var. b. maculae costales tres, aut discretae, aut contiguae.

ZETT. l. c. var. b. *Salda saltatoria* FALL. Cim. Sv. 29. 2. var. *β*.

Var. c. ♂♀. maculae costales tres, contiguae, et margo interior hemelytrorum etiam niger. In hac varietate hemelytra potius dici possunt nigra, vitta longitudinali lata, dentata, alba. — Ex hac feminae plerumque mihi obviae fuerunt.

ZETT. l. c. var. c. ♂♀.

Hab. in ripis fluminum Lapponiae mens. Jun.—Jul. vulgaris, ad Wittangi et Juckasjervi praesertim frequenter visa. Praecedente fere duplo minor, at *Salda saltatoria* paullo major. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. S. riparia**: thoracis lateribus antice rotundatis, sordide nigra, hemelytris concoloribus, maculis costalibus duabus guttulisque disci, albo-hyalinis, membrana alba nigro-lineata, puncto in interstitiis fusco; pedibus pallescentibus; antennis elongatis. (Long. fere 1½ lin.)

Var. a. ♂♀. Maculae costales distinctae, media magna et alia intra apicem minor, subquadrata.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 478. 3. a. *Salda littoralis* FABR. Rhyng. 115. 13. (exclus. Syn. LINN.)

Var. b. ♀. Maculae costales distinctae, media magna interius dilatata fasciam integram constituens, et altera intra apicem minor.

ZETT. l. c. var. b. ♀.

Var. c. ♂♀. macula costalis media obsoleta, illa vero intraapicalis distincta, apicem totum fere occupans.

ZETT. l. c. var. c. ♂♀. *Lygaeus saltatorius* PANZ. Fn. 92. f. 13.

Hab. in Lapponia boreali ad flumina rarius; sed in Lapponia meridionali frequentius mihi obvia, ibique ad lacum Stor-Uman, in insula Dolpatie, ad Tresunda et Wilhelmina prope lacum Wojmsjoen, in Stoettingsfjellet, etc., 5. Jul. — 1. Aug., praesertim var. a. et c. vulgares inveni. (Lappon.-Scan. freq.)

Priori affinis et fere magnitudine aequalis. Maculae costales duae plerumque evidentes, prima in medio saepius major, altera intra apicem minor, subquadrata. Interdum vero totus apex albescit, qualis in varietate c. commemoratur. Maculae membranae in interstitiis fuscae, oblongae.

**6. S. saltatoria**: thoracis lateribus subrectis, nigra, hemelytris concoloribus, guttis 6—9 flavis l. albis, membrana sordide albida, nigro-lineata, puncto in interstitiis fusco, pedibus pallescentibus, alis completis; antennis breviusculis. ♂♀. (Long. 1⅓ lin.)

FALL. Cim. Sv. 29. 2. ZETT. Fn. Lapp. 1. 479. 4. ♂♀. *Cimex saltatorius* LINN. Fn. Sv. 954. et *Lygaeus saltatorius* FABR. Rhyng. 239. 184. (forte etiam cum *Sald. pallipede* et *riparia* confusi.) *Lygaeus saltatorius* WOLFF. Cim. 2. 77. 74. t. 8. f. 74.

Hab. in ripis fluminum et ad margines stagnorum a mense Majo usque ad Septemb. in Lapponiis Suecicis, et borealibus et meridionalibus, frequentissime; in Nordlandiae Finmarkiaeque inferalpinis littoralibus a me frustra quaesita. (Lappon.-Scan. freq.)

Praecedentibus minor. Thorax lateribus magis rectus praesertim in mare, quam in affinibus. Guttulae hemelytrorum fere omnes aequales, parvae. Maculae in interstitiis membranae saepe parvae. Pedes in hac uti in omnibus speciebus hujus generis pallescentes magis l. minus nigro-punctatae. Antennae paullo breviores, quam in *S. riparia*.

**7. S. elegantula**: thoracis antice valde coarctati et tuberculati lateribus rectis, atra nitida glabra, hemelytrorum pilosorum margine laterali, antennarum articulo primo apice, et ultimo toto, pedibusque flavis. ♂♀. (Long. vix ultra 1 lin.)

Var. a. ♂♀. hemelytrorum margine laterali guttulis 3—4 flavis et macula ante membranam nivea; antennarum articulo ultimo pallido, summo apice nigro.

FALL. Cim. Sv. 30. 5. Hemipt. Sv. 1829. 75. 7. ♂♀. HUMM. Ess. Ent. No. 6. 1826. p. 15.

Var. b. ♂. hemelytrorum margine laterali haud guttato, et antennarum articulo ultimo fusco.

Hab. in inferalpinis Lapponiae Norvegicae, in Dowre a D. BOHEMAN lecta; var. b. per Amic. NYBLAEUM mihi communicata. (Lapp.-Scan. var. a. rar.)

**8. S. opacula**: thoracis lateribus rectis, opaca nigra, hemelytrorum margine laterali anguste, membranaque nigrolineata, sordide lividis, pedibus fusco-testaceis. ♂. (Long. ¾ lin.)

Hab. cum priori, D. BOHEMAN, a quo unicum specimen mihi missum fuit. (Lapponia.)

Similis *S. saltatoriae*, sed vix ejus varietas pygmaea.

---

C. Membrana hemelytrorum aut ramoso-nervosa, aut nulla (in Tingide capitata subtrinervis).

(Insecta sub cortice arborum saepius degentia, corpore plano.)

## 13. Tingis.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 378. FABR. FALL. Hemipt. Suec. p. 142. g. 19.

*Corpus* pusillum, ovatum, depressum, supra confertim reticulato-nervosum, glabrum. Antennae clavatae. Thorax carinis subtribus. *Color* testaceus, obscurus. *Motus* tardus. Hospitium in floribus gregatim, aut sub lapidibus solitarie; sub cortice arborum saepe hibernans; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* plerumque perspicua; *mas*: ano

operculato, subconvexo, integro; *femina:* ano depresso, breviter rimato. (Spec. Scand. 16.)

*Subdiv.* 1. Thorax postice in scutellum productus, tricarinatus.

* Antennae subnudae. (*Monanthia.* St. Farg. et Serv.

**1. T. costata**: ferrugineo-fusca, supra testacea, maculis aliquot in margine fuscis, obsoletis, pedibus antennisque luteis, clava nigricante; hemelytris in medio dilatatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.)

Fabr. Rhyng. 125. 2. Fall. Cim. Sv. 36. 1. ♂♀. vera. Zett. Fn. Lapp. 1. 480. 1. ♂♀. *Acanthia costata* Panz. Fn. 23. f. 23.

Hab. in aridis Lapponiae sylvaticae rar., vix 1½ lineam longa. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. T. Cardui**: griseo-nigra, supra pallida, maculis crebrioribus fuscis, antennarum medio tibiisque luteis, thoracis margine tenui, elevato. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

Fabr. Rhyng. 125. 3. Fall. Cim. Sv. 36. 2. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 480. 2. ♂♀. *Cimex Cardui* Linn. Fn. Sv. 920. *Acanthia Cardui* Wolff. Cim. 2. 45. 42. T. 5. f. 42. vera (antennis nimis pilosis). *Acanthia clavicornis* Panz. Fn. 3. f. 24. certe (sed *Acanthia clavicornis* Panz Fn. 23. f. 23. forte Synonymon est cum *Ting. Humuli* Fabr. Fall. et *Ting. Echii* Wolff.; species in Suecia frequens, in Lapponia vix obvia).

Hab. in Carduo Lapponiae tempore auctumnali passim; magnitudine praecedentis, at paullo angustior. (Lappon.-Scan. freq.)

**3. T. nigrina**: obscura, hemelytris thorace latioribus cinereis, fusco-nervosis; tibiis testaceis, thoracis margine tenui, reticulatim nervoso. ♀. (Long. vix 1 lin.)

Fall. Cim. Sv. 37. 4. Hemipt. Suec. 145 5. ♀. vera.

Hab. in Lapp. Umensi rarissime; ad Wilhelmina 20. Jul. semel a me capta. (Lapp. merid.-Finland. rariss.)

**4. T. cassidea**: rotundata, planiuscula, fusca supra cinerea, pedibus testaceis, fronte bispinulosa, thoracis lateribus valde explanatis, reticulatis. ♂♀. (Long. ¾ lin.)

Fall. Cim Sv. 37. 6. Hem. Sv. 146. 7. ♂. certiss., ut ex Auctoris collectionis Hemipterorum typo originario mihi relictae, video.

Hab. in Lapponia Umensi rariss.; in paludosis ad Tresunda 12. Jul. a me capta. Ambitu ceteris rotundior. Supra obscure cinerea, hemelytris carinulis 2 distinctis praeditis. (Lappon. merid.; Scania, rar.)

** Antennae pilosae. (*Piesma.* Laporte.)

**5. T. crassicornis**: fusco-ferruginea, supra cinereo-albida diaphana, capite 4-spinoso, antennis dense hirsutis thoracisque disco nigris, hoc pallide tricarinato, marginibus elevato, pedibus ferrugineis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

Fall. Cim. Sv. 38. 8. ♂♀. Zett. Fn. L. 1. 480. 3. ♂♀. In Lapponia inventa fertur, mihi ibi non obvia; in Suecia media et meridionali sub lapidibus frequens, prioribus magnitudine parum cedens. (Lapponia? Ostrogothia et Scan. freq.)

*Obs.* Fallenianae species antennis pilosis: *Tingis spinifrons, foliacea* et *Pyri* hemelytris valde diaphanis vesiculaque thoracis antica inflata insignitae vix incolae Lapponiae sunt, a me saltem ibi nunquam deprehensae.

*Subdiv.* 2. Thorax a scutello distinctus; carinarum 2 rudimento. (*Zosmerus* Laporte. Hemipt.)

**6. T. capitata**: testaceo-grisea, hemelytris nebulosis, basi albidis, apice membrana trinervi immaculata, antennis pedibusque luteis; alis completis. ♂♀. (Long. vix ultra ½ lin.)

Fall. Cim. Sv. 40. 12. Wolff. Cim. 3. 131. t. 13. f. 125. Zett. Fn Lapp. 1. 481. 4. ♂♀.

Hab. in terra locis aridis, in Lapponia boreali rarius; in meridionali frequentius, ex. gr. ad Lycksele, ubi mens. Jun. deprehensa; pusilla, magnitudine pediculi. (Lapp.-Scan. freq.)

**7. T. collaris**: testaceo-grisea, thoracis margine antico hemelytrorumque macula humerali flavo-albidis, membrana nulla, capite nigricante, antennis pedibusque luteis, alarum rudimento. ♂♀. (Long. ½ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 481. 5. ♂♀. *Tingis capitata* var. junior Fall. Cim. Sv. 40. 12. *Acanthia capitata* Panz. Fn. 100. f. 19.

Hab. cum praecedente. (Lappon.-Scan. freq.)

Praecedente duplo minor, et ab ea certe distincta, in copula visa, nec prioris varietas junior ut credit Cel. *Fallen.* Differt a *T. capitata:* colore, magnitudine, apice hemelytrorum non membranaceo, sed substantia reliqui hemelytri, ut et alarum tantum rudimento. Uterque sexus similis.

---

## 14. Aradus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 379. Fabr. Fall. Hemipt. Sv. 1829. p. 134. gen. 17.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, oblongo-ovatum, valde depressum, applanatum, membranaceum, glabrum. Caput spinosum. Antennae subfiliformes, validae. Thorax carinis subsenis. Membrana hemelytror. ramoso-nervosa. Pedes mutici. *Color* niger, obscurus, opacus. *Motus* valde tardus. *Habitatio* larvarum et imaginum sub cortice arborum emortuarum, gregatim; per partem sylvaticam atque alpinam Lapponiae, et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differt sexus, masculus:* ano clavato segmento ultimo ventrali convexo, operculato; *femineus;* ano depresso, rima longitudinali, *femina* etiam *mare* saepissime major. (Spec. Scand. 15 genus naturale formantes).

*Subdiv.* 1. Thorax lateribus denticulatus, postice emarginatus. Hemelytra et membrana angustata, dorsum abdominis non totum tegentia. Majores.

**1. A. betulinus**: sordide nigricans, thoracis lateribus crenulatis, antennis crassis filiformibus, articulis primo et ultimo brevibus, secundo elongato. ♂♀. (Long. 2¾—3 lin.)

Fall. Cim. Sv. 32. 1. Zett. Fn. Lapp. 1. 482. 1. ♂♀. *Aradus Betulae* Fabr. Rhyng 119. 11. (excl. Syn. Linn.)

Hab. sub cortice truncorum emortuorum Abietis in Lapponia per partem sylvaticam passim; ad Juckasjervi et Wittangi Lapponiae Tornensis mens. Junio vidi frequentiorem cum larvis. (Lapp.-Smoland. passim.)

Individua laciniis duabus ultimis analibus in margine abdominis vel truncatis (in masculis), vel acutis (in feminis) occurrunt. Antennarum articulus secundus longitudine tertii et ultimi simul sumtorum.

**2. N. corticalis**: sordide nigricans, hemelytris basi pallidis, thoracis lateribus crenulatis, antennis crassis filiformibus, articulis primo et ultimo brevibus, secundo elongato. ♂♀. (Long. 2¾—3 lin.)

Fabr. Rhyng. 119. 9. Fall. Cim. Sv. 32. 2. Zett. Fn. Lapp. 1. 483. 2. ♂♀. *Cimex corticalis* Linn. Fn. Sv. 917. *Acanthia corticalis* Wolff. Cim. 3. 87. 81. t. 9. f. 81.

Hab. in Boletis et sub cortice arborum emortuarum Pini et Abietis mens. Maj. — Jul. in Lapponia et boreali et meridionali, passim, in Botnia adjacenti frequentius; in copula d. 20. Jul. captus. Magnitudo prioris. (Lappon.-Ostro-Westrogothia freq. Smoland. pass.)

Praecedente simillimus, nec differt nisi hemelytris basi pallidioribus. Oculi in vivis brunnei.

**3. A. Betulae**: sordide nigricans, hemelytris griseis, fusco-nebulosis, thoracis lateribus denticulatis pallidis subdiaphanis, antennis extrorsum crassioribus, articulo secundo longissimo et tertio ultimoque aequalibus longiori. ♂♀. (Long. 2¾—3 lin.)

Var. a. ♂♀. antennis nigris, articulis mediis parum piceis, freq.

Fall. Cim. Sv. 33. 3. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 483. 3. ♂♀. *Cimex Betulae* Linn. Fn. Sv. 918.

Var. b. ♂♀. in copula; antennis nigris, articulo tertio pallido, pass.

Fall. l. c. var. β. Zett. l. c. var. b. ♂♀. *Aradus annulicornis* Fabr. Rhyng. 118. 7.

Var. c. ♂♀. totus fusco-testaceus s. ferrugineus, qui color larvis etiam competit, rar.

Hab. in Boletis Betulae albae per totam Lapponiam mensib. Majo — Septemb. vulgaris. Procedit usque ad alpes, et ad radicem ipsius jugi alpini latere et suecico et norvegico, in Betulae albae arboribus a Lapponibus derelictis et in nive crescentibus, varietates a. et b. medio Julio sat frequentes vidi. Varietatem b. in fungis Betulae ad Alteidet et in Gamstenstind Finmarkiae versus finem mens. Jul. copulatam legi. (Lapp.-Scan. pass. freq.)

Magnitudo priorum. Thorax margine evidentius denticulatus. Antennae basi tenues, extrorsum crassiores, articulo primo brevissimo, secundo longissimo, et quidem longiori quam tertio ultimoque conjunctim, qui aequalem habent longitudinem. Oculi in vivis brunnei, conformes et unicolores. Individua feminea ano acuto, mascula ano obtusiori gaudent. — *Aradus depressus* Fabricii sub hac nostra specie forte latet.

*Subdiv.* 2. Thorax lateribus margine integer, postice truncatus (nec emarginatus). Hemelytra cum membrana dilatata, dorsum abdominis totum tegentia. Minor.

4. **A. lugubris**: ater, antennarum articulo tertio apice pallido, membrana hemelytrorum albida, fusco-nebulosa, alis magnis albis caeruleo-nitentibus. ♂♀. (Long. 1¹—2 lin.)

Fall. Cim. Sv. 34. 8. Hemipt. Sv. 139. 8. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 484. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; in sylva acerosa Juckasjervi mens. Jun. feminam vidi, at in parietibus ligneis quidem e trabibus pineis exstructis ad Bossekop et Alteidet, Finmarkiae mens. Aug. utrumque sexum haud parce legi. Ad Muonioniska D. Kolström. In Lapponiis meridionalibus quoque occurrit, et a Lycksele usque ad Umenaes praesertim in parietibus ligneis, mens. Jul. observavi. (Lappon.-Scania pass.)

Praecedentibus duplo minor. Antennae filiformes, sat crassae, breviusculae: articulus primus brevissimus, secundus elongatus, longitudine scilicet tertii et ultimi simul sumtorum, qui inter se aequalem habent longitudinem. — Huic Subdivisioni inseri potest *Aradus laevis* Fabr., Ostrogothiae sed vix Lapponiae incola.

## 15. Acanthia.

Fabr. Rhyng. 20. Fall. Hemipt. Sv. 1829. p. 140. gen. 18. *Cimex* Linn. Latr.

*Corpus* minoris magnitudinis, orbiculato-ovatum, depressum, applanatum, subpubescens. Antennae extrorsum capillares. Hemelytra brevissima. Alae (in europaeis speciminibus) nullae. *Color* ferrugineus. *Odor* foetidus. *Motu* die tarda, nocte celerior. *Habitatio* in domibus. Sanguisuga *Differentia sexus* in rima anali feminae brevi, maris nulla, aegre observatur. (Spec. Scand. 1. nimis nota, in terris calidioribus extra Europam forte alata.)

1. **A. lectularia**: ferruginea, aptera, hemelytris brevissimis, ovato-trigonis, transverse oppositis. ♂♀. (Long. 1¼—1½ lin.)

Fabr. Rhyng. 112. 1. Wolff. Cim. 4. 121. t. 13. f. 121. Fall. Cim. Sv. 27. 1. Zett. Fn. Lapp. 1. 485. 1. ♂♀. *Cimex lectularius*: Linn. Fn. Sv. 909. Stoll. Cim. 2. T. 19. f. 131. B. ♂♀.

Suecis: *Wäggius*; Scanensibus: *Skäkta*; Norvegis: *Sengetäge*.

Hab. toto anno in omnibus Lapponiis, ubi homines exstruxerunt domicilia, ut etiam in adjacentibus Botnia boreali et occidentali, passim copiose. Deprehenditur quoque in Nordlandia et Finmarkia Norvegiae, ex. gr. ad Giebostad in insula Senjen, atque ad Bossekop, ubi parce legi. (Lappon.-Scan. pass. freq.)

D. Membrana hemelytrorum, praeter aream sesquialteram basalem, enervis.

(Insecta terrestria, herbivora, corpore convexiusculo, antennis longitudine fere corporis.)

## 16. Phytocoris.

Fall. Disp. Hem. 13. Hemipt. Suec. 1829. p. 76. gen. 14. *Miris* Latr. *Lygaei* species Fabr.

*Corpus* mediae l. minoris magnitudinis, oblongo-ovatum, molle. Antennae setaceae, articulo secundo ad apicem vix incrassato. Thorax breviter trapeziformis, postice latior. Tibiae spinulosae. Hemelytrorum apex fractus. *Color* virescens, laetus, pallidus, raro obscurus. *Motus* tardus, et volatus. *Habitatio* in foliis fruticum herbarumque; hinc nomen; per partem sylvaticam Lapponiae, rarius in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae. *Differentia sexus* in ano maris subtus convexo, feminae carinato, rimato, facillime invenitur. (Spec. Scand. 87. in Museo meo adsunt. Nomen generis a φυτὸν *planta*, et κόρις *cimex* derivatum.)

*Subdiv.* 1. Corpus oblongum. Thorax antice quam postice multo angustior. Caput parum dilatatum, subexsertum.

* Unicolores; virescentes. Tibiae nigro-spinosae. (Majores.)

1. **Ph. bipunctata**: pallide virescens, supra nigro-pubescens, thoracis disco punctis 2 nigris, membrana hemelytrorum infuscata, nervo pallido, femoribus impunctatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 486. 1. ♂♀. *Lygaeus bipunctatus* Fabr. Rhyng. 235. 158. ♂. Fall. Cim. Sv. 75. 26. ♂♀.

Hab. in plantis Lapponiae rarius; circiter 3 lineas longa. (Lapp.-Scan. freq.)

2. **Ph. pabulina**: virescens, supra tenuiter pallide pubescens, immaculata, capite flavescente, membrana hemelytrorum parum infuscata, nervo viridi, tarsis fuscis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 486. 2. ♂♀. *Lygaeus pabulinus* Fabr. Cim. Sv. 75. 28. ♂♀. verus. *Cimex pabulinus* Linn. Fn. Sv. 947? *Miris pabulinus* Fabr. Rhyng. 254. 5?

Hab. in plantis Lapponiae borealis passim; in Lapponia meridionali frequentius, in Salice caprea ad Wilhelmina mens. Jul. in copula saepe capta; praecedente paullo minor. (Lappon.-Scan. freq.)

3. **Ph. contaminata**: virescens, supra tenuiter pallide pubescens, capite flavescente, hemelytrorum apice membranaeque area basali fusco-maculatis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 487. 3. ♂♀. *Lygaeus contaminatus* Fall. Cim. Sv. 76. 29. ♂♀.

Hab. in plantis et fruticibus, per partem sylvaticam Lapponiae et borealis et meridionalis, mens. Jul. — Sept. passim, minus frequens. (Lappon.-Ostrogothia freq.)

Magnitudo praecedentis. Hemelytrorum membrana hyalina, area basali dimidiatim infuscata, et extra illam maculis interdum 3 l. 4 fuscis.

4. **Ph. nassata**: viridis, supra aureo-pilosa, antennis pallidis, hemelytris margine flavescente, costa ciliata, membranae nervo aeruginoso; thorace sublaevi. ♂♀. (Long. 2½ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 487. 4. ♂♀. *Lygaeus nassatus* Fabr. Rhyng. 236. 167? Fall. Cim. Sv. 76. 31. ♂♀.

Hab. in fruticibus Lapponiae borealis mense Aug. passim; in Lapponia meridionali frequentius, ad Lycksele praesertim in copula saepe deprehensa. (Lapp.-Scan. freq.)

Praecedentis longitudine, angustior; pedibus interdum pallescentibus, qualem describit Fabricius.

5. **Ph. marginata**: viridis glabra, antennis pallidis, hemelytris margine flavescente, costa mutica, membranae nervo virescente. ♂♀. (Long. 2¼ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi, rarius; in fruticibus praesertim Salicinis ad Wilhelmina 18—21. Jul. tamen frequentiorem vidi, saepe in copula. Simillima priori, glabritie corporis et costa mutica praecipue distincta. Thorax etiam paullo magis transversim rugulosus videtur, tuberculis collaribus ordinariis evidentioribus. Tarsi apice fusci. Exsiccata fere tota pallida evadit, tantum thoracis postico hemelytrorumque disco interiori colorem viridem conservantibus. (Lapp. meridional.-Hernösand. 30. Aug. ♀. rar.)

6. **Ph. angulata**: viridis, supra pilosa, antennis pallidis, hemelytris angustatis viridissimis, membrana hyalina, nervo aeruginoso; thorace immarginato, transversim sulcato, apice summo angulorum posticorum nigro. ♂♀. (Long. 1¾ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 487. 5. ♂♀. *Lygaeus angulatus* Fall. Cim. Sv. 76. 32. ♀.

Hab. in Lapponia rarius; praecedente minor, multo angustior. (Lapp.-Hernösand.-Scan. pass.)

** Varicolores. Elytra nigro-rufo-testaceo-virescenti-variegata, pictura in apice (ad fracturam) saepe insigniori.

a) Majores.

7. **Ph. striata**: nigra, thoracis macula pallida, hemelytris flavo-striatis apice luteis, abdominis segmentis anticis albomarginatis. ♂♀. (Long. 4—5 lin.)

Var. a. ♂♀. pedibus rufis, antennarum articulo tertio saepe albo-annulato praesertim in ♀.

Zett. Fn. Lapp. 1. 488. 6. a. ♂♀. *Cimex striatus* Linn. Fn. Sv. 960. Wolff. Cim. 1. 37. 37. t. 4. f. 37. *Miris striatus* Fabr. Rhyng. 255. 15. *Lygaeus striatus* Panz. Fn. 93. f. 22. Fall. Cim. Sv. 78. 37.

Var. b. ♂♀. pedibus nigris.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in Lapponiae meridionalis plantis; 4—5 lin. longa. (Lapp.-Scan. pass.)

8. **Ph. striatella**: virescenti-testacea, scutello flavo, thoracis punctis quatuor limboque postico intramarginali nigris, hemelytris fusco-striatis, macula apicis albida sanguineo-terminata. ♂♀. ((Long. 3—3¾ lin.)

*Mas*: abdomine nigricante.

*Fem.*: abdomine pallescente.

Zett. Fn. Lapp. 1. 488. 7. ♂♀. *Lygaeus striatellus* Fabr. Rhyng. 236. 164. ♀. Panz. Fn. 93. f. 17. Fall. Cim. Sv. 78. 38. ♂♀.
Hab. cum praecedente rarius. (Lapp. Scan. pass.)

**9. Ph. Populi**: pallescens, supra albo-fusco-que nebulosa, femoribus apice nigro-punctatis, tibiis antennisque obscuris, albo-subannulatis. ♂♀. (Long. 3 lin.)
Zett. Fn. Lapp. 1. 488. 8. ♂♀. *Cimex Populi* Linn. Fn. Sv. 963. *Lygaeus Populi* Fabr. Rhyng. 237. 171. Fall. Cim. Sv. 79. 39. ♂♀.
Hab. in Lapponiae sylvaticis rarius. Priori fere brevior, sed non angustior. (Lapp.-Scan. freq.)

**10. Ph. fulvo-maculata**: nigricans l. brunnea, supra aureo-pubescens, hemelytrorum apice fulvo, nigro-terminato, pedibus ferrugineis, nigro-punctatis. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.)
*Mas*: tota obscurior, hemelytris brunneis, macula apicis fulva distincta.
*Fem.*: pallidior, rufo-brunnea, hemelytris pedibusque dilutioribus.
Zett. Fn. Lapp. 1. 489. 9. ♂♀. *Lygaeus fulvo-maculatus* Fall. Cim. Sv. 81. 46. var. β.
Hab. in Lapponiae et borealis et meridionalis sylvis, mens. Aug. passim; ad Kengis frequentiorem vidi, praesertim mares; in fruticibus ad Åsele 27. Jul. quoque lecta. Magnitudo praecedentis. (Lapp.-Scan. pass.)

**11. Ph. lateralis**: nigra, supra aureo-pilosa, hemelytrorum margine laterali pallido, parte apicali fracta rufa, summo apice nigro, tibiis testaceis. ♂♀. (Long. 4 lin.)
Var. a. ♂♀. hemelytris nigris margine laterali late pallido, parte fracta rufa, apice nigra.
Fall. Hemipt. Sv. 1829. 88. 23. a. ♂♀.
Var. b. ♂♀. similis a, hemelytris totis fulvis, apice rufis.
Fall. l. c. var. b. ♂♀.
Hab. in Lapponia rarius; in graminosis ad vicum marinum, Marifjerden, Norvegiae, 26—27. Aug., a D. Boheman inventa. (Lapponia Norvegica-Finlandia, Sahlb. — Ostrogothia ad Wadstena freq. D. Dahlbom. — Scania pass.)

b) Mediocres.

**12. Ph. pratensis**: supra impresso-punctata, testaceo-viridi-rufescens nitida, glabra, scutello albo-cordato, hemelytrorum puncto apicali sanguineo, abdomine macula ventrali nigra. ♂♀. (Long. 1¾—2¼ lin.)
Zett. Fn. Lapp. 1. 489. 10. ♂♀. *Cimex pratensis* Linn. Fn. Sv. 949. *Lygaeus pratensis* Fabr. Rhyng. 234. 155. Fall. Cim. Sv. 83. 50. *Lygaeus umbellatarum* Panz. Fn. 93. 19?
Hab. in Lapponiae plantis minus frequens. — Variat magis l. minus rufescens. Mas plerumque obscurior, femina corpore saepe magis virescente. (Lapp.-Scan. freq.)

**13. Ph. campestris**: supra impresso-punctata, testaceo-virescens, tenuiter pubescens, scutello albo-maculato, hemelytrorum medio macula infuscata. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.)
Zett. Fn. Lapp. 1. 489. 11. ♂♀. *Cimex campestris* Linn. Fn. Sv. 950. *Lygaeus campestris* Fall. Cim. Sv. 83. 51. ♂♀. certe (at vix Fabricii idem.)
Hab. in campis, agris et cultis ut et in Pinetis per partem sylvaticam totius Lapponiae mensib. Maj. — Aug. ubique vulgaris, ad Wittangi et Muonioniska, Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele et Wilhelmina, Lappon. Tornensis, praesertim frequens. Occurrit etiam in Nordlandiae inferalpinis, et ad Björkvik mens. Jul. a me visa. (Lappon.-Scan. freq.)
*Phytoc.* pratensi similis et affinis, at saepe paullo minor. Colore sat variabilis, vel tota fusco-nebulosa, vel magis pallescens. Mas femina semper obscurior. Scutellum plerumque albo-triguttatum. A priori non facile dignoscitur nisi pubescentiam attente observes.

**14. Ph. punctata**: profunde punctata, nitida glabra subfusca, supra testaceo-ferruginea fusco-maculata, membrana hemelytrorum fumata. ♂. (Long. 2¼ lin.)
Hab. in Lapponia Umensi rarius; in Pinubus ad Lycksele pauca specimina Aug. legi. (Lapp. meridion.)
Duabus proxime praecedentibus valde affinis et similis, sed a *Ph. pratensi* pictura s. colore magis variegato, a *Ph. campestri* magnitudine majori hemelytrorumque glabritie, et ab utraque supra punctura profundius impressa. Corpus fuscum, linea ventrali utrinque rufa. Supra testaceo-ferruginea, thoracis rugulis anticis, scutelli macula media hemelytrorumque maculis difformibus summoque apice, nigris. Pedes testacei nigro-punctati.

**15. Ph. rubicunda**: subtiliter punctulata, rufo-testacea, abdominis macula ventrali nigra, scutello hemelytrisque fusco-sanguineis immaculatis, aureo-subpubescentibus. ♂♀. (Long. 1½ lin.)
Zett. Fn. Lapp. 1. 490. 12. ♂♀. *Lygaeus rubicundus* Fall. Cim. Sv. 84. 53. ♂♀. var. pallidior.
Var. b. ♀. tota pallida seu flava. Lycksele.
Hab. in foliis Salicis et Pini per partem sylvaticam Lapponiae totius tempore vernali (mens. Maj. — Jun.) vulgaris, ad pagos Turtola, Kengis, Wittangi et Muonioniska nec non Lycksele, frequens; in glacie fluminis Angermanniae et Umensis jam mense Aprili plura specimina capta. (Lapponia Finlandia — Ostrogothia rar.)
Affinis *Phytocori campestri*, at paullo minor et distincta. Antennae breviores. Tota rufescens, scutello hemelytrisque saturatioribus, sanguineis. Membrana fusco-maculata, nervo sanguineo. Pedes fusco-maculati. Mas semper obscurior, thorace saepe fusco-maculato. — Specimina, quae in Quercu in monte insigni Omberg Ostrogothiae haud pauca collegi, ut etiam illa, quae a Nobiliss. Gyllenhal e Westrogothia obtinui, communiter pallidiora sunt lapponicis.

**16. Ph. rufipennis**: flavo-viridis, supra laevis, tenuiter nigro-pubescens, hemelytris miniatis, apice saturatioribus, pedibus immaculatis. ♂♀. (Long. 1½ lin.)
Zett. Fn. Lapp. 1. 490. 13. ♂♀. *Lygaeus rufipennis* Fall. Cim. Sv. 84. ♂♀.
Hab. in sylvis acerosis Lapponiae borealis rarius; in Pinu ad Muonioniska d. 17. Aug. in copula a me capta, in Lapp. meridionali ad Lycksele et Åsele 26. Jul. — 16. Aug. frequentius, praesertim mares visi. (Lapp.-Scan. pass. freq.)
Prioribus hujus Subdivisionis angustior. Tota virescens. Hemelytra rufo-testacea, apice saturatiore. Membrana subinfuscata, nervo rufescente. Color maris intensior.

**17. Ph. ambigua**: laevis, rubiginosa, supra aureo-pilosa, hemelytris apice rufis, antennis albidis, articulo primo toto secundoque apice nigro, pedibus pallidis vel rufescentibus. (Long. fere 1½ lin.)
Zett. Fn. Lapp. 1. 491. 14. *Lygaeus ambiguus* Fall. Cim. Sv. 89. 64. ♂♀.
Hab. in fruticibus Lapponiae forte rarissime; Collect. D. Kolström. (Lapp.-Scan. freq.)
Praecedentibus minor, nigricans vel fusco-ferruginea. Hemelytra brunnea vel rubiginosa, apice rufa, et ante apicem macula angusta pallida. Membrana infuscata, macula basali albida. Pedes pallidi aut rufescentes. Femora subincrassata. Alae caeruleo-nitentes.

**18. Ph. Betuleti**: supra fulvo-pilosa, tota nigra, antennis concoloribus, pedibus varicoloribus, hemelytris rubiginoso-nigris, lunulis ante apicem sub binis albidis. ♂♀. (Long. fere 1½ lin.)
Fall. Hemipt. Sv. 1829. 97. 41. ♂♀.
Hab. in Lapponia meridionali passim, ad Lycksele et Tresunda a me capta; e Lapponia Tornensi a D. Frigelio missa. (Lapp.-Scan. pass.)
Oblonga. Ab affinibus vix nisi antennis totis nigris dignoscitur. Pedes variant lividi, fusci, nigri. Hemelytrorum lunulae albae apicales plerumque 2, una in flexura et altera in membranae nigricantis basi juxta hemelytrorum summum apicem. Hemelytra e corpore elevata nigro-rubiginosa videntur.

**19. Ph. aethiops**: oblongo-ovata tota atra, supra tenuiter fulvo-pilosa, geniculis anticis pallidis, membrana fusca. ♀. (Long. fere 1½ lin.)
Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Åsele 26. Jul. a D. Dahlbom detecta. (Lappon. meridionalis.)
Statura et color *Ph. nigritae* et *Gyllenhali* Fall. sed hemelytrorum apice etiam nigro, nec luteo, distincta. Tota cum antennis et pedibus atra. Membrana fusca ad basin juxta hemelytrorum apicem macula alba. Alae albae caeruleo-nitent. Haec et 3 proxime praecedentes species supra laeves, haud punctulatae.

c) Minores.

**20. Ph. Kalmii**: supra nigricans, nitida, punctulata, thoracis fascia media, scutello, hemelytrorum antico et macula postica, abdominis vitta laterali, pedibusque flavis, femoribus posticis apice fusco-annulatis. ♂♀. (Long. 1½ lin.)
Zett. Fn. Lapp. 1. 491. 15. ♂♀. *Cimex Kalmii* Linn. Fn. Sv. 948. *Capsus flavo-varius* Fabr. Rhyng. 243. 10. *Lygaeus flavo varius* Fall. Cim. Sv. 86. 56. ♂♀.
Hab. in Lapponiae mitioris herbis et umbellatis rarius. (Lappon.-Scan. freq.)
*Obs. Phytocoris Pastinacae*: „laete viridis, nitida, punctulata, antennarum apice, hemelytris interne maculaque postica fuscis, scutello viridissimo" Fall. l. c. 86. 57. huic affinis et magnitudine aequalis, in Svecia vulgatissima, in Lapponia a me non visa.

**21. Ph. tripustulata:** nigra, nitida, punctulata, capite, thoracis macula antica, scutello, maculis hemelytrorum subtribus pedibusque flavis, femoribus fusco-punctatis. ♂♀. (Long. 1⅓ lin.)

*Lygaeus tripustulatus* FABR. Rhyng. 239. 182. FALL. Cim. Sv. 87. 59. ♂♀.

Hab. in Lapponiae herbis rarius. Magnitudo *Ph. Kalmii*. (Lappon.-Scan. freq.)

**22. Ph. Gyllenhali:** breviter ovata, nigra opaca, supra subtilissime punctulata, argenteo-pubescens, hemelytrorum apice fulvo, membrana infuscata, reclinata, femoribus pallide maculatis, antennarum basi tarsisque albidis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 492. 17. ♂♀. *Lygaeus Gyllenhali* FALL. Cim. Sv. 88. 61. ♂♀.

Hab. in Lapponia, ut fertur, mihi ibi non obvia. Priori paullo minor. (Lapp.-Ostrogothia-Scan. pass.)

**23. Ph. variabilis:** oblonga, nigro-picea, aureo-pilosa, laevis, hemelytris nigro-rubiginosis, apice dilutioribus, antennis tibiisque albidis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 492. 18. ♂♀. *Lygaeus variabilis* FALL. Cim. Sv. 88. 62. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Ostrogothia freq. Scan rar.)

Priori longior, sed angustior. Hemelytra obscure rubiginosa, apice sanguineo. Membrana infuscata, macula basali ad apicem hemelytri parva albida. Alae caeruleo-nitentes. Femora anteriora nigricantia, apice pallida, postica rufescentia, nigro-punctulata.

**24. Ph. graminicola:** oblonga, nigricans nitida, supra aureo-pubescens laevis, hemelytris nigro-piceis, apice dilutiori, membrana fusca, macula basali albida. ♂♀. (Long. 1⅓ lin.)

Hab. in Lapponiae Tornensis graminosis mense Augusto rarius; ad Karesuando et Muonioniska utrumque sexum legi. (Lapponia.)

Affinis praecedenti, eique vix major. Tota nigro-picea supra parce aureo-pilosa. Hemelytrorum apex nigro-ferrugineus ad flexuram linea albida. Membrana nigro-fusca, macula basali ad apicem hemelytri albida. Alae caeruleo-nitentes. Pedes toti picei, interdum dilutiores. *Phytoc. ambiguae* FALL. similis, sed minor, parcius pilosa et aliter colorata.

**25. Ph. Arbustorum:** supra olivacea, pilosa, capite nigro, antennarum apice pedibusque pallidis, femoribus nigro-punctatis. ♂♀. (Long. 1⅓ lin.)

Var. a. ♂♀. corpore nigro, hemelytris nigro-olivaceis.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 493. 20. a. ♂♀. *Lygaeus arbustorum* FALL. Cim. Sv. 90. 68. var. ae. ♀.

Var. b. ♂♀. abdomine nigro, thorace, scutello hemelytrisque olivaceis.

ZETT. l. c. var. b. ♂♀. *Lygaeus arbustorum* FABR. Rhyng. 238. 174. certe. FALL. l. c. var. *β*. ♀.

Hab. in graminosis et plantis humilioribus locis aridis Lapponiae sylvaticae borealis tempore autumnali, minus frequens; ad Johannis Ro, juxta Calix elf, Botniae borealis mense Septemb. tamen copiose legi. In Pino ad Lycksele utrumque sexum var. b. 17. Aug. quoque vidi. Var. a. ibi frequentior. (Lapp.-Ostrogothia, Scan. pass.)

Magnitudo prioris. Antennarum articulus tertius ultimusque capillares, albidi. Striga pallida ad flexuram in apice hemelytrorum parum perspicua, at lunula alba ad basin membranae fuscae evidens. — Nomen triviale minus quidem placet, datum insecto, quod in arbustis rarissime, in Urtica dioica et aliis plantis viaticis per totam Sveciam vulgatissime occurrit; retineatur tamen, ne augeatur Synonymia.

**26. Ph. rosea:** flavescens, supra aureo-pilosa, rosea, hemelytrorum apice concolore, membrana fumata, femoribus apice fusco-subpunctatis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

FALL. Hem. Sv. 101. 47. ♂♀. *Lygaeus roseus* FABR. Rhyng. 238. 178.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Lycksele 10—16. Aug. utrumque sexum legi. (Lapp.-Ostrog.-Scan. pass.)

**27. Ph. rubricata:** rufescenti-testacea, supra-pubescens, hemelytrorum puncto apicali sanguineo, antennis pedibusque flavis, femoribus posticis apice miniatis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 493. 21. ♂♀. *Lygaeus rubricatus* FALL. Cim. Sv. 91. 70. ♂♀.

Hab. in foliis Pini et Abietis Lapponiae borealis rarius; ad Lycksele Lapp. meridionalis, 12—16. Aug. ♀. quoque lecta. Magnitudo *Phytoc. variabilis*, forte angustior. (Lapp.-Ostrogothia freq.-Scan. rar.)

Membrana hemelytrorum maculis aliquot fuscis, nervo plerumque sanguineo. Femora postica apice sanguinea, tibiis spinosis.

**28. Ph. Bohemanni:** glabriuscula subnitida, nigricans, hemelytris albo-nigroque variis, tibiis albidis nigro-punctatis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Var. a. ♂. nigra, hemelytris olivaceo-nigris, basi vitta difformi, maculaque intra apicem rotundata, albis; tibiis albidis nigro-punctatis, freq.

FALL. Hemipt. Sv. 1829. 106. 58. ♂♀.

Var. b. ♂♀. nigro-fusca, albedo hemelytrorum ut in a; pedes fusco-albidi, tibiis nigro-punctatis.

Var. c. ♂♀. nigro fusca, thoracis antico rufo, hemelytris albis, macula laterali in medio majori, apiceque nigris, pedibus ut in a. et b.

*Phyt. ruficollis* FALL. l. c. 107. 60. ♀.

Var. d. ♀. similis c. sed tota adhuc dilutior, maculis hemelytrorum fuscis obsoletis.

Hab. in Lapponia meridionali, ubi omnes varietates in Salicibus in ripa fluminis Umensis ad Lycksele, 10—20. Aug. BOHEM. (Lapp.-Smoland.-Scan. var. c. rar. frequenter inveni. In Salice caprea ad Vaage Norveg. 4. Aug.)

**29. Ph. obscurella:** obscure fusca, supra dense griseo-pubescens, pedibus sordide pallidis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.)

FALL. Hem. Suec. 1829. 108. 62. ♀. certe.

Hab. in Lapp. merid. passim, ad Lycksele Aug. inventa. (Lappon.-in Pinetis Gottlandiae, Ostrogothiae in Omberg, Smolandiae, freq.-Scaniae rar.)

**30. Ph. pinetella:** glabra subnitida fusco-nigricans, hemelytris dilutioribus, antennis pedibusque pallidis immaculatis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.)

*Mas:* hemelytris fuscis.

*Fem.:* hemelytris pallescentibus.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 494. 22. ♂♀.

Hab. in Lapponiae Pinetis rarius; ad Lycksele Lappon. Umensis et ad Bossekop et Alten Finmarkiae Norvegicae initio mensis Aug. et larva et imago utriusque sexus a me lecta. (Lapponia Finmarkica et Suecica meridionalis.)

*Phytocore arbustorum* duplo minor, inter minimas generis. Tota glabriuscula. Caput, thorax, scutellum et abdomen nigro-fusca. Hemelytra in mare fusca, in femina pallida, flexura ante apicem albida; membrana in utroque sexu subhyalina, parum fusco-maculata. Alae caeruleo-renitent, ut in plerisque. Antennae et pedes glabra, immaculata, in mare testacea, in femina flava, tibiis in utroque sexu parce spinulosis. — An *Capsi* generis?

*Obs.* *Ph. Thunbergii* (*Lygaeus* idem FALL.): viridi-fuscoque variegata, supra virescenti-pallida, hemelytris fusco-sublineatis, nigro-pilosa, thoracis fascia antica interrupta nigra, pedibus pallide virescentibus, femoribus nigro-punctatis; et

*Ph. Ericetorum* (*Lygaeus* idem FALL.): minuta, flavescens, supra pilosa, hemelytris viridibus, puncto apicali flavo, membrana infuscata.

In Lapponia etiam habitare putantur; mihi vero nec ibi, nec in Botnia obviae, in Suecia inferiore, praesertim in Ostrogothia, valde frequentes.

**31. Ph. nigritula:** nitida, glabriuscula nigra, membrana fusca, tibiis pallidis. (Long. 1⅛ lin.)

Var. a. ♂♀. tota nigra, tibiis solum pallidis.

Var. b. ♀. tota nigra, pedibus pallidis, femoribus leviter infuscatis.

Var. c. ♀. nigra, pedibus pallidis, femoribus posticis hemelytrisque fuscis.

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Lycksele, Wilhelmina et Umenaes a me, Jul. Aug. capta. (Lappon.-Smolandia?)

Similis *Ph. pulicariae* (No. 34), duplo major. Supra tenuissime puberula. Antennae apice fuscae. Hemelytra nigro unicolora, apice vix fracta. Membrana obscura immaculata. Alae albae nitentes. Femora postica subincrassata. Tibiae omnes nigro-spinulosae.

*Subdiv.* 2. Corpus obtusum, subquadratum. Thorax antice quam postice parum angustior. Caput latum, subsessile l. collo nullo a thorace distinctum. (Capsiformes). Unicolores, parum pictae.

* Pedes postici femoribus simplicibus. (Minores). *Attus* HAHN.

**32. Ph. leucocephala:** supra impresso-punctata, atra nitida, capite, antennarum basi pedibusque fulvis. ♂♀. (Long. 1¼—1½ lin.)

Var. a. ♂♀. capite fulvo.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 495. 23. a. ♂♀. *Cimex leucocephalus* LINN. Fn. Sv. 940. *Lygaeus leucocephalus* FABR. Rhyng. 237. 173. PANZ. Fn. 92. f. 12. certe. WOLFF. Cim. 2. 76. 73. t. 8. f. 73. (antennis apice nimis capillaribus). FALL. Cim. Sv. 94. 77. ♂♀.

Var. b. ♂. capite nigro.

ZETT. et FALL. l. c. var. *β*.

Hab. in Lapponia, a medio mensis Jul. ad medium mens

Aug. passim; varietatem a. in graminosis ad Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis, varietatem vero c. in ripa fluvii Storelfven prope Talvig, ut et in graminosis ad Alteidet Finmarkiae, frequentius vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

**33. Ph. Pinastri**: supra impresso-punctata, nitida varicolor, capite, antennis pedibusque pallidis, his ferrugineo-punctatis maculatisque. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

*Mas*: thorace, scutello, pectore abdomineque nigris l. piceis, hemelytris l. nigris l. fusco-brunneis, membrana infuscata.

*Fem.*: saepe tota testacea, abdomine membranaque obscuris. Pedes pallidi ferrugineo-maculati. Color vero feminae etiam interdum nigricans ut in mare.

Zett. Fn. Lapp. 1. 495. 24. ♂♀. *Lygaeus Pinastri* Fall. Cim. Sv. 95. 79. ♂♀.

Var. b. ♀. thorace elytrisque nigris. Lycksele.

Hab. in foliis Pini sylvestris Lapponiae rarius. (Lappon-Ostrogothia freq.)

Praecedente paullo angustior. Pedes pallidi, femoribus basi ferrugineis. Apex quoque femorum tibiaeque rufo-punctata.

°° Pedes postici femoribus incrassatis saltatorii. (Minutissima).

**34. Ph. pulicaria**: supra laevis, nigra, subnitida, glabriuscula, antennis extrorsum fuscis, femorum apice tibiisque albis, nigro-punctatis, alis completis. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$-$\frac{3}{4}$ lin.)

Var. a. ♂♀. membrana hemelytrorum completa, obscura, immaculata, femoribus basi nigris.

Zett. Fn. L. 1. 496. 25. ♂♀. *Lygaeus pulicarius* Fall. Cim. Sv. 95. 81. ♂♀.

Var. b. ♂♀. membrana hemelytrorum breviori, hyalina, basi infuscata, femoribus fere totis pallidis.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in graminosis aridis Lapponiae sylvaticae borealis mense Augusto et initio Septemb. passim frequens; occurrit etiam rarius in Finmarkiae subalpinis, et in alpe Gamstenstind prope Alteidet versus finem mens. Julii a me capta. In Lapponiae meridionalis graminosis hanc speciem ad Lycksele et Wilhelmina 21. Jun. — 15. Jul. vidi. (Lappon.-Scan. frequentiss.

*Phytocoris pallicornis* (*Salda pallicornis* Fabr. et *Cicada aptera* Linn. Fn. Sv.) „duplo l. triplo major, nigra nitida, antennis, femorum apice tibiisque albidis, impunctatis, membrana hemelytrorum alisque nullis, femoribus posticis crassis;" in tota Suecia mens. Jul. Aug. vulgatissima, in Lapponiae graminosis forsitan etiam hospitatur, licet huc usque non observata.

## 17. Capsus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 365. Fabr. Fall. Hemipt. Suec. 1829. p. 114. gen. 15.

*Corpus* mediae l. minoris magnitudinis, oblongo-ovatum aut angustatum, molle. Antennae setaceae, articulo secundo longissimo; plerumque versus apicem crassiori (aut in larvis, aut in imaginibus). Thorax latitudine subaequalis, antice tuberculis 2 nigro-nitentibus saepius praeditus. In Subd. 2da thorax saepissime anterius angustatus, tuberculis evidentioribus, quasi globulos in collare formantibus. Caput dilatatum. Tibiae spinulosae. Hemelytrorum apex fractus. *Color* niger, testaceus, pictura (quando adest) maculata l. strigata. *Motus* in attacto celer; insectum vero sibi relictum tarde procedit, volat. *Habitatio* in graminosis et fruticibus, sylvestris raro alpestris. *Differentia sexus* ut in *Lygaeo*. Feminae ante explicationem completam saepe copulantur, et in quibusdam femina tota vita aptera manet. (Spec. Scand. 28, vix a genere *Phytocore* separandae.)

*Subdiv.* 1. Corpus ovato-oblongum. Uterque sexus alatus.

**1. C. ater**: supra impresso-punctatus, pubescens ater, rostri basi pedibusque rufescentibus, antennarum articulo secundo apice distincte crassiore, tertio (penultimo) basi albo. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{1}{2}$ lin.)

Fabr. Rhyng. 241. 2. Fall. Cim. Sv. 97. 1. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 497. 1. ♂♀. *Cimex ater* Linn. Fn. Sv. 944.

Hab. in Lapponia secundum Collectionem Dom. Doctoris Deutz. (Lapp.-Scania pass.)

Major in suo genere. Facies *Saldae*, oculis exsertis. — Varietas: capite, thorace pedibusque rufis, in Svecia media vulgaris, an quoque in Lapponia occurrit?

**2. C. bifasciatus**: supra laevis, glaber, ater, pedibus hemelytrisque testaceis, his strigis duabus transversis albis, antennarum articulis primo toto, secundo ad medium, tertioque basi, ferrugineis, ultimo albissimo, apice fusco. ♂♀. (Long. 2 lin.)

Fabr. Rhyng. 242. 7. Fall. Cim. Sv. 99. 5. Diagnos. (exclus. Syn. Linn. et descriptione). Zett. Fn. Lapp. 1. 497. 2. ♂♀.

Hab. in Pinetis Lapponiae rarius; priori paullo minor, angustior. (Lapp.-Scan. pass.).

Caput saepe ferrugineum. Antennarum articulus ultimus quasi biarticulatus, albissimus, summo apice fusco. Fasciae hemelytrorum pubescentes, niveae, antica exterior, intus abbreviata, postica integra. Scutellum etiam (in illaesis) maculis tribus pubescentibus albis.

**3. C. clavatus**: supra laevis, glabriusculus niger, pedibus obscure testaceis, hemelytris nigro-brunneis, strigis subduabus albis, antennarum articulis primo toto secundoque ultra medium ferrugineis, tertio ultimoque basi albis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.

* Zett. Fn. Lapp. 1. 498. 3. ♂♀. *Cimex clavatus* Linn. Syst. Nat. 2. 729. 97. *Capsus bifasciatus* Fall. Cim. Sv. 99. 5. Descript. (exclusa diagnos.), ut videtur cum priori confusus.

Hab. cum praecedente mense Aug. frequentius; in silva Sangits et ad Johannis Ro Botniae borealis, uterque sexus die 2 Sept. quoque captus. Ad Lycksele, Lappon. Umensis, 5—10 Aug. haud infrequenter visus. (Lappon.-Ostrogoth.-Scan. pass.).

Similis praecedenti, obscurior. Caput nigrum, antice ferrugineum. Hemelytra fusco-brunnea, in illaesis individuis aureo-parce pubescentia, fasciis subtribus niveis pubescentibus, antica intus abbreviata, media fracta, postica (intra apicem) obsoleta. Pedes obscure testacei. Thorax, ni valde fallor, antice paullo latior est, quam in priori specie. Corpus quoque paullo robustius, crassius, postice clavatum videtur, praesertim in femina. — Species sine dubio propria et distincta.

**4. C. magnicornis**: supra laevis, aureo-pilosus niger, antennarum articulo secundo fusiformi concolore, ultimis capillaribus pedibusque pallidis, femoribus posticis incrassatis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.)

*Mas*: antennarum articulo secundo modice incrassato, compresso.

*Fem.*: antennarum articulo secundo valde incrassato, fusiformi.

Fall. Cim. Sv. 99. 7. Zett. Fn. Lapp. 1. 498. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponiae Abiete rarius. (Lapp.-Ostrogoth. freq.).

Minutus, vix $1\frac{1}{4}$ lineam longus. Totus pubescens, nigricans. Antennae apice capillari pedesque flavo-albida, femoribus obscurioribus, tibiis nigro-spinosis.

*Subdiv.* 2. Corpus elongatum, angustatum. Uterque sexus alatus. Parvi. Thorax trapeziformis, antice plerumque cicatrisatus.

**6. C. flavomaculatus**: glaber nitidus niger, hemelytris flavo-bimaculatis, macula postica intra apicem nigrum, antennarum articulo primo pedibusque luteis ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ fere 3 lin.)

Fabr. Rhyng. 247. 30. Fall. Hem. Sv. 120. 9. ♂♀.

Hab. in fruticibus locis paludosis, in Lapponia Umensi passim; ad Fredrica et Nordanås, D. Dahlbom, 30 Jul.; ad Lycksele 16 Aug., ipse. Femina hemelytris et alis perfecte explicata rarius occurrit. (Lapp.-Scan. freq.).

**6. C. bilineatus**: supra subpilosus, pallide virescens, pedibus immaculatis, antennarum basi scutelloque nigricantibus, hoc margine laterali flavo, hemelytris interne infuscatis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Fall. Cim. Sv. 102. 13. ♂♀.

Hab. in Lapponiae fruticibus rarius. Magnitudo sequentis. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Smol. pass.).

**7. C. boreellus**: pilosus niger, thorace maculis tribus flavis; hemelytris pedibusque griseo-testaceis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

*Mas*: hemelytris fusco-testaceis.

*Fem.*: hemelytris pallidis.

Zett. Fn. Lapp. 1. 499. 6. a. ♂♀.

Var. b. ♀. Junior, corpore piceo, antennis, hemelytris pedibusque pallidis.

Zett. l. a. var. b. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Kengis et Karesuando Lapponiae Tornensis mense Aug. utrumque sexum detexi. (Lapponia; Botnia borealis).

Magnitudo praecedentis seu circiter 2 lineas longus. Niger, pilosus, subnitidus. Antennae vix incrassatae, articulo secundo aequali. Thorax maculis tribus posticis subrotundis flavis, una in medio, duabus in angulo laterali postico, omnibus in femina perspicuis, lateralibus vero in mare obsoletis. Scutelli summus apex pallidus. Hemelytra griseo-testacea, in mare obscuriora, in te-

mina pallida, in utroque sexu immaculata, margine interiori summo fusciore. Membrana infuscata, nervo pallido. Pedes obscure testacei, tibiis pallide spinosis.

**8. C. nigritulus**: pilosulus nitidus niger, antennarum articulis 2 ultimis albis, pedibus luteis. ♀. (Long. 1¾ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 1. Aug. 1832 inveni. Totus niger nitidus, antennis articulis 2 ultimis albis. Pedes luteo-immaculati. Membrana fusca. Alae nitentes. Tubercula thoracis adsunt. Cfr. No. 13. (Lapp. meridion.)

**9. C. globulifer**: impresso-punctatus, glaber nitidus nigricans, thorace anterius angustato scutellique lateribus pallidis, tuberculis collaris atris, hemelytris virescenti-pallidis, pedibus flavis, nigro-punctatis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

FALL. Hemipt. Sv. 124. 18. ♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ibi non obvius. (Lapponia; Suecia BOHEMAN).

*Obs.* Nomen specificum minus placet, utpote a nota, reliquis speciebus communi derivatum. Maneat tamen ne augeatur synonymia. Tubercula nigra thoracis in hac specie vix majora, quam in multis aliis, sed in fundo pallido quasi magis perspicua.

**10. C. collaris**: laevis glaber nitidus, pallidus, thorace subcylindrico, linea laterali abbreviata nigra, collari gibbo duplicato, hemelytris membranaceis; femoribus subtiliter nigro-punctatis. ♂♀. (Long. 1½—1¾ lin.)

FALL. Cim. Sv. 103. 17. Hemipt. Sv. 125. 19. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime (Lapp.-Hernösand 30. Aug. — Roslagia FALL. — Westrogothia. GYLLENH.).

Thoracis forma ab aliis facile distinctus. Feminae hemelytrorum membrana alisque saepe imperfectis.

**11. C. pygmaeus**: laevis glaber subnitidus nigricans, thorace macula antica hemelytrisque subpellucidis, cinereo-pallidis, pedibus flavis immaculatis. ♀. (Long. vix. 1 lin.).

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 16. Aug. semel a me captus. Specimen vix alatum, at membrana hemelytrorum perfecte explicata. Mas pro specie, et serie ejus in suo genere rite determinandis deest. (Lapp. meridionalis.).

*Subdiv.* 3. Subapterus. Mas alatus. Alae in femina saepius nullae. Statura corporis praecedentium. Minutus.

**12. C. ambulans**: subpilosus, laevis niger nitidus, pedibus totis albido-flavis, immaculatis, simplicibus. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

*Mas*: hemelytris griseo-pallidis, subpellucidis, puncto in apice et ad flexuram nigris; membrana immaculata, alis explicatis, nitentibus.

*Fem.*: brevior, postice crassior, hemelytris nigris subcoriaceis, abbreviatis, membrana alisque nullis; antennarum articulo tertio basi albo; in copula.

FALL. Cim. Sv. 104. 18. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 500. 7. ♂♀.

Hab. in Lapponiae borealis et meridionalis agris et graminosis locis cultis ad Novaccolarum aedes, mens. Jul Aug. et Sept. haud infrequens. Occurrit quoque in Nordlandiae Finmarkiaeque subalpinis, et ad Giebostad et Alteidet utrumque sexum parce legi. — Varietatem femineam totam rufescentem, pedibus pallidis, forte juniorem, in alpe Gamstenstind d. 30. Jul. inveni. (Lappon.-Scan. frequentiss.)

**13. C. dubius**: subpilosus laevis nitidus nigro-fuscus apterus, pedibus flavis immaculatis, antennis nigris, articulo 2do compresso latiori, 2 ultimis albis; hemelytris thorace lateribus aequaliter lato duplo longioribus, non coriaceis, membrana nulla. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Lappon. Umensi rarissime; in graminosis ad Wilhelmina d. 15. Jul. captus. An non perfecte explicata femina *Capsi nigrituli* (No. 8.)? (Lappon. meridional.).

**14. C. opacus**: brevissime pubescens laevis opacus niger, supra obscure testaceo-maculatus, antennarum articulis 2 ultimis testaceis. ♂♀. (Long. 1—2 lin.)

*Mas*: 2 lin. long., antennarum articulo 2do valde incrassato, membrana hemelytrorum nigra immaculata, pedum geniculis pallidis;

*Fem.*: 1 lin. long. aptera, antennarum articulo 2do vix incrassato, membrana brevissima fusca, tibiis obscure testaceis; sine dubio hujus.

Hab. *femina* in Lapponia Umensi, ad Lycksele 16—17 Aug. a me lecta; *mas*, qualis hic descriptus, a D. WESTERMANN e Dania (an e Groenlandia?) missus 1834. (Lapponia — ?).

Obscurus opacus, supra pube brevissima depressa tectus. Caput, thorax et hemelytra maculis obscure testaceis parce picta.

## 18. Ophthalmocoris.

*Corpus* minoris magnitudinis, capsiforme. Antennae setaceae, articulo 1 crassissimo. Caput antice deflexum. Oculi pedunculati. Thorax antice paullo angustior, supra inaequalis bicallosus, at vix tuberculatus. Tibiae spinulosae. Hemelytrorum apex vix fractus. *Color* niger. *Motus* ut in *Capso*. *Habitatio* in graminosis, pratis aridis, nunquam in fruticibus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in *Capso*. (Spec. Scand. 1. nostra.)

**1. O. Sahlbergi**: laevis, griseo-pubescens, opaca, nigra, capitis macula utrinque ad insertionem rostri tibiarumque annulo, pallidis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

*Capsus Sahlbergii* FALL. Hemipt. Suec. 1829. 116. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponiae campis et pratis aridis, pass. freq. ad Stensele, Åsele et Lycksele 10. Jun. — 10. Aug. a me capta. (Lappon. — Finlandia).

Oculi fere ut in Canceris pedunculati. Annuli tibiarum saepe obsoleti, praesertim in ♀. Feminа in saltem 100 individ. a me lustratis aptera.

---

## 19. Miris.

FABR. Rhyng. 36. FALL. et Spec. LATR.

*Corpus* mediocre, elongatum, valde angustum, sublineare, molliusculum. Antennae longae, setaceae, articulo primo cylindrico, crasso. Thorax elongato-trapeziformis. Tibiae non spinulosae. Hemelytrorum apex non fractus. *Color* testaceus, virescens, pictura fusco-subvittata. *Motus* haud vivax, at veneri cupidae sat velociter currunt l. volant imagines. *Habitatio* in arvis, pratis, in plantis humilioribus et ad earum radices, locis aridis, tempore auctumnali: sylvestris et subalpina. *Differentia sexus* evidens ut in *Lygaeo*. Ante explicationem alarum completam individua quaedam copulationem patiuntur. (Spec. Scand. 10.).

**1. M. dolabratus**: laevis, pilosus flavescens, nigrovariegatus, capite supra litura antice rotundata, postice cruciformi atra, femoribus muticis. ♂♀. (Long. circit. 4 lin.).

*Mas*: Antennae saepius totae nigrae. Thorax niger, vittis 3 flavis. Scutellum nigrum, linea media flava. Hemelytra fulva, margine exteriore flavo. Abdomen nigrum, vittis 2 lateralibus flavis. Pedes nigri, femorum annulo tibiisque ferrugineis. Alae completae, fuscae.

*Fem.*: Antennae pallidae, extrorsum articulique primi apice nigrae. Thorax flavus, vittis 2 nigris. Scutellum flavum, lineis 2 nigris. Hemelytra pallida interne infuscata. Membranae alarumque saepe rudimentum. Abdomen flavum, lineis 2 nigris. Pedes pallescentes, fusco-punctati, tarsis nigris; in copula.

FALL. Cim. Sv. 107. 1. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 501. 1. ♂♀. *Cimex dolabratus* LINN. Fn. Sv. 959. mas. certe. *Miris lateralis* FABR. Rhyng. 254. 3? ♂. — WOLFF. Cim. 3. 115. t. 11. f. 109? ♂. — *Miris abbreviatus* WOLFF. Cim. 3. 116. t. 11. f. 110. ♀.

Hab. in Lapponia sylvatica et Botnia boreali rarius, versus finem mensis Aug. a me lectus. (Lapp.-Scan. freq.).

**2. M. laevigatus**: thorace punctulato, glaber, antennarum articulo primo hirsuto, pedibus pilosis, pallescens l. virescens, thoracis lineis 2 fuscis; femoribus muticis. ♂♀. (Long. 4 lin.)

FABR. Rhyng. 254 2. FALL. Cim. Sv. 109. 4. ♂♀. (Non PANZERI idem; nam ejus *Mir. laevigatus* potius ad *Phytocorem Chenopodii* var. ae. FALL. Mon. Cim. referri debet). ZETT. Fn. Lapp. 1. 501. 2. ♂♀. *Cimex laevigatus* LINN. Fn. Sv. 958. WOLFF. Cim. 1. 36. 36. t. 4. f. 36.

Hab. ad agros Novaccolarum in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.).

**3. M. calcaratus**: thorace crebre punctulato, glaber, antennarum articulo primo hirsuto, pedibus pilosis, pallescens l. virescens, femoribus posticis subtus bispinosis. ♂♀. (Long. 3½ lin.).

FALL. Cim. Sv. 110. 5. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 502. 3. ♂♀. *Cimex virens* LINN. Syst. Nat. 2. 730. 102. (sive var. feminea hujus, licet spinae femorum non memoratae). *Miris virens* FABR. Rhyng. 254. 7. ♀. WOLFF. Cim. 2. 78. 75. t. 8. f. 75. ♀. (Calcaribus femorum non repraesentatis).

Hab. cum priori rarius. (Lappon.-Ostrogothia freq.; in Scania nondum a me observatus).

**4. M. holsatus**: thorace crebre punctulato, glaber, antennis subnudis, tibiis hirsutulis, pallescens, thoracis lineis 2 hemelytrorumque margine interiori fuscis, membrana brevi, femoribus muticis. ♂♀. (Long. 2¾—3 lin.)

Fabr. Rhyng. 254. 4. Fall. Cim. Sv. 111. 7. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 502. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponiae borealis sylvaticae graminosis umbrosis mens. Jul. Aug. passim. Occurrit quoque in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, et ad Bjorkvik nec non in Gamstenstind alpibusque adjacentibus haud parce a me lectus. In Lapponiae meridionalis plantis frequentius obvius, et a Lycksele usque ad Umenaes 1. Jun. — 9. Jul. deprehensus. (Lapponia; Ostrogothia: rarius; Scania: passim copiose).

Prioribus brevior. Membrana hemelytrorum et alae paullo breviora, quam in affinibus, nec ex individuis millibus utriusque sexus unicum vidi membrana alisque complete explicatis.

*Obs.* *Miris erraticus* Fall. et Linn. „laevis, glaber, obscurus, antennis pedibusque pilosis lividis, thorace albido striato; hemelytris pallidis l. virescentibus, margine interiori saepius (in ♂.) infuscato, femoribus muticis;" huic affinis et in Svecia inferiore frequens, in Lapponia etiam habitare narratur, mihi vero nec ibi, nec in Botnia obvius.

**5. M. ruficornis**: laevis, glaber, viridis, antennis nudis tarsisque rufis, femoribus muticis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.)

Fall. Cim. Sv. 112. 8. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 502. 5. ♂♀.

Hab. in aridis Lapponiae borealis sylvaticae mens. Aug. passim, ad Kengis copiosus; in copula. In Lapponia meridionali vix nisi in graminosis ad Stöttingsfjellet 1. Aug. a me visus. Hujus generis minimus, angustus, tener. (Lapp.-Scan. freq.)

*Obs.* Hunc esse *Mir. virentem* Auctorum vix credo, nam antennae *semper* totae rufae sunt, nec basi virescentes. Magnitudo quoque non quadrat.

**6. M. ferus**: thorace antice interrupte rugoso, griseus, glaber, antennis tenuibus nudis, linea media capitis, thoracis scutellique fusca, pedibus pallidis fusco-punctatis, femoribus muticis, anterioribus crassioribus. ♂♀.

Var. a. ♂♀. in copula; hemelytris alisque completis, membrana hyalina ramose fusco-nervosa

Fabr. Rhyng. 255. 11. Fall. Cim. Sv. 112. 9. ♂♀. *Cimex ferus* Linn. Fn. Sv. 962. *Miris vagans* Fabr. Rhyng. 255. 12. varietas magis picta hujus videtur.

Var. b. ♂♀. in copula, hemelytris brevissimis, membranae rudimento, alis vix ullis.

Fall. l. c. var. β.

Hab. in Lapponia sylvatica a 29. Maj. ad 22. Aug. passim visus; ad Karesuando et Kengis frequentius, ac in Botnia passim copiose vidi. In Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele, var. a. mares 31. Maj. — 4 Jun. haud raro visi. (Lappon.-Scan. freq.).

Antennis gracilioribus, thorace antice valde angustato, immarginato, ano subclavato, femoribus anterioribus incrassatis, ut et membrana crebrius nervosa, a conspeciebus haud parum abludit haec species, forte proprii generis, *Beryto* affinis.

---

**Tribus 2. Corpus elongatum, lineare. Thorax sublobatus, subteres.**

(Insecta in superficie aquae currentia). *)

## 20. Hydrometra.

Fabr. Rhyng. 37. Fall. Hemipt. Sv. 1829. p. 158. gen. 22. *Gerris* Latr.

*Corpus* mediocre, valde elongatum, subfiliforme, duriusculum. Antennae filiformes, porrectae, 4-articulatae. Thorax postice in locum scutelli productus. *Color* niger, opacus, infra argenteo-sericeus, nitidus. *Motus* cursorius, pedibus posterioribus longissimis, gracilibus, ad vagandum aut remigandum supra aquam idoneis. *Habitatio* in aquosis; infra alpes. *Victus* e rapina. *Differentia sexus* non aeque evidens ut in prioribus. Oculo autem attenti, *mas:* segmento abdominis ultimo subemarginato, anoque subgloboso, exserto, a *femina:* segmento eodem profunde emarginato, angulis lateralibus acutissimis, anoque subcarinato, parum exserto, facile dignoscitur. (Spec. Scand. 5.)

*Subdiv.* 1. Major. Antennarum articulus primus secundo fere triplo longior. Anus utrinque spinosus.

**1. H. Paludum**: supra olivaceo-nigra, infra sericeo-cinerea, thoracis dorso plano, subtricarinato. ♂♀. (Long. 5—5½ lin.)

*Mas*; abdomen attenuatum, nigrum, marginibus elevatis, concoloribus.

*Fem.:* abdomen crassius, nigrum, marginibus testaceis.

Fabr. Rhyng. 258. 3. ♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 504. 1. ♂♀. *Gerris paludum* Latr. Gen. Crust. et Ins. Tom. 3. 133. 1. ♀.

Hab. in Lapponiae borealis aquis fluitantibus rarissime, et in flumine Umensi, interdum etiam in stagnis, ad Lycksele Lapponiae Umensis, uterque sexus olivaceus hemelytris completis, 20—21 Jun. visus; sequentibus duplo major. (Lapp.-Scan. pass.).

*Subdiv.* 2. Minores. Antennarum articulus primus secundo vix duplo longior; segmentum anale angulo acuto utrinque terminatum.

**2. H. lacustris**: supra olivaceo-nigra, infra argenteo-sericea, pedibus obscure testaceis, abdominis margine elevato, subferrugineo. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

*Mas*: abdomen segmento ventrali ultimo profunde emarginato, angulis lateralibus brevibus, acutis, ano subgloboso, exserto.

*Fem.:* abdomen segmento ventrali ultimo profunde emarginato, angulis lateralibus elongatis, acuminatis, longitudine ani carinati; in copula.

Var. a. ♂♀. in copula. Antennae nigrae, articulo secundo piceo, ultimo argenteo-sericeo. Thoracis margo reflexus luteus. Venter maris niger, feminae testaceus. Hemelytra et alae completa, hae infuscatae, basi lacteae Pedes testacei, femoribus anticis nigro-vittatis, tibiis posticis tarsisque omnibus fuscis. Coxae antice pallidae.

Fabr. Rhyng. 256. 1. ♂. Zett. Fn. Lapp. 1. 505. 2. ♂♀. *Cimex lacustris* Linn. Fn. Sv. 970. ♂. *Gerris lacustris* Fall. Cim. Sv. 114. 1. (sub qua latent: *H. Paludum* mihi, ut et *H. lacustris* mihi, var. a. et b.) Latr. Gen. Crust et Ins. Tom 3. 134. 3. var. a. ♀. var. b. ♂.

In Lapponia boreali rarissime, sed in lacubus minoribus ad Lycksele, Barrsele et Stensele, Lapponiae meridionalis, 1. Jun. — 4. Jul. in copula saepe capta; et in Suecia inferiore vulgatissime occurrit.

Var. b. ♂♀. paullo major. Antennae, rostri basis pedesque testacea; femoribus anterioribus utrinque nigro-vittatis, tarsis posticis fuscis. Coxae antice pallidae. Thoracis margo lateralis inflexus luteus. Venter niger. Hemelytra et alae ut in var. a. Zett. l. c var. b. ♀.

In Ostrogothia et Scania passim. Ut Lapponiae incola etiam mecum communicata.

Var. c. ♂♀. in copula. Magnitudo var. b. Antennae obscure testaceae, extrorsum fuscae, articulo ultimo argenteo-sericeo. Rostri basi subtestacea. Thorax niger, macula media olivacea, margine inflexo, nigricante. Abdomen nigrum, dorso serie longitudinali media antice obsoleta punctorum albo-micantium; margine elevato anguste fusco-testaceo. Hemelytra et alae omnino nulla. Pedes obscure testacei, femoribus anticis utrinque late nigro-vittatis, et tarsis omnibus fuscis. Coxae nigricantes, antice parum pallide maculatae. — An pupa? copulata tamen saepe deprehenditur. Zett. l. c. var. c. ♂♀.

In aquis quietis vel lente fluentibus ad Wittangi Lapponiae Tornensis medio mensis Junii frequens; nec alibi vidi.

Hab. haec species in fluminibus Lapponiae Tornensis, praesertim var. c. Reliquae varietates etiam in Lapponiis meridionalibus occurrunt. (Lapp.-Scan. var. a. et b.)

Insectum nimis notum, Svecice *Braxenmygg*, in superficie aquae ubique cursitans, Tipulas aliaque insecta minora persequens et sugens. Thorax supra planus, linea media elevata, et tuberculis duobus ad marginem utrinque. Descriptae varietates forsitan non nisi unicam efficiunt speciem. Promiscue autem vix copulantur, et nunquam nisi similem cum simili in copula junctam vidi. Varietas c. memorabilis, tantum in Lapponia inventa, quantum novi.

**3. H. Odontogaster**: supra olivaceo-nigra, infra argenteo-sericea, femoribus anticis basi, posterioribus totis obscure testaceis, abdominis margine elevato-subferrugineo, medio in mare dentato. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.)

*Mas*: abdomen segmento ventrali ultimo angustiori, valde emarginato, anum globosum dimidiatim vaginante, penultimo etiam emarginato, et in medio dentibus duobus validis brevibus obtusis, intus nutantibus armato.

*Fem.*: abdomen segmento ventrali ultimo antecedente longiori, emarginato, angulis lateralibus acutis, longitudine ani rimati; in copula.

Zett. Fn. Lapp. 1. 506. 3. ♂♀. *Gerris lacustris* Latr. Gen. Crust et Ins. T. 3. p. 134. 3. var. c. mas.

Hab. in aquis stagnantibus vel lente fluentibus, in Lapponia Tornensi sylvatica vulgaris: ad Junosuando, Wittangi,

---

*) *Berytus* et *Gerris* Fabr. antennis fractis, ille: „pedibus tantum anticis brevibus;" hic: „pedibus anterioribus subaequalibus, statura corporis lineari, subfiliformi," huic Tribui inserendi sunt. Haec autem insecta terrestria, in Scandinaviae terris meridionalibus frequentiora, in Lapponia mihi non obvia fuerunt.

Juckasjervi et Muonioniska mense Junio a me frequenter visa. In Lapponia meridionali seu Umensi ad Lycksele et ad Tresunda prope lacum Wojmsjoen 14. Jun. — 12. Jul. in copula haud raro deprehensa. Occurrit etiam in inferalpinis Nordlandiae, et ad Björkvik mense Julio parce lecta. In Norrbotten non infra Johannis Ro vidi, ibi vero jam mense Majo uterque sexus in aquis quietis legitur. (Lapponia-Botnia borealis —?)

Similis praecedenti at duplo fere minor, colore pedum et inprimis structura ani secundum sexum, ab illa distincta. Antennae totae nigrae. Thoracis margo lateralis inflexus anguste testaceus. Hemelytra nervosa. Alae fuscae, basi lacteae. Pedes nigri, femoribus anticis basi superne, posterioribus totis, tibiisque intermediis obscure testaceis. Coxae nigrae, uti corpus subtus, sericeo-nitentia. — Species haec notabilis et diversa, forsitan etiam in Sveciae meridionalis aquis hospitatur, sed priori confusa collectoribus huc usque incognita videtur.

---

## FAM. 2. HYDROCORISAE. Latr.*)

*Sect.* 1. ***Pedes quatuor posteriores filiformes, non natatorii, tarsis (in nostris) uniarticulatis; antici raptorii, tarso (in nostris) uniarticulato exungui. Membrana hemelytrorum nervosa. Cauda longa biseta. Corpus planum.*** (*Hydrocorides* Fall.)

### 21. Nepa.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 385. Fabr. Fall. Hem. Sv. 170. gen. 1.

*Corpus* magnum, oblongo-ovatum, valde depressum, planum, scutellatum. Thorax antice emarginatus. Femora antica incrassata. *Color* cinereus, opacus; pictura miniata, interna. *Motus:* incessus valde segnis; volatus nocturnus. *Habitatio* in aqua; in regione Lapponiae sylvatica. *Odor* ut in sequentibus, nullus. *Differentia sexus* externe parum per spicua, per comparationem tamen detegitur, maris scilicet segmento ultimo ventrali cordato, apice subacuto glabriusculo, feminae segmento eodem cordato, apice acuminato, ciliato. (Spec. Scand. 1.)

**1. N. cinerea:** cinerea, abdominis limbo dorsali alisque miniatis, cauda biseta, longitudine dimidii corporis, pallida; thorace postice truncato, tibiis teretiusculis. ♂♀. (Long. 5—7 lin.)

*Mas:* ventre nigricante.

*Fem.:* ventre pallescente; in copula.

Linn. Fn. Sv. 906. de Geer Ins. 3. t. 18. f. 1. Fabr. Rhyng. 107. 8. Panz. Fn. 95. f. 14. Fall. Hydrocor. et Naucor. Sv. 3. 1. Zett. Fn. Lapp. 1. 508. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponiae aquis stagnantibus, fundo limoso; rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

Setae caudales locum spiraculorum tenere creduntur. Et imagines et larvas has setas supra superficiem aquae per intervalla dirigere certe constat. Interea *stigmata* (respirationis organa externa) in ventre utriuque his insectis, more reliquorum, minime desunt.

*Obs.* *Naucoris Cimicoides* Fabr. pedibus quatuor posticis natatoriis, tarsis biarticulatis, ano non appendiculato, membrana hemelytrorum enervi; corpore depresso, obtuse ovato; colore obscure virescente etc. etc. distincta, ad Sectionem propriam relegauda, in Svecia haud infrequens, in Lapponiae aquis nondum detecta.

---

*) Sub hac Familia conjungimus *Hydrocorides* et *Naucorides* Fall. Etenim conveniunt: insertione rostri in apice capitis, brevitate antennarum, hemelytris coriaceis, ut et victu in aqua. Differunt tantum: corporis forma, aut plana (in Hydrocorid.) aut depressa (in Naucorid.), membrana hemelytrorum aut nervosa aut enervi, ut et articulatione tarsorum paullo dissimili. Hae autem notae diversae caracteres generum suppeditant. Nec obstat generum copia, quo minus sub eadem Familia bene comprehendi possint; Hydrocorides enim unicum tantummodo genus unicamque *Nepae* speciem, et Naucorides paucas quoque species, sub duobus generibus militantes, complectereutur.

---

*Sect.* 2. ***Pedes duo postici longiores natatorii, tarsis biarticulatis. Membrana hemelytrorum enervis. Anus non appendiculatus. Corpus subcylindricum.*** (*Naucorides* Fall. *Notonectides* Leach. Sahlb.

A. Corpus convexo-cylindricum. Tarsi omnes biarticulati. Scutellum magnum.

### 22. Notonecta.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 387. Fabr. Fall.! Hem. Sv. 177. gen. 2.

*Corpus* magnum, cylindrico-ovatum, glabriusculum, scutellatum. Tarsorum anticorum articulus primus ultimo duplo longior. Carina ventralis media ciliata. *Color* flavescens, pictura nigra, parca. *Motus* in aqua velox; natatu resupinato; saepe se petit ad superficiem aquae, supra quam elevat anum pro receptione aëris; et hic actus respirationis. Volatus celer, nocturnus. *Habitatio* larvarum et imaginum communiter in aqua, ubi vitam ad minimum biennem sub praedatu transegit; in regione sylvatica. *Differentia sexus* ob cilias carinae ventralis aegre detegitur, nec in segmento anali l. integro l. fisso eam invenire potui, ne quidem apud insecta copulata. (Spec. Scand. 3, *Not. minutissima* Auctor. remota, et *Sigarae* generi introducta.)

**1. N. glauca:** nigricans, scutello atro, oculis brunneis, capite, thorace hemelytrisque flavis, his margine fusco-punctatis, pedibus testaceis. ♂♀. (Long. 4—5 lin.)

Linn. Fn. Sv. 903. Fabr. Rhyng. 102. 1 Panz. Fn. 3. f. 20. Fall. Hydroc. et Naucor. Sv. 5. 1. Sahlb. Noton. Fenn. 71. Zett. Fn. Lapp. 1. 509. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponiae aquis stagnantibus rarius. Manum capientis rostro suo elongato pungit, quod non sine dolore ipse quandoque expertus sum. (Lapp.-Scan. freq.)

---

B. Corpus depresso-cylindricum. Tarsi antici uniarticulati. Scutellum nullum (in Sigara distinctum).

### 23. Corixa.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 388. Fall. Hemipt. Sv. 1829. p. 180. gen. 4. *Sigara* Fabr. Fall.

*Corpus* mediae s. minoris magnitudinis, lineare, postice rotundatum, glabrum, exscutellatum. Rostrum brevissimum. Carina ventralis nulla. Thorax obtrigonus, seu postice productus. *Color* fuscus, metallice renitens; pictura transversim strigilata, flavescenti. *Motus* in aqua celer: natatu sursum et deorsum alternatim. *Volatus* diurnus. *Habitatio* in aquis cum *Notonecta;* fundum argillosum praesertim amat; in regione sylvatica et subalpina Lapponiae. *Differentia sexus* perspicua (ab Auctoribus hactenus neglecta) *Mas:* segmento ultimo ventrali anguste inciso, laciniis foliaceis, membranaceis, penultimo et antepenultimo duplicatis, in medio imbricatis s. incumbentibus; *Fem.:* segmento ultimo ut in mare, penultimo simplici, transverso, integro. (Spec. Scand. 4, speciebus 3 mere Fennicis non computatis.)

*Subdiv.* 1. thorace laevissimo.

**1. C. Geoffroyi:** luteo-flava, supra nigro-fusca, thoracis lineolis transversis angustis, numerosissimis subflexuosis, hemelytrorumque maculis crebris irregularibus, pallidis, margine inflexo sulcato antice sordide albido. ♂♀. (Long. 4 lin.)

Leach in Transact. Soc. Linn. Vol. 12. P. 1. p. 17. 7. Sahlberg Hist. Not. Fenn. 12. 5. Zett. Fn. L. 1. 510. 1. ♂♀. *Sigara striata* Fabr. Rhyng. 104. 2 var. major. Fall. Hydroc. et Naucor. Sv. 6. 1. certe. (exclus. forte Syn. Linn.)

Hab. in fluviis Botniae borealis e Lapponia decurrentibus, rarissime. (Lapp.-Scan. toto anno freq.)

In suo genere maxima. Thoracis lineolae flavae circiter 16, saepius simplices, raro anastomosantes. Hemelytrorum maculae pallidae, irregulares, minime contiguae, in superficie tota aequaliter sparsae, subobsoletae. Pectus et abdomen interdum fusco-maculata.

*Subdiv.* 2. thorace subtilissime reguloso.

**2. C. striata:** flavescens, supra nigro-fusca, thoracis lineolis transversis simplicibus octo, hemelytrorumque lineolis

transversis undulatis crebris subcontiguis, pallidis, margine inflexo sulcato fuscescente. ♂♀. (Long. 2 2¹ lin.)

*Mas:* abdomine aut toto nigro, aut basi saltem nigro-maculato; fronte (in mortuis) excavata.

*Fem.:* abdomine pallescente; fronte subconvexa, subpilosa; in copula.

Leach. in Transact. Soc. Linn. Vol. 12. P. 1. p. 16. 2. Sahlb. Hist. Not. Fenn. 9. 1. Zett. Fn. Lapp. 1. 511. 2. a. ♂♀. *Sigara striata* Fabr. Rhyng. 104. 2. var. minor. Panz. Fn. 50. f. 23. *Notonecta striata* Linn. Fn. Sv. 904. *Sigara undulata* Fall. Hydroc. et Nauc. Sv. 7. 2.

Var. a. ♂♀ in copula; pectus nigrum, maculis 2 utrinque pallidis, sulculo inflexo fusco. Lineolae flavae thoracis hemelytrorumque in hac varietate saepe sunt obsoletae, obscuriores.

Var. b. ♂♀. pectus flavum, sulculo inflexo sordide albido. Lineolae hemelytrorum flavae distinctae.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in fluminibus et aquis stagnantibus per totam Lapponiam sylvaticam et borealem et meridionalem, utraque varietas vulgaris et copiosa, a mense Majo usque ad Septembr., valde agilis. Procedit usque ad regionem subalpinam, et in lacu Tornensi d. 8. Jul. in copula frequenter capta. Glacie in superficie adhuc vix soluta, ludit in fundo et cursum in Ziczac tendit celerrimum. Die sereno et calido mensis Junii plura individua supra aquam fluvii Tornensis volantia quoque vidi. Ad littus maris glacialis non nisi rarissime mihi obvia, scilicet ad Giebostad Nordlandiae unicum specimen inveni. (Lapp. - Scan. freq.)

Hemelytron singulum *Corixarum* per sulculum obliquum in tres areas dividitur: prima scilicet antica *subscutellaris*, altera *intermedia* angulum obtusum intus formans, et tertia *apicalis* a membrana efficitur. Ad picturam harum arearum ut etiam attendatur pro faciliori specierum examine, forsitan e re non est. Sic in area subscutellari *Corixae striatae* lineolae transversae simplices sunt, in area intermedia hae lineolae undulatae et saepe anastomosantes deprehenduntur, et in apicali demum istae lineolae maculas formant irregulares, hinc inde tantum contiguas. — Specimina lapponica hujus speciei plerumque majora et supra obscuriora sunt, quam quae in Svecia meridionali frequenter occurrunt; facie igitur alieno, sed specie vix distinguenda. Magnam tamen *Corixarum* messem, quam in Scania, Ostrogothia et Gottlandia feci, accuratiori examini adhuc non subjeci. Species vero Fennicae: *Corixa Fossarum*, *C. Hellensii*, et *C. Bonsdorffii*, a Cel. Sahlberg recensitae, vix ex hac messe depromuntur. Nec in aliis Sveciae provinciis (nisi forsitan *Cor. Fossarum*, quae ut Stockholmiae etiam incola a D. Nyblaeo mihi fuit missa) eas esse inventas audivi.

**3. C. Fossarum:** flava, supra fusca, thorace lineolis transversis simplicibus 6, hemelytrorumque lineolis transversis hieroglyphicis crebris subdiscretis, pallidis, margine inflexo sulcato albido. ♀. (Long. 2 - 2¼ lin.)

Sahlb. Noton. Fenn. 10. 2. Fall. Hem. Sv. 182. 3.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; sed in flumine Umensi ad Lycksele-avan 16—25. Jun. haud infrequenter vidi; sed feminas tantum legi. Caput totum et corpus subtus cum pedibus flavissima. Tuberculum in thoracis antico adest parvum. (Lappon. Finlandia, Uplandia ad Stockholm. Nyblaeus.)

**4. C. carinata:** flavescens, supra nigro-fusca, thoracis carinati lineolis transversis subsimplicibus decem, hemelytrorumque lineolis transversis undulatis crebris discretis pallidis, margine inflexo sulcato infuscato. ♂♀. (Long. fere 3 lin.)

*Mas:* pectore abdominisque basi nigro-maculatis, carina thoracis obsoleta, fronte parum pilosa et (in mortuis) excavata.

*Fem.:* saepius paullo major, pectore parum fusco-maculato, abdomine testaceo, vertice fusco, fronte subconvexa, crebrius et longe flavo-pilosa, carina thoracis distincta; in copula.

Sahlb. Hist. Noton. Fenn. 12. 4. ♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 512. 3. ♂♀.

Hab. in Lapponiae borealis fluminibus et aquis quietis cum praecedente, tota aestate frequens: in lacu illo insigni Torneåtrask hanc speciem d. 8. Jul. in copula inveni; in Lapponiae meridionalis rivulis quoque invenitur passim et ad Lycksele 15—20. Jun. utrumque sexum deprehendi; ad littora vero maris Nordlandici vix occurrit, nec infra urbem Luleå eam in Botnia boreali habitantem observavi. (Lapp.- Botnia borealis pass. Finlandia rar.)

Praecedente paullo major, at *Corixa Geoffroyi* semper duplo l. triplo minor. Thorax subtilissime punctato-rugulosus carina media longitudinali antice distincte elevata praesertim in femina, lineolae flavae angustae, anticae et posticae simplices, intermediae interdum divisae, omnes obsoletae, et in mortuis parum perspicuae. Hemelytrorum area antica subscutellaris lineolis transversis flavis numerosis, subsimplicibus, inprimis antice; area intermedia lineolis illis transversis creberrimis, brevibus, undulatis, subdiscretis, et area ultima seu membrana lineolis iisdem varie flexis, maculiformibus, et fere crebrius sparsis quam in area intermedia, sat evidentibus, praesertim in hemelytro a corpore elevato.

---

## *Phalanx II. Rostrum gulare seu pectorale, e capitis parte infera (sub gula) enascens. Gulacerostria* Zett.

## FAM. 3. CICADARIAE. Latr.

Hemelytra per suturam rectam conniventia. Tarsi 3-articulati.

### *Sect. 1. Thorax limbo collari nullo. Hemelytra subcoriacea.* (*Cicadariae* Fall.)

### 24. Cercopis.

Fall. Disposit. Hemipt. 31. Hem. Sv. 1829. Cicad. p. 10. gen. 3. *Aphrophora* Germ. Burmeist. *Cercopis* species Fall.

*Corpus* mediae, saepe minoris magnitudinis, ovatum. Thorax postice sensim angustior, emarginatus. Tibiae posticae bispinosae, harum tarsorumque articulorum apice spinulis coronato. *Color* griseus, obscurus, testaceus, aridus; pictura fasciatim maculata, variabili. *Motus* strenue saltatorius. *Habitatio* larvarum in spuma, quam plantis affigunt, imaginum in gramine et in fruticibus; per regionem sylvaticam Lapponiae. *Victus* e succo vegetabilium. *Differentia sexus* evidens; *mas:* corniculis duobus analibus recurvatis, *femina:* stylo vaginato sub ano elongato inserto et lamellis geminis brevibus ad basin suffulto, dignoscitur. (Spec. Scand. 8, genus armatura pedum sat distinctum efficientes.)

**1. C. Alni:** supra crebre profunde impresso-punctata, fusco-grisea, glabra, hemelytris in medio dilatatis, capite latioribus, maculis duabus lateralibus albis. ♂♀. (Long. 3 lin.)

Fall. Act. Holm. 1805. p. 240. 2. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 514. 1. ♂♀. *Cercopis bifasciata* Fabr. Rhyng. 98. 57. (exclus. Syn. Linn. et de Geer.) Panz. Fn. 7. f. 20.

Hab. in foliis Alni, in Lapponia rarius; in suo genere magna, circiter 3 lin. longa. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. C. spumaria:** supra crebre subtilissime punctulata, pube brevissima, sericeo-micante tecta, varicolor; macula pectoris nigra nitidissima, hemelytris pone medium dilatatis, capite latioribus. ♂♀. (Long. 2 lin.)

Var. a. *maculata.* ♂♀. supra flavescens, hemelytris griseis l. fuscis, maculis duabus lateralibus albidis.

Fabr. Rhyng. 65. 35. Fall. Act. Holm. 1805. p. 246. 4. ae. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 514. 2. a. ♂♀. *Cicada spumaria* Linn. Fn. Sv. 881. ♂♀. de Geer. Ins. 3. 163. 1. t. 11. f. 1—21. et Act. Holm. 1741. p. 221. t. 7. ♂♀.

Mas hujus varietatis in copula varietatibus femineis e., f. et i. saepe capitur.

Var. b. *gibba* ♂♀. supra nigricans l. fusca, hemelytris maculis duabus lateralibus albidis.

Fall. l. c. var. β. ♀. Zett. l. c. var. b. ♂♀. *Cercopis gibba* Fabr. l. c. 97. 52.

Mas in copula cum varietate d. etiam deprehenditur.

Var. c. *pallida* ♂♀. supra flavescens l. obscura immaculata, fronte punctis 4 fuscis. (Maculae hemelytrorum ordinariae albae valde obsoletae, ob colorem pallidum parum observandae.)

Fall. l. c. var. δ. ♂♀. Zett. l. c. var. c. An *Cicada Populi* Fabr. Rhyng. 98. 63. (exclus. Syn. Linn.)?

Var. d. *leucophthalma* ♀. supra tota brunneo-nigra.

Fall. l. c. var. ε. Zett. l. c. var. d. ♂♀. *Cercopis leucophthalma* Linn. Fn. Sv. 883.

In copula cum varietatibus a. et e. capta.

Var. e. *obscura* ♀. supra brunneo-nigra flavo-irrorata, saepe puncto laterali albo.

Fall. l. c. var. ξ. ♀. Fabr. l. c. 94. 53. Zett. l. c. var. e. ♀.

Var. f. *leucocephala* ♀. supra brunneo-nigra, vertice tho-

racis parte anteriori dimidia hemelytrorumque puncto laterali, flavo-albidis.

Fall. l. c. var. η. ♀. Zett. l. c. var. f ♀. *Cercopis leucocephala* Fabr. l. c. 95. 39. *Cicada leucocephala* Linn. Cim. Sv. 885.

In copula cum varietate mascula c. inventa.

Var. g. *lateralis* ♀. supra brunneo-nigra, hemelytrorum margine laterali albido.

Fall. l. c. var. ϑ. ♀. Zett. l. c var. g. *Cercopis lateralis* Fabr. l. c. 96. 46. Panz. Fn. 1. f. 24. *Cicada lateralis* Linn. Fn. Sv. 886.

In copula cum variet. mascula a. visa.

Var. h. *marginella* ♀. supra brunneo-nigra, vertice, thorace hemelytrorumque margine laterali albidis. Similis priori, sed vertice thoraceque etiam pallidis.

Fall. l. c. var. ι. ♀. Zett. l. c. var. h. ♀. *Cercopis marginella* Fabr. Rhyng. 95. 37. *Cicada lateralis* var. b. Panz. Fn. 6. f. 24. certe.

In copula cum variet. masculis a. et b. saepe deprehensa.

Var. i. *lineata* ♂♀. supra flavescens, thoracis macula postica, scutello hemelytrorumque vitta longitudinali et sutura, nigricantibus.

Fall. l. c. var. μ. ♀. Zett. l. c. var. i. ♂♀. *Cercopis lineata* Fabr. l. c. 96. 42.

Jam ut mas, jam ut femina in copula cum varietatibus a. et b. capitur.

Var. k. *vittata* ♂♀. supra flavescens, thoracis postico, scutello hemelytrorumque vitta suturali lata extus sinuata fuscis.

Fall. l. c. var. ν. ♀. Zett. l. c. var. k. ♂♀. *Cercopis vittata* Fabr. l. c. 96. 45? An *Tettigonia vittata* Ahrens. Fn. Eur. Fasc. 6. f. 20?

Hab. in Lapponiae graminosis, per partem sylvaticam; varietates a., b., c., d, g. et i., inter Karesuando et Kengis Lapponiae Tornensis mens. Aug. sat frequenter inveni, reliquae varietates non nisi rarissime in Lapponiis borealibus obviae. In Lapponiis meridionalibus, ex. gr. ad Wilhelmina, Lycksele, Almsele et Åsele, varietates a., c. et g. mens. Jul. praesertim deprehendi. — Praecedente duplo minor. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)

*Obs.* *Cercopis praeusta* Fabr Ent. Syst. 4. 53. 38. (*Issus praeustus* Fabr. Rhyng.) seu *Cercopis spumaria var. x.* ♀. Fall. Act. Holm. „supra flavescens, thoracis postico, scutelli antico hemelytrorumque apice, fuscis,": pulchra et memorabilis hujus speciei est varietas, in Ostrogothia et in Scania, vix vero in Lapponia, obvia. Nec Cel. Falleni varietatem femineam λ. *ustulata*: „supra flavescens, capite, thorace (saltem postice), scutello hemelytrorumque margine baseos et apice, nigricantibus," in Svecia boreali unquam inveni.

**3. C. lineata**: supra subtilissime punctulata pallida, hemelytris capite parum latioribus, vitta longitudinali abbreviata nigricante, costa albido-subhyalina. ♂♀. (Long. fere 2 lin.)

Fall. Act. Holm. 1805. p. 251. Hemipt. Sv. Cicadar. 1829. 20. 6. *Cicada lineata* Linn. Fn. Sv. 888. *Cercopis abbreviata* Fabr. Rhyng. 96. 47. Panz. Fn. germ. 103. 9. certe.

Hab. in Lapponia rarius; in Lapponia Tornensi D. Frigelius; in Lapponia Umensi ad Åsele. 25. Jul., ipse. (Lappon.-Scan. freq. Jul. Aug. saepe in copula.)

**4. C. campestris**: supra sublaevis, pallide grisea s. cinereo-flavescens, pube brevissima sericeo-micante tecta, hemelytris capite parum latioribus, maculis duabus lateralibus albido-subhyalinis. ♂♀. (Long $1\frac{3}{4}$ lin.)

Fall. Act. Holm. 1805. p. 152. 6. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 516. 3. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae sylvaticae passim; ad Kengis mens. Aug. in copula observata. (Lapp.-Scan. freq.)

**5. C. Exclamationis**: supra subtilissime punctulata nigro-brunnea, sericeo-micans, hemelytris capite vix latioribus, costa basi anguste, maculisque duabus lateralibus transversis, albido-subhyalinis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

Fall. Act. Holm. 1805. p. 253. 7. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 517. 4. *Cicada exclamationis* Thunb. Act. Ups. 4. 24. 40.

Hab. cum praecedente, qua fere minor, in Lapponia boreali rarius; in Lapponia vero meridionali, ex. gr. in graminosis aridis ad ripam Borgsjoe in Paroecia Åsele d. 28. Jul. frequentiorem vidi, in copula. (Lapp.-Ostrogoth. freq.-Scan. pass.)

*Obs.* Corpus subtus et pedes in omnibus nostris speciebus pallida sunt l. flavescentia, parum fusco-maculata.

## 25. Pholetaera.

*Cicadae* species Linn. Fabr. Panz. Zett. *Cercopis* Fabr.

*Corpus* (in hac familia) majoris aut mediae magnitudinis, ovato-oblongum, glabriusculum. Caput clypeiforme; margine in angustum antice prominente, subattenuato. Thorax brevis, transversus longitudine fere quadruplo latior, latitudine subaequalis, postice vix emarginatus. Anus pilosus. Tibiae posticae subtriquetrae, triplici serie spinulosae. Harum tarsorum articulorum apex submuticus, saltem corona spinularum haud armatus. *Color* griseus, fuscus, lividus, pictura saepe fasciata. *Motus* saltatorius, vix unquam cum volatu. *Habitatio* in graminosis, nunquam in spuma vel in fruticibus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in *Cercope*, at vagina feminae ad basin lamellis aut nullis aut retractis suffulta. (Spec. Scand. 7, forma capitis, vertice scilicet obtuse trigono; margine in angulum antice porrecto attenuato, distinctae. Nomen generis a φωλετὴρ *latebricola*, derivatur, quia species sub foliis et graminibus saepe delitescunt. *Typus* generis *Phol. rustica.*)

**1. Ph. rustica**: obscura, capite plano, margine antico subadscendente, hemelytris versus apicem angustatis, disco nervis elevatis, alis albo-hyalinis. ♂♀. (Long. $1^{1}-2\frac{1}{4}$ lin.)

*Mas:* occipite thoracisque medio lineis 2 transversis albidis.

*Fem.:* paullo major, capite thoraceque fasciis nullis; fronte magis producta; in copula.

Var. a. ♂♀. griseo-fusca, pedibus fusco-maculatis, hemelytris maris albido-lineatis, feminae nigro-irroratis, fronte maris nigro-striata, feminae pallida.

*Cicada rustica.* Fall. Act. Holm. 1806. p. 8. 2. var. ae. et β. Zett. Fn. Lapp. 1. 518. a. ♂♀. Fabr. Rhyng. 97. 51. ♀. *Cercopis striata* Fabr. Rhyng. ♂. *Cicada costata* Panz. Fn. 61. f. 14?

Var. b. ♂♀. tota pallida hemelytris et fronte subtus immaculatis, pectore abdominisque basi nigro-maculatis, fascia thoracis flavo-virescente.

Fall. l. c. var. γ. Zett. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♂♀. lutea seu dilute brunnea, pectore abdomineque obscurioribus, capitis thoracisque fasciis, hemelytrorum nervis pallide virescentibus.

Zett. l. c. var. c. ♂. *Cercopis striatella* Fabr. Rhyng. 98. 59.

Var. d. ♀. grisea, tota fusco-nebulosa, pectore obscuriore, hemelytris striis longitudinalibus interruptis pallide virescentibus.

Fall. l. c. var. δ. Zett. l. c. var. d. ♀.

Var. e. ♀. supra brunnea, subtus pallidior, fusco-maculata.

Fall. l. c. var. ε. Zett. l. c. var. e. ♀.

Hab. in Lapponiae sylvaticae graminosis rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. Ph. livens**: tota livido-testacea, tibiis nigro-punctatis, capite supra plano, margine antico vix adscendente, hemelytris versus apicem angustatis, disco nervis obsolete elevatis, alis albo-hyalinis. ♀ (Long. $1\frac{2}{3}$ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele mens. Aug capta. Similis et affinis priori, et minoribus ejus varietatibus aequalis, sed vertice paullo breviori, antice obtusiori, margine non adscendente, nervis hemelytrorum minus elevatis, colore pallidiore, pictura supra nulla, etc. distincta. (Lapponia meridionalis.)

**3. Ph. nigro-punctata**: livido-testacea, hemelytris obsolete elevato-nervosis pedibusque fusco-punctatis, pectore ventreque basi nigris, capite supra plano, margine antico vix adscendente. ♀. (Long. $1\frac{2}{3}$ lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Barrsele in graminosis, a D. Dahlbom, 4. Jun. inventa. (Lapponia.)

Simillima priori, nec differt nisi hemelytrorum maculis punctiformibus sparsis, pedumque, etiam femorum, punctis fuscis, ut et pectore abdomineque totis nigris, margine anoque tantum testaceis. An praecedentis tantum varietas magis picta!

**4. Ph spuria**: capite plano, margine antico subadscendente, griseo-fusca, hemelytris apice rotundatis, disco nervis elevatis interrupte infuscatis, pedibus pallidis, tarsis nigris, alis abbreviatis albis. ♀. (Long. $1^{1}$ lin.)

*Cicada spuria* Zett. Fn. Lapp. 1. 519. 2. ♀. *Cicada bifasciata var. spuria* Fall. Act. Holm. 1806. p. 13.

Var. b. ♀. pedibus obscuris. Lycksele 10. Aug. rar.)

Hab. in Lapponia sylvatica et in Botnia boreali ad Haparanda, versus finem mens. Aug., rarius. (Lapp.-Scan. rar.)

Media quasi inter *Cicadam rusticam* et *C. bifasciatam* Fall., illa minor, hac vero major, alis incompletis ab utraque distincta. Caput et thorax ut in *Cic. rustica* var. d., fronte subtus pallide irrorata. Hemelytra brevia, lata, apice rotundata, supra grisea,

nervis interrupte infuscatis, punctisque fuscis subnebulosa. Alae abbreviatae, albae. Corpus subtus obscurum, pectore postice flavo-maculato. Pedes flavi, immaculati, tibiarum apice tarsisque nigricantibus.

**5. Ph. bifasciata:** capite plano, inaequali, margine antico subadscendente, fusca, hemelytris apice rotundatis, discoloribus, fasciis duabus albis, subtus pallida, pedibus immaculatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}-1\frac{1}{3}$ lin.)

*Mas:* minor, brevior, supra brunnescens l. nigricans, fasciis unica thoracis, duabusque hemelytrorum albis, fronte subtus albida, pedibus pallidis, tibiarum apice tarsisque nigricantibus, alis subincompletis.

*Fem.:* supra grisea, hemelytrorum nervis nigro-punctatis, fasciisque duabus albo-hyalinis; subtus pallescens, tarsis infuscatis; alis interdum subincompletis.

LINN. Fn. Sv. 898. ♂. FALL Act. Holm. 1806. 12. 4. ♂♀. Hem. Sv. 1829. 26. 3. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 519. 3. ♂♀. *Cercopis 3-fasciata* FABR. Rhyng. 98. 58. ♂.

Hab. cum praecedente in Lapponia aeque rara; ad Lyckele tamen ♂ paullo frequentius visus 15–16. Aug. (Lapp.-Scan. freq.)

**6. Ph. dispar:** capite plano, parum producto, vix adscendente, fusca, supra discolor, fronte subtus albida, pedibus testaceis, immaculatis, tarsis fuscis, alis completis albis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

*Mas:* supra aut testacea (in junioribus), aut nigricans, hemelytris fasciis duabus apiceque albo-hyalinis.

*Fem.:* supra aut testacea (in junioribus), aut grisea, hemelytris fusco-punctatis

*Cicada dispar* ZETT. Fn. Lapp. 1. 520. 4. ♂♀. *Cicada albifrons* LINN. Fn. Sv. ♀. *Cic. subrustica* FALL. Act. Holm. 1806. p. 103. ♀. *Cicada affinis* FALL. l. c. p. 13. 5. ♂.

Hab. in graminosis Lapponiae per partem sylvaticam rarius; prioribus minor. (Lapp.-Scan. freq.)

Hemelytra maris, praesertim in varietate obscuriore, obiter inspecta truncata videntur, et id propter apicem albido-hyalinum. — Nomen triviale LINNAEI rejicere coactus fui, cum feminam tantum spectet. Cel. FALLEN marem et feminam ut diversas species consideravit.

---

## 26. Cicada.

LINN. FABR. PANZ. FALL. ZETT. *Tettigonia* BURMEIST. *Cercopis* FABR.

*Corpus* majoris, mediae aut minoris magnitudinis, oblongum, aut oblongo-ovatum. Caput crassiusculum (fronte subtus convexo-incrassata), supra planum, vertice triangulari, margine antico in angulum obtusum distincte prominente. Thorax, anus et tibiae ut in *Pholetaera*. *Color* viridis, pallidus, fuscus; pictura, quando adest, vittata aut subocellata. *Motus* ut in priori. *Habitatio* in pratis et campis, locis saepissime apricis; per partem sylvaticam Lapponiarum Suecicarum et inferalpinam Lapponiae Norvegicae. *Differentia sexus* omnino ut in praecedente. (Spec. Scand. circiter 30. capite crassiusculo, fronte scilicet subtus convexa, et verticis margine antico non-attenuato, ut et habitatione a *Pholetaeris* praecipue distinctae. Typus generis: *Cic. viridis.*

* Elongatae, subcylindricae. Supra subvittatae. (Majores.)

**1. C. viridis:** flava, maculis duabus verticis nigris, thoracis postico hemelytrisque caerulescentibus aut viridibus. ♂♀. (Long. 2 fere 3 lin.)

*Mas:* hemelytris caerulescentibus, abdomine nigro, ano flavo.

*Fem.:* duplo major, hemelytris viridibus, abdominis ventre flavo; in copula.

LINN. Fn. Sv. 896. ♀. FABR. Rhyng. 75. 65. ♀. PANZ. Fn. 32. f. 9. ♀. FALL. Act. Holm. 1806. p. 15. 6. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 520. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponiae sylvaticae pratis humidis passim, inter majores generis, long. 3 lin. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. C. interrupta:** nitida flava, capitis thoracisque maculis supra hemelytrorumque vittis duabus longitudinalibus, exteriori abbreviata, nigris. ♂♀. (Long. 2 lin.)

LINN. Fn. Sv. 889. FABR. Rhyng. 76. 67. PANZ. Fn. 32. f. 8. ♂. FALL. Act. Holm. 1806. p. 15. 7. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 521. 6. ♂♀.

Hab. in pratis et pascuis Lapponiae inferioris rarius; priori paullo minor et brevior. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. C. moesta:** nitida atra, capite subtus pectoreque pallide maculatis, pedibus flavis, hemelytris albidis, vitta media longitudinali lata, integra, nigra. ♀. (Long. 2 lin.)



ZETT. Fn. Lapp. 1. 521. 7. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; inter Karesuando et Kengis Lapponiae Tornensis unicum specimen ad finem mensis Augusti in gramine detexi. (Lapponia.)

Statura corporis, magnitudo et affinitas praecedentis, sed omnino distincta, pulchra. Caput supra inaequale, in angulum obtusum modice productum, vertice nigro, macula utrinque ad oculos pallida. Frons subtus flava, striis transversis fuscis. Pectus albo-maculatum. Thorax supra niger nitidus, transversim subtiliter strigosus. Hemelytra abdomine breviora, sublinearia, apice obtuso, nitida nigra, margine utrinque flavescente l. albido-hyalino. Abdomen nigrum nitidum, genitalibus exsertis (an vi?), flavis. Pedes flavescentes, femoribus extus linea fusca obsoleta, unguibus nigris.

4. *Cicada lividella*, minor supra unicolor; vide infra.

** Oblongo-ovatae. Hemelytra apice obtusa, seu subtruncata. Supra aut unicolores, aut subocellatae. (Minores). Typus subdiv. *C. abdominalis.*

**5. C. lividella:** supra nitida, livido-testacea unicolor, subtus fusca, pedibus dilutioribus, hemelytrorum apice rotundato, areis apicalibus subtribus brevibus subquadratis. ♀. (Long. vix 1 lin.)

Hab. in Groenlandia, e qua 2 specimina a D. WESTERMANN mihi benigne communicata. (Groenlandia.)

Colore et statura *Pholetaerae liventi* simillima, sed quadruplo et ultra minor, capitis forma longe alia. A sequentibus hujus subdivisionis hemelytrorum apice rotundato, nec obtuso, abludit, proxime antecedentibus in eo affinis.

**6. C. abdominalis:** oblonga, supra flava, subtus caeruleo-atra, hemelytrorum apice subhyalino, areis apicalibus subquatuor, brevibus, subquadratis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.)

*Mas:* hemelytrorum apex subhyalinus margine fusco; pedes saepe caeruleo-atri geniculis omnibus tibiisque anterioribus pallidis.

*Fem.:* paullo major, robustior; hemelytrorum apex subhyalinus margine vix infuscato; pedes aut toti pallidi, aut femoribus omnibus tibiisque posticis plus minusve nigro-maculatis; in copula.

FABR. Rhyng. 98. 61. ♂. FALL. Act. Holm. 1806. p. 18. 10. Hem. Sv. 31. 10. ZETT. Fn. Lapp. 1. 521. 8. ♂♀. *Jassus* idem GERMAR. Mag. d. Ent. 4. 91.

Var. b. ♂♀. *limbatella*: similis varietati a. hemelytrorum margine omni anguste nigricante aut tota supra nigro-maculata; vix specie distincta.

ZETT. l. c. var. b. ♂.

Hab. var. a. in pratis et graminosis in omnibus Lapponiis Suecicis per partem sylvaticam et subsylvaticam mens. Jun. — Septemb. passim frequens; occurrit quoque sat vulgaris in inferalpinis Nordlandiae, et in insula Schiervoe 28. Jul. in copula capta; circiter $1\frac{1}{4}$ lin. longa. Varietas b. tantum in Lyngenstind Nordlandiae d. 27. Jul. ut et in Dowre rarissime lecta. (Lapp.-Scan. var. a. copiosiss.)

**7. C. Bohemanni:** oblonga, tota flavo-nigroque variegata, vertice antice angulo acuto longe prominente, areis hemelytrorum apicalibus 4, brevibus, subquadratis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

Hab. in alpibus Dowreensibus passim; in graminosis ad Vaage, 3–4. Aug. 1832 capta mecumque deinde amicissime communicata ab Inventore Nob. D. BOHEMAN, in cujus memoriam nomen carissimum insecto pulchre picto imposui. (Lapponia Norvegica; var. feminea hujus supra minus picta, ad Anneberg Smolandiae, a D. BOHEMAN etiam lecta, si memoria non valde fallit.)

Non solum pictura singulari, sed praecipue vertice acute triangulari, angulo antice aperte longius prominente, quam in *C. abdominali*, ab illa certe distincta. Variat pedibus plus minus nigromaculatis et punctatis. Variat etiam supra magis vel minus nigropicta, sed nigredo in medio insecti plerumque intensior, fasciam unam in thorace et alteram in humeris transversas integras, maculamque in disco posteriori singuli elytri fuscas formans, praesertim in ♂. perspicuas.

**8. C. balteata:** oblonga, tota pallide flava, oculis abdominisque medio fascia dorsali lata, nigris, tibiis posticis nigro-punctatis. ♀. (Long. 1 lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in graminosis ad pagum Badstutraesk d. 30. Jun. a me inventa. Capitis forma et areae apicales hemelytrorum omnino ut in *C. abdominali*, sed color et pictura longe alia. Oviductus ♀ fuscus. Pedes postici unguibus nigris. Reliqua ut in diagnosi. (Lappon. meridionalis.)

**9. C. pallens:** ovato-oblonga, supra flava, vertice luteo-maculato, subtus testacea, tibiis posterioribus nigro-punctatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 522. 9. ♀.

Hab. in graminosis Lapponiae sylvaticae passim; ad Kengis et Karesuando Lapponiae Tornensis hanc praesertim legi. In alpe Dowre ad Drivstuen, ad terminum regionis Betulae albae, etiam a D. BOHEMAN uterque sexus mens. Jul. lectus mecumque communicatus. Quoque in Dalekarlia visa. (Lapponia; Botnia borealis rar.)

*Fem.*: *C. abdominali* paullo major, robustior, at *Cicada ventrali* FALL. minor, et distincta. A *Cicada abdominali* differt praecipue colore, et forma frontis, quae in *C. abdominali* paullo magis producta et antice acuta, in *C. pallente* vero magis obtusa et incrassata deprehenditur, vertice scilicet in nostra breviore. Tota pallida. Frons infra fusco-striata. Vertex flavo- et luteo-irroratus. Hemelytra vix abdominis longitudine, albo-hyalina, nervis flavissimis, et ut in priori directis. *) Alae albae, fu co-striatae. Abdomen testaceum dorso basi nigro, segmentorum ventralium margine et rima anali nigricantibus. Pedes pallidi, tibiis posterioribus distincte nigro-punctatis.

*Mas;* Similis feminae, at corpore subtus magis nigricante, fronte supra saepe transversim fusco-striata, pedibus femoribus extus nigro-lineatis, ut et hemelytris abdomine longioribus, distinctus.

*Obs.* Sub nomine *Cicada Russeola* in Museo meo possideo utrumque sexum speciei, huic similis, at „hemelytris brevioribus, truncatis, fronte, vertice abdomineque subimmaculatis distinctae;“ cum *C. pallente* non confundenda, in Scania et Ostrogothia saepe capta, sed in Lapponia a me non visa.

**10. C. histrionica**: ovata, obscura aut flavescens, pedibus pallidis, supra albida, capitis thoracisque fasciis transversis hemelytrorumque lineis subsenis longitudinalibus fasciaque terminali, nigris. ♂♀. (Long. vix $1\frac{1}{4}$ lin.)

*Mas:* Corpus atrum. Hemelytra abdomine longiora alba, lineis longitudinalibus tenuibus fasciaque terminali, nigris.

*Fem.:* Corpus subtestaceum. Hemelytra longitudine abdominis flavo-albida, lineis longitudinalibus latioribus fasciaque intra apicem parum distincta, nigro-brunneis.

FALL. Act. Holm. 1806. p. 19. 12. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 523. 10. ♂♀. *Cercopis histrionica* FABR. Rhyng. 98. 62. certe. ♂. *Jassus* GERM. Mag. 89.

Hab. cum prioribus in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. fr.)

**11. C. ocellaris**: oblongo-ovata, atra, pedibus pallidis nigro-maculatis, supra albido-flava, vertice thoraceque luteo-maculatis, hemelytris ocellis disci oblongis apicisque orbicularis, nigro-brunneis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

FALL. Act. Holm. 1806. p. 20. 13. ♂♀. vera. (ut ex auctoris collectione Hemipterorum mihi donata videre licet). ZETT. Fn. Lapp. 1. 523. 11. ♂♀. *Cercopis reticulata* FABR. Rhyng. 98. 64. forte.

Var. b. ♀. hemelytris totis nigricantibus, striis solum interruptis hinc inde albidis.

ZETT. l. c. var. b. ♀.

Hab. in graminosis locis aridis per partem sylvaticam Lapponiarum omnium mens. Aug. — Sept. sat copiose. E varietate vero obscura b. non nisi unicam feminam in gramine ad Johannis Ro Botniae borealis d. 3. Sept. inveni. (Lapp.-Norvegia-Scan. var. a. vulgaris.)

Facies brevis, hemelytris truncatis. Pictura capitis et thoracis lutea, hemelytrorumque ocellata, speciem facile distinguit. Anus feminae supra flavus. — Varietates pallidiores in Suecia media et meridionali frequentissimas, in Lapponia non observavi, in Dowre a D. BOHEM. visae.

**12. C. pulicaris**: oblongo-ovata, pusilla, atra, geniculis tibiisque anterioribus pallidis, supra grisea, fusco-fulvoque maculata, hemelytris hyalinis, maculis variis obsoletis fuscis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.)

*Mas:* hemelytra abdomine paullo longiora areis (e nervis formatis) apicalibus tribus oblongo-quadratis.

*Fem.:* hemelytra abdomine paullo breviora, areis apicalibus tribus (ob apicem abbreviatum), brevissima.

FALL. Act. Holm. 1806. p. 21. 14. ♂♀. et Hem. Sv. 34. 15. ZETT. Fn. Lapp. 1. 524. 12. ♂♀.

Hab. in Lapponia forte rarius. In Collectione Domini Pastoris KOLSTRÖM in Muonioniska ut Lapponiae incolam vidi, mihi vero viva in terris arcticis non obvia. Minuta, longit. vix 1 lin. (Lapp. - Upland. et Scan. freq.)

*** Augustatae. Hemelytra elongata. Supra unicolores aut substriatae. (Minutae).

**13. C. striata**: griseo-flavescens, pectore abdomineque nigris, capitis maculis thoracisque lineis albidis, hemelytris albo-hyalinis, margine interiore nigro-maculato. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.)

LINN. Fn. Sv. 887? FABR. Rhyng. 77. 44? FALL. Act. Holm. 1806. p. 21. 15. et Hem. Suec. 1829. 35. 17. ♂♀. vera (quod e comparatione cum typis FALLEN. comprobare possum). ZETT. Fn. Lapp. 1. 524. 13. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae sylvaticae borealis mens. Aug. — Sept. passim; in Lapponiis meridionalibus frequentius, ibique a Lycksele usque ad Umenaes 6. Jul. — 4. Aug. capta; in Nordlandiae Finmarkiaeque subalpinis quoque rarius occurrit, ex. gr. ad Schiervoe, Bossekop et Altengaard. (Lapp.-Scan. freq.)

Maculae verticis lineaeque thoracis albidae saepe obsoletae. Maculae hemelytrorum interdum strigaeformes; interdum vero magis cohaerentes et vittam intra marginem interiorem formantes, plerumque obsoletae. Pedes pallidi. Pectus et abdomen in individuis lapponicis atra, in speciminibus Sueciae interdum pallescentia.

**14. C. punctipes**: flavescens, pectore abdomineque nigricantibus, pedibus pallidis nigro-punctatis, femoribus posticis fusco-lineatis. ♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.)

Hab. in Lapponia rarius, inter Karesuando et Kengis duo tantum specimina mens. Aug. legi. (Lapponia.)

*Fem.:* Magnitudo et statura praecedentis, forte paullo brevior, parum ultra $\frac{1}{2}$ lineam longa. A *Cicada assimili* FALL. (quae in Suecia inferiori frequenter occurrit) vix differt, nisi colore 'ut et pictura pedum. Caput in angulum antice prominens, supra flavum, maculis quibusdam antice et postice luteis, obsoletis; frons infra aut testacea, aut nigricans. Thorax et scutellum virescenti-flava, immaculata. Hemelytra abdomine paullo breviora, flavo-hyalina, immaculata, nervis parum conspicuis, areis apicalibus subquadratis. Alae albidae. Pectus et abdomen nigricantia, abdominis lateribus flavis, ano testaceo. Pedes pallidi, tibiis omnibus distincte nigro-punctatis, femoribus anterioribus nigro-maculatis, posticis vero nigro- l. fusco-lineatis. — Affinis etiam varietati pallidae *C. ocellaris.*

**15. C. flavipennis**: angusta, testacea, abdomine nigricante, pedibus pallidis immaculatis, hemelytris longis flavissimis, apice hyalino et areis elongato-quadratis. ♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 525. 15. ♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Muonioniska pauca tantum individua feminea die 17. Aug. inveni. (Lappon.-Suec. inferior, museum FALL. — ♂♀ ad Wadstena Ostrogothiae et in pratis paludosis in insula Fäశoen Gottlandiae 12—28. Jul., ipse.)

*Fem.:* Priori paullo angustior, at dimidio longior, linearis. Speciebus quibusdam minoribus *Cicadulae* generis colore areisque hemelytrorum terminalibus sat similis, at structura capitis diversa. Caput antice in angulum prominente, vertice vero breviore, quam in praecedente; supra luteo-flavum, fronte infra testacea, immaculata. Thorax capite subangustior, flavus immaculatus. Scutellum concolor. Hemelytra elongata, abdomine dimidio longiora, saturate et pulchre flava, nitida, apice determinate hyalino, areis valde elongatis. Pectus flavum. Abdomen nigrum, genitalibus testaceis. Pedes pallidi, tibiis posticis fusco-spinosis.

## 27. Thamnotettix.

*Cicada* FABR. PANZ. GERM. FALL. ZETT. *Jassus* FABR.

*Corpus* (in hac familia) majoris aut mediae magnitudinis, oblongum aut subovatum. Caput crassiusculum (fronte subtus convexa), antice rotundatum, in angulum non aut parum productum. Thorax, anus et tibiae ut in *Pholetaera* et *Cicada*. *Color* obscurus, testaceus aut subferrugineus, vix unquam viridis aut flavus. Frons infra saepe transversim striata. *Motu* strenue saltans. *Habitatio* in foliis fruticum et arborum, rarius in graminosis; per partem sylvaticam Lapponiae interioris, et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* ut in *Pholetaera*. (Spec. Scand. 29, capite crassiusculo, vertice obtusissime triangulari, margine antico rotundato s. arcuato, nec distincte angulato; hemelytrorum areis apicalibus subtribus, harum lateralibus oblongis intermedia oblongo-quadrata; nervo intramarginalibus in alis inferioribus semper praesente, quem 4 alii nervi in apice alae attingunt, furcas 2 ad originem ab formantes; aliis hujus familiae generis speciebus dignotae. Typi generis: *Th. reticulata* et *plebeja*. Nomen generis a θάμνος, *frutex*, *dumetum*, et τέττιξ, Cicada, desumsi, quia in foliis fruticum et in dumetis libenter versantur imagines.)

*) In unico individuo, forsitan monstroso, est area costalis ultima (prope apicem) longissima, aperta, nervo scilicet transverso absente, unde areae 2 in unam confluxerunt.

*Subdiv.* 1. Oblongae, subcylindricae, areis hemelytrorum apicalibus subtribus.

**1. Th. reticulata:** oblonga, grisea, albo-nigroque variegata, alis caeruleo-nitentibus, pedibus pallidis, nigro-maculatis. ♂♀. (Long. 2¼ - 2¾ lin.)

*Cicada reticulata* FALL. Act. Holm. 1806. p. 26. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 526. 16. ♂♀. *Jassus lineatus* FABR. Rhyng. 87. 9. forte.

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Scan. freq.)

Inter majores generis, *Cicada viridi* vix minor. Hemelytra nebulosa, maculis scilicet brunneis, nigris et lacteis variegata. Pedes albidi, femoribus anterioribus annulis duobus, tibiisque punctis plurimis nigris.

**2. Th. prasina:** oblonga, flavo-virescens immaculata, corpore obscuriore, alis albidis caeruleo-micantibus, tibiis posticis nigro-punctulatis. ♂♀. (Long. 2 - 2½ lin.)

*Mas:* corpus nigricans, abdominis margine anoque flavis.

*Fem.:* corpus testaceum, fusco-submaculatum, abdominis dorso nigro.

*Cicada* ead. FABR. Rhyng. 77. 70? FALL. Act. Holm. 1806. p. 27. 22. et Hem. Sv. 1829. 40. 25. certe. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 527. 17. ♂♀.

Hab. cum praecedente in Lapponia boreali rarissime, in meridionali ad Lycksele d. 13 - 20. Aug., frequentius, priori parum minor. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. Th. confinis:** oblonga, flavo-virescens, immaculata, corpore obscuro, alis lacteis, tibiis omnibus nigro-punctatis. ♂♀. (Long. 2 lin.)

*Mas:* corpus nigrum, abdominis margine anguste, anoque flavis.

*Fem.:* corpus nigrum, abdominis margine late, anoque flavis.

*Cicada confinis* ZETT. Fn. Lapp. 1. 527. 18. ♂♀.

Hab. in Nordlandiae Norvegicae inferalpinis, ex. gr. ad Evenäs et Schiervoe mens. Jul. rarius, nemora praesertim amans; in Lapponiis Suecicis nunquam vidi. (Lapponia ♂ in prato paludoso in insula Fårön Gottlandiae 12. Jul. 1819 rarissime.)

Color, forma corporis et habitus omnino praecedentis, nec differt nisi magnitudine paullo minori, alis lacteis, parum metallice splendentibus, et tibiis omnibus, saltem quatuor posterioribus, distincte nigro-punctatis. Nec cohabitant, unde diversas credo species, certe confines.

**4. Th. biguttata:** oblonga, saturate luteo-testacea, corpore obscuro, alis fuscis, metallice nitentibus, hemelytris subpallide nervosis, guttulis duabus in margine interiore albis. ♂♀. (Long. 2½ lin.)

*Cicada* eadem FALL. Act. Holm. 1806. p. 27. 23. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 527. 19. ♂♀.

Hab. in Lapponia, D. KOLSTRÖM, mihi ibi non obvia. (Lapp.-Scan. pass.)

Magnitudo praecedentis vel major. Sexus quoque simili modo differunt. Tibiae posticae nigro-punctatae.

**5. Th. cruentata:** oblonga, saturate luteo-testacea, corpore obscuro, alis fuscis, metallice nitentibus; supra atomis crebris sanguineis irrorata, pedibus pallidioribus, tibiarum posticarum linea tarsorumque annulis, nigris, fronte antice arcuata. ♂♀. (Long. fere 2 lin.)

*Cicada cruentata* PANZ. Fn. 61. f. 15. ♂. FALL. Act. Holm. 1806. p. 28. 24. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 527. 20. ♂♀.

Hab. in lucis betulinis Lappon. sylvaticae borealis mens. Jul. Sept. passim freq.; in foliis fruticum Lapponiae meridionalis etiam haud raro occurrit, et ad Lycksele in copula d. 16. Aug. capta. — In insula Schiervoe Nordlandiae quoque a me lecta, at rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

*Cicada biguttata* duplo minor et ultra. Caput et thorax supra semper sanguineo-irrorata. Frons et pedes concolora, interdum flava, immaculata (in mare) interdum parce sanguineo-irrorata. Tibiae posticae in utroque sexu semper linea interiori longitudinali nigra, et tarsorum articuli apice nigri. — Variant etiam tibiae eaedem interdum totae nigricantes. Mas saepe punctis duobus frontalibus gaudet, quorum in femina tantum rudimenta.

**6. Th. tincta:** oblonga, nitida, saturate luteo-testacea, hemelytris immaculatis, corpore obscuro, alis fuscis, metallice nitentibus, capite, thorace supra scutelloque roseo-tinctis, pedibus pallidis, tibiis posterioribus nigro-punctatis; fronte antice subangulata. ♂♀. (Long. 2¼ lin.)

Hab. in Lapponia rarissime; marem in Lapponia Tornensi et feminam in paludosis graminosis d. 7. Jul. inveni. (Lapponia.)

Similis *Th. cruentatae*, sed colore roseo in capite, thorace et scutello aequaliter nec irroratim disperso, hemelytris testaceis lucidis immaculatis, ut et vertice margine antico in angulum obtusum subprominente, praecipue distincta.

**7. Th. Torneella:** oblonga, griseo-testacea, corpore frontisque punctis obscuris, hemelytris nitentibus fusco-submaculatis, costa hyalina, pedibus pallidis, tibiarum posticarum linea tarsorumque annulis, nigris. ♂♀. (Long. 1½ lin.)

*Mas:* puncta frontalia 4, duobus superioribus confluentibus lineam transversam in vertice formantibus; hemelytra longitudinaliter fusco-maculata.

*Fem.:* puncta frontalia 2 l. 4. discreta; hemelytra nitentia, subimmaculata.

*Cicada Torneella* hab. in Pinetis ut et in graminosis ad ripas fluminum mensib. Jun. Jul. in Lapponia Tornensi passim frequens, ex. gr. ad Wittangi, ad cataractam Meraslinka, ad pagos Juckasjervi et Kurravaara, vulgaris; procedit usque ad Torneåträsk, sed supra lacum hunc versus alpes individua hujus speciei frustra quaesivi, nec in Nordlandiae Finmarkiaeque littoralibus unquam inveni; per totam Lapponiam sylvaticam Umensem s. meridionalem, et a Lycksele usque ad Umenaes mense Julio frequenter vidi. (Lapponia Tornensis - Westrogoth. et Smoland. D. BOHEMAN rar.)

Statura et affinitas *Cicadae cruentatae*, sed fere minor praesertim angustior, et colore aperte distincta. *Cicadae splendidulae* Auctor. quoque similis, sed in ea hemelytra tota maculis fuscis sunt adspersa, cum in nostra specie costa semper pellucida, immaculata inveniatur. Caput flavescens, nigro-punctatum. Thorax et scutellum griseo-testacea, immaculata. Hemelytra grisea, aureosubnitentia, feminae subimmaculata, maris maculis elongatis l. strigis longitudinalibus adspersa, costa tota in utroque sexu pellucida, hyalina. Corpus nigrum, abdominis margine laterali anoque pallidis. Pedes flavescentes, tibiis tarsisque posticorum ut in *Cicada cruentata* pictis.

**8. Th. subfuscula:** oblonga, nigricans, supra pallide brunnea nitida, striis frontis scutellique punctis 2 nigris, tibiis pallidis, posticis nigro-punctatis. ♂♀. (Long. 2, fere 2½ lin.)

*Mas:* frons subtus nigro-striata, stria interoculari perspicua. Scutelli puncta evidentiora, interdum confluentia. Hemelytra pallide nervosa interstitiis fuscis. Femora nigra.

*Fem.:* frons subtus nigro-striata, stria interoculari brunnea, interdum obsoleta. Scutelli puncta minuta. Hemelytra immaculata, nervis albidis. Femora pallida, parum nigro-maculata.

*Cicada subfuscula* ZETT. Fn. Lapp. 1. 529. 22. a. ♂♀.

Var. b. ♂. Obscurior. Thorax et scutellum nigricantia, parum griseo-maculata. Hemelytra obscure brunnescentia, nervis tantum pallidioribus. Magnitudo var. a.

*Cicada subfuscula* FALL. Act. Holm. 1806. p. 30. 27. ZETT. l. c. var. b. ♂.

Hab. in Nordlandia et Finmarkia Norvegica rarius; varietas a. in foliis Betulae albae ad Alteidet, Talvig et Bossekop 2—4. Aug. a me lecta; in Lapponia vero meridionali Sueciae frequentius, ad Barrsele, Stensele et Naestansjö, 1—13. Jul. a me capta; varietatem b. tantum ad Giebostad in insula Senjen d. 22. Jul. inveni. (Lapponia Norvegica-Ostrogothia; Scania pass.)

Praecedente paullo major, *Cicadae cruentatae* subaequalis. Alae fuscae caeruleo-nitent. Frons antice subangulata.

**9. Th. stupidula:** oblonga straminea, pectore abdomineque nigricantibus, hemelytris maculis oblongis sparsis fuscis, tibiis posticis nigro-punctatis, fronte antice subangulata. ♂♀. (Long. 2 - 2¼ lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in paludosis ad Stensele praesertim feminas d. 3—4. Jul. legi. (Lappon.-Suecia, variet. corpore pallido forte hujus.)

Similis et affinis *Th. tinctae* et *subfusculae*, sed colore supra stramineo et hemelytrorum maculis fuscis in interstitiis, oblongis, et in disco praesertim perspicuis, praecipue distincta. Variat praeterea fronte subtus levissime fusco-striata, et supra in medio punctis 2 obsoletis fuscis, praesertim in ♂. — Scutellum quoque interdum punctis 2 minutissimis parum perspicuis notatur. — In specimine femineo in Dalekarlia a D. BOHEM. capto mihique misso, frons supra maculis 4 irregularibus notatur.

**10. Th. striatula:** oblonga, corpore nigro, supra griseo-pallida nitida, vertice thoraceque punctis lineisque undulatis crebris nigris, hemelytrisque circulis disci oblongis, apicis rotundatis, fuscis, pedibus pallidis, femorum maculis tibiarumque posticarum punctis nigris. ♂♀. (Long 1—1¼ lin.

*Cicada striatula* FALL. Act. Holm. 1806. p. 31. 29. ♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 529. 23. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica boreali mens. Aug. rarius; in meridionali ad Lycksele 12—20. Aug. frequentius; *Cicada cruentata* duplo minor, praesertim mas, circiter 1¼ lineam longa. (Lapp.-Ostrogoth.-Scan. freq.)

*Obs.* *Cicada striola* FALL. „oblonga, nigra, supra griseo-pallida nitida, frontis linea interoculari distincta atra, pedibus pallidis,

femorum maculis tibiarumque posticarum punctis, nigris; ♂♀.;" *Cicadae subfusculae* et *striatulae* affinis, et colore illi, magnitudine huic subsimilis, sed hanc Sueciae meridionalis frequentem incolam in Lapponia non inveni.

**11. Th. lunulata**: oblonga nigricans, supra virescenti-flavescens, frontis subtus striis, verticis maculis interocularibus scutellique punctis 2 minutis, nigris, hemelytris fusco-irroratis, pedibus pallescentibus, femorum maculis tibiarumque punctis nigris. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

Hab. in Lapponia Norvegica D. BOHEMAN, rariss. (Lapponia; Jemtlandia, ipse, rarissime.)

Statura et similitudo *Cic. splendidulae* FALL. et FABR., a qua tamen magnitudine paullo minori, colore minus nitido, maculis verticis sublunatis, nec subquadratis, femoribus fusco-maculatis, hemelytrorum fuscedine irrorata, nec maculas formante, nec non alarum nervis 2 apicalibus anterioribus parallelis, nec ad originem furcam formantibus, praecipue distincta. Supra antice flavescens. Thorax in disco maculis aliquot fuscis obsoletissimis. Scutelli puncta fusca approximata sub thoracis margine postico ad partem occulta. Hemelytra griseo-flavescentia, fuscedine puncta minutissima lineasque obsoletas formante, apice toto fusco, areisque 3 subaequaliter longis. Subtus nigra, margine laterali omni anguste flavo. Reliqua ut in diagnosi.

*Subdiv.* 2. Breviusculae, oblongo-ovatae, hemelytris incumbentibus, subobtusis, areis subquatuor, subaequaliter longis.

**12. Th. plebeja**: brevior, ovato-oblonga, nigricans, supra griseo-pallida nitida, fusco-brunneo-nebulosa, pedibus pallidis, femorum maculis tibiarumque punctis nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.)

*Cicada plebeja* FALL. Act. Holm. 1806. p. 24. 18. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 530. 24. ♂♀.

Hab. in Lapponiae sylvaticae graminosis, passim rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

Affinis *Cicadae reticulatae*, sed duplo minor, praesertim brevior et distincta. Caput crassiusculum, griseum, striis frontalibus punctisque verticalibus nigris, sed stria interoculari nulla. Thorax et scutellum pallide grisea, maculis variis nigris, in femina saepe obsoletis. Hemelytra griseo-pallida, maculis punctisque crebris nebulosa, maculis albidioribus interdum interlucentibus. Alae lacteae, caeruleo-nitentes. Femorum maculae nigrae distinctae.

**13. Th. grisescens**: brevior, ovato-oblonga, nigra aut fusca, supra griseo-pallida nitida, verticis lineis 2 interocularibus thoracisque maculis paucis nigricantibus saepe obsoletis; hemelytrorum nervis pallidis, interstitiis infuscatis, pedibus testaceis, femorum maculis parcissimis tibiarumque punctis, nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 530. 25. ♂.

Hab. in Lapponia rarius, non nisi duo specimina mascula, unicum ad Giebostad in insula Senjen Nordlandiae Norvegicae d. 22. Jul., et alterum in palude ad Alteidet Finmarkiae d. 31. Jul. detexi, in Lapponia vero Suecica meridionali utrumque sexum, ad Lycksele in graminosis, nec non in regione sylvatica alpium Brattiksfjell, 25. Jun.—10. Aug. inveni. (Lapponia Norvegica-Suecica Umensis-Ostrogoth. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo et statura omnino *Thamn. plebejae*, a qua pictura capitis femorumque praesertim distinguitur. *Mas:* Caput griseum, fronte margine antice subprominente, subtus tenuiter striata, et vertice lineis duabus interocularibus nigris, interdum obsoletis. Thorax griseus, punctis quibusdam anticis nigris. Hemelytra grisea, nitida, nervis validis pallidis, interstitiis infuscatis, inprimis ad apicem, ubi maculae fuscae formantur. Alae lacteae, apice caeruleo-nitentes. Corpus nigrum, abdominis margine laterali anguste flavo. Pedes pallidi, femoribus parce et obsolete sublineato-nigro-maculatis, tibiis praesertim posticis nigro-punctatis. *Fem.*: Tota pallidior; signaturis fuscis in hac saepe valde obsoletis, hemelytris apice abbreviatis, areis apicalibus apice abscisso brevissimis.

**14. Th. sordida**: brevior, oblongo-ovata, nigra, supra griseo-pallida nitida, vertice, thorace scutelloque parce nigro-punctulatis, hemelytris pallide nervosis, interstitiis fuscis, pedibus testaceis, femorum maculis distinctis tibiarumque punctis nigris. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

*Cicada sordida* ZETT. Fn. Lapp. 1. 531. 26. ♂. *Cicada plebeja* var. γ. ♂. FALL. Act. Holm. 1806. p. 24. 18. *Cic.* eadem var. δ. ♂. FALL. Hem. Sv. 1829. p. 37.

Hab. in Lapponia suecica per partem sylvaticam passim; ad Kengis mens. Aug. frequentiorem vidi. (Lappon.-Ostrogothia; Scania passim.)

*Mas:* *Cicadu plebeja* duplo minor et subsimilis, affinis quoque *Cicadae grisescenti*, ab utraque vero magnitudine, pictura et loco natali distincta. Supra pallide grisea nitida. Frons subtus striata. Vertex punctis aliquot fuscis, linea vero interoculari nulla. Thorax punctis quibusdam obsoletis, fuscis in parte antica. Scutellum plerumque maculis 3 nigris, distinctis, notatum. Hemelytra striis plurimis brunneis interruptis picta, nervis scilicet pallidis, interstitiis elongatis fuscis. Alae lacteae parum violaceo-micant. Corpus nigrum, margine abdominis flavescente, ut in prioribus. Pedes pallidi, femoribus distincte nigro-maculatis, macula media majori, tibiis praesertim posticis nigro-punctatis.

---

## 28. Cicadula.

*Cicada* FALL. FABR. PANZ. LINN. *Tettigonia* AHR. *Typhlocyba* GERM.

*Corpus* minutum aut minutissimum, valde angustum, subcylindricum. Caput crassiusculum (fronte subtus convexa), supra lunatum, nec triangulare, margine antico exacte rotundato, in angulum minime producto. Ocelli nulli. Thorax, anus et tibiae fere ut in *Pholetaera, Cicada* et *Thamnotettice*. *Color* flavescente-viridis, pictura saepe insigni. *Motu* aut graciliter saltans, aut volans. *Habitatio* in graminosis et foliis fruticum arborumque; per partem sylvaticam Lapponiae, rarius inferalpinam maritimam Norvegiae. *Differentia sexus* ut in prioribus. (Spec. Scand. 46, corpore gracili, lineari; vertice lunato; ocellis nullis; colore viridi l. saepe intense flavo, pictura interdum insigni; hemelytrorum areis apicalibus aut elongatis aut triangularibus, alarum nervis difformibus; nervoque intramarginali in apice aut praesente aut absente; notis simul consideratis, a reliquis hujus familiae speciebus satis dignotae. Multitudo specierum detectarum divisionem veteris generis *Cicadae* in plura, etiam pro Fauna Lapponica necessarium fecit. Nomen generis cum teneritate insecti convenit.)

a) Hemelytra areis apicalibus tribus *) elongatis, media oblongo-ovata, exteriori subquadrata. Alae nervo intramarginali praesente, quem quatuor nervi longitudinales, aequali spatio remoti, in apice alae attingunt, ad originem duas furcas formantes. Puncta frontalia 4—6, aut raro nulla. Color flavus vel virens. Hemelytra unicolora. Hospitium saepius in graminosis. — (Huic Subdivisioni inseri possunt *Cicada variata* et *4-punctata* FALL. et plures novae a me in Suecia detectae species, posthac divulgandae).

**1. C. 4-notata**: flava, capite punctis 4 rotundis nigris, fronte subtus immaculata, pectore abdomineque atris, pedibus subimmaculatis. ♂♀. (Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin.)

*Cicada 4-notata* FABR. Rhyng. 78. 77. PANZ. Fn. 103. f. 7. certe. FALL. Act. Holm. 1806. p. 33. 32. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 532. 27. ♂♀.

Hab. in graminosis paludosis Lapponiae sylvaticae passim, ad Wilhelmina Jul. frequentius visa, in Botnia boreali quoque frequentior, die 2. Sept. in copula capta. (Lapp.-Scan. pass.)

Longit. $1\frac{1}{3}$ lin. Frons subtus striis nullis. Tibiae posticae intus linea nigra; punctis autem parum perspicuis. Tarsorum articulorum apex, et ungues nigra. Scutellum forte punctis 2 nigris sub margine thoracis postico occultis!

**2. C. strigipes**: viridi-flavescens, capite punctis 4 nigris, fronte submaculata, pectore abdomineque atris, pedibus pallidis, femoribus substriatis, tibiis nigro-lineatis punctatisque. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

*Cicada strigipes* ZETT. Fn. Lapp. 1. 532. 28. ♂.

Hab. in graminosis locis aridis, per partem sylvaticam Lapponiae borealis rarissime, nec nisi 2 specimina, unum infra Karesuando d. 16. Aug. et alterum ad Johannis Ro prope Tornoam d. 2. Sept. detegere mihi contigit. Sed in Lapponia meridionali Sueciae ad Lycksele d. 16. Aug. utrumque sexum inveni. In Dowre quoque deprehendit D. BOHEMAN. (Lappon.-Botnia borealis rar.)

*Mas.* et *Fem.* Priori affinis et similis, sed fere duplo minor, pictura pedum praesertim diversa. Caput flavescens. Puncta verticis in semicirculo posita. Frons maculis quibusdam longitudinalibus nigris. Thorax et scutellum viridi-flavescentia, immaculata. Hemelytra griseo-hyalina, aureo-subnitentia. Alae hyalinae, parum lacteae. Corpus atrum, abdominis margine anoque concoloribus. Pedes pallidi, femoribus basi nigro-maculatis et apice substriatis. Tibiae omnes nigro-lineatae posticaeque distincte nigro-punctatae.

*) Areae terminales in hemelytris *subquatuor* videntur, sed quoniam quarta ad marginem hemelytri interiorem sita in apicem haud adscendit, non nisi *tres areas apicales* nomino.

**3. C. maculipes**: flava, capite punctis 6, femoribusque anterioribus subtus ad apicem unico, pectore abdomineque nigris. ♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.)

Hab. in inferalpinis Norvegiae rar.; in alpe Dowre a D. BOHEMAN mens. Jul. detecta. (Lapponia.)

Similis prioribus, major, capitis femorumque punctorum nigrorum numero et forma distincta, puncta capitis 6 nempe in frontis antico 2 superiora majora rotunda, 2 inferiora transversa, et unum ad singulum oculum, minutissimum. Frons subtus immaculata. Puncta scutelli 2 sub thorace abscondita. Femorum anteriorum singulum puncto unico nigro ad apicem subtus. Tibiae et tarsi postica nigro-punctata. Abdominis latera et anus flava.

**4. C. 6-notata**: viridi-flavescens, capite punctis 6 nigris, fronte striolata, pectore abdomineque atris, femoribus tenuiter fusco-lineatis, tibiis posticis nigro-punctatis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.)

*Cicada* ead. FALL. Act. Holm. 1806. p. 34. 33. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 533. 29. ♂♀.

Hab. cum praecedente in Lapp. boreali rarius; sed in Lapponia meridionali passim copiose; et in graminosis locis aridis ad Lycksele, Wilhelmina et Umenaes, 9. Jul. — 16. Aug. uterque sexus frequenter a me lectus. (Lappon.-Scan. freq.)

Magnitudo praecedentis. — Variat hemelytris virescentibus immaculatis et aureo-maculatis. Puncta scutelli 2 saepius adsunt.

**5. C. alpina**: griseo-viridi-flavescens, capite punctis 6 nigris, fronte striata, pectore abdomineque nigricantibus, alis lacteis, furca nervorum altera retracta, pedibus pallidis, femoribus anterioribus fusco-submaculatis, tibiis posticis nigro-punctatis. ♂♀.

*Cicada alpina* ZETT. Fn. Lapp. 1. 533. 30. ♂♀.

Hab. in Lapponia suecica per partem sylvaticam mens. Aug. rarissime, ad Kolare et Kengis tantum a me lecta; in inferalpinis autem Nordlandiae et Finmarkiae paullo frequentius vidi, et in alpibus Lyngenstind et Gamstenstind, nec non ad radicem Jockelfjeldt d. 27—30. Jul. utrumque sexum inveni. (Lapponia.)

*Cicadula 4-notata* duplo minor. Caput flavescens, punctis verticis 6, striisque frontis nigris. Thorax et scutellum flava, immaculata. Hemelytra griseo-subflavescentia nitida, interdum aureo-submaculata. Alae lacteae, nervis 2 longitudinalibus furcatis, furca exteriori propius ad apicem retracta. Corpus atrum, abdominis lateribus anoque flavis. Pedes pallidi, femoribus anterioribus jam immaculatis, jam fusco-substriatis, tibiis posticis semper distincte nigro-punctatis.

**6. C. 7-notata**: pallide flava, punctis capitis 4, rostri 1, scutellique 2 majoribus, nigris, hemelytris hyalinis, vittis duabus citrinis, apiceque infuscatis, pedibus immaculatis. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)

*Cicada 7-notata*. FALL. Act. Holm. 1806. p. 35. 35. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 534. 31. ♀.

Hab. in Lapponiae meridionalis graminosis rarius. (Lapp.-Ostrogothia freq. Scan. rar.)

*Fem.* Brevis robusta, circiter 1 lin. longa. Puncta verticis 2, frontis 2, et rostri 1. Puncta verticis raro desunt, et interdum adest minutum sub singula antenna. Scutelli puncta majora, semper manifesta. Abdominis dorsum vitta nigra. — Marem in Lapponia non vidi, sed in Gottlandia cum femina captum in collectione insector. Suec. habeo.

**7. C. Dahlbomi**: oblongiuscula virescenti-flava, pectore abdomineque atris, capitis, thoracis, scutelli et pedum punctis maculisque, hemelytrorumque nervis validis, nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.)

Hab. in graminosis, nec non in Epilobio angustifolio, locis aridis, in Lapponia Suecica meridionali per partem tantum sylvaticam, rarius; in Paroecia Wilhelmina et novaccolum Umenaes 9—20. Jul. legimus, D. DAHLBOM et ipse. (Lapponia Umensis-Dalekarlia.)

Nitida, supra flavescens, costa praesertim in ♂. intensius flava. Caput flavum, maculis et striis pluribus sub fronte, punctis 4 majoribus in frontis apice, lineaque ad oculos, nigris. Sed hae signaturae, ut et illae in thorace et scutello, saepe ita difformes, dilatatae et confluentes, ut nullam determinatam figuram monstrent. Hemelytrorum nervi validi nigricantes. Pedes pallidi, varie nigropicti. Anus flavus.

*Cicadula* haec per se pulchra et distinctissima, per nomen specificum, ut puto, adhuc pulchrior et exoptatior. Cfr. etiam *Callomyza Dahlbomi* inter Diptera.

**8. C. sulphurella**: flava, abdominis dorso basi nigro, tibiis posticis nigro-punctatis, tarsorumque articulorum apice fusco. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{7}{8}$ lin.)

*Cicada sulphurella* ZETT. Fn. Lapp. 1. 534. 32. ♂♀. *Cicada virescens* FALL. Hemipt. Sv. 1829. 52. 45. ♂♀. varietas viridior hujus videtur. Nostra autem species etiam in vivis flava.

Hab. in graminosis Lapponiae sylvaticae mens. Aug. rarius; in Botnia boreali ad Johannis Ro d. 2. Sept. frequentiorem vidi. (Lapp.-Ostrogothia freq.)

Long. fere 2 lin. Tota flava magis vel minus pallida; mas plerumque saturatior. Statura *Cicadulae 6-notatae*. Frons impunctata. Hemelytra flavo-hyalina, unicolora. Alae albescentes. Abdominis dorsum basi nigricans. Pedes flavi, tibiis posticis punctis minutissimis ad basin spinarum nigris. Tarsi quoque postici apice articulorum unguibusque fuscis.

b) Hemelytra areis apicalibus tribus elongatis, media parallela, exteriori oblongo-triangulari. Alae nervo intramarginali praesente, quem duo nervi paralleli attingunt, illorum alter simplex, alter ad originem furcatus. Puncta frontis nulla. Color virescens. Pictura vix ulla. Hospitium in fruticibus. (Ad hanc Subdivisionem numerantur quoque *Cicada viridula* FALL. et aliquot Sueciae species, quae cum nostra *smaragdula* genus proprium forte efficiunt).

**9. C. smaragdula**: viridissima, capite, thorace scutelloque pallidioribus, hemelytris flavescenti-aureo-splendentibus, margine interiori fusciori. ♂♀. (Long. 2 lin. et ultra.)

*Cicada* ead. FALL. Act. Holm. 1806. p. 37. 39. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 535. 33. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. tota flava seu straminea, thoracis scutellique signaturis variis hemelytrorumque sutura brunneo-infuscatis. ZETT. l. c. var. b. ♂.

Hab. in graminosis et foliis Salicum et Betulae mens. Aug. — Sept. in Lapponia sylvatica boreali passim, in Botnia boreali frequentius, in copula; in Lapponia meridionali haud raro, ad Lycksele, ex. gr. d. 10—16. Aug. saepe in copula capta; varietatis b. tantum marem unicum ad Muonioniska d. 17. Aug. 1821 et ad Lycksele d. 17. Aug. 1832 utrumque sexum in copula junctum legi. (Lapp.-Dalekarlia-Ostrogoth. freq. Scan. rar.)

Long. fere $2\frac{1}{2}$ lin. Ab affinibus dignoscitur capite latiore, vertice angusto seu fronte minus producta.

c) Hemelytra areis apicalibus tribus elongatis, media parallela. Alae nervo intramarginali praesente, quem tres nervi longitudinales divergentes attingunt, alter ad originem furcatus. Frons impunctata. Color subvirescens. Pictura saepe macularis. Hospitium in gramine vel in arboribus acerosis.

**10. C. punctata**: supra griseo-virescens, hemelytris pallidioribus, maculis irregularibus sparsis fuscis. ♂♀. Long. $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lin.)

*Cicada* ead. THUNB. Act. Upsal. 4. 21. 36. FALL. Act. Holm. 1806. p. 38. 41. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 535. 34. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

Long. vix $1\frac{3}{4}$ lin. Vertex angustus, lunatim linearis, seu frons minus quam in affinibus producta. Corpus plerumque nigricans. Pedes vel pallescentes, vel nigro-maculati. Thorax interdum fusco-maculatus. Puncta et maculae hemelytrorum fusca magis vel minus dilatata. — In Pino et Abiete Sueciae mediae occurrunt individua huic simillima, sed supra rufescentia maculis fuscis; an speciei distinctae?

**11. C. spreta**: parum nitida, stramineo-flava, immaculata, pectore abdomineque nigricantibus. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Wilhelmina 16. Jul. a me lecta. (Lapponia Suecica meridionalis.)

Statura gracilis omnino prioris. Caput ut in *C. punctata*. Supra tota flava immaculata, subopaca. Hemelytra albo-flavo-pellucida, subnitida. Pectus et abdomen nigra, lateribus et ano flavis. Pedes flavi immaculati.

d) Hemelytra areis apicalibus tribus, omnibus subparallelis. Alae nervo intramarginali praesente, quem nervi subquatuor (quarto interdum abbreviato aut nullo) paralleli attingunt. Frons impunctata. Color flavescens. Pictura aureo-flava. Hospitium in graminosis. (Huc pertinent plures novae species Suecicae in Collectione mea asservatae).

**12. C. elegantula**: flava, pedibus pallidis, corpore testaceo, thoracis lineis duabus hemelytrorumque vittis tribus longitudinalibus, citrinis nitidissimis; alarum nervis longitudinalibus apicalibus tribus, quarto abbreviato. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.)

*Cicada elegantula*. DALM. in litteris, 1819. ZETT. Fn. Lapp. 1. 1828. 536. 35. ♂♀.

Hab. in Lapponiae graminosis rarissime. (Lapp.-Ostrogoth. freq.)

Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Tota flava. Thorax pallidus, vittis duabus longitudinalibus latis luteis, in mare evidentioribus. Hemelytra albo-hya-

lina, vittis 3 longitudinalibus citrinis pulchre picta. Apex hyalinus subinfuscatus. Alae albicantes, nervis fere ut in hemelytris directis, sed nervus quartus (intra 2 et 4) in medio abbreviatus, ita ut tres solum nervi nervum intramarginalem attingant in apice alae. Pedes pallidi, immaculati.

**13. C. citrinella:** saturate flava, abdomine nigricante, hemelytris hyalinis, basi citrino-vittatis, alarum nervis longitudinalibus tribus. ♂♀. (Long. ¾ lin.)

*Cicada citrinella* ZETT. Fn. Lapp. 1. 536. 36. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, nec nisi unicum par inter Karesuando et Kengis mense Aug. inveni. (Lapponia-Jemtlandia in fruticibus Pini et Abietis rarius, teste D. BOHEMAN, mihi vero in provinciis adjacentibus non obvia; Gottlandia, Ostrogothia, Scania, rarius, ipse.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedente fere triplo minor, vix lineam longa. Affinis *Cicadae elegantulae*, alarum directione nervorum essentialiter distincta. Caput et thorax fulva, immaculata. Hemelytra hyalina, basi vittis longitudinalibus parum ultra medium extensis citrinis nitidissimis. Alae hyalinae, metallice nitentes, nervis tantum tribus longitudinalibus in nervum intramarginalem ductis. Abdomen nigrum, basi et genitalibus flavis; in femina fere totum flavum, dorso in medio nigrum. Pedes colore citrino immaculati.

**14. C. gracilis:** flava, hemelytris concoloribus, abdomine in medio nigricante, nervis longitudinalibus tribus. ♂♀. (Long. ¾ lin.)

Hab. in Lapponia rarissime; femina in Alno ad Naes Norvegiae 3. Jun. a D. BOHEMAN capta, et mas ad Lycksele 16. Aug. a me inventus. (Lapponia.)

Simillima priori, cujus forte mera varietas est. Differre tamen videtur hemelytris unicoloribus nec colore citrino in vittas perspicuas digesto. Abdomen in ♀. fere totum flavum, in ♂. in medio nigrum.

**15. C. micantula:** laete flava, hemelytris nitidis citrinis, punctis in singulo tribus atris, abdomine nigro, basi apiceque flavo. ♂. (Long. ¾ lin.)

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime; unicum specimen mihi a D. BOHEMAN missum vidi. (Lappon.)

Pulchra et distincta. Nervi ut in priori directi. Tota laete flava. Oculi nigri. Hemelytra citrina, apice hyalina. In singulo hemelytro ad suturam maculae 3 rotundae punctiformes, nigrae, aequali spatio remotae, prima ad basin fere in humero, ultima mox pone medium. Abdomen nigrum, basi, margine et ano flavum; (in femina forte pallidius). Macula pectoralis nigra.

e) Hemelytra areis apicalibus determinate tribus, intermedia regulariter triangulari, petiolata. Alae nervo marginali nullo, sed nervi quatuor simplices subparalleli in apicem ducuntur, ibique areas tres oblongo-quadratas formant. Frons punctata. Color pallidus, pictura maculiformi. Hospitium in plantis et in fruticibus. (Huc quoque referuntur: *Cicada aurata* LINN. FALL. *Cic. tenella* FALL. et nov. species genus distinctum certe efficientes, forte Subdivisionem sequentem seu *Cicadam vittatam* etiam bene amplectens). *Typhlocyba* GERM. BURMEIST.

**16. C. Urticae:** pallide flava, capite, thorace scutelloque nigro-punctatis, hemelytris vitta repanda punctisque tribus, fuscis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.)

*Cicada* ead. FABR. Rhyng. 77. 76. FALL. Act. Holm. 1806. p. 40. 45. ♂♀. ZETT. Fn. L. 1. 537. 37. ♂♀.

Var. b. thoracis hemelytrorumque maculis fuscis magis confluentibus. BOHEM.

Hab. in Urtica, in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

Long. 1 lin. Caput flavum, punctis nigris, jam 4 et rostro flavo, jam 2 et rostro nigro. Thorax jam quadripunctatus, jam varie nigro-maculatus. Scutelli puncta 2. Abdomen modo pallidum, modo nigrum vidi.

f) Hemelytra areis apicalibus tribus, intermedia regulariter triangulari, sessili (minime petiolata). Alae nervo intramarginali nullo, sed nervi quatuor simplices subparalleli in apicem ducuntur, ibique areas tres oblongo-quadratas formant. Frons impunctata. Color flavus. Pictura repando-vittata. Hospitium in graminosis. *Typhlocyba* GERM. BURM.

**17. C. vittata:** pallide flava, vertice, thorace abdominisque postico atris, hemelytrorum vitta longitudinali repando-dentata, nigro-brunnea. ♂♀. (Long. ⅘—1 lin.)

*Cicada vittata* LINN. Fn. Sv. 893. FALL. Act. Holm. 1806. p. 39. 43. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 538. 38. ♂♀. *Typhlocyba vittata* GERM. Mag. 4. 73. 28. BURMEIST. Handb. 1835. 2. 107. 3. 3.

Hab. in graminosis Lapponiae rarius. (Lapp.-Gottland.-Scan. freq.)

Pusilla, vix 1 lineam longa. Hemelytrorum sutura nigro-brunnea, macula infra scutellum flavum, et alia ante apicem, hyalina; in ipso apice fusco adsunt quoque maculae rotundae, hyalinae. Alarum nervi longitudinales recti, paralleli, validi.

g) Hemelytra areis apicalibus tribus, intermedia regulariter triangulari, petiolata. Alae saepissime albae, nervo intramarginali nullo, sed nervi tres (illorum alter ad originem furcatus) subparalleli ducuntur in apicem, ibique areas duas oblongo-quadratas formant. Frons aut impunctata, aut punctata. Color flavus, pictura varia. Hospitium in arboribus et fruticibus. Motus saepe volatus, scilicet, sole splendente, immagines a sede sua breviter et celeriter in aëre avolare videntur, mox vero ad eandem revertunt. (Huc referuntur: *Cicada Ulmi* LINN. FALL. „flava, abdomine nigro, punctis frontis aut 2, aut 4, aut nullis, hemelytrorumque apice fusco maculato," in Lapponia a me non visa; *Cicada Quercus* FABR. FALL. et multae novae species, Succiae inferioris incolae).

**18. C. Rosae:** flavissima immaculata nitida, hemelytrorum apice hyalino, alis albicantibus. ♂♀. (Long. 1—1⅛ lin.)

*Cicada Rosae* LINN. Fn. Sv. 902. DE GEER Ins. 193. 9. ZETT. Fn. Lapp. 1. 538. 39. ♂♀. *Cicada flavescens* FABR. Rhyng. 79. 85. FALL. Act. Holm. 1806. p. 35. 36. ♂♀. et Hem. Sv. 1829. 53. 48.*)

Hab. in foliis fruticum Alni et Betulae per partem Lapponiae mens. Aug. — Sept. passim, ad Torneå, Kengis et Karesuando Lapponiae Tornensis, ut et ad Lycksele Lapponiae Umensis, ego frequenter vidi, in copula. (Lapp.-Scan. freq.)

Long. parum ultra 1 lin. Nervi alarum apicales 2 longiores, aream oblongo-quadratam magis regularem formant. Nervus autem tertius abbreviatus marginem non attingit, obsoletus. Hemelytrorum apex nervo gaudet furcato, qui aream triangularem format breviter petiolatam.

**19. C. lineatella:** pallide flava nitida, scutello hemelytrorumque vitta longitudinali oblique ducta, purpureo-nigris, pedibus immaculatis. ♂♀. (Long. 1—1⅛ lin.)

*Cicada* ead. FALL. Act. Holm. 1806. p. 36. 37. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 539. 40. ♂♀. *Tettigonia geometrica* (sulphurea elytris vitta obliqua fusca, scutello fusco, medio flavo) AHRENS. Fn. 12. t. 18. *Cercopis geometrica* SCHRANK. Fn. boic. II. 57. 1076.

Hab cum praecedente rarius. (Lappon.-Scan. pass.)

Magnitudo prioris. Hemelytrorum apex infuscatus, area triangulari distincte petiolata. Scutellum in mare interdum flavescit.

**20. C. 6-punctata:** stramineo-albicans, corpore pallescente, punctis frontis 2 thoracisque 4, scutelli nullis, atris, hemelytris infuscatis, subfasciatis. ♂♀. (Long. 1⅛ lin.)

*Cicada 6-punctata* FALL. Hemipt. Sv. 1829. 51. 43. ♂♀. (Ante publicationem operis citati, haec species sub nomine: *Cic. albula* divulgata fuit, et adhuc in collectionibus Suecorum sub eodem nomine haud raro occurrit.)

Hab. in Lappon. meridionali rarissime. (Lappon.-Jemtlandia, teste D. BOHEMAN-Ostrogoth.-Scan. pass.)

Similis sequenti, an ab illa vere distincta. Inter specimina originaria Falleniana *C. 6-punctatae* et *C. 10-punctatae* nullam aliam invenio differentiam, quam quod corpus totum in *C. 6-punctata* pallidius sit, et puncta nigra obsoletiora, unde vix plura quam 6, (nec 10), distincta observantur.

**21. C. 10-punctata:** pallide flava, corpore nigricante, punctis capitis 2, thoracis 6, scutellique 2, atris, hemelytris albidis, maculis strigisque fuscis. ♂♀. (Long. 1—1⅛ lin.)

Var. a. ♂♀. supra flava.

*Cicada* ead. FALL. Act. Holm. 1806. p. 41. 46. ♂♀. ZETT. Fn. Lapp. 1. 539. 41. a. ♂♀.

Var. b. ♀. supra pallide rosea, pictura varietatis a. ZETT. l. c. var. b. ♀.

Hab. in foliis Pini sylvestris frutescentis et Betulae albae, mens. April — Septemb. in Lapponia sylvatica meridionali et boreali passim, ex. gr. ad Stensele, Åsele, ut et ad Junosuando et Kautokeino; in Botnia boreali ad Torneå et Johannis Ro a primo vere usque ad autumnum in Pinetis frequens. (Lapp.-Helsingia-Ostrogoth. pass.)

Magnitudo duarum proxime praecedentium. Supra pallida. Puncta frontis 2, thoracis antici 4, laterumque utrinque unicum, scutellique 2 interdum confluentia, nigra. Hemelytra maculis undulatis fuscis obsoletis. Nervi apice infuscati. Alae lacteae; nervorum alter apicalis ad originem furcatus. Pectus et abdomen nigra. Pedes flavi. Variat etiam mare magis picto seu obscurius maculato.

---

*) In collectione Falleniana species nostrae: *C. fulgida*, *Rosae*, *flavescens*, *citrinella*, *elongella*, *flavella* etc. sub nomine: *Cicada flavescens* commixtae obveniunt.

Haec varietas in copula cum variet. a ♀., saepe deprehensa. Lycksele Jul.

h) Hemelytra areis apicalibus tribus, intermedia regulariter triangulari, longissime petiolata. Alae nervo marginali nullo, sed nervi quatuor subparalleli ducuntur versus apicem, ibique areas tres inaequales formant. Frons impunctata. Color flavus; pictura macularis vel strigilaris. Hospitium in fruticibus et graminosis.

**22. C. pulchella:** flavissima, supra aureo-nitida, hemelytrorum costa strigis duabus purpureo-nigris, apiceque infuscato puncto centrali atro, pedibus pallidis immaculatis. ♂♀. (Long. $1-1\frac{1}{4}$ lin.)

Var. a. ♂♀. in copula, hemelytris flavis, signaturis ut in diagnosi indicatum.

*Cicada pulchella* Fall. Act. Holm. 1806. p. 36. 38. ♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 540. 42. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. in copula, hemelytris roseis, signaturis ut in a. Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius. (Lapp.-Ostrogothia freq. Scan. pass.)

Long. circiter 1 lin. Abdominis basis supra nigricans. Costa hemelytrorum subhyalina, macula pone strigam posteriorem plerumque nivea. Varietates a. et b. in copula mixtas deprehendi, sed varietatem β. Fall. „supra saturate pictam," in Ostrogothiae Quercetis frequenter, in Lapponia nunquam, inveni.

**23. C. Germari:** elongata, sordide albida, immaculata, supra argenteo-micans, abdomine fusco. (Long. $1\frac{1}{4}-1\frac{3}{4}$ lin.)

Hab. in Pino et Abiete Lapponiae Umensis passim, ad Lycksele 14—16. Aug. utrumque sexum haud infrequenter legi. (Lapp. Suecica meridionalis per partem sylvaticam. — Suecia media. Ostrogothia, Aug. Sept. freq.)

A prioribus affinibus longitudine et colore obscuriore mox dignota. Supra tota sordide straminea, unicolor, certo situ aureo-aut argenteo-lucidula, praesertim in hemelytris. Pedes straminei. Abdomen praecipue in ♂. nigricans. Alae subalbidae metallice nitent.

Ne Germanorum sagacissimus Entomologus malevole accipiat, me nomine Ejus celebratissimo animalculum minutum et obscurum condecoravisse, pie rogat Insectorum Lapponicorum descriptor.

---

## 29. Jassus.

Fabr. Rhyng. 12. Fall. *Tettigoniae* Species Latr. *Bytoscopus* Germ. Burmeist.

*Corpus* mediae l. minoris magnitudinis, oblongo-quadratum, glabrum. Caput declinatum, vertice transverse sublunato-lineari. Tibiae anteriores muticae, posticae triplici serie spinulosae. Hemelytrorum nervi (in nostris) fere ut in *Pholet.* et *Cicada* directi, sed areae 4 apicales plerumque longiores angustiores, et membrana (infra nervos), quae ipsum apicem terminat, latior. Alae nervo intramarginali praesente, quem 4 nervi longitudinales, inaequali spatio remoti, circa apicem alae attingunt, ad originem 2 furcas formantes, et 4 areas apicales inaequales efficientes. *Color* fuscus, testaceus, flavescens; pictura maculata. *Motus* saliens: insectum attactum primum celeriter at brevissime currit, mox vero saltando aut volando aufugit. *Habitatio* larvarum et imaginum in foliis, truncis et ramis fruticum arborumque, vix unquam in herbis humilioribus vel gramine; per regionem Lapponiae sylvaticam et subsylvaticam. *Differentia sexus* ut in *Cicada*. (Spec. Scand. 12 in Museo meo adsunt, capite declinato, vertice cum oculis terminantibus thorace latiore, valde angusto, subarcuatim lineari, ocellis in fronte subtus, nec in vertice, praecipue a ceteris Cicadariis distinctae.)

*Subdiv.* 1. Caput et thorax antice angulum non formantia. Hemelytrorum areae apicales pauciores (subtres), elongatae.

**1. J. Populi:** flavus, scutello nigro-maculato, hemelytris subhyalinis nitidissimis, tenuiter pallide nervosis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.)

*Mas:* antennarum clava atra, seta brevi terminata; colore corporis saturato.

*Fem.:* antennis setaceis, minime clavatis; colore corporis magis languido; in copula.

Var. a. ♂♀. Caput, pectus, abdomen et pedes flava, immaculata. Thorax fuscus. Scutellum testaceum, maculis anticis 2 atris. Hemelytra fusco-aurata, apice hyalina.

Fall. Act. Holm. 1806. p. 118. 3. ae. ♂♀. Linn. Fn. Sv. 890. Zett. Fn. Lapp. 1. 541. 1. a. ♂♀. *Jassus fulgidus* Fabr. Rhyng. 87. 13.

Var. b. ♂♀. similis var. a., hemelytris infuscatis, macula dorsali fasciaque media albidis.

Fall. l. c. var. β. Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Var. c. ♂♀. in copula; tota pallida, hemelytris parum infuscatis. Forte junior.

Zett. l. c. var. c. ♂♀.

Hab. in foliis Salicis et Populi, in Lapponia per partem sylvaticam mense Augusto rarius. Long. fere 3 lin. (Lappon.-Scan. freq.)

**2. J. lituratus:** flavescens, supra fusco-pictus, hemelytris hyalinis, nervis validis maculisque brunneo-nigricantibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ fere 3 lin.)

*Mas:* antennarum clava atra, seta longiori terminata.

*Fem.:* antennis setaceis, clava nulla.

Var. a. ♂♀. Hemelytra hyalina, nervis fusco-brunneis.

Fall. Act. Holm. 1806. p. 117. 2. ♂♀. Hem. Sv. 1829. 60. 2. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 541. 2. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. Hemelytra brunnescentia, macula dorsali fasciaque media albidis, nervis validis. Oculi pallide virescentes, puncto (in fundo) nigro pro situ variante. Frons, pectus et abdomen subtus, in ♀ pallide rufa. Frons in ♂ alba, macula media flava. Varietati b. speciei praecedentis affinis et similis, pictura nervisque validis distinctus.

Zett. l. c. var. b. ♀.

Hab. cum *Jasso Populi* rarius; varietatem vero b. ad Kengis et Torneå Lappon. borealis, ut et ad Lycksele Lappon. Umensis, mens. Aug. — Sept. frequentiorem vidi. (Lapp.-Ostrogoth. freq.)

Magnitudo praecedentis. Vertex et thorax maculis irregularibus nigricantibus picti. Scutellum pallidum, maculis tribus nigris vel brunneis, media anchoraeformi, saepe cum prioribus confluente. Pectus et abdomen nigra l. nigro-maculata. Pedes saepe fusco-striati.

**3. J. Tremulae:** flavo-testaceus, supra griseo-albidus, verticis, thoracis scutellique maculis nigro-brunneis, hemelytris albido-hyalinis, fasciis duabus aureo-brunneis, anteriori obsoleta. ♂♀. (Long. $2-2\frac{1}{4}$ lin.)

Zett. Fn. L. 1. 542. 3. ♂♀. *Cicada tremulae* Estlund. Act. Holm. 1796. p. 129. Tab 5. f. 3. certissime.

Hab. in truncis virentibus Populi Tremulae in Lapponia sylvatica rarius. Lappon.-Ostrogoth. freq. Smol. pass.)

Prioribus minor, augustior. Clava antennarum in utroque sexu nulla. Caput flavo-albidum, parte antica et vertice nigro-brunneo-pictis, guttis duabus rotundis pallidis in fronte. Thorax griseo-albidus, maculis longitudinalibus latis brunneis. Scutellum concolor, maculis nigro-brunneis. Hemelytra hyalino-albida, nitida, fasciis duabus brunneo-auratis, prima in basi obsoleta, altera in medio saturatiori distincta. Nervi sat validi, in apice tres areas elongatas formantes, omnino ut in speciebus antecedentibus. Alae latae. Corpus pallidum, abdominis dorso nigricante. Pedes pallidi, unguibus fuscis.

*Obs.* *Jassus Lanio* (*Cicada Lanio* Linn.) „brunneo-testaceus, hemelytris aut concoloribus (♂.), aut viridibus (♀.), areisque apicalibus numerosis, brevibus," *Jasso Populi* duplo major; sed haec Sueciae mediae frequens incola, in Lapponia a me non visa. — Nec *Jassus Gyllenhali* Fall. „flavo-nigroque variegatus, hemelytris interrupte nigro-striatis, areis apicalibus subtribus, media minuta triangulari, longe petiolata," *Cicada Coryli* Linn. Fn. Sv. (a *Jasso Populi* forte distincta) et nova species, in Lapponia hactenus capti fuerunt.

*Subdiv.* 2. Caput et thorax antice angulum formantia. Hemelytrorum areae apicales plures (quatuor), breviores, subquadratae. Mares feminis semper minores.

**4. J. Fruticola:** subtus pallidus, supra obscurior, hemelytris subhyalinis, validioribus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}-1\frac{3}{4}$ lin.)

*Mas:* nervis semper validis, capite, thorace scutelloque saepius fusco-pictis.

*Fem.:* nervis interdum tenuioribus; capite, thorace scutelloque saepe immaculatis; in copula.

Var. a. *obscurus*, ♂♀. in copula. Supra griseo-testaceus, aut fusco-pictus (♂.), aut immaculatus (♀.), hemelytris hyalinis, nervis obscuris. freq.

Fall. Act. Holm. 1806. p. 120. 4. ae. ♀. et Hemipt. Suec. 1829. 62. 5. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 543. 4. a. ♂♀. *Jassus diadema* Fabr. Rhyng. 87. 14. ♂. *Jassus bipustulatus* Fabr. Rhyng. 88. 18. ♀.

Var. b. *pallens* ♀. totus testaceus immaculatus. freq.

Fall. l. c. var. β. Zett. l. c. var. b. ♀.

Var. c. *triangularis* ♂♀, testaceus, hemelytris basi circa scutellum flavis, disco maculis duabus hyalinis.

Fall. l. c. var. γ. Zett. l. c. var. c. ♂♀. *Jassus triangularis* Fabr. Rhyng. 88. 19.

Var. d. *flavicollis* ♀. obscure testaceus, vertice, thorace, scutello, hemelytrorumque basi interiori flavis, maculisque duabus disci hyalinis. Freq. (in cop. cum var. a.)

Zett. l. c. var. d. ♀. *Cicada flavicollis* Linn. Fn. Sv. 891. forte?

Var. e. *Rosae* ♀. supra saturate flavus, punctis frontalibus nigris, hemelytrorum apice hyalino.

Zett. l. c. var. e. ♀. Fall. l. c. var. ε. ♀. *Jassus Rosae* Fabr. Rhyng. 87. 16? (exclus. Syn. Linn.) *Jassus flavicollis* Ahrens. Fn. Ins. Europ. Fascic. 3. 23. var. i.

Var. f. *fusculus* ♂. supra griseo-flavus, frontis macula majori cruciformi, thoracis fascia antica, scutello corporeque nigris, hemelytris hyalinis valide fusco-nervosis, pedibus pallidis. — Zett. l. c. var. f. ♂.

Var. g. *capucinus* ♀. niger, antice flavus. rar. varietas pulchra.

Var. h. *tristis* ♂. supra niger, maculis capitis flavis et hemelytrorum hyalinis.

Hab. in foliis arborum et fruticum, praesertim Betulae albae et Alni per partem sylvaticam Lapponiarum omnium suecicor. mens. Aug. — Sept. passim; varietates a., b., c. et d. frequentius; varietatem f. tantum ad Tornoam rarissime legi. Varietates g. et h. tantum in Lapponia Umensi seu meridionali mihi obviae, scilicet g. ad Lycksele et Kattisavan d. 28. Jun. rar., et var. h. ad Fredrica et Lycksele 29. Jul. — 4. Aug. frequenter inventae. Supra Kautokeino et Umenaes hanc speciem non inveni, nec in Nordlandiae Finmarkiaeque maritimis eam unquam observavi. (Lapp.-Scan. var. a—e. freq.)

**5. J. nigritulus**: niger, vertice scutelloque atris, fronte picea, hemelytris brunneo-nigris nitidis, pectore flavo-maculato. ♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 544. 5. ♀. *Jassus fruticola* Fall. Hemipt. Sv. 1829. 62. 5. var. ζ. Secundum Mus. Fall.

Hab. in foliis Betulae albae rarissime, nec nisi unicum individuum inter Karesuando et Muonioniska Lapponiae Tornensis d. 16. Aug. inveni. (Lapponia-Finland. Sahlb.-Westrogoth. Gyllenh.-Gottlandia ad Ejstad 15. Jun. 1819, ipse. Nullibi frequenter occurrit, et in Suecia meridionali, Scania hactenus non observatus.)

*Fem.* Magnitudo fere praecedentis, at paullo longior et angustior videtur, totus cum pedibus niger. Frons supra rostrum ferruginea. Hemelytra nitida, brunneo-nigra, non pellucida. Alae lacteae. Pectus flavo-maculatum. Vix varietas *Jassi Fruticolae*, ut voluit Fall.

**6. J. venosus**: griseus, corpore obscuriore, capite thoraceque nigro-maculatis, hemelytris hyalinis, valide fusco-nervosis, pedibus nebulosis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

*Mas:* maculae frontales nigrae, dilatatae. Thorax niger, flavo-lineatus. Scutellum nigricans.

*Fem.:* puncta verticis 2 nigra. Thorax griseus, punctis 2 anticis nigris. Scutellum nigrum, macula media cordata flava. Anus testaceus.

Zett. Fn. Lapp. 1. 544. 6. ♂♀. *Cicada venosa* Fall. Act. Holm. 1806. p. 25. 19. ♂♀.

Hab. cum prioribus in Lapponia rarius. (Lappon.-Scan. freq.)

Minutus, brevis, parum supra lineam longus; hujus certe generis. Frons subtus striata, qua nota ut et habitu ad genera sequentia quodammodo accedit. Nervi hemelytrorum validi, ut in *Jass. Fruticola* directi. Pedes grisei, fusco-maculati. — *Obs. Jassus venosus* Ahrens. Fn. Ins. Europ. Fascic. 5. fig. 20, aliud est insectum; ad *Cicadae* genus forte referendum.

## *Sect. 2. Thorax limbo collari auctus. Hemelytra submembranacea.* (*Tettigonides* Fall. Disp. *Fulgorides* Fall. Hem. Sv. 1829.)

## *Phalanx 1. Antennae in oculorum situ infero non insertae, articulis 2 basalibus conjunctis capite brevioribus.**)

## 30. Cixius.

Latr. Hist. Nat. des Crust. et des Ins. T. 12. *Flata* Fall. Hemipt. Sv. Germ. Fabr. *Delphax* Fall. Act. Holm.

*Corpus* mediae magnitudinis, ovato-trigonum. Caput parvum. Frons subtus tricarinata. Antennae breves. Thoracis limbus collaris brevissimus, angulatus. Hemelytra longa ampla, subalaeformia, pellucida, nervis crebris, apice subalternatim furcatis. Tibiae posticae, spinis 2 minutis, apice denticulis coronatae. Anus ♀ saepe lanatus. *Color* obscurus; pictura subfasciata. *Motus* strenue et sat longe saltatorius cum volatu. *Habitatio* larvarum in terra, ubi radices plantarum consumunt; imaginum in fruticibus, quorum folia pungunt et succum sugunt; per partem sylvaticam Lapponiae, et regionem inferalpinam littoralem Norvegiae. *Differentia sexus* evidens; *mas*: ano subcylindrico genitale bihamatum includente; *femina*: ano depresso, vagina elongata, ensiformi. (Spec. Scand. 4, Faunae nostrae communes.)

**1. C. nervosus**: nigricans, frontis carinis, thoracis limbo collari pedibusque obscure testaceis, hemelytris hyalinis fusco-maculatis, nervis albidis, nigro-punctatis. ♂♀. (Long. 3 lin. et ultra.)

Var. a. ♂♀. in copula. Hemelytra pellucida, maculis variis obsoletis fasciaque antica transversa angusta distinctiori, fuscis, puncto costali (stigmate) pone medium nigro.

Latr. l. c. p. 311. Zett. Fn. L. 1. 546. 1. a. ♂♀. *Cicada nervosa* Linn. Fn. Sv. 882. *Flata nervosa* Fabr. Rhyng. 54. 47. vera. Panz. Fn. 203. f. 6. certe. Fall. Hemipt. Sv. 1829. 71. 1. a. ♂♀. *Delphax nervosa* Fall. Act. Holm. 1806. p. 124. 1.

Var. b. ♂♀. Hemelytra pellucida, maculis variis obsoletis fasciaque postica transversa lata distinctiori, fuscis, puncto costali pone medium nigro.

Zett. l. c. var. b. ♂♀. *Cicada nervosa* de Geer Ins. 3. t. 12. f. 1. 2. *Cicada cunicularia* Linn. Syst. Nat. 2. 711. 44. certe. *Flata cunicularia* Fabr. Rhyng. 55. 48. antennis mutilatis (an quoque ejusdem *Lystra cunicularia* l. c. 56. 1?) *Cercopis Dionysii* Panz. Fn. 34. f. 24. certe.

Var. c. ♂♀. Hemelytra brunnescenti-fuliginosa, fascia postica saturatiori, apice hyalinis, puncto costali pone medium nigro. Zett. Fn. l. c. var. c. ♂♀.

Hab. in fruticibus Lapponiae Norvegicae passim; ad Björkvik juxta Ofotenfjord, et in insula Schiervoe Nordlandiae septentrionalis omnes varietates 14 — 26. Jul. inveni. In Lapponiis orientalibus hanc speciem non nisi in Lapponia Suecica Umensi ad Wilhelmina, 15 — 20. Jul. parce vidi. In fol. Alni et in graminos. ad Garen et Justdalen Norvegiae etiam a D. Boheman 16—18. Aug. lectus. (Lappon.-Scan. pass.)

Inter majores Cicadarias Scandinaviae, circiter 3 lineas longus. Caput parvum. Scutellum tricarinatum. Hemelytra lata, pellucida. Alae albidae, nervis tribus apicalibus distincte furcatis. Pedes variant l. toti testacei l. femoribus obscurioribus. Tibiae muticae, posticae denticulis 2 — 3 minutis.

**2. C. Cynosbatis**: niger, frontis carinis, thoracis limbo collari tibiisque testaceis, hemelytris pellucidis, obsolete fusco-maculatis, nervis nigro-punctatis, capite antice obtuso. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{3}{4}$ lin.)

Zett. Fn. Lapp. 1. 547. 2. ♂♀. *Flata Cynosbatis* Fabr. Rhyng. 54. 45. *Delphax Cynosbatis* Fall. Act. Holm. 1806. p. 126. 2. *Cicada leporina* Linn. Fn. Sv. 895? *Flata cunicularia* Fall. Hemipt. Sv. 1829. 72. 2. certe ♂. ut e collectione patet.

Hab. cum priori rarius; in paludosis et graminosis in Lapponia Umensi ad Umenaes, 8—9. Jul. mares et feminas inveni, usque in inferiorem regionem alpium Brattiksfjell adscendentes; ad Björkvik Nordlandiae d. 15. Jul. etiam utrumque sexum legi. (Lapp.-Scan. pass.)

Antecedente duplo minor, praesertim mas, qui feminae magnitudine semper longe cedit. Alias statura et partium formatione utraque species sat similis. Hemelytra subpellucida, maculis sparsis fuscis obsoletis, costa maculis quibusdam distinctioribus et puncto pone medium nigricante. Alae ut in priori specie nervosae. Femora saepius nigricantia.

**3. C. lapponicus**: depressus opacus, supra fuscus, subtus flavus, hemelytris unicoloribus; capite antice acuto; collari lato, thorace obsoletissime carinato. ♂. (Long. 3—4 lin.)

Hab. inLapponia Suecica meridionali rarissime; in trunco exarido in silva acerosa prope Långseleberg et ad Stensele 2 specimina d. 3. Jul. 1832 a D. Dahlbom inventa. (Lapp.)

Latitudine vix *C. nervosi*, sed plerumque longior, corpore valde depresso, capite conico, acuminato, collari latiori et thorace parum carinato a prioribus distinctissimus. Supra fuscus aut brunneus, hemelytris subunicoloribus, stigmate obscuriori. Oculi in vivo obscure brunnei. Frons subtus, antennae, pectus et pedes flavescentia. Abdomen fuscum.

**4. C. confinis**: depressus, opacus, fusco-nigricans, hemelytris fuscis, parce albo-irroratis, stigmate atro, macula alba

*) Sub hac militant genus *Jassus*, et plura genera exotica.

utrinque terminato, nervis impunctatis, capite antice subacuto, collari sublato, thorace leviter carinato. ♂. (Long. 3 lin.)

Hab. rarissime cum priori, cui similis, sed capite obtusiore, collari paullo minus lato, thorace subcarinato, et colore alio, certe distincta. A. *C. Cynosbatis* etiam vere differt. (Lapponia.)

- - -

## *Phalanx II. Antennae in oculorum sinu infero insertae, articulis 2 basalibus conjunctis capitis longitudine, articulo primo secundo multo breviore.*

## 31. Delphax.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 397. Fabr. Fall. Germ.

*Corpus* parvum, ovatum aut oblongum. Frons subtus tricarinata. Antennae longiusculae. Thoracis limbus collaris latior, arcuatus. Hemelytra deflexa, aut abbreviata, aut elongata, pellucida, varie sed parce nervosa. Tibiae posticae uni-vel bispinulosae. Anus non lanatus. *Color* griseus; pictura subvittata. *Habitatio* in graminosis, libenter locis humidis; per regionem sylvaticam et subalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in *Cixio;* interdum vero individua ut pupae, seu ante explicationem completam alarum, copulantur, quod in genere praecedente nondum observavi. (Spec. Scand. 13.)

**1. D. dispar:** nigricans, aut pallescens, hemelytris cinereo-hyalinis immaculatis, nervo marginali basi pallido, apice fusco. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.)

Var. a. ♂♀. Corpus nigricans, frontis carinis pedibusque pallescentibus, thoracis limbo collari albido.

Fall. Act. Holm. 1806. p. 126. 3. var. e. ♂♀. et var. $\gamma$. Zett. Fn. Lapp. 1. 548. 1. a. ♂♀. *Cicada dispar* Panz. Fn. 35. f. 19. ♂. *Cicada dubia* Panz. Fn. 35. t. 20. ♀. certe. *Delphax marginata* Fabr. Rhyng. 84. 9. ♂?

Var. b. ♂♀. Corpus pallescens, abdominis basi, scutellique lateribus interdum, nigricantibus.

Fall. l. c. var. $\beta$. ♂♀. Zett. l. c. var. b. ♂♀. *Delphax flavescens* Fabr. Rhyng. 84. 7. ♂? Ejusdem *Delph. striata* vero Fallenii alia est species et distincta). — Sub nomine: *Delphax pellucida* Fabr., femina hujus varietatis a D. Germar mecum etiam communicata.

Hab. in Lapponia meridionali ad Lycksele, nec non in Nordlandia Norvegica, mens. Jul. Aug. passim. (Lappon.-Scan. freq.)

Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin. Larvae apterae rudimento hemelytrorum, totae pallescentes, abdominis dorso linea utrinque nigra, saepe in copula deprehenduntur, cum imaginibus in gramine habitantes. — *Delphax striata* Fall. huic simillima, hemelytrorum sutura in medio macula nigra evidentiori, in Suecia inferiori frequens, in Lapponia a me frustra quaesita. — *Obs. Delphax flavescens*, striata et marginata Fabr. ut distinctae species a Cel. Germar in Magaz. der Entom. 3. p. 213. seq. proponuntur; an jure!

**2. D. pellucida:** nigra, frontis carinis pedibusque fusco-testaceis, thoracis limbi collaris margine postico summo albido, hemelytris hyalinis, nervis obscuris, distinctis. ♂.

Fabr. Rhyng. 84. 6. Fall. Act. Holm. 1806. p. 129. 5. ♂. et Hem. Sv. 1829. 76. 4. ♂♀. Zett. Fn. Lapp. 1. 548. 2. ♂.

Hab. cum priori rarius; ad Björkvik Nordlandiae d. 14. Jul. inveni. Ad Lycksele Lappon. Umensis Aug. quoque capta. (Lapp.-Ostrogoth. ♂♀. rar.)

*Mas.* Praecedente paullo minor. Pedes toti saepe, uti reliquum corpus, nigricantia. Feminam non vidi in Lapponia.

*Obs.* E directione nervorum in hemelytris notas discernentes harum specierum frustra quaeris, utpote parum constante et in diversis individuis saepe diversa; immo interdum in unius ejusdemque speciminis ala dextra haec directio paullo discrepat cum illa in sinistra. Plerumque unus nervorum longitudinalium in apice furcam format.

**3. D. minuta:** subtus pallida, supra nigra, vitta dorsali lata hemelytrisque albis, his striga apicis atra. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Fabr. Rhyng. 84. 10. Fall. Act. Holm. 1806. p. 129. 6. ♂♀. vera. Zett. Fn. L. 1. 549. 3. ♂♀. *D. guttula* Fall. Hem. Suec. 1829. 76. 5. ♂♀. — Sub nomine: *Delphax guttula* a D. Germar mihi missa. Germ. Mag. 3. 216.



Hab. in Lapponia sylvatica, Collect. D. Kolström. (Lappon.-Scan. freq.)

Minuta, vix ultra 1. lineam longa. Hemelytra alba, striga nigra terminata. Nervi in apice pauciores, 3 vel 4, vix furcati. Pectus nigro-maculatum. Frons subtus ad latera puncto atro.

*Obs. Delphax lineola* Ahrens Fn. Europ. Fasc. 7. t. 19. ad quam *Delphax minuta* Fabr. ut synonymon refertur, est alia species, mihi ignota; „fronte conica gaudens.

**4. D. hemiptera:** nigricans, frontis carinis pedibusque dilutioribus, hemelytris longitudine abdominis, coriaceis, brunneo-subhyalinis, nervis validis, subgranulatis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Germar. Magaz. der Entomol. 3. p. 217. 8. Zett. Fn. Lapp. 1. 549. 4. ♂♀.

Hab. in graminosis maritimis Nordlandiae Norvegicae rarius; ego ad Björkvik et Evenäs juxta Ofotenfjord eam in copula medio mens. Julii inveni. (Lapp.-Scan. pass.).

Praecedente fere brevior, at paullo latior. Tota obscura. Solum carinae frontis, thoracis limbus collaris pedesque obscure testacea. Hemelytra brunnescentia, parum pellucida, nervis validis, in apice 4 — 5 subsimplicibus, vix furcatis. Alae brevissimae. Larva tota pallida, hemelytris vix ullis, cum imagine visa. Individua adhuc minora, hemelytris abbreviatis, alias simillima, in humidis Botniae occidentalis et borealis mens. April. et Majo vidi, hujus sine dubio speciei. Alia denique specimina in Ostrogothia et Scania locis paludosis verno tempore legi, hemelytris abdomine paullo brevioribus, forte *Delphax hemiptera* Germari genuina.

— - —

## Divisio Secunda.

*Hemelytra aut submembranacea, aut pellucida, alaeformia aut nulla.*

(Insecta partibus interdum non explicatis; quaedam parasitica, vegetabilibus tota fere vita adfixa, nutrimenta e succo eorum hauriunt.)

—

## FAM. 4. APHIDIAE. Latr.

***Tarsi biarticulati. Mares hemelytris et alis; feminae saepe apterae. Rostrum in utroque sexu.***

## 32. Livia.

Latr. Gen. Cr. et Ins. 2. p. 170. 399. 1. Ahrens. Fn. Burm. Dahlb. *Diraphia* Illig. Mag. 2. p. 284. *Psylla* Fall.

*Corpus* minutum, oblongum, alatum. Caput horizontale, vertice unisulcato. Antennae horizontaliter porrectae, 10-articulatae, articulo 1 crassissimo ovato, longitudine reliquorum simul sumtorum, ceteris singulis microscopicis. Ocelli nulli. Hemelytra deflexa, subcoriacea, subtrinervia, nervis 2 interioribus apice furcatis. Alae membranaceae, trinervosae. Pedes breves, validi, submutici. *Color* obscurus. *Motu* tarda; saltatoria? *Habitatio* in pratis paludosis, Juncinis, etiam in Pinetis et Abietinis; per partem sylvat. Lapponiae. Larvae sanguineae, albo-pruinosae. *Differentia sexus: mas:* ano obtuso, genitalibus sursum flexis; *femina:* ano acuto, stylato. (Sp. Scand. 1. nostra).

**1. L. Juncorum:** fusco-testacea, pedibus pallidioribus, capite thoraceque ferrugineis, antennis medio albis, apice nigris, hemelytris brunneis, alis lacteis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Latr. l. c. Fabr. 12. f. 1. Dahlbom. Scandin. Ins. Lund. 1837. p. 132.

Hab. in Lappon. meridionali rarissime. (Lapp.-Gottlandia, Ostrogothia in pratis humidis passim frequenter, Aug. Sept., obvia. — Juncorum flores teneros pungit, punctioneque efficit, ut illi demum deformati evadant.)

—

## 33. Chermes.

Fabr. Rhyng. 45. Fall. Linn. *Psylla* Geoffr.

*Corpus* parvum, oblongum, alatum. Rostrum pectorale. Antennae longae, subfiliformes, 9—10-articulatae. Ocelli

2. Alae deflexae, superiores (hemelytra) majores, nervo marginali undique cinctae; nervi longitudinales 3, quorum 2, antequam marginem attingunt, in furcam divisi. Pedes breves validi. *Color* virescens l. flavescens, pictura raro determinata. *Motus* larvarum tardus, imaginum cum volatu saltatorius. *Habitatio* in plantis variis, ubi larvae sub integumento saepe latitant; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* evidens; *mas*: ano obtuso, appendiculis 2 erectis, et apice incurvis lamella concava; *femina*: stylo bivalvi, exserto. (Spec. Scand. 28 et ultra, parum cognitae ob insufficientiam descriptionum apud Auctores).

*Subdiv.* 1. Hemelytrorum nervus costalis simplex. (Nervus scilicet auxiliaris ab origine hemelytri ad medium costae curvatim ductus, ibique cessans).

A. Hemelytra (alae superiores) maculata. (Sub hac militat etiam Chermes exilis mihi seu Tettigonia exilis WEB. und MOHR; sed haec species Ostrogothica in Lapponia vix habitat).

**1. Ch. nebulosa** *): flavo-nigroque variegata, pedibus antennisque flavis, harum clava nigra, hemelytris albis, maculis cohaerentibus fuscis. ♂♀. (Long. 1 lin.)

Hab. in Lapponia Tornensi; ad cataractam Wackokoski, ubi Abies crescere desinit, die 5. Jul. plura specimina utriusque sexus legi. In Lapponia Umensi ad Lycksele et Wojmsjoe utrumque sexum 11. Jul. — 16. Aug. quoque inveni. In alpe Dowre Norvegiae in graminosis ad Drivstuen 29 — 30. Jun. etiam a D. BOHEMAN deprehensa. (Lapponia).

Minuta, corpore vix lineam longo. Pulchra et distincta. Caput et truncus nigro-flavoque variegata. Antennae breviusculae, pallidae, articulo primo fusco, ultimo atro. Abdomen nigricans, margine laterali summo flavescente. Anus flavescens. Foliola duo supra anum in mare, pallida. Hemelytra albida, pallido-nervosa. Nervus auxiliaris a basi fere ad medium costae extenditur, ibique cessare videtur. Ab illo iterum in discum exeunt duo nervi longitudinales, quorum alter usque ad costam propius ad apicem descendit simplex, alter bis dichotomus marginem interiorem furcis duabus tangit. Qualis nervorum directio in toto genere obtinet. In hac vero specie nervus longitudinalis simplex excurrit subrectus ad apicem hemelytri. Rami furcae posterioris longitudine aequales; altero ramo in summum apicem hemelytri descendente. Rami furcae anterioris inaequales, alter brevissimus in marginem abit rectus, alter elongatus in marginem excurrit valde curvatus. Maculae hemelytrorum fuscae fascias duas undulatas formant, altera in medio, altera pone medium. Praeterea omnes nervi late infuscati. Alae albidae, immaculatae, nervis obsoletis. Pedes toti pallidi.

B. Hemelytra immaculata. In hac Trib. pleraeque LINNAEI Chermes forte locari possunt).

**2. Ch. fusca**: grisea, antennarum basi pedibusque pallescentibus, femoribus tarsisque infuscatis, hemelytris hyalinis nervis pallidis, ramo altero furcae posterioris in summum apicem excurrente. ♂♀. (Long. corp. cum alis 2 lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 552. 2 ♂♀.

Hab. in Lapponia boreali rarissime, versus finem mensis Aug. semel inventa. Sed in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele, in foliis Betulae albae d. 7 — 16. Aug. frequenter in copula capta.

*Mas. Fem.* Corpus 1½ lineam longum. Caput et thorax fusca l. grisea. Antennae elongatae, flavae, articulo primo fusco, apice atrae. Abdomen nigricans, appendicibus anipilosis, fusco-testaceis. Hemelytra hyalina, nervis pallidis. Nervus longitudinalis simplex, subrectus. Furca posterior lata, ramis omnino aequalibus, rectis, altero in summum apicem descendente. Furca anterior ramis inaequalibus, longiori arcuato, breviori etiam paullo curvato. Pedes flavescentes, femoribus posticorum tarsisque omnibus nigricantibus. Articuli coxae albidae.

---

*) Ill. a LINNÉ et FABRICIUS *Chermidum Aphidumque* species, a plantis, quibus nutriuntur, tantum denominarunt; cum vero saepe tres l. quatuor species in una eademque planta, ex. gr. in Pinu et Betula simul vivant, hic denominandi modus ab hospitio non ulterius est recipiendus. Usus etiam ille nomina virorum Entomologorum insectis tribuendi, qui hoc tempore praesertim viget, caute et parce adhibendus, ne fiat abusus. Nomina igitur e ***colore***, ***pictura*** vel aliis insecti ***proprietatibus*** desumta, pro novis meis speciebus eligere coactus fui.

**3. Ch. picta**: flavo-luteoque variegata, abdomine obscuriore, pedibus antennisque pallidis, clava atra, hemelytris hyalino-brunnescentibus, nervis concoloribus, ramo altero furcae posterioris paullo pone apicem excurrente. ♂♀. (Long. 1½ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 553. 3. ♂♀

Hab. in Lapponiae sylvaticae borealis mens. Jun. ad Kengis et Wittangi passim, ad Karungi prope Ofver-Torneå d. 27. Maj. in copula capta. In Lapponiae vero meridionalis graminosis locis aridis et cultis, ex. gr. ad Lycksele et Gajtokån a die 23. Jun. usque ad 22. Aug. frequenter visa, in copula versus autumnum juncta saepe deprehensa. (Lapp.-Botnia borealis).

Priori paullo minor. Supra lutea, parce flavo- et griseo-picta. Os flavum. Antennae breves, pallidae, articulo ultimo subclavato, atro. Abdomen nigricans, ano pallido. Hemelytra fusco-hyalina l. brunnescentia, versus apicem saturatius, nervis parum obscurioribus. Nervus longitudinalis simplex paullo flexus. Rami furcae posterioris longitudine inaequales, longiori paullo pone apicem curvatim excurrente. Ramus brevior furcae anterioris subrectus. Pedes flavi, femoribus praesertim posticis supra striga longitudinali nigra.

**4. Ch. Urticae**: obscure testacea, pedibus pallidioribus, antennis albis apice nigris, hemelytris subhyalinis, nervis testaceis, ramo altero furcae posterioris juxta apicem subacutum excurrente; margine interiori strigis tribus brevissimis. ♂♀. (Long. corporis absque alis ¾ lin.)

LINN. Fn. Sv. 1006. certe. ♂. DE GEER Ins. 3. 131. 1. Tab. 9. f. 17 — 26. Tab. 10. f. 1. 2. ♂. FABR. Rhyng. 304. 10. ZETT. Fn. Lapp. 1. 553. 4. ♂♀. *Psylla Urticae* BURM. Handb. 1835. 2. p. 98. 3.

Hab. in Lapponia locis ubi crescit Urtica dioica, e qua victitat. Larva brunnea, albo-maculata, subtus viridis. (Lappon.-Scan. freq.).

Corpus vix 1 lineam longum. Obscure testacea. Partes oris saepe nigricantes. Antennae breves, albidae, articulo primo fusco, ultimo crassiori atro. Thorax testaceus aut fuscus, lineis plerumque dilutioribus. Abdomen fuscum, ventre et interdum lateribus pallidis. Hemelytra apice subacuta tota sordide hyalina, nervis fusco-testaceis. Nervus auxiliaris ad medium costae vix extensus. Nervus longitudinalis simplex, subflexus. Nervi furcati non bis dichotomi, sed ex eodem puncto originem ducunt. Furca posterior brevis, lata, inaequalis, ramo longiori juxta apicem acutum (nec in summo acumine) in marginem excurrente. Ramus brevior furcae anterioris in marginem suboblique ducitur. In margine interiori tres observantur strigae erectae, brevissimae, obsoletae; duae scilicet in ipsis furcis locatae, et tertia harum intermedia. Alae hyalinae, nervis obsoletissimis. Pedes testacei, unguibus fuscis.

**5. Ch. acutipennis**: atra, antennarum medio flavo, pedibus testaceis, femoribus ultra medium nigris, hemelytris angustatis, subacutis, fusco-hyalinis, nervis subtestaceis, ramo altero furcae posterioris fere in apicem excurrente. ♂♀. (Long. ¾ lin., cum. alis 1 lin.)

Var. a. hemelytris flavo-hyalinis.

ZETT. Fn. Lapp. 1. 554. 5. ♂. var. a.

Var. b. hemelytris hyalinis, vix infuscatis.

ZETT. l. c. var. b.

Hab. in Pinetis Lapponiae sylvaticae et Botniae occidentalis verno tempore passim; ad Skellefteå et Wittangi pauca specimina legi. (Lappon.-Westerbotnia-Gottlandia in ericetis et pratis paludosis ad Ruthe et Fåroen, 12 — 15. Jul. pass. — Scan. ad Esperoed 15. Aug. rar.).

*Mas.* Magnitudo et summa affinitas praecedentis, nec differt nisi colore et habitatione. Nigra, punctis thoracis utrinque luteis. Antennae mediocres s. breves, flavae, articulis primo et ultimo atris. Abdomen nigrum, ano testaceo. Hemelytra angusta, apice magis acuto quam in reliquis, tota flavescenti-hyalina, nervis vix infuscatis. Nervus auxiliaris breviusculus. Nervus longitudinalis simplex, subrectus l. parum flexus. Nervi duo furcati nervum auxiliarem in eodem puncto attingunt, ut in priori specie. Rami furcae posterioris inaequales, ramo altero longiori prope ad summum acumen hemelytri recto excurrente. Ramus brevior furcae anterioris obliquus. Pedes testacei, femoribus ultra medium unguibusque nigris.

**6. Ch. affinis**: atra, antennarum medio flavo, pedibus testaceis, femoribus ultra medium nigris, hemelytris apice rotundatis, fusco-hyalinis, nervis parum infuscatis, ramo altero furcae posterioris pone apicem excurrente. ♂. (Long. ¾ lin., cum alis 1 lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 554. 6. ♂.

Hab. in Lapponia forte rarissime, non nisi unicum individuum in Pino ad Wittangi detexi. (Lapponia.).

*Mas.* Magnitudo et affinitas praecedentis, sed differt hemelytro-

rum apice rotundato (nec acuto) ut et horum directione nervorum. Nervus auxiliaris fere ad medium costae extenditur. Nervus longitudinalis simplex subrectus. Nervus alter bis dichotomus. Rami furcae posterioris subaequales, haud longe distantes, altero paullo pone apicem ad marginem excurrente. Ramus brevior furcae anterioris omnino rectus. Squamae caudales pallidae.

**7. Ch. viridula**: flavo-viridis, antennarum apice nigro, hemelytris hyalinis nervis pallidis, ramo altero furcae posterioris recto in summum apicem rotundatum excurrente. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin., cum alis 1 lin.).

Zett. Fn. Lapp. 1. 555. 7. ♂♀.

Hab. in foliis Abietis rarius; ad Karungi Botniae borealis et ad Junosuando Lapponiae Tornensis 27. Maj. et 10. Jun. utrumque sexum inveni. (Lappon.-Tornea).

Statura et magnitudo prioris. Tota flavo-virescens. Antennae mediocres, apice indeterminate nigrae. Hemelytra subangustata, apice rotundata, tota hyalina, nervis pallescentibus. Nervus auxiliaris ad medium costae vix extensus. Nervus longitudinalis simplex rectus. Nervi duo furcati non ad basin dichotomi, sed nervum auxiliarem in eodem puncto attingunt, omnino ac in *Cherm. acutipenni*. Rami furcae posterioris subinaequales, sat late distantes, altero in summum apicem rotundatum recto excurrente. Furca anterior fere minor quam in prioribus speciebus, ramo breviori in marginem suboblique ducto. Alae ut in praecedentibus aqueae, obsoletissime nervosae. Pedes flavo-virescentes, unguibus fuscis.

*Subdiv.* 2. Hemelytrorum nervus costalis pone medium duplex. (Nervus scilicet auxiliaris ab origine hemelytri curvatim ducitur ad medium costae, quam deinde interius versus apicem sequitur, interstitio infuscato. Ad hanc Subdiv. pertinet etiam *Chermes Fraxini* Fabr. Scaniae frequens, sed non Lapponiae, incola.)

**8. Ch. Alni**: flavo-virescens, supra luteo-maculata, antennis longis nigro-annulatis, hemelytris hyalinis costa basi viridissima, nervis fusco-testaceis, ramo altero furcae longioris fere in ipso apice excurrente. ♂♀. (Long. cum alis 2 lin. et ultra).

Linn. Fn. Sv. 1008. ♂. de Geer Ins. 3. 148. 3. T. 10. f. 8—20. ♀. (nervi vero hemelytrorum false directi). Fabr. Rhyng. 305. 12. Zett. Fn. Lapp. 1. 556. 8. ♂♀. *Psylla Alni* Burm. Handb. 1835. 2. p. 98. 1.

Hab. in Alno Lapponiae borealis passim, meridionalis frequentius, praesertim ad Wilhelmina et Almsele vulgaris 16—24. Jul.; in copula; imagines solitarie, salientes; larvae apterae sociatim, lana alba, vestimentis adhaerenti, dimidiatim tectae. (Lappon.-Scan. copiose).

Inter majores generis, corpore circiter $1\frac{1}{5}$ lin. longo. Tota viridiflava, capite thoraceque supra plerumque luteo-maculatis. Antennae thorace longiores, graciles, basi testaceae, medio fusco-annulatae, extrorsum nigrae. Hemelytra hyalina, costa saepe ultra medium viridi, nervis fusco-testaceis. Nervus auxiliaris ad medium costae ductus, deinde juxta illam sat prope sequitur interstitio viridi; at longe ante apicem hemelytri cessat. Nervus longitudinalis simplex paullo flexus. Furca posterior aequalis, longa, ramo altero fere in summum apicem excurrente. Furca anterior sat magna, ramo altero breviori ad marginem oblique flexo. Alae aqueae, nervis obsoletissimis, pedes validi, viridi-flavi, unguibus nigris.

*Obs.* Color viridis in hoc genere post mortem plerumque pallescit vel flavescit.

**9. Ch. nigrita**: nigra, antennarum medio tibiisque fusco-testaceis, hemelytris aqueis, nervis validis fuscis, ramo altero furcae longioris juxta apicem hemelytri excurrente. ♂♀. (Long. cum alis $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Fn. Lapp. 1. 556. 9. ♂.

Hab. in Salice ad Wittangi Lapponiae Tornensis rarissime, die 13. Jun. capta. Sed in Lapponia meridionali paullo frequentius occurrit, praesertim femina, ibique usque ad regionem subalpinam procedens, in alpe Brattiksfjell d. 8. Jul. deprehensa (Lappon.-Hernösand ad Johannisberg in fruticibus Salicis feminae jam d. 20. Maj. frequenter visae).

*Mas:* Corpus vix 1 lineam longum. Tota nigra. Antennae mediocres, testaceae, basi et apice nigrae. Thorax niger, punctis quibusdam testaceis. Abdomen nigrum, parum nitidum (in exsiccata.) Hemelytra hyalina, nervis nigricantibus. Ad marginem interiorem excurrunt 2 furcae, quarum superior ramos habet longitudine aequales, inferior vero (ad basin propior) ramis gaudet inaequalibus, altero brevi subrecto, altero elongato, valde curvato. Nervus interior costalis longe ante apicem hemelytri cessat. Alae inferae subenerves seu nervis obsoletissimis. Pedes nigri, anteriorum geniculis tibiisque omnium obscure testaceis.

*Fem.:* mari similis, nigricans, maculis hinc inde ferrugineis.

**10. Ch. pulchra:** nigro-fusca, thoracis dorso capitisque maculis luteo-ferrugineis, pedibus flavicantibus, hemelytris, albo-hyalinis, nervis validis, apice fuscis, ramo altero furcae longioris juxta apicem hemelytri excurrente. ♂ exsiccatus. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in graminosis ad Wilhelmina 20. Jul. inventa. (Lappon. meridionalis).

Simillima priori, sed differt colore laetiori, supra magis picta, et pedibus totis flavis femoribus tantum summa basi nigricantibus. Anus flavus hamatus, hamis incurvis reflexis, ut in priori.

**11. Ch. elegantula:** ferrugineo-lutea, pedibus pallidioribus, antennarum annulis abdominisque medio fuscis; hemelytris brunnescenti-testaceis, nervis concoloribus, ramo altero furcae longioris paullo pone apicem excurrente. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Wilhelmina 16. Jul. 1832 a me deprehensa. (Lappon. meridionalis).

Similis magnitudine et statura iterum *Ch. nigritae*, sed colore lange alio et hemelytrorum nervis paullo tenuioribus aperte differt. Caput supra, thorax totus scutellumque pulchre lutea, vix flavo-maculata. Antennae ut in *C. nigrita*, testaceae, annulis, articulo primo apiceque nigrae. Abdomen fuscum basi et ano flavum. Pedes toti luteo-flavi. Hemelytra tota brunescenti-testacea, unicolora. Alae albescentes. Oculi in viva sordide albescentes.

## 34. Aphis.

Latr. Gén. Crust. et Ins. 401. Fabr. Fall. Linn. Panz. Dahlb. Scand. Ins Lund. 1837. p. 133.

*Corpus* minoris magnitudinis, saepe parvum, oblongo-ovatum, molle, interdum farinosum aut tomentosum. Rostrum frontale. Antennae longissimae 6—7-articulatae. Alae 4 (in mare), superiores (hemelytra) majores, nervo interiori marginali nullo. Nervus costalis duplex; ab interiori seu auxiliari exeunt nervi plerumque quatuor, quorum 1mus (ab apice alae numeratus) brevior ad apicem saepius curvatus, 2dus aut bis dichotomus aut saltem furcatus, 3tius et 4tus simplices, obliqui. Feminae apterae. Pedes elongati, tenues, non saltatorii. *Color* nigricans, fuscus; pictura interdum insigniter fasciata. *Motus* tardus, volatus segnis. *Habitatio* larvarum et imaginum in vegetabilibus, horum detrimento succum sugendo; per partem sylvaticam Lapponiae. *Mares* alati a *feminis* apteris mox dignoscuntur. (Spec Scand. 30. et ultra, chaoticae, in Systemat. Linnaei et Fabricii sine characteribus introductae, igitur melius determinandae et describendae. Typus Generis: *Aph. Piceae.*).

**1. A. Piceae:** glabra nitida nigra, antennarum filiformium basi, femoribus tibiarumque basi rufo-testaceis, hemelytris maris hyalinis, vitta costali in medio nigra, nervo primo longitudinali recto, secundo bis dichotomo. ♂♀. (Long. cum alis 3 lin.).

Panz. Fn. 78. f. 22. vera. Fabr. Rhyng. 302. 56. ♂. Zett. Fn. Lapp. 1. 557. 1. ♂♀.

Hab. in foliis Abietis Lapponiae borealis rarius, meridionalis passim, Lycksele 4. Aug. (Lappon.-Ostrog. passim, in abiete 12. Jul.).

Magna. Corpus circiter 2 lin. longum. *Mas.* Atra, nitida. Antennae vix thoracis longitudine, filiformes, 6-articulatae, nigrae. articulo tertio longissimo, testaceo, subtus crenulato. Rostrum jam corporis longitudine, jam thorace vix longius. Abdomen postice utrinque tuberculo brevi. Hemelytra corpore fere duplo longiora, hyalina, nervis tenuibus, pallidis. Nervus auxiliaris ad tertiam costae partem extensus, interstitii dimidietate, ultima nigra, opaca. Ab hujus vittae costalis apice exit nervus primus longitudinalis obsoletior, et ad summum apicem hemelytri rectus excurrit, secundum ante vittam nominatam originem habet, in disco bifurcatus, furca ultima elongata, angusta, ramis paullo curvatis marginem hemelytri haud longe ab apice tangit. Nervi duo reliqui a basi ad marginem oblique diriguntur. Alae multo minores, hyalinae, nervo intracostali et duobus disci oblique directis, distinctioribus. Pedes glabri, oculo bene armato pubescentes, rufo-testacei, femorum tibiarumque apice tarsisque nigris.

*Femina* mari descripto simillima, modo aptera, antennarumque articulo tertio subtus vix crenulato.

**2. A. Pineti**: pilosa, albo-farinosa, nigra; antennis filiformibus pedibusque testaceis, tarsis fuscis, hemelytris hyalinis, vitta costali pone medium fusca, nervo primo longitudinali recto; secundo bis dichotomo. ♂. (Long. cum alis $2-2\frac{1}{2}$ lin,).

Fabr. Rhyng. 300. 44. de Geer Ins. 3. 39. 2. T. 6. f. 19—33. Zett. Fn. Lapp. 1. 558. 2. ♂.

Hab. cum praecedente rarius. (Lapp.-Smolandia pass.).

*Mas.* A priori, cui affinis, differt magnitudine paullo minori,

colore et pubescentia. Antennae vix thoracis longitudine, filiformes, 6-articulatae? pallidae, basi et extrorsum nigricantes. Rostrum thorace interdum longius. Abdominis tubercula parum exserta. Hemelytra omnino ut in priori, etiam quoad nervorum directionem, nervis vero paullo tenuioribus, et vitta costali fusca, nec nigra. Pedes pilosi, pallidi, tibiarum apice tarsisque nigris. — *Feminam* non vidi, sed apud Ill. DE GEER l. c. *aptera* describitur.

**3. A. pilosa:** pilosa nitida nigra, antennarum filiformium tibiarumque medio flavo, hemelytris hyalinis, vitta costali pone medium nigra, nervo primo longitudinali recto, secundo bis dichotomo. ♂. (Long. cum alis fere $2^{1}$ lin.)

Hab. in Lapponia meridionali rarissime: in paroecia Lapponiae Fredrica specimen unicum d. 29. Jul. a. D. DAHLB. inventum. (Lappon.).

Similis priori, corpore nitidiore, non farinoso, antennarum, pedumque colore distincta. Antennae mediocres, pilosulae nigrae, basi flavescentes, articulis 2 primis nigris. Pedes pilosuli nigri, femorum summa basi et tibiarum medio flavis.

**4. A. costata:** pilosa, albo-farinosa nigra, antennis filiformibus pedibusque pallidis, tarsis fuscis, costa hemelytrorum fusca, vitta nigro-brunnea albo-terminata, maculaque ad marginem interiorem baseos infuscata; nervo primo longitudinali recto, secundo simpliciter furcato. ♂. (Long. cum alis $2^{1}$ lin.).

ZETT. Fn. Lapp. 1. 559. 3. ♂.

Hab. in Abiete Lapponiae rarius. (Lappon.-Ostrogothia passim).

*Mas.* Magnitudo et summa affinitas praecedentis, hemelytrorum pictura et directione nervorum distincta. Hemelytra hyalina; costa fusca ad medium hemelytri, deinde incipit vitta subdilatata nigrobrunnea et macula subquadrata albida terminata. Intra hanc maculam et apicem hemelytri costa distincte infuscata. Ad marginem interiorem baseos macula alia subrotunda fusca conspicitur. Nervus longitudinalis primus a vitta costali ad apicem subrectus excurrit. Nervus longitudinalis secundus valde obsoletus, unicam tantum furcam latam, elongatam format. Reliquae partes corporis ut in priori.

**5. A. lanata:** subglabra parum nitida nigra, antennarum filiformium medio femoribusque nigro-piceis, abdomine albolanato, hemelytris hyalinis, vitta stigmaticali nigra, nervo primo longitudinali fere in apicem alae subcurvatim excurrente, secundo simpliciter furcato. ♂. (Long. $2^{1}$ lin.).

Hab. in Lapponia meridionali rarius; ad Wilhelmina in fruticibus 19—20. Jul. lecta. Variat pedibus totis lividis. (Lapponia).

**6. A. salicina:** pilosa opaca nigra, tibiis obscure testaceis, (♂) hemelytris hyalinis, vitta stigmaticali cinereo-fusca, nervo primo longitudinali arcuato, secundo bis dichotomo; antennis filiformibus. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Salicetis Lapponiae Umensis passim; ad Wilhelmina 17—18. Jul. in copula capta; ad Tresunda, et in alpe Brattiksfjell quoque visa. Variat magnitudine et corpore nitido. Variat etiam pedibus fero totis nigris. Alae albohyalinae. (Lappon. meridionalis.).

**7. A. punctipennis:** glabra, parum albo-farinosa, obscure testacea, antennarum setacearum apice, abdomine tarsisque fuscis, hemelytris hyalinis vitta costali pallescenti, nervo longitudinali primo arcuato, secundo bis dichotomo, ramis apice puncto fusco notatis. ♂. (Long. fere $2\frac{1}{4}$ lin.)

ZETT. Fn. Lapp. 1. 559. 4. ♂.

Var. b. ♂♀. corpore fusco vel nigro.

Hab. in Betula et Alno Lapponiae borealis rarius, in Lapponia vero utraque varietas ad Lycksele, Badstutraesk et in alpe Brattiksfjell 30. Jun. — 22. Aug., passim lecta. E Grönlandia var. a. mihi quoque a D. WESTERMANN missa. (Lappon.-Ostrogothia pass.).

*Mas.* Magnitudo praecedentis. Testacea, glabra, parum albofarinosa. Antennae corpore longiores, 7-articulatae, setaceae, testaceae apicibus articulorum infuscatis. Oculi in vivo purpurei. Abdomen nigricans, lateribus et tuberculis parum exsertis, pallidis. Hemelytra magna, hyalina, nervis tenuibus, sed distinctis, fuscis, fere ut in *Aphide Piceae* directis. Nervus longitudinalis primus fere a medio vittae costalis exit, et ad costam valde arcuatim flectitur. Nervus secundus longitudinalis bis dichotomus ramo ultimo in summum apicem hemelytri excurrit. Omnes autem rami apice sunt infuscati, ita ut puncta tria (vel quatuor) in margine apicali conspiciantur fusca. Vitta costalis pallescens, parum infuscata. Pedes, praesertim postici, subpubescentes, omnes testacei, tibiarum apice tarsisque nigris. — Species haec sine dubio eadem ac *Aphis Ribis* LINN. Fn. Sv. 975.

**8. A. nervosa:** pilosa, nitida, atra, antennarum subsetacearum basi pedibusque luteo-testaceis, femorum tibiarumque apice, tarsis totis, hemelytrorumque hyalinorum vitta stigmaticali et nervis validis, nigris, horum longitudinali primo arcuato, secundo bis dichotomo. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Lapponia Umensi rar.; mihi tantum ad Wilhelmina 17. Jul. obvia (Lappon. meridional.).

A prioribus nervis validis nigris distinguitur. In altera ala nervus secundus (monstros.) subtrichotomus. Furca apicalis mediocriter longa.

**9. A. tenuinervis:** antennis setaceis subpilosa, nitida nigra, femoribus basi luteis; (♂) hemelytris hyalinis, nervo longitudinali primo arcuato, secundo bis dichotomo omnium apice puncto, vittaque stigmaticali, fuscis. ♂♀. (Long. ♂ cum alis $2^{1}$, ♀ exsiccatae $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in paroecia Lapponiae Fedrica rar.; d. 29. Jul. a me capta. Ab A. *punctipenni* colore et corpore robustiore distinguitur. Supra parum pilosa. Antennae longae, setaceae, nigrae. Nervorum furca apicalis elongata. (Lapp.).

Variat femorum basi parum luteis. Naestansjoe 13. Jul.

**10. A. furcula:** antennis subsetaceis parum pilosa, nitida, nigra, pedibus sordide lividis; (♂) hemelytris hyalinis, vitta stigmaticali cinerea, nervo longitud. primo arcuato, secundo bis dichotomo, furca apicis brevissima. ♂♀. (Long. $1^{1}$ lin.).

Hab. in foliis fruticum Betulae et Salicis Lapp. Umensis frequenter; ad Rusele, Stensele et Badstutraesk 30. Jun.—8. Jul. inventa. Nervorum furca apicalis parva brevi mox dignota. (Lappon.).

**11. A. fuscipennis:** antennis subsetaceis, porrectis, rigidis, glabriuscula, parum nitida, nigra, antennarum articulo 5to luteo-annulato; (♂) hemelytris nigro-fuscis, basi hyalinis, vitta stigmaticali atra, nervo longitudinali 1mo arcuato, 2do bis dichotomo, furca apicali mediocri. ♂♀. (Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Lapponiae Suecicae meridionalis sylvis rarissime; ad Stensele 3. Jul. a me lecta. Hemelytra breviuscula, eorum colore a prioribus distincta. In altera ala nervus 2dus trichotomus. (Lapponia).

*Obs.* Plures, quam hic descriptae, *Aphidis* species in Lapponiae sylvis et nemorosis sine dubio hospitantur, quas vero invenire mihi non contigit. In Botnia occidentali et in Suecia inferiori haud paucas novas detexi, quae cum jam cognitis, secundum appendices abdominis posticas, scilicet 1. *abdomine bicorniculato* (antennis setaceis, elongatis); 2. *abdomine bituberculato* (antennis filiformibus); 3. *abdomine appendicibus nullis* (antennis filiformibus, brevibus); secundum *nuditatem* aut *pilositatem* corporis, ut et secundum *directionem nervorum in hemelytris*, in Sectiones et Subdivisiones dispescendae. Color et pictura ut notae pro ejusmodi Divisionibus non adhibenda, sed pro speciebus dignoscendis faciles saepe praebent. — E LINN. *Aphidibus* non omnes mihi rite cognitae, nec eas ob inopiam descriptionum extricare valeo, conjecturae forsitan semper relinquendas. Figurae DE GEERI horum animalculorum, quoad nervorum directionem minime fideles. Pleraeque species secundum specimina exsiccata a me descriptae sunt.

---

## 35. Thrips.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 400. FABR.

*Corpus* minutum, lineari-depressum alatum. Rostrum minimum. Antennae filiformes, 8-articulatae. Alae quatuor, horizontales, incumbentes, angustae, breves, margine omni ciliatae, superiores parce nervosae. Pedes laterales, breves, validi. Anus stylatus. *Color* niger pallidus. *Motus* celer, cursu et saltu. *Habitatio* larvarum et imaginum sub cortice arborum, in floribus et in fungis; per regionem sylvaticam et subalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 6 vel forsitan plures).

**1. Thr. Physapus:** atra hemelytris albidis immaculatis, antennis, tarsis tibiisque pallidis, his medio infuscatis. (Long. 1 lin.)

LINN. Fn. Sv. 1027. DE GEER. Ins. 3. 6. 1. T. 1. f. 1. FABR. Rhyng. 313. 3. ZETT. Fn. Lapp. 1. 561. 1.

Hab. in floribus Syngenesistarum Lapponiae passim; lineam circiter longa. (Lappon.-Scan. freq.)

**2. Thr. Fungi:** atra, hemelytris glaucis immaculatis, antennis pallidis fusco-annulatis, tarsis tibiisque testaceis, his medio nigris. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.)

Hab. in Fungo Betulae albae, in Lapponia Tronensi rarius, ad Junosuando d. 9. Jun. capta. Sed in truncis Sorbi Aucupariae ad Almsele et Åsele, Lapponiae Umensis s. meridionalis, d. 24—25. Jul. imagines cum larvis sanguineis, haud infrequenter legi. (Lapponia.)

Praecedente fere minor. Tota atra, nitida, glabra. Antennae submoniliformes, 8-articulatae, articulo ultimo minutissimo; pallide fusco-annulatae, subpubescentes. Caput subquadratum, planum. Oculi nigri. Abdominis margo praesertim posticus barbatus. Stylus analis elongatus, nudus, apice setigero. Hemelytra et alae angusta, glauca, parum albida. Pedes nigri, tibiis testaceis, medio nigris, tarsis pallidis. Femora antica crassissima.

**3. Thr. picipes**: nigra, nitida; hemelytris subulatis fuscis, basi albidis, pedibus rufo-piceis, tarsis pallidis. (Long. $\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in Lapponia boreali rarissime; ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae d. 14. Jul. inveni. In floribus vero pratensibus Lapponiae Suecicae meridionalis, ex. gr. ad Lycksele, 20—23. Jun. passim inventa. (Lapponia.)

Minutissima, priore multo minor, vix $\frac{1}{2}$ lin. longa. Antennae breviusculae, filiformes, pubescentes nigrae, basi pallidae. Corpus nigrum, nitidissimum, glabrum. Abdomen subconvexum, lateribus parum pilosum. Anus acutus, stylo vero parum elongato, parce piloso, apice vix setigero. Hemelytra longitudine abdominis, subulata, margine ciliata, tota fuscata, basi alba. Alae angustissimae, albidae. Pedes validi, rufescentes, femoribus suturatioribus, tarsis pallidis. Femora antica reliquis non crassiora.

---

## FAM. 3. GALLINSECTA. LATR.

### (*Coccina*. BURM.)

Tarsi uniarticulati *). Mares alis 2—4, hemelytris nullis; feminae semper apterae. Rostrum brevissimum, pectorale, in mare nullum.

## 36. Dorthesia.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 403. BURM. *Aphis* LINN. FABR. *Coccus* PANZ. FABR.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum. Antennae in ♀ filiformes, octo-articulatae; in ♂ novem-articulatae, setaceae. *Mas* alis duabus nervosis. Abdomen postice setosum. *Femina* aptera, ante et post partum vagans nec gallae formam induens. Corpus lamellis imbricatis tectum. — *Color* feminae albus. *Motus* tardus. *Habitatio* in plantis et sub lapidibus; per regionem sylvaticam Lapponiae. *Mas* alatus a femina aptera mox dignoscitur. (Species Scandinaviae 3 mihi cognitae).

*) Secundum BURMEIST. 2—3-articulati.

**1. D. Chiton**: ovalis, sordide alba, antennis pedibusque testaceis, integumento transversim segmentato, fimbriis posticis foliosis; fasciculo caudali brevi, niveo. (Long. 1—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. sub lapidibus locis aridis, ut et sub muscis, in Lapponia boreali silvatica passim; ad Wittangi medio mensis Junii et ad Muonioniska eam legi. (Lapponia-Jemtlandia sub lapidibus, 18. Maj., D. BOHEMAN. — Varietas antennis pedibusque fusco-testaceis, mihi e Groenlandia benevolentia D. WESTERMANNI quoque communicata.

*Fem.* Magnitudo variat; aliae *Sphaeridio marginato* fere aequales, aliae triplo minores et minus explicatae. Corpus ovale, nudum testaceum. Supra dorso convexa, segmentis transversis simplicibus parum imbricatis, limbo depresso, et postice foliolis elongatis acutis fimbriata. Antennae breves, filiformes, 8- (an 10-?) articulatae, articulis coadunatis, totae tastaceae. Fasciculus caudalis ultra foliola non longe prominens, latitudine corporis, niveus. Pedes simplices, toti testacei — Affinis *Aphidi Urticae* LINN. Syst. Nat. 736. 30. (seu *Cocco dubio* PANZ.), quam in Smolandiae Urtica dioica, loco sylvatico semel sat copiose vidi. Haec autem tota nivea, squamis dorsalibus non transversim segmentatis, sed lanceolatis, fere quadruplici serie imbricatis, et fasciculo caudali longitudine totius corporis, recurvoque, dignoscitur. — *Dorthesia Characius* LATR. seu *Coccus Characias* FABR. Rhyng. 311. 29. „niveus, antennis pedibusque nigris" aliud videtur insectum, cujus *mas* minor, antennis corpore longioribus; capite thoraceque nigris immaculatis, alisque 2 longis, obscuris describitur; ad utrumque sexum mihi ignotum.

*Obs.* *Coccus* LATR. FABR. Corpus parvum. Antennae filiformes. *Mas:* corpore oblongo; capite, thorace abdomineque discretis. Antennae 10—11-articulatae. Alae 2, magnae, binervosae. Anus setis duabus elongatis. Volatu salit. *Femina:* major, corpore ovato aut globoso, continuo, simpliciter annulato, aptero. Antennae 11-articulatae. Gravida tarda plantis adhaeret, gallae formam induens; mortua, illius cadaver ova supertegit, fovet et servat usque ad exclusionem. — Genus plures continens species Suecicas, Lapponiae forsitan plerasque, si non omnes, peregrinas. *Coccum Aceris* vero, „corpore minutissimo, subgloboso, ferrugineo," e Lapponia, nisi fallor, reportavi. — Monographiam hujus generis in *Götheborgska Vetenskaps och Vitterhets Samhallets Handlinger* Anno 1778, dedit Meritissim. MODEER, oblivioni minime relinquendam. Cfr. etiam BURMEIST. Handb. der Entom. Berlin 1835. 2. p. 61—78.

# SECTIO SECUNDA.

## HYMENOPTERA.

VIRO NOBILISSIMO

# J. L. C. GRAVENHORST,

PROFESSORI VRATISLAVIENSI CELEBERRIMO,

ICHNEUMONOLOGIAE EUROPAEAE AUCTORI MERITISSIMO

HANC SECTIONEM FAUNAE SUAE

VENERABUNDO ANIMO CONSECRARE VOLUIT

**AUCTOR.**

# LECTURIS.

Quod a poëtis exigit Horatius, ut, quod coeperint opus, nonum prematur in annum, id ego abunde praestiti, cum nunc primum post integrum fere decennium mihi contigit in lucem edere descriptiones Insectorum Hymenopterorum, quae sub itinere anno 1821 in terris arcticis ipse vidi, quaeque aut loco mox annotavi, aut collecta mecum domum reportavi. Interea haec describendi mora si ne quidem approbationem multo minus laudem meretur, tamen in culpam mihi non vertatur. Ea enim fuit conditio mei temporis, quod in publicis negotiis deinceps transegi, ut horas tantum subsecivas, easque paucissimas, amoenissimae scientiae sacrare potuissem. Nec ideo reprehendendus sim, ut opinor, quod Hymenopteris, in recepta serie systematica Ordinem Insectorum *sextum* occupantibus, in Fauna nostra *quartum* designaverim locum, eaque sic prius quam Lepidoptera et Neuroptera descripserim. Haec scilicet animalcula, Hymenoptera puto, non solum valde fragilia esse, verum etiam mucore prae ceteris facillime obduci, satis superque constat. Eadem quoque Dipterorum ratio est. Cum igitur omnes Insectorum Lapponicorum Ordines, qui restant indescripti, in hac opusculi parte comprehendendi mihi negata fuit occasio, illam eorum Sectionem, quae molliores et magis lubricas simulque minutissimas continet species, quam primum potuerim recensere, necessarium duxi, ne longiori tempore detrimentum capiant agnituque difficiliores evadant. Hoc etiam in causa fuit, cur Piezata immediate post Hemiptera (in Sectione prima tractata), neglecto solito ordine, in praesenti volumine offeram, et descriptiones insectorum, quae minus caduca habentur, quaeque melius conservari possunt, in alium diem differam. Dipterorum vero Ordinem, speciebus lapponicis novis et singularibus omnium ditissimum, proxima vice publicare meditatus sum.

Displicebunt forsitan cuidam longae illae atque fusae specierum descriptiones, quas in pluribus Hymenopterorum generibus attuli, praesertim cum in primam libri partem species Coleopterorum, Orthopterorum et Hemipterorum brevi tantum diagnosi saepe introductae legantur. At Coleoptera et Hemiptera quod attinet, pleraque eorum jam satis sunt elaborata et saepius repetitis descriptionibus atque figuris ita illustrata, ut his, Auctoribus citatis, pro adumbratione systematica completa vix quidquam addi posse videatur. Orthopterorum Familia pauciores species et faciliores distinctu corporisque magnitudine grandia individua complectitur. Difficultas vero species minutissimas et inter se valde affines, quales sunt pleraeque Ichneumonidum, Cynipsearum, Psilotum, Pteromalinorum etc., dignoscendi, sine prolixioribus descriptionibus, ejusmodi a me hic allatas non solum excusabit verum etiam certe justificabit. Multae praeterea inter has occurrunt novae, quae fusiorem et adcuratius expositam descriptionem necessarie requirunt, nisi dubiae et incertae divulgabuntur, aliisve subsimilibus olim forte detegendis confundentur. Exemplum igitur scientiae Heroum secutus, longam et amplam speciebus plerisque suppeditavi descriptionem, in praesenti Hymenopterologiae statu minime supervacaneam, nulla habita ratione ad taedium inde excitandum apud unum alterumve Lectorem, qui brevitatem et obscuritatem potius quam perspicuitatem et certitudinem sectans, sibi ipse tantum consulere cupit. Nec credo me puerilem illam querelam et reprehensionem de nimis prolixis in Entomologia descriptionibus hodie auditurum ab alio quodam, quam qui in insectis examinandis et describendis ipse minus est versatus, vel cui praedivitis naturae vastae atque profundae gazae intimusque rerum naturalium nexus latent.

Haud pauca genera et species in hoc opere inveniet Lector benevolus breviter recensita, quae intra limitem Lapponiae hactenus non inventa fuerunt, quantum novi; ex. gr. ***Metopius***, ***Evania***, ***Sagaris***, ***Spalangia***, ***Perilampus***, ***Eupelmus***, ***Ceropales***, ***Psen***, ***Gorytes***, ***Nysson***, ***Philanthus***, ***Stigmus***, ***Sapyga***, ***Tiphia***, ***Myrmosa***, ***Mutilla***, ***Polistes***, ***Sphecodes***, ***Dasypoda***, ***Coelioxys***, ***Anthidium***, ***Eucera***, ***Epeolus***, ***Megilla*** et ***Bombi*** species. Haec vero ejusmodi sunt, partim quae oculis scrutatorum licet huc usque se subtraxerint, tamen ut in provinciis borealibus Lapponiae vicinis saepius inventa, probabiliter etiam ipsis terris arcticis habitent ibique olim colligentur, partim quae jam detectis valde affinia et similia ob faciliorem comparationem instituendam, in nostra Fauna non desiderarentur. Reticere insuper non debeo, me Hymenoptera Lapponica descripturum, non solum cognitionem indigenorum et septentrioni propriorum praecipue respexisse, sed etiam, adhortantibus meis et scientiae amicis, summam vel brevem indicem totius Scandinaviae hujus Ordinis insectorum simul dare voluisse, quo utilior et acceptior foret liber Hymenopterologiae studiosis, quibus post Linnaei Faunam editam, nostri temporis indagationibus nullimodo satisfacientem, omne periculum species Piezatorum Sueciae cognitas tractandi deest.*)

***Regio sylvatica*** Lapponiae**) sequentia Hymenoptera praeter multa Sueciae communia, in suis sylvis, fruticetis et graminosis producit, scilicet copiose: ***Cimbex*** Lucorum; ***Tenthredo*** marginella, ana-

*) Methodus Hymenoptera disponendi, quam Cel. Fallén elaboravit et anno 1813 publicavit, Familias et Genera tantummodo nec species respicit: et Clarissimi Viri Dalman, Ljungh, Dahlbom, Boheman et alii [illegible] suis entomologicis, aut Actis Holmiensibus aut Dissertationibus Academicis insertis, non nisi solitarias species aut separata genera monographice descripserunt, Ordinem totum intactum relinquentes.

**) Cfr. Sectionis 1mae Praefatio p. 1 et seq.

lis, viridis, opaca, germanica, Lapponica n. sp., Saliceti, Capreae; *Ichneumon* fabricator; *Campoplex* pugillator; *Porizon* erucator; *Alysia* piceator n. sp.; *Microgaster* subcutaneus; *Figites* mandibularis n. sp.; *Psilus* affinis n. sp.; *Pteromalus* puparum, mandibularis n. sp., rotundiventris n. sp.; *Chrysis* ignita; *Pompilus* fuscus, exaltatus; *Formica* herculeaña; *Vespa* borealis n. sp.; *Eumenes* coarctata; *Andrena* haemorrhoidalis, dispar n. sp., Lapponica n. sp., rufitarsis n. sp.; *Halictus* rufitarsis n. sp.; *Hylaeus* annulatus; *Anthophora* lagopoda; *Nomada* borealis n. sp.; *Bombus* alpinus var. a., terrestris, autumnalis, Lapponicus, apricus; — passim: *Hylotoma* ustulata; *Tenthredo* pavida; *Xyela* pusilla; *Ichneumon* saturator; *Bassus* collaris; *Porizon* annulator n. sp., mediator n. sp.; *Bracon* borealis n. sp., tipulator n. sp.; *Alysia* manducator; *Lepton* attenuator n. sp.; *Microgaster* fuscipennis n. sp.; *Sigalphus* oculator, scabriculus n. sp.; *Foenus* jaculator, assectator; *Cynips* minuta n. sp.; *Torymus* Bedeguaris, viridissimus n. sp.; *Pteromalus* tarsatus n. sp., albipennis n. sp.; *Sphex* sabulosa; *Larra* pinguis n. sp.; *Pompilus* minor n. sp.; *Odynerus* parietum, muticus n. sp., 3-marginatus n. sp.; — rarius: *Cimbex* femorata; *Lophyrus* nemorum; *Tenthredo* viduata n. sp.; *Sirex* Gigas; *Ichneumon* vulneratorius n. sp., frequentorius n. sp.; *Porizon* fumipennis n. sp.; *Bassus* erythrocerus; *Tryphon* bellator, melanocephalus; *Alysia* agricolator n. sp.; *Microgaster* niger n. sp.; *Dryinus* ruficornis; *Sparasion* carinatus n. sp., inermis n. sp.; *Psilus* cornutus n. sp., congener n. sp., elongator n. sp.; *Platygaster* parvulus n. sp.; *Pteromalus* brevicornis n. sp.; *Entedon* nigritulus n. sp., fuscipennis n. sp., clavicornis n. sp., cyanellus n. sp.; *Encyrtus* scutellaris; *Chrysis* fulgida; *Crabro* punctum n. sp.; *Formica* rufa; *Myrmica* lacteipennis n. sp.; *Andrena* barbatula n. sp.; *Nomada* ochrostoma n. sp.: — rarissime: *Lophyrus* Pini; *Tenthredo* septentrionalis, segmentata n. sp.; *Lyda* erythrocephala; *Ichneumon* pistor, caeruleator n. sp., rubellator n. sp., fenestrator n. sp., stigmatorius n. sp., cursorius n. sp., pullulatorius n. sp.; *Cryptus* minutor n. sp., rusticator n. sp., lapponicus n. sp., ruficornis n. sp., nigritulus n. sp., paradoxus n. sp.; *Pimpla* crassicornis n. sp.; *Bassus* striatus n. sp., bicolor n. sp., lapponicus n. sp., ruficornis n. sp., rufolabris n. sp., senilis n. sp., dorsatus n. sp., stigmaticus n. sp., pulcher n. sp.; *Tryphon* excavator n. sp., pimplator n. sp., humeralis n. sp., mutator n. sp., vittator n. sp., colorator n. sp., frontator n. sp., bifasciatus n. sp., clypeatus n. sp.; *Ophion* pubescens n. sp.; *Porizon* raptor n. sp., borealis n. sp., pygmaeus n. sp.; *Bracon* pallidator n. sp., petiolator n. sp., humeralis n. sp., rufipes n. sp., tuberculator n. sp.; *Microgaster* costatus n. sp., minutissimus n. sp.; *Hybrizon* pubicornis n. sp.; *Cynips* petiolata n. sp., consobrina n. sp.; *Figites* foveator n. sp., ciliaris n. sp.; *Ceraphron* ramicornis n. sp., albipennis n. sp., serricornis n. sp., flavipes n. sp., subapterus n. sp., apterus n. sp.; *Psilus* excisor n. sp., acuminatus n. sp.; *Pteromalus* curtus n. sp., violaceus n. sp., petiolatus n. sp., crassicornis n. sp., subvirescens n. sp., tibiellus n. sp., apicalis n. sp., pubicornis n. sp., petioliventris n. sp.; *Encyrtus* albitarsis n. sp., aenescens n. sp.; *Pompilus* curtus n. sp., fumipennis n. sp.; *Crabro* ruficornis n. sp.; *Formica* atra n. sp., rubra; *Andrena* albocincta n. sp.; *Anthophora* bicornis, angustula n. sp.; *Heriades* truncorum; *Nomada* obscura n. sp.; *Bombus* soroeensis, ephippium n. sp., tricolor n. sp., hyperboreus.

*Regio subsylvatica* et *subalpina* fovet, parce: *Eurytoma* minuta; *Pteromalus* hirtipes n. sp. etc.; — parcissime: *Lyda* flavipes n. sp.; *Bassus* alpinus n. sp.; *Tryphon* flavifrons n. sp.

*Regio alpina* alit, vulgariter: *Tenthredo* opaca; *Vespa* borealis n. sp.; etc. passim: *Tryphon* impressor var. b.; *Anthophora* inermis; — sibi propria: *Cryptus* pullulator n. sp., nivalis n. sp.; *Bassus* pubescens n. sp.; *Tryphon* alpinus n. sp.; *Bombus* alpinus var. b., nivalis n. sp.

*Regio inferalpinas.* Nordlandiae Finmarkiaeque insulae maritimae et loca littoralia offerunt, haud infrequenter: *Tenthredo* alpina n. sp.; *Ophion* luteus; *Vespa* Norvegica; *Bombus* lapponicus var. — passim: *Alysia* frequentator n. sp.; *Lepton* attenuator n. sp.; *Crabro* lapponicus n. sp., borealis n. sp.; *Odynerus* albo-tricinctus n. sp.; — rarius: *Tenthredo* 4-cincta n. sp., borealis n. sp.; *Cryptus* longulus n. sp.; *Tryphon* incurvator, *Alysia* nitidulator n. sp., pectoralis n. sp.; *Cynips* tibialis n. sp.; *Dryinus* ruficornis; *Platygaster* bifracticornis n. sp., unifracticornis n. sp., minutus n. sp., gladiator n. sp.; *Eurytoma* appendigaster, guttula n. sp.; *Pteromalus* gracilicornis n. sp.; *Chrysis* ignita; *Bombus* arcticus n. sp.; — rarissime: *Tenthredo* spuria n. sp., soror n. sp., bizonata n. sp., angustata n. sp., flavipes n. sp.; *Lyda* pallipes n. sp.; *Ichneumon* impressor n. sp., nitidulator n. sp., eremitatorius n. sp.; *Cryptus* obscuripes n. sp., ocellator n. sp., borealis n. sp., elevatus n. sp., striatellus n. sp.; *Pimpla* arctica n. sp.; *Bassus* lapponicus n. sp., minutissimus, affinis n. sp., pusillus n. sp., petiolator n. sp., nigricollis, frontalis n. sp., dentipes; *Tryphon* angustator n. sp., pusillus n. sp., vulneratus n. sp., rugicollis n. sp., nigricornis n. sp.; *Porizon* marginellus n. sp., obsoletor n. sp., albipennis n. sp.; *Bracon* abdominalis n. sp., tibialis n. sp., pusillatus n. sp., minutissimus n. sp., pygmaeator n. sp.; *Alysia* pusilla n. sp.; *Dissphaeron* arcticus n. sp.; *Ceraphron* pallidus n. sp.; *Psilus* fuscus n. sp.; *Pteromalus* parvulus n. sp., socius n. sp., palpigerus n. sp.; *Entedon* geniculatus n. sp., albipes n. sp., longulus n. sp., pygmaeus n. sp., aethiops n. sp.; *Crabro* bipunctatus n. sp.; *Formica* obsoleta, lugubris n. sp.; *Myrmica* acervorum; *Odynerus* angustatus n. sp., alternans n. sp.; *Anthophora* nigriventris n. sp.; *Bombus* hyperboreus.

E Lapponia forsitan exsulant genera: *Cephus*, *Metopius*, *Evania*, *Sagaris*, *Cynipis* species, quae in Quercu inhabitant; *Bethylus*, *Sceleo*, *Teleas*, *Anteon*, *Spalangia*, *Perilampus*, *Eupelmus*, *Cleptes*, *Psen*, *Gorytes*, *Nysson*, *Philanthus*, *Stigmus*, *Bembex*, *Sapyga*, *Tiphia*, *Myrmosa*, *Mutilla*, *Polistes*, *Sphecodes*, *Dasypoda*, *Coelioxys*, *Anthidium*, *Eucera*, *Epeolus*, *Megilla* et *Apis*. Horum mihi saltem in terris arcticis nullae obviae fuerunt species.

Haec sunt, quae praemonenda habuerim, donec tertiam sectionem hujus operis cito, D. V. offeram.

Scripsi Lundae Suecorum in Museo meo d. 1. Jan. 1832.

**J. W. Zetterstedt.**

# CONSPECTUS
## FAMILIARUM ET GENERUM HYMENOPTERORUM LAPPONIAE.

### Divisio Prima.

Sessiliventria. Abdomen sessile, basi thoraci per totam latitudinem annexum.

FAM. 1. TENTHREDINIDES. LATR.

1. Cimbex. FABR.
2. Lophyrus. LATR.
3. Hylotoma. FABR.
4. Tenthredo. LINN.
5. Lyda. FABR.

FAM. 2. UROCERATAE. LATR.

6. Xyela. DALM.
7. Sirex. LINN.
8. Xiphydria. FABR.
9. Oryssus? FABR.
(Cephus).

### Divisio Secunda.

Petioliventria. Abdomen ope petioli thoraci puncto (nec per totam latitudinem) adfixum.

Sect. 1. Pedes v. nudiusculi v. parum spinulosi.

A. Antennae extensae.

FAM. 3. ICHNEUMONIDES. LATR.

10. Ichneumon. LINN.
(Alomya).
11. Cryptus. FABR.
12. Pimpla. FABR.
13. Bassus. FALL.
14. Tryphon. FALL.
(Metopius).
15. Banchus. FABR.
16. Ophion. FABR.
17. Campoplex. GRAV.
18. Porizon. FALL.
19. Bracon. FABR.
20. Alysia. LATR.
21. Lepton. nov. gen. ZETT.
22. Microgaster. LATR.
23. Hybrizon. FALL.
24. Sigalphus. LATR.
25. Aulacus. LATR.

FAM. 4. EVANIALES. LATR.

26. Foenus. FABR.
(Evania).

FAM. 5. CYNIPSEAE. FALL.

(Sagaris).
27. Cynips. LINN.
28. Figites. LATR.

B. Antennae fractae.

FAM. 6. PSILOTES. FALL.

29. Dryinus. LATR.
30. Sparasion. LATR.
31. Ceraphron. LATR.
32. Psilus. PANZ.
33. Codrus. PANZ.
34. Platygaster. LATR.
(Sceleo).
(Teleas).
(Anteon).

FAM. 7. PTEROMALINI. DALM.

Sect. 1. Pedes postici femoribus crassis.

(Chalcis).

Sect. 2. Pedes omnes simplices.

Phal. 1. *Alarum nervus auxiliaris in costam ante medium adscendit, ibique ut marginalis productus (nec mox abruptus) pone stigma saepius continuatur.*

Tribus 1. Antennae articulis 8—11. Frons vix impressa.

35. Eurytoma. ILLIG.
(Spalangia).
(Perilampus).
36. Torymus. DALM.
(Eupelmus).
37. Pteromalus. SWED.

Tribus 2. Antennae articulis 6—8 magis discretis. Frons impressa. Oviductus non exsertus.

38. Entedon. DALM.

Phal. 2. *Alar. nervus auxiliaris in costam in medio adscendit, ibique mox ramulum stigmaticalem simplicem emittit.*

39. Encyrtus. LATR.

FAM. 8. CHRYSIDIDES. LATR.

40. Chrysis. LINN.
(Cleptes).

Sect. 2. Pedes, tarsi saltem, saepissime aut spinosi, aut hirti et spinulosi (in *Trypoxylon* et *Sapyga* pedes inermes v. parum spinulosi).

Tribus 1. *Praedones:* tarsorum pedum posticorum articulo basali cylindrico, spinuloso aut inermi, nunquam hirsuto.

*Subdiv.* 1. Alae superae per totam latitudinem extensae, planae, longitrorsum plicatae.

Phal. 1. *Insecta solitarie degentia. Sexus duplex, mares et feminae (neutra nulla). Individua omnia alata.*

FAM. 9. SPHEGINEAE. FALL.

A. Collare breve, ad radicem alarum non extensum.

41. Sphex. LINN.
42. Larra. LATR.

B. Collare (prothorax DAHLB.) tenue arcuatum, ad radicem alarum extensum.

43. Pompilus. FABR.
(Ceropales).

FAM. 10. MELLINII. Fall.

° Areola alarum gemina.

(Psen).
44. Mellinus. Fabr.
(Gorytes).

°° Areola alarum simplex.

(Nysson).
(Philanthus).

FAM. 11. CRABRONITES. Fall.

Sect. 1. Areola alarum simplex, quadrata.

45. Pemphredon. Fabr.
(Stigmus).

Sect. 2. Areola alarum aut obsoletissima aut nulla.

46. Crabro. Fabr.
47. Trypoxylon. Fabr.
48. Oxybelus. Fabr.

(FAM. 12. BEMBECINAE.)

(Bembex).

(FAM. 13. SCOLIATAE.)

(Sapyga).
(Tiphia).

Phal. 2. *Insecta solitarie degentia. Sexus duplex, mares et feminae (neutra nulla). Individua mascula alata, feminea aptera. Abdominis petiolus non squamiformis.*

(FAM. 14. MUTILLARIAE.)

(Myrmosa).
(Mutilla).

Phal. 3. *Insecta societates ordinatas ineuntia. Individua mascula et feminea alata. Neutra aptera. Abdominis petiolus squamiformis aut discrete nodulosus.*

FAM. 15. FORMICARIAE. Latr.

49. Formica. Linn.
50. Myrmica. Latr.

*Subdiv.* 2. Alae superae longitrorsum plicatae.

FAM. 16. VESPARIAE. Latr.

A. *Sociales*, sive societates e masculis, feminis et neutris (feminis sterilibus) aggregatis ineuntes. Mares innocui, feminae et neutra aculeo retractili valde pungentes.

51. Vespa. Linn.

B. *Solitariae.* Mares innocui, feminae aculeo retractili pungentes. Neutra nulla.

52. Odynerus. Latr.
(Polistes).
53. Eumenes. Fabr.

Tribus 2. *Floricolae:* tarsor. posticorum articulo basali elongato-quadrato, compresso, postice hirsuto, pollinigero etc. Cfr. textus.

FAM. 17. ANDRENETAE. Latr.

Insecta *solitaria:* mares et feminae tantum.

° Areola alarum gemina.

54. Andrena. Fabr.
55. Halictus. Latr.
(Sphecodes).

°° Areola alarum simplex

56. Hylaeus. Latr.
(Dasypoda).

FAM. 18. APIARIAE. Latr.

* Areola alarum simplex.

*Apiariae solitariae:* mares et feminae tantum.

57. Anthophora. Fabr.
58. Heriades. Latr.
(Coelioxys).
(Anthidium).
(Eucera).

** Areola alarum gemina.

A. *Apiariae solitariae:* mares et feminae tantum, neutra nulla. Thorax scabropunctatus. Scutellum bituberculatum. Antennae thorace parum breviores, subfractae (in mortuis subrectae). Abdomen glabrum (*Nomadinae* Fall.).

59. Nomada. Fabr.
(Epeolus).
(Megilla).

B. *Apiariae societates ineuntes:* masculi, feminae et neutra. Thorax (villositate detrita) subtiliter punctulatus. Scutellum rotundatum, aequale. Antennae thorace paullo breviores, distincte fractae. Abdomen villosum aut hirsutum.

60. Bombus. Fabr.
(Apis).

# ORDO IV. HYMENOPTERA.

## Divisio Prima.

*Abdomen sessile, basi thoraci per totam latitudinem annexum. Sessiliventria.*

### FAM. 1. TENTHREDINIDES.*) LATR. FALL. DAHLBOM.

#### 1. Cimbex. FABR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 425. FABR. FALL. Dispos. Hymenopt. 1813.

*Corpus* magnum, oblongum, villosum. Antennae thorace multo breviores, clavatae. Area alarum superiorum costalis ultima a nervulo transverso in duas divisa. Pedes validi. *Color* niger, flavus; pictura maculata aut fasciata. *Motu* valde tarda, tempore autem copulationis paullo vivacior. *Habitatio* in fruticibus, quarum folia larvae comedunt; sylvestris et subalpina. Larva solitaria, lineata aut fasciata, pedibus 22. Pupa folliculata, subpellucida, foliis et ramis fruticum saepe adglutinata. *Differt sexus:* segmento anali in *mare* subtus integro, in *femina* fisso; mas praeterea plerumque minor, angustior, femoribus saepe incrassatis. (Spec. Scand. 8 in museo meo adsunt.)

**1. C. femorata**: atra, parum obscure villosa, antennarum flagello tarsisque luteis, abdominis dorso basi apertura magna, flava. ♂♀.

*Mas:* alis distincte caerulescentibus, femoribus posticis incrassatis maximis.

*Fem.:* alis parum caerulescentibus, femoribus omnibus simplicibus.

FABR. Piez. 15. 1. ♂. FALL. Act. Holm. 1807. 191. 3. ♂♀. et Monogr. Tenthredinidum Sueciae 1829. 8. 2. ♂♀. *Tenthredo femorata* LINN. Fn. Sv. 1533. ♂. PANZ. Fn. Germ. 26. t. 20. ♂. DE GEER Ins. 2. 229. 2. t. 34. f. 3. 4. ♂. *Cimb. Silvarum* FABR. Piez. 16. 4. ♀.

Hab. in Alno et Salice per partem sylvaticam Lapponiae rarius, ad Muonioniska et Karesuando a DD. KOLSTRÖM et GRAPE capta et in collectionibus eorum a me visa (Lapp.-Ölandia, Scan. rar.).

Antennarum scapus (radicula) piceus. Pedes violaceo-atri. Sequente fere dimidio major, glabrior. Mas rarior.

**2. C. Vitellinae**: nigra, cinereo-villosa, ventre ferrugineo, pedibus caerulescentibus, tibiis tarsisque testaceis, femoribus posticis subtus unidentatis. ♂♀.

*Mas:* angustior, linearis, femoribus posticis incrassatis.

*Fem.:* latior, femoribus omnibus simplicibus.

FABR. Piez. 17. 8. FALL. Act. Holm. 1807. 192. 4. ♂♀. (exclus. Syn. *C. lucorum* FABR. et LINN.) *Tenthredo Vitellinae* LINN. Fn. Sv. 1535.

Hab. in Lapponia secundum collectiones D. GRAPEI et DEUTSCHII, mihi vero nec in Lapponia, nec in Bothnia obvia. (Lappon.-Uplandia Scan. freq.)

Antennae in medio ferrugineae. Variat in Suecia inferiori abdominis dorso lateribus magis vel minus late ferrugineis, immo interdum fere toto ferrugineo.

**3. C. Lucorum**: nigra, cinereo-villosa, ventre concolore, pedibus caerulescentibus, tibiis tarsisque testaceis, femoribus posticis subtus unidentatis, antennis brevibus, minor. ♂♀.

*Mas:* angustior, linearis, femoribus posticis subincrassatis.

*Fem.:* latior, femoribus omnibus simplicibus; in copula.

Var. a. ♂♀. in copula, antennae totae nigrae.

FABR. Piez. 16. 2. *Tenthredo Lucorum* LINN. Syst. Nat. 2. 921. 6. Fn. Sv. 1537. *Cimbex Vitellinae* var. feminea minor FALL. Act. Holm. 1807. 192. 4. et Monogr. Tenthred. 9. 3.

Var. b. ♂. Antennae in medio ferrugineae.

Hab. in Salice et Betula nana per partem sylvaticam Lapponiae Umensis et Tornensis, mens. Junio, freq.; ad Juckasjervi Lappon. Tornensis, d. 22. Jun. copiose vidi, nuptias celebrantem. Adscendit quoque in regionem alpinam, et in Raschstind atque Gamstenstind Nordlandiae Finmarkiaeque plures pupae, ramis Betulae albae et nanae adglutinatae, collectae et d. 28—30. Jul. feliciter exclusae fuerunt. Descendit iterum in Bothniam, et in Salice ad Haparanda prope Tornoam jam d. 20. Maj. inveni. In Alno ad Piteå, LINN. (Lappon.-Nordlandia freq.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedenti similis et affinis, sed fere dimidio minor, et antennis paullo brevioribus, abdomineque toto nigro, ab illa diversa. Variat capite aut nigro- aut cinereo-villoso. In feminis nuper exclusis tomentum praesertim thoracis flavescit. — Ob magnitudinem minorem, antennas breviores, colorem abdominis constanter nigrum, locum et copulationem, distinctam hanc a *C. Vitellinae* puto speciem, non nisi in Scandinavia boreali mihi obviam. Varietatem: „antennarum clava ferruginea," a LINNAEO in Fauna Suec. descriptam, non vidi. Larvam hujus speciei esse „viridem, punctis elevatis ejusdem coloris, capite luteo, oculis nigris" mihi relatum fuit, quales larvae reliquarum specierum hujus generis non describuntur.

#### 2. Lophyrus. LATR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 428. FALL. *Tenthredo* LINN. *Hylotoma* FABR.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, oblongum, crassum, pube brevissima obductum, rarius glabrum. Antennae thorace breviores, multiarticulatae, pectinato-serratae. Area alarum costalis ultima simplex. *Color* pro sexu varius, niger, flavus, pictura maculata aut fasciata. *Motus* tardus. *Habitatio* in arboribus acerosis, per regionem sylvaticam Lapponiae; alpes et littora maritima Norvegiae aufugit. Larvae gregatim versantur in Pinastris, quorum foliis victitant pedibus 22 instructae. Pupae folliculatae, oblongo-ovales

*) Propter rationes, in Praefamine Sectionis prioris allatas, praedones s. *Sphegineae* primam hujus Ordinis Familiam constituere debuissent; sed in Faunula hac provinciali seriem Familiarum jam receptam mutare nolui, praesertim cum finis hujus opellae Insectorum lapponicorum enumerationem, locum et proprietates magis, quam Ordinem eorum systematicum respicit.

brunnescentes opacae, glabrae, sub muscis liberae, aut plantis adglutinatae deprehenduntur. *Differentia sexus* in *maris* segmento anali ventrali integro, *feminae* rimato, et in antennis *maris* pectinatis, *feminae* serratis mox invenitur. (Spec. Scand. 9 lustrare mihi contigit.)

**1. L. Nemorum:** punctatus, pube brevissima subvillosus niger, antennis fuscis; maculis abdominis lateralibus anoque in mare; pectore anoque in mare; pectore abdominisque fasciis basalibus et analibus in femina; thoracis lobo antealari pedibusque in utroque sexu, flavis, femoribus basi nigris. ♂♀.

*Mas:* subopacus. Antennae brunnescentes, bipectinatae, radiis utrinque 21 sensim decrescentibus, apice serratae. Antice fusco-villosus, evidenter punctatus, totus niger, mandibulis piceis, macula antealari magna, triangulari, abdominis segmentis ultimis 2 l. 3. macula utrinque, segmento ultimo ventrali et squamis analibus, pallide flavis.

*Fem.:* major. Antennae fuscae, serratae, scapo flavo. Antice fusco-villosa, evidenter punctata, nigra, ore, linea utrinque occipitis obsoleta, macula antealari magna triangulari, lamina pectorali, puncto ad scutellum utrinque minuto, abdominis fasciis dorsalibus 4, quarum 2 basalibus interruptis, et 2 analibus integris, pedibusque flavis, femoribus in medio, tibiarum posticarum basi, annulisque tarsorum nigricantibus.

KLUG Die Blattwespen nach ihren Gattungen und Arten, Berlin 1818. p. 29. 1. FALL. Monogr. Tenthredinid. 1829. 13. 1. ♂♀. *Hylotoma Nemorum* FABR. Piez. 20. 1. ♀. FALL. Act. Holm. 1807. 196. 1. ♀. *Tenthredo* UDDMANN Diss. 90. t. 2. f. 13. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica rarius. Pupas plures sub muscis in montibus ad Öfver Torneå et Wittangi initio mensis Junii 1821 collegi; ex aliis harum imagines masculae jam medio ejusdem mensis egressae, ex aliis autem imagines femineae non ante mensem Februarii anni sequentis provenerunt. In collectione Domini KOLSTRÖM individua hujus speciei ad Muonioniska capta quoque vidi. (Lapponia; Bothnia borealis; Finlandia; Ostrogothia; rar.)

*Mas.* et *Fem.* Maximus in hoc genere, longitudinem circiter 5 linear. attingens. Antennae maris brunnescentes, adultioribus forte magis nigricantes. Feminae, quas e Finlandia et Suecia inferiori vidi, magis pictae, corpore scilicet toto stramineo, antennarum flagello, capite (excepto labio), thoracis lobis tribus dorsalibus, scutelli dimidietate postica, pectoris macula, femorum latere, tibiarum posticarum apice annulisque tarsorum, nigris; quales a D. FALL. Act. Holm. l. c. describuntur, a *Loph. Pini* feminis vix discrepantes. — Ab area alar. ultima, ante et prope punctum stigmaticale, exit nervulus cum costa parallelus in medio areae adjacentis abruptus in utroque sexu.

**2. L. Pini:** punctatus, pube brevissima subvillosus, niger, alis hyalinis, inferioribus apice fuscis; summo labio, palpis, squamis analibus, femorum apice, tibiis tarsisque in mare, flavis; ore, antennarum scapo, thoracis maculis, abdominis fasciis latis, pedibusque in femina stramineis. ♂♀.

*Mas:* subopacus. Antennae usque in summum apicem bipectinatae, sed radiis utrinque 20 sensim decrescentibus, in apice brevissimis. Antice fusco-villosus, evidenter punctatus, totus niger, summo labii palpisque testaceis. Squamae anales pallidae. Pedes nigri, femorum apice, tibiis tarsisque flavis, tibiarum posticarum apice annulisque tarsorum fuscis.

*Fem.:* major. Caput nigrum. Antennae 20-articulatae, nigricantes, articulis 2 basalibus flavis. Os late pallidum. Macula occipitis utrinque fusco-testacea. Thorax pubescens, punctatus, stramineus, dorso maculis 3, scutelli dimidietate postica, maculaque sterni parva, nigris. Abdomen stramineum, segmentorum basi, praesertim supra, nigra. Pedes straminei, latere postico, tibiarum posticarum apice, tarsorumque annulis brunneis; in copula.

KLUG l. c. p. 30. 2. FALL. Monograph. Tenthredinidum Sueciae. Lund. 1829. p. 14. 2. *Tenthredo Pini* LINN. Fn. Sv. 1540. ♂♀. *Pteronus Pini* PANZ. Fn. Germ. 87. t. 17. ♂. 76. t. 11. ♀. *Hylotoma Pini* FABR. Piez. 22. 7. ♂. FALL. Act. Holm. 1807. 198. 3. ♂♀.

Hab. in Pinetis Lapponiae, mense Julio, rarius. E pupa, sub muscis in monte Avasaxa prope Öfver Torneå d. 28. Maj. inventa, individuum masculum exclusum d. 12. mensis sequentis. (Lappon.-Scania passim).

*Mas.* et *Fem.* Praecedente fere duplo minor. Abdomen maris totum nigrum, nec „subtus rufum" quale id descripsit Cel. FALL. Act. Holm. l. c. Specimina lapponica non differunt ab illis, quae saepius in Pinubus Ostrogothiae et Scaniae meus, Junio et Julio in copula deprehendi. — Nervulus ille abruptus, ex area costali ultima alarum incipiens, similis ac in priori adest.

**3. L. Frutetorum:** punctatus, pube brevissima subvillosus niger, mandibulis antennarumque basi testaceis, thoracis lunula antealari abdomineque strigis lateralibus flavo-albidis, pedibus pallidis, femoribus late, tarsorum annulis, tibiarumque posticarum apice, nigricantibus. ♀.

*Hylotoma frutetorum* FABR. Piez. 21. 2. ♀. PANZ. Fn. 99. t. 14. (scutello flavo) certe; ♀. *Tenthredo frutetorum* FABR. Ent. Syst. 2. 111. 25. ♀. (*Loph. frutetorum* KLUG. et FALL. l. c. alia videtur species mihi ignota).

Hab. in Pinubus Lapponiae passim. E pupis, sub muscis et in foliis Pini in Bothnia boreali et ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis inventis, imagines dieb. 10. Maj. 22. et 27. Jun. feliciter exclusae fuerunt. (Lappon.-Bothnia borealis pass., Ostrogoth. rar.).

*Fem.:* *Lophyro Pini* duplo minor, niger. Mandibulae piceae. Antennae 18-articulatae serratae, nigrae, articulis 2 basalibus magis l. minus pallidis. Thorax subnitidus niger, lunula antealari, cruribus antrorsum flexis, pallida flava. Abdomen nigrum, segmentorum basi striga utrinque laterali albida; striga ultima supra anum fere continua. Venter albido-fasciatus. Alae omnes hyalinae, immaculatae; punctum stigmaticale ordinarium fuscum et nervulus ille abruptus adsunt. Pedes pallide flavi, femoribus basi magis vel minus late nigris, annulis tarsorum omnium et apice tibiarum posticarum nigricantibus. — Mas ignotus, et qui supra (No. 1.) ut mas *L. Nemorum* descriptus, quamquam pictura similis, vix in suspicionem hujus esse venire potest, nam ille est duplo et ultra major, nec cum hac nostra specie unquam simul habitans deprehensus.

**4. L. virens:** punctulatus, parum pubescens, pallide flavus, antennis fuscis basi pallidis; fascia frontali lata, thoracis maculis 3 dorsalibus, macula sterni, fasciis abdominis, annulisque tarsorum, nigris. ♀.

KLUG l. c. FALL. Monog. Tenthred. p. 16. 7. ubi uterque sexus describitur. Forsitan etiam eadem species *Tenthredo dorsata* PANZ. Fn. Germ. 62. t. 9. ♀.

Hab. in Lapponiae sylvis passim. In Abiete ad Juckasjervi Lapp. Tornensis frequentius vidi. Etiam in Bothnia boreali ad Johannis Ro jam die 12. Maj. e nympha declaratus. (Lappon.-Ostrogothia pass.).

*Fem.:* Variat magnitudine, praecedente interdum et major et minor. Caput flavum, fascia frontali inter oculos lata, nigra. Antennae 18-articulatae, serratae fusco-testaceae vel nigricantes, articulis 2 basalibus plerumque pallidioribus. Thorax flavo-albidus, maculis 3 dorsi magnis, scutelli summo apice, striga pectoris saepe, maculaque sterni nigris. Abdomen pallide flavum, segmentis apice nigro-fasciatis. Alae hyalinae; nervus abruptus adest. Pedes flavi, maculis femorum latere postico, annulis tarsorum omnium, tibiarumque praesertim posticarum apice, nigricantibus. — Specimina lapponica colore plerumque magis obscuriora sunt quam quae in Ostrogothiae et Gottlandiae sylvis mense Jul. legi; vix tamen specie diversa. Quem D. FALL. Act. Holm. 1807. 197. 2. *Hyl. dorsata* var. b. descripsit, forte est hujus.

*Mas:* „ovatus ater, abdomine subtus lateribusque rufis, antennis thoracis longitudine utrinque 20-radiatis" a D. D. FALL. et KLUG l. c. describitur, mihi ignotus.

**5. L. Juniperi:** laevis, capite pubescente, nitidus, niger, femorum apice, tibiis tarsisque flavis, antennis maris una serie radiatis, apice inflexo. ♂♀.

*Mas:* Antennae una serie radiatae, radiis 19 subaequalibus, apice inflexo, ibique radiis paullo brevioribus.

*Fem.:* Antennae breves 16-articulatae, in medio distincte serratae. Pedes postici plerumque obscuriores.

*Tenthredo Juniperi* LINN. Fn. Sv. 1541. ♂. (exclus. „femina grisea"). PANZ. Fn. Germ. 76. t. 11. ♀. *Hylotoma Juniperi* FABR. Piez. 22. 6. ♂. FALL. Act. Holm. 1807. 200. 5. ♂♀. UDDMAN Diss. 91. fig. 12. B.

Hab. in Lapponia D. PORTIN, mihi ibi non obvius. (Lappon.-Ostrogothia rar.).

*Mas.* et *Fem.* In hoc genere parvus, magnitudine et habitu *Tenthred. aethiopi* (infra No. 7.) similis, antennis distinctus. Totus (excepto capite pube breviori villoso) glaber, nitidus, niger, geniculis, tibiis tarsisque flavis. Series radiorum in antennis maris a capite longius quam apud priores incipit et distat, radiis fere aequaliter longis, ultimis tantum 3 l. 4 in apice inflexo insidentibus, paullo brevioribus. Nervulus abruptus, ex area ultima oriens, brevissimus, vix ullus, nec ut in reliquis speciebus in medium areae proximae continuatus. —

*L. rufus*, *difformis*, *pallidus* et *elongatulus*, in Scania et Ostrogothia saepius capti, in Lapponia a me non visi.

## 3. Hylotoma. FABR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 427. FABR. FALL. *Tenthredo* LINN.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum angustatum, nitidum, subvillosum. Antennae thorace breviores, triarticula-

tae, articulis 2 basalibus brevissimis, ultimo longissimo, filiformi aut extrorsum gradatim crassiori. Area alarum costalis ultima simplex. Tibiae trispinosae, spina unica ante apicem et 2 ordinariis in apice. *Color* metallicus, aenescens, caerulescens, raro flavescens, pictura nulla. *Motu* tarda; vivacior tamen praecedentibus. *Habitatio* imaginum in floribus, tempore aestivali, per partem sylvaticam, subsylvaticam et alpinam Lapponiae. Larva viridis aut flava, nigro-punctata, pedibus 18—20, plantarum foliis pascitur. Pupa piloso-folliculata herbis affigitur. *Differentia sexus* ex ani structura quemadmodum in *Lophyro*, nec non ex antennis *maris* paullo longioribus, articulo ultimo filiformi, subtus villoso aut ciliato, *feminae* extrorsum sensim crassioribus, nudis, statim colligitur. (Spec. Scand. 11 a me cognitae, lucidae, Tenthredinearum pulcherrimae, genus limitatum constituentes.)

*Subdiv.* 1. Abdomine flavicante.

**1. H. Rosarum**: luteo-flava, capite, thoracis dorso, sterni macula, alarum costa et puncto stigmaticali, tarsorumque annulis nigris. ♂♀.

KLUG Die Blattwespen nach ihren Gattungen und Arten. Berlin 1818. p. 60. 10. FALL. Mon. Tenthr. 22. 7. ♂♀. *Hyl. Rosae* FABR. Piez. 25. 16. (exclus. Syn. LINN.) FALL. Act. Holm. 1807. 203. PANZ. Fn. Germ. 49. t. 15. ♀.

Hab. in Lapponia D. GRAPE, mihi ibi non obvia. (Lapponia; Uplandia, Scan. freq.).

*Mas.* et *Fem.* Longitudine circiter 4 lin. Antennarum articulus ultimus saepe pallescit. Palpi flavi. Tibiarum apex annulique tarsorum nigra. — „Larva flava, nigro-punctata." FABR. *Tenthredo Rosae* LINN. ob antennarum structuram ut Synonymon ad *Tenthr. annulatam* rectius consideratur.

*Obs.* Ad hanc Subdivisionem pertinent Auctorum *Hyl. furcata, brevicornis, mediata, pagana*, et *caerulescens* Scandinaviae, sed vix Lapponiae incolae.

*Subdiv.* 2. Abdomine nigricante (metallice nitente).

**2. H. ustulata**: caerulescenti-aenea, palpis, geniculis, tibiis tarsisque pallidis, nervis alarum flavis nubecula fusca. ♂♀.

KLUG l. c. p. 56. FABR. Piez. 23. 9. ♂♀. FALL. Act. Holm. 1807. 201. 6. et Monogr. Tenthred. 21. 4. ♂♀. *Tenthred. ustulata* LINN. Fn. Sv. 1542. PANZ. Fn. Germ. 81. t. 10. ♀.

Hab. in Lapponia passim; in Betula ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 1. Jul. mares frequenter vidi. (Lapp.; Uplandia, Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo praecedentis aut paullo longior. Alae pallidae, interdum obscurius nervosae, macula ad punctum stigmaticale fusca, distincta, dilatata. *Tenthr. ustulata* PANZ. Fn. 49. t. 12. vix ut Synon. hujus speciei habeatur. — „Larva viridis, lineis duabus albis, capite testaceo, fascia obscura;" FABR.

**3. H. ciliaris**: caerulescenti-aenea, tibiis posticis albis alis hyalinis, nervis obscuris, puncto stigmaticali fusco, distincto, nubecula obsoleta aut nulla. ♂♀.

*Tenthredo ciliaris* LINN. Syst. Nat. 2. 922. 12. ♂. FALL. Mon. Tenthred. 20. 3. *H. caerulea* KLUG l. c. p. 57.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Ostrogothia, Gottlandia, Scan. pass. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo et summa affinitas praecedentis. Differt inprimis nervis alarum pedibusque obscurioribus, tibiis posticis solum albis. Palpi fusco-testacei. Alae hyalinae, nervis, praesertim costali, punctoque stigmaticali nigricantibus, macula adjacenti fusca obsoleta, plerumque nulla. Tibiae anteriores tarsique omnes nigro-fusca, in individuis junioribus parum dilutiora.

**4. H. violacea**: aeneo-caerulescens, palpis, tibiis tarsisque fuscis, alis hyalinis, nervis obscuris, puncto stigmaticali nubeculaque distinctis nigricantibus. ♂♀.

KLUG l. c. p. 57. ♂♀. FALL. Mon. Tenthred. 20. 2. ♂♀. *Hylotoma fuscipes* FALL. Act. Holm. 1808. 43. 6—7.

Hab. in Lapponia aeque rara ac praecedens. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Duabus proxime praecedentibus magnitudine et statura valde similis et affinis, sed differt ab illis nervorum et pedum colore obscuriore. Palpi fusci, interdum pallidiores. Alae hyalinae, nervis obscuris; costa et punctum stigmaticale nigricantia, nubecula s. macula adjacenti dilatata, distincta, brunnea. Omnes tibiae et tarsi nigro-fusca, interdum (in junioribus) fusco-testacea.

**5. H. enodis**: caeruleo-atra, alis nigricantibus, palpis, tibiis tarsisque nigro-fuscis. ♂♀.

KLUG l. c. p. 53. ♂♀. FABR. Piez. 23. 10. ♂. (excl. Syn. LINN. mas *Tenthred. ciliaris*). FALL. Act. Holm. 1807. 201. 7. ♂♀. (exclus. Syn. LINN. mas *T. ciliaris*) et Mon. Tenthred. 19. 1. ♂♀. *Tenthredo enodis* LINN. Syst. Nat. 2. 922. 11. ♀. PANZ. Fn. Germ. 49. t. 13. (An quoque *Tenthred. ustulata* PANZ. 49. t. 12?)

Hab. in Lapponiae sylvaticae Salicibus, rarius. In summo alpium Tornensium jugo, in nive ambulantem marem certissime hujus speciei paullo minorem et tibiis tarsisque solito paullo dilutioribus, die 12. Jul. quoque deprehendi. (Lapp.-Scan. freq.; at in Suecia boreali et media non vidi.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo priorum, a quibus toto corpore caeruleo-atro alisque nigris mox dignoscitur. In Scaniae fruticibus aestate frequenter legitur, in ceteris Sueciae provinciis mihi non obvia. Larva viridis nigro-punctata, linea laterali flava a FABR. l. c. describitur.

*Obs.* *Hylotomam costatam*, in Suecia inferiori habitantem, in Lapponia non vidi.

## 4. Tenthredo. LINN.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 425. LINN. FABR. FALL.

*Corpus* majoris aut mediae, interdum minoris magnitudinis, ovatum, saepius elongatum, lineare, glabriusculum. Antennae in utroque sexu simplices, dimidio corpore breviores aut longiores, 9-articulatae. Alarum area costalis ultima gemina aut simplex. Tibiae muticae (spinis praeter 2 ordinarias nullis). *Color* plerumque obscurus, niger aut flavus, pictura zonata. *Motu* segnis; sole vero urente et sub lusu venereo paullo alacrior videtur. *Habitatio* imaginum in foliis et floribus plantarum, tota aestate: per omnes Lapponiae partes, nec ipsum jugum alpium quaedam species aufugiunt. Larvae foliis plantarum victitant, pedibus 22, rarius 20 instructae. Pupae piloso-folliculatae subpellucidae, sub cortice arborum, muscis, lapidibus, in terra etc. latentes, aut plantis adfixae inveniuntur. *Differentia sexus* perspicua in *maris* segmento ultimo subtus plano, elongato, integro, *feminae* fisso mox detegenda; *mas* quoque saepe paullo minor, praesertim angustior. (Spec. Scand. 125. in museo meo adsunt, novis lapponicis quoque computatis. — Cl. DAHLBOM non tantum hujus generis Monographiam, sed etiam omnes Scandinaviae Tenthredinidum species hactenus cognitas cito publicare in animo habere, laeti gratique significamus.)

### *Sect. Prima. Alae superiores area costali ultima gemina, h. e. nervulo transverso in duas divisa.*

*Subdiv.* 1. Antennae thorace breviores, extrorsum gradatim paullo crassiores, aut filiformes.

A. Minores (Hylotomae FABR. Phyllotoma FALL.)

° *Abdomine pallescente* (antennis extrorsum subcrassioribus, in *Tenthr. alpina* filiformibus).

**1. T. serva**: subglabra, nitida, nigra, palpis, abdomine, pedibus totis alarumque costa antica luteo-flavis, puncto stigmaticali fusco. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pectore toto nigro.

Var. b. ♂♀. pectore lateribus flavo.

KLUG l. c. p. 95. 7. ♂♀. *Hylotoma serva* FABR. Piez. 26. 22. FALL. Act. Holm. 1807. 204. 11. ♂♀. *Phyllotoma serva* FALL. Mon. Tenthred. Sv. Lund. 1829. p. 30. 6. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica, rarius. (Lapp.-Ostrogoth. passim, Gottlandia rar. Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Longitudine vix 4 lin. Abdomen flavum; in var. a segmentum primum et tria ultima supra infuscata. Pedes in utraque varietate lutei, immaculati. Alae flavedine tinctae; nervi basales et inprimis costalis flavescunt; costa vero in medio et punctum stigmaticale nigricantia.

**2. T. annulata**: sericeo-nitens, nigra, labio albo, antennis subtus, maculis pectoris, abdomine, alarum costa basi, pedibusque luteo-flavis, tarsis pallidis, nigro-annulatis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. thorace toto nigro; rariss.

KLUG Die Blattwespen etc. p. 89. 4. ♂♀. *Hylotoma annulata* FABR. Piez. 26. 23. (exclus. Syn. PANZ.) FALL. Act. Holm. 1807. 205. 13. (exclus. Syn. PANZ.). *Tenthredo annulata* FABR. Ent. Syst. 2. 110. 22. vera. *Phyllotoma annulata* FALL. Mon. Tenthred. 28. 3. ♂♀.

Var. b. ♂♀. thorace nigro, lateribus pectoris flavo-picto, frequens.

*Tenthredo Rosae* LINN. Fn. Sv. 1555. *Phyllotoma Rosae* FALL. Mon. Tenthred. 28. 2. ♂♀.

Var. c. ♂♀. thorace flavo, dorso tantum nigro; freq.

Hab. in Lapponia per partem sylvaticam passim freq. (Lapp. Uplandia-Scan. freq. praesertim var. b. et c.)

*Mas.* et *Fem.* Parva, praecedente duplo fere minor, magnitudine tamen variat. Antice sericeo-nitens. Labium albissimum. Antennae plerumque subtus fusco-testaceae. Alarum costa et punctum stigmaticale nigra, juxta basin vero costa flava. Tarsi pallidi, nigro-annulati. Apex tibiarum posticarum quoque niger. Pectus in varietate a nigrum, in b. flavum magis l. minus nigro-pictum et in c totum flavum.

**3. T. spinarum:** subglabra, flavo-lutea, labio albido, antennis supra, capite, thoracis postico, alarum costa et puncto stigmaticali, tibiarum apice tarsorumque annulis, nigris, scutello ferrugineo. ♂♀.

*Hylotoma spinarum* FABR. Piez. 26. 21. FALL. Act. Holm. 1808. 45. 13-14. ♂♀. *Tenthredo* KLUG Die Blattwespen etc. 86. 1. *Phyllotoma* FALL. Mon. Tenthr. 27. 1. *Tenthredo Centifoliae* PANZ. Fn. Germ. 49. t. 18.

Hab. in Lapponia D KOLSTRÖM. (Lapponia; Uplandia pass.; Ostrogoth. et Gottlandia freq.; Scania rar.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedente et major et minor. Antennae fuscae, subtus dilutiores, basi saepe testaceae. Labium albidum, mandibulis piceis. Thorax supra niger, lobo intermedio, scutello punctoque sub metathorace ferrugineis. Humeri, squama antealaris et pectus totum luteo-flava. Nervi alarum pallidi, costa tota nigra. Larva tota nigra victitat Brassica Rapa, quam destruit, teste FABR. — In individuis, quae in Succia inferiori occurrunt, antennae plerumque totae nigrae sunt.

**4. T. alpina:** antennis filiformibus, glabra, subnitida, tota pallide testacea; stemmatibus verticis oculisque nigris. ♂♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae passim; in floribus Sorbi Aucupariae et Pruni Padi ad latera alpium Raschstind in insula Schiervoe Nordlandiae; Gamstenstind ad Alteidet, nec non Skaadavaara prope Alten Finmarkiae diebus 28. Jul. — 7. Aug. sat copiose vidi. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* et *Fem.* Minuta, tenera, *Tenthr. simplici* FABR (seu *flava* LINN.) duplo fere minor, praesertim angustior, vix 1½ lin. longa. Species pulchra et distincta. Tota, etiam alis, pallide flava, oculis solis nigris. Caput albido-flavum, nitidum, glabrum, oculis et in vivis et in mortuis, nigris; mandibulis apice piceis; punctis stemmatum lucidis brunneis. Antennae thorace parum breviores (longiores quam in *Tenthr. simplici*), filiformes, nudae, flavae, in ♀ interdum fuscescentes. Thorax glaber, in dorso feminae saepe vestigiis macularum 3 brunnearum. Abdomen flavum, maculis aut strigis fuscis obsoletis supra saepe in mare. Alae in utroque sexu pallide flavae, nervis et costa concoloribus. Pedes pallidi, tarsis feminae saepe fusco-annulatis.

*Obs.* *T. ventralis* PANZ. et *T. affinis* FALL. in Lapponia vix leguntur.

** Abdomine nigricante (antennis subfiliformibus).

**5. T. ovata:** brevis, crassa, nigra, thoracis profunde punctati lobo intermedio rufo, tibiis sericeo-nitentibus. ♀.

LINN. Fn. Sv. 1553. PANZ. Fn. Germ. 52. t. 3. ♀. KLUG Die Blattwespen etc. 110. 54. ♀. *Hylotoma ovata* FABR. Piez. 27. 25. FALL. Act. Holm. 1807. 206. 14. ♀. *Phyllotoma ovata* FALL. Mon. Tenthred. 31. 10. ♀.

Hab. in Lapponiae inferioris Alno, rarius. (Lapp.; Ostrogothia, Scan. freq.)

*Fem.* *Tenthr. spinarum* vix longior, sed crassior, ovata, gibba. Nigra. Caput et thorax scabro-punctata, hic dorso rufus. Alae nigro-nervosae. Pedes nigri, genubus tibiisque anticis saepe sordide albidis. Mas ignotus, nisi marem *T. nigritae* provocare velis. — Larva virescens, albo-pulverulenta. Pupa intra folliculum duplicem, teste FABRICIO. — *Tenthr. ephippium* FABR. nigra, thorace rufo, laevi, tibiis albis, huic affinis, duplo minor, an Lapponiae incola? In adjacenti Nordlandia parce, Wermelandia frequenter a me visa.

**6. T. Morio:** antennis breviusculis, subpubescens, nitida, nigra, alis obscuris pedibus omnibus totis luteis. ♂♀.

FABR. Piez 36. 31. PANZ. Fn. 49. 17. *Hylotoma morio* FALL. Act. Holm. 1807. 208. 19. ♂♀. *Phyllotoma morio* FALL. Mon. Tenthred. 34. 14. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Lapponiae sylvaticae, rarius. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Parva, circiter 2 lin. longa, angustata, nigra, antice subpubescens. Antennae filiformes pubescentes. Vertex rugulosus. Alae fuscedine tinctae, nigro-nervosae. Pedes omnes flavo-lutei, coxis tarsisque subinfuscatis.

**7. T. aethiops:** antennis mediocribus, subpubescens, nitida, nigra, alis obscuris, genubus tibiisque sordide albidis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. Antennae validiusculae. Alae obscurae. Pedes nigri, genubus, tibiis tarsisque 4 anterioribus sordide albidis; freq.

FABR. Piez. 39. 49. *Hylotoma aethiops* FALL. Act. Holm. 1807. 209. 20. ♂♀. *Phyllotoma aethiops* FALL. Mon. Tenthred. 33. 13. ♂♀.

Var. b. ♂♀. in copula. Saepe paullo major. Antennae filiformes. Alae obscurae. Pedes nigri, genubus tibiisque omnibus albidis, tarsis fuscis. ♂ rarius, ♀ freq.

Var. c. ♂♀. Corpus et pedes ut in var. b. Alae hyalinae fuscedine parum tinctae; rariss.

Var. d. ♂♀. Corpus, pedes et alae ut in varietatib. a., b. et c. triplo et ultra minor; rariss.

Hab. in Lapponia; var. a. et b. die 28. Jul. in insula Hacksten prope Schiervoe Nordlandiae, frequenter; var. c. in ipso alpium Tornensium jugo medio mensis Julii, rarissime vidi, et var. d. tantum in Lapponia sylvatica legi. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedente et major et minor, nam maugnitudine variat. Antennae thorace paullo breviores, subfiliformes, extrorsum parum crassiores. Alae plerumque obscurae, in variet. c. et d. fere hyalinae, nervis semper nigris vel fuscis. Pedes nigri; tibiae magis vel minus albicant.

**8. T. spuria:** antennis mediocribus, subglabra, nitida, nigra, linea utrinque humerali in femina, tibiis tarsisque anterioribus in utroque sexu albis, alis hyalinis, nervis fuscis, areis duabus areae costali ultimae adnexis. ♂♀.

Hab. in Nordlandia Norvegica rarissime, duo tantum specimina inveni, unicum masculum ad Hacksten prope Schiervoe d. 28. Jul., alterumque femineum ad Björkvik prope Ofotenfjord die 14. Jul. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* et *Fem.* Majoribus individuis femineis *Tenthr. aethiopis* longitudine aequalis, paullo angustior, nigra, nitida, antice oculo armato subpubescens. Antennae thorace parum breviores, filiformes, articulis distinctis. Palpi longi, fusci. Thorax niger, linea utrinque humerali elevata in femina squamaque antealari in mare, albidis. Abdomen nigrum nitidum. Pedes nigri, tibiis tarsisque 4 anterioribus albidis; femorum anticorum apex quoque albescit. Alae hyalinae, nervis obscuris. In affinibus speciebus areae tres areae costali ultimae geminae adjacent, sed in hac specie areae tantum duae ultimae appropinquant.

**9. T. intercus:** antennis mediocribus filiformibus glaberrima, nitida, nigra, alarum basi albido-nervosa, geniculis, tibiis tarsisque pallidis. ♀.

*Hylotoma intercus* FALL. Act. Holm. 1808. 46. 22. ♂♀. *Nematus intercus* PANZ. Fn. 90. f. 11. *Phyllotoma intercus* FALL. Mon. Tenthred. 35. 17. ♂♀.

Hab. in Nordlandia, rarissime; ad Björkvik d. 14. Jul. in Betula inveni. (Lapp.-Blekingia, Scan. rar.)

*Fem.* Inter minores generis, minimis *T. aethiopis* speciminibus parum major, glaberrima, nitida. Antennae thorace parum breviores, filiformes. Alae juxta basin et squama antealaris distincta, albida. Punctum stigmaticale fuscum, a quo fascia transversa, fusca, obsoletissima ad marginem alae interiorem ducitur. — Pedes nigri, geniculis, tibiis tarsisque albidis.

**10. T. Cerasi:** antennis mediocribus, filiformibus, subglabra, nitida, nigra, puncto utrinque ante alas albido, pedibus flavis, tarsis fuscis, alis hyalinis, costa et puncto stigmaticali, nigris. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 1547. (scutello in nostris individuis semper nigro). *Hylotoma Cerasi* FALL. Act. Holm. 1808. 46. 21. ♀. *Phyllotoma Cerasi* FALL. Mon. Tenthred. 35. 16. ♀.

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime, ad Björkvik et Giebostad Nordlandiae 14—22. Jul. uterque sexus a me captus. (Lappon.; Ostrogoth.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Longitudo *T. aethiopis* var. a., angustior, minus pubescens. Antennae thorace paullo breviores, filiformes. Alae hyalinae, nervo costali et puncto stigmaticali nigricantibus. Pedes flavi, tibiarum posteriorum apice tarsisque fuscis.

**11. T. pygmaea:** antennis brevibus, glabra, nitida, nigra, tibiis tarsisque flavis, alis subhyalinis, nervo costali punctoque stigmaticali distincto, fuscis, areis duabus areae costali ultimae adjacentibus. ♂♀.

*Tenthred. pygmaea* KLUG Die Blattwespen etc. p. 121. 55. ♀. forte eadem.

Hab. in Lapponia Norvegica, rarius; in fol. Betulae albae in Raschstind ad Schiervoe Nordlandiae d. 28. Jul. inveni. (Lapp.-Olandia, Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Minima nostratum, vix lineam longa. Caput latum, compressum, glabrum, nitidum, nigrum. Antennae supra os insertae, thorace multo breviores, filiformes, nigro-fuscae. Thorax et abdomen glabra, nitida. Alae subhyalinae seu fuscedine parum tinctae, nervis, costa et puncto stigmaticali magno distincto, nigrofuscis. Pedes nigri, geniculis, tibiis tarsisque flavo-testaceis.

***Obs.*** *T. ephippium* FABR., *T. nemoralis* FALL., *T. vagans* FALL., et *T. nigrita* FABR. in Lapponia hactenus non observatae, in Suecia inferiori passim occurrentes.

B. Maiores (Abdomine flavo-cingulato).

**12. T. marginella:** antennis extrorsum subcrassioribus, nigra, ore, linea ante alas, pectoris maculis, abdomine lateribus segmentorumque margine, pedibusque latere antico, flavis. ♂♀.

***Mas:*** ventre toto flavo, immaculato.

***Fem.:*** ventre flavo, nigro-fasciato; in copula.

FABR. Piez. 29. 2 PANZ. Fn. 64. t. 7. ♀. FALL. Mon. Tenthred. 43. 9. ♂♀. KLUG Die Blattwespen etc. 157. 104.

Var. a. ♂. Antennarum articulus primus subtus, scutelli puncta 2, unum ante alterum, abdominisque segmenta dorsalia omnia, praeter secundum, margine, flava.

Var. b. ♀. similis var. a., antennis totis nigris.

Var. c. ♂. Antennarum articulus primus subtus flavus, scutelli punctum minutum, abdominis segmenta dorsalia omnia, praeter secundum, margine tenuiter, flava.

Var. d. ♀. similis var. c., antennis totis scutelloque nigris.

Var. e. ♂♀. Antennae scutellumque nigra, abdominis segmentis 1., 4. et 5. margine flavis.

Var. f. ♂. Antennae, scutellum abdominisque dorsum, nigra, segmentis lateribus tantum flavis.

Hab. in Lapponia per partem sylvaticam, subsylvaticam et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque mensib. Jul.—Aug., frequentissima; varietatem a., b., c., d. in Lapponia Suecica, var. f. in Nordlandia, et var. e. tantum in alpe Skaaddavaara prope Alten Finmarkiae legi. (Lappon.-Scan. var. a., b., c., d. freq.)

***Mas.*** et ***Fem.*** Major in hoc genere, circiter 5. lin. longa, nigra, antice subpubescens. Antennae breves, nudae, articulo primo piloso. Clypeus, labium et palpi flava. Pectus nigrum, maculis albidis. Pedes flavi, linea latere postico nigra, tarsis posticis saepe fuscis. Alae variant magis vel minus flavedine subtinctae, in speciminibus alpinis fere hyalinas. Nervulus transversus, qui aream costalem ultimam dividit, oblique ducitur, et areolae tres huic areae adjacent.

**13. T. rustica:** antennis extrorsum subcrassioribus, nigra, ore, linea antealari, abdominis fasciis tribus in femina, pedibusque in utroque sexu flavis, femorum posticorum apice late, tibiisque nigris. ♂♀.

***Mas:*** Pedes flavi, posticorum coxis ad medium, femorum apice late, tibiis tarsisque nigris, macula tibiarum superne ante apicem, tarsisque 3 intermediis albis, linea antealari obsoleta.

***Fem.:*** Pedes flavi, posticorum coxis ultra medium, femoribus apice, tibiis tarsisque nigris, macula tibiarum superne ante apicem albida. Abdomen fasciis tribus in segmentis 1, 5 et 6 anoque flavis, fascia prima integra, secunda tertiaque interruptis.

LINN. Fn. Sv. 1543. ♀. FABR. Piez. 30. 6. ♀. FALL. Act. Holm. 1808. 49. 2. ♂♀. et Mon. Tenthred 39. 2 ♂♀. KLUG Die Blattwespen etc. 143. 88. ♂♀. *Tenthred. notata* PANZ. Fn. 64. 10. ♀. *Tenthr. carbonaria* FABR. Piez. 30. 7. ♂♀. (exclus. Syn. LINN.) PANZ. Fn. 71. t. 10. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica rarius. (Lapp.-Scan. pass.)

***Mas.*** et ***Fem.*** Praecedente paullo longior. Antice subpubescens punctata. Clypeus, labium et palpi albida. Nervi alarum ut in priori directi.

**14. T. fasciata:** antennis filiformibus, nigra, articulo primo, ore, linea antealari, abdominis segmentis primo margine, et quinto toto, pedibusque laete flavis, posticorum femorum tibiarumque apice tarsisque, nigris. ♂♀.

***Mas:*** abdomine subtus flavo.

***Fem.:*** abdomine subtus nigro, cingulo flavo; in copula.

FALL. Act. Holm. 1808. 51. 6. ♂♀. et Mon. Tenthred. 44. 11. ♂♀.

Hab. in Lapponia rar. (Lapp.-Scan. pass.)

***Mas.*** et ***Fem.*** *Tenthredine rustica* fere duplo minor, brevior nigra, antice subpubescens, parum punctata. Pictura corporis colore pulchro, citrino. Directio nervorum in alis ut in *Tenthred. marginella*.

**15. T. bicincta:** antennis filiformibus, nigra, ore, abdominis segmentis tertio toto, quarto lateribus, pedibusque ex parte, laete flavis. ♂♀.

***Mas:*** subtus pallidus, pectore scilicet et ventre totis flavissimis. Pedes flavi, anteriores linea superne nigra, postici supra toti nigri.

***Fem.:*** subtus nigra. Pedes flavi, femorum anteriorum latere postico, femoribus posticorum totis, tibiarum apice tarsisque nigris; in copula.

LINN. Syst. Nat. 2. 925. 31. ♀. FALL. Act. Holm. 1808. 2. 8. ♂♀. et Mon. Tenthred. 40. 4. ♂♀. *Tenthred. cincta* FABR. Piez. 29. 3. (exclus. Syn. LINN.) PANZ. Fn. 64. 8. ♀. *Tenthredo semicincta* PANZ. Fn. 52. t. 13. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. freq.)

***Mas.*** et ***Fem.*** Magnitudo *Tenthr. rusticae*. Antice subpubescens, parum punctata. Antennae filiformes, paullo longiores, quam in prioribus. Frons canaliculata. Os totum flavum. Anus testaceus. Alae praesertim in femina fusco-tinctae, puncto stigmaticali nigro. Nervi ut in proxime praecedentibus directi

**16. T. togata:** antennis filiformibus, cylindrica, nitida, nigra, abdominis segmento primo macula, quintoque toto in femina albis, tibiis in utroque sexu testaceis, basi albis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. femoribus nigris

FABR. Piez. 32. 14. certe. FALL. Act. Holm. 1808. 10. var. β. ♀. et Monogr. Tenthred. 41. 5. ♀. *Tenthred. cincta* LINN. Fn. Sv. 1556.

Var. b. ♀. femoribus rufis.

FALL. l. c. var. β.

Hab. in Lapponia; var. a. forte rarissima; var. b. tantum in silva acerosa ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 4. Jul. inveni. (Lapponia; Ostrogothia; Olandia, Scania, var. a. passim, var. b. rariss.)

***Mas.*** et ***Fem.*** *Tenthr. marginella* vix brevior, sed multo angustior, subcylindrica, nitida, antice parum pubescens. Caput convexum. Antennae thorace paullo breviores, filiformes, validae, in ♂ compressae, nudae. Os in speciminibus lapponicis in utroque sexu totum nigrum. Punctum ante alas unicum et 2 infra scutellum, alba. Macula in segmento abdominis primo triangularis et fascia lata in segmento quinto feminae, albis; maris segmento eodem nigro. Alae in utroque sexu hyalinae, puncto stigmaticali nigro, interius albo-terminato. Nervus transversus, qui aream costalem ultimam transit, non tam oblique ductus ac in praecedentibus, nec nisi 2 (non 3) areae illi ultimae adjacent. Pedes in var. a nigri, tibiis tarsisque testaceis, genubus anterioribus, tibiarum posticarum basi (praesertim in ♀) et coxarum apice albissimis. In var. b. pedes toti luteo-testacei, coxis et femorum anteriorum basi nigris, basi vero posticorum albida.

***Obs.*** Varietates α. et γ. *T. togatae* FALL. l. c., in Lapponia non vidi, nec ibi *T. Scrophulariae* LINN., *T. Viennensis* PANZ., *T. rufipes* LINN., et *T. 3-cincta* ac *zonata* FALL., occurrunt.

***Subdiv.*** 2. Antennae thoracis longitudine aut illo longiores, setaceae aut subfiliformes

A. Abdomine nigro rufo-cingulato.

° Antennis setaceis, albo-annulatis.

**17. T. livida:** nigra, antennarum annulo ante apicem, clypeo abdominisque macula utrinque in primo segmento, albis, ano rufo aut nigro, pedibus rufescentibus. ♂♀.

Var. a. ♂♀. Abdominis apice livido-ferrugineo.

LINN. Fn. Sv. 1557. ♂. FABR. Piez. 33. 21. ♂. PANZ. Fn. 52. t. 6. ♂. etiam *Tenthred. Carpini* PANZ. Fn. 71. f. 19. ♂. certe. *Tenthred. Maura* var. FALL. Act. Holm. 1808. 55. 11. et Mon. Tenthred. 45. 12. ♂♀.

Var. b. ♀. Abdomine nigro, apice concolore.

*Tenthred. Maura* FABR. Piez. 33. 19. ♀. FALL. Act. Holm. l. c. var. α. ♀. *Tenthred. livida* LINN. Fn. Sv. 1557. descriptio. ♀. *Tenthred. Fagi* PANZ. Fn. 52. t. 14. ♀.

Hab. in Lapponia rarius: procedit usque ad alpes et in alpe Skaaddavaara prope Alten Finmarkiae d. 7. Aug. parce lecta. (Lapp.-Scan. freq.)

***Mas.*** et ***Fem.*** Magna, *Tenthr. marginella* duplo major. Nigra, antice parum pubescens. Caput canaliculatum. Antennarum articuli 2. 1. 3. ante apicem, et clypeus late, alba. Abdomen aut totum nigrum in femina var. b., aut in var. a basi nigrum in medio et subtus in mare lividum, apice ferrugineum, aut denique in ¼ basi nigrum, segmentis 5 ultimis rufo-ferrugineis. Puncta 2 basalia alba in omnibus varietatibus adsunt. Pedes rufescentes, latere postico, coxis omnibus tarsisque posticis nigris, pedes vero antici latere antico albescunt. Nervus alarum medius, qui aream costalem ultimam transit, sat curvus est, et 3 areae aream hanc attingunt.

**18. T. rufiventris:** nigra, antennarum annulo ante apicem, clypeo, thoracisque lobi lateralis margine, albidis, abdomine pedibusque rufescentibus. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pectore rufo, femoribus posticis rufescentibus.

Var. b. ♀. pectore nigro, femoribus posticis rufescentibus.

FABR. Piez. 33. 20. PANZ. Fn. 55. t. 6. FALL. Act. Holm. 1808. 56. 12. et Mon. Tenthred. 46. 13. KLUG Die Blattwespen etc. 170. 118. ♀.

Var. c. ♀. pectore nigro, femoribus posticis nigricantibus.

Hab. in Lapponia mens. Jun. — Aug. passim rarius;

var. a. et b. in Lapponia sylvatica ad Kengis, Juckasjervi et Muonioniska legi; var. c. longius procedit, et individua quaedam hujus in summo alpium Tornensium jugo, in nive ambulantia, d. 12. Jul. inveni. (Lappon.-Finlandia, Scania freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo et affinitas praecedentis. Antennarum articuli 4 l. 5 ante apicem, clypeus, genae et saepe orbita inferior, alba. Abdomen rufum. Pectus rufum vel nigrum. Pedes cum coxis in var. a. rufi, linea in latere postico nigra, ut etiam in var. b. et c., ibi vero coxae nigrae. In var. c praeterea femora postica tota nigra. Nervi alarum ut in priori directi.

**19. T. Soror:** nigra, antennarum apice, clypeo, orbita oculorum inferiori lineaque antealari, albidis, abdominis medio pedibusque rufis, his linea latere postico nigra. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime, non nisi unicum specimen masculum in alpe Lyngentind Nordlandiae septentrionalis d. 26. Jul. invenire mihi contigit. (Lapponia.)

*Mas.* Praecedente duplo minor, abdominis colore ab illa inprimis distincta. Caput ut in priori. Clypeus vero albus, nigro-maculatus. Antennarum articuli 5, 6, 7, 8 et 9 albi. Thorax niger, alarum tegula et lobi lateralis margine utrinque, flavo-albidis. Scutellum nigrum. Abdomen rufum, nitidum, segmento primo toto, secundo basi, penultimo margine et ultimo toto, nigris. Alae hyalinae, puncto stigmaticali distincto fusco, absque macula alba interius. Nervi ut in priori directi. Pedes rufi, coxis anticis antice albis, posterioribus latere antico rufescentibus; linea nigra in latere postico omnium pedum adest.

*Obs.* *T. tibialis* PANZ. et *T. lividiventris* FALL., incolae Sueciae, in Lapponia mihi non obviae.

°° Antennis setaceis aut subfiliformibus, immaculatis.

**20. T. Abietis:** antennis subfiliformibus, cinereo-villosa, opaca nigra, abdominis segmentis 2., 3., 4. (♂.) et 2., 3., 4., 5. (♀.) undique pedibusque anticis rufis, alarum areis duabus areae costali ultimae adnexis. ♂♀. Major.

FABR. Piez. 32. 14. ♀. PANZ. Fn. 65. 3. certe. LINN. Fn. Sv. 1546. FALL. Act. Holm. 1808. 58. 16. et Monogr. Tenthred. 48. 17. ♂♀. *Tenthred. tristis* FABR. Piez. 39. 50. eadem videtur.

Hab. in Lapponia forte rarius, Collect. DD. KOLSTRÖM et DEUTSCH. (Lappon.; Uplandia-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magna et robusta praesertim femina, quae *T. lividam* (No. 17) magnitudine fere aequiparat. Caput convexum, punctatum, villosum, nigrum. Antennae longitudine thoracis, nigrae nudae, articulo primo piloso. Thorax punctatus, villosus, niger. Abdomen nitidum nigrum, segmentis 2, 3, 4 plerumque in mare, et 2, 3, 4, 5 plerumque in femina rufis. Alae subhyalinae, nervis et inprimis puncto stigmaticali obscuris. Nervus, qui aream ultimam costalem transit, subrectus. Areae tantum duae huic areae adjacent, interiori juxta costam exteriori triplo et ultra minori. Pedes nigri, antici saepe toti, intermedii genubus tibiisque plerumque rufis.

**21. T. analis:** antennis subfiliformibus, punctata, cinereo-pubescens, opaca nigra, abdominis segmentis mediis undique tibiisque anticis rufis, alarum areis duabus ultimae costali adnexis. ♂♀. Minor.

Var. a. ♂. Alis hyalinis, nigra, abdominis segmentis 2., 3., 4. undique, geniculis tibiarumque basi pedum anticorum rufis.

FABR. Piez. 33. 14. *Tenthred. tristis* PANZ. Fn. 98. t. 11. (exclus. Syn FABR.)

Var. b. ♂. Alis hyalinis, nigra, abdominis segmentis 2., 3., 4., 5. undique, genubus tibiisque anticis, rufis. *Tenthred. analis* FALL. Act. Holm. 1808. 59. 19.

Var. c. ♂. Alis nigricantibus, nigra, abdominis segmentis 2., 3., 4., 5. undique, genubus tibiisque anticis, rufis. An *Tenthred. Abietis* LINN. Fn. Sv. 1546. var.?

Var. d. ♀. Alis nigricantibus, nigra, thorace lobo antico, collari, abdominis segmentis 2., 3., 4., 5. undique, genubus tibiisque anticis, rufis.

Hab. in Lapponia sylvatica tota aestate frequens; var. a., b. et c. in Salice, in graminosis locis aridis, in campis apricis, nec non in arenosis ad ripas fluminum, ex. gr. ad Hapalxylä in paroecia Öfver-Torneå, ad Wittangi et Juckasjervi, mensib. Majo — Julio, copiose vidi; occurrit etiam parcius in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, et var. a. et b. in sylva ad Alteidet d. 1. Aug. a me visa. Var. d. magis diversa, ad Öfver-Torneå et Wittangi Lapponiae Tornensis, ut et ad Björkvik Nordlandiae rarius lecta. (Lapp.-Scan. var. a. b. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedenti similis et affinis, sed diversa: duplo et ultra minor, minus villosa et pedibus magis nigricantibus, vix nisi tibiis anticis rufis. Directio nervorum in alis omnino ut in priori, a qua igitur non multo discrepat. — *Tenthr. opacae* infra (No. 33) etiam valde affinis. —

**22. T. pratorum:** antennis subfiliformibus, punctata, cinereo-subpubescens, opaca, nigra, abdominis segmentis 2., 3., 4., 5., 6. undique, femoribus tibiisque rufis, alarum areis duabus ultimae costali adnexis. ♂♀.

FALL. Act. Holm. 1808. 64. 27. ♀.

Hab. forte rariss. in Lapponia secund. collectiones DD. DEUTSCH et KOLSTRÖM, mihi ibi non obvia. (Lapp., Ostrogothia pass., Scania freq.)

*Mas.* et *Fem.* Affinis praecedenti, sed fere minor, pedum colore abdominisque pictura praesertim distincta. Caput et thorax nigra, punctata, breviter villosa, opaca. Abdomen nitidum, nigrum, segmentis 2, 3, 4, 5 et 6 totis rufis. Alae hyalinae, nervis et puncto costali obscuris. Pedes rufi, coxis, tibiarum summo apice tarsisque nigricantibus.

**23. T. quadricincta:** antennis subfiliformibus punctata subpubescens, opaca nigra, abdominis segmentis 2., 3., 4., 5., geniculis tibiisque rufis; alarum areis duabus costali ultimae adnexis. ♂.

Hab. in graminosis Finmarkiae, ad Bossekop prope Alten 2 specimina mascula d. 5. Aug. legi. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* *Tenthr. anali* affinis et similis, sed duplo minor et diversa. *Tenthr. rufo-cinctae* FALL., colore quoque similis, sed illa est longe alia, dimidio longior, glabrior, alarum areis duabus areae costali ultimae adjacentibus aequaliter magnis instructa, nec in Lapponia occurrit. Caput convexum, nigrum, punctatum, cinereo-pubescens. Antennae longitudine thoracis, filiformes, nigrae, nudae. Thorax niger, punctatus, subpubescens. Abdomen nitidum, glabriusculum nigrum; segmentis 2, 3, 4, 5 undique rufis. Alae hyalinae, nervis et puncto stigmaticali fuscis. Directio nervorum ut in proxime praecedente. Pedes nigri, femorum anteriorum apice tibiisque omnibus rufo-testaceis.

**24. T. bizonata:** antennnis filiformibus, subtiliter punctulata, nitida, parum nigro pubescens, nigra, clypei summo apice albo, abdominis segmentis 5., 6. undique pedibusque rufis, alarum areis tribus areae costali ultimae adnexis. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in Raschstind prope Schiervoe Nordlandiae septentrionalis d. 28. Jul. semel lecta. (Lapponia Norvegica.)

*Fem.* Longitudo fere *Tenthr. analis*, sed angustior; statura omnino *Tenthr. rufo-cinctae*, sed paullo brevior, et colore pedum nervorumque in alis directione satis distincta. Caput convexum, subtiliter punctulatum, vertice rugis elevatis, breviter atropubescens, nigrum, clypei apice albo. Thorax subtiliter punctulatus, parum pubescens niger. Abdomen glabrum, nitidum nigrum, macula triangulari in segmento secundo obsoleta, albida; segmentis 5, 6 totis rufis. Alae hyalinae, fusco-nervosae, puncto stigmaticali fusco, distincto. Costa basi pallida, et tegula alba. Areae tres subaequales adjacent areae illi costali ultimae, quae per nervulum transversum rectum in duas dividitur. Pedes rufi, coxis omnibus tarsisque posterioribus nigricantibus.

**25. T. pavida:** antennis setaceis, laevis, glabra nigra, ore albido, pedibus rufis, abdomine vel nigro toto, vel in medio rufo; alarum areis tribus ultimae costali adnexis. ♂♀.

Var. a. ♂. Nigra, ore punctoque in coxis pedum posticorum albis; abdominis segmentis 3., 4., 5. undique pedibusque rufis, tarsis posticis fuscis.

FABR. Piez. 31. 13. FALL. Act. Holm. 1808. 61. 2. ♂.

Var. b. ♂. Similis var. a., linea flava ante alas aut absente aut praesente, femoribus omnibus superne nigro-lineatis.

Var. c. ♀. Tota nigra, clypeo punctisque coxarum albis, pedibus rufis, coxis omnibus, tibiarum posticarum apice tarsisque nigris.

Var. d. ♀. Similis var. c. abdominis segmentis 4., 5. dorso rufo-maculatis.

Var. e. ♀. Nigra, clypeo, macula ante alas punctoque coxarum albis, abdominis segmentis 3., 4., 5. pedibusque rufis, coxis omnibus, posticorum femoribus tarsorumque annulis nigris.

*Tenthred mandibularis* FABR. Piez. 34. 27.

Hab. in Lapponia mensib. Jul. — Aug. passim, ex. gr. ad Kengis et Muonioniska Lapponiae Tornensis, nec non Tromsoe ad Giebostad Nordlandiae; adscendit quoque in alpes et in Gamstenstind Lyngentind ac in summo alpium jugo var. b., c. et e. quoque inveni. (Lapp.-Scan. var. a., b., c., d. freq. Ostrogoth. var. e. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Summa *Tenthr. lividae* similitudo et affinitas, nec differt ab illa nisi antennarum corporisque colore alio. — "Larva viridis albo-pulverulenta, capite flavo. FABR.

**26. T. stigma:** antennis setaceis, glabra, nitida nigra, antennis subtus, ore, orbita oculorum, alarum stigmate, scutel-

lique punctis, albidis, abdominis medio pedibusque rufescentibus, alarum areis tribus costali ultimae adnexis. ♂♀.

*Mas:* angustior, antennis subtus distincte pallidis, abdominis dorso saepe nigricante.

*Fem.:* crassior, antennis subtus fusco-testaceis, abdominis segmentis mediis semper rufis.

Var. a. ♂. nigra, ore, antennis subtus, orbita oculorum, linea ante alas, scutelli punctis 3 longitudinaliter positis punctoque stigmatis albidis; abdominis segmentis 3., 4., 5., 6. lateribus, ventris antico pedibusque, rufis, coxis posterioribus nigris.

Var. b. ♂♀. sim. var. a., abdominis segmentis 3., 4., 5., 6. undique, praesertim in ♀, rufis, interdum tantum serie punctorum nigrorum in medio relicta.

Fabr. Piez. 42. 62. ♀. Panz. Fn. 89. t. 11. Fall. Act. Holm. 1808. 63. 25. ♂♀. *Tenthred. scutellaris* Fabr. Piez. 39. 51. ♂.

Var. c. ♂. sim. var. a., abdominis dorso toto infuscato, in medio lateribus parum rufescentibus.

Var. d. ♀. simil. var. b. femoribus posticis totis nigris.

Var. e. ♀. simil. var. d. linea flava ante alas nulla.

Hab. in Lapponia passim; var. a. tantum ad Björkvik Nordlandiae, et in summo alpium Tornensium jugo, in medio mensis Julii, parce lecta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Longitudo fere *T. pavidae*, sed angustior, praesertim mas. Pictura variat ut in diagnosibus indicatur. Alae hyalinae, puncto stigmaticali fusco, interius distincte albo-terminato. Varietates c. et d frequenter in Scandinavia occurrunt. Varietatem: pectoris lateribus albo-maculatis, a Cel. Fall. l. c. descriptam, in Lapponia non vidi; nec ceterae hujus Subdivisionis Scandinaviae incolae: *T. blanda* Fabr., *T. cylindrica* Panz., *T. rufo-cincta* de Geer, *T. agrorum* Fall., *T. Equiseti* Fall., et *T. flavicornis* Fabr., in Lapponia mihi obviae fuerunt. — ***T. dimidiatam*** **Fabr. in Lapponia habitare, testatur D. Doctor** Deutsch, medicus provincialis in Torneau.

B. Abdomine subtus aut virescente, aut albicante, aut flavescente.

**(Alarum areae tres costali ultimae adjacent. Corpus glabriusculum.)**

**27. T. Mesomelas:** antennis filiformibus, supra nigra, subtus flavo-viridis, alarum costa atra, pedum linea postica distincta, tarsisque nigris. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 1549. Fall. Act. Holm. 1808. 98. 28. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica Sueciae passim. (Lappon.-Scan. frequentiss.)

*Mas.* et *Fem.* **Magna, *T. pavidae* aequalis, paullo robustior. Supra nigra opaca, subpubescens. Puncta supra antennas, alarum tegula, macula ante alas, scutellum, puncta 1 vel 2 metathoracis abdominisque segmentorum margo, viridia. Subtus flavo-viridis, pectoris pedumque lineis latere postico tarsisque posticis, nigris. Antennae longitudine thoracis, filiformes, nudae, articulo primo crassiori praesertim distincte piloso. Alae hyalinae, costa et nervis nigricantibus. Nervulus areae costalis ultimae oblique et valde arcuatim ductus. Color post mortem magis flavescit.**

**28. T. viridis:** antennis subsetaceis, flavo-viridis, supra nigro-maculata, alarum costa viridi, pedum linea latere postico angustissima tarsorumque annulis, nigris. ♂♀.

Var. a. ♂♀. Abdominis dorso toto flavo-viridi, in ♂ immaculato, in ♀ leviter nigro-maculato.

Fabr. Piez. 40. 53. Fall. Act. Holm. 1808. 99. 29. ♂♀. Panz. Fn. 64. f. 2.

Var. b. ♂♀. Abdominis dorso toto nigro, lateribus anguste flavo-viridi.

Linn. Fn. Sv. 1554. Klug Die Blattwespen etc. 181. 133.

Hab. per omnes Lapponiae partes, mensib. Jun. — Aug., passim. Adscendit quoque in alpes et in summo alpium Tornensium jugo, in medio mensis Julii ♂ et ♀ var. a. in nive ambulantes parce legi. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* **Praecedenti affinis, plerumque paullo minor, magis pallida et distincta. Tota glaberrima, flavo-viridis. Antennae supra nigrae. Vertex litura nigra. Thoracis dorsum maculis 3 distinctioribus nigris. Abdomen supra aut totum flavum, aut plerumque maculis longitudinaliter positis, aut denique vitta lata longitudinali, nigris. Alae pallescentes, nigro-nervosae, nervis ut in priori directis; costa viridis, puncto stigmaticali interno pallido. Pedes virescentes, extus linea angusta nigra. Tarsi laete virides, nigro-annulati.**

**29. T. Rapae:** antennis setaceis, nigra, ore late, orbita oculorum, thoracis maculis, pectoris lineis, scutello, abdominis ventre lateribus, pedibusque latere antico albidis. ♂♀.

*Mas:* **antennis subtus, et ventris lateribus latius, albis.**

*Fem.:* **antennis totis nigris, ventris lateribus saepe anguste albidis.**

Linn. Syst. Nat. 2. 926. 35. ♂♀. Fabr. Piez. 41. 56. ♂. Fall. Act. Holm. 1808. 99. 30. Klug Die Blattwespen etc. 151. 96. ♂♀.

Hab. in Lapponia mens. Jun. Jul. haud raro. Procedit usque in regionem nivalem et in summo alpium Tornensium jugo a me lecta. In Nordlandiae maritimis rarius occurrit, nec nisi ad Björkvik pauca specimina vidi. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* **Duabus proxime praecedentibus triplo minor et ultra, et antennis longioribus, colore albido, nec flavo-viridi etc. distincta. Tibiae posticae variant interdum totae nigricantes; tarsi nigri. Directio nervorum in alis ut in prioribus, nervulo transverso areae costalis ultimae minus arcuatim flexo, quam in illis. — Varietas, quae in alpibus occurrit, femoribus posticis apice late, tarsisque totis nigris gaudet. Varietatem femineam femoribus rufis, in Suecia inferiori frequentem, in Lapponia non observavi.**

**30. T. lateralis:** nigra, antennis filiformibus subtus, clypeo, orbita oculorum, thoracis lobi antici margine, alarum tegula, pectoris maculis, ventris lateribus anoque flavo-albidis, abdominis segmentis 3., 4., 5. supra rufis, pedibus testaceis. ♂♀.

*Mas:* **fronte ventreque fere toto albidis, pedibus latere postico nigro-lineatis.**

*Fem.:* **fronte nigra, ventre nigro-lineato, pectore parum flavo-maculato, linea nigra pedum nulla, tarsis posticis tantum fusco-annulatis.**

Fabr. Piez. 35. 29. Panz. Fn. 88. 16. certe. Fall. Act. Holm. 1808. 100. 31. ♂♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, tantum in Collect. D. Grapei vidi. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* **Parva, *T. Rapae* duplo et ultra minor. Antennae vix thoracis longitudine, filiformes, nudae, nigrae, subtus albicantes. Alae hyalinae, fusco-nervosae, stigmate distincto, interius fusco-albo-terminato. — Affinis *T. stigma*, multo minor. Individua mascula in Suecia rarius occurrunt.**

**31. T. delicatula:** antennis filiformibus, glaberrima nitida, pallide flava, capite, thoracis dorso maculis tribus, et sterno, nigris, antennarum basi et ore brevi albidis, ano supra fusco. ♂.

Fall. Act. Holm. 1808. 122. 66. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime, non nisi in Betula alba insulae Dyroen Nordlandiae septentrionalis unicum specimen masculum d. 21. Jul. invenire mihi contigit, simillimum illi, quod in Ostrogothia deinde anno 1826. legi. (Lapponia; Ostrogothia rarissime.)

*Mas.* **Parva, gracilis, pulchra. Caput latum nigrum. Os breve, albidum. Antennae longitudine vix thoracis, filiformes, articulis 2 basalibus albidis, 3 et 4 elongatis fuscis, 5 et sequentibus brevioribus testaceis. Thorax glaberrimus, nitidus pallidus, dorso maculis 3 distinctis nigris. Pectoris latera albida. Sternum macula lucida nigra. Abdomen angustum, pallide flavum, ano supra infuscato. Alae pallidae, fusco-nervosae; punctum stigmaticale albidum, margine costali fuscum. Nervi ut in *T. Rapae* directi, nervulo transverso areae cost. ultimae omnino recto. Pedes toti pallide flavi. Femina ignota.**

**32. T. Ulmi:** antennis subsetaceis, flavo-lutea, alarum nervis concoloribus, oculis minutis, litura verticis, macula thoracis dorsali dilatata, abdomineque supra, nigris. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 1570? Fall. Act. Holm. 1808. 123. 67. ♂♀.

Hab. in Nordlandia septentrionali passim; in foliis Betulae albae ad Evenäs, nec non ad Giebostad in insula Senjen, d. 18—22. Jul. specimina quaedam utriusque sexus legi; mas semper rarior. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* **Species singularis et distincta. *T. Rapae* duplo minor. Tota glaberrima. Caput vesiculosum, flavo-albidum, mandibulis apice piceis. Vertex luteus, rugis in regione stemmatum elevatis nigris. Oculi minuti, subrotundi, nigri. Antennae longitudine thoracis, tenues, setaceae, articulis omnibus praeter 2 basales breves aequaliter fere longis; totae flavae. Thorax luteus, dorso toto nigro. Abdomen luteum, ano concolore, dorso nigropiceo. Pedes flavi, tibiarum posticarum summo apice, tarsorumque annulis infuscatis. Alae pallescentes, nervis parum infuscatis, puncto stigmaticali pallido immaculato. Directio nervorum omnino ut in praecedente. — Hujus speciei individua, quae in Suecia inferiori collecta vidi, dimidio majora abdominisque dorso minus late infuscato instructa fuerunt, in ceteris similia.**

C. Abdomine nigro, immaculato.

**33. T. opaca:** antennis subsetaceis, cinereo-villosa nigra antice punctulata, alis hyalinis, nigro-nervosis, areis duabus costali ultimae adnexis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. tota nigra, immaculata, pedibus concoloribus.

*T. nigra* LINN. Syst. Nat. 2. 925. 34. PANZ. Fn. 52. t. 11. ♂. FABR. Piez. 38. 44. *T. opaca* FALL. Act. Holm. 1808. 107. 42. *α*. ♂♀.

Var. b. ♂♀. tota nigra, genubus rubris.

FALL. l. c. var. *β*. *T. gonagra* FABR. Piez. 34. 28. PANZ. Fn. 64. t. 6. KLUG Die Blattwespen etc. 243. 241 ♂♀.

Var. c. ♀. nigra, pedibus concoloribus, thoracis lobo antico rubro.

FALL. l. c. var. *γ*. ♀. *T. opaca* FABR. Piez. 38. 42. PANZ. Fn. 52. t. 10. ♀. *T. haematodes* KLUG l. c. 242. 238. ♀.

Var. d. ♀. tota nigra, pedibus rubris, coxis, tibiarum posticarum apice tarsisque omnibus nigricantibus.

Hab. in floribus Salicis et praesertim in graminosis, campis, et locis apricis, tempore inprimis vernali, per totam Lapponiam Suecicam, ut etiam ad littora maris Nordlandiae Finmarkiaeque, ex. gr. ad Björkvik, Tromsoe et Alteidet, mens. Jun. et Jul., var. a. et b. vulgaris; adscendit quoque in alpes et in summo alpium Tornensium jugo individua varietatis a. in nive ambulantia mens. Jul. vidi. Var. d. tantum ad Muonioniska mens. Aug. legi, et var. c. rarissime in Lapponia sylvatica occurrit. (Lappon.-Scan., omnes varietates freq.)

*Mas.* et *Fem.* Media, plerumque 4 l. 5 lin. longa, variat tamen magnitudine et major et minor. Antice scabro-punctata, tota sericea nigra, aeneo-subnitens, parum opaca. Antennae validae, extrorsum setaceae, praesertim in mare. Alae hyalinae, nigronervosae, costa et puncto stigmaticali inprimis distinctis. Nervulus transversus ordinarius areae costalis ultimae omnino rectus, parum oblique ducitur; huic areae adjacent tantum duae aliae, quarum interior ad costam parva, subrotunda.

**34. T. glabrata:** antennis filiformibus, angusta, glabriuscula, nitida nigra, clypei apice testaceo, pedibus luteis, coxis concoloribus, tarsis posticis nigris, alis fuscedine tinctis, areis tribus costali ultimae adnexis. ♂♀.

FALL. Act. Holm. 1808. 108. 43. ♂♀.

Hab. in Lapponia D. GRAPE, mihi ibi non obvia. (Lapponia; Uplandia-Scania freq.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedente duplo et ultra minor, multo angustior. Antennae thoracis brevis longitudine, filiformes, nudae, nigrae, extrorsum subtus saepe subtestaceae. Caput et thorax parum pubescentia, laeviuscula, subnitida nigra, clypei summo apice et palpis fusco-testaceis. Abdomen elongatum, angustum, glabrum, nitidum nigrum. Alae fuscedine subtinctae, puncto stigmaticali fusco, distincto. Nervulus transversus areae costalis ultimae subrectus; huic areae tres aliae subaequaliter magnae adjacent. Pedes cum coxis lutei, tarsis posticis nigris. — Variat coxis dimidiatim nigris, qualis in Suecia inferiori saepe occurrit. —

**35. T. angustata:** antennis filiformibus, angusta, glabriuscula, nitida, nigra, clypeo concolore, antennis extrorsum testaceis, pedibus luteis, coxis nigris, alis hyalinis, areis duabus costali ultimae adnexis. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime; individuum tantum unicum masculum ad Finkrog in insula Reenoen Nordlandiae septentrionalis d. 25. Jul. detexi. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* Magnitudo, statura et affinitas praecedentis, paullo longior et vere distincta. Caput convexum, punctulatum, subpubescens, subnitidum nigrum, palpis fusco-testaceis. Antennae longitudine thoracis brevis, validae, filiformes, subcompressae, nigrae, articulis 5, 6, 7, 8, 9 ultimis testaceis. Thorax sublaevis, glabriusculus, nitidus, niger. Abdomen elongatum, glabrum, nitidum nigrum. Alae subhyalinae, puncto stigmaticali fusco distincto. Nervulus transversus areae costalis ultimae rectus; huic areae tantum duae aliae introrsum adjacent, unde a priori mox dignoscitur. Pedes lutei, tarsis omnibus concoloribus, coxis nigris.

**36. T. Alni:** antennis setaceis, crassa, glabra, nitida atra, capite, thoracis dorso, pedibusque anticis rufo-testaceis, alis obscuris, areis tribus costali ultimae adnexis. ♀.

LINN. Fn. Sv. 1571. FABR. Piez. 31. 12. FALL. Act. Holm. 1808. 109. 46. KLUG Die Blattwespen etc. 131. 74. ♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Bossekop prope Alten et in sylva betulina ad Alteidet Finmarkiae d. 1—3. Aug. individua aliquot feminea legi; forte etiam in Alnetis et Betuletis Lapponiae Suecicae occurrit. (Lapponia; Uplandia passim, Gottlandia et Ostrogothia freq.)

*Fem.* *Tenthr. opaca* paullo brevior, sed crassior, statura *T. ovatae.* Caput et thorax laevia, glabra, rufo-testacea, oculis, metathorace et pectore nigris. Antennae thorace longiores, setaceae, fusco-testaceae, interdum nigricantes. Alae fusco-hyalinae, nervis nigricantibus. Areae tres, interior parva, subrotunda, areae costali ultimae adjacent. Nervulus transversus ordinarius subcurvatus. Abdomen breve, crassum, nigrum, caeruleo-micans. Pedes nigri, femoribus anticis fere totis, tibiis tarsisque rufo-testaceis. Mas ignotus.

*Obs.* *T. fuliginosa* FALL. et *T. tenera* FALL. hujus Subdivisionis, in Lapponia a me non visae.

## D. Abdomine nigro, leviter albo-picto.

**37. T. guttata:** antennis filiformibus validis, glabriuscula, laevis, nitida nigra, thoracis linea antealari, abdominis segmentorum dorsalium guttis et margine tenuissime, tibiisque anterioribus latere antico, albidis, alis hyalinis, areis tribus costali ultimae adnexis. ♂♀.

FALL. Act. Holm. 1808. 105 39. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica rarissime. (Lapp.-Westrogoth. rar., Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Parva, *T. opaca* duplo et ultra minor. Antennae thorace brevi paullo longiores, filiformes, validae, subcompressae, nigrae. Caput et thorax nigra immaculata, excepto thoracis lobi antici margine albido. Alae hyalinae, fusco-nervosae. Abdomen elongatum, nigrum, segmentorum margine tenuissime albo; in singulo segmento praesertim anteriorum gutta utrinque transversa flavo-albida conspicitur. Pedes nigri, anteriorum latere antico albido.

**38. T. candidata:** antennis filiformibus, glabriuscula, laevis, nitida nigra, clypeo, linea antealari, maculis pectoris, abdominis segmentorum dorsalium guttis et margine tenuiter, tibiisque albidis, alis hyalinis, areis tribus costali ultimae adnexis. ♀.

FALL. Act. Holm. 1808. 105. 40. ♀.

Hab. in Lapponia Suecica rarissime, unicum tantum specimen ad cataractam Wackokoski, quae limitem Pini Abietis efficit, in Lapponia Tornensi, d. 5. Jul. invenire mihi contigit. (Lapponia; Westrogothia rarissime.)

*Fem.* Magnitudo praecedentis eique affinis et valde similis, sed certe distincta, magis picta, clypeo scilicet et maculis pectoris etiam albidis. Pedes quoque omnes albidi, femoribus tantum in medio tibiarumque apice nigricantibus. Antennae praeterea breviores et tenuiores sunt quam in praecedente, cum qua et directione nervorum in alis et ceteris convenit. Mas ignotus.

*Obs.* *T. 12-punctata* LINN., *fera* FABR., *Punctum* FABR., *Comma* FALL., *cingulata* FABR., *albipuncta* FALL., *pulverata* DE GEERI, et novae species, ad hanc subdivisionem pertinentes, in Suecia inferiori collectae, in Lapponia nondum detectae, quantum novi.

## E. Abdomine pallido.

**39. T. germanica:** antennis filiformibus, nigra, antice punctata, villosa, thoracis antico abdomineque rufis, alis obscure hyalinis, costa punctoque stigmaticali nigris, areis duabus costali ultimae adnexis. ♀.

Var. a. ♀. nigra, pedibus concoloribus, thoracis collari abdomineque toto, rufis.

FABR. Piez. 33. 18.

Var. b. ♀. nigra, pedibus concoloribus, thoracis dimidietate antica abdomineque (primo segmento interdum excepto) toto rufis.

Var. c. ♀. nigra, pedibus concoloribus, thorace antice ultra medium abdomineque toto, rufis. Thorax in hac varietate rufus est, scutello, metathorace, pectoris latere postico sternoque nigris.

Var. d. ♀. nigra, pedum anticorum genubus late rufo-testaceis, collari, thoracis dorso antico abdomineque rufis, primo segmento anoque supra infuscatis.

Var. e. ♀. simillima var. d. tantum thorace antice macula rotunda nigra

*T. germanica* FALL. Act. Holm. 1808. 114. 53. ♀. var. — *T. pedestris* PANZ. Fn. Germ. 82. t. 11. ♀.

Var. f. ♀. nigra, thoracis antico, abdomine, praeter primum segmentum, toto, pedibusque rufis, coxis, femorum basi magis vel minus late, tibiarum apice tarsisque nigricantibus; macula thoracis antica nigra aut abest aut adest.

Hab. in floribus Salicis, nec non in graminosis, plerumque in vicinitate fluminum, per partem sylvaticam Lapponiae, mens. Jun. et Jul. frequenter, praesertim var. b., c., d. et e. — Supra Juckasjervi eam non vidi, nec in Nordlandiae Finmarkiaeque inferalpinis mihi obvia fuit. (Lapp. Scan. freq.)

*Fem.* Magnitudo, statura et summa similitudo *T. opacae*, nec differt ab illa nisi colore. Antennae quoque in *T. germanica* paullo breviores et magis filiformes videntur. An igitur tantum ejus varietas magis picta? Alter sexus ignotus, nisi provocare velis *T. opacae* marem, cum quo feminam var. a hujus speciei copula junctam semel vidi.

**40. T. nassata:** antennis elongatis setaceis, glabra, laevis, livido-testacea, capite (vertice excepto), pectore scutelloque pallidis, alis pallescentibus, areis tribus costali ultimae adnexis. ♂♀.

*Mas:* elongatus, linearis, antennarum articulis 2 basalibus supra, vertice, thoracis maculis tribus abdominisque segmentorum basi lineolis transversis interruptis, nigris.

*Fem.:* brevior, vertice thoracisque dorso luteis, abdominis dorso serie longitudinali macularum triangularium nigrarum.

Linn. Syst. Nat. 2. 926. 38. ♀. Fabr. Piez 41. 59. ♀. Panz. Fn. 65. 2. ♂. Fall Act. Holm. 1808. 116 56. ♂♀. *Allantus Tiliae Fem.* Panz. Fn. 91. t. 13. varietas feminea hujus videtur.

Hab. in Lapponia teste D. Portin, forte vero rarissime, nam mihi ibi non obvia. (Lapponia; Uplandia-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* *Tenthr. stigmati* (No. 26 supra) valde affinis et similis, et vix nisi pictura differt. *Mas:* Caput pallide flavum, oculis et macula verticis nigris. Antennae longiusculae, testaceae, articulis 2 basalibus supra nigris. Thorax pallide flavus, dorso testaceo, maculis 3 nigricantibus. Abdomen elongatum, lineare, rufo-testaceum, supra segmento primo obscuro, secundo pallido, et reliquis basi lineolis transversis interruptis nigris. Alae pallescentes, stigmate fusco, interius albo-terminato. Nervi ut in *T. stigmate* directi. Pedes testacei, tarsis posticis dilutioribus. *Femina:* mari similis, brevior, abdomine crassiore. Vertex et thoracis dorsum lutea. Abdomen supra macula media triangulari in singulo segmento nigra.

*Obs.* *T. gibbosa* Fall. e Finlandia, nec non Sueciae incolae: *T. elegantula* Fall. et *tarsata* Zetterst. Act. Holm. 1819, in Lapponia non inventae fuerunt, quantum mihi cognitum est.

## *Sectio Secunda. Alae superiores area costali ultima simplici h. e. nervulo transverso nullo divisa.*

***Subdiv.* 1.** Corpore nigricante.

A. Abdomine nigro, subimmaculato.

* Alarum areis tribus costali ultimae adnexis.

**41. T. septentrionalis:** antennis setaceis, glabra, nigra, abdominis medio rufo, tibiis basi albis, tibiarum posticarum apice et metatarso, dilatatis, compressis, nigris. ♂♀.

Var. a. ♂♀. minor. Pedes rufi, tibiarum omnium basi tarsisque anteriorum albidis, tibiarum posteriorum apice tarsisque totis nigris.

Linn. Fn. Sv. 1558. certe. Fabr. Piez. 42. 63. Panz. Fn. 64. t. 11. Fall. Act. Holm. 1808. 60. 21. ♂♀.

Var. b. ♀. duplo major, crassior, femoribus in primis posterioribus nigris.

Fall. l. c. var.

Hab. in Lapponiae sylvaticae Betuletis et Ulnetis rarissime; var. b. tantum in foliis Betulae albae ad Karesuando Lapponiae Tornensis d. 15. Aug. inveni. (Lappon. Scan. pass. var. a. et b.)

*Mas.* et *Fem.* Var. a. magnitudine fere *T. germanicae*, paullo brevior et crassior; var. b. duplo major. Abdomen nigrum, segmentis 3, 4, 5 vel 3, 4, 5, 6 undique rufis, ultimis analibus aut nigris aut fuscis. Alarum areae tres adjacent costali ultimae. Pedum coxae albo-maculatae et apex femorum posticorum plerumque niger. Varietatem clypeo magis vel minus late albido in Lapponia non vidi.

**42. T. crassa:** antennis setaceis, nigra, pedibus rufis, tibiarum posticarum apice utrinque unisulcatis tarsisque nigris, alis subflavescentibus, costa pallidiori, puncto stigmaticali fusco. ♂♀.

Panz. Fn. 65 t. 4. ♀. certe. Fall. Act. Holm. 1808. 106. 41. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; in adjacenti Bothnia boreali, ex. gr. in pratis Calix mens. Jul. et Aug. frequentius occurrit. (Lapponia; Bothnia; Ostrogothia et Scania passim.

*Mas.* et *Fem.* *T. germanicae* magnitudine aequalis, paullo robustior, praesertim femina. Antennae longae, setaceae, nudae. Oculi in vivis obscure brunnei. Caput et thorax punctulata, parum pubescentia. Alae maris subhyalinae, feminae magis subflavicantes, nervo costali distincte testaceo, et puncto stigmaticali nigricanti. Nervi ut in priori directi. Pedes rufi; posticorum tibiae versus apicem sensim subincrassatae, utrinque unisulcatae, tarsique nigra. Specimina lapponica, praesertim feminea plerumque paullo breviora, clypei apice albicante, et alis magis flavicantibus, quam quae in Scaniae nemoribus occurrunt.

**43. T. albipes:** antennis setaceis, pilosiusculis, subpubescens, nitida nigra, palpis, alis basi pedibusque albidis, femoribus in medio late nigricantibus, puncto stigmaticali fusco, alarum areis tribus costali ultimae adnexis, extima earum parallelogramma. ♂♀.

Fall. Act. Holm. 1808. 110. 47. (exclus. Syn. *Tenthred. Padi* Linn.)

Hab. in Lapponia mens. Julio rarius. (Lapponia; Ostrogothia-Scania freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo *T. spinarum* (No. 3). Nigra, nitida, antice subpubescens. Antennae thorace longiores, setaceae, in mare praesertim pilosae. Palpi pallidi. Alae hyalinae, basi inprimis in femina albidae, posterius nervis fuscis, puncto stigmaticali distincto, nigricante. Areae tres costali ultimae adpropinquant, quarum prima ad punctum stigmaticale parva, interdum subobsoleta, secunda longa, subparallela, extima etiam longa, regulariter parallelogramma formante. Pedes albidi, femoribus in medio magis l. minus late nigricantibus, tibiarum posticarum apice tarsisque fuscis. Mas rarissime occurrit.

**44. T. lapponica:** antennis setaceis nudiusculis, subglabra, nigra, ano concolore, ore, linea antealari pedibusque pallidis, femoribus in medio nigricantibus, alarum areis tribus costali ultimae adnexis, intermedia subtriangulari, extima brevi, trapeziformi. ♂♀.

Hab. in floribus Salicis per partem sylvaticam Lapponiae mens. Majo et Jun. vulgaris, ex. gr. ad Karungi, Öfver-Torneå, Pello, Wittangi, Juckasjervi et cataractam Wackokoski (limitem Abietis), frequenter, in copula verno tempore saepe capta; adscendit quoque usque in alpes, et in summo alpium Tornensium jugo circa medium mensis Julii plura individua feminea lecta. In Nordlandiae Finmarkiaeque inferalpinis tamen a me non visa. (Lapp., Bothnia boreal. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo praecedentis, ab illa differt praesertim ore et linea antealari albis, corpore glabriore et forma areae alarum subcostalis. Nigra, subopaca, glabriuscula, antice subtilissime punctulata, subpubescens. Antennae setaceae, validiusculae, nudae vel oculo acutissime armato pube brevissima tectae. Clypeus maris late albidus, feminae piceus, palpis in utroque sexu fusco-testaceis. Genae maris interdum piceo-maculatae. Linea antealaris alba plerumque distincta. Alae fusco-hyalinae, nervis fuscis, costa et puncto stigmaticali saepius pallidioribus. Areae tres costali ultimae appropinquant, quarum prima ad punctum stigmaticale subquadrata, parva (major tamen quam in priori), secunda triangulariter-elongata, ultima brevior trapeziformis, exterius evidenter dilatata. Pedes pallide testacei, coxis nigris, apice albidis; femora anteriora basi anguste, postica late, nigricantia, tarsis posticis plerumque infuscatis. — Variat rarius femoribus omnibus, praesertim posticis totis nigricantibus, genubus et basi tantum testaceis, rarissime pedibus aut totis testaceis aut tibiarum posticarum apice tarsisque fuscis; variat etiam clypeo maris piceo; et variat denique linea antealari alba obsoleta.

**45. T. pallipes:** antennis setaceis nudiusculis, subglabra, nigra, ano testaceo, ore, linea antealari pedibusque pallidis, femoribus in medio nigricantibus, alarum areis tribus costali ultimae adnexis, intermedia elongata, subparallela, ultima oblonga, trapeziformi. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus pallidis, femoribus in medio nigricantibus.

Fall. Act. Holm. 1808. 110. 48. ♀.

Var. b. ♀. pedibus totis testaceis.

Hab. in Salicetis Lapponiae sylvaticae rarissime, collect. D. Portin, var. b. mihi in Lapponia non obvia; sed variet. b. et reliquas varietates annotatas ad Tromsöe et Schiervöe Nordlandiae d. 24—27. Jul. legi. (Lappon.; Scania freq.).

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo et summa antecedentis affinitas, nec differt ab illa nisi colore ani et forma arearum in alis. Linea antealaris in ♂, et lobus thoracis anticus utrinque in ♀, albida. Abdomen nigrum, segmentorum summo margine plerumque pallido, ano late, praesertim subtus, testaceo. Alae hyalinae, nervis fuscis, costa et puncto stigmaticali saepius pallidioribus. Areae tres costali ultimae appropinquant, quarum prima ad punctum stigmaticale parva, secunda elongata, subparallela, tertia oblonga, subtrapeziformis, exterius vero minus dilatata quam in specie priori. Pedes albido-testacei, femoribus magis l. minus late nigricantibus. Media quasi inter *T. albipedem* et *lapponicam*.

**46. T. flavipes:** antennis brevibus, filiformibus, nudis, nitida nigra, clypeo sordide albido, pedibus luteis, femoribus basi anguste nigricantibus, alis sordide hyalinis, nervis fuscis, areis tribus costali ultimae adnexis, intermedia elongata, ultima subquadrata. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime, ad Giebostad in insula Senjen Nordlandiae d. 22 Jul. unicum specimen inveni. (Lapp.).

*Fem.* Praecedente fere duplo minor, praesertim brevior, *T. fulvipedi* Fall. affinis et subsimilis, sed haec pedibus brevioribus

et validioribus, nec non alarum areis tantum duabus costali ultimae adnexis a *T. flavipede* satis distincta. Tota nigra, nitida. Caput convexum, punctulatum, brevissime pubescens. Antennae thorace parum longiores, validae, brevissime subpubescentes, extrorsum fuscae. Clypeus sordide albidus. Thorax brevissime subpubescens, nitidus niger, immaculatus. Abdomen nitidum, glaberrimum, nigrum, immaculatum. Alae fusco-hyalinae, nervis fuscioribus, areis tribus costali ultimae adnexis, prima ad costam parva, obsoleta, intermedia elongatim curvata, in medio dilatata, extima subquadrata, extus parum latiori. Pedes breves, validi, lutei, coxis et femorum basi nigricantibus.

**47. T. viduata:** antennis brevibus filiformibus, nudis, nitida nigra, mandibulis piceis, genubus tibiisque sordide albicantibus, alis hyalinis, nervis fuscis, areis tribus costali ultimae adnexis, intermedia elongata, ultima subquadrata. ♀.

Var. a. ♀. antennis nigris.

Var. b. ♀. antennis subtus testaceis.

Hab. var. a. in Lapponia sylvatica rarius, ex. gr. ad Kengis et Wittangi Lapponiae Tornensis, ubi d. 7 — 10. Jun. pauca specimina legi; e varietate b. unicum tantum individuum d. 4. Aug. in palude ad Bossekop Finmarkiae inveni. (Lapponia).

*Fem.* Magnitudo *T. lapponicae*, antennis brevioribus etc. distincta. Caput ut in priori, nigrum, mandibulis et maculis pone oculos piceis. Antennae longitudine thoracis, filiformes, non validae, brevissime pubescentes, nigrae. Thorax subnitidus, vix pubescens, niger, linea antealari interdum subalbicante. Abdomen glabrum, nigrum, immaculatum. Alae ut in praecedente etiam quoad areas. Pedes nigri, femoribus anticis late, genubus posteriorum, tibiisque omnibus sordide albidis.

**48. T. humeralis:** antennis filiformibus, opaca nigra, clypeo, maculis capitis, macula antealari, abdominis segmentorum margine, genubus tibiisque sordide albidis, alarum areis tribus costali ultimae adnexis, intermedia elongata, extima subtrapeziformi. ♀.

Var. a. ♀. pedibus nigris, genubus tibiisque sordide albidis.

Var. b. ♀. pedibus sordide albidis, coxarum femorumque basi nigricantibus, tarsis fusco-annulatis.

Hab. in floribus Salicis Lapponiae sylvaticae mens. Jun. et Jul. vulgaris, ad Pello, Kengis, Junosuando et Juckasjervi frequenter; sed neque in alpibus, neque in Nordlandiae Finmarkiaeque subalpinis unquam a me lecta. (Lapponia-Bothnia borealis freq. Ostrogothia rar.)

*Fem.* *T. pallipede* duplo et ultra major, *T. germanicae* (No. 39) aequalis. Caput rugulosum, vix punctulatum, subglabrum, nigrum, mandibulis piceis; clypeo piloso, orbita antennarum, genis et maculis pone oculos sordide albidis. Thorax scaber, opacus, supra subglaber, pectore pubescente; totus niger, lobo thoracis antico margine late albido. Abdomen nigrum, segmentorum margine praesertim subtus distincte albido. Alae subhyalinae, fusco-nervosae, costa et puncto stigmaticali nigro-fuscis, quibus notis a *T. lapponica* (No. 44) etiam distinguitur; areae tres adjacent costali ultimae, quarum prima parce subquadrata, secunda curvatim elongata, latere interiori in medio subdilatata, extima trapeziformis s. oblonga, exterius paullo dilatata. Pedes nigricantes, genubus, femorum tibiarumque basi albidis; tarsis fusco-annulatis.

*Mas.* Similis feminae nuper descriptae, paullo minor, ano pedibusque testaceis, coxis femorumque basi indeterminate nigris; forte hujus speciei, ad Juckasjervi captus.

** Alarum areis duabus costali ultimae adnexis.

**49. T. Saliceti:** antennis filiformibus, glabriuscula, nitida nigra, ore brevi pedibusque sordide albidis, femoribus in medio nigricantibus, alis hyalinis, nervis fuscis, puncto stigmaticali albo-interrupto, areis duabus costali ultimae adnexis, interiori subrotunda. ♂♀.

Var. a. ♀. Major, antennis thoraceque nigris, immaculatis, pedibus pallidis, femoribus in medio nigricantibus.

Fall. Act. Holm. 1808. 111. 49. ♂♀. *T. Salicis pentandrae* de Geer. Ins. 2. 10009. 24. T. 39. f. 1—11.

Var. b. ♂♀. Major, antennis thoraceque nigris, squama antealari maculaque humerali albidis, pedibus pallidis, femoribus in medio nigricantibus.

Var. c. ♂. Major, antennis extrorsum indeterminate testaceis, thorace pedibusque ut in var. a. et b., segmento ultimo anali testaceo.

Var. d. ♂. Minor, antennis thoraceque nigris, pedibus pallidis, femoribus in medio nigricantibus.

Var. e. ♂. Minor, antennis testaceis, basi nigris, thorace ut in var. d., pedibus saepe totis pallidis, coxis basi nigris.

Fall. l. c. var. β. ♂♀. *T. fulvicornis* Fabr. Piez. 38. 45? Panz. Fn. 82. 13? Sub nomine: *Tenthred. fulvipes* a D. D. Boheman et Maerklin similem missam possideo.

Hab. in Salicetis et sylvis Lapponiae mens. Maj. — Jun. freq., ex. gr. ad Öfver-Torneå, Junosuando, Wittangi et Juckasjervi; var. c. et b. in copula capta. Var. a., b. et c. dieb. 7—17. Jun. e gallis Salicum exclusae. In Nordlandiae et Finmarkiae inferalpinis et maritimis a me non visa, nisi unicum individuum var. d. in alpe Lyngentind d. 26. Jul. inventum. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo *T. albipedis*, sed var. d. et e. duplo minores. Nitida nigra, antice parum pubescens. Os breve, albidum. Antennae thorace parum longiores, filiformes, nigrae, extrorsum saepe testaceae. Thorax niger, linea antealari interdum alba. Alae hyalinae, nervis fuscis, puncto stigmaticali apice interiori albido-notato. Areae 2 adjacent costali ultimae, interior ad costam parva, subrotunda; exterior elongata, curva. Pedes pallidi, femoribus in medio magis l. minus late nigricantibus, raro toti testacei.

*Obs.* *T. ambigua* Fall. et *T. fulvipes* Fall. in Lapponia a me non visae.

B. Abdomine aut flavo nigro-maculato, aut nigro rufo- vel flavo-picto.

* Alarum areis tribus costali ultimae adnexis.

**50. T. abdominalis:** antennis setaceis, glabriuscula, nitida nigra, antennis subtus, ore, abdomine pedibusque rufoflavis, alis nigricantibus; areis costalibus tribus costali ultimae adnexis, secunda elongata, ultima longa, parallelogramma. ♂♀.

*Mas:* abdomen flavum, dorso nigro, medio flavicante.

*Fem.:* abdomen flavum, segmento basali supra nigro.

Fabr. Ent. Syst. Supplem. 216. 39. certe. ♀. Panz. Fn. 64. t. 3. ♀. Fall. Act. Holm. 1808. 115. 54. ♂♀.

Hab. in Pinetis Lapponiae, rarissime, in provinciis Lapponiae adjacentibus frequentius. (Lapp.-Finlandia, Wermelandia, Olandia, Ostrogothia freq.; Scania rar.)

*Mas.* et *Fem.* Statura et magnitudo *T. spinarum* (No. 3). Clypeus rufo-piceus, palpis flavis. Alae basi nigricantes, apice subhyalinae, puncto stigmaticali dimidiatim pallido. Areae tres costali ultimae adjacent, prima subquadrata, secunda et extima elongatae, subaequales, unde ab affinibus mox dignoscitur haec species. Pedes validi, lutei, coxis nigris, tarsis posticis saepe fusco-annulatis.

**51. T. luridiventris:** antennis setaceis, glabra, nigra, ore maculaque antealari pallidis, ventre pedibusque luteis, alis hyalinis, costa basi pallida, puncto stigmaticali fusco, areis tribus costali ultimae adnexis, secunda elongata, subcurvata; ultima subtrapeziformi. ♂♀.

*Mas:* antennae validae, subcompressae, subpilosae l. evidenter pubescentes.

*Fem.:* antennae basi filiformes, brevissime pubescentes; in copula.

Var. a. ♂. pectore abdominisque dorso nigris.

Var. b. ♀. pectoris lateribus abdomineque toto luteis.

Var. c. ♂. pectore nigro, abdomine toto luteo.

Fall. Act. Holm. 1808. 115. 55. ♀.

Hab. in Lapponia cum priori, rarius, in floribus Salicis ad Juckasjervi d. 2. Jul. freq. legi. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo praecedentis. Color variat. Antennae setaceae, nigrae, subtus saepe testaceae, raro (in ♀) totae pallescentes. Macula pone oculos interdum rufa. Thoracis dorsum semper nigrum, lateribus pectoris magis l. minus late flavis, praesertim in ♀. Abdomen luteum, dorso in mare saepe nigricante. Alae hyalinae, fusco-nervosae, costa basi pallida. Areae tres costali ultimae adjacent, prima quadrata, secunda elongata, incurva, ultima mediocris, subtrapeziformis s. extus subdilatata. Pedes lutei, tibiarum posticarum apice tarsisque aut totis, aut annulis saepe fuscis.

**52. T. Capreae:** antennis breviusculis filiformibus, subopaca, glabra, nigricans, capite thoraceque testaceo-variegatis, abdominis medio rufescente, pedibus livido-vittatis, alis hyalinis fusco-nervosis, costa basi pallida, areis tribus costali ultimae adnexis, secunda elongata, extima oblonga, trapeziformi. ♂♀.

Var. a. ♀. Caput rufescens, clypeo albido, macula verticis nigra. Antennae longitudine thoracis, filiformes, nigrae. Thorax nigricans, dorso rufo-sublineato, scutello rufescente; macula antealari lata albida. Pectus rufo-maculatum, sterno nigro. Abdomen rufo-testaceum, dorso basi et apice nigricante, ventre etiam interdum obscuro. Pedes lividi, femoribus supra et infra nigro-lineatis; postici interdum toti nigri, geniculis pallidis; freq.

Linn. Syst. Nat. 2. 928. 55. Fabr. Piez. 35. 30. Panz. Fn. 65. 8. Fall. Act. Holm. 1808. 121. 64. *Tenthr. Salicis* (*Capreae*) Linn. Fn. Sv. 1572. larva.

Var. b. ♀. similis var. a. paullo minor, pedibus totis flavis, abdominis dorso obscuro, alarum costa punctoque stigmaticali pallidis; rarissima.

Var. c. ♀. Magnitudo var. a.; fere angustior. Caput nigrum, clypeo albo, genis rufescentibus. Antennae ut in var. a. Thorax niger, macula antealari albida, pectore raro-ferrugineo-submaculato. Abdomen rufo-flavum, basi apiceque nigricans. Pedes nigri, genubus tibiisque anteriorum sordide albidis. An species distincta? In Lapponia passim.

Var. d. ♂. similis var. c. paullo minor, antennisque longioribus subsetaceis; rariss.

Hab. in floribus Salicis, locis plerumque paludosis, per partem sylvaticam Lapponiae mensib. Majo — Jul., var. a. et c. frequenter; varietatem b. tantum ad Juckasjervi die 2. Jul., et var. d. ad Wittangi die 14. Jun., rarissime legi. (Lapp.-Scan. tantum var. a. freq.)

*Mas.* et *F. m.* Var. a magnitudine fere *Tenthr. opacae* aequiparat, paullo brevior.

*Obs.* *T. viminalis* FALL., *Salicis* LINN., *Betulae* FALL. DE GEER., *Myosotidis* FALL. FABR. et *pallidiventris* FALL., in Suecia inferiori vulgares, forsitan etiam in Salicetis Lapponiae habitant, mihi vero ibi non obviae. *T. lutea* FALL. in Lapponia habitat, teste D. DEUTSCH. *T. septentrionalis* vide antea No. 41.

°° Alarum areis duabus costali ultimae connexis.

**53. T. borealis:** antennis setaceis, breviter pubescens, nigra, abdominis segmentis mediis rufis, pedibus pallidis, femorum posticorum tibiarumque apice tarsisque nigricantibus, alarum areis duabus costali ultimae adnexis, extima subquadrata. ♀.

Hab. in graminosis Lapponiae ad radices alpium, rarissime; in Lyngentind et Raschstind Nordlandiae septentrionalis duo tantum specimina d. 26. et 27. Jul. inveni. (Lapponia Norvegica.)

*Fem.* Magnitudo *T. Saliceti* (No. 49), vel paullo robustior. Caput convexum, punctatum, breviter pubescens, opacum, nigrum, clypeo albido, mandibulis piceis. Antennae thorace paullo longiores, setaceae, nigrae. Thorax punctulatus, subpubescens, subnitidus, niger. Abdomen glabrum, nitidum, nigrum, segmentis 3 et 4 totis (undique), 5 ad latera, rufis. Alae hyalinae, nervis fuscis, costa et puncto stigmaticali pallidioribus; areae tantum 2 costali ultimae adjacent, quarum prima, quae costae adhaeret, longa, curvata, simplex, altera s. extima brevis, subquadrata l. extus parum dilatata. Pedes pallidi, coxis ad medium nigris; posticorum femora rufescentia apice nigro; tibiae albidae apice nigricante, et tarsi toti fusci.

**54. T. segmentata:** antennis breviusculis, subglabra nitida nigra, palpis, labio, lobo antealari abdominisque segmentorum margine albidis, pedibus pallidis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, ad cataractam Wackokoski, quae limitem Abietis efficit, unicum individuum femineum d. 5. Jul. inveni. (Lapponia.)

*Femina.* *T. opaca* duplo v. triplo minor. Affinis *T. labiatae* FALL. sed ab illa differt area alarum costali simplici et abdominis cingulis albis. Sublaevis, nitida, nigra. Caput breviter pubescens. Antennae thorace breviores, filiformes. Os album. Mandibulis et clypei summo apice piceis. Thorax glaber niger, lobo et squama antealaribus albis. Abdomen depressum nigrum, segmentis dorsalibus margine tenuiter albis, segmentis vero ventralibus margine latius, et ano flavis. Pectus nigrum, striga antica alba. Alae hyalinae, nervis fuscis, costa et puncto stigmaticali pallidioribus. Areae 2 costali ultimae adjacent fere aequaliter magnae. In area costali ultima rudimentum nervuli transversi apparet. Pedes cum coxis toti luteo-flavi.

*Subdiv.* 2. Corpore pallescente.

**55. T. crocea:** antennis setaceis, pallida, supra maculis nigris notata, subtus immaculata, areis tribus costali ultimae adnexis, secunda elongata, extima oblongo-quadrata. ♂♀.

Var. a. ♂. pallida, antennis supra, macula verticis, thoracis dorso maculis tribus interdum confluentibus, abdomineque supra macula media longitudinali, nigris.

FABR. Piez. 39. 48. FALL. Act. Holm. 1808. 122. 65.

Var. b. ♀. pallida, saepe subpellucida, antennis supra, macula verticis, thoracis dorso maculis tribus discretis, abdomineque supra punctis l. maculis obsoletis, nigris.

*T. miliaris* PANZ. Fn. 45. t. 13.

Var. c. ♀. tota pallida, oculis et punctis stemmatum tantum nigris, thoracis dorso luteo, abdomine supra punctis longitudinaliter dispositis obsoletis, fuscis.

Hab. in Lapponiae nemoribus, rarius; var. b. inter Alten et Kautokeino Finmarkiae d. 10—13. Aug. et var. c. tantum in insula Schiervoe Nordlandiae septentrionalis a me lectae. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudine variat, *T. Saliceti* plerumque duplo major. Parum pubescens, pallida, nigro-maculata, ut in diagnosibus indicatum. Antennae thorace multo longiores, setaceae. Alae hyalinae, nervis parum fuscis, costa et puncto stigmaticali pallidis. Areae tres costali ultimae adjacent, prima quadrata, secunda elongata, subcurvata, ultima oblongo-quadrata s. extus parum dilatata.

**56. T. Rumicis:** antennis filiformibus, corpore maris luteo, feminae nigricante, alis pedibusque in utroque sexu flavis, areis tribus costali ultimae adnexis, secunda elongata, extima oblonga, subtrapeziformi. ♂♀.

*Mas:* luteus, alarum nervis concoloribus, antennarum articulis duobus basalibus, macula verticis, striis thoracis anticis abdominisque dorso, nigricantibus.

*Fem.:* nigra, ore, orbita oculorum, thoracis macula antealari, alarum nervis pedibusque lutescentibus.

LINN. Fn. Sv. 1569? RÉAUM. Ins. 5. 1013. 25. t. 10. f. 13. 14. FALL. Act. Holm. 1808. 123. 68. ♂♀. certe.

Hab. in Lapponia forte rarissime; a me non nisi ad Hamnvigen in insula Rollenoe Nordlandiae septentrionalis d. 20. Jul. parce lecta, nec in Lapponia Suecica visa. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Praecedenti affinis, sed duplo et ultra minor, colore feminae nigricante praesertim ab ea distincta. Glabra. Antennae filiformes, thorace paullo longiores, nudae, in mare testaceae, articulis 2 infimis nigricantibus, in femina totae nigricantes. Thorax maris luteus, supra maculis vel striis paucis nigris. Abdomen maris testaceum, dorso fasciis subconfluentibus, praesertim basi nigricantibus. Alae in utroque sexu hyalinae, nervis pallidis, areis fere ut in priori formatis.

## 5. Lyda. FABR.

FABR. Piez. 5. FALL. *Pamphilius* LATR. *Tenthredo* LINN.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, elongatum, depressum, saepius glabrum. Antennae simplices, setaceae, thorace longiores, articulis 18—30. Oculi minuti. Alarum nervi validi, area costali ultima gemina. Tibiae posteriores spinis praeter ordinarias tribus. *Color* caerulescens, flavo-nigroque variegatus. *Motus* Tenthredinis. *Habitatio* imaginum in foliis et floribus plantarum, solitarie; per partem sylvaticam, raro per subalpinam et inferalpinam Lapponiae; tempore aestivali. Larvae gregatae, hexapodae, postice appendiculato-bicornutae, folia arborum consumunt. *Sexus* mox *differt:* abdomine in *mare* parum dilatato, segmento ultimo ventrali integro; in *femina* magis dilatato, segmento ultimo ventrali ad insertionem vaginae stylatae fisso, brevi. Individua mascula quoque multo rarius, quam feminea occurrunt. (Spec. Scand. 16, quarum quaedam dubiae, alterutro sexu non certe cognitae).

**1. L. erythrocephala:** nigro-caerulea, antennis nigris, capite feminae luteo, clypeo maris flavo-albido. ♂♀.

*Mas:* antice pilosa, antennis 26-articulatis, nigro-caerulescens, clypeo late usque ad antennas, palpis, mandibulis extus, pedibusque anticis flavo-albidis, femoribus basi caeruleo-nigris;

*Fem.:* antice pubescens, antennis 30-articulatis, nigro-caerulescens, capite toto pedibusque anticis, luteis, femorum basi punctoque verticis caeruleo-nigricantibus, antennis oculisque nigris; mare major, duplo fere latior.

FABR. Piez. 43. 1. ♀. FALL. Act. Holm. 1808. 219. 1. ♀. KLUG Die Blattwespen. Berlin 1818. 20. 16. ♀. *Tenthredo erythrocephala* LINN. Fn. Sv. 1560. PANZ. Fn. Germ. 7. t. 9. ♀.

Hab. in Lapponia sylvatica rarissime, ad Muonioniska et in Lapponia Norvegica D. Doct. HENRICO DEUTSCH; ad Öfver-Torneå D. PORTIN. (Lapp.-Gottland. Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Magna in suo genere, circiter 6 lin. longa. Punctata. Alae, praesertim in fem. nigredine tinctae. — Mas ad Kyllej Gottlandiae a D. SUNDEWALL inventus, in Lapponia a me frustra quaesitus. Femina ad Lundam et Fogelsång Scaniae longe a Pino sylvestri, mense Junio capta.

**2. L. pratensis:** capite punctato, vertice bisulcato, nigra flavo-variegata, antennis, clypeo pedibusque, pallidis, femorum latere postico nigro. ♀.

KLUG Die Blattwespen etc. 14. 4. ♂♀. (excl. Syn. FABR. Piez. *Lyda Vafra*). *Lyda Populi* FALL. Act. Holm. 1808. 222. 5. ♂♀. *Tenthredo Populi* UDDMANN Diss. 88. certe.

Hab. in Lapponia sylvatica mense Jul. pass., ad Muonioniska D. Past. KOLSTRÖM, in Finmarkia occidentali D. DEUTSCH. (Lappon.-Ostrogoth. rar.)

*Fem.* Magnitudo *erythrocephalae.* Caput glabrum, punctatum, vertice bisulcato, nigrum, palpis, mandibulis, clypeo maculisque frontis et verticis 8, occipiteque, flavis. Antennae 31-articulatae, flavae, articulo primo et saepe etiam secundo late, nigricantibus. Thorax niger, linea transversa, collari, squama antealari, macula antica cordata, maculaque utrinque ad scutellum, flavis. Scutellum interdum etiam flavum. Abdomen flavum, dorso nigro, lateribus maculis triangularibus pallidis. Alae parum infuscatae, stigmate pallido. Pedes flavi, femoribus latere postico nigris. *Mas* vertice nigro subimmaculato distinctus; a D D. FALL. et KLUG descriptus, in Lapponia a me non visus.

Var. b. ♀. Antennis 36-articulatis; alias var. a similis. In silva Wittangi Lappon. Tornensis d. 17. Jun. rariss.

**3. L. vafra**: capite punctulato, vertice bisulcato, nigra, flavo-variegata, antennis luteis, clypeo, scutello, abdominis dorso medio pedibusque totis, pallidis. ♀.

Var. a. ♀. antennis 19-articulatis.

FABR. Piez. 44. 6. FALL. Act. Holm. 1808. 224. 8. ♀. *Tenthr. vafra* LINN. Syst. Nat. 2. 927. 45. *Tenthr. depressa* PANZ. Fn. 65. t. 11?

Var. b. ♀. antennis 21-articulatis, extrorsum fuscis; vertice parum punctato.

Hab. var. a. in Lapponiae Betuletis rarius; ad Muonioniska, in collectione D. KOLSTRÖM; etiam ad Talvig Finmarkiae occidentalis a me die 2. Aug. capta. Var. b. tantum in silva Juckasjervi d. 23. Jun. rariss. lecta. (Lapp.-Scan. pass.)

*Fem.* Valde affinis et similis priori, saepe paullo minor, antennarum articulatione et colore luteis, abdominis dorso fere toto flavo, ut et pedibus immaculatis ab illa inprimis distincta.

**4. L. pallipes**: capite subrugoso punctato, vertice bisulcato, nigra, flavo-variegata, antennis luteis, clypeo, scutello pedibusque totis pallidis. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime, ad Tromsoe Nordlandiae d. 24. Jul. capta. (Lapponia Norvegica )

*Fem.* Praecedenti affinis et similis, ejusque magnitudine, sed differt: capite multo profundius punctato, linea colaris flava interrupta, et abdominis dorso toto nigro, nec flavo. Caput nigrum, fere ut in priori flavo-maculatum, sed maculis minoribus; profunde punctatum, fronte supra antennas subrugosa. Thorax niger, flavo-variegatus, linea collari flava interrupta, relicta tantum macula difformi utrinque. Abdomen supra nigrum vix luteo-maculatum, summo margine luteo, ventre in medio flavo-fasciato. Pedes toti pallidi.

**5. L. flavipes:** capite rugoso-punctato, vertice bisulcato, nigra, antennis fuscis, ore, segmentorum ventralium marginibus anoque, luteis, pedibus flavis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad insignem lacum Tornensem (Torneå-Traesk) in vicinitate alpium situm, d. 8. Jul. detecta. (Lapponia.)

*Mas.* Proxime praecedenti affinis, paullo minor angustior, sed vix ejus mas. Caput rugoso-punctatum nigrum, palpis, mandibulis et clypeo summo apice, luteis. Antennae 18-articulatae, obscure luteae, apice fusciores, articulo primo et secundo supra nigris. Thorax niger, glaber, squama antealari flava. Abdomen nigrum, margine laterali supra anguste luteo, segmentorum ventralium marginibus late, anali toto flavis. Alae ut in *L. pallipede.* Pedes toti pallide flavi.

*Obs.* *L. campestris* FALL. FABR. „capite punctato, vertice bisulcato, nigra, antennis, abdomine pedibusque lutescentibus, femoribus in Fem. basi nigricantibus, thorace in utroque sexu flavo-variegato; vittis 2 in foveolis verticis punctoque intra antennas et oculos, albis; alis immaculatis," [illegible] magnitudine fere *L. pratensis*; „in Lapponia certo habitat," testante [illegible] in literis; mihi vero nec in Lapponia, nec in terris borealibus adjacentibus obvia. Neque *L. Betulae* LINN. FALL.; *L. sylvaticam* LINN. FALL.; *L. lucorum* FALL.; *L. flaviventrem* FALL. DE GEER; *L. balteatam* FALL.; *L. albifrontem* FALL.; *L. Cynosbati* LINN.; *L. Saltuum* LINN.; et *L. reticulatam* LINN. KLUG., in Lapponia vidi.

— —

## FAM. 2. UROCERATAE LATR. FALL.

### 6. Xyela. DALM.

DALM. Act. Holm. 1819. p. 122. et Anal. Entom. 1823. p 27.

*Corpus* pusillum, glabrum, facie et statura omnino *Tenthredinis* minoris. Antennae medio faciei versus os insertae, basi cylindricae, apice filiformes, 11-articulatae, articulo tertio longissimo. Oculi verticis 3. Pedes inermes. Areae alarum numerosae, rotundatae. Oviductus feminae longe exsertus. *Color* nigro-piceus, flavo-variegatus. *Motus* tardus, Tenthredinis. *Habitatio* et *victus* in lignosis, per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Sexus* differt; *mas* paullo minor, ano mutico, segmento ventrali ultimo magno, scutiformi; *femina* oviductu exserto, compresso, ensiformi. (Spec. Scand. 2, Sueciae et Lapponiae forsitan propriae).

**1. X. pusilla**: picea flavo-variegata, oviductu feminae longitudine abdominis. ♂♀.

*Mas:* ano mutico, saepe minor.

*Fem.:* ano ensato, saepe obscurior.

DALM. Act. Holm. 1819. p. 124. 1. Anal. Entom. 1823. p. 28. Tab. 3. ♂♀.

Hab. in Pinetis et ligno ejusdem arboris recenti, ad Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 14—22. Jun. haud rara a me visa. Ad Giebostad Nordlandiae, insulam Pinubus omnino destitutam d. 22. Jul. individuum femineum quoque legi. Lapponia; Uplandia; Westrogothia pass.)

*Mas.* et *Fem.* Pusilla, mas vix ultra lineam longus. Caput laeve, glabrum, flavum, fronte et vertice piceis. Antennae testaceae. Thorax laevis, supra piceus flavo-maculatus, subtus flavescens. Abdomen piceum, segmentis anguste flavo-marginatis; oviductu feminae flavo-testaceo. Pedes flavo-testacei, femoribus in medio infuscatis. Alae hyalinae, nervis et puncto stigmaticali pallidis.

*Obs.* Altera Scandinaviae species seu *X. longula* DALM.: „nigro flavoque varia, oviductu feminae longitudine corporis," priori duplo vel triplo major; in Westrogothia rarissime, in Lapponia vix, habitat.

---

### 7. Sirex. LINN.

FABR. Piez. 7. LINN. FALL. *Urocerus* LATR.

*Corpus* magnum, interdum maximum, cylindricum, pubescens. Antennae setaceae medio faciei insertae. Lobus thoracis anticus utrinque acutus. Alarum area costalis ultima elongata, apice obsoleta. Anus acuminatus. *Color* niger, luteus, caerulescens. *Motus* volatus diurnus, gravis, cum magno strepitu. *Habitatio* in sylvis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* mollis, cylindrica, crassa, tarda, victitat ligno putrido, intra quod latitat. *Pupa* folliculata, quiescens, similis imagini, rudimento tantum alarum. *Differentia sexus* e forma, colore, magnitudine, ut et structura ani pedumque posticorum diversa, cito invenitur. (Spec. Scand 3, Faunae nostrae communes; speciebus Auctorum quibusdam sexu tantum diversis; inde major justo specierum numerus ortus.)

**1. S. Gigas**: villosus niger, antennis 25-articulatis, occipite, abdominis cingulis, alis, pedibusque ex parte, flavis. ♂♀.

Var. a. major;

*Mas:* niger, antennis, occipite pedibusque anterioribus flavis, abdomine luteo, segmento ultimo nigricante, tibiis posticis cum metatarso compressis.

*Sirex Mariscus* LINN. Fn. Sv. 1577. FABR. Piez. 51. 14. PANZ. Fn. Germ. 52. t. 20. KLUG Monogr. Siric. t. 2. f. 3. 4

*Fem.:* mare triplo fere major, nigra, antennis, occipite, tibiis tarsisque simplicibus flavis, abdomine luteo, segmentis 3, 4, 5, 6 atris. Oviductus mucrone anali superius locato duplo longior.

*Sirex Gigas* LINN. Fn. Sv. 1573. FABR. Piez. 48. 1. PANZ. Fn. Germ. 52. t. 15. var. KLUG Monogr. Siric. t. 2. f. 1.

Var. b. triplo minor.

*Fem.:* nigra, antennis, occipite, abdominis segmentis 1, 6, 7 et mucrone anali, tibiis tarsisque flavis.

*Sirex Psyllius* FABR. Piez. 49. 2. KLUG Monogr. Siric. tab. 2. f. 1.

Hab. in arboribus coniferis Lapponiae rarius. Utraque varietas etiam ad Ofver-Tornea lecta. Inter insecta hujus Ordinis ad Faunam nostram pertinentia, haec species facile maxima numeratur. (Lapp.-Suecia media passim — Blekingia rar.)

**2. S. juvencus:** villosus, nigro-caerulescens, alis flavedine tinctis, abdominis medio late, pedibusque ex parte, luteis, antennis 20 articulatis. ♂♀.

*Mas:* nigro-caerulescens, antennarum basi, abdominis segmentis 4, 5, 6, 7, 8 pedibusque luteis, tibiis posticis cum metatarso dilatatis nigris. Anus acutus subtus evaneus.

*Fem.:* plerumque duplo major, tota nigro-caerulescens, antennarum basi pedibusque simplicibus tantum luteis. Oviductus ano acuminato sesquilongior.

Var. b. ♀. antennis totis nigris. — Variat etiam antennis 22-articulatis.

*S. juvencus* Linn. Fn. Sv. 1575. ♀. Fabr. Piez. 50. 9. ♀. Panz. Fn. 9. 52. t. 17. ♀. Klug Monogr. Siric. T. 3. f. 4. ♀. *Sirex Noctilio* Fabr. Piez. 51. 15. ♂. Panz. Fn. 52. f. 21. Klug l. c. T. 3. f. 5. T. 4. f. 2. 3.

Hab. in sylvis acerosis per partem sylvaticam Lapponiae rar. — Ad Matarengi in Paroecia Ofver-Tornea D. Portin. — Variat magnitudine. — Femina mari praecedentis magnitudine saepe aequalis, interdum duplo major. (Lapp.-Suec. media pass.-Blekingia rar.)

**3. S. Spectrum:** glaber ater, thoracis linea ante alas flava, pedibus luteis, antennis 22 articulatis. ♂♀.

*Mas:* niger, macula pone oculos lineaque antealari flavis, pedibus luteo-ferrugineis, posticorum tibiis et metatarso dilatatis, nigris; *Fem.:* nigra, linea antealari flava, pedibus totis luteis. Oviductus mucrone anali quadruplo longior.

*Sirex Spectrum* Linn. Fn. Sv. 1574. ♀. Fabr. Piez. 50. 8. ♀. Panz. Fn. 52 f. 16. ♀. Klug Monogr. Siric. T. 4. f. 5. ♀. *S. emarginatus* Fabr. Ent. Syst. 2. 128. 15. ♂. Klug Monogr. Siric. T. 4. f. 6.

Hab. in ligno antiquo et putrido Pini et Abietis, in Lapponia rarissime. (Lappon.-Ostrogothia rar.-Scan. rariss.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedente vix brevior, sed uterque sexus multo angustior, linearis. Caput et thorax nitida profunde punctata vix nisi glabra, seu pilis tantum raris obsita. Vertex trisulcatus, interstitiis laevissimis. Alae fere hyalinae, flavedine parum tinctae.

---

## 8. Xiphydria. Fabr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 432. Fabr. *Sirex* Linn.

*Corpus* mediae seu majoris magnitudinis, cylindricum, glabrum. Antennae setaceae infra medium faciei (frontis Fall.) insertae. Collum elongatum. Lobus thoracis anticus retusus, tenuis, arcuatus. Alarum area costalis ultima elongata, gemina, integra. *Color* niger, rufus, pictura fasciata aut albo-maculata. *Motu* tardus, sole urente magis vivacior; volatus brevis. *Habitatio* imaginum in sylvis; larvarum in ligno antiquo corrupto; per partem inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in ano *maris* mutico, *feminae* oviductu extra anum 1 lin. circiter exserto, statim detegitur. (Spec. Scand. 2; altera, seu *Xiph. Dromedario:* nigra, pedibus abdominisque medio ferrugineis, hoc lateribus capitisque vertice albo-maculatis, in truncis Salicum emortuarum Scaniae, vix Lapponiae habitante.)

**1. X. Camelus**: nigra, pedibus ferrugineis, abdomine lateribus albo-maculato. ♂♀.

Var. a. ♂♀. maculis verticis 2, occipitis 2, et unica ante alas, albis.

Fabr. Piez. 52. 1. *Sirex Camelus* Linn. Fn. Sv. 1576. ♂. Panz. Fn. 52. f. 18. ♀. *Hylotomus Camelus* Klug Monogr. Sir. T. 1. f. 4.

Var. b. ♀. capite thoraceque nigris immaculatis.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae passim; varietatem a., in insula Hacksten prope Schiervoe die 28. Jul. haud infrequenter, at varietatem b., non nisi in Bossekop ad Alten rarissime inveni. Forte etiam in Lapponia Suecica hospitatur haec sylvarum incola. (Lappon.-Blekingia, Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* *Sirice Spectrum* saepe dimidio minor; variat tamen magnitudine. Corpus (inprimis in mortuis) incurvum (in *Sirice* saepe recurvum), thoracis scilicet dorso elevato, at capite collo longo exserto, et abdomine declinatis staturam *Cameli* quasi mentiens. Antennae thorace fere breviores, 18-articulatae, basi interdum piceae. Alae subhyalinae, fuscedine parum tinctae. Area costalis ultima gemina, integra, nervis perspicuis nec apice obsoletis. Maculae laterales abdominis variant 2, 3 vel 4 utrinque. Pedes in utroque sexu subsimplices, tibiis scilicet posticis cum metatarso in mare vix dilatatis.

*Not.* Genus ad Famil. *Tenthredinid.* immerito relatum a Clar. Latreille. Nomen genericum in *Xiphiuram* mutatum voluit Cel. Fall.

---

## 9. Oryssus. Fabr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 434. Fabr. Fall.

*Corpus* medium, cylindricum, glabrum. Antennae filiformes, deflexae, et aperturam oris sub clypei margine antico elevato insertae. Lobus thoracis anticus arcuatus. Areae in alis superis paucae, nervis obsoletis. *Color* niger, rufus. *Motu* velox: timidus, in foliis arborum, truncis, sepibus, latere solem spectante, modo recto, modo averso gradu, celeriter ambulat. *Habitatio* in sylvis, per partem inferiorem Lapponiae. *Differentia sexus* in structura antennarum et ani mox detegitur. (Spec. Scand. 1; nostra.)

**1. O. coronatus:** niger, linea intra oculos, macula antennarum geniculisque, albis, abdomine ferrugineo, basi nigro. ♂♀.

*Mas:* antennae 11-articulatae, articulo 1 crasso, 2 brevi, 3 elongato obconico, 4 — 10 subaequalibus, ultimo acuminato; segmentum anale ultimum macula alba notatum. Pedes simplices.

*Fem.:* antennae 10-articulatae, articulo 1 crasso, 2 brevi, 3 elongato obconico, 4, 5 brevibus, 6, 7, 8, 9 longioribus sensim latioribus, ultimo parvo, gracili, apice cavo. Oviductus saepius absconditus. Terebra capillaris, corpore longior, in abdomine convoluta, in quibusdam individuis exserta. Femora et tibiae pedum anticorum curvata, incrassata.

Fabr. Piez. 47. 1. *Sirex Vespertilio* Panz. Fn. 52. t. 19. ♀. *Oryssus Vespertilio* Klug Monogr. Siric. T. 1. f. 1. ♀. f. 2. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica, testantibus collectionibus borealibus, mihi in terris arcticis non obvius. (Lappon.-Ostrogothia pass.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo fere *Tenthredinis opacae*. Punctatus cylindricus, niger. Vertex tuberculis coronatus. Frons intra oculos albo-bilineata. Abdomen rufum, segmentis 3 basalibus nigris. Femora macula apicis alba. Tibiae extus linea alba. Tarsi rufi.

*Obs.* E hujus Familiae genere *Cepho*, cujus species quinque profert sola Scania campestris, nullas agnoscit Fauna nostra Lapponica, quantum novi.

---

# Divisio Secunda.

*Abdomen ope petioli thoraci puncto (nec per totam latitudinem) adfixum. Petioliventria.*

## *Sectio 1. Pedes v. nudiusculi v. parum spinulosi.*

A. Antennae extensae.

## FAM. 3. ICHNEUMONIDES. Latr. Fall.

## 10. Ichneumon. Linn.

Gravenh. Ichneumonol. Europ. Anno 1829. Gen. I. Linn. Fabr. Fall. et species Latr.

*Corpus* raro majoris, saepe mediae, interdum minoris magnitudinis, elongatum, subcylindricum, glabriusculum. Antennae setaceae aut subfiliformes, thorace plerisque longiores. Metathorax cancellato-striatus. Abdomen longe petiolatum, petiolo elevato. Areola alarum pentagona et area specularis adsunt. *Color* niger, rufus, flavus, pictura alba. *Motu* agilis. *Habitatio* imaginum in foliis plantarum et fruticum, interdum etiam in floribus umbellatarum, tempore praesertim auctumnali; per omnes partes Lapponiae; larvae vel in aliorum insectorum, inprimis Lepidopterorum larvis, folia plantarum adhuc comedentibus, vel in eorum pupis degunt, quibus victitant. Exinde quoque *Ichneumones* saepe e pupis Lepidopterorum proveniunt. *Differentia sexus* in abdomine *maris* elongato, angustiori, lineari, apice obtuso; *feminae* oblongo, subovato, apice acutiusculo, cauda breviter exserta, oculo consueto plerumque mox invenitur. Antennae quoque maribus saepe graciliores et magis porrectae, quam feminis, quibus antennae post mortem convolvuntur. (Spec. Scand. 100 et ultra.)

Tribus I. Abdomine nigricante, rarius caerulescente, rarissime (in *Ichn. vaginatore*) flavofasciato.

*Subdiv.* 1; femoribus l. totis l. maxima ex parte nigris *) *Majores.*

**1. I. lineator:** ater, orbita oculorum interna, lineolis 2

*) Quando scutellum in diversis individuis unius ejusdemque speciei interdum variat album et nigrum, notam e colore hujus partis pro Subdivisionibus formandis more Gravenhorstii, eligere non potui. Cfr. ex. gr. *Ichn. Fabricator* infra No. 11.

ante scutellum annuloque antennarum in femina, albis; tibiis anticis in utroque sexu piceis. ♂♀.

Gravenh. Ichneumonol. Eur. anno 1829. 1. 120. 9. ♂♀. — *Cryptus lineator* Fabr. Piez. 87. 70. ♂. *Ichneumon narrator* Fabr. Piez. 67. 76. ♂. *Ichn. nigrator* Fabr. Piez. 65. 57. ♀. *Ichn. biguttatus* Thunb. Act. Upsal. 4. 24. 41. ♀.

Hab. in Lapponia passim. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Longit. 5 — 7 lin. Metathorax convexus distincte cancellatus. Abdomen scabrum, immaculatum. Variat genubus et tibiis anticis magis vel minus obscure ferrugineis, s. sordide stramineis.

**2. I. comitator:** ater, orbita oculorum interna annuloque antennarum in femina, albis; tibiis anticis in utroque sexu stramineis. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 1600. ♀. Fabr. Piez. 65. 58. ♀. Panz. Fn. 71. 14. ♀. Gravenh. Ichn. Eur. 1. 108. 2. ♀.

Hab. in Lapponiae sylvaticis passim. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo praecedentis eique affinis, scutelli lineolis lateralibus albis nullis distinctus. Mas saepe paullo minor. Palpi maris, ut in speciebus hujus generis frequenter, albi, feminae nigri. Genua et tibiae pedum anticorum, interdum etiam intermediorum magis vel minus sordide straminea aut picea. — Variat *mas:* linea antealari brevi, albida.

**3. I. nigrator:** ater, orbita oculorum interna, linea ante alas, scutello annuloque antennarum in femina, albis; tibiis anticis fusco-testaceis. ♂♀.

Panz. Fn. 73. f. 12. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo priorum. Niger, palpis, linea ante alas, orbita oculorum scutelloque, albis. Abdomen scabrum, immaculatum. *Mas:* sericeo-subpubescens. Femora antica latere antico ferruginea; tibiae et tarsi testacea. Femora intermedia apice, et tibiae latere antico etiam saepe, picea. *Femina:* fere glabra. Annulus antennar. albus. Femora antica apice et tibiae fusco-ferruginea. Linea ante-alaris brevis, interdum obsoleta.

**4. I. pistor:** ater, orbita oculorum interna, annulo antennarum et tibiarum, punctis ad radicem alarum scutelloque albis. ♀.

*Ichn. pistorius* Grav. Ichneum. 1. 231. 74. certissime, ubi uterque sexus describitur.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; inter Muonioniska et Kengis unicum individuum d. 20. Aug. inveni. (Lapponia; Finlandia, Sahlberg, teste D. Gravenhorst.)

*Mas.* Long. 7 linear. — Ater, punctatus, parum pubescens. Palpi nigri. Antennarum articuli 15 — 19 pallidi annulum formant album. Linea facialis intra oculos utrinque brevis, versus clypeum latior; alba. Thorax, lineola et punctum ante alas et aliud infra alas, alba. Margo collaris supra etiam albus. Scutellum distincte tum album. Metathorax distincte cancellatus. Abdomen punctatum immaculatum. Alae hyalinae, stigmate fusco. Pedes nigri, femoribus anticis latere antico albido; tibiis ejusdem paris albis, latere postico apice fusco; tarsis articulo primo basi albido; tibiis posterioribus basi late albis.

*Obs.* *Feminam* mari descripto fere similem, absque macula collari, at antennarum articulis 9 — 14 supra albis, describit Gravenhorst l. c.

**5. I. caeruleator:** nigro-cyaneus, palpis antennisque nigris, geniculis pedum anticorum sordide albidis. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; individua tantum duo mascula inveni, unum ad Karesuando Lapponiae Tornensis d. 15. Aug. et alterum ad pagum Kihlangi inter Muonioniska et Kengis juxta flumen Tornense d. 21. Aug. (Lapponia.)

*Mas.* Statura priorum et magnitudo fere *I. lineatoris* (No. 1.) s. circiter 5[1] lineas longus. Pulcher, totus caeruleus, immaculatus, punctatus, capite thoraceque subpubescentibus. Palpi nigri. Antennae nigrae, articulo primo cyaneo, piloso. Metathorax cancellatus. Abdominis segmentum secundum summo margine apicali ferrugineo. Alae sordide hyalinae, nervis et stigmate parum infuscatis. Areola distincte quinque-angularis. Pedes caerulei, anticorum femorum apice antico, tibiarumque latere antico sordide albidis, tarsis fuscis; intermediorum geniculis et posticorum tibiis basi anguste fusco-testaceis.

*Not.* *Ichn. caeruleator* Fabr. Piez. 68. 79 et idem Panzeri, aliud est insectum sub nomine *Trogus lapidator* a D. Gravenhorst l. c. 2. 391. 8. descriptum. *Ichn. nigro-cyaneus* Grav. Ichn. 1. 117. 6. ♀, quoque alius est, et differt a nostro: antennis albo-annulatis, areola alar. triangulari, sexu et loco natali.

**6. I. deliratar:** ater, fronte in mare, annulo antennarum in femina, scutello tibiarumque annulo in utroque sexu, albis. ♂♀.

*Mas:* subcaerulescenti-niger, facie, scapo subtus, punctis ad radicem alarum tribus, scutelloque, albis; pedibus anticis flavo-albidis, femorum tibiarumque latere postico fuscis; intermediis nigris, latere antico piceo vel testaceo, tarsis albidis; posticis nigris, annulo tibiarum albo.

*Fem:* atro-nitida, annulo antennarum scutelloque albis, genubus, tibiis tarsisque anticis ferrugineo-testaceis, tibiis intermediis totis posticisque basi, late testaceis.

*I. deliratorius* Linn. Fn. Sv. 1597. ♂. Fabr. Piez. 64. 51. ♀. Gravenh. Ichn. 1. 219. 68. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi mens. Jul. rarius. Magnitudo *I. lineatoris* No. 1. (Lapp.-Scan. pass.)

**7. I. molitor:** ater, scutello et antennarum tibiarumque annulis albis, abdominis segmentis duobus analibus albo-notatis. ♀.

*Fem.:* longit. circiter 4½ lin. — Antennar. articuli 9 — 15 albi. Metathorax cancellatus. Abdominis segmenta 2 ultima macula dorsali alba. Segmentum secundum interdum subferrugineum. Pedes tarsis exalbidis s. fuscis, tibiis omnibus basi late albo-annulatis. *Mas:* feminae simillimus et ab illa tantum diversus: antennis pedibusque gracilioribus, abdomineque minus convexo et paullo angustiore; a Cel. Gravenhorst l. c. descriptus; talem vero inter magnum numerum individuorum femineorum nunquam inveni.

*I. molitorius* Linn. Fn. Sv. 1587. Fabr. Piez. 55. 5. Gravenh. Ichneumon. 258. 87. ♂♀.

Hab. in Lapponiis sylvaticis passim; femina tantum visa. (Lappon.-Scan. freq.)

**8. I. Sugillator:** ater, orbita oculorum interna, annulo antennarum, scutello abdominisque segmentis anticis puncto laterali, albis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. antennis in utroque sexu albo-annulatis.

*I. sugillatorius* Linn. Fn. Sv. 1578. Gravenh. Ichneum. 1. 437. 172. ♂♀. *I. moratorius* Fabr. Piez. 54. 2.

Var. b. ♂. antennis immaculatis.

Hab. in Lapponiae fruticibus rarius. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Longit. circiter 5½ lin. Palpi maris albi, feminae nigri. Alae in utroque sexu fumato-hyalinae. Abdomen punctatum, cyaneo-atrum, puncto laterali apicali in segmentis 4 anticis albo. Pedes nigri, genubus, tibiis tarsisque anticorum latere antico albidis; tibiis intermediorum latere antico etiam albido. Cauda feminar. subexserta.

*Obs.* *I. bimaculatorius* Panz., *I. corruscator* Fabr., *I. oratorius* Panz. et plures aliae Succiae inferioris species hujus subdivisionis, in Lapponia forsitan pereprinautur.

*I. nitidulator*; vide infra No. 19.

*I. pullulator*; vide *Cryptum pullulatorem* No. 3.

*Subdiv.* 2. femoribus rufis. ° *Majores* aut *medii.*

**9. I. natator:** ater, orbita oculorum interna, scutello, annulo antennarum, punctis duobus in segmentis 2 et 3 albis, pedibus fulvis, posticorum femorum geniculis, tibiarum apice tarsisque, nigricantibus. ♀.

Var. a. ♀. abdominis segmentis 2 et 3 basi puncto laterali albo.

*I. natatorius* Fabr. Piez. 57. 16. var. Gravenh. Ichn. 1. 429. 169. ♀. *I. sugillatorius* Fabr. Piez. 54. 1. (exclus. Syn. Linn.) *I. mediatorius* Panz. Fn. 80. f. 7. certe. ♀.

Var. b. ♀. abdominis tantum segmento secundo basi puncto laterali albo; frequentior.

Hab. in Lapponia inferiori rar. (Lapp.-Scan. pass.)

*Fem.* Long. 7½ lin. Caput et thorax subpubescentia. Orbita oculorum anguste alba, interdum obsoleta. Antennar. articuli 9, 10 — 15 albis. Palpi apice pallidi. Thorax (in nostris) immaculatus, scutello albo. Alae fumato-hyalinae, nervis subpallidis. Pedes rufi, coxis et trochanteribus nigris.

**10. I. castigator:** ater immaculatus, pedibus fulvis, posticorum tibiis apice tarsisque nigris. ♂♀.

Fabr. Piez. 68. 77. ♂. Gravenh. Ichneumonol. 1. 124. 20. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim, e pupis Papilionum saepe exclusus. (Lappon.-Scan freq.)

*Mas.* et *Fem.* Summa affinitas praecedentis, et eo parum minor, immaculatus. Antennae maris subtus fuscae s. rufescentes, feminae articulis 3 — 15, 16 rufis. Metathorax distincte cancellatus, utrinque unituberculatus. Alae ut in priori. Pedes fulvi, coxis, trochanteribus, tibiarum posticarum apice tarsisque, nigris.

**11. I. fabricator:** ater, facie, scapo subtus scutellique apice, albis, antennis inferne pedibusque rufis, tibiarum posticarum apice tarsisque nigris. ♂.

Var. a. ♂. facie (fronte) tota, saepe subtus, scutelloque albis.

Fabr. Piez. 68. 80. ♂. Gravenh. Ichneum. 1. 85. 46. var. c. ♂.

Var. b. ♂. minor, facie nigra, palpis, orbita oculorum interna, scapo subtus scutellique apice punctis 2, antennis inferne fuscis.

Gravenh. l. c. var. 4.

Var. c. ♂. paullo longior, facie flava, macula obcoronata nigra; scapo subtus macula angusta, linea antealari scutellique apice maculis aut punctis 2, albis; antennis medio inferne piceis, tibiarum posticarum apice late nigro.

Var. d. ♂. facie nigra, palpis, orbita oculorum et saepe linea brevi ante alas, albis, scutello antennisque totis nigris, his in medio inferne tantum piceis.

Gravenh. l. c var. 6.

Hab. in Lapponia sylvatica frequens. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* Priori minor; longit. $3\frac{1}{2}$ — 5 lin. Angustus, parum pubescens, abdomine nitido. Palpi albi. Metathorax cancellis distinctis. Pedes rufi, coxis et trochanteribus nigris.

**12. I. rubellator**: ater, orbita oculorum interna alba, pedibus fulvis, tarsis posticis apice fuscis, abdominis segmento secundo basi et apice piceo-ferrugineis. ♂.

(Vix I. *rubellus* Gravenh. Ichneum. I. 138. 16. ♂; nam is capite toto nigro, abdominis segmenti secundi margine summo castaneo, et longitudine ad summum 3 linearum gaudet.)

Hab. in Lapponia ad flumen Tornense rarissime, duo tantum specimina, unum supra, et alterum infra Kengis, mense Augusto, legi. (Lapponia.)

*Mas.* Magnitudo et summa affinitas praecedentis, a quo pictura tantum differt Caput cum palpis et antennis nigrum, orbita oculorum interna solum albida. Abdomen nigrum, segmento secundo basi utrinque impresso, et summo margine apicali, obscure ferrugineis, subpellucidis. Alae hyalinae, stigmate subinfuscato. Pedes fulvi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis posticis articulis primo apice, reliquis totis fuscis.

**13. I. impressor**: ater, alarum stigmate obscuro, antennarum articulis mediis supra apice fuscis, pedibus fulvis, tarsis posticis nigricantibus.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Giebostad Nordlandiae septentrionalis die 22. Jul. unicum specimen inveni. (Lapponia Norvegica.)

*Fem.* Magnitudo et affinitas prioris, sed vix ejus femina. Ab *I. castigatore*, cui sat similis, differt imprimis colore antennarum et stigmatis. Niger nitidus, antice parum pubescens. Antennae nigrae, articulis 3 — 9 superne apice piceo — seu obscure ferrugineo-notatis. Palpi nigri. Thorax et abdomen immaculata. Alae fumato-hyalinae, stigmate nigricante. Pedes fulvi, femoribus subincrassatis; coxis et trochanteribus nigris, tarsis posticis nigricantibus, articulo primo basi luteo. Foveae 2 in fronte supra antennas, et 2 aliae laterales ad basin abdominis segmenti secundi, nitidae, impunctatae, in *I. castigatore* et pluribus speciebus hujus generis impressae, in hac specie sat profundae; hinc nomen.

**14. I. fenestrator**: ater, alarum stigmate pallido, antennis annulo albido, orbita oculorum superna punctoque laterali in segmento secundo abdominis obsolete ferrugineis, pedibus fulvis, tarsis posterioribus fuscis. ♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi tantum duo specimina obvia, unum ad Muonioniska d. 17. Aug., et alterum ad Kengis d. 22. ejusdem. (Lapponia; Botnia.)

*Fem.* Magnitudo *I. castigatoris* vel paullo major. Niger nitidus, antice parum pubescens. Orbita oculorum supera seu verticalis (in altero individuo abrupta, obsoletior) ferruginea. Antennarum articuli 9, 10 - 16 albissimi, infra nigro-notati. Palpi nigri. Thorax et abdomen punctulata nigra immaculata, segmento tantum secundo basi utrinque striga parva oblique impressa subpellucida margineque apicali, ferrugineis; foveis vero basalibus ordinariis, in hac specie parum perspicuis. Pedes fulvi, posteriorum tarsis nigricantibus; omnium coxis et trochanteribus nigris. Cauda parum exserta. Metathorax vix tuberculatus.

**15. I. saturator**: ater, annulo antennarum, scutello anoque albis, pedibus rufis, posticorum femorum tibiarumque apice tarsisque nigricantibus. ♂♀.

*Mas:* segmento anali septimo s. ultimo albo.

*Fem.:* segmentis analibus sexto apice, septimo toto, albis.

Var. a. ♂♀. femoribus rufis immaculatis.

*I. saturatorius* Linn. Fn. Sv. 1586. ♀. Fabr. Piez. 56. 13. Gravenh. Ichneum. I. 237. 78. ♂♀. (Long. 4—6 lin.)

Var. b. ♀. femoribus rufis, anticis basi nigro-maculatis.

Hab. in Lapponiae sylvis passim. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo plerisque *I. fabricatoris* (No. 11), sed variat etiam minor. Palpi nigri. Antennarum annuli 13, 15 — 19, 20 in mare; 9 — 15 in femina, albi. Alae hyalinae, stigmate fusco. Pedes rufi, coxis et trochanteribus nigris; tarsis omnibus plerumque etiam nigris, posticorum femorum geniculis et tibiis apice, fuscis. Metathorax distincte cancellatus, utrinque tuberculo minuto armatus.

**16. I. anator**: ater, lineola et puncto ad radicem alarum, scutello, ano, orbita oculorum in mare, annuloque antennarum in femina, albis; pedibus in utroque sexu rufis, posticorum apice tarsisque fuscis. ♂♀.

*Mas:* orbita oculorum interna, palpis et colli margine summo, albis; antennis subtus rufescentibus.

*Fem.:* orbita oculorum nulla; palpis testaceis; antennarum fuscarum articulis 8, 9, 10 — 12 sordide albidis

Gravenh. Ichneum. I. 250. 81. ♂♀. *Cryptus anator* Fabr. Piez. 87. 74. ♂.

Hab. in Lapponia cum praecedente. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Parvus in hac subdivisione, priori fere duplo minor. Niger, subpubescens. Linea antealaris et alia infra alas brevior, albae. Scutelli puncta 2 alba. Metathorax cancellatus utrinque unituberculatus. Abdomen ovato-oblongum, segmentis 2 ultimis totis et 3 etiam margine, albis. Pedes breves, crassi, (hinc ad *Cryptum* a Fabricio relatus) rufi, coxis trochanteribusque nigris; posticorum tibiis apice tarsisque fuscis. Cauda parum exserta. Variat femina antennarum articulis 8 — 12; 9 — 12; 10 — 12 fusco-albidis.

**17. I. vaginator**: ater, facie pallido-maculata, scutello abdominisque segmentis 2., 3., 4., 6., 7. margine flavis, pedibus dilute croceis, posticorum femorum tibiarumque apice nigro. ♂.

*I. vaginatorius* Linn. Fn. Sv. 1592. Fabr. Piez. 62. 39. Panz. Fn. 79. f. 8. Gravenh. Ichneum. I. 357. 138. ♂.

Hab. in Lapponia, Collect. D. Kolström, mihi ibi non obvius. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* Long. 5 — 6 linear. Niger Palpi pallidi. Facies (frons) aut flava nigro-maculata, aut nigra, relicta tantum intra oculos utrinque linea brevi flava. Antennae plerumque subtus rufescentes, scapo aut nigro, aut flavo. Alarum squama (tegula) et linea sub alis, flavae. Scutellum flavum. Abdominis segmenta 2, 3 sinuatim, 4 abrupte, 6, 7 aequaliter, flavo-marginata. Alae pallide nervosae. Pedes crocei, coxis, posticorum trochanteribus tibiarumque annulis apicalibus latis, nigris

*Obs. I. pedatorius* Fabr., *I. fossorius* Fabr., *I. frontatorius* Fabr., *I curtus* Schrank., *I. nobilitator* Grav. et plures ad hanc Subdivisionem pertinentes Sueciae inferioris frequentes incolae, vix Lapponiam inhabitant.

°° *Minuti.* Nitidi) *Stilpnus* Grav.). Nervo alar. ab areola excurrente obsoleto.

*I. minutor* vid. *Cryptum minutorem.* No. 4.

*I. pullulator* vid. *Cryptum pullulatorem.* No. 3.

**18. I. pygmaeator**: ater, nitidus, pedibus flavis, abdomine laevissimo, medio fascia picea; alarum nervulo ab areola versus apicem excurrente obsoletissimo. ♂.

*Stilpnus* (subgenus *Ichneumonis*) Gravenh. Ichneumonol. I. 664.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; sub lapide ad Juckasjervi die 30. Jun. unicum individuum inveni. (Lapponia.)

*Mas.* Pusillus, parum ultra 2 lin. longus. Niger, nitidus, laevis. Caput transversum, subpubescens. Oculi oblongi, subexserti Antennae porrectae, subfiliformes, graciles, (ut mihi videtur) circiter 24-articulatae (praeter radiculam), articulis 1mo ovato crasso, 2do brevi, 3 — 10 longioribus invicem subaequalibus, reliquis 11 — 24 sensim brevioribus; sat arcte connexis; nigrae, articulo secundo basi anguste pallido. Os et palpi sordide flava. Metathorax subcylindricus, versus abdomen angustior, cancellis longitudinalibus distinctus. Abdomen laevissimum, nitidissimum, angustum, versus basin sensim attenuatum, petiolo angusto, lineari, apice bituberculato; nigrum, fascia media obscure ferruginea. Alae hyalinae, stigmate fusco. Areola 5-angularis completa, sed nervulus ab illa versus apicem alae excurrens obsoletissimus, vix ejus vestigium. Pedes graciles, pallide flavi, coxis subpubescentibus nigris, apice flavo, femoribus basi subinfuscatis.

**19. I. nitidulator**: ater, nitidus, laevissimus, geniculis tibiisque obscure testaceis, alarum nervulo versus apicem excurrente obsoletissimo. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; in alpe Lyngentind Nordlandiae septentrionalis die 26. Jul. unicum individuum detexi. (Lapponia; in Scania ad Esperod eundem semel inveni.)

*Mas.* Praecedente fere minor, brevior. Totus glaber, nitidissimus, laevissimus, ater. Caput breve, transversum Oculi oblongi. Antennae filiformes, paullo breviores quam in priori, sed non graciliores. Os nigro-piceum, palpis fuscis. Thorax gibbus. Metathorax convexus, cancellatus. Abdomen lanceolatum, subdepressum, petiolo angustissimo, elevato, substriato, tuberculis nullis. Alae hyalinae, stigmate fusco. Areola completa, sed nervulus, qui ordinarie ab illa in apicem duci solet, nullus, ne quidem ejus vestigium. Pedes breves, subincrassati, nigri, coxarum et trochanterum summo apice, femorum basi anguste, geniculis tibiisque, testaceis, his medio tarsisque fuscis.

**Tribus 2. Abdomine rufescente, s. saltem late rufo-cingulato.**

° Majores.

**20. I. fusorius:** ater, orbita oculorum interna, scutello, lineolis brevibus ad radicem alarum, antennarumque annulo in femina, albis, tibiis, tarsis abdomineque in utroque sexu rufis, petiolo nigro. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 1598. ♂. FABR. Piez. 64. 47. GRAVENH. Ichneum. 1. 457. 186. ♂♀. *I. simulatorius* FABR. Piez. 64. 48. ♂. *I. lentorius* PANZ. Fn. 71. f. 11. ♀. — An etiam *I. bisorius* LINN. Fn. Sv. 1589. ♀?

Hab. in Lapponiae sylvaticis passim. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnus, 8 — 11 lin. longus. Subpubescens. Orbita oculorum in masculis interdum obsoleta. Palpi in utroque sexu nigri, apice testacei. Linea antealaris et alia sub alis brevis, albae. Metathorax non tuberculatus. Alae brunnescentes, stigmate pallido. Abdomen, tibiae et tarsi rufo-flava, petiolo nigro. Femora antica latere antico apice flavo-maculata. Cauda brevissima in femina.

**21. I. pisorius:** ater, orbita oculorum interna, scutello, lineis ad radicem alarum elongatis, antennarum annulo in femina fronteque in mare, albis; abdomine pedibusque in utroque sexu rufis, petiolo, femoribus tibiarumque posticarum apice nigris. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 1589. ♀. FABR. Piez. 59. 25. GRAVENH. Ichneum. 1. 462. 187. ♂♀.

Hab. cum priori, in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo et affinitas praecedentis, nec differt ab illo nisi palpis, fronte et antennarum scapo in mare albidis, lineis thoracis, saltem in femina, longioribus, tibiis tarsisque magis albido-flavicantibus, tibiarumque posticarum apice semper nigricante. Tarsi postici et tibiae anteriores latere postico saepe etiam fusca.

°° Medii.

**22. I. ornatorius:** ater, lineolis ad radicem alarum scutelloque albis, abdominis segmentis 2 et 3 rufis, marginibus nigris, ultimis albo-marginatis, tibiis flavis, posticis apice nigro. ♂.

Var. a. ♂. segmentis 4 — 7 albo-marginatis.

PANZ. Fn. 73. f. 15. ♂. GRAVENH. Ichn. 1. 311. 110. ♂.

Var. b. ♂ segmentis 5--7 albo-marginatis, 4to toto nigro.

Hab. in foliis fruticum Lapponiae rar. (Lapp.-Scan. pass. freq.)

*Mas.* Longit. circiter 6 linear. Subpubescens. Palpi nigri. Metathorax obsolete tuberculatus. Abdominis segmenta 2, 3 rufa, margine anguste nigro, reliqua nigra, 4 saepe et 5 semper albido-marginata, 6 macula triangulari et 7 macula ovali, notata. Alae fumato-hyalinae, stigmate pallido. Genua, tibiae et tarsi spinulosi, flava, tibiis posticis apice tarsorumque annulis nigris. Pedes postici raro toti nigricantes.

**23. I. sarcitorius:** ater, annulo antennarum, scutello, lineola sub alis segmentoque abdominis sexto, albis, segmentis 2 et 3 rufis, hoc basi nigra, pedibus luteis, posticarum femorum tibiarumque apice determinate nigro. ♀.

LINN. Fn. Sv. 1580. ♀. diagnos. (Non FABR. et PANZ.) GRAV. Ichn. 1. 302. 105. ♀.

Hab. in Lapponia cum priori rar. (Lapp.-Scan. pass.)

*Fem.* Priori paullo brevior, seu circiter 4½ lin. long. Subpubescens. Palpi nigri. Antennae articulis 1 nigro, 2 — 9 fusco-ferrugineis, 10 — 16 albidis, reliquis nigris. Alae flavedine subtinctae. Abdominis segmentum 3tium basi fascia nigra. Pedes incrassati rufi, coxis, trochanteribus omnium, et femoribus tibiisque posticorum apice, nigris. An femina praecedentis?

**24. I. luctatorius:** ater, scutello, lineolis ad radicem alarum, segmentis abdominis 2 et 3, tibiisque flavis, harum posticis apice nigris. ♂♀.

*Mas:* fronte flava s. flavo-maculata, palpis pallidis; segmentis 2, 3 flavis; paullo longior, angustior; frequentior.

*Fem.:* forte hujus; orbita oculorum interna ferruginea, palpis fuscis, antennar. articulis 1, 2 nigris, 3 — 7 fuscis, 8 — 16 albis, reliquis nigris; segmentis 2, 3 rufis, hoc margine basali subinfuscato; brevior, abdomine latiori; rarior.

LINN. Fn. Sv. 1590. ♂. FABR. Piez. 60. 29. ♂. GRAV. Ichneum. 1. 411. 162. ♂.. *I. culpatorius* LINN. Fn. Sv. 1583. ♀?

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitud. maris 5 — 9, feminae 5 — 7 linear. Subpubescens. Alae fumato-hyalinae. Pedes nigri, anteriores geniculis, tibiis tarsisque flavis; postici tibiarum basi late, tarsisque nigris.

**25. I. raptorius:** ater, antennis tricoloribus, scutello pallido, ano albo-maculato, abdominis segmentis 2, 3 tibiis tarsisque rufis. ♀.

Var. a. ♀. antennarum articulis 3—9 rufis, 10—15 albis, geniculis pedum anteriorum rufis, segmentis 6, 7 albo-maculatis.

Var. b. ♀. femoribus anticis rufis; reliqua ut in var. a.

Var. c. ♀. antennis nigris, articulis 10—15 albis, reliqua ut in var. a.

Var. d. ♀. pedibus rufis, posticorum femorum tibiarumque basi tarsisque, nigris, segmentis 5—7 albo-maculatis; reliqua ut in var. c.; freq.

Var. e. ♀. minor, pedibus et ano ut in d.; antennis ut in a.

Var. f. ♀. pedibus totis rufis, coxis solum nigris; reliqua ut in var. c.

Var. g. ♀. orbita oculorum interna ferruginea, antennarum articulis 3—10 fuscis, 11—16 albis; pedibus ut in f., petiolo et segmentis 2 et 3 ferrugineis; ano et reliquis ut in var. a. rarissim.

LINN. Fn. Sv. 1779. (non FABR. idem). GRAV. Ichneum. 1. 286. 97. ♂♀. et varietat.

Hab. in Lapponia sylvatica rarius; var. d. frequenter; varietates f. et g. tantum in floribus Salicum, et in truncis arborum ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 21. Jun. — 3. Jul. lectae; sed in alpibus et in Nordlandiae Finmarkiaeque inferalpinis individua hujus speciei frustra quaesivi. (Lappon.-Scan. var. a—e. pass.)

*Fem.* 4 — 6 lineas longa. Subpubescens. Abdomen glabrum, nitidum. Palpi nigri, apice testaceo. Metathorax vix tuberculatus. Alae flavedine subtinctae. Pedes mediocres, tibiis non spinulosis.

**26. I. eremitatorius:** ater, scutello sanguineo-notato, abdominis segmentis 2, 3 rufis, pedibus anticis, tibiis tarsisque posticis flavis, tibiarum posticarum apice fusco. ♂.

Hab. in insula Tromsoe Nordlandiae septentrionalis; d. 24. Jul. unicum individuum captum. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* *Ichn. luctatorio* affinis, sed minimis ejus adhuc duplo minor, aliter coloratus. Niger, parum pubescens. Antennae elongatae. Palpi fusci. Scutellum apice sanguineo-notatum. Metathorax subdepressus, rugosus et striis longitudinalibus elevatis cancellatus. Abdomen elongatum; petiolo nigro, dorso striis 2 elevatis; segmentis 2, 3 punctatis, rufis, punctis 2 nigris in medio segmenti tertii; segmentis reliquis nigris. Alae hyalinae stigmate obscuriori s. fusco-testaceo, basi albido-notato; squamula picea. Pedes mediocres, inermes; antici rufo-flavi, femoribus latere postico nigro-lineato; intermedii rufo-flavi, femorum medio late nigro; postici nigri, basi femorum anguste, tibiarum late, tarsisque totis, rufo-flavis. Coxae et trochanteres omnium nigra.

**27. I. stigmatorius:** ater, antennarum annulo albo, scutello apice sanguineo, alarum stigmate flavo, abdominis segmentis 2, 3 rufis, tibiis tarsisque flavis, tibiarum posticarum apice fusco. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Wittangi d. 15. Jun. unicum individuum invenire mihi contigit. (Lapponia Suecica.)

*Fem.* Magnitudo et affinitas praecedentis, paullo brevior, et vix ejus femina. Differt inprimis ab illo antennarum et stigmatis colore, ut et loco natali. Punctatus niger. Palpi fusci. Antennae crassae, articulis 1 maximo et 2 minutissimo, nigris, 3 longiori rufo, 4 mediocri piceo, reliquis subaequaliter longis, colore 5—8 nigris, 9 — 13 albis, ceteris nigris. Scutellum summo apice sanguineo-notato. Metathorax subconvexus, cancellatus, retusus et utrinque unituberculatus. Abdomen oblongum, petiolo striato nigro, segmentis 2, 3 punctatis rufis, reliquis nigris. Cauda parum exserta. Alae flavedine tinctae, stigmate pallido, puncto albo minuto ad basin notato. Sqamula picea. Pedes mediocres, inermes, nigri; anteriorum femorum basi anguste, geniculis, tibiis tarsisque, rufo-flavis; posticorum basi femorum anguste, tibiarumque late, tarsisque totis, rufo-flavis.

*Obs.* *I. quaesitorius* LINN., *I. vadatorius* GRAV., *I. sputator* FABR. et plures aliae species Suecanae hujus subdivisionis, in Lapponia a me non collectae.

°°° *Minores:* — femoribus feminarum saepe brevibus, crassis.

α) Cauda feminarum brevissima, vix exserta.

*I. eremitatorius* vide No. 26. supra.

*I. stigmatorius* vide No. 27. supra.

**28. I. vulneratorius:** ater, antennis annulo albido, thoracis maculis dorsalibus scutelloque ferrugineis, abdominis segmentis 1—3 pedibusque rufis, ano albo-notato. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi forte rarius, sub cortice Pini sylvestris putridae ad Wittangi d. 13. Jun. duo tantum specimina legi. (Lapponia.)

*Fem.* Parvus, parum ultra 3 lin. longus. Parum pubescens, niger. Os piceum, palpis fuscis. Antennae articulis 8, 10 — 13 albidis aut testaceis. Thoracis macula humeralis utrinque obsoleta. Scutellum et linea minuta sub scutello, obscure rufa. Metathorax vix tuberculatus. Abdomen ovato-oblongum, punctatum, parum nitidum, nigrum, segmentis 1, 2, 3 totis rufis, 6 macula apicali et 7 dorso toto, albis. Alae hyalinae radice et stigmate pallidis, squama (tegula) ad originem alae ferruginea. Pedes breviusculi, inermes, toti rufi, coxis et trochanteribus nigris, unguibus fuscis.

**29. I. deceptorius:** ater, antennarum annulo, scutello maculisque analibus albis, segmentis 1, 2, 3 pedibusque rufis, pedum geniculis, tibiarum apice tarsisque, nigris. ♀.

*I. deceptor* GRAV. Ichneum. 1. 332. 126. var. 3. ♀. ($2\frac{1}{2}$ — 5 lin. long.) an idem?

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, ibique non nisi unicum individuum inveni. (Lapponia; Scania rarissime.)

*Fem.* Similis et affinis praecedenti; ejus vero magnitudinem vix attingit, at pictura imprimis diversus. Antennae articulis 9 — 14 albis. Thorax niger immaculatus, scutello albo. Metathorax et abdomen ut in priori, segmentis 5 — 7 albo-maculatis. Cauda brevis. Alae hyalinae, vix flavedine tinctae, stigmate fusco, squama obscura. Pedes breves, validi, rufi, coxis et trochanteribus nigris; posticorum femorum tibiarumque apice cum tarsis, nigris.

**30. I. celeratorius:** ater, antennarum annulo albo, abdominis segmentis 1—4 pedibusque rufis, horum posticis femorum tibiarumque apice tarsisque nigris. ♀.

*I. celerator* GRAV. Ichn. 1. 566. 239. ♀.

Hab. in Lapponia locis cultis rar. (Lapp.-Scan. freq.)

*Fem.* Longitud. 2 — 3 linear. Cylindricus, subpubescens, punctulatus, niger. Palpi fusci. Antennae articulis 1 nigro, 2 obscuro, 3 — 6, 7 rufis, 7 — 10 saepe infuscatis, 10 — 13 albis, reliquis nigris. Metathorax cancellatus, vix tuberculatus. Alae fumato-hyalinae, stigmate fusco. Abdomen segmentis 1 laevi, 2, 3, 4 punctulatis, rufis. Cauda parum exserta. Pedes rufi, coxis et trochanteribus basi late, nigris; posticorum femorum dimidietate apicali, tibiarum basi anguste, apice latius, nigris, tarsis fuscis. *Mas* mihi ignotus, nisi latet sub individuis masculis, huic subsimilibus, in Suecia inferiori captis, antennis totis nigris, abdominis petiolo apice, segmentis 2, 3, 4, pedibus anterioribus, posticorum femorum summa basi, tibiarumque medio late, rufis.

**31. I. cursorius:** ater, antennarum annulo albo, scutello sanguineo, abdominis segmentis 1 apice, 2, 3 totis, 4 lateribus, pedibusque rufis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; unicum tantum individuum in Betula ad Juckasjervi d. 1. Jul. inveni. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo et affinitas prioris, a quo imprimis differt antennis multo crassioribus, scutello rufo, petiolo striato, et pedibus immaculatis. Os et palpi fusco-ferruginea. Antennae crassae, articulis arcte connatis, 1, 2 nigris, 3 — 7 fusco-ferrugineis, 8 — 12 sordide albidis, reliquis nigris. Scutellum ferrugineum, linea transversa subscutellari parva, obsoleta, etiam rufa. Metathorax cancellatus, apice retusus, vix tuberculatus. Abdomen ovato-oblongum, punctulatum, petiolo striato nigro, apice rufo, segmentis 2, 3 totis rufis, 4 lateribus et margine antico anguste, rufis, reliquis nigris, immaculatis. Cauda parum exserta. Alae fumato-hyalinae, stigmate pallido, squama ferruginea; areola pentagona distincta. Pedes inermes, paullo longiores et minus crassi quam in priori, toti rufi, coxis tantum et trochanterum basi ultra medium, nigris.

**32. I. cryptorius:** ater, abdominis medio, pedibus anticis, tibiis intermediis totis et posticis basi, rufis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lapp.-Botnia borealis in Calix rar.)

*Mas* Circiter $3\frac{1}{2}$ - 4 lin. longus. Parum pubescens, punctulatus, ater. Palpi fusci. Antennae dimidio corpore parum longiores, filiformes. Thorax immaculatus. Metathorax cancellatus, subretusus, non tuberculatus. Abdomen oblongum, punctulatum, subpubescens, nigrum, petioli parum elevati apice, segmentis 2, 3 totis, quartoque ultra medium, rufis. Alae hyalinae, stigmate subinfuscato; squamula nigra; areola magna, 5-angulari; nervulus ab illa excurrens usque ad summum alae marginem apicalem ducitur; nervuli dividentis in area subcostali media vestigium. Pedes mediocres, inermes, nigri; antici femoribus, tibiis tarsisque rufo-testaceis; intermedii femorum basi apiceque anguste, tibiis totis tarsisque, rufis; postici nigri, femorum summa basi, tibiis ultra medium tarsorumque annulis angustissimis, rufis. Femina hujus speciei mihi ignota, forte cauda exserta instructa. Species *Crypto* affinis.

**33. I. pullulatorius:** ater, antennarum medio, abdominis segmentis 2, 3 pedibusque rufis, alarum nervulo ab areola versus apicem excurrente obsoletissimo ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in Pinetis ad Wittangi d. 15. Jun. captus. (Lapponia.)

*Fem.* Pusillus, vix 2 lin. longus; generi *Stilpno* GRAV. affinis. Vix pubescens, niger. Palpi fusco-testacei. Antennae subtenues, articulis 6 — 18 et ultra fusco-ferrugineis. Thorax immaculatus. Metathorax convexus, reticulatus, parum retusus, nec tuberculatus. Abdomen lanceolatum, sublaeve, subnitidum, petiolo elevato, angusto, nigro; segmentis 2, 3 rufis, reliquis nigris. Cauda paullo exserta. Alae hyalinae, squamula pallida, stigmate fusco; areola triangularis, sed nervuli ab illo ad apicem excurrentis vix nisi ad basin vestigium. Pedes inermes, parum incrassati, rufescentes, coxis (summo apice excepto) et trochanterum basi, nigris, femoribus posticis in medio extus subinfuscatis.

*Obs. I. fascatorius* PANZ. (non FABR.) et plures in Suecia inferiori habitantes, huic Phalangi associandi, in Lapponia a me non visi.

β.) Cauda feminarum distincte exserta, (*Cryptiformes*).

**34. I. festinatorius:** ater, orbita oculorum interna, antennis medio tibiisque posticis basi annulo, albis, abdomine pedibusque rufis, petiolo basi, tibiis tarsisque posticis infuscatis. ♀.

*Cryptus profligator* GRAV. Ichn. 2. 729. 203. et FABR. Piez. 83. 52. vix ut Synonymon huc referri potest.

Hab. in Lapponiae cultis rar. (Lappon.-Ostrogoth. freq.-Scan. rar.)

*Fem.* Minutus, $2 — 2^1$ lin. longus. Similis et affinis *I. celeratorio* (No. 30), a quo antennis crassioribus, annulo tibiarum albo et cauda paullo magis exserta differt. Os piceum, palpis pallidis. Antennae crassae, scapo subtus piceo, articulis 9 — 14 albis. Metathorax cancellatus, retusus et subtuberculatus. Abdomen oblongo-ovatum, parum punctatum, nitidum, rufum, petiolo piceo. Cauda longitudine 4tae partis abdominis, exserta, nigra. Alae hyalinae stigmate fusco, squamula pallida. Pedes inermes rufi, coxis et trochanteribus basi, nigris; posticorum femorum apice, tibiis saepe, tarsisque, fuscis, annulo tibiarum basi semper albo.

**35. I. frequentorius:** ater, annulo antennarum albo, abdomine, tibiis spinulosis tarsisque, rufis. ♀.

Hab. cum priori in Lapponia rar. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. pass.)

*Fem.* Praecedente paullo major. Pubescens, nitidus, niger. Palpi fusco-testacei. Antennae crassae, nigro-fuscae, articulis 7 — 12 albis. Metathorax cancellatus et retusus. Abdomen oblongo-ovatum, laevissimum, subpubescens, nitidum rufum, petiolo basi, anoque saepe piceis. Cauda longitudine circiter quartae partis abdominis, vix $\frac{1}{3}$ lin extra anum exserta, nigra. Alae fumato-hyalinae, stigmate parum fusciori; squamula picea. Areola 5-angularis: nervulus ab illa versus apicem excurrens, abruptus, in medio desinit, nec usque ad marginem alae ducitur. Pedes validi, breves, coxis nigris, femoribus piceis, geniculis, tibiis incrassatis spinulosis, tarsisque testaceis.

*Obs. Cryptus fuscatus* FABR., *Ichn. delusor* FABR., *I. exhortator* PANZ. et aliae hujus subdivisionis, sunt Sueciae, vix vero Lapponiae incolae, quantum novi.

## Alomya.

GRAVENH. et PANZ. *Cryptus* et *Ichneumon* FABR. LATR.

Antennis setaceis, capite subgloboso, corpore elongato, metathorace convexo haud cancellato, areola alarum 5-gona; genus *Ichneumoni* valde affine, cujus unica species, *H. debellator* auctor. „nigra, pedibus anticis tibiisque posterioribus rufis, abdomine elongato vel immaculato, vel in medio rufo, segmentis 2, 3, 4, 5 in femina rufis;" in Suecia meridionali infrequens, in Lapponia etiam habitare fertur, mihi in terris borealibus non obvia.

## 11. Cryptus. FABR.

GRAVENH. Ichn. Eur. Gen. 5. FABR. FALL. *Xorides* LATR.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, oblongum, glabriusculum. Antennae dimidio corpore longiores, setaceae (feminarum praesertim graciliores quam femin. *Ichneumonis*). Metathorax non cancellatus (striis scilicet longitudinalibus elevatis nullis). Abdomen petiolatum, convexum, apice dilatatum, compressum. Alae (interdum nullae) areola (in nostris) magna 5-angulari aut subtriangulari. *Color* niger, rufus; pedes saepissime rufi, antennae et tarsi frequenter albo-annulata. *Motu* valde agilis: volatus velox; sub reptatu alae cito vibrant. *Odorem*, quando capiuntur, spargunt citrino

aut moschato fere similem. *Habitatio* in floribus et plantis variis; feminae supra terram etiam saepe currunt, ova in larvis aut pupis Lepidopterorum profundius absconditis, depositurae; unde etiam terebra longiori instructae sunt; per omnes partes Lapponiae. *Differentia sexus* in abdomine *maris* angustissimo, *feminae* ovato-oblongo, nec non cauda semper longe exserta, statim apparet. Antennae quoque in feminis post mortem apice distincte curvatae. (Spec. Scand. 62 in Museo meo numerantur.)

## *Sectio Prima. Alati, alis completis.*

*Subdiv.* 1.: abdomine nigro.

° antennis immaculatis.

### A. Major.

**1. C. tarseoleucus**: aterrimus, pedibus rufis, posticorum tarsis articulis duobus pallidioribus. ♂♀.

*Mas*: angustior, niger, palpis maxillaribus, orbita oculorum interna, trochanterum posticorum latere antico tarsorumque posticorum articulis penultimo et antepenultimo, flavo-albidis, pedibus luteis; ano mutico.

*Fem.*: robustior, tota nigra, orbita oculorum angustissime aut obsolete albida, pedibus luteis, tarsorum posticorum articulis 2, scilicet penultimo et antepenultimo, flavescentibus; cauda longitudine abdominis.

GRAV. Ichneum. Eur. 2. 447. 19. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica passim; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae rarissime, ex. gr. in Raschstind in insula Schiervoe, ubi specimina d. 28. Jul. inveni, ibi vero varietas feminea tarsis omnibus fulvis, nec flavis, praesertim occurrit. (Lapponia; Botnia in Calix; Ostrogothia pass.; Scania rar.; feminae in nostris terris maribus semper frequentiores; circa *Vratislaviam*, *Hanoveram*, *Parisios* etc. e contrario individua mascula femineis frequentiora leguntur. teste Cel. GRAVENHORST.)

*Mas.* et *Fem.* Magnus in hoc genere, circiter 6—7 lineas longus. Punctatus, glaber, ater. Oculi oblongi, exserti. Metathorax retusus. Abdomen nigro-caerulescens (praesertim in femina) subtilissime punctulatum, petiolo laevissimo. Alae fumato-hyalinae, stigmate fusco; areola 5-gona; nervi dividentis in area subcostali media vestigio, ut in plerisque hujus generis. Pedes elongati, inermes, rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis posticis articulo secundo flavo, tertio adhuc pallidiori, quarto fere albido; variat tamen femina tarsis posticis reliquis parum pallidioribus.

*Not.* Licet nomen *tarseoleucus*, huic speciei tributum, minus aptum videatur, cum plerique *Crypti* sunt *leucotarsei* s. tarsis albis instructi; satius tamen duxi nomen jam impositum et divulgatum, quamquam non optimum, retinere, quam novo etsi forsitan meliori, nomenclaturam augere.

### B. Medius,

**2. C. moschator**: ater, pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque nigris, horum articulis 2, 3, 4 in mare albissimis. ♂♀.

GRAV. Ichn. 2. 451. 21. ♂♀. (Sub nomine *C. atrator* in collectionibus Suecicis vidi.)

Hab. in Lapponia inferiori rar. (Lappon.-Ostrogoth. Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedente triplo et ultra minor. Glaber (praesertim ♀), nitidus, niger. Palpi nigro-fusci. Metathorax retusus, utrinque unituberculatus. Abdomen maris angustum, feminae oblongum, cauda vix longitudine abdominis. Alae hyalinae stigmate fusco, areola 5-gona. Pedes mediocres, fulvi, coxis, trochanteribus et posticorum tibiis tarsisque, nigris, horum articulis 2, 3, 4 in mare totis albissimis, in femina iisdem articulis summa basi tantum angustissime testaceis.

*Obs.* *C. cyanator* GRAV. Ichn. 2. 442. 16. ♀. in Ostrogothia lectus, in Lapponia vix occurrit.

### C. Minuti.

(Ichneumoniformes). (Mares, quorum feminae ignotae).

**3. C. pullulator**: ater nitidus, tibiis testaceis, abdominis fasciis subtribus piceis; alarum nervulo ab areola versus apicem excurrente obsoletissimo. ♂.

Hab. in alpibus Lapponiae rarissime; in ipso alpium Tornensium Jugo die 12. Jul. in nive ambulans individuum descriptum legi. (Lapponia alpina.)

*Mas.* Pusillus, circiter 2 lin. longus. *Ichneumoni* et *Stilpno* GRAV. affinis. Nitidus niger. Caput transversum. Oculi oblongi subexserti. Antennae ut in sequente constructae, nigrae, articulo tertio basi annulo angustissimo testaceo. Os nigrum. Palpi fusci. Thorax gibbus, laevis. Metathorax subconvexus, distincte cancellatus. Abdomen lanceolatum, depressum, subpubescens, laeve, petiolo angustiori, lineari, parum elevato, striato. Segmenta 2 et 3 margine basali et apicali picea l. ferruginea, unde tres fasciae exstant subpellucidae. Alae hyalinae stigmate fusco, areola 5-gona, distincta, sed nervulus ab illa in apicem alae excurrens valde obsoletus, ut in *Stilpno*. Pedes subelongati, parum crassi subpubescentes nigri, trochanterum summo apice, femorum basi anguste, geniculis tibiisque testaceis.

**4. C. minutor**: ater, orbita oculorum interna abbreviata, pedibus fulvis, tarsis posticis fuscis. ♂.

Hab. in Lapponia forte rarissime, non nisi ad pagos Pello et Wittangi duo specimina 4—12. Jun. legi. (Lapponia; Botnia borealis.)

*Mas.* Longitudine fere praecedentis; sed paullo angustior. Sublaevis, nitidus, niger. Oculi oblongi subexserti. Palpi pallidi. Linea intra oculos in facie utrinque brevis, flava. Antennae circiter 24-articulatae, porrectae, subfiliformes, articulis 1 crasso, 2 brevi, 3—10 longioribus invicem subaequalibus, reliquis sensim brevioribus, arte connexis. Metathorax cancellatus. Abdomen subpubescens, angustum, versus basin sensim attenuatum, petiolo parum elevato (hinc non ad *Ichneumonis* genus relatus), subdepresso. Alae hyalinae, stigmate fusco, nervis omnibus distinctis (nec nervulo in apicem excurrente obsoleto ut in priori), et areola quinqueangulari, completa. Pedes fulvi, coxis et trochanteribus nigris, his apice fulvis; tibiis posticis apice fuscis; tarsis posticis nigris.

°° Antennis, feminarum saltem, albo-annulatis.

**5. C. macrobatus**: ater, annulo antennarum tarsisque flavo-albidis, pedibus rufis, posticorum tibiis apice nigris. ♂♀.

*Mas*: abdomine angustissimo, niger, mandibulis concoloribus, palpis, labro, clypeo, facie, antennarum annulo et scapo subtus, tarsorumque articulis 1. apice, et 2—4 totis, flavo-albidis, pedibus fulvis, tibiarum posticarum apice nigro.

*Fem.*: abdomine posterius clavato, niger, capite concolore, orbita oculorum interna faciali tenuissima et brevissima, antennarum annulo, tarsorumque tantum posticorum articulis 1 apice, 2—4 totis, albis; pedibus ut in mare; antennis subtus ferrugineis; cauda longitudine segmentorum 2—7 seu totius abdominis, petiolo demto; in copula

GRAV. Ichneum. 2. 440. 15. ♂♀.

Hab. in Lapponiae arbustis rar. (Lappon.-Ostrogothia Scan. pass. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Longitud. 4—5½ lin. Glaber, niger. Metathorax retusus, muticus. Abdominis petiolus apice, et segmentum 2dum in medio saepe in mare ferruginea. Alae hyalinae, in mare breviores, flavedine tinctae, areola in utroque sexu magna, sub 5-gona, seu, ut libentius vult Cel. GRAVENHORST, subquadrata. Pedes mediocres fulvi, coxis et trochanteribus nigris. Tibiae anteriores in ♂ pallide flavae. Reliqua ut in diagnosi.

**6. C. parvulus**: ater, pedibus cum coxis rufis, areola magna, subquadrata, antennae annulo in femina albo. ♀.

GRAV. Ichn. 2. 459. 26 ♂♀.

Hab. in inferalpinis Finmarkiae rar.; ad Bossekop prope Alten die 4. Aug. inventus. (Lapponia Norvegica; Ostrogothia rar.)

*Fem.* 2—3 lin. long. Parum pubescens, niger. Palpi et antennae nigro-fuscae, harum articulis, 8, 9—11 albis. Metathorax retusus, vix tuberculatus. Abdomen ovato-oblongum, segmentis 1—3 basalibus subtilissime punctulatis, nigro-piceis, margine summo obsolete ferrugineo; segmento 7 plerumque membrana dorsali albida. Cauda longitudine abdominis. Alae subhyalinae, stigmate fusco; radice albida, squamula picea; areola magna, subquadrata. Pedes mediocres, cum coxis et trochanteribus rufi; antici coxis interdum infuscatis, articulo ultimo tarsorum omnium nigricante, unguibus concoloribus.

*Mas*, 3 lin. longus, sed partibus gracilior, pedibus rufis, femoribus tibiisque posticis apice nigris, tarsis posticis fuscis, articulis 2—5 basi albidis, a Cel. GRAVENHORST l. c. describitur, a me in Lapponia frustra quaesitus.

*Subdiv.* 2. Abdomine rufo v. rufo-cingulato.

° Antennis saltem in mare immaculatis.

### A. Majores aut Medii.

**7. C. rusticator**: ater, facie, orbita oculorum interna, lineis ad radicem alarum, scutelli apice, tarsisque posticis albis, abdominis segmentis 2—7 pedibusque rufis, horum

posticis femoribus basi, tibiis apice, metatarsoque annulo, nigris. ♂.

Hab. in Lapponia culta rar. (Lappon.-Ostrogoth. freq. Scan. pass.)

*Mas.* 3 — 4 lineas longus. Subpubescens, niger. Antennae dimidio corpore longiores, nigrae, scapo subtus, palpis, mandibulis, labro, facie (fronte), orbita oculorum faciali augusta, margine collari, linea antealari usque ad collum extensa, puncto sub alis, harum squamula (tegula), scutelli apice tarsisque posticis, flavo-albidis. Metathorax sericeo-subpubescens, parum retusus et vix tuberculatus. Abdomen tenue, glabrum, laeve, nitidum, rufum, petiolo nigro, segmentis posticis interdum fasciis infuscatis. Alae subfumato-hyalinae, stigmate fusco, areola 5-gona; nervuli dividentis areae subcostalis intermediae vestigio. Pedes elongati, rufi, coxis et trochanteribus nigris, horum anterioribus latere antico flavo-maculatis; pedum posticorum femoribus et metatarso annulis basalibus nigris, tibiis etiam posticis nigris, basi testaceis.

*Fem.* atra abdominis segmentis 2 7 pedibusque rufis, coxis, trochanteribus, tibiis posticis et metatarso nigris; an hujus? In Ostrogothia cum mare capta, in Lapponia a me non visa.

*Not.* Mas supra descriptus vix est *Cryptus leucostictus* GRAV., qui, licet nostro in multis similis, tamen differt facie (fronte) aliter colorata etc.

**8. C. obscuripes:** ater, puncto faciali, orbita oculorum interna, tarsisque posticis albidis, abdomine rufo, petiolo pedibusque nigris, tibiis tarsisque anticis testaceis. ♂.

Hab. in inferalpinis Finmarkiae, ad Talvig d. 2. Aug. rarissime inveni. (Lapponia.)

*Mas.* Praecedenti affinis fere dimidio minor, sericeo-subpubescens, niger. Palpi testacei. Mandibulae medio flavae. Macula clypei transversa et altera sub antennis cordata, orbitaque oculorum fascialis at frontalis, latior, flavae. Thorax immaculatus. Metathorax subretusus, vix tuberculatus. Abdomen tenue, glabrum, nitidum, laeve, rufum, petiolo nigro, apice pone tubercula ordinaria rufo. Alae omnino ut in priori. Pedes nigri, postici articulis 2 — 4 albis; antici coxis et trochanteribus flavo-maculatis, femorum apice tibiis tarsisque latere antico, testaceis; intermedii etiam tibiis et tarsis eodem latere piceis.

**9. C. nivalis:** ater, abdominis segmentis 2, 3, 4 rufis, pedum geniculis tibiisque testaceis. ♂.

Hab. in alpibus Lapponiae rarissime, mihi tantum in summo alpium Tornensium jugo in ipsa nive ambulans d. 12. Jul. obvius. (Lapponia alpina.)

*Mas.* Inter minores, vix ultra 2¹ lin. longus, vere *Cryptus*. Subpubescens, parum nitidus, niger. Os et palpi picea. Antennae thorace parum longiores, filiformes, articulis haud elongatis. Thorax immaculatus. Metathorax subdepressus, longitudinaliter elevato-striatus. Abdomen antice angustum, posterius sensim latius, opacum, petiolo pubescente, nigro, summo apice rufo, segmentis 2, 3 totis rufis, 4to etiam rufo, summo margine apicali umbra fusca; reliquis nigris. Alae hyalinae, stigmate nigricante; radice albida; squamula nigra; areola magna, subquadrata. Pedes mediocres inermes, nigri, omnium geniculis et tibiis flavo-rufis; femoribus etiam summa basi annulo angusto pallido, tarsis fuscis.

## B. Minuti.

Mares tantum; feminae ignotae. Corpus parvum. Alae longitudine fere corporis, nervulo, qui ab areola in apicem alae excurrit, plerumque valde obsoleto, vix conspicuo, haud aliter ac in *Stilpno* GRAV. Vestigium nervi dividentis in area subcostali media nullum.

*C. pullulator* vide supra No. 3.
*C. nivalis* vide supra No. 9.

**10. C. ocellator:** ater, abdominis segmentis 2 et 3, pedibusque rufis, posticorum femorum tibiarumque apice late nigro, petioli apice ocello utrinque rufo. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rarissime; in alpe Lyngentind d. 26. Jul. inveni. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* Pusillus, vix ultra 2 lin. longus. Parum pubescens, niger. Palpi fusci. Antennae setaceae, thorace longiores. Thorax immaculatus Metathorax subdepressus, haud striatus. Abdomen angustum, basi tenue, versus apicem sensim latius; nigrum, segmentis 2 et 3 rufis, et petioli apice utrinque puncto seu macula rotunda flavo-pellucida. Alae fumato-hyalinae, stigmate fusco; radice albida, squamula nigra; areola magna subquadrata. Pedes mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris; posticorum femorum et tibiarum apice late nigro, femorum anticorum basi etiam nigro-maculata, tarsis posterioribus fuscis, articulorum annulis basalibus angustis pallidis.

**11. C. borealis:** ater, abdominis segmentis 2do disco, 3tio toto, et 4to disco antico, pedibusque, rufis. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae; in silva betulina ad Evenas juxta Ofotenfjord d. 18. Jul. lectus. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* Circiter 2 lin. longus. Cylindricus, parum pubescens, nitidus niger. Palpi testacei. Antennae thorace paullo longiores, subfiliformes. Thorax immaculatus. Metathorax convexus subcancellatus. Abdomen ut in priori constructum, nigrum, segmento 2 rufo, macula laterali elongata nigra, 3 toto rufo, 4 rufo, lateribus indeterminate nigris. Alae hyalinae, stigmate infuscato; radice albida, squamula nigra; areola mediocri, 5-gona, nervulo exteriori obsoleto. Pedes mediocres, rufi, coxis nigris, trochanteribus nigro-maculatis, tarsis subfuscis.

°° Antennis albo-annulatis.

**12. C. lapponicus:** niger, antennarum annulo niveo, abdominis petioli apice segmentoque secundo obscure rufis, ano albo-squamoso, tibiis tarsisque luteis, horum posticis pallidis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in floribus Salicis ad Juckasjervi d. 1. Jul. utrumque sexum inveni. (Lappon.)

*Mas.* et *Fem.* Circiter 4 lin. longus. Vix pubescens, subopacus, niger. Palpi apice testacei. Antennae thorace paullo longiores, subfiliformes, 36-articulatae, nigrae, articulis in mare 8vo apice, 9 — 18 totis, in femina articulis 7mo apice, 9—15 totis, niveis. Thorax in utroque sexu immaculatus. Metathorax brevis, retusus, subtuberculatus, rugosus, longitudinaliter evidenter elevato-striatus. Abdomen maris sublineare, nigrum, petiolo basi angustato piceo, medio tuberculo utrinque, apice latiori subquadrato, obscure rufo; segmento etiam secundo obscure rufo, lateribus indeterminate nigris; feminae oblongum nigrum, segmentis 1 et 2 obscure rufis; segmento ultimo dorsali in utroque sexu albido-membranaceo. Cauda feminae longitudine abdominis. Alae maris subhyalinae, feminae magis fumatae, stigmate in utroque sexu nigro; radice sordide straminea, squamula (tegula) nigra; areola subtriangulari. Pedes mediocres nigri, geniculis, tibiis tarsisque rufis l. rufo-flavis, tarsis posticis totis pallidioribus.

**13. C. assertorius:** ater, annulo antennarum, orbita oculorum interna, scutello, punctisque ad radicem alarum, albis, abdomine pedibusque rufis, tarsorum posticorum annulo pallido, ano nigro. ♀.

FABR. Piez. 76. 20. ♀. GRAV. Ichn. 2. 495. 50. ♀.

Hab. in Lapponia passim. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. pass.)

*Fem.* Longitudo 2½ — 3 linear. Niger. Palpi fusci. Antennarum articuli 8 — 11, orbita oculorum verticalis, margo collar s, linea ante alas interdum obsoleta, punctumque sub alis, scuteli apex et lineola subscutellaris, alba. Metathorax convexus, v x striatus. Alae subhyalinae, stigmate fusco, areola 5-angulari. Abdomen ovatum laeve, rufum, segmentis 6 – 7 ultimis nigris Cauda vix longitudine dimidii abdominis. Pedes rufi, coxis, tro chanterum et tibiarum posticarum apice, nigris.

*Not.* *Crypt. albatorius*: „segmentis 2 — 7, tibiis anterioribus femoribusque rufis, horum posticis basi nigris; facie, tarsis posticis, thoracis et coxarum anteriorum picturis albis“; a Cel. GRAVENHORST ut *mas* hujus describitur, mihi non obvius.

**14. C. elevatus:** ater, antennarum annulo albo, abdominis segmentis 1—4 rufis, geniculis, tibiis tarsisque rufo-testaceis. ♀.

Hab. in maritimis Nordlandiae septentrionalis, ad Schiervoe d. 27. Jul. rarissime inveni. (Lapponia Norvegica.)

*Fem.* Magnitudo praecedentis. Niger. Palpi concolores. Antennarum articuli 8 — 11 supra albi. Thorax immaculatus. Metathorax brevis retusus, ambitu stria elevata et tuberculo utrinque. Abdomen oblongum nitidum, laevissimum rufum. petiolo basi angusto inferne, segmentisque 5 — 7, nigris. Cauda longitudine vix dimidii abdominis. Alae subhyalinae; stigmate et radice fuscis; squamula nigricante; areola magna, subquadrata. Pedes mediocres inermes, nigri; antice femoribus latere antico tibiis tarsisque rufo-flavis; intermedii geniculis, tibiis tarsisque lividis; posticis tibiis tarsisque obscure rufo-piceis, femorum basi dilutiori.

**15. C. striatellus:** ater, antennarum annulo albo, abdominis segmentis 2—4 pedibusque rufis, posticorum femorum apice, tibiis tarsisque nigris, basi albo-annulatis. ♂.

Hab. in Nordlandia septentrionali rarissime; ad Björkvik juxta Ofotenfjord die 14. Jul. lectus. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* Pusillus, vix ultra 1½ lin. longus, subglaber, parum nitidus, niger. Palpi concolores. Antennae longitudine fere corporis, subfiliformes, articulis arcte connexis, numero aegre distinguendis, nigris, 15—19. supra albis. Thorax immaculatus, opacus, dorso longitudinaliter bistriato. Metathorax convexus, subretusus. Abdomen lanceolatum, glabrum, subnitidum, laeve, petiolo angusto nigro, in medio utrinque tuberculato, apice parum latiore, subquadrato rufo; segmentis 2 — 3 totis rufis, 4 basi rufo, apice

indeterminate nigro, reliquis nigris. Alae hyalinae stigmate subinfuscato, radice exalbida, squamula nigro-picea; areola mediocri, quinqueangulari, nervulo ab illa in apicem alae excurrente obliterato. Pedes mediocres, rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici dimidietate apicali, tibiis tarsisque nigris; tibiarum tarsorumque annulis basalibus albis; femorum anteriorum basi subtus infuscata.
*Obs.* Plures hujus subdivisionis species in Suecia meridionali mihi obviae fuerunt, in Lapponia praeter descriptas nullae; nec *Cryptum melanocephalum* GRAV. et *Crypt. minutorium* FABR. in Ostrogothia haud raro habitantes in Lapponia indagare mihi contigit.

## *Sectio Secunda. Apteri, alis aut brevissimis, aut earum tantum rudimento, aut denique omnino nullis. Minutissimi. Individua mascula rarissima. Subgenus Crypti: Pezomachus* GRAV. Ichneum. Europ.

**16. C. brachypterus:** alis longitudine thoracis, scutellatus, piceo-niger, antennis tricoloribus, thorace rubricoso, abdominis segmentis 1—3 pedibusque rufo-fulvis. ♀.
Var. a. ♀. metathorace nigro; rar.
GRAV. Ichneum. Europ. 2. 876. 290. ♀. *Ichn. abbreviator* PANZ. Fn. 71. 17. certe (non FABR.)
Var. b. ♀. metathorace rubricoso; frequentior.
GRAVENH. l. c. var. 1.
Hab. in Lapponia rar. (Lapp.-Scan. pass.)
*Fem.:* Longit. vix 2 lin. Subpubescens, nitidus, piceo-niger. Os rufo-piceum. Antennae crassae, basi rufae, medio albae, apice fuscae. Collum rufum. Thorax rubricosus, dorso macula fusca. Scutellum rubricosum. Metathorax retusus niger, frequentius rubricosus. Abdomen ovatum, segmentis 1—3 rufis, reliquis nigris, ano albo-membranaceo. Cauda longitudine dimidii abdominis. Alae angustae pallidae. Pedes cum coxis rufo-flavi.

**17. C. pedestris:** alarum rudimento, scutellatus, niger, antennis bicoloribus, earum basi, abdominis segmentis 2, 3 pedibusque rufis, posticorum geniculis nigris. ♀.
FABR. Piez. 92. 101. ♀. GRAV. 2. 882. 294. ♀.
Hab. cum priori, in Lapponia aeque rarus. (Lappon.-Scan. pass. freq.)
*Fem.* Magnitudo fere praecedentis. Subpilosus, nitidus, niger. Palpi fusci. Antennae thoracis longitudine, minus crassae quam in priori, articulis 1—7 rufis, reliquis nigris. Metathorax declivus. Abdomen ovatum nigrum, segmentis 2, 3 rufis. Cauda dimidii abdominis longitudine. Alarum rudimentum album. Pedes rufi, postici geniculis tibiarumque apice nigris.

**18. C. agilis:** subapterus niger, antennis tenuibus bicoloribus, harum basi pedibusque rufis. ♂♀.
*Mas:* paullo longior, scutellatus, alarum rudimento albido minuto; ano mutico.
*Fem.:* brevior, scutello et alis nullis; cauda quartae partis abdominis longitudine.
FABR. Piez. 91. 95. ♀. GRAV. Ichn. 2. 894. 303. ♂♀.
Hab. in Lapponia inferiori locis occultis umbrosis; e pupis variorum insectorum, praesertim *Vipionis s. Microgast.* specierum (ex. gr. *Ichneumonis globati* LINN.) saepe egressus. (Lappon.-Scan. freq.)
*Mas.* et *Fem.* Longit. maris $1\frac{1}{2}$—2, feminae 1—$1^1$ linear. Glaber, niger. Antennae graciles, basi rufae. Palpi fusci. Thorax brevis, latus, niger, tuberculo feminae parvo laterali rubricoso. Metathorax retusus, non striatus. Abdomen oblongum nigrum, segmentorum margine plerumque testaceo aut rufo. Pedes cum coxis rufi, immaculati.

**19. C. longulus:** apterus, exscutellatus, niger, antennis tenuibus rufis, thorace rubricoso, nigro-maculato, abdominis petiolo testaceo-maculato, pedibus rufo-piceis. ♀.
Hab. in Lapponia rarius, scilicet in ligno recenter secato Pini sylvestris ad Wittangi Lapponiae Tornensis diebus 14—15. Jun.; ut et in inferalpinis Nordlandiae septentrionalis ad Giebostad d. 22. Jul. in graminosis, inveni. (Lapponia et Norvegica et Suecica. —?.)
*Fem.* Longitudo praecedentis, sed thorace paullo angustior, unde statura elongata. Affinis *Crypt. festinanti* FABR. et GRAV.; forte tamen latet sub varietate quadam *Crypt. agilis* GRAV. aut *Crypt. vagantis* GRAV., quas duas novissime nominatas species bene distinguere non valui. Glaberrimus niger, ore et palpis testaceis. Antennae thorace longiores, rufae, articulatione nigra, summo apice fusco. Collare rufum. Thorax rubricosus, maculis dorsali magna subcordata, et lateralibus rotundis, nigris. Metathorax convexus, laevissimus, niger. Abdomen oblongum, nigrum, segmento primo late determinate, reliquis obsolete, testaceo-seu rufo-marginatis. Cauda vix tertiae partis abdominis longitudine. Pedes fusco-testacei seu piceo-rufescentes, tibiarum basi pallidiori.

**20. C. nigritulus:** apterus, exscutellatus, niger, antennis subtenuibus concoloribus, pedibus rufescentibus, femoribus supra fusco-maculatis. ♀.
Hab. in Lapponia rarissime; inter Muonioniska et Kengis unicum specimen d. 22. Aug. inveni. (Lapponia; Haparanda Botniae borealis ad marginem agri d. 1. Sept. etiam rarissime et duplo minor.)
*Fem.* Minimis *C. agilis* individuis adhuc paullo minor, alias affinis, sed ab *agili* differt *nigritulus* antennis et abdomine totis nigris immaculatis, articulo tantum secundo antennarum basi anguste rufo; an sub GRAVENHORSTII varietate quadam *C. agilis* latet? Glaberrimus niger, palpis fusco-testaceis. Metathorax convexus laevis. Cauda longitudine tertiae partis abdominis. Pedes cum coxis totis rufis, femoribus supra, umbra fusca.

**21. C. fasciatus:** apterus, subexscutellatus, rufus, antennis tenuibus concoloribus, capite abdominisque medio fascia nigris. ♀.
FABR. Piez. 92. 98. GRAV. 2. 889. 301. ♀. *Ichn. fasciatus* PANZ. Fn. 79. 14. ♀.
Hab. in Lapponia passim. Terrefactus cito currit, mox vero moratur meditabundus et abdomen alternatim erigit et dimittit repetitione frequenti iterumque currit; haud aliter ac plures aliae hujus generis species apterae. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rariss.)
*Fem.* Longit. $1^1$ linear. Glaber, rufus. Caput nigrum, antennis rufis, palpis fuscis. Metathorax convexus, subretusus. Abdominis segmentum tertium basi fascia nigra. Cauda vix longitudine dimidii abdominis. Pedes toti flavo-rufi, tibiarum posticarum apice infuscato.

**22. C. cursitans:** apterus, exscutellatus, niger, antennarum tenuium abdominisque basi pedibusque rufis. ♀.
FABR. Piez. 91. 98. PANZ. Fn. 109. f. 9. GRAV. 2. 923. 313. ♀.
Hab. in Lapponia sylvatica Suecica rar.; in Botnia boreali ad Karungi et Tornea jam d. 20—27. Maj. in floribus Salicum legi. (Lapp.-Scan. pass.)
*Fem.* Longit. circiter 2 lin. Glaberrimus niger. Palpi fusci. Antennae tenues, rufae, articulatione et apice fuscae. Metathorax convexus laevis. Abdomen ovatum nigrum, segmentis 1, 2 totis, 3 margine basali et laterali rufis. Cauda longitudine tertiae partis abdominis. Pedes cum coxis rufi, immaculati.

**23. C. pedicularius:** apterus, exscutellatus, niger, antennis tenuibus inferne, prothorace, abdominis basi pedibusque rufis. ♀.
FABR. Piez. 92. 100. ♀. (exclus. Syn. PANZ.) GRAV. 2. 922. 312. ♀.
Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. pass.)
*Fem.* Nostra specimina vix praecedentis magnitudine. Glaber, niger. Palpi testacei. Antennae thorace longiores, tenues, sordide rufae, apice fusco; scapo etiam saepe infuscato. Prothorax rufus. Metathorax laevis, niger. Abdomen oblongum, segmentis 1, 2, 3 rufis, hoc apice interdum fascia nigra. Cauda ut in priori. Pedes cum coxis flavo-rufi, posticorum femoribus tibiarumque apice umbra fusca.

**24. C. paradoxus:** apterus, exscutellatus, rufo-testaceus, abdominis segmento secundo maximo, concolore, antennis mediocribus fusco-testaceis, capite nigro. ♀?
Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, duo tantum specimina inveni, unum ad Karesuando mense Augusto, et alterum ad marginem agri ad Haparandam prope Tornoam d. 1. Sept. (Lapp.-Botnia borealis, rariss.)
*Fem.?* Minutissimus, praecedente adhuc duplo minor et ultra; an hujus vel novi generis? Nitidus, glaber, rufus. Caput rotundatum, fronte exserta, facie decliva; rufo-piceum, nitidissimum. Oculi minutissimi, ovati, nigri. Antennae thorace paullo longiores, basi tenues, extrorsum subcrassiores, curvatae, rufo-testaceae, scapo crassiori et articulatione fuscis. Prothorax obscure rufus. Metathorax brevis, retusus, ambitu denticulis 2 utrinque minutissimis. Abdomen ovatum, rufo-testaceum, scapo crassiori et articulatione fuscis. Prothorax obscure rufus. Metathorax brevis, retusus, ambitu denticulis 2 utrinque minutissimis. Abdomen ovatum, rufo-testaceum; petiolo elevato, filiformi, apice parum dilatato, tuberculo utrinque minuto instructo; segmento secundo maximo, reliquos fere supertegente, fornicato, nitido laevissimo. Anus acutus sexum femineum prodere videtur. Cauda nulla. Pedes mediocres inermes, toti cum coxis luteo-flavi.
*Obs.* Huic *Cryptorum* Subdivisioni, *Ichneumones* sic dictos *pedestres* continenti, inseri possunt sequentes: *C. hemipterus* FABR., *C. abbreviator* FABR., *C. micropterus* GRAV., *C. pedicularius* PANZ., *C. Esenbeckii* GRAV., *C. vulpinus* GRAV., *C.*

*formicarius* Fabr., *C. pulicarius* Fabr., *Ichn. acarorum* Linn., *C. festinans* Fabr. et plures Sueciae mediae et meridionalis incolae, quas vero in Lapponia frustra investigare conatus sum.

---

## 12 Pimpla. Fall.

Gravenh. Ichn. Europ. Gen. 6. Fabr. Fall. *Ichneumon* Latr. Linn.

*Corpus* interdum majoris, saepe mediae aut minoris magnitudinis, elongatum, subcylindricum, glabriusculum. Antennae elongatae, subsetaceae. Metathorax vix cancellatus. Abdomen sessile*), dorso (in nostris) nodoso, aut rugoso, punctato. Areola alarum aut subtriangularis, aut nulla. *Color* saepissime trunci niger, pedum rufus; pictura alba, rara. *Motus* haud agilis: reptatus jam in sepibus et truncis scandendo, jam (minorum) in foliis plantarum currendo; volatus feminarum laborans, marium alacrior. *Odorem*, quando capitur, spargit ingratum, quasi e ligno putrido ortum. *Habitatio* imaginum in sylvis et nemoribus, ubi *ova* larvis aliorum insectorum in sepibus, parietibus ligneis, truncis arborum emortuarum et ligno putrido degentibus, aculeo saepe longissimo imponunt feminae. Hoc negotio occupatae, tranquillae et immobiles, abdomine valde incurvato et setis vaginalibus oviductus ad latera extensis, sedent; quo peracto avolant, prolem futuram non curantes: *larva* vero Pimplae, ex ova egressa, nutrimentum aptum jam invenit corpus alterius larvae comedendo. Per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae hospitatur, alpes omnino aufugiens. *Differentia sexus* statim detegitur: *mas* scilicet saepe minor, abdomine semper angusto, lineari; *femina* robustior, abdomine oblongo, cauda exserta. (Spec. Scand. 35 mihi cognitae.)

### *Sect.* 1. *Areola alarum subtrigona adest.*

a) Cauda feminarum abdomine longior; *Ephialtes* (Subgenus *Pimplae*) Grav.

**1. P. manifestator**: metathorace canaliculato, abdomine lineari nodoso, segmentis intermediis elongatis, atra, labro concolore; pedibus fulvis, tarsisque posticis nigris. ♂♀.

Fabr. Piez. 113. 3. Gravenh. Ichneumon. Eur. 3. 232. 107. ♂♀. *Ichneumon manifestator* Linn. Fn. Sv. 1608. ♀. Panz. Fn. 19. f. 21. ♀. Cet. Syn. Cfr. Gravenh. l. c.

Hab. in Lapponia culta rarius. (Lapp. Suecica-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Longit. maris 6 — 10, feminae 8 — 15 linear. Pubescens, nigra, labro concolore, palpis testaceis aut flavis. Frons et facies subpilosa. Metathorax canaliculatus. Abdomen punctatum, petiolo canaliculato. Cauda corpore paullo longior, vaginis pilosellis. Alae fumato-hyalinae, stigmate fusco; radice flavicante, squamula (tegula) subferruginea aut flava. Pedes elongati, toti cum coxis fulvi, posticorum geniculis fuscis, tibiis tarsisque nigris.

**2. P. elongator**: metathorace convexo, abdomine lineari nodoso, atra, thorace ferrugineo, pedibus fulvis, posticis, tibiarum apice tarsisque nigris. ♀.

An *Pimpla extensor* Fabr. Piez. 115. 11? et Panz. Fn. 109. f. 11? *Ichn um. extensor* Linn. Fn. Sv. 1613?

Hab. in Lapponia Tornensi passim, in adjacenti Botnia boreali frequentius, ibique, ex. gr. ad Sangiti usque ad mensem Septembr. legi. (Lapp.--Ostrog. freq. Scan. rar.)

*Fem.* Longit. 4 — 8 lin. Subpubescens nigra, palpis flavis. Facies et frons in individuis minoribus argenteo-sericea. Punctum s. linea brevis ante alas flava. Metathorax convexus, non canaliculatus. Abdomen punctatum, angustum, lineare, segmentis subquadratis seu latitudine paullo tantum longioribus (incisuris nitidis exceptis), segmento 1. basi excavato, sed non canaliculato. Cauda corpore duplo, interdum triplo longior, vaginis pilosellis, terebra ferruginea. Alae subhyalinae, stigmate fusco, radice et squamula flavicantibus. Pedes cum coxis fulvi, posticorum geniculis, tibiarum basi late, tarsisque nigricantibus. — Variat minor, metathorace basi vestigio canaliculae.

**3. P. gracilis**: abdomine tenui, nodoso, atra, labro ferrugineo, palpis, antennarum scapo subtus, lineaque antealari, flavis, pedibus fulvis, posticorum tarsis tibiisque nigris, his basi albis. ♂.

Grav. Ichn. 3. 245. 109. ♂.

Hab. in Lapponia cum prioribus rarissime. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rar.)

*Mas.* Long. 4 — 5 linear. Tota griseo-pubescens, facie pilis densius argenteo-sericea. Metathorax convexus, aequalis, non canaliculatus. Alae subhyalinae, stigmate fusco, radice squamula exalbidis. Abdomen angustissimum lineare, capite thoraceque duplo longius, nodosum, articulis (segmentis) elongatis, primo excavato. Pedes mediocres fulvi, anticorum coxis, tibiis et tarsis, trochanteribusque omnium pallide flavis, tarsis et tibiis posticis nigris, harum basi annulo albo, et latere interiori flavo.

**4. P. tuberculata**: abdomine lineari, tuberculato, nodoso, atra, labro subferrugineo, pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque fuscis, coxis omnium nigro-maculatis. ♀.

Grav. Ichn. 3. 228. 105. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi et Kemensi passim, ad Muonioniska d. 11—18. Aug. eam tamen frequentiorem vidi; et in arena juxta viam publicam ad Pehrsnäs Botniae occidentalis jam d. 9. Maj. inveni. (Lappon.-Botnia-Ostrog.)

*Fem.* Longit. (individuorum Lapponicor.) 4 — 6 linear. Parum pubescens, nitida, nigra. Palpi aut fusci aut pallidi. Metathorax canaliculatus. Alae hyalinae, stigmate fusco, radice et tegula stramineis. Abdomen glabrum, punctatum, lineare, segmentis subquadratis, plerumque evidenter tuberculatis, primo canaliculato; nigrum vel in junioribus nigro-piceum, ventre albido. Pedes mediocres, fulvi, coxis nigro-maculatis; posticorum geniculis, tibiis tarsisque nigricantibus.

*Mas:* antennis longioribus (longitudine scilicet fere corporis), pedibus fulvis, abdomine longiore et graciliore, quam in femina, a Cel. Gravenhorst l. c. describitur, mihi in Lapponia non obvius.

**5. P. mediator**: abdomine lineari, nodoso, segmentis albo-marginatis, atra, orbita oculorum interna antennarumque scapo pallidis, prothorace et scutello rufis, flavo-maculatis, pedibus fulvis, tarsis posticis fusco-annulatis. ♂♀.

*Mas:* gracilis, facie pedibusque anterioribus flavis, abdomine pubescente, ecaudato.

*Fem.:* robustior, facie nigra, pedibus anterioribus luteis, abdomine minus pubescente, nitidiore; cauda corporis longitudine seu paullo longior.

Grav. Ichn. 3. 256. 115. ♂♀. Fabr. Piez. 117. 23. ♀. *Ichneumon Scurra* Panz. Fn. 92. f. 6 ♀. *Ichneum. histrio* Panz. ad Schaeff. t. 126. f. 8. (*Ichneum. histrio* Panz. Fn. 92. f. 7. ad *Pimpl. divinatorem* Grav. pertinet.)

Hab. in Lapponia rar. (Lappon.-Ostrogoth.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Longitudo maris 3 — 5, feminae 4 — 5 linear. Antennae subtus ferrugineae, scapo flavo. Mandibulae flavae, apice nigrae. Collum nigrum. Thoracis dorsum et pectus rufa, lineis antealari et subscutellari, flavis. Scutelli apex et linea subscutellaris, flava. Metathorax basi parum canaliculatus, niger, macula ante petiolum flava. Segmentum abdominis primum immaculatum, reliqua tenuiter albo-marginata. Alae subhyalinae, stigmate infuscato, radice straminea. Pedes mediocres, rufi s. lutei, anterioribus totis praesertim latere antico, et trochanteribus omnium in mare pallide flavis, posticorum tibiis extus linea, et tarsis annulis, fuscis.

b) Cauda feminarum abdomine brevior. Abdomen oblongum minus, angustum quam in prioribus, segmentis mediis longitudine distincte latioribus. (*Pimplae* genuinae Grav.)

**6. P. instigator**: atra, coxis et trochanteribus concoloribus, pedibus fulvis, posticorum tarsis nigris. ♂♀.

Var. a. ♂♀. tarsis posticis nigris. ♂♀.

Grav. Ichn. 3. 216. 103. ♂♀. Fabr. Piez. 85. 61. ♀.

Var. b. ♀. tarsis posticis fusco-ferrugineis. Junior; major.

Hab. in Lapponia sylvatica passim. E pupa *Papilionis Napi* in Wittangi Lapponiae Tornensis mense Junio anno 1821. inventa, individuum masculum hujus *Pimplae* d. 1. Martii anni sequentis egressum. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Long. maris 4—6, feminae 4 — 8 lin. Affinis *P. examinatori* (No. 10 infra), major, abdomine magis nodoso. Parum pubescens, atra, immaculata. Palpi feminae fusci, maris pallidi. Abdomen punctatum et nodosum, cauda ut in *P. examinatore*. Alae fumato-hyalinae, stigmate fusco, radice straminea, squamula saepe picea. Nervi areolae et ei adjacentes plerumque albo-maculati. Pedes mediocres.

**7. P. alternans**: atra, coxis et trochanteribus nigro-piceis, pedibus fulvis, posticorum tibiis tarsisque nigris, testaceo- et albido-subannulatis. ♀.

Grav. Ichn. 3. 201. 97. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; etiam in Öfver-Torneå d. 27. Aug. inventa. (Lapponia; Botn. boreal. —?)

*Fem.* 4½ lin. long. Priori valde affinis. Parum pubescens, atra nitida. Palpi testacei. Antennae dimidio corpore fere longiores, nigrae, subtus ferrugineae. Orbita oculorum interna angustissima, alba. Thorax immaculatus. Metathorax non canaliculatus. Ab-

---

*) Abdomen quidem ope petioli minuti puncto adfixum est thoraci; attamen in hoc genere dicitur sessile, quia basi non angustatum, sed ibi latitudine thoracis depreheuditur, et huic quasi applicatum.

domen distincte nodosum, profunde punctatum, incisuris laevissimis. Cauda vix tertiae partis abdominis longitudine. Alae subhyalinae, stigmate fusco, radice straminea, squamula picea. Pedes mediocres, fulvi, coxis nigro-piceis, trochanteribus piceis, apice dilutioribus; intermedii tarsorum articulis apice summo fuscis; postici tibiis nigricantibus, annulo basali et latere interno medio testaceis, tarsis nigris, basi indeterminate albidis.

*Mas* feminae colore similis, a Cel. Gravenhorst l. c. descriptus, mihi ignotus.

**8. P. arctica**: atra, coxis concoloribus, posticis supra rufis, pedibus fulvis, posticorum geniculis, tibiis tarsisque nigris. ♂.

Hab. in inferalpinis maritimis Finmarkiae rarissime; tantum ad Alten die 8. Aug. inveni. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* Magnitudo et affinitas praecedentis, minus nitida. Parum pubescens, atra, immaculata. Palpi nigro-fusci. Metathorax convexus, pone scutellum subcanaliculatus, latere utrinque longitudinaliter subcostato. Abdomen oblongum, subopacum, punctatum, nodosum, incisuris vix laevioribus, segmento primo sulcato. Alae ut in praecedente. Pedes mediocres, fulvi, coxis nigris, posticis dimidietate superna determinate rufis; trochanteribus omnibus rufis, anterioribus basi piceis; pedum posticorum geniculis fuscis tibiis tarsisque totis nigerrimis.

**9. P. scanica**: nigra, coxis et trochanteribus concoloribus, his apice flavis, abdominis segmentis castaneo-marginatis, antennis subtus pedibusque fulvis, posticorum tibiis tarsisque nigris, albo-annulatis. ♂♀.

*Mas:* antennis supra fuscis, subtus ferrugineis et inferne flavis; abdominis segmentis simpliciter rufo-marginatis.

*Fem.:* antennis rufis, articulatione fusca, abdominis segmentis et apice et lateribus rufis.

Grav. Ichn. 3. 204. 98. ♂♀. *Ichneumon scanicus* Villers p. 190. n. 174. *Cryptus maculator* Fabr. Piez. 87. 71. ♀.

Hab. in Lapponia sylvatica rarius. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Longit. 2 — 4 linear. Subpubescens nigra, palpis pallidis. Metathorax non canaliculatus. Alae hyalinae, stigmate fusco, nervis basi et squamula flavicantibus. Abdomen distincte punctatum. Cauda tertiae partis abdominis longitudine. Pedes mediocres, fulvi, coxis plerumque totis nigris, et trochanteribus aut apice aut totis flavis; posticorum tibiis rufescentibus, basi apiceque fuscis, annulo ante basin albo, tarsis nigris, basi albis.

**10. P. examinator**: nigra, coxis et trochanteribus concoloribus, pedibus fulvis, posticorum tarsis tibiisque nigris, his albo-annulatis. ♂♀.

Grav. Ichn. 3. 207. 99. ♂♀. *Cryptus examinator* Fabr. Piez 85. 62. ♀. *Ichneumon examinator* Thunb. Ichneum. No. 475.

Hab. in Lapponia Suecica sylvatica, non frequens. (Lapp.-Ostrog.; Scania, vulgatissima.)

*Mas.* et *Fem.* Longit. maris 1¹ — 4, feminae $2\frac{1}{2}$ — 6 linear. Affinis et similis priori, differt pictura. Subpubescens, praesertim mas; atra. Palpi pallidi aut fusci. Antennae nigrae, apice in femina piceae. Metathorax non cancellatus. Abdomen punctatum, parum nodosum. Cauda longitudine vix dimidii abdominis. Alae maris subhyalinae, feminae fumato-hyalinae, stigmate in utroque sexu fusco, radice et squamula stramineis aut fuscis. Pedes fulvi, coxis et trochanteribus nigris, his apice rufis, tibiis tarsisque posticis nigris, illis annulo ante basin albo.

**11. P. varicornis**: atra, antennis ferrugineis, scapo et articulatione nigris, pedibus fulvis, coxis anticis piceis. ♂♀.

*Mas:* subpubescens, labro et orbita oculorum interna, flavis.

*Fem.:* glabrior, palpis fuscis, orbita oculorum flava, aut saepe nulla, aut angustissima; cauda longitudine quartae partis abdominis, crassa, apice declinato, vaginis compressis pilosis nigris, terebra ferruginea.

Fabr. Piez. 119. 31. ♂. Panz. Fn. 109. f. 13. ♂. certe. Gravenh. Ichn. 3. 167. 83. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, sylvatica passim; in adjacenti Botnia boreali, ut ad Haparanda et Calix frequentius; imago feminae e pupa *Bombycis Salicis* prodibat d. 20. Jul. (Lapp.-Ostrog. vulgar.; Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Longit. 3 — 6 linear. Metathorax canaliculatus. Abdomen punctatum et distincte nodosum. Alae subhyalinae, stigmate fusco, radice straminea, squamula saepe picea. Pedes cum coxis toti fulvi; antici subflavicantes, coxis piceis, apice pallidiori.

**12. P. crassicornis**: atra, labro, orbita frontali abbreviata et thoracis puncto humerali, flavis, pedibus fulvis, coxis concoloribus, tibiis tarsisque posticis nigris, illis annulo albo. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi sylvatica rarissime; in stercore ad Juckasjervi die 3. Jul. inveni. (Lapponia Suecica.)

*Fem.* Longit. circiter 3 lin. Valde affinis et similis *Pimplis Graminellae, stercoratori* et *Turionellae*, sed antennis crassioribus mox ab illis differt. Parum pubescens, nigra, palpis testaceis, labro flavo. Antennae crassae, subpubescentes, nigrae. Thorax puncto humerali utrinque flavo, alias immaculatus. Metathorax brevis, rugosus et canaliculatus. Abdomen longitudine capitis thoracisque, punctatum, subnodosum, incisuris vix laevibus, segmentis subquadratis seu longitudine parum latioribus, primo subtriangulari, canaliculato. Cauda mutilata. Alae hyalinae stigmate nigricante, radice et squamula stramineis; areola oblique triangulari, subpetiolata. Pedes mediocres, fulvi, coxis concoloribus, tibiis anterioribus flavis, coxis anticis nigro-maculatis; tarsis et tibiis posticis nigris, his annulo in medio late albido.

**13. P. stercorator**: atra, pedibus fulvis, coxis concoloribus, tibiis posticis albidis, apice et annulo ante basin fuscis, tarsis posticis nigris, articulorum basi albida. ♀.

Grav. Ichn. 3. 186. 92. ♂♀. *Pimpla pennator* Fabr. Piez. 116. 17. ♀.

Hab. in Lapponia inferiori passim (Lapp.-Scan. freq.).

*Fem.* Longit. $2\frac{1}{2}$— 5 linear. Atra, palpis testaceis. Antennae tenues nigrae, scapo concolore; apice subferrugineo, basi subtus flava. Metathorax vix canaliculatus. Abdomen nodosum, profunde punctatum, incisuris elevatis nitidis, laevissimis. Cauda fere abdominis longitudine. Pedes fulvi, coxis concoloribus, anticis basi nigris; tibiis et tarsis posticis ut in diagnosi.

*Mas:* facie flava, alias feminae similis, a Cel. Gravenhorst l. c. describitur, citato Synon. *Pimpla stercoratore* Fabr. Piez. 117. 22., in Lapponia a me frustra quaesitus.

**14. P. Turionellae**: atra, antennis tenuissimis, ferrugineo-fuscis, pedibus fulvis, coxis concoloribus, tarsis tibiisque posticis nigricantibus, his annulo ante basin albo. ♀.

Grav. Ichn. 3. 192. 93. ♂♀. *Ichneumon Turionellae* Linn. Fn. Sv. 1655. ♀. *Cryptus Turionellae* Fabr. Piez. 87. 72. ♀.

Hab. in Lapponia forte rarius, mihi ibi non viva obvia, in collectione Domini Pastoris Kolström femina tantum visa. (Lapponia; Ostrog. freq. Scan. pass.).

*Fem.* Longitud. 2—4 linear. Subpubescens, nigra. Palpi fuscotestacei. Antennae graciles, subferrugineae, scapo nigro. Metathorax vix cancellatus. Abdomen punctatum, parum nodosum, nigrum, margine segmentorum summo saepe ferrugineo. Cauda circiter tertiae partis abdominis longitudine. Alae hyalinae stigmate fusco, ad basin albo-notato, ut in plerisque hujus generis speciebus; radice et tegula flavicantibus. Pedes fulvi, coxis concoloribus, anticis saepe basi nigricantibus; tibiis intermediis annulo flavo, tarsis tibiisque posticis nigricantibus, his ante basin annulo albo.

*Marem:* „articulo primo antennarum subtus albido", in ceteris feminae similem, a Cel. Gravenhorst l. c. descriptum, in Lapponia detegere mihi non contigit, in Suecia inferiori saepe lectum.

*Obs.* *P. roborator* Grav. (seu *Ichn. extensor* Linn.); *P. flavicans* Fabr. et *P. angens* Grav. in Ostrogothia captae, in Lapponia, quantum novi, non inventae.

*Sectio 2. Areola alarum nulla. Frons tuberculata et segmenta 3 intermedia lineis duabus obliquis impressa aliud produnt genus. Glypta* Gravenhorst.

**15. P. flavolineata**: pubescens, atra, ore, linea antealari scutelloque flavis, pedibus fulvis, posticorum tibiis basi albidis, apice tarsisque fuscis. ♂♀.

Grav. Ichn. 3. 27. 13. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius, ibique non nisi individua feminea mihi obvia. (Lapp.-Scan. pass.).

*Fem.* Long. vix 4 lin. Tota pubescens, punctata, nigra. Palpi parum exserti. Labrum et mandibulae flava, hae apice brunneo. Antennae graciles, dimidio corpore longiores, aut ferrugineae, scapo nigro, aut nigrae, apice subferrugineo. Linea antealaris usque ad collum producta, scutellum et linea subscutellaris, flava. Metathorax convexus, subcancellatus. Cauda fere abdominis longitudine. Alae hyalinae, stigmate fusco, radice et squamula flavicantibus. Pedes mediocres, fulvi, coxis concoloribus; pedibus posticis femorum summo apice fusco, tibiarum summa basi albida, apice et tarsis totis fuscis.

*Mas* feminae similis, paullo minor, lineis antealaribus flavis abbreviatis; a me in Ostrogothia, non in Lapponia inventus.

**16. P. scalaris**: parum pubescens, atra, labro ferrugineo, pedibus fulvis, posticorum tibiis apice, annulo basi, tarsisque, nigricantibus. ♀.

Grav. Ichn. 3 24. 11. ♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Muonioniska d. 17. Aug. inveni. (Lapponia - ?)

*Fem.* Long. vix 3 lin. Priori affinis. Atra, palpis apice testaceis. Thorax immaculatus. Metathorax, alae, abdomen et cauda

ut in praecedente, stigmate alarum magis pallido. Pedes quoque ut in illo; tibiis vero testaceis, basi albida, annulo ante basin et apice, fuscis; tibiis nigricantibus, articulorum summo apice albido.

**12. P. teres**: subpubescens, atra, coxis piceis, abdominis segmentis 1—3 ferrugineo-marginatis, pedibus fulvis, posticorum tibiis tarsisque nigro-annulatis. ♀.

Grav. Ichn. 3. 8. 2. ♂♀. var.?

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Ostrog. pass.).

*Fem.* Vix ultra 2 lin. longa. Atra, subnitida, punctata. Palpi testacei. Antennae graciles, nigrae. Thorax immaculatus. Metathorax subcancellatus. Alae hyalinae, stigmate parum infuscato, radice et squamula pallide flavis. Abdomen lineare, segmentis 1—3 late rufo-marginatis. Cauda fere longitudine abdominis. Pedes fulvi, coxis piceis; pedum posticorum femoribus summo apice fusco, tibiis testaceis, summa basi albida, annulo ante basin et apice fuscis, tarsis nigricantibus, articulorum basi albida.

*Mas.* magis pubescens, antennis apice subferrugineis, alias feminae similis; in Ostrogothia captus, in Lapponia a me frustra quaesitus.

*Not.* Gravenhorstii *Pimplae teres*, *vulnerator* et *haesitator* tam affines mihi videntur, ut certe dijudicare non possim, quaenam earum huic nostrae competat ut synonymon.

———

## 13. Bassus. Fall.

Fall. Disposit. Hymen. Gen. 14. *Bassi*, *Tryphonis* et *Ichneumonis* species Latr. Fabr. Grav.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, rarissime minutum; elongatum, glabriusculum. Antennae filiformes aut setaceae. Abdomen laeviusculum, sessile aut subpetiolatum, petiolo recto; ventre excavato. Areola alarum nulla. *Color* corporis niger, abdominis et pedum saepe rufus; raro flavescens; pictura alba rarissima. *Motu* agilis. *Odor* nullus. *Habitatio* in foliis fruticum, in graminosis et in Umbellatis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae, saepius; in regione alpina rarissime. *Differentia sexus* varia, in ano maris mutico, feminae cauda magis vel minus exserta, mox detegitur. (Spec. Scand. 54 in Museo meo adsunt).

### *Sectio* 1. *Cauda feminarum parum exserta, subrecta.*

*Subdiv.* 1. Abdomen sessile.

* Abdomine subdepresso (in *B. minutissimo* No. 8, subcylindrico), segmento primo saepe canaliculato; fronte non prominente; pedibus mediocribus.

**1. B. laetatorius**: niger, ore, orbita oculorum interna, thoracis linea antealari, scutelloque albidis, abdominis segmentis mediis linea transversali impressis, pedibusque, rufis, tibiis posticis tricoloribus. ♂♀.

Grav. Ichn. 3. 353. 26. *Ichneumon laetatorius* Fabr. Piez. 63. 45. Panz. Fn. 19. f. 19.

Hab. in Lapponiae sylvaticae frutetis rarius (Lapp.-Ostrog. freq. Scan. pass.).

*Mas.* et *Fem.* Long. 2—2½ lin. Glaber. Antennae filiformes, thorace paullo longiores, nigrae, flagello subtus ferrugineo. Thoracis macula antealaris, punctum sub alis, scutellum et linea subscutello, albida. Abdomen nigrum, segmentis 2, 3 totis, 4 basi saepe rufis, lineaque transversali impressis; segmento primo depresso, aequilato. Cauda feminae brevissime exserta. Alae hyalinae, stigmate fusco albo-notato, radice et squamula albidis. Pedes rufi, coxis concoloribus, tibiis posticis annulo albo, plerumque nigro-terminato, tarsis posticis nigris.

**2. B. striatus**: niger, coxis concoloribus, abdominis medio pedibusque rufis, tarsis posticis fuscis. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in Betula ad Muonioniska d. 17. Aug. legi. (Lapponia).

*Fem.* Magnitudo praecedentis. Opacus, glaber, niger. Os piceum, palpis testaceis. Antennae corporis fere longitudine, filiformes, 25-articulatae, nigrae, extrorsum fuscae, articulo ultimo oblongo. Thorax subtilissime punctulatus, dorso bistriatus. Scutellum triangulare. Metathorax cancellatus, retusus. Abdomen ovatum, versus basin sensim angustius, articulo primo subtriangulari, in medio canaliculato, toto nigro; 2 rufo, basi macula nigra; 3 et 4 rufis, margine summo fusco; 5 etiam lateribus rufo; reliquis nigris. Cauda brevissima, vix 1. parum exserta. Alae hyalinae, stigmate et nervo costali nigricantibus, squamula (tegula) pallida. Pedes mediocres, livido-rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis posticis fuscis.

**3. B. bicolor**: niger, ore, antennis, pedibus abdomineque rufis, hoc apice et coxis nigris. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, forte rarissime; mihi tantum in ripa arenosa fluminis Tornensis ad Juckasjervi d. 3. Jul. unicum individuum obvium. (Lapponia Suecica).

*Fem.* Longitudo *B. laetatorii*, latior; affinis praecedenti, aliter coloratus. Subopacus, glaber, niger, ore ferrugineo, palpis testaceis, mandibulis apice nigris. Antennae filiformes, circiter 30-articulatae, ferrugineae, scapo nigro, articulatione flagelli fusca. Abdomen ovatum, versus apicem latius, totum rufum, segmentis 5—7 nigricantibus. Cauda subexserta. Alae hyalinae, stigmate fusco, radice pallida, squamula picea. Pedes toti rufi, coxis solum nigris.

**4. B. festivus**: niger, ore, orbita oculorum interna, antennis subtus pedibusque rufo-flavis, coxis et femoribus nigro-maculatis, trochanteribus citrinis, abdomine medio rufo, apice compresso. ♀.

Var. a. ♀. abdominis medio rufo, leviter nigro-maculato.

Grav. Ichn. 3. 314. 3. ♂♀. forte varietas hujus? (Vix est varietas *B. sulcatoris* Grav. l. c. No. 4; valde affines sunt hae duae species Gravenhorstii, et aegre distinguendae. *Ophion festivator* Fabr. Piez. 140. 45.

Var. b. ♀. abdomine nigro, segmentorum 2—4 suturis ferrugineis, femoribus posticis latius infuscatis.

Hab. cum praecedente rarius; etiam ad Johannis Ro prope Torneå Botniae borealis d. 2. Sept. utramque varietatem inveni (Lapponia-Botn. boreal.; Scan. var. a. rar.).

*Fem.* Longit. vix 1½ lin. Glaber, subnitidus. Caput breve, transversum. Antennae 20-articulatae, corpore paullo breviores, filiformes, tenues. Metathorax distincte striatus. Abdomen ut in *B. laetatorio*, sed segmentis 3, 4 modice, reliquis valde compressis. Segmentum secundum margine apicali, et tertium totum, rufa, hoc lunula utrinque laterali transversa (raro in fasciam confluentibus), nigra. Cauda parum exserta, oblique erecta. Alae hyalinae, stigmate fusco, radice et squamula, flavis. Pedes rufo-testacei, coxis nigris, apice et trochanteribus citrinis; femorum, praesertim posteriorum basi magis vel minus late infuscata.

*Mas* facie (fronte) et antennarum articulo 1 subtus, flavis, coxis et trochanteribus nigro-flavoque variis, a Cel. Gravenhorst l. c. describitur, in terris arcticis a me non visus.

**5. flavo-lineatus**: niger, capite, thorace, scutello pedibusque flavo-pictis, femoribus fulvis, pedum prsticorum tarsis tibiisque nigris, his basi late albis. ♂♀.

*Mas*: facie et antennis subtus, flavis.

*Fem.*: orbita oculorum interna, ore, labro, macula faciali, antennarumque scapo subtus, flavis.

Var. a. ♂♀. coxis posticis fulvis.

Var. b. ♂♀. coxis posticis nigris, maris facie macula nigra.

Grav. Ichn. 3 337. 14. ♀. var. a.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; var. b. tantum ad Kengis d. 22. Aug. inventa. (Lapp.-Ostrogoth. var. a. pass.).

*Mas.* et *Fem.* Longit. 2—3 lin. Thoracis macula antealaris, sutura saepe inter thoracem et metathoracem, scutellum, et lineola subscutellaris, flava. Abdomen ut in *B. laetatorio* constructum, sed totum nigrum, segmentis marginibus summis in mare tantum, castaneis. Alae etiam ut in illo. Pedes fulvi; in a coxis et trochanteribus anterioribus ut et trochanteribus posticis citrinis; in b. coxis et trochanteribus posterioribus nigris; tarsis tibiisque in utraque varietate nigris, his basi ultra medium albis.

**6. B. lapponicus**: niger, ore, orbita oculorum interna, macula antealari scutelloque flavis, pedibus fulvis, posticorum tarsis tibiisque nigris, his basi albis. ♂♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime; mihi tantum unicum illius marem in floribus Salicis ad Juckasjervi Lapponiae Suecicae Tornensis, d. 1. Jul., unicamque feminam ad pagum Björkvik juxta Ofotenfjord Nordlandiae septentrionalis, d. 14. Jul., invenire contigit. (Lapponia Suecica et Norvegica).

*Mas.* et *Fem.* Praecedenti valde affinis et praesertim varietati ejus b. similis, sed paullo minor et facie (fronte) aliter colorata. Palpi testacei. Labrum et mandibulae, flava, his apice piceo. Facies (frons) tota nigra, orbita oculorum interna flava. Antennae dimidio corpore parum longiores, filiformes, nigrae, extrorsum nigro-fuscae. Thorax, abdomen, alae et pedes ut in priori, coxis posticis totis, intermediisque basi, nigris, trochanteribus posterioribus nigris, apice pallidis. Abdomen feminae apice compressiusculum, cauda parum exserta, subrecta, nigra.

**7. B. ruficornis**: niger, ore, labro maculaque utrinque faciali, flavis, antennis, abdominis segmento tertio pedibusque rufis, horum posticorum geniculis, tibiarum apice tarsisque fuscis. ♂.

Hab. cum praecedente rarissime; in floribus Salicis ad Juckasjervi die 3. Jul. tantum lectus. (Lapponia Suecica Tornensis).

*Mas.* *B. laetatorio* affinis, ejusque magnitudine, paullo angu-

stior. Niger, palpis, mandibulis apice piceo, labro, maculaque intra oculos utrinque juxta labrum, flavis. Antennae dimidio corpore longiores, filiformes, circiter 32-articulatae, scapo nigro, subtus testaceo, flagello ferrugineo, articulatione fusca, apice nigro. Thorax immaculatus. Metathorax minus convexus, striis distincte elevatis. Abdomen ut in *B. laetatorio*, sed segmento primo paullo longiori, et versus basin magis angustatum videtur, nigrum, segmento secundo angulis apicalibus, et 3tio toto, obscure ferrugineis. Pedes rufi coxis anticis basi, posterioribus totis, nigris, geniculis posticis, tibiarum apice tarsisque nigricantibus.

**8. B. minutissimus**: abdomine subcylindrico, niger, ore pallido, geniculis, tibiis tarsisque fuscis. ♀?

Hab. in Finmarkia rarissime; in Bossekop prope Altengaard d. 4. Aug. inventus. (Lapponia Norvegica).

*Fem.?* Minutissimus, circiter 1 lin. longus. An hujus generis? Sed ob directionem nervorum in alis, similem ei, quae in reliquis speciebus hujus generis obtinet (areola scilicet absente), nullum aptius inveni, ubi speciem pusillam inserere potui. Parum pubescens, subnitidus, niger. Caput subrotundatum. Palpi et mandibulae testacea. Oculi subrotundi, parvi. Antennae dimidio corpore longiores, filiformes, basi fuscae. Metathorax convexus, laevis. Abdomen capite thoraceque parum longius, sessile, subcylindricum (in specimine mortuo subcompressum), fuscum, segmento primo brevi subquadrato, non striato. Cauda stylis 2 brevibus exsertis, pallidis sexum femineum prodere videtur. Alae hyalinae, stigmate et nervis obscure stramineis. Areola nulla. Pedes femoribus posticis subcompressis, nigri, trochanterum apice, tibiis tarsisque fusco-testaceis.

**9. B. affinis**: abdomine subcompresso, fuscus, antennis palpisque obscure testaceis, pedibus pallidis. ♀.

Hab. in Nordlandia rarissime; ad Björkvik prope Ofotenfjord d. 15. Jul. unicum specimen detexi. (Lapp. Norvegica).

*Fem.?* Magnitudo et affinitas praecedentis, colore diversus. Caput, thorax et abdomen glabra, nitida, picea s. fusca. Antennae et palpi testacea. Abdomen (in mortuis) posterius subcompressum, cauda vix exserta. Alae omnino ut in priori. Pedes pallidi, postici coxis et femoribus rufo-testaceis.

** Abdomine subcylindrico; fronte (facie) infra antennas promiuente; pedibus brevibus, femoribus crassis (*Exochus* Gravenh.)

*B. minutissimus*; abdomine subcylindrico, vide supra No. 8.
*B. affinis*: abdomine subcompresso, vide supra No. 9.

**10. B. coronatus**: niger, fascia frontali, linea antealari scutellique apice, flavis, pedibus rufis, tibiis posticis basi albida. ♂♀.

*Mas:* abdomine apice obtuso, segmento penultimo subtus antecedentibus aequali: saepius minor.

*Fem.:* abdomine apice acuto, segmento penultimo ventre elevato; in copula.

*Tryphon* (Subgenus *Exochus*) *coronatus* Grav. Mon. Ichn. 2. 342. 218. ♂♀. (Sub nominibus: *Bassus variator*, *mutabilis* et *abbreviator*, haec et alia species huic affinis, fronte et thorace immaculatis distincta, in collectionibus Suecicis mixtae occurrunt).

Hab. in Lapponia non frequens (Lapponia; Ostrogothia vulgaris).

*Mas* et *Fem.* Longit. maris $1\frac{1}{2}$, feminae $1\frac{3}{4}$ — 2 lin. Laevis, subnitidus, sericeo-subpubescens. Antennae thorace parum longiores, crassiusculae praesertim in femina. Metathorax convexus, cancellatus. Alae hyalinae, stigmate fusco, squamula (tegula) pallida. Pedes validi, toti cum coxis rufi, tibiis posticis summa basi pallida. — Cfr. *Tryphon frontator* nobis, huic affinis, alarum areola distinctus. Variat thorace rufo-maculato et antennarum apice fusco. Variat etiam, forte junior, facie et antennis totis rufescentibus.

**11. B. alpinus**: ater, facie flava, disco nigro, pedibus rufis, tibiis tarsisque posticis nigris, albo-annulatis. ♀.

Hab. in alpibus Lapponiae rarissime, non nisi in alpe ad insignem lacum Tornensem (Torneåtraesk) die 8. Jul. a me captus. (Lapponia).

*Fem.* Structura partium omnino praecedentis, sed paullo longior et certe distinctus. Subsericeo-pubescens, nitidus, niger. Palpi fusci. Facies limbo flava. Punctum juxta oculos in vertice utrinque, flavum. Antennae subtus nigro-fuscae. Thorax immaculatus. Metathorax, alae et abdomen ut in priori. Pedes validi, fulvi, coxis et trochanteribus nigris, postici tibiis nigris, basi annulo albo; tarsis albis, apice annulo nigro.

**12. B. pusillus**: niger, ore et facie flavis, pedibus testaceis, intermediis femoribus basi, posticis femoribus totis tibiarumque apice, nigris. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Björkvik Nordlandiae unicum individuum d. 15. Jul. inveni. (Lapponia Norvegica).

*Mas.* Parvus, vix ultra 1 lin. longus. Glaber, nitidus, niger. Palpi, mandibulae apice piceo, labrum et prominentia faciei lata, flava. Antennarum scapus subtus pallidus. Metathorax, abdomen et alae ut in *Basso alpino*. Pedes mediocres, femoribus posticis modice incrassatis: antici testacei, coxis basi et femoribus linea superna nigris; intermedii etiam testacei, coxis, trochanterum femorumque basi late, nigricantibus: postici nigri, trochanteribus, geniculis, tibiarum basi late, tarsisque totis, testaceis, tibiarum apice fusco.

*Subdiv* 2. Abdomen petiolatum, petiolo angusto. Pedes mediocres. (*Ichneumoniformes*). *Tryphonis* species Grav.

**13. B. pubescens**: antennis gracilibus, pilosus niger, labro apice testaceo, pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris. ♂.

Hab. in alpibus Lapponiae rarissime; in ipso alpium Tornensium jugo die 12. Jul. unicum individuum inveni. (Lapp.).

*Mas.* Longit. $2\frac{1}{4}$ lin. Subtiliter punctulatus, opacus, totus niger, antice praesertim pilis brevibus obsitus; summo margine labri tantum testaceo. Antennae fere longitudine corporis, graciles, apice recurvae. Metathorax subcylindricus, striis elevatis tenuibus. Alae hyalinae, stigmate et nervo costali nigricantibus, tegula picea. Abdomen angustum, versus apicem sensim parum latius; laeve, vix pubescens. Pedes elongati rufi, coxis et trochanteribus nigris.

**14. B. petiolator**: niger, ore, facie, antennisque subtus, flavis, pedibus rufis, posticorum coxis, trochanterum basi, femorum tibiarumque apice tarsisque nigris. ♂.

An *Tryphon mollis* Grav. Ichn. 2. 137. 83. Mas?

Hab. in Lapponia, mihi rarissime obvius, tantum ad Björkvik Nordlandiae die 14. Jul. lectus. (Lapponia Norvegica).

*Mas.* Long. $2\frac{1}{2}$ lin. Laevis, sericeo-subpubescens, niger. Palpi, mandibulae apice piceo, labrum, facies et antennae elongatae subtus, flava. Thorax immaculatus. Metathorax subcylindricus, medio canaliculatus. Abdomen pyriforme s. clavatum, segmento primo elongato basi tenuissimo, apicem versus paullo dilatato, in medio bituberculato, nigrum, apice pubescens, segmento secundo summo margine et angulo apicali castaneis. Alae elongatae, hyalinae, stigmate fusco, radice et tegula pallidis. Pedes mediocres, anteriores fulvo-testacei, trochanteribus nigris, apicibus pallidis, tibiis nigris, basi et intus a basi ad medium testaceis, tarsis nigris, summa basi pallida.

**15. B. rufo-labris**: niger, labro antennisque subtus ferrugineis, abdominis segmentis 1—4 pedibusque rufis, coxis et trochanteribus omnibus, pedum posticorum femorum tibiarumque apice tarsisque nigris. ♀.

Hab. in Lapponia sylvatica rarius. (Lapp.-Ostrog. pass.).

*Fem.* Longitudo et affinitas praecedentis. Sericeo-subpubescens. Palpi nigro-fusci. Antennae corporis fere longitudine, apice recurvatae, basi nigrae, extrorsum ferrugineae, scapo subtus plerumque rufescente. Abdomen oblongo-ovatum, versus basin sensim angustius, petiolo apice latiori, quam in praecedente, laevi. Cauda vix exserta. Alae hyalinae, stigmate pallido, squamula picea. Pedes ut in diagnosi.

**16. B. erythrocerus**: niger, labro antennarumque apice ferrugineis, abdominis segmentis 2, 3 pedibusque rufis, coxis et trochanteribus omnibus, pedum posticorum geniculis, tibiarum apice tarsisque nigris. ♀.

*Tryphon erythrocerus* Grav. 2. 230. 151. ♀. var. 1? (*Mas* ibidem facie flava describitur).

Hab. in Lapponia sylvatica rarius; ad Muonioniska et Kengis die 12—22. Aug. inventus. (Lapp.-Ostrogoth. rar.).

*Fem.* Praecedenti affinis et simillimus, paullo minor, abdominisque petiolo nigro, nec rufo fere unice distinctus. Antennae basi nigrae, medio fuscae, apice ferrugineae. Metathorax convexus, vix vestigio canaliculae in medio. Abdomen laeve, tuberculo utrinque ante medium petioli. Cauda brevis, subexserta. Pedes mediocres, geniculis posticis parum infuscatis, de cetero ut in diagnosi.

**17. B. nigricollis**: niger, facie flavo-maculata, antennis apice ferrugineis, abdominis segmentis 1—4 pedibusque pallide flavis, horum posticis coxis, femoribus tibiarumque apice nigris. ♂♀.

*Mas:* palpis, mandibulis apice piceo, labro, facie tota, antennarum scapo subtus, pedibusque anterioribus totis cum coxis et trochanteribus, flavis.

*Fem.* (in Ostrogothia et Lapponia capta): palpis, mandibulis medio, labro, maculaque faciali utrinque supra labrum intra oculos, flavotestaceis, antennis basi, coxis et trochanteribus omnibus nigris.

*Tryphon nigricollis* Grav. 2. 234. 153. Mas, forte idem, licet „ore, macula faciali, antennarum articulis 1 et 2 tantum flavis, et longitud. 4 linear." describatur, nam cetera omnino quadrant.

Hab. in Lapponia rarissime; specimina 2 mascula inter Alten et Kautokeino d. 10—13. Aug. 1821 inveni (Lapp.-Ostrogothia, ubi marem et feminam die 12. Aug. 1827. in copula legi).

*Mas.* et *Fem.* Longit. 3—3½ lin. Tenuissime sericeo-pubescens. Antennae longitudine fere corporis, filiformes, apice recurvae. Metathoracis et petioli medium vestigio canaliculae. Abdomen ut in priori constructum, cauda brevissima. Alae fumato-hyalinae, stigmate stramineo, squamula (tegula) in mare flava, in femina picea. Pedes mediocres; ut in diagnosi.

**18. B. senilis**: niger, ore pallido, antennis obscure ferrugineis, pedibus flavis, posticis fusco-testaceis, abdominis segmento primo elongato. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime, tantum ad Muonioniska d. 17. Aug. inveni (Lapponia).

*Mas.* Longit. 3 lin. et ultra. Tenuiter pubescens, punctulatus niger. Caput subcompressum, oculis exsertis. Apertura oris magna. Mandibulae apice piceo, et palpi, pallida. Antennae dimidio corpore longiores, apice recurvae, basi fusco-ferrugineae, extrorsum obscuriores, scapo subtus testaceo. Metathorax convexus, in medio non profunde, sed late canaliculatus. Abdomen angustum, lanceolatum, laeve; segmento primo longitudine fere totius abdominis tertiae partis, a basi ad medium angustissimo, lineari, versus apicem paullo dilatato, longitudinaliter canaliculato, in medio utrinque tuberculato. Alae hyalinae, stigmate et nervis validis fuscis, squamula pallida. Pedes anteriores toti cum coxis flavi, postici piceo-testacei, coxis nigris, trochanteribus testaceis. Femina mihi ignota; an cauda longius exserta instructa?

**19. B frontalis**: niger, ore, facie, segmentis abdominis 1, 2 et 3 lateribus anguste, coxisque anterioribus flavis, pedibus testaceis, posticis infuscatis, coxis nigris. ♀?

Hab. in Lapponia rarissime, tantum ad Björkvik Nordlandiae septentrionalis d. 15. Jul. a me visus. (Lapponia Norvegica).

*Fem.?* Longit. vix 2 lin. Glaber, nitidus, niger. Palpi, mandibulae apice piceo, labrum, et facies tota infra antennas, pallide flava. Antennae graciles, articulo primo subtus pallide notato. Metathorax brevis, parum convexus, striis elevatis. Abdomen subcylindricum, apice incurvatum; totum nigrum, segmentis primo basi angustato, angulis apicalibus; secundo et tertio margine laterali deflexo, flavis; 5 et 6 margine apicali summo albido; ventre perspicuo, flavo. Stylus analis brevis, exsertus, pilosellus, genitale an masculinum aut femineum prodens? Alae hyalinae, stigmate fusco, radice et squamula pallidis. Pedes ut in diagnosi.

**20. B. dorsatus**: supra niger, subtus cum pedibus flavus. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime, inter Muonioniska et Kengis d. 20. Aug. a me inventus. (Lapponia).

*Mas.* Longitudo praecedentis, angustior. Nitidus, vix pubescens. Caput flavum, oculis et vertice nigris. Antennae longitudine fere corporis, graciles, testaceae, apice recurvae infuscatae, articulis 1 et 2 basalibus flavis, supra nigris. Thorax et metathorax dorso nigri, linea antealari flava. Pectus, sternum et metathorax subtus flava. Abdomen angustissimum, lineare, antice subscabro-punctatum, petiolo elongato, versus basin coarctato, striatulo, tuberculis ordinariis obsoletis. Alae breves, hyalinae, stigmate parum infuscato, radice et squamula flavis. Pedes elongati, toti cum coxis flavi, posticorum geniculis et tibiarum summo apice subinfuscatis.

**21. B. stigmaticus**: niger, palpis pallidis, femorum summa basi, geniculis, tibiis tarsisque anticis totis tibiarumque posteriorum basi testaceis, alarum stigmate magno nigricante. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in ligno Pini recenter secato ad Wittangi d. 15. Jun. inveni (Lapp. Suecica).

*Mas.* Priori brevior, vix 1½ lin. longus. Glaber, parum nitidus, niger, palpis longis, flavis. Antennae dimidio corpore paullo longiores, graciles, apice recurvae. Metathorax convexus, distincte cancellatus. Abdomen anguste lanceolatum. Vix punctatum, segmento primo haud elongato, versus basin paullo angustato, striato. Alae hyalinae, stigmate sat magno, triangulari, nigricante, radice et squamula flavis. Pedes ut in diagnosi.

*Obs.* Huic Subdivisioni quoque inseri possunt: *Ichneumon auriculatus* Fabr., *Tryphon elegantulus* Grav. (seu forte *Cryptus mandator* Fabr.), Sueciae ulterioris, vix Lapponiae incolae.

## *Sectio 2. Cauda feminarum longe exserta. Abdomen sessile, subsessile, aut petiolatum.*

*Subdiv.* 1. Cauda feminarum longe exserta. Abdomen sessile, segmento primo subdepresso. Pedes mediocres.

**22. B. nuntiator**: niger, pedibus cum coxis rufis, tibiis tarsisque posticis nigricantibus. ♂♀.

*Phytodietus* (*Cryptus*) *caligatus* Grav. Ichn. 2. 936: „pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque nigris, areola nulla, abdomine subsessili;" an Synonymon hujus? Sed Cel. Auctoris character generis *Crypti*: „abdomine petiolato," repugnat.

Hab. in Lapponiae frutetis rarissime (Lapp.-Uplandia, Ostrogoth. freq.; Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Longit. 3 lin. et ultra. Tenuissime subpubescens, niger, ore et palpis piceis s. fusco-testaceis. Antennae graciles, dimidio corpore paullo longiores. Metathorax parum convexus, rugulosus, striis longitudinalibus elevatis, tuberculis nullis. Abdomen capitis thoracisque fere longitudine, aut paullo longius, sed vix ejus latitudine, segmento primo lateribus aequilato, supra depresso (praesertim in mare), ruguloso, tuberculis ordinariis ante medium sitis, angulo apicali membrana albida inflexa; segmentis mediis margine summo in femina saepe castaneis. Cauda abdominis longitudine. Alae fumato-hyalinae, stigmate fusco, radice et squamula fusco-testaceis. Pedes ut in diagnosi.

**23. B. affinis**: niger, coxis et trochanteribus concoloribus, pedibus rufis, tibiis tarsisque nigricantibus. ♂♀.

An *Phytodietus* (*Cryptus*) *niger* Grav. Ichn. 2. 935. 318: „pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris, posticorum tibiis et tarsis fuscis, areola nulla?" Character generis ab Auctore datus contradicit.

Hab. in Lapponia cum priori rarius. (Lapp.-Ostrog. freq.).

*Mas.* et *Fem.* Praecedenti in omnibus simillimus praeter colorem coxarum et trochanterum nigrum, ut et caudam feminarum paullo longiorem; tibiae quoque postice in *Bass. affini* plerumque paullo dilutiores sunt s. fusco-castaneae.

*Subdiv.* 2. Caput rotundatum. Antennae graciles. Thorax saepius cylindricus.

° Abdomine subsessili, depressiusculo, basi scabriculo; pedibus mediocribus: *Xylonomus* (Subgenus *Xoridis*) Grav.

**24. B. irrigator**: niger, abdominis basi rufa, pedibus castaneis, coxis nigris, alarum stigmate fusco dimidio albo; (antennis feminae albo-annulatis.) ♀.

Fabr. Piez. 97. 15. . (exclus. Syn. Panz. Fn. f. 16. quae potius *Ichneumonem* areola subquadrata et cauda brevi repraesentat. *Xorides* (*Xylonomus*) *irrigator* Grav. Ichn. 3. 837. 10. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime (Lapp.-Ostrog. pass.).

*Fem.* Longit. 4—5 linear. Punctatus, pubescens, niger, palpis, ore et labro fuscis vel piceis. Antennae graciles, articulis 11—16 albis. Metathorax cancellatus, postice bispinulosus. Abdomen basi parum scabrum, segmento primo striis 2 elevatis secundoque, rufis, tertio basi castaneo. Cauda circiter abdominis longitudine. Alae hyalinae, stigmate fusco, dimidio interiori albo, infra stigma umbra fusca; radice alarum et squamula piceis. Pedes mediocres, tibiis validis, fusco-castanei, tibiis anticis, geniculis et tarsis omnibus dilutioribus, coxis et trochanteribus nigris.

*Mas:* absque annulo albo antennarum; rarius occurrit, nec in Lapponia mihi obvius.

**25. B. pulcher**: facie prominente, subtus flavus, supra niger, scutelli apice abdominisque segmentis anticis margine flavis, antennis albo-annulatis. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; inter Muonioniska et Kengis d. 20. Aug. unicum individuum inveni. (Lapponia).

*Fem.* Longit. circiter 3 linear. Punctulatus parum pubescens. Caput rotundatum, flavum, facici medio protuberante croceo; oculis ovatis, nigris, macula verticis atra. Antennae longitudine fere corporis, gracillimae, rectae, supra obscurae, subtus ferrugineae, annulo ante apicem angusto, albo, scapo subtus flavo-maculato. Thorax subgibbus, niger, linea antealari, puncto laterali, sterno, pectore, scutelli margine et puncto sub scutello, flavis. Metathorax rugosus, cancellatus, apice bituberculatus, lateribus infra flavus. Abdominis segmenta: primum longitudinaliter striolatum, secundum et tertium, scabra, margine flava; reliqua segmenta nigra, summo margine albo-membranaceo. Cauda erecta, longitudine vix tertiae partis abdominis. Alae hyalinae, stigmate et radice pallidis. Pedes cum coxis toti flavi, posteriores tibiarum tarsorumque articulorum apice fusco.

*Not.* Vix femina *Bass. exsultantis* Grav. 3. 328. 8. hic noster *B. pulcher* esse, potest propter caput rotundatum, nec transversum, pedes flavos, nec rufos etc.

*Obs.* Ad hanc Subdivisionem pertinet etiam *Xylonomus caligatus* Grav., in Suecia meridionali, sed non in Lapponia mihi obvius.

** Abdomine subpetiolato, laevi, nitido, segmento primo subcanaliculato, pedibus gracilibus, elongatis; facie versus os angustata. *Xorides* Grav.

*B. senilis*; vide supra No. 18.

**26. B. collaris:** niger, orbita oculorum interna, collique linea laterali utrinque, albidis, pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque fuscis. ♂♀.

*Mas:* pallidus, facie tota antennarumque scapo subtus, albis, trochanteribus pedum anteriorum flavicantibus, angustior.

*Fem.:* palpis fuscis, facie nigra, orbita oculorum interna albida, trochanteribus omnibus fulvis; saepe mare paullo major.

*Xorides collaris* Grav. 3. 848. 14. ♂♀.

Hab. in frutetis et arboretis per partem sylvaticam Lapponiae mensib. Jun. — Aug. passim; feminae in truncis arborum emortuarum sedentes interdum inveniuntur; etiam sub cortice. Pini individuum masculum d. 30. Jun. ad Juckasjervi inveni. (Lapp.-Ostrog. pass.; femina vero rarius).

*Mas* et *Fem.* Longit. 5—8 lin. Subpubescens, parum punctulatus. Caput collo exsertum. Thorax dorso transversim strigosus. Punctum ad radicem alarum inferiorum in femina album. Metathorax cylindricus, laeviusculus. Abdomen maris capite thoraceque triplo longius, angustissimum; feminae capite thoraceque fere duplo longius, in utroque sexu laeve s. subtilissime tantum transversim strigosum. Cauda longitudine abdominis. Alae hyalinae, stigmate fusco, squamula pallida. Pedes rufi, coxis concoloribus, tibiis et tarsis posticis infuscatis.

*Obs.* Huic affinis est *Xorides nitens* Grav., Sueciae inferioris, sed vix Lapponiae incola.

*** Abdomine petiolato, sublaevi, nitido; pedibus validis, femoribus posticis crassis, subcompressis, dente infra instructis. *Odontomerus* (Subgenus *Xoridis*) Grav.

**27. B. appendiculatus:** niger, pedibus rufis, posticorum coxis nigro-piceis, metathorace inter cancellos rugoso, abdomine segmento primo apice utrinque in femina appendiculato. ♂♀.

*Xorides* (*Odontomerus*) *appendiculatus* Grav. 3. 853. 16. ♀.

Hab. in Lapponiae ligno recenter secato rarius. (Lapp.-Ostrog. pass.)

*Mas* et *Fem.* Longitudo maris 3—4, feminae 4½ lin. Caput et thorax pilosa. Palpi fusci. Antennae maris nigrae, feminae nigro-piceae, scapo nigro. Metathorax longiusculus, subdepressus, rugosus, cancellatus, apice retusus, ambitu obsolete bituberculato. Abdomen laeve, segmentis 1 et 2 anticis punctatis. Cauda corpore fere duplo longior. Alae subhyalinae, stigmate fusco, squamula straminea, basi picea. Pedes toti rufi, postici coxis nigricantibus, trochanteribus basi piceis.

**28. B. dentipes:** niger, pedibus rufis, posteriorum coxis nigro-piceis, metathorace inter cancellos sublaevi. ♀.

*Xorides* (*Odontomerus*) *dentipes* Grav. 3. 854. 17. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in monte subalpino Skaadavaara prope Altengaard et Bossekop Finmarkiae occidentalis d. 7. Aug. a me lectus. (Lappon.-Ostrogoth. pass.)

*Fem.* Priori simillimus, nec differt nisi corpore minus piloso, antennis nigris: metathorace breviori, inter cancellos laeviori, abdominis segmento primo non appendiculato, alis fumato-hyalinis, et cauda longitudine tantum corporis.

*Mas:* a Cel. Gravenhorst l. c. descriptus, a me non visus, nec prioris, qui metathorace rugoso gaudet, huc referri potest.

## 14. Tryphon. Fall.

Fall. Disposit. Hym. Gen. 15. *Bassi*, *Tryphonis*, *Pimplae* et *Ichneumonis* species Fabr. Latr. Grav.

*Corpus* majoris aut mediae, rarius minoris magnitudinis, elongatum, glabriusculum. Antennae elongatae, setaceae. Abdomen laeve, sessile aut subpetiolatum, petiolo recto; segmentis anticis haud compressis, ultimis dilatatis, conniventibus. Areola alarum triangularis aut quinqueangularis *Color*, *motus*, *habitatio* et *differentia sexus* ut in genere *Basso* (Species Scand. 76. lustrare mihi contigit).

### *Sect. Prima: metathorace non cancellato.*

*Subdiv.* 1. Cauda feminarum longe exserta; abdomine saepius sessili, oblongo-ovato, convexo. *Pimplaeformes.*

**1. B. reluctator:** niger, abdominis medio pedibusque ad partem rufis, tibiis anticis testaceis, incrassatis annulo antennarum albo areola alarum pentagona. ♀.

*Ichneumon reluctator* Linn. Fn. Sv. 1603. ♀. Panz. Fn. 71. f. 13. ♀. *Cryptus reluctator* Fabr. Piez. 79. 35. ♀. *Xorides* (*Echthrus*) *reluctator* Grav. 3. 86. 19. ♂♀.

Hab. in Lapponia per partem inferiorem sylvaticam non frequens. (Lapp.; Uplandia; Ostrogothia; Blekingia; pass.).

*Fem.* Long. 5—7 linear. Subglaber, niger, labro piceo. Antennarum articulus primus crassus, apice pro secundo excavatus, tertius summa basi ferrugineus; 6—10 albi. Abdomen segmento primo basi paullo angustato, lineis 2 elevatis; secundo et tertio rufis aut piceis; cauda circiter longitudine corporis. Alae fumato-hyalinae, stigmate et radice fuscis. Pedes coxis et trochanteribus omnibus nigris; femoribus anterioribus rufis; tibiis anticis testaceis, tarsis fuscis; tibiis tarsisque intermediis nigricantibus; femoribus posticis aut rufis, aut piceis aut nigris tibiis tarsisque semper nigris.

*Mas:* tibiis anticis minus crassis, et antennarum articulis 11—16 albis aut dilute fulvis, a Cel. Gravenhorst l. c. descriptus, mihi in Lapponia non obvius.

**2. T. excavator:** niger, ore, linea ante alas pedibusque totis rufis, areola alarum triangulari petiolata, fronte excavata. ♀.

Hab. in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. passim).

*Fem.* Longitudo fere praecedentis, sed angustior. Affinis videtur *Lissonotae* (*Pimplae*) *catenatori* Grav., sed ea trochanteribus posticis supra nigricantibus describitur, et de fronte omnino tacet Auctor, unde dubium de identitate oritur. Tenuissime pubescens. Caput antice posticeque excavatum, fronte lateribus juxta oculos prominente. Linea thoracis antealari rufa vel flava, lineolaque sub alis flava. Abdominis segmentum primum depressum, non canaliculatum. Cauda longitudine abdominis. Alarum nervi et squamula (tegula) pallida. Pedes mediocres rufi, coxis anterioribus flavo-maculatis, tibiis posticis extus tarsisque, fuscis.

**3. T. Pimplator:** punctatus niger, ore pedibusque totis rufis, areola alarum triangulari subpetiolata, fronte integra. ♀.

Hab. cum priori, et aeque rarus. (Lappon.-Ostrogothia).

*Fem.* Magnitudo praecedentis eique affinis et similis, fronte integra et thorace immaculato imprimis distinctus. Niger. Palpi et labrum testacea. Abdominis segmenta tria basalia scabro-punctata, subnodosa. Cauda longitudine abdominis. Alae ut in priori. Pedes cum coxis toti rufi, tarsis posticis infuscatis.

**4. T. Bellator:** niger, palpis, labro, abdominis medio pedibusque totis rufis, areola alarum subtriangulari, sessili. ♀.

*Pimpla* (*Lissonota*) *Bellator* Grav. Ichn. 3. 106. 60. ♂♀.

Hab. in Lapponiae graminosis et fruticibus, mense Aug., rarius; in Botnia occidentali quoque usque ad 7. Sept. frequenter vidi. (Lappon.-Ostrog. freq.-Scan. rar.)

*Fem.* Longit. 2½—3½ linear. Glaber, subopacus. Antennae medio fuscae v. fusco-ferrugineae. Abdomen subnitidum, articulis 1 nigro apice rufo; 2 rufo, interdum punctis vel lineis duabus nigris; 3 toto rufo; 4 rufo, apice nigro, aut nigro-fasciato; 5—7 nigris. Cauda corpore parum brevior. Alae fumato-hyalinae, stigmate fusco, radice et squamula pallidis, areola triangulari, sessili. Pedes cum coxis rufi, trochanteribus posteriorum basi et apice magis vel minus nigro-maculatis.

*Mas:* facie, coxis anterioribus maculisque thoracis flavis, a Cel. Gravenhorst l. c. describitur, mihi in Lapponia non obvia.

**5. T. segmentator:** niger, ore, abdominis segmentorum anteriorum margine pedibusque totis rufis, areola alarum triangulari, subsessili.

*Pimpla* Fabr. Piez. 114. 8. ♀. *Pimpla* (*Lissonota*) *Segmentator* Grav. Ichn. 3. 52. 28. ♂♀. Sub nomine *Pimpla Sector* Thunb. ab Amico Dahlman olim missus.

Hab. in Lapponia rarius; in copula captus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Parvus, 2—3 lin. longus. Glabriusculus. Palpi pallidi, mandibulae et labrum ferruginea. Antennae corpore parum breviores, articulo primo saepe subtus rufo. Segmenta abdominis 1—3 margine summo rufo. Cauda abdomine paullo longior. Alae hyalinae, stigmate fusco, radice et squamula albidis. Areola triangularis, sessilis, interdum subpetiolata. Pedes cum coxis rufi, coxis posticis basi saepe fuscis, coxis et trochanteribus anterioribus in mare flavo-maculatis.

**6. T. humeralis:** niger, ore, pictura faciei, lunulaque ante alas, flavis, abdominis segmento secundo margine summo castaneo, pedibus fulvis, posteriorum coxis et trochanteribus flavis, coxis posticis nigris. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime, inter Muonioniska et Kengis d. 20. Aug. unicum individuum inveni. (Lapponia).

*Mas.* Minutus, priori fere minor, sed illi affinis. Subglaber, niger. Palpi, mandibulae, labrum, orbita oculorum facialis, maculae 2 faciei, antennarum scapus subtus, punctum verticis utrinque ad oculos, flava. Macula thoracis ante alas hamata, punctumque sub

alis, etiam flava. Segmentum abdominis secundum summo margine castaneo, subpellucido. Alae hyalinae, stigmate fusco, radice et squamula flavis, areola triangulari, subpetiolata. Pedes fulvi, anteriores coxis et trochanteribus pallide flavis, subpellucidis; postici coxis nigris, apice flavis, trochanteribus fusco-maculatis, tarsis infuscatis.

**7. T. albitarsorius**: niger, labro abdomineque rufis, petiolo nigro, pedibus ferrugineis, posticis tibiarum basi tarsorumque apice albis, metatarso nigro, areola alarum triangulari, subpetiolata. ♂♀.

*Mas*: antennae corporis fere longitudine, extrorsum rufescentes; abdomen lanceolatum; pedes omnes tibiis basi tarsorumque articulis 2—4 albis.

*Fem.*: Antennae corpore breviores, in medio subtus subferrugineae; tarsi tantum postici articulis 2—4 albis; color pedum et abdominis rufus magis obscurus quam in mare, cauda abdomine posterius sublatiore paullo brevior.

An *Ichneumon titillator* Linn. Fn. 1611? diagnosis a Clar. Auctore data, ut et frequentia individuorum in Suecia occurrentium, affirmant, descriptio coloris pedum posticorum negat. *Cryptus titillator* Gravenh. Ichn. 2. 564. 98. ♂♀. ad quem Linnaei nominatus *Ichn. titillator* ut Synonymon refertur, aliud insectum videtur, quod in Scandinavia mihi non obvium fuit.

Hab. in Lapponia inferiori rarius. (Lappon.-Ostrog. pass. Scan. freq.).

*Mas.* et *Fem.* Longitudo 3—4 linear. Pubescens punctatus, abdomine glabriusculo, laevi. Abdomen apice interdum infuscato, petiolo nigro, basi canaliculato utrinque tuberculato. Alae fumato-hyalinae stigmate fusco, squama in mare flava, in femina obscuriori. Pedes coxis, trochanteribus, tibiarum posticarum apice, et metatarso, nigris; de cetero ut in diagnosi.

**8. T. impressor**: niger, labro pedibusque cum coxis rufis, areola alarum triangulari, subsessili. ♀.

Var. a. ♀. tarsis posticis fuscis, palpis et alarum squamula pallidis.

*Pimpla* (*Lissonota*) *impressor* Grav. Ichn. 3. 50. 27. ♀.

Var. b. ♀. tarsis posticis rufis, palpis fuscis, alarum squamula picea.

Hab. in Lapponia rarius; varietatem b tantum in summo alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. in nive ambulantem inveni. (Lapp.-Ostrog. var. a pass.).

*Fem.* Feminea individua mihi obvia vix 3 lineas longa. — Parum pubescens, subopacus, subtilissime punctulatus. Antennae tenues, dimidio corpore paullo longiores. Abdomen capite thoraceque paullo longius, hoc fere angustius, subcylindricum, vestigio impressionum obliquarum. Cauda corporis circiter longitudine. Alae subhyalinae, stigmate fusco. Pedes graciles cum coxis in var. a rufo-testacei, his flavo-maculatis, tarsis posticis fuscis; in var. b. rufo-ferruginei, coxis et tarsis omnibus concoloribus.

*Mas* antennis longitudine corporis et plerumque lineola antealari flava, a Cel. Gravenhorst l. c. descriptus, a me in Lapponia frustra quaesitus.

**9. T. angustator**: abdomine petiolato angusto niger, coxis et trochanteribus concoloribus, pedibus rufis, femoribus posterioribus subtus basi macula, tarsisque posticis fuscis; areola alarum triangulari petiolata. ♂.

Hab. in Nordlandia septentrionali rarissime, tantum ad Bjorkvik, die 14. Jul. a me lectus. (Lapponia Norvegica).

*Mas.* Priori parum longior. Similis *Porizonis* speciei, sed propter abdomen lineare, non falcatum, nec postice dilatato-compressum ad *Tryphonem* forte rectius referendus. Sublaevis, parum pubescens, subopacus niger. Palpi flavi. Caput transversum. Thorax gibbus. Metathorax striis longitudinalibus elevatis, interstitiis rugosis. Abdomen valde angustum; petiolo basi tenui substriato, versus apicem sensim paullo latiori. Alae subhyalinae, stigmate fusco, radice et squamula albidis. Pedes ut in diagnosi.

*Fem.* ignota, forte cauda longe exserta instructa!

**10. T. pusillus**: abdomine petiolato angusto niger, coxis posticis concoloribus, ore, antennarum basi subtus, abdominis segmentis 2 et 3 margine, pedibusque obscure testaceis, femoribus posticis fuscis, areola alarum irregulari. ♂.

Hab. cum praecedente rarissime, unicum tantum individuum ad Björkvik d. 15. Jul. invenire mihi contigit. (Lapponia Norvegica).

*Mas.* Long. vix $1^{1}$ lin. Parum subpubescens, nitidus, niger. Metathorax longitudinaliter elevato-striatus. Abdomen anguste lanceolatum, petiolo tenui, lineari, medio canaliculato; nigrum, segmentis 2 et 3 evidenter, 4 obsolete, margine flavo-pellucidis. Alae hyalinae metallice nitentes, stigmate fusco; radice et squamula testaceis; postici obscuriores, hi coxis et trochanterum basi nigris, femoribus in medio late tibiarumque apice fuscis.

*Femina* ignota, an cauda longe exserta?

*Obs.* Huic Subdivisioni inseri possunt *Ichneumon excitator* Panz. et *Pimpla* (*Lissonota*) *cylindrator* Grav., Sueciae meridionalis, at vix Lapponiae incolae.

*Subdiv.* 2. Abdomine sessili, laevi, nitido, subfalcato, postice compresso. Cauda feminarum exserta, brevi, tertiae — quintae partis abdominis longitudine. *Banchiformes*. (*Banchus* subgenus *Exetastes* Gravenh.)

**11. T. fornicator**: ore elongato niger, coxis et trochanteribus concoloribus, pedibus fulvis, tibiarum posticarum apice tarsisque posticis nigris, areola alarum triangulari, petiolata. ♂♀.

*Banchus fornicator* Fabr. Piez. 127. 3. Gravenh. Ichn. 2. 402. 10. Subgenus *Eretastes* ♂♀.

Hab. in Lapponia collect. D. Portin, mihi in terris arcticis non obvius. (Lapponia; Uplandia-Blekingia passim).

*Mas.* et *Fem.* Inter majores generis, longitudine 5—7 linear. Subpubescens, punctatus, abdomine, a latere viso, compresso; toto laevissimo, glabro. Os conicum, infra oculos longe descendens. Palpi fusci. Antennae dimidio corpore longiores, graciles, totae nigrae. Thorax gibbus. Metathorax scaber, vix striatus. Cauda longitudine vix quintae aut sextae abdominis partis. Alae fumato-hyalinae, stigmate stramineo squamula picea. Pedes ut in diagnosi, articulo ultimo tarsorum posticorum saepe ferrugineo.

**12. T. fulvipes**: ore non elongato niger, antennis medio obscure ferrugineis, pedibus fulvis, coxis anterioribus basi, tibiarumque posticarum apice cum tarsis totis nigris; areola alarum triangulari, petiolata. ♀.

*Banchus* (*Exetastes*) *fulvipes* Grav. Ichn. 3. 341. 9. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi passim; in Betula ad Muonioniska die 17. Aug. praesertim legi. In Suecia eum nunquam inveni. (Lapponia —?)

*Fem.* Longit. 4—6 linear. Praecedenti affinis et similis, sed differt ab illo: ore infra oculos vix descendente, pedibus paullo brevioribus et crassioribus, abdomine petiolo breviore et latiore, ut et coxis anterioribus apice late, posticis totis, et trochanteribus omnibus rufis; punctura quoque in *T. fulvipede* subtilior videtur. Antennae in medio fusco-ferrugineae. Abdominis segmentum primum usque ad medium distincte canaliculatum. Alarum stigma fuscum, squamula pallida; areola parva. Cauda ut in priori. Tarsi postici toti nigri.

**13. T. tarsator**: niger coxis concoloribus, pedibus fulvis; capite, thorace abdomineque in mare maculatis, in femina immaculatis, tarsorum posticorum medio in utroque sexu albido; areola magna triangulari, sessili. ♂♀.

*Mas*: antennae nigrae immaculatae; palpi, mandibulae apice piceo, labrum, facies, linea antealaris et subalaris, squamula et scutelli apex, coxae et trochanteres anteriores latere antico, flava; segmenta abdominis 2—4 rufa, margine nigra.

*Fem.*: antennae in medio albo-annulatae, alarum squamula picea; caput, thorax, scutellum et abdomen nigra, immaculata, labro ferrugineo; cauda vix sextae abdominis partis longitudine.

*Ophion tarsator* Fabr. Piez. 134. 20. , et *Ophion clavator* Fabr. Piez. 134. 17. ♀. *Ichneumon* de Geer Ins. 2. 849. 4. ♂♀. *Banchus* (*Exetastes*) *clavator* Grav. Ichn. 3. 405. 11. ♀. *Banchus* (*Exetastes*) *osculatorius* Grav. Ichn. 3. 413. 15. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime (Lappon.-Ostrog. freq. Scan. pass.).

*Mas.* et *Fem.* Long. 4—5 linear. Subpubescens punctatus, abdomine laevissimo nitido, glabro. Os infra oculos paullo descendens. Antennae praesertim in mare longitudine fere corporis. Metathorax glaber, minime striatus. Petiolus basi angustatus, excavatus. Alae feminae fumatae, stigmate stramineo; maris hyalinae stigmate fusco. Pedes elongati; tarsi in utroque sexu articulis 2—4 albis.

*Not.* Nomina trivialia: *clavator*, propter abdomen a latere visum clavatum, forte impositum, feminae tantummodo competens, et *osculatorius* forte ob os flavum, mari solum applicandum, rejeci, et Fabricianum *tarsator*, utrique sexui accommodatum, retinui.

**14. T. incurvator**: niger, coxis et trochanteribus concoloribus, abdominis segmentis 1 apice, 2, 3 totis, et 4 basi, ferrugineis, pedibus fulvis, posticis tibiarum apice tarsisque nigris, his articulis 3—5 subalbidis; areola alarum triangulari subpetiolata. ♂♀.

Sub nomine *Banchus incurvator* Thunb. a Cel. D. Profess. Dalman, simillimus e Museo Reg. Acad. Holmiensis mecum quondam communicatus. *Bancho bicolorato* Grav. et *Bancho crasso* Grav. etiam valde affinis videtur haec nostra species, quae sub uno eorum forsitan latet.

Hab. in Lapponia rarius; in monte subalpino Raschstind ad Schiervoe Nordlandiae septentrionalis die 28. Jul. pauca specimina legi. (Lappon.-Ostrogothia rar.).

*Mas.* et *Fem.* Circiter 5 lin. long. Priori affinis; punctura, pubescentia, structura partium ut in illo, pictura et cauda feminarum paullo longiori seu longitudine quartae partis abdominis differt. Alarum stigma stramineum, squamula nigro-picea. Abdominis segmenta 1 apice plus vel minus late, 2, 3 tota, 4 aut totum, aut basi late, rufa. Articuli tarsorum pedum posticorum 3, 4 tota, et 5 saltem basi, sordide albidi aut testacei.

*Obs.* Sub hac divisione militat etiam *Banchus guttatorius* GRAV. Sueciae inferioris tantum incola.

*Subdiv.* 3. Abdomen subfalcatum, subpetiolatum, petiolo angustato, subtus concavum, subvacuum; feminis pyriforme, cauda brevissima, longitudine vix septimae partis abdominis (in *Tr. vittatore* fere quartae partis abdominis). *Ophioniformes.* (*Tryphon* subgenus *Mesoleptus* GRAV.)

**15. T. mutator**: rufo testaceus, capite supra, thoracis maculis dorsalibus et lateralibus, metathorace, abdominis basi et apice, femoribusque posticis nigris; areola alarum parva subtriangulari, petiolata. ♂♀.

Hab. in Lapponia tempore auctumnali rarius. (Lappon.-Ostrog. freq.).

*Mas.* et *Fem.* Long. 3—4½ lin. Parum punctatus, subpubescens. Caput nigrum, palpis, mandibulis apice piceo, labro et facie, flavis. Antennae corpore parum breviores, ferrugineae, basi supra nigro-maculatae. Thorax rufus, linea laterali lata a capite ad metathoracem, maculisque dorsalibus 2 vel 3, rarius dorso toto, nigris. Metathorax niger, laevis. Scutellum ferrugineum. Abdomen rufum, segmentis 1, basi magis vel minus late, et apicalibus 4 — 7 vel 5 — 7 nigris. Alae subhyalinae, stigmate stramineo, squamula flava, areola minuta irregulari. Pedes graciles cum coxis rufo-testacei, postici femoribus tibiarumque apice nigris

**16. T. melanocephalus**: rufus, capite nigro, ore, facie et scutello flavis; areola alarum triangulari, irregulari, subpetiolata. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus flavis, femoribus posticis rufis; abdomine rufo-testaceo unicolore.

GRAV. Ichn. 3. 28. 16. ♂. Subgenus *Mesoleptus*.

Var. b. ♀. paullo minor, pedibus totis flavis, abdominis dorso subinfuscato, praesertim ad latera.

Hab. in Lapponia passim, ad Kengis die 22. Aug. frequentiorem vidi; varietatem b. tantum in alpe Andeness Nordlandiae Septentrionalis d. 23. Jul. rarissime legi. (Lappon - Ostrog.; Scan. freq.).

*Mas.* et *Fem.* Long. 4—4½ lin. Structura partium et pubescentia prioris. Antennae fere longitudine corporis, totae rufae. Linea ante alas hamata saepe flava. Abdomen apice interdum infuscatum. Alae subpallidae, squamula flava. Pedes cum coxis flavi, femoribus posticis rufis.

**17. T. testaceus**: rufo-testaceus, pedibus pallidioribus, oculis et stemmatibus nigris; areola alarum triangulari, irregulari, petiolata. ♂♀.

GRAV. Ichn. 3. 28. 17. Subgenus *Mesoleptus*. ♂♀. Forte etiam *Bassus testaceus* FABR. Piez. 101. 31. ♀.

Hab. in Lapponia cum priori rarius. (Lapp.-Scania freq.).

*Mas.* et *Fem.* Long. 3—5 lin. Variat etiam paullo minor et dilutior, an tunc *Tryph. pallidus* GRAV.? Simillimus praecedenti, minor, et capitis colore distinctus. Alarum stigma stramineum aut fuscum, squamula flava. Variat rarius abdomine supra maculis fuscis.

**18. T. vulneratus**: niger, ore, facie, antennis subtus pedibusque flavis, horum posticorum coxis femoribusque nigris, abdominis segmentis 3 et 4 vitta longitudinali ferruginea; areola alarum triangulari, sessili. ♂.

Hab. in Lapponia, rarissime ad Giebostad Nordlandiae septentrionalis die 22. Jul. tantum lectus. (Lappon. Norvegica).

*Mas.* Magnitudo et affinitas *Tryph. mutatoris* (No 15.). Pubescens, vix punctatus, subnitidus niger. Caput flavum, supra nigrum. Antennae subtus totae flavae, extrorsum ferrugineae, basi supra nigricantes. Metathorax parum convexus, striis longitudinalibus elevatis. Alae hyalinae, stigmate et squamula flavis. Pedes anteriores cum coxis flavi; postici nigri, coxarum apice trochanteribusque flavis, geniculis, tibiis tarsisque fusco-testaceis.

**19. T. vittator**: rufo-testaceus, capite pedibusque pallidioribus, oculis, thoracis dorso vittis tribus, metathorace abdominisque basi nigris: areola alarum triangulari, sessili. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; inter Muonioniska et Kengis mense Augusto captus. (Lapponia —?)

*Fem.* Longitudo circiter 2 linear. Subpubescens, laevis, abdomine laevissimo, nitido, glabro. Os ut flavum, mandibulis apice, oculis et macula stemmatum nigris. Antennae corporis fere longitudine, graciles, rufo-testaceae. Abdomen flavo-testaceum, segmentis, 1 toto, 2 ultra medium, 3 macula laterali utrinque, nigris. Cauda nigra, longitudine circiter quartae partis abdominis. Alae hyalinae, nervis pallidis, stigmate fusco, squamula flava. Pedes cum coxis pallidi, tibiarum posticarum apice et summa basi nigris.

*Not.* In Gottlandia ad Kjellunge d. 26. Jul. 1819 simillimum inveni, sed paullo majorem et macula faciei, sterno abdominisque apice nigris tantum diversum.

*Obs.* Huic subdivisioni etiam subjici debet *Ophion tricolor* FABR., insectum in Scandinavia rarissimum, ad Lärketorp Ostrogothiae tantum semel a me inventum, in Lapponia non visum.

*Subdiv.* 4. Abdomine longissimo, angustato, cylindrico. *Xoridiformis.*

**20. T. rugicollis**: thoracis dorso profunde rugoso, niger, palpis et facie albis, antennarum apice pedibusque rufo-testaceis; areola alarum triangulari petiolata. ♂.

Hab. in Finmarkia rarissime; ad Bossekop prope Alten d. 4. Aug. unicum individuum inveni. (Lappon. Norvegica).

*Mas* Long. circiter 5 lin. *Basso collari* affinis et similis, areola alarum triangulari (nec ut in *B. collari* nulla) distinctus. Subpubescens abdomine glabro, niger. Caput subrotundatum. Palpi pallidi. Facies quadrata, alba. Antennae longitudine dimidii corporis, 27-articulatae, rectae, basi graciles nigrae, versus apicem sensim crassiores, rufae. Thorax ante collum tuberculo rotundato instructus, dorso toto profunde transversim rugosus. Scutellum subdepressum. Metathorax parum convexus, punctatus, in medio canaliculatus. Abdomen capite thoraceque duplo longius, lineare, laevissimum, segmentis subaequalibus. Alae hyalinae, stigmate fusco, intus albo-notato, squamula pallida, areola minima, triangulari, longe petiolata. Pedes mediocres cum coxis rufo-testacei, antici pallidiores, trochanteribus et geniculis flavis; postici tibiarum apice et tarsis subinfuscatis. — Forte genus distinctum.

## *Sect. Secunda. Metathorace subcancellato; antennis mediocribus; abdomine sessili vel subsessili: cauda feminarum brevissima, haud exserta.*

*Subdiv.* 1. Abdomen supra subconvexum, subpyriforme; basi paullo angustatum. *Tryphon* GRAVENH.

**21. T. brachyacanthus**: fronte cornuta niger, mandibularum medio, abdomine pedibusque fulvis, areola alarum triangulari, subsessili. ♀.

GRAV. Ichn. 2. 242. 157. ♂♀.

Hab. in Lapponia, forte rarissime, mihi ibi non obvius; non nisi in collectione D. KOLSTRÖM individuum in Lapponia captum vidi. (Lappon.; Ostrog. Scan. pass.).

*Fem.* Long. 2½—3 lin. Subpubescens nitidus niger. Tuberculum frontale supra antennas breve, erectum, obtusum. Antennae versus apicem rufescentes. Metathorax convexus, postice truncatus. Abdomen oblongo-ovatum, cauda subexserta. Alarum stigma nigrum, squamula testacea. Pedes breviusculi, subvalidi, toti cum coxis fulvi; postici tibiarum tarsorumque articulorum apice nigri.

*Mas.* Abdomine paullo angustiore et longiore, in ceteris feminae similis, a Clar. GRAVENHORST l. c. describitur, mihi non obvius.

**22. T. elongator**: fronte cornuta niger, antennis extrorsum, abdominis medio, tibiis et tarsis omnibus, femorum anticorum latere antico flavis aut rufis, tibiarum posticarum apice nigris; areola alarum triangulari subsessili. ♂♀.

GRAV. Ichn. 2. 238. 155. ♂♀. *Ichneumon elongator* FABR. Piez. 67. 72.

Hab. in Lapponia passim. (Lappon.-Ostrogothia vulgatissime; Scania rarius.).

*Mas.* et *Fem.* Long. 2½ — 4 lin. Subpubescens, punctulatus. Antennae maris piceae, feminae aut totae aut in medio saltem rufae, scapo semper nigro. Cornu frontale erectum, acutum, scapum antennarum non excedens. Metathorax non retusus. Abdominis segmenta 1 apice magis vel minus late, 2—4 totis, rufis, cauda feminarum brevi, vix exserta. Alae in utroque sexu subhyalinae, stigmate stramineo, squamula picea. Pedes coxis nigris, genubus anterioribus flavis; cetera ut in diagnosi.

**23. T. colorator**: fronte inermi niger, ore, maculis frontalibus, punctis thoracis scutellique apice flavis, abdomine rufo, segmentis 1, 5, 6, 7 nigris, horum tribus ultimis albo-marginatis, pedibus fulvis, posticis nigris; areola alarum triangulari sessili. ♀.

Hab. in Lapponia Kemensi ad flumen Tornense, mense Aug., rarissime. (Lapponia).

*Fem.* Magnitudine prioris individuis parum longior, sed multo crassior, robustior. Subpubescens, nitidus, niger. Palpi, mandibulae apice piceo, et labrum, pallide flava. Orbita oris nigra. Macula frontalis utrinque descendens, inaequalis, pallide flava. Antennae

apice testaceae. Puncta thoracis 10, scilicet 4 in collo, 2 humeralia, 2 antealaria, et 2 obsoleta sub alis, albida. Scutelli apex et macula sub scutello, flava. Metathorax convexus, distincte cancellatus. Abdomen convexum, segmento 1 brevi depresso, dilatato, medio canaliculato, toto nigro, 2, 3, 4 totis rufis, 5 basi rufo, medio nigro, apice albo, 6, 7 nigris, apice albis. Cauda abscondita. Alae fumato-hyalinae, stigmate nigro, squamula flava. Pedes fulvi, coxis nigris, anticis flavo-maculatis; postici nigri, tibiarum basi et tarsis apice fusco-ferrugineis.

**24. T. alpinus**: niger, ore, facie antennarumque scapo subtus, flavis, abdominis medio pedibusque rufis, coxis posticis nigris, areola alarum triangulari, sessili. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; in alpium Tornensium jugo in ipsa nive ambulantem d. 13. Jul. inveni. (Lapponia).

*Mas.* Pusillus vix 2 lineas longus. Brevissime pubescens, punctulatus niger. Os et facies tota, flava. Facies sub antennis carina brevi. Antennae ferrugineae, supra fuscae, scapo supra nigro, subtus flavo. Metathorax brevis, distincte cancellatus, postice non retusus. Abdomen oblongo-ovatum, segmentis 1 subbi-costato, nigro, 2 rufo maculis duabus basalibus nigris, 3 rufo, 4 rufo margine nigro, 5, 6, 7 nigris. Alae subhyalinae stigmate fusco, squamula albida. Pedes fulvi, antici coxis et trochanteribus flavis, medii coxis totis nigris.

**25. T. litturatorius**: capite subcubico niger, ore, facie, linea antealari, colli parte infera, scutelli summo apice, maculaque marginali in singulo segmento, ventreque, flavo-albis, pedibus fulvis; areola alarum triangulari, irregulari, petiolata. ♀.?

Var. a tarsis posticis, interdum etiam tibiarum posticarum apice, fuscis vel nigricantibus.

*Ichneumon litturatorius* Linn. Fn. Sv. 1594. *Bassus pedatorius* Panz. Fn. 102. f. 20. certe, licet solito major. *Tryphon 6-litturatus* Grav. 2. 159. 162. ♀. var. pectore flavo.

Var. b tarsis posticis reliquis concoloribus, vix infuscatis.

Hab. in Lapponia Tornensi et Kemensi haud frequens; inter Kautokeino Finmarkiae et Karesuando Lapponiae Tornensis d. 13 — 15. Aug. inveni. (Lapponia; Scania passim).

*Fem.!* Longitudo $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$ linear. Brevissimus, subpunctulatus, subpubescens, niger. Caput infra antennas albido-flavum. Antennae ut in priori. Metathorax convexus, tenuiter cancellatus. Abdomen oblongum, subdepressum, supra nigrum, segmentis 1 lineis duabus elevatis, immaculato, 2 margine summo et puncto medio flavis, reliquorum singulo macula triangulari in margine medio flavo-alba; margine laterali inflexo et ventre quoque albidis. Alae hyalinae, stigmate stramineo, squamula flava. Pedes toti fulvi, coxis et trochanteribus anterioribus flavis.

*Not.* Specimina Scanensia circa Lundam capta a Lapponicis non differunt nisi colore pectoris flavo, qualia a Cel. Gravenhorst describuntur.

**26. T. frontator**: facie infra antennas protuberante niger, antennis brevibus pedibusque crassis obscure rufis, alarum areola triangulari sessili. ♀?

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in ligno Pini recenter secato die 14. Jun. unicum individuum inveni. (Lapponia Suecica).

*Fem.!* Minutus, circiter $1^{1}$ lin longus. Statura et summa affinitas *Bassi coronati*, a quo tamen areola parva subtriangulari mox differt. Parum pubescens, niger, palpis et ore pallidis. Antennae breves, crassae, subpilosae, fusco-ferrugineae. Macula supra antennas juxta oculos utrinque flava. Metathorax convexus, cancellatus, postice retusus. Abdomen sessile, postice compressum, segmento primo subconvexo, striis 2 elevatis; nigrum, segmentorum suturis anticis piceis, ventre antice perspicuo, albido; styli anales pallidi subexserti sexum femineum produnt. Alae hyalinae, stigmate fusco, tegula flava, areola subtriangulari, nervulo exteriori subobsoleto. Pedes breves, validi, toti cum coxis rufi, antice rufo-testacei, postici femoribus tibiisque compressis, extus umbra subinfuscatis.

*Obs.* Huic Subdivisioni etiam subjiciuntur *Tryphon apiarius* Grav. et *Cryptus marginatorius* Fabr. (seu *Ichneumon amictorius* Panz. Fn. Germ.), Sueciae meridionalis, sed non Lapponiae incolae.

*Subdiv.* 2. Abdomen sessile, segmento 1mo depresso, dilatato. Antennae rectae, parum curvatae. *Bassiformes.*

**27. T. bifasciatus**: niger, ore, macula utrinque faciali trochanteribusque flavis, abdominis segmentis 2, 3 pedibusque rufis, coxis nigris, femorum posticorum apice tarsisque posticis fuscis, areola alarum parva, petiolata. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; inter Muonioniska et Öfver-Torneå d. 17 — 25. Aug. inventus. (Lapp.-Botnia borealis).

*Mas.* Longitud. vix ultra 2 lineas. Subpubescens, niger. Palpi, mandibulae, labrum et macula triangularis utrinque infra antennas juxta oculos, flava. Antennae mutilatae. Metathorax convexus, cancellatus, retusus. Abdomen fere ut in *Basso lactatorio* constructum, nigrum segmentis 2, 3 transversim impressis rufis, 3 basi puncto rufo. Alae hyalinae, stigmate fusco, intus albo-notato, squamula flava. Pedes ut in diagnosi.

**28. T. flavifrons**: niger, coxis concoloribus, ore, facie antennarumque scapo subtus albo-flavis, abdominis medio pedibusque rufis, areola alarum triangulari, sessili. ♂.

Hab. in Lapponiae subalpinis rarissime; ad insignem lacum Tornensem d. 8. Jul. inventus. (Lappon. Suecica).

*Mas.* Priori paullo minor, circiter 2 lin. long. Parum pubescens, subopacus, niger. Partes oris et facies infra antennas albido-flava. Antennae basi subtus ferrugineae, scapo subtus flavo. Metathorax parum convexus, subcancellatus. Abdomen ut in praecedente, sed segmento primo basi paullo magis angustato; segmento 2 rufo basi infuscato, 3 rufo, 4 nigro, basi in medio rufo, segmentis 1 — 3 subtiliter punctulatis, parum transversim impressis. Alae hyalinae, stigmate fusco, squamula flava. Pedes ut in diagnosi.

**29. T. nigricornis**: niger, ore, puncto faciali infra antennas maculaque humerali, flavis, pedibus cum coxis rufis, posticorum tarsis tibiisque nigris, his basi late albis, areola alarum triangulari, sessili, obsoleta. ♀.

Hab. in Finmarkiae inferalpinis rarissime; inter Alten et Kautokeino d. 10 — 13. Aug. lectus. (Lapponia).

*Fem.* Pusillus, vix $1\frac{1}{2}$ lin long. Parum pubescens, subopacus niger. Palpi, mandibulae, labrum et punctum rotundum in medio faciei sub antennis, flava. Metathorax subpunctatus, vix cancellatus. Abdomen postice subcompressum, segmentis primo convexo, et secundo basi, scabris, striis nullis. Cauda brevis, exserta, erecta. Alae hyalinae, stigmate stramineo, squamula flava. Pedes ut in diagnosi, trochanteribus anterioribus flavis.

*Obs.* Ad hanc Subdivisionem numerantur quoque *Pimpla strigator* Fabr. Piez. et *Bassus elegans* Grav., sed hae Sueciae inferioris incolae in Lapponia vix habitant.

*Subdiv.* 3. Abdomen subsessile, ovatum, segmento primo subdepresso, subaequilato. Antennae rectae.

**30. T. clypeatus**: niger, coxis concoloribus, ore, antennarum articulis 3, 4 subtus, flavis, pedibus rufo-testaceis, areola triangulari, sessili. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; ad Juckasjervi in Betulae albae foliis d. 1. Jul. inveni (Lapponia Suecica).

*Fem.* Minimus in hoc genere, vix $1^{1}$ lin. longus. Abdomine ovato, basi subito coarctato, distinctus. Vix pubescens, subnitidus niger. Partes oris pallidae, mandibulis apice piceo, clypeo subelevato nitido nigro. Metathorax subconvexus brevis, parum cancellatus. Abdomen a latere visum, apice subclavatum; cauda ante apicem abdominis infra evanescente, longitudine quintae partis abdominis, et apicem ejus non excedente, recurva. Alae hyalinae, stigmate fusco; areola triangulari, latere exteriori subobsoleto. Squamula flava. Pedes fulvo-testacei, coxis nigris, summo apice pallido.

## Metopius.

Grav. Ichneum. Eur. Gen. 7. Panz. *Peltastes* Illig.

Genus „antennis elongatis validis, supra medium faciei insertis, abdomine sessili, scabro, scutello quadrangulari, angulis apicalibus acutis, areola alarum triangulari, cauda abscondita,“ distinctum, species tres Sueciae, scilicet: *M. necatorium* Grav. Fabr. (*Ichneumonem Vespoides* Panz. Fn. Germ.), *M. micratorium* Grav. Fabr. et *M. dentatum* Grav. Fabr., comprehendens, in Lapponia forte peregrinum.

## 15. Banchus. Fabr.

Grav. Ichn. Europ. Gen. 9. Fall. Fabr. Panz. *Ichneumon* Linn.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongum, (in nostris) glabrum. Antennae elongatae, apice involutae. Abdomen sessile, cultratum, compressum, ventre carinato. Areola alarum triangularis, sessilis. *Color* corporis niger, pedum rufus, pictura thoracis et abdominis interdum fasciata aut maculata, flava, rarius rufa. *Motu* agilis. *Habitatio* imaginum in Umbellatis et foliis fruticum; feminae saepe in terra currunt, erucas investigaturae; larvae intra corpus aliorum insectorum degunt; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externa vix ulla. Mares et feminae simillimi aegre dignoscuntur, facta vero intra digitos compressione abdominis

erumpitur ex ano *maris* genitale parvum intra duas lamellas, et ex apice abdominis *feminae* stylus brevis fere rectus intra duas lamellas styloque alio subulato suffultus. (Spec. Scandin. 6 in Museo meo adsunt).

**1. B. volutatorius**: niger, capite thoraceque flavo-variegatis, scutello mutico, flavo, abdominis medio flavo-fulvo-fasciato, pedibus fulvis, posticis coxis nigris, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice fusco. ♂.

*Ichneumon volutatorius* Linn. Fn. Sv. 1591. Diagn. certe. *Banchus falcator* Fabr. Piez. 128. 6. Grav. Ichn. 3. 385 4. ♀. (♂?) *Banch. pictus*. Panz. Fn. Germ. 71. f. 18.

Hab. in Lapponia passim. (Lappon.-Ostrog. freq.; Scan. rar.)

*Mas* verus. Longit. 5—6 linear. Os et facies flava, punctis et linea media nigris. Antennae subtus flavae. Abdominis basis et apex nigra, hic maculis flavis. Alae flavedine subtinctae. Coxae anteriores flavae, posticae nigrae, interdum fulvo-maculatae.

**2. B. pictus**: niger, capite thoraceque flavo-variegatis, scutello spinoso flavo, abdominis segmentis fasciis marginalibus latis flavis, pedibus fulvis, posticis coxis nigris, tibiarum tarsorumque articulorum apice fusco. ♂.

Fabr. Piez. 129. 12. (exclus. Syn. Panz.) Grav. Ichn. 3. 380. 3. ♂♀. *Ichneumon volutatorius* Linn. Fn. Sv. 1591. descript.

Hab. in Lapponia cum priori rarius (Lapp.-Ostrog. pass. Scan. rar.).

*Mas*. Praecedenti affinis et similis, paullo minor, scutello spinoso, alis magis hyalinis et abdominis segmentis basi fascia nigra, distinctus. — Vix sexum femineum hujus speciei inter plura individua invenire mihi contigit.

**3. B. venator**: scutello mutico niger, coxis concoloribus, ore abdominisque segmentis 1—3 singulo, dorso macula, ferrugineis, pedibus fulvis, posticis tibiarum tarsorumque articulorum apice nigricante. ♂♀.

Fabr. Piez. 126. 1. *Ichn. venator* Linn. Fn. Sv. 1612.? *Banchus falcator* Grav. 3. 385. 4. ♂. (♀?).

Hab. in Lapponia passim. (Lapp.-Ostrogoth freq.-Scania rarius).

*Mas*. et *Fem*. Prioribus paullo major, longitudine 5 — 7 linear. Os testaceum, palpis labialibus et mandibularum basi apiceque, nigris. Antennae subtus plerumque ferrugineae. Abdominis segmenta 1 macula apicali, 2 disco magis vel minus late, 3 macula basali, ferrugineis; venter basi pellucido-ferrugineus. Alae flavedine tinctae. Pedes ut in diagnosi.

*Not*. Ni valde fallor individua et mascula et feminea notis, quales in descriptione hujus generis indicavi, dignota ex hac specie inveni, unde *Banchum venatorem* nostrum ut alterum tantum sexum *Banch. volutatorii* considerare non potui, invito Cel. Gravenhorst, qui has duas species sexu tantum esse distinctas contendit.

*Obs*. Ad hocce genus pertinent quoque sequentes species Sueciae, scilicet: *B. compressus* Fabr., *B. hastator* Fabr., et *B. monileatus* Grav., in Lapponia non habitantes.

---

## 16. Ophion. Fabr.

Grav. Ichneumonol. Gen. 10. Fabr. Fall. *Ichneumon* Linn. Latr.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, elongatum, glabriusculum, metathorace saepe pubescente. Antennae elongatae, tenues. Abdomen compressum, falcatum, longe petiolatum, supra carinatum, segmento secundo ventrali conspicuo, segmenti primi parte apicali depressa, subquadrata. Areola alarum nulla; area costalis ultima elongata. *Color* niger, testaceus, abdomine saepe rufo-fasciato. *Motu* agilis. *Habitatio* imaginum in foliis fruticum; larvarum in larvis pupisque aliorum insectorum, in quorum cute vel superficie corporis ova deponunt feminae; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* ex abdominis, a latere visi, apice in *mare* angustiore ano acutiore, in *femina* latiore ano fere recta truncato, externe mox detegitur; appendices caudales in utroque sexu subsimiles subexsertae; aculeus (cauda) feminae rectus, brevis, vix ultra septimam vel octavam abdominis partem productus. (Spec. Scand. 12, *Campoplegibus* ab hoc genere remotis).

*Subdiv*. 1. Alae amplae, areola nulla, loco ejus nervi angulum acutum formant. Antennae longitudine fere totius corporis *Ophion* genuinus Grav.

° Abdominis segmenti primi apex subquadratus, parte antica tenui latior segmentoque secundo aequaliter crassus.

**1. O. luteus**: luteo-testaceus, orbita oculorum flava, mandibularum apice, oculis et stemmatibus fuscis, nervo e stigmatis testacei medio oblique excurrente, recto. ♂♀.

Fabr. Piez. 130. 1. Grav. Ichn. 3. 692. 136. ♂♀. *Ichneumon luteus* Linn. Fn. Sv. 1628.

Hab. in Lapponia sylvatica passim; occurrit etiam in inferalpinis Finmarkiae ibique usque ad Bossekop prope Alten locis paludosis d. 6. Aug. individua aliquot feminea legi. (Lapp.-Scania. freq.).

*Mas*. et *Fem*. Longit. 5—9 linear. Thorax dorso bistriatus. Metathorax postice subdeclivus; elevatim striatus. Alae subhyalinae, stigmate stramineo. Femina mare saepe paullo major.

**2. O. ventricosus**: rufus, antennis testaceis orbita oculorum flava, mandibularum abdominisque apice, oculis, regione circa stemmata, maculis pectoris, metathoracis et coxarum posticarum, nigris, alis flavedine tinctis, nervo e stigmatis medio oblique excurrente basi subcurvo. ♂♀.

Grav. Ichn. 3. 702. 141. ♂♀.

In collectione Domini Pastoris Kolström in Muonioniska hanc speciem ut Lapponiae incolam vidi, mihi tantum in Suecia inferiori obviam. (Lapp.; Ostrog. rar. Scan. freq.).

*Mas*. et *Fem*. Longit. maris 4½—6, feminae 6—7 linear. Macula verticis nigra saepe usque ad antennas et intra antennas extensa. Maculae nigrae in colli lateribus et coxis posticis evidentes; punctum thoracis ante collum, sternum et metathorax supra magis, vel minus, etiam nigra sunt. Nervulus e stigmate excurrens ad basin seu juxta stigma paullo curvatur.

*Obs*. Huc etiam refertur *O. obscurus* Fabr. in Suecia inferiori, sed vix in Lapponia habitans.

°° Abdominis segmenta 1 et 2 subaequalia, elongata, angustissima, petioliformia.

**3. O. ramidulus**: luteo-testaceus, facie flava, mandibularum abdominisque apice, oculis et stemmatibus, nigris, alis subpilosis, area costali media aream subcentralem ovalem vitreo-hyalinam nudam bipunctatam includente. ♂♀.

Fabr. Piez. 131. 2. Grav. 3. 699. 139. ♂♀. *Ichneumon ramidulus* Linn. Fn. Sv. 1692.

Hab. in Lapponia rarius. (Lapp.-Ostrog.-Scan. pass.)

*Mas*. et *Fem*. Magnitudo *Oph. lutei* eique similis, segmentorum abdominis basalium forma ut et area alarum bipunctata distinctus. Oculi in mortuis saepe glauci. Metathorax parum convexus, stria transversa elevata unica tenui. Alae hyalinae, stigmate et nervis testaceis; pilosiusculae; area intermedia subcostalis includit aream minorem sub stigmate locatam, ovalem, nudam, vitreo-hyalinam, punctis et maculis duabus membranaceis stigmatis colore, interiore majore subcordata s. subtriangulari, exteriori punctiformi.

*Subdiv*. 2. Alae breves; areola nulla, loco ejus nervus brevis rectus perpendicularis aream costalem ultimam et aream inferiorem connectit. Antennae vix dimidio corpore longiores. Abdominis segmenta 1, 2 aequalia longissima, angustissima, petioliformia. Pedes longi, graciles, tarsis posticis crassiusculis. *Anomalon* (Subgenus 3 *Ophionis*) Grav. — Genus sine dubio proprium et distinctum.

**4. O. circumflexus**: niger, coxis concoloribus, maculis facialibus, scutello tarsisque posticis flavis, antennis abdomineque rufis, hoc apice nigro, pedibus rufo-testaceis, posticis femorum tibiarumque apice nigro. ♂♀.

*Mas*: ore et facie tota sub antennis, flavis; minor, appendicibus caudalibus parum exsertis.

*Fem*.: palpis, mandibularum apice vel medio, labro et clypei disco testaceo, orbita oculorum faciali et macula elongata sub antennis, flavis; major, appendicibus caudalibus et aculeo exsertis, brevibus.

Var. a. ♂♀. scutello flavo.

Fabr. Piez. 133. 15. ♀. Grav. Ichn. 3 643. 112. ♂♀. *Ichneumon circumflexus* Linn. Fn. Sv. 1631. ♀.

Var. b. scutello nigro.

Grav. l. c. var. 1. ♀.

Hab. in Lapponiae sylvis passim; varietas b capta ad Finkrog Nordlandiae septentrionalis, ubi femina die 25. Jul. e pupa *Noctuae* egressa. (Lappon.-Ostrog. freq.; in Scania a me nondum visus).

*Mas*. et *Fem*. Longitudo maris 7—8, feminae 8—9 linearum. Antice pubescens punctatus. Antennarum articuli 1—3 nigri. Scutellum flavum aut nigrum. Metathorax subdepressus. Abdominis segmentum secundum dorso nigro-lineatum. Alae flavedine tinctae. Reliqua ut in diagnosi.

Var. mas rariss. facie ut in femina picta; variat etiam femina scutello rufo.

**5. O. pubescens:** antice pubescens niger, antennis et coxis concoloribus, facie flava, abdomine rufo, basi apiceque nec non segmenti secundi dorso, nigris, pedibus flavo-testaceis, anterioribus femorum latere postico, posticis femoribus tibiarumque apice, nigris. ♂.

Vix *Oph. Fibulator* GRAV. Ichn. 3. 681. 131.? ubi caput maris palpis, clypeo, macula faciei orbitisque oculorum facialibus testaceis, et mandibulis orbitisque oculorum externis rufis describitur, quale nostro *Oph. pubescenti*, in ceteris omnibus *O. Fibulatori* simili, non competat.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Wittangi d. 14. Jun. tantum inventus. (Lappon. Suecica.)

*Mas.* Longit. circiter 7 linear. Punctatus. Caput nigrum, palpis, mandibularum medio, clypeo et facie tota sub antennis, flavis. Metathorax subdepressus. Alae subhyalinae, stigmate testaceo, squamula (tegula) nigra. Nervus ille transversus, qui ex area costali ultima excurrit et aream specularem connectit cum ipsius anguli apice areae specularis coincidit, nec ut in affinibus paullo ante apicem areae connectens. Coxae nigrae. Pedes anteriores flavi, trochanterum et femorum latere postico macula nigra; postici flavo-testacei, trochanteribus basalibus, femorum tibiarumque apice tarsorumque articulis 1, 2 extus, nigris, geniculis rufis.

**6. O. flaveolatus:** niger, ore, facie, pedibus anterioribus totis tarsisque posticorum flavis, abdomine rufo, apice et segmenti 2di dorso, nigris, pedibus posticis fulvis, trochanteribus basalibus tibiarumque apice nigricantibus. ♂♀.

Var. a. ♂♀. coxis posticis nigris.

GRAV. Ichn. 3. 664. 122. ♂♀.

Var. b. ♂. coxis posticis rufis.

GRAV. l. c. var 2. ♂.

Hab. in Lapponia haud frequens. (Lappon.-Scan. pass.).

*Mas.* et *Fem.* Long. $3\frac{1}{2}$—5 lin. Antice subpubescens. Os, pars genarum infera, facies, punctum verticis juxta oculos utrinque antennarumque scapus subtus, flava. Antennae basi subtus obscure rufae. Metathorax depressus. Alae hyalinae, stigmate testaceo, squamula flava. Nervus transversus ex area costali ultima excurrens fere cum angulo areae specularis coincidit, seu hanc paullo ante apicem connectens. Appendices caudales feminae longitudine tertiae partis abdominis, testaceae, maris brevissimae. — Variant individua in Suecia inferiori frequenter, in Lapponia rarissime, abdominis dorso toto linea, et metatarso postico basi, nigris. Varietatem vero Sueciae capite toto flavo, verticis macula tantum nigra in Lapponia non vidi.

*Obs.* Sub hac divisione militat etiam *Oph. biguttatus* GRAV. ad Faunam Suecicam certe, sed vix ad nostrum pertinens, saltem mihi in Lapponia non obvius.

## 17. Campoplex. GRAV.

(Subgen. 1. Ophionis) GRAV. Ichneumonol. Gen. 10. Fam. 1. P. 3. p. 453. *Ophion* FABR. FALL. *Ichneumon* LINN.

*Corpus* mediae, raro majoris magnitudinis, elongatum, subglabrum, metathorace pubescente. Antennae subfiliformes, dimidio corpore paullo longiores. Abdomen compressum falcatum, longe petiolatum; supra (in nostris) carinatum, segmento secundo ventrali conspicuo; segmenti primi parte apicali convexiuscula (nec ut in *Ophione* depressa). Alae mediocres, areola triangulari. Area costalis ultima elongata. Pedes mediocres. *Color* corporis niger, testaceus, pedum et fasciarum abdominis saepe rufo. *Motus*, *habitatio* et *differentia sexus* ut in *Ophione*. (Spec Scand. 10 mihi cognitae).

**1. C. Falcator:** niger, coxis concoloribus, abdominis medio pedibusque rufo-vel flavo-testaceis, femoribus intermediis basi, posticisque totis nigris, alis fuscedine tinctis, areola subpetiolata. ♂♀.

*Ophion Falcator* FABR. Piez. 136. 28. *Campoplex pugillator* GRAV. Ichn. 3. 606. 102. (exclus. Syn. LINNAEI et forte *Oph. nitidulatore* PANZ.?) An etiam *Campoplex mixtus* GRAV. Ichn. 3. 601. 101.?

Var. a. ♂♀. tarsis posticis nigris.

Var. b. ♀. tarsis posticis testaceis.

Hab. in Lapponia passim (Lappon.-Ostrogothia var. b. Scan. var. a. freq.).

*Mas.* et *Fem.* Magnus in hoc genere, praesertim femina, quae longitudinem saepe 8—9 linear. attingit. Subpubescens, punctatus, abdomine laevi. Palpi et mandibularum medium testacea. Metathorax postice retusus. Abdomen a latere visum, a petiolo ad apicem sensim dilatatum, segmento 1 nigro, 2 rufo dorso nigro, 3, 4 totis rufis, 5 rufo, margine apicali magis vel minus late, raro toto infuscato, 6, 7 nigris. Cauda subexserta, longitudine dimidiae lineae. Alae fumato-hyalinae, squamula s. tegula (puncto parvo ante alas FABR.[1]) saepius flava. Pedes antici flavo-testacei, coxis basi nigris; intermedii testacei, coxis, trochanteribus et femorum latere infero nigris, postici nigri, genubus, tibiis tarsisque testaceis. Color abdominis et pedum rufus saepe in flavum abit, et tibiae inprimis flavescunt, praesertim in varietate a.

**2. C. Pugillator:** niger, coxis concoloribus, abdominis segmentis 2—4 pedibusque rufis, horum posticis femoribus nigris, tibiarum summa basi et apice fuscis, alis hyalinis, areola petiolata. ♂♀.

Var. a. ♂. pedum intermediorum coxis, trochanteribus et femorum basi, nec non tarsis posticis, nigris.

GRAV. Ichn. 3. 606. 102. ♂♀. (exclus. Syn. *Ophione Falcatore* FABR. et *Oph. nidulatore* PANZ.) *Ichneum. pugillator* LINN. Fn. Sv. 1624. ♀. Descript. *Ophion compensator* FABR. Piez. 139. 41. ♀.

Var. b. ♂♀. pedibus anterioribus totis flavis vel flavo-ferrugineis, posticis tibiarum summo apice et tarsis infuscatis.

*Ichneumon pugillator* LINN. Fn. Sv. 1624. diagnos.

Hab. in Lapponia Tornensi et Kemensi per partem sylvaticam, tota aestate frequens; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae, et ad Dyröen die 21. Jul. inveni. (Lapponia-Scania vulgaris).

*Mas.* et *Fem.* Priori affinis, plerumque duplo minor, sed variat magnitudine 3—6 lineas longus. Frons griseo-pubescens. Palpi et mandibulae flava. Metathorax retusus. Abdomen ut in priori constructum, segmentis 1 nigro, 2 rufo dorso basi nigro, 3 rufo, 4 rufo apice saepe macula nigra, 5—7 nigris. Cauda feminae subexserta, longitudine dimidiae lineae. Alae hyalinae, stigmate et squamula stramineis aut fuscis. Pedes ut in diagnosi.

*Obs.* Huic generi subjiciuntur, me judice, species Sueciae antennis longioribus: *Ichn.* (*Paniscus* GRAV.) *glaucopterus* LINN., *Ichn. inculcator* LINN, *Paniscus* (Subgenus *Ophionis*) *virgatus* GRAV., *Paniscus testaceus* GRAV., (seu *Ichn. luteus* ROSSI Fn. Etrusc. *Ichn. ramidulus* SCHARFENB.), et antennis brevioribus: *Ophion nitidulator* FABR. et PANZ., in Lapponia a me non visae.

## 18. Porizon. FALL.

FALL. Disposit. Hymen. Gen. 19. — Spec. GRAV. — *Ophion* FABR. *Ichneumon* LINN.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum, subglabrum. Antennae subfiliformes longitudine dimidii corporis aut paullo longiores. Abdomen falcatum, petiolatum, petiolo basi angusto; segmentis 2 et 3 ventralibus conspicuis, ultimis dorsalibus dilatato-compressis. Alae mediocres, areola aut triangulari aut nulla; area costalis ultima brevior quam in *Ophione* et *Campoplege*, h. e. longius ante apicem alae cessans, subtriangularis, subrectangularis angulo recto stigmati magno fere apposito. Nervus, qui ex areola aut ex loco ejus in radicem alae excurrit, reliquis tenuior est et interdum obsoletus, vix conspicuus. Pedes mediocres. Cauda exserta. *Color*, *motus* et *habitatio* ut in *Ophione*. Larvae victitant in aliorum insectorum, praesertim *Lepidopterorum* erucis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in maris abdomine angustiore, feminae paullo crassiori et cauda distincte exserta dimidio abdomine saepe longiori, sursum flexa mox invenitur. (Spec. Scand. 24 et ultra in collectione mea adservantur).

*Subdiv.* 1. Areola alarum adest. Area costalis ultima oblongo-triangularis, obtusangula. Pedum coxae nigrae.

**1. P. Erucator:** niger, mandibulis palpisque albidis, pedibus fulvescentibus, tarsis posticis fuscis, areola petiolata. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; inter Muonioniska et Kengis mens. Aug. frequenter (Lappon.-Scania vulgatiss. in erucis Papilionis Brassicae, quas unica larva saepe destruit; mens. Augusto e pupa egreditur).

*Mas.* et *Fem.* 2 saepius 3 lin. long. raro ultra. Frons sericeo pubescens. Metathorax postice retusus, striis elevatis. Alae hyalinae, stigmate stramineo aut fusco, tegula flava. Nervus ab areola excurrens obsoletus. Trochanteres antici fulvi, posteriores vel toti vel apice nigri.

**2. P. annulator:** niger, palpis mandibulisque albidis, pedibus fulvis, posticorum tibiis albis nigro-annulatis, areola petiolata. ♂♀.

Hab. cum praecedente passim. (Lapp.-Scan. freq.).

*Mas.* et *Fem.* Priori affinis ejusque saepe magnitudine, sed variat etiam duplo minor; differt ab illo tantum pedum posticorum

pictura. Pedes postici: coxis et trochanteribus nigris, femoribus fulvis, raro basi fuscis, tibiis testaceis aut albis basi apiceque nigris, tarsis saepius nigris, articulis basi albo, raro totis nigris, immaculatis. Tarsi intermediorum etiam plerumque albidi fusco-annulati. In minoribus individuis trochanteres pedum anteriorum toti, posticorum apice, flavi.

**3. P. mediator**: niger, palpis mandibulisque albidis, abdominis segmentis 2, 3 margine et lateribus ferrugineis, pedibus anterioribus fulvis, tibiis posticis testaceis, areola subpetiolata. ♂♀.

Hab. cum prioribus rarius. (Lapp.-Ostrogoth. freq.).

*Mas* et *Fem.* Majoribus individuis *Por. Erucatoris* aequalis, colore abdominis et pedum posticorum fere unice distinctus. Trochanteres maris plerumque flavi, feminae nigri. Femora postica nigra, summa basi rufa. Tibiarum posticarum apex niger. Abdominis segmenta 2, 3 margine apicali in ♂ anguste, in ♀ late ferruginea; segmenta eadem in utroque sexu lateribus late, et in femina segmenta analia etiam lateribus, ferruginea.

*Not.* In Suecia inferiori variant hujus speciei individua areola alarum subpetiolata et distincte petiolata.

**4. P. raptor**: niger, palpis mandibulisque albidis, abdominis medio pedibusque rufis, areola petiolata. ♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, femina tantum unica mihi ibi obvia, sed in Gottlandia et Ostrogothia utrumque sexum in copula inveni. (Lapp.-Scan. pass.).

*Fem.* Magnitudo et affinitas *Por. annulatoris* No. 2. Metathorax subcancellatus. Abdominis segmentum 1 nigrum, 2 nigrum margine rufo, 3 rufum basi fascia nigra, 4 rufum margine apicali in medio nigro, reliqua nigra; cauda feminae longitudine tertiae partis abdominis. Alae hyalinae, stigmate et tegula testaceis (in Gottlandicis speciminibus stigmate fusco). Pedes fulvi, coxis et trochanteribus nigris, his apice rufis; postici tibiarum apice tarsisque infuscatis

*Not.* In individuis Suecicis trochanteres anteriores saepius fere toti flavescentes, et abdominis segmentum 4tum totum rufum, in utroque sexu. Alarum stigma quoque plerumque fuscum. De cetero Lapponicis simillima.

**5. P. marginellus**: niger, palpis mandibulisque testaceis, abdominis segmentis 2—4 margine ferrugineis, pedibus fulvis, areola petiolata. ♀.

Hab in inferalpinis Nordlandiae rarius; ad Björkvik juxta Ofotenfjord d. 15 Jul inveni. (Lapponia Norvegica).

*Fem.* Magnitudo *Por. mediatoris* eique simillimus, et vix nisi femoribus posticis rufis ab illo differt. Palpi et mandibulae fusco-testacea. Abdominis segmenta 2 — 4 margine et 3tium etiam lateribus late, ferruginea. Cauda longitudine tertiae partis abdominis, nigra. Alae hyalinae, stigmate et radice subfuscis, areola distincte petiolata. Trochanteres nigri, apice rufi. Tarsi postici apice fusci.

**6. P. fumipennis**: niger, mandibulis palpisque rufo-testaceis, abdomine apice ferrugineo, pedibus rufis, alis hyalino-fumatis, areola sessili. ♀.

Hab. in Lapponia Kemensi juxta flumen Tornense, mense Augusto, rarius. (Lapponia).

*Fem.* *Por. mediatori* magnitudine aequalis et ei affinis, differt inprimis partibus oris rufescentibus (nec albidis), femoribus posticis fulvis, abdomine postice ferrugineo, et alis magis infuscatis praesertim in medio, stigmate nigricante areolaque majori, triangulari s. subquadrangulari, minime petiolata. Alae breves. Abdomen nigrum, segmentis 4—7 ultimis ferrugineis, singulo basi macula media infuscata. Cauda fere dimidii abdominis longitudine. Trochanteres nigri, apice infuscati.

**7. P. borealis**: niger, palpis mandibulisque albidis, pedibus fulvis, femoribus intermediis medio, posticis totis, nigris, tibiis tarsisque posterioribus albis nigro-annulatis; areola petiolata. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, inter Muonioniska et Kengis medio mensis Augusti captus. (Lapponia).

*Fem.* Parvus, minoribus individuis *Por. annulati* aequalis et similis, colore pedum distinctus. Metathorax convexus, cancellatus. Cauda longitudine fere abdominis. Alae subhyalinae, stigmate nigricante; radice et tegula albidis. Pedes fulvi, coxis et trochanteribus nigris, his dimidietate apicali flava; antici immaculati; intermedii femoribus versus basin late fuscis, tibiis albo-testaceis, apice fuscis; postici femoribus nigris, tibiis albis, annulo basali apiceque nigro-fuscis, tarsis albidis, articulis apice fuscis.

**8. P. obsoletor**: niger, abdomine nigro-fusco, pedibus fusco-testaceis; areola triangulari, nervo exteriori nervoque in apicem alae excurrente, obsoletissimis. ♂.

Hab. in Nordlandia septentrionali rarissime; in monte subalpino Lyngen die 26. Jul. 1821 unice inventus. (Lapponia).

*Mas.* Magnitudo praecedentis. Niger. Mandibulae et palpi fusca. Antennarum articulus tertius s. basis flagelli) basi annulo angusto rufo. Metathorax postice declivus. Abdomen stramineo-fuscum, subpellucidum, petiolo tenui, nigro. Alae hyalinae, stigmate fusco, radice et tegula (squamula) pallidis. Areola triangularis, nervo vero exteriori valde obsoleto; nervus quoque, qui ex areola in apicem alae excurrit obsoletissimus est, et saepe vix ejus vestigium conspicitur. Pedes testacei, coxis et trochanterum basi nigris; antici pallidiores, postici femoribus fusco-testaceis.

*Subdiv.* 2. Areola alarum nulla. Area costalis ultima magna, triangularis, saepius exacte rectangularis. Nervi 2 ex area speculari in marginem apicalem alae excurrentes plerumque valde obsoleti. *Porizones* genuini GRAV.

**9. P. minator**: niger, ore abdominisque medio rufis, pedibus fulvis, posteriorum coxis et trochanterum basi nigris. ♂.

GRAV. Ichn. 3. 768. 169. ♀?

Hab. in Lapponia rarissime, inter Muonioniska et Kengis die 20 Aug. inveni. (Lapponia —?).

*Mas.* Longit. fere 3 linear. Subpubescens niger. Os piceo-rufum. Metathorax convexiusculus, rugulosus, subcancellatus. Abdomen compressum, a latere visum lanceolatum, petiolo filiformi; nitidum nigrum, segmento secundo rufo, basi infuscato, 3 rufo, margine apicali nigro, 4 — 7 nigris margine apicali fusco-castaneis. Alae hyalinae, stigmate nigro, radice et tegula fusco-stramineis. Pedes mediocres fulvi, antici coxis basi fuscis, posteriores coxis et trochanteribus basi nigris.

*Not.* De Synonym. GRAVENHORST. dubius sum. Noster differt magnitudine paullo majore, et sexu; in ceteris similis videtur.

**10. P. exhaustor**: femoribus validis niger, coxis concoloribus, ore piceo, abdomine rufo, petiolo nigro, ano infuscato, pedibus fulvis. ♀.

*Ophion exhaustor* FABR. Piez. 135. 22. ♀. PANZ. Fn. Germ. 107. f. 8. ♀. certe. An quoque sub *Por. hostilis* GRAV. 3. 753. 161. aut sub *Por. harpurus* GRAV. 3. 758. 163. latet?

Hab. in Lapponia sylvatica rarius. (Lapp.-Ostrog. freq. — Kiliae, teste D. FABR.).

*Fem.* Longit. 3—3¹ lin. Punctulatus, subpubescens niger. Mandibulae et palpi rufo-picea. Antennarum articulus secundus subtus piceus. Metathorax convexus non cancellatus, apice truncato-declivus. Abdomen crassiusculum, a latere inspectum a petiolo ad apicem sensim dilatatum, subtriangulare; laevissimum nitidum glaberrimum, petiolo s. segmento primo basi filiformi, apice dorso subquadrato, non canaliculato, toto nigro; 2do ferrugineo, basi macula nigra; reliquis segmentis rufis, 6, 7 dorso infuscatis. Cauda longitudine fere abdominis, nigra, sursum distincte curvata. Alae fumato-hyalinae, stigmate nigro, tegula picea. Pedes fulvi, coxis et trochanterum basi nigris, femoribus praesertim posticis tibiarum longitudine crassis, subcompressis.

**11. P. dissimilis**: niger, coxis posterioribus concoloribus, ore, antennarum basi pedibusque testaceis, abdominis segmento secundo piceo-nigro. ♂.

GRAV. 3. 774. 171. ♂♀.?

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, in Pinetis ad Wittangi d. 15. Jun. captus. (Lapponia —?).

*Mas.* Longit. fere 2 linear. Subtilissime punctulatus niger, parum pubescens, facie griseo-subsericeo-pubescente. Palpi, mandibulae et labrum testacea. Antennae longitudine vix dimidii corporis, parum curvatae, pubescentes, fusco-piceae, scapo rufo-testaceo, versus apicem nigricantes. Metathorax brevis, non cancellatus, postice truncatus, ambitu stria elevata. Abdomen subcompressum, clavatum, petiolo filiformi versus apicem parum crassiori; nitidum nigrum, segmento 2do nigro-piceo. Alae hyalinae, stigmate nigricante, radice et tegula pallidis. Pedes flavo-testacei, coxis posterioribus nigris, apice testaceis, coxis anticis basi fuscis.

**12. P. albipennis**: niger, coxis concoloribus, ore piceo, alis albis, stigmate fusco, pedibus testaceis, posterioribus femoribus medio tibiisque apice fuscis. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; non nisi in gramine ad Bossekop prope Alten Finmarkiae occidentalis die 5. Aug. inveni (Lapponia Norvegica.).

*Mas.* Longitudo praecedentis, sed fere angustior, cylindricus. Subtilissime punctulatus, parum pubescens, niger. Palpi, mandibulae et labrum rufo-picea. Antennae longitudine dimidii corporis, tenues, filiformes, rectae, nudae, nigrae. Metathorax elongatus, cancellatus Abdomen in mortuo compressum, petiolo tenui, apice convexo; a latere visum a petiolo ad apicem ventre sensim latius, nigrum, ventre fusco-testaceo. Alae albae, stigmate nigricante, radice, tegula et nervis tenuibus, pallidis, his apicalibus obsoletissimis. Pedes mediocres, testacei, coxis et trochanteribus nigro-fuscis; intermedii femoribus basi et tibiis apice fuscis; postici femoribus totis, tibiarumque summa basi et apice late, fuscis.

**13. P. saltator**: niger, coxis posticis concoloribus, ore et antennarum basi rufescentibus, harum articulo primo nigro, pedibus testaceis, femoribus posticis infuscatis. ♀.

Grav. Ichn. 3. 777. 173. ♂♀. — An quoque Fabr. Piez. 137. 34?

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in fungo Betulae albae ad Juckasjervi die 3. Jul. a me lectus. (Lapponia—?).

*Fem.* Parvus vix $1\frac{1}{2}$ lineae longus. Parum pubescens, niger. Facies griseo-subpilosa. Palpi et mandibulae rufo-testacea. Antennae longitudine thoracis, subpubescentes nigrae, articulis 2—6 rufescentibus. Metathorax brevis, postice subtruncatus, ambitu stria elevata. Abdomen subtriquetrum, petiolo tenui, e latere inspectum triangulare; nitidum laevissimum glabrum. Cauda longitudine dimidii abdominis, sursum distincte curvata. Alae ut in *Por. dissimili.* Pedes mediocres testacei, anteriores coxis fuscis; postici coxis nigris, trochanteribus et femoribus fuscis, his basi apiceque testaceis.

*Not.* *Mas* abdomine valde compresso absque cauda, pedibus interdum fuscioribus et antennis raro basi rufescentibus, in ceteris feminae similis a Cel. Gravenh. l. c. describitur; mihi ignotus.

**14. P. pygmaeus**: glaber nitidus niger, antennis basi piceis, ore rufo, pedibus cum coxis testaceis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; in Pinetis ad Muonioniska die 17. Aug. inveni. (Lapponia).

*Fem.* Minutus, vix ultra 1 lineam longus. Laevis. Oculi parvi. Mandibulae, palpi et labrum rufo-testacea. Antennae thoracis circiter longitudine vel paullo longiores, submoniliformes, subpubescentes. Metathorax ut in priori. Alae hyalinae, stigmate nigro, nervis tenuibus, costali fusco, tegula fusco-testacea. Area costalis ultima et area specularis angulis in eodem fere puncto confluunt, nec ut in prioribus nervo magis vel minus brevi sejunctae. Abdomen omnino ut in priori, cauda paullo longiori s. longitudine abdominis; petiolo remoto. Segmentum secundum piceo-nigrum. Pedes mediocres, toti testacei, coxis et trochanteribus parum infuscatis.

**15. P. claviventris**: niger, abdomine obscure ferrugineo, segmento 1 toto, 2—5 dorso ad basin nigricantibus, pedibus rufis, posticis femoribus tibiisque brevibus crassis, compressis. ♀.

Grav. Ichn. 3. 755. 162. ♀. var. 1. (in Hungaria capt.).

Hab. in Finmarkia forte rarissime, mihi tantum in folio Salicis ad Bossekop prope Alten d. 5. Aug. obvius. (Lapp.-Ostrog. Gottl. Scan. pass.).

*Fem.* Longit. circiter 2 linear. Subcylindricus niger. Antennae thorace paullo longiores. Mandibulae rufescentes. Metathorax longus cylindricus laevis, postice subtruncatus, ambitu stria tenui elevata. Abdomen clavatum, teretiusculum nitidum laeve, obscure ferrugineum, segmento 1 nigro, reliquis ut in diagnosi. Cauda quartae partis abdominis longitudine, sursum flexa. Alae hyalinae stigmate fusco, tegula fusco-testacea. Nervi duo ex area speculari in marginem alae excurrentes magis perspicui sunt, quam in prioribus hujus subdivisionis. Pedes antici mediocres, testacei; medii mediocriter crassi, tibiis brevibus, rufo-testacei; postici femoribus tibiisque compressis brevibus, femoribus a latere ovatis, tarsis longitudine tibias duplo et ultra excedentibus, gracilibus; toti rufi, coxis crassis piceis s. nigricantibus.

*Not.* Gravenhorstii species genuina: „coxis posticis nigris" in Suecia inferiori occurrit.

*Obs.* *Ichneumon moderator* Linn. Fn. Sv. ad hanc Subdivisionem etiam pertinet, in Lapponia a me frustra quaesitus.

## 19. Bracon. Fabr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 443. Fabr. Fall. *Ichneumon* Linn.

*Corpus* raro mediae, saepe minoris magnitudinis, interdum minutissimum, elongatum, subcylindricum, glabriusculum. Antennae elongatae, saepe valde tenues. Palpi maxillares longissimi. Abdomen subconvexum. Alae abdomine paullo longiores, areis costalibus quatuor, quarum a basi alae secunda subdiscoidalis est seu angulo tantum unico costam attingit. Areola quadrata aut adest, aut abest. Area specularis nulla. *Color* niger, rufo-testaceus, pictura vix ulla. *Motu* tardus: alis expandendis ante volatum ad fugam se praeparat. *Habitatio* imaginum in parietibus ligneis, saepibus, graminosis et fruticibus: ova deponunt in fructibus plantarum, praesertim Carduorum, teste Latreille; in larvis aliorum insectorum, quas larvae Braconis exclusae intus devorant, affirmante Fabricio; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* externa vix aliter observanda, quam in maris abdomine ecaudato, feminaeque cauda saepissime elongata, lamina magna vomeriformi, ad basin plerisque tecta. (Species Scandinaviae circiter 66 in Museo meo adsunt, in plura genera commode dispescendae).

*Subdiv.* 1. Areola quadrata adest.

A. Corpus punctatum; linea elevata dorsalis. Abdomen saepe sessile, petiolo scilicet dilatato planiusculo. Cauda feminarum brevis.

**1. B. alvearius**: testaceus, oculis nigris, antennis extrorsum fuscis, metathorace et abdomine submaculatis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. corpore toto testaceo, oculis tantum nigris et antennarum apice fusco.

Var. b. ♂♀. corpore testaceo, oculis, antennis extrorsum, metathorace et interdum etiam maculis pectoris, nigris; abdomine aut nigro, disco late testaceo, aut testaceo, primo segmento basi, saepe etiam segmenti secundi lateribus, nigris.

*Cryptus alvearius* Fabr. Piez. 90. 91. varietas hujus abdomine adhuc obscuriore videtur.

Hab. in fruticibus praesertim abietinis versus autumnum per partem sylvaticam Lapponiae passim, choreas in aëre ducens. (Lappon.-Scan. frequentiss.).

*Mas.* et *Fem.* Long. 1'—2 lin. Subpubescens. Caput transversum. Oculi rotundato-ovati, subexserti. Antennae longitudine fere corporis. Metathorax convexus, striis elevatis praeter mediam longitudinalem ordinariam nullis. Abdomen parum convexum, ventre perspicuo. Cauda parum exserta, nigra. Alae hyalinae, stigmate stramineo, macula magis vel minus dilatata fusca. Pedes mediocres, antici praesertim flavi.

B. Linea dorsalis carinata nulla. Caput rotundatum. Abdomen oblongum vix nisi in petiolo punctatum. Cauda feminarum longe exserta.

**2. B. denigrator**: nitidus niger, abdomine luteo immaculato, alis nigris, lunula infra stigma albo-hyalina. ♂♀.

Var. a. Cauda feminarum corpore fere longiore.

Fabr. Piez. 109. 33. (exclus. Syn. Panz.), *Ichneum denigrator* Linn. Fn. Sv. 1604. ♀.

Var. b. Cauda feminarum longitudine abdominis.

*Ichn. denigrator* Linn. Fn. Sv. l. c. descript. variet.

Hab. in Lapponiae parietibus et ligno antiquo passim; varietatem b. ad Muonioniska d. 17. Aug. inveni. (Lapp.-Ostrogoth., Gottland. praesertim var. a freq.).

*Mas.* et *Fem.* Magnitudine variat. Mares plerumque 3, feminae $3-4\frac{1}{2}$ lineas long. Subpilosus, laevis, niger. Caput rotundatum. Oculi parvi. Antennae dimidio corpore paullo longiores. Scutellum et metathorax depressa, laevia. Abdomen luteum, cauda nigra. Alae nigricantes, stigmate, costa et tegula nigris, striga sub stigmate albida; areola parallelogramma. Pedes femoribus breviusculis, tibiis tarsisque longis, subhirsutis.

**3. B. nigrator**: nitidus niger, abdomine luteo, macula in segmento primo nigra, alis nigricantibus, lunula infra stigma albo-hyalina. ♂♀.

*Ichn. denigrator* Panz. Fn. Germ. 45. f. 14. ♀.

Hab. cum priori rarius, mas rarissime (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Statura omnino praecedentis, ei affinis et valde similis, nec differt nisi magnitudine duplo minore (feminae scilicet magnitudinem marium *Br. denigratoris* vix attingunt) ut et maculis tribus in segmento abdominis primo, nigris, saepe in unam magnam triangularem confluentibus, raro obsoletis vix perspicuis. Anus in mare interdum niger. Alae minus nigricantes, quam in priori, areola longa parallelogramma.

**4. B. abdominalis**: nigro-piceus, abdomine pedibusque rufo-testaceis, alis hyalinis, stigmate magno nigricante. ♂.

Hab. in Lapponia forte rarissime, duo tantum specimina mascula in monte subalpino Skaaddavaara prope Alten Finmarkiae, in trunco Pini die 7. Augusto inveni. (Lapponia Norvegica).

*Mas.* Praecedente paullo minor, circiter 2 lin. longus. Subpilosus, nitidus. Caput nigro-piceum, ore et orbita oculorum interna pallidioribus. Oculi parvi. Antennae longitudine fere corporis, tenues, nigro-piceae s. nigro-fuscae. Thorax et metathorax laeves nigri, pectore antice et collari piceis. Abdomen rufo-testaceum, segmentis 3—5 dorso macula fusca obsoleta. Petiolus laevis. Alae hyalinae, in medio parum infuscatae, stigmate magno oblongo-triangulari, nigro-fusco. Areola oblongo-quadrata. Pedes validi, antici testacei; posteriores rufo-testacei, coxis posticis piceis.

*Obs.* Huic Subdivisioni B. subjiciuntur quoque species Fallenianae: *Br. minutator* et *Br. nominator*, in Succia, sed vix in Lapponia occurrentes.

C. Caput compressum. Abdomen angustatum, sublineare, sessile. Cauda feminarum longe exserta.

**5. B. pallidator:** pallide testaceus, oculis et stemmatibus nigris, alarum stigmate abdomineque infuscatis. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime (Lapp.-Ostrog.-Scan. pass.).

*Fem.* Long. circiter 2 linear., angustus, linearis, parum pubescens, pallidus. Oculi rotundi, nigri. Antennae corpore paullo longiores, valde tenues, saepe infuscatae, scapo testaceo. Macula stemmatum nigra. Metathorax sublaevis, interdum infuscatus. Abdomen dorso planiusculo, infuscato, basi dolabrato. Cauda corpore longior. Alae hyalinae, stigmate pallido, macula fusca. Areola trapeziformis, subtriangularis. Pedes mediocres, toti cum coxis, flavi.

D. Abdomen petiolatum, petiolo saepe coarctato. Caput rotundatum, aut subcompressum. Cauda feminarum elongata.

**6. B. petiolator:** testaceus, oculis petioloque nigris, alarum stigmate pedibusque flavis. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica mens. Aug. rarius. (Lappon.-Scan. freq.).

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 2 lin. Breviter pubescens, laevis Caput rotundatum Oculi rotundati. Antennae longitudine corporis. Thorax gibbus. Metathorax rugosus, dorso subinfuscato. Abdomen ovato-lanceolatum, basi angustum, segmento primo versus apicem dilatato, nigro, dorso dolabrato; nudum laeviusculum, nitidum. Cauda vix longitudine abdominis, fusca. Alae hyalinae, stigmate pallido, areola subquadrata. Pedes mediocres, toti cum coxis pallidi.

Var. b. antennis et stigmate alarum subinfuscatis.

**7. B. clavatus:** obscure testaceus, alis nebulosis, pedibus pallidioribus, tibiis basi albis, petiolo elongato, angusto, lineari. ♂♀.

*Cryptus clavatus* Panz. Fn. Germ. 102. f. 15. ♂. f. 16. ♀. certe. *Ich. exarator* Linn. Fn. Sv. 1614. forte variet corpore obscuriore (*Cryptus maxillarius* Fabr. Piez. 88. 81. secundum collectiones Suecorum, sed vix recte).

Hab. cum priori, in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.).

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et affinitas praecedentis, sed variat etiam minor. Obscure s. rufo-testaceus, subpubescens. Caput rotundatum. Palpi pallidi. Oculi rotundi, minuti. Antennae, thorax et metathorax ut in priori Abdomen subdepressum, ovatum, laeve, segmento primo longitudine fere reliquorum simul sumtorum, angusto, lineari, striato. Cauda longitudine totius corporis. Alae hyalinae, macula media et fascia postica versus stigma evidentiori, magis vel minus obsoletis, fascis, stigmate nigricante, antice albido. Areola oblonga, trapeziformis. Pedes subtestacei, femoribus subclavatis, trochanteribus et tibiarum basi albido-pellucidis, his posterioribus macula media nigra notatis.

Variat corpore, praesertim thorace paullo obscuriori; et hic sine dubio est *Ichneumon exarator* Linnaei genuinus.

**8. B. humeralis:** niger, ore, antennarum basi, pectoris antico abdominisque medio rufis, pedibus pallidis, stigmate alarum fusco. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime, mihi tantum inter Muonioniska et Kengis d. 17—20. Aug. obvius. (Lapponia).

*Fem.* Magnitudo et affinitas *Br. petiolatoris* (No. 6. antea). Niger. Caput compressum. Palpi pallidi. Mandibulae et labrum rufa. Oculi ovati. Antennae thorace longiores, filiformes, ferrugineae, scapo subtus flavo, extrorsum nigrae. Facies picea. Pectus antice ferrugineum. Metathorax convexus subrugosus, cancellatus Abdomen ovatum nitidum laeve, petiolo, basi, angusto, versus apicem sensim dilatato, scabro; nigrum, segmento secundo toto ferrugineo. Cauda longitudine abdominis. Alae hyalinae, stigmate pallido, macula magna nigra inscripto; areola irregulariter quadrata. Pedes mediocres, toti cum coxis flavo-testacei, postici tibiarum tarsorumque articulorum apice fusco.

**9. B. rufipes:** niger, ore antennarumque basi rufis, abdominis medio nigro-piceo, pedibus pallidis, stigmate alarum fusco ♀.

Hab. cum priori rarius. (Lapponia).

*Fem.* Praecedenti affinis et valde similis, nec differt nisi colore pectoris et abdominis. Paullo quoque longior videtur Thorax et pectus tota nigra, collari nigro-piceo. Abdomen ovatum, subdepressum, glabrum, nitidum, laevissimum, nigrum, segmento 1mo seu petiolo, basi angusto, versus apicem sensim dilatato, dolabrato. 2do piceo, basi rufo-piceo.

E. Caput subcompressum. Abdomen ovatum, subdepressum, nitidum laeve, sessile, petiolo brevi, subquadrato, basi parum angustato, dolabrato. Antennae filiformes. Areola alarum oblonga. Linea elevata dorsalis corporis nulla. Cauda feminarum breviter exserta. *Alysiformes:*

**10. B. borealis:** niger, coxis concoloribus, ore, pedibusque rufo-testaceis, alarum stigmate elongato tarsisque fuscis. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica, versus auctumnum, in graminosis aridis passim. (Lapp.-Botnia borealis ad Johannis Ro, freq.).

*Mas* et *Fem.* Longit. 1—1½ linear. Niger subpubescens. Mandibulae rufae. Palpi testacei. Caput punctulatum. Oculi subrotundi, parvi. Antennae longitudine corporis, articulo tertio (flagelli primo summa basi ferrugineo. Metathorax subrugoso-punctatus. Cauda brevis, vix sextae partis abdominis longitudine. Alae hyalinae, stigmate elongato, angusto, fusco. Pedes validi, rufo-testacei, coxis et trochanteribus basi nigris, tarsis fuscis.

**11. B. tibialis:** niger, pedibus concoloribus, tibiarum basi flava, stigmate alarum breviori, fusco. ♀.

Hab. in Nordlandiae septentrionalis inferalpinis rarissime; in alpe Lyngen d. 26. Jul. inveni. (Lappon. Norvegica).

*Fem.* Statura corporis et structura partium ut in praecedente, eoque parum longior. Totus niger, tibiis basi et geniculis anticis tantum flavo-testaceis. Cauda longitudine 4tae partis abdominis. Alae hyalinae, stigmate mediocri, sed breviori et latiori quam in praecedente; nigro.

**12. B. pusillator:** niger, ore rufo, pedibus flavo-testaceis, stigmate alarum breviori, fusco. ♂.

Hab. cum priori aeque rarus, in alpe scilicet Lyngen unicum tantum specimen d. 26 Jul. inveni. (Lapp. Norvegica).

*Mas.* Minutus, *Br. boreali* (No. 10) fere duplo minor, vix ultra ¾ lineae longus. Nitidus niger. Partes oris ferrugineae. Antennae longitudine fere corporis, subfiliformes, nigrae, articulo 3tio summa basi rufo. Corpus totum ut etiam metathorax et petiolus, ni valde fallor, laevia sunt. Alae hyalinae, certo luminis situ metallice nitent, stigmate angusto et parum elongato, subfusco. Areola longa, parallelogramma. Pedes mediocres, flavo-testacei, coxis anticis piceis, posticis nigris.

**13. B minutissimus:** niger, antennarum basi rufescente, pedibus totis pallidis, alarum area costali ultima maxima, stigmate nullo. ♀?

Hab. in Nordlandia septentrionali rarissime; ad Björkvik die 14. Jul. unicum individuum a me captum. (Lapponia Norvegica).

*Fem.?* Minimus nostratum hujus generis, parum ultra ½ lin. longus. Laevis, nitidus, niger. Caput subrotundatum. Partes oris piceae. Palpi testacei. Antennae corpore paullo longiores, subpubescentes, nigro-fuscae, scapo rufo-testaceo. Abdomen oblongum, petiolo subangustato. Anus acutus sexum femineum prodere videtur, quando exserta nulla. Alae hyalinae, stigmate nullo. Area costalis ultima magna a medio costae incipit, usque ad apicem alae ducta. Pedes elongati, toti cum coxis flavi seu pallidi.

*Obs.* Plures species in Suecia inferiori habitant, ad diversas phalanges hujus Subdivisionis apte referendae, quas vero in Lapponia frustra quaesivi.

*Subdiv.* 2. Areola alarum nulla.

A. Area costalis ultima in apicem alae descendens.

**14. B. tipulator:** niger, ore, antennarum basi pedibusque testaceis, abdominis medio piceo, ventre livido; alis albo-hyalinis, stigmate fusco aut fusco-testaceo. ♂♀.

*Mas:* ano stylis brevibus parum exsertis, alis amplis albidis, stigmate gemino, fusco.

*Fem.:* cauda longitudine 3tiae partis abdominis, alis albido-hyalinis, stigmate simplici, fusco.

Hab. in Lapponia sylvatica mense Augusto passim. Mares tempore vespertino, sole adhuc lucente et tempestate serena, juxta sylvas choreas more Tipulariarum ducunt. Feminam viventis, odorem similem fere ut ex *Hemerobio Perla* spargere animadverti. (Lapp.-Scania mensib. Aug. Sept. saepe copiose).

*Mas.* et *Fem.* Parvus; longit. circiter 1 lineae. Nitidus niger. Caput rotundatum. Palpi pallidi. Mandibulae testaceae. Antennae longitudine corporis, tenues, rufae, extrorsum nigricantes Metathorax cancellatus. Abdomen subtriquetrum, nigrum, segmentis 2, 3 obscure testaceis. Pedes mediocres, toti cum coxis testacei, postici raro subinfuscati; ungues nigricantes. Alarum stigma in vivis saepe testaceum, in mortuis fuscum.

B. Area costalis ultima brevior, in apicem alae non descendens. — Abdomen ovatum dimidiam corporis longitudinem non excedens.

**15. B. tuberculator**: niger, palpis pallidis, antennarum basi picea, pedibus cum coxis rufo-testaceis, tarsis apice alarumque stigmate fuscis, metathorace utrinque unituberculato. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi forte rarissime, mihi tantum inter Kautokeino et Kengis mens. Aug. obvius. (Lapponia).

*Fem.* Longitudo circiter 1¼ lin. *Braconi clavato* (No. 7) robustior et crassior, licet ejus longitudinem vix attingat. Parum punctatus, brevissime subpubescens, niger. Caput subrotundatum. Oculi ovati, parvi. Palpi flavi. Antennae basi piceae, scapo nigro. Metathorax rugosus, subcancellatus, postice ad latera tuberculo utrinque parvo. Abdomen sessile triquetrum, capite thoraceque fere brevius, dorso subdepressum, utrinque, segmento 1 brevi, lato, toto, et 2do basi, striatis. Cauda longitudine fere abdominis. Alae hyalinae, stigmate magno, subtriangulari, nigricante, radice straminea. Pedes ut in diagnosi.

**16. B. pygmaeator**: niger, coxis et trochanteribus concoloribus, pedibus rufo-testaceis, alarum stigmate elongato, angusto, fusco. ♂?

Hab. in Nordlandia septentrionali rarius; ad Finkrog die 25. Jul. a me captus. (Lapponia Norvegica).

*Mas!* Priori fere triplo minor, longitudinem *B. tipulatoris* (No. 14) vix attingit. Nitidus niger. Caput subrotundatum. Palpi fusci. Antennae longitudine fere corporis, filiformes, nigrae. Metathorax rugulosus. Abdomen longitudine capitis thoracisque, subdepressum, vix triquetrum, sessile, segmento 1mo basi paullo angustiori, 2doque basi, dolabratis. Styli anales breves, exserti. Alae hyalinae, areis distinctis; nervi vero 2 in marginem interiorem alae excurrentes in plerisque hujus generis valde obsoleti, in hac specie fere nulli, eorum scilicet vix nisi basi vestigium. Pedes mediocres.

---

## 20. Alysia. LATR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 446. *Cryptus* FABR. *Bracon* FALL. *Ichneum.* PANZ.

*Corpus* minoris magnitudinis, saepe minutum, oblongum, glabriusculum. Antennae longae, setaceae. Palpi maxillares valde elongati, penduli. Caput subrotundatum, thorace saepe paullo latius. Mandibulae subquadratae, compressae, magnae, apice tridentatae, hiantes. Abdomen breve, saepissime sessile, subtrigono-ovatum. Alae abdomine paullo longiores, areis costalibus 4, secunda a basi subdiscoidali seu angulo recto costam attingente, omnino ut in *Bracone*. Areola oblongo-quadrata adest, at area specularis nulla. *Color* et *Motus* ut in *Bracone*. *Habitatio* in cadaveribus et fungis putridis, in quibus ova deponunt imagines, ut ipse saepe observavi (in excrementis humanis ova deponuntur, teste LATREILLE); per partem sylvaticam et interalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* interdum in antennarum structura, semper in ano maris mutico, feminaeque cauda mediocriter exserta detegitur. (Species Scandinaviae 10 mihi cognitae).

**1. A. manducator**: nigra, pedibus cum coxis rufis, areola alarum subquadrata, irregulari, stigmate magno, fusco. ♂♀.

*Mas:* antennis longitudine fere corporis, subsetaceis, parum pubescentibus.

*Fem.:* antennis dimidio corpore paullo longioribus, crassioribus, moniliformibus, subpilosis; cauda longitudine tertiae partis abdominis.

Var. a. ♂♀. mandibulis rufis.

*Cryptus manducator* FABR. Piez. 87. 73. ♀. *Ichneum. manducator* PANZ. Fn. 72. f. 4. ♀.

Var. b. mandibulis nigris.

Hab. in Lapponiae fungis putridis et cadaveribus passim; varietatem b, tantum in monte subalpino Skaaddavaara prope Alten Finmarkiae d. 7. Aug. inveni. (Lapp.-Scan. freq.).

*Mas.* et *Fem.* Reliquis hujus generis major et crassior; variat tamen magnitudine 2—2½ lineas longa; robusta, statura fere *Sigalphi* (*Cheloni*) *oculatoris*, at paullo minor. Laevis, parum pubescens, nitida nigra. Caput subcompressum, thorace latius. Oculi parvi, rotundi. Palpi rufescentes. Antennae basi piceae. Metathorax rugosus. Abdomen ovatum, maris subdepressum, feminae triquetrum, segmento 1mo in utroque sexu striato. Alae hyalinae, nervis subinfuscatis, radice picea, stigmate subtriangulari, nigricante. Pedes mediocres, toti rufi, tarsorum articulis apice infuscatis.



**2. A. agricolator**: nigra, capite ferrugineo, pedibus cum coxis rufo-testaceis, alarum stigmate fusco, areola oblongo-quadrata. ♂♀.

*Mas:* capite rufo, plerumque immaculato.

*Fem.:* capite rufo, saepe nigro-maculato; cauda longitudine abdominis.

Hab. in Lapponia cum priori rarius. (Lapp.-Ostrog. freq.; in Scan. nondum a me visa).

*Mas.* et *Fem* Structura partium ut in priori, sed duplo minor. Antennae corpore fere longiores, tenues, in utroque sexu similes, nigrae, basi ferrugineae. Abdomen maris dorso in medio et ventre livido-fuscis, ano feminae saepe piceo. Areola alarum magis oblonga, quam in praecedente; irregulari. Cetera ut in diagnosi.

**3. A frequentator**: nigra, pedibus cum coxis luteo-flavis, alarum stigmate mediocri, subfusco, areola oblongo-subquadrata. ♂♀.

*Mas:* antennis corpore paullo longioribus, setaceis.

*Fem.:* antennis longitudine corporis, moniliformibus, cauda longitudine abdominis; forte hujus.

Hab. in graminosis Lapponiae, mense Aug. passim; occurrit etiam in inferalpinis Nordlandiae, et ad Schiervoe mense Julio inveni. (Lappon.-Scan. freq.).

*Mas.* et *Fem.* Praecedenti affinis et similis ejusque magnitudine, sed differt ab illa capite nigro, nec rufo, pedibus pallidioribus, areola alarum magis oblonga, subparallelogramma, etc. Caput transversum. Oculi parvi. Palpi pallidi. Antennae basi rufae. Alarum stigma parum infuscatum. Pedes toti in mare pallidi, in femina testacei, in utroque sexu unicolores, unguibus solum fuscis.

**4. A piceator**: fusco-testacea, pedibus flavis, stigmate alarum stramineo, areola oblonga parallelogramma. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica mens. Aug. frequens, ex. gr. ad Karesuando, Muonioniska et Kengis. Mares in graminosis, feminae in fungis terrestribus putridis inprimis occurrunt. (Lappon.-Ostrogoth. freq.).

*Mas.* et *Fem.* Priori paullo minor, praesertim angustior. Vix pubescens, laevis, nitida, rufo-picea seu fusco-testacea. Caput transversum. Oculi parvi, minuti. Palpi pallidi. Antennae corpore paullo longiores, graciles, nigrae, basi testaceae. Abdomen capite thoraceque parum brevius, ovatum, sessile, cauda feminae corporis fere longitudine. Alae hyalinae, pallide nervosae. Pedes mediocres, toti cum coxis flavo-testacei, unguibus nigris.

**5. A. nitidulator**: nitida, nigra, antennarum scapo piceo mandibulis ferrugineis, palpis pedibusque totis flavis, stigmate alarum magno nigricante, areola subquadrata. ♂.

Hab. in Nordlandia septentrionali, ad Björkvik d. 14. Jul. a me capta. (Lapp. Norveg.),

*Mas.* Parva, vix ultra 1 lin. longa. Glabra, laevis nitida, nigra. Caput rotundato-transversum. Antennae corpore paullo longiores, graciles, apice incurvatae, scapo rufo-piceo. Mandibulae distincte hiantes, ferrugineae, apice tricuspidatae. Abdomen longitudine capitis thoracisque, oblongum, basi paullo angustatum, sessile, segmento primo striato. Alae hyalinae, stigmate magno, nigro, areola subquadrata, angulo interiori acuto. Pedes mediocres, subpubescentes, toti cum coxis pallidi.

**6. A pectoralis**: nitida, nigra, vertice concolore, capite ferrugineo, antennarum scapo, pectore antice, abdominis medio pedibusque totis, flavo-testaceis, areola oblonga. ♂.

Hab. in Finmarkia occidentali rarius; in graminosis ad Bossekop prope Alten die 5. Aug. legi. (Lapp. Norvegica).

*Mas.* Priori paullo longior, sed vix crassior Glabra, laevissima, nitida, nigra, Caput rotundato-transversum, ferrugineum, oculis vertice et puncto faciali, nigris. Palpi flavi. Mandibulae in quiete non hiantes. Antennae corpore paullo longiores, tenues, subpubescentes, fusco-nigrae, scapo rufo-testaceo. Thorax niger, collari et pectore antice rufescentibus. Metathorax subrugosus. Abdomen longitudine fere capitis thoracisque, oblongum, subdepressum, sessile, rufo-testaceum, petiolo paullo angustiori, striato, in medio subcanaliculato, tuberculo utrinque minuto, toto et fascia anali, nigris. Alae hyalinae, stigmate angusto, parum infuscato. Pedes ut in priori.

**7. A. pusilla**: abdomine petiolato, nigro-picea nitida, antennis fuscis, pedibus totis flavis, alarum area costali ultima longissima, stigmate nullo. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime, ad Björkvik Nordlandiae septentrionalis die 14. Jul. unicum specimen inveni. (Lapponia Norvegica).

*Mas.* Ob parvitatem, locum natalem et directionem nervorum in alis, quae omnia simillima sunt ac in *Bracone minutissimo*, ejus quoque marem insectum jam descriptum esse facile crederem, nisi mandibulae magnae, hiantes, apice tridentatae, *Alysiae* speciem manifeste proderent. Caput subtransversum, piceum, mandibulis testaceis, palpis flavis. Antennae corpore multo longiores, valde tenues, subpubescentes, basi testaceae, extrorsum fuscae, apice (in

mortuis) curvatae. Metathorax punctulatus. Abdomen ovatum, subdepressum, nitidum laevissimum, nigro-piceum, petiolo angusto, lineari, nigricante. Alae omnino ut in *Bracone minutissimo*, etiam quoad directionem nervorum. Pedes tenues, toti cum coxis pallide flavi.

---

## 21. Lepton. Zett. Nov. Gen.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum, lineare, gracile, subpubescens. Antennae longae, setaceae. Palpi maxillares elongati. Caput subrotundatum, postice excavatum. Mandibulae oblongae, tridentatae, dente infero longiori. Abdomen elongatum. Alae breves, areis costalibus 4, secunda a basi angulo obtuso costam attingente, ultima brevi; areola et area speculari nullis. *Color* et *motus Alysiae. Habitatio* in graminosis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Finmarkiae. *Differunt sexus: mas:* abdomine subdepresso, ano obtuso; *femina:* abdomine subcompresso, ano acuto. (Spec. Scand. 2, corpore angusto *Psiliformi*, mandibularum structura, alarum brevitate etc, ab affinibus generibus *Alysia* et *Bracone* distinctae.)

**1. L. attenuator**: niger, mandibulis, antennarum basi abdominisque medio obscure rufescentibus, palpis pedibusque testaceis, coxis femoribusque posterioribus nigricantibus. ♂.

Hab. in graminosis Lapponiae Tornensis passim; occurrit etiam in inferalpinis Norvegiae, et usque ad Bossekop prope Alten Finmarkiae mense Aug. lectus. (Lappon.-Ostrogoth. freq. Scan. rarius.)

*Mas.* $1\frac{1}{2}-2\frac{1}{2}$ lin. longus, valde angustus, subcylindricus, linearis, laeviusculus, nitidus, niger. Caput rotundatum. Oculi parvi rotundi. Antennae longitudine fere corporis, tenues, fusco-nigrae, basi testaceae, aut rufescentes. Palpi pallidi. Mandibulae rufae hiantes. Metathorax cylindricus, punctatus. Abdomen thorace fere duplo longius, angustum, basi attenuatum; laeve, fusco-testaceum, petiolo elongato, scabro, nigro. Anus infuscatus. Alae abdomine breviores, subhyalinae, stigmate fusco; area costalis 2da a basi petiolo brevi a costa distincta, ut in *Bracone* et *Alysia*; at area costalis ultima brevior, quam in horum generum speciebus, intra stigma et apicem alae dimidiam tantum partem occupat, subovata. Pedes femoribus brevibus, pallidi aut obscure testacei, posteriores coxis et femoribus subclavatis, magis vel minus nigricantibus aut piceis.

Variat tibiis posticis apice fuscis.

*Not.* Feminam hujus speciei frequentius mihi invenire quidem non contigit, sed cum femina alterius speciei seu *Leptonis Psilotoris* mihi, abdomine compresso ano acuto gaudet, ex analogia marium in ambabus speciebus similium concludo, feminam *Leptonis attenuatoris* eandem ani structuram ac feminam *L. Psilotoris* habere, caudam scilicet exsertam nullam.

---

## 22. Microgaster. Latr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 444. *Vipio* Fall. *Crypti* spec. Fabr. *Ichneum.* spec. Linn.

*Corpus* minoris magnitudinis, saepe minutum, oblongum, parum pubescens. Caput transversum. Antennae filiformes, prope ad verticem insertae. Mandibulae vix prominentes. Oculi ovati. Abdomen breve, sessile, obtusum, dorso planiusculum. Alae areis costalibus subquatuor, secunda (a basi) saepissime petiolata, seu petiolo tantum costae juxta stigma adhaerenti, ultima saepe obsoleta. Areola rotundata saepissime parva, stigmati opposita, aut nulla. Area specularis nulla. Femora valida, compressa. *Color* corporis plerisque niger, pedum rufus. *Motu* tardus, *volatus* segnis. *Habitatio* imaginum in graminosis et foliis plantarum; larvae vero partim in larvis subcutaneis foliorum degunt, partim in larvis papilionum nutriuntur, at extra haec domicilia, singula sibi pupam propriam oblongo-ovatam, subsericeam flavam aut albam fabricat; per partem sylvaticam Lapponiae, rarius in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae. *Differentia sexus: mas* ano mutico, *femina* cauda saepius breviter, interdum longius, exserta, lamina vomeriformi basi plerumque tecta gaudet. (Spec. Scand. 16 et ultra.)

*Subdiv.* 1. Alarum area costalis ultima distincta ab apice alae remota. Areola adest. (*Braconiformes.*)

**1. M. niger**: niger, alis hyalinis, pedibus rufis, posticis tibiis albidis, apice tarsisque fuscis. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica rarius. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. rarius.)

*Mas.* et *Fem.* Longitudo circiter 2 linearum, at mas saepe paullo minor femina. Laevis, subnitidus, niger, antice subpubescens. Facies valde decliva. Antennae corpore paullo breviores validiusculae, apice interdum recurvae. Palpi elongati, flavi. Mandibulae apice piceae. Thorax gibbus. Scutellum triangulare, subelevatum. Metathorax convexus, sublaevis, parum striatus. Abdomen oblongum, capitis thoracisque longitudine, laeve, basi paullo angustatum substriatum. Cauda abdomine paullo longior. Alae hyalinae, stigmate fusco, arearum costalium secunda brevissime petiolata, ultima augusta; nervi duo a disco ad marginem excurrentes reliquis obsoletiores. Pedes femoribus brevibus, toti cum coxis luteo-rufi: antici coxis piceis, postici tibiis flavis s. albidis, tibiarum apice tarsisque saepe infuscatis.

**2. M. fuscipennis**: niger, alis infuscatis, geniculis tibiisque rufo-testaceis, his posticis apice tarsisque nigricantibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica Kemensi et Tornensi mense Augusto passim; ad Kihlangi die 21. Aug. frequentiorem vidi. (Lapp.-Ostrog. pass. Gottland. freq.)

*Fem.* Priori paullo minor. Laevis, subnitidus, niger; antice subpubescens. Caput infra oculos subconico-descendens, partibus scilicet oris rostrum simulantibus. Antennae, thorax, abdomen et cauda ut in priori. Metathorax convexus, subrugosus et striatus. Alae fusco-hyalinae, nervis ut in praecedente. Pedes femoribus brevibus validis, nigris; antici femoribus apice late, tibiis tarsisque luteis; intermedii geniculis tibiisque rufo-testaceis, his apice tarsisque fuscis; postici tibiis flavis aut albidis, annulo intra basin apiceque, tarsisque, fuscis.

**3. M. costatus**: niger, coxis concoloribus, alis hyalinis, nervo costali crasso nigro, areola oblonga, magna, pedibus rufis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in ligno Pini recenter secato die 15. Jun. individuum unicum inveni. (Lapponia.)

*Mas.* *Microg. nigro* (No. 1.) affinis et similis, ejusque mari magnitudine aequalis, sed alia directione nervorum in alis certe differt. Totus subpubescens, subnitidus, niger. Caput, antennae et thorax ut in *M. nigro*. Metathorax rugosus et substriatus. Abdomen etiam ut in *M. nigro*, sed paullo latius. Alae hyalinae, nervo costali crasso, nigro, stigmate angusto; tegula testacea. Arearum costalium secunda (a basi) angulo lato costam immediate attingit; areola oblongo-triangularis. Pedes mediocres, lutei, coxis et apice tarsorum nigricantibus.

*Obs.* *Ichneumon desertor* Linn. Fn. Sv. huic subdivisioni inseri debet, in Lapponia peregrinus.

*Subdiv.* 2. Alarum area costalis ultima aut spuria s. obsoleta, in apicem alae fere extensa, aut nulla.

* Areola minuta adest.

**4. M. deprimator**: niger, pedibus rufescentibus, alis subhyalinis, stigmate magno nigricante, arearum costalium secunda distincte petiolata, oculis hirtis. ♀.

*Ichneum. deprimator* Panz. Fn. 79. f. 11. ♀. forte (sed *Ichn. deprimator* Fabr. Piez. 69. 83. et Ent. Syst. Suppl 227. 182. ♂. alia videtur species: alis obscurioribus, pedibus totis rufis; in foliis Potamogetonis et aliis plantis aquaticis Ostrogothiae passim occurrens, in Lapponia mihi non obvia.)

Hab. in Lapponia rarius; ad Bossekop Finmarkiae die 4. Aug. pauca specimina legi. (Lappon.-Scan. pass.)

*Fem.* Magnitudo *M. costati*. Subtilissime punctulatus, subpubescens, niger. Facies subconvexa. Palpi fusci. Mandibulae apice piceae. Antennae corpore paullo breviores, validiores quam in prioribus, apice parum curvatae. Metathorax rugosus. Abdomen supra depressum, ventre distincte carinato vomeriformi, dorso nitido laevi, basi scabro-striato; anus subtus aperiens; ex apertura cauda (oviductus) crassa provenit recta, dimidio abdomine longior. Alae ut in diagnosi. Pedes validiusculi, femoribus posticis subcompressis; nigri, antici geniculis, tibiis tarsisque luteis; intermedii tibiis tarsisque luteis; postici femoribus apice late tibiisque luteis, geniculis nigris.

*Not.* In Suecia interiori individua hujus speciei utriusque sexus frequenter occurrunt saepe majora, palpis pallidis, pedibus jam totis rufis, coxis nigris, jam rufis, coxis, femoribus basi tarsisque nigris, jam denique nigris, tibiis tantum femoribusque anticis apice late rufis. In his varietatibus cauda feminarum paullo brevior videtur.

** Areola minuta deest.

**5. M subcutaneus**: niger, alis albido-hyalinis, stigmate magno fusco, area costali ultima nulla, tibiis anterioribus testaceis, posticis nigris, basi luteis. ♂♀.

*Ichn. subcutaneus* Linn. Fn. Sv. 1642. *Diplolepis subcutanea* Fabr. Piez. 152. 20.

Hab. in graminosis ut et in Pinetis Lapponiae sylvaticae, ex. gr. ad Kengis, Muonioniska et Karesuando frequenter mense Aug.; occurrit etiam in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, ubi mense Julio specimina plura legi, usque ad Alten procedentia. E pupa oblonga, sericea, alba, imago egressa. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)

***Mas.*** et ***Fem.*** Minutus, $\frac{3}{4}$ – 1 lin. longus. Parum pubescens, vix nitidus niger. Oculi hirsutuli. Palpi pallidi. Antennae longitudine fere corporis, subfiliformes. Abdomen longitudine thoracis, dorso depresso, laevi, basi striato, ventre carinato, antice, in vivo, subpallido. Cauda mediocriter crassa, recta, vix tertiae partis abdominis longitudine. Alae albido-hyalinae, nervo costali et stigmate magno, nigricantibus. Area costalis ultima ut et nervi duo e disco ad marginem apicalem alae excurrentes, obsoletissima, eorum vix vestigium. Pedes femoribus posticis subcompressis; nigri, antici femoribus apice late, tibiis tarsisque testaceis; intermedii tibiis tarsisque fusco-testaceis; postici tibiis basi testaceis.

Var. b. ♀. tarsis posticis fusco-testaceis, et cauda fere abdominis longitudine.

Var. c. ♀. Cauda vix exserta, ano hiante, segmento ultimo ventrali vomeriformi, alias var. a. similis; frequenter occurrit.

Var. d. ♂. pedibus totis nigris, tibiis tarsisque fuscis, in ceteris var. a. similis; rarissim.

**6. M. globatus:** niger, coxis concoloribus, alis subhyalinis, stigmate magno fusco, pedibus ferrugineis, tarsis subinfuscatis. ♂♀.

*Ichneumon globatus* Linn. Fn. Sv. 1645. *Cryptus globatus* Fabr. Piez. 89. 88.

Hab. in Lapponia secundum collectiones boreales, mihi in terris arcticis non obvius. (Lappon.-Scan. pass. — Pupae intra folliculum communem, album, sericeum, e quo numerosae imagines prodeunt Linn.)

***Mas.*** et ***Fem.*** Priori fere duplo major, ei affinis. Pubescens subpubescens, parum nitidus, niger. Oculi, palpi, antennae, thorax et abdomen ut in priori. Abdominis segmenta basalia lateribus et ventre saepe testacea. Cauda dimidio abdomine paullo longior, crassa, deorsum subcurvata. Alae subfusco-hyalinae, stigmate magno, fusco; area costalis ultima et nervi 2 e disco in marginem excurrentia obsoleta quidem sunt, eorum tamen rudimentum evidentius quam in priori cernitur. Pedes validi, luteo-rufi, coxis anterioribus basi, posticisque totis, nigris, tarsis subinfuscatis. Antennae in femina paullo breviores, quam in mare videntur.

Var. b. ♀. rar. tibiis posticis apice infuscatis.

***Not.*** Sub nomine *Vipio guttator* Fall. et *Bracon guttator* Panz.? in collectionibus Suecicis hanc speciem vidi.

**7. M. glomeratus:** niger; coxis posticis concoloribus, alis subalbido-hyalinis, stigmate magno, fusco, pedibus testaceis, posticis geniculis, tibiarum tarsorumque articulorum apice nigricantibus. ♂♀.

*Ichneum. glomeratus* Linn. Fn. Sv. 1648. *Cryptus glomeratus* Fabr. Piez. 90. 89. *Cryptus globatus* Panz. Fn. 109. f. 8. forte.

Hab. in Lapponia rarius. — „Larvae in Papilionum larvis habitant, et pupae intra folliculum communem flavum sericeum" Linn. — E talibus pupis imagines prodire saepe ipse observavi. Individua hujus speciei in copula juncta haud raro quoque inveni. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)

***Mas.*** et ***Fem.*** *Microg. subcutaneo* (No. 5.) parum major ejusque varietati c., quae cauda vix exserta gaudet, simillimus, nec differt ab illa nisi colore pedum et puparum. Caput, thorax, abdomen et alae omnino ut in illo, modo alae minus albidae et cauda feminarum semper brevissima parum exserta in *M. glomerato* videntur. Abdomen basi summis lateribus plerumque testaceis. Pedes femoribus posticis subcompressis; flavo-testacei, anteriores coxis basi nigro-piceis, postici coxis totis, femorum, tibiarum tarsorumque annulorum apice nigris.

***Not.*** In collectionibus Suecorum sub nomine *Vipio guttator* cum specie priori confusum vidi.

**8. M. minutissimus:** niger, alis hyalinis, stigmate magno fusco, areae costalis ultimae rudimento, pedibus nigris, tibiis tarsisque anterioribus fusco-testaceis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi; inter Kengis et Karesuando mense Aug. rarissime lectus. (Lapponia.)

***Mas.*** *M. subcutaneo* affinis et similis, sed adhuc paullo minor, pedibus obscurioribus et areae costalis ultimae rudimento distinctus. Alae subalbido-hyalinae, stigmate fusco; nervo e stigmate excurrente areamque costalem ultimam formante ad basin saltem perspicuo, infra stigma umbra fusca. Abdomen depressum, breve, nigrum, in medio piceum: anus obtusus sexum masculum prodit. Pedes nigri, femoribus posticis abdomen multo excedentibus, tibiis tarsisque anterioribus fusco-testaceis, tibiis posticis fuscis, apice dilatato-compressis.

---

## 23. Hybrizon. Fall.

Fall. Disposit. Hymenopt. ann. 1813. Gen. 22.

*Corpus* minutum, elongatum. Caput transversum aut subrotundatum. Antennae elongatae, tenues aut filiformes. Oculi rotundi. Abdomen oblongum (in nostro), subpetiolatum, in Suecicis distincte petiolatum. Alae areis costalibus tribus aut duabus (in nostro vix nisi unica basali completa); areola intermedia areaque speculari nullis; at nervus costalis adest. *Color* niger; in Suecicis interdum pallidus. *Motu* agilis. *Habitatio* in graminosis et fruticibus, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in nostro ignota, at in speciebus Suecicis feminae plerisque cauda paullo exserta a maribus dignoscuntur. (Spec. Scand. 10. valde minutae at inter se dissimiles, directione nervorum pro unaquaque specie fere diversa.)

**1. H. pubicornis:** subpubescens niger, ore, antennarum pubescentium basi pedibusque pallidis, alis hyalinis, stigmate fusco, arearum costalium unica completa. ♂.

Hab. in gramine Lapponiae sylvaticae Tornensis mense Aug. rarissime. (Lappon.a.)

***Mas.*** Minutus, vix $\frac{3}{4}$ lin. longus. Antennae thorace fere longiores filiformes, rectae, articulo 1mo mediocri, 2do brevi, reliquis elongatis aequalibus; pubescentes, fuscae, articulo primo testaceo. Caput subrotundatum. Mandibulae flavae. Abdomen oblongum, breviter petiolatum, glabrum, alae hyalinae, areis completis basalibus, quarum unica ad costam sita, triangularis est. Stigma fuscum, emittens nervum aream costalem ultimam spuriam formantem. Pedes flavi, coxis basi nigris.

## 24. Sigalphus. Latr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 445. *Chelonus* Jll. *Ichneumon* Fabr.

*Corpus* minoris magnitudinis aut parvum, oblongo-ovatum, subpubescens, opacum, scabro-punctatum, duriusculum. Antennae dimidio corpore saepe longiores, setaceae. Abdomen obovatum, sessile, convexum, fornicatum, in nostris Lapponicis inarticulatum. Alae areis costalibus 3 — 4; speculari nulla; areola intermedia (in nostris) magna difformi. *Color* niger; pictura, quando adest, flavo-maculata, rara. *Motu* tardus, *volatu* ferus. *Habitatio* imaginum in graminosis, locis aridis, et in foliis fruticum, per partem sylvaticam Lapponiae. *Victus* et *metamorphosis* ignota. *Differt sexus, mas:* antennis longitudine fere corporis, ano mutico; *femina* rarissime obvia: antennis longitudine dimidii corporis, cauda in fornice abdominali recepta, longitudine circiter tertiae partis abdominis, sursum flexa. (Spec. Scand. 10 in museo meo adsunt.)

**1. S. oculator:** niger, pedibus validis varicoloribus, alis in medio infuscatis, stigmate nigro, areis costalibus tribus, ultima brevi, areola trapezina, metathorace postice bidentato. ♂♀.

***Mas:*** antennis gracilibus, setaceis, dimidio corpore paullo longioribus, ano mutico.

***Fem.:*** antennis subsetaceis, dimidio corpore parum longioribus, cauda jam tertiae jam dimidiae abdominis partis longitudine, sursum arcuatim flexa, nigra, basi subtus plerumque rufa; mare saepius major, robustior.

Var. a. ♂♀. pedibus rufis, coxis, trochanteribus, femoribus summa basi, tibiis saltem posticis apice tarsisque, nigris; abdomine basi macula utrinque flava.

*Ichneum. oculator* Fabr. Piez. 68. 81. (exclus. Syn. *Cynips inanita* Linn., quae ad aliam speciem pertinet). Panz. Fn. Germ. 72. f. 3.

Var. b. ♀. pedibus nigris, anterioribus geniculis et tibiis, posticis tibiis basi, obscure rufis, abdomine basi macula utrinque flava.

Var. c. ♂. pedibus nigris, geniculis rufis; abdomine immaculato.

Var. d. ♂. duplo minor, pedibus nigris, anticis femoribus apice tibiisque totis, posticis tibiis ante basin annulo, obscure rufis; abdomine immaculato.

Hab. in Lapponiae graminosis haud frequens. (Lappon.-Scania passim).

***Mas.*** et ***Fem.*** Magnus in hoc genere, longitudine circiter 3 linear. et ultra, robustus crassus; mas femina plerumque paullo minor. Pubescens, totus scabro-punctatus, opacus niger. Caput transversum; oculi ovati. Palpi fusci. Mandibulae interdum apice rufae. Metathorax brevis, inaequalis, postice utrinque dente brevi crassiusculo armatus. Alae hyalinae, superiores in medio infuscatae, nervis validis fuscis, basi pallidis, apicalibus subobsoletis; stigmate magno, nigricante; inferiores immaculatae. Pedes et abdomen ut in diagnosibus.

***Not.*** In Suecia inferiori adhuc plures varietates colore pedum occurrunt, inter quas *Ichn. scaber* FABR. Ent. Syst. 2. 174. 167. mas, forte numerandus.

**2. S. scabriusculus:** niger, palpis, antennarum basi pedibusque rufescentibus, his posticis coxis, femorum medio tibiarumque apice, nigris; alis subhyalinis, stigmate nigro, areis costalibus subquatuor. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; ad Johannis Ro prope Torneam Botniae borealis die 2. Sept. frequentiorem vidi. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* Parvus, priori triplo minor. Pubescens, opacus, niger, corpore minus scabro-punctato, quam in praecedente. Antennae proportione corporis magnitudinis longiores quam in illo, rufo-testaceae, extrorsum nigrae. Oculi subrotundati. Palpi flavi. Metathorax inaequalis, dente postico utrinque obsoleto. Abdomen ut in priori constructum, unisegmentatum, sed subtilius scabro-punctatum, immaculatum. Alae hyalinae, in medio nervis validis, basi pallidis, apice obsoletis, stigmate magno, nigricante, macula infra stigma fumata; areae costales 4, secunda (a basi) subcostali, ultima brevi subtriangulari; areola magna, ovata. Pedes testacei, coxis nigris, apice pallidis; intermedii femoribus in medio fuscis; postici femoribus in medio late, tibiisque apice nigricantibus, tarsis fuscis, articulo primo basi albido.

***Not.*** Etiam hujus speciei individua magnitudine duplo majori, colore pedum et antennarum, in Suecia inferiori variant. Occurrunt quoque ibi aliae hujus generis species, abdomine triarticulato instructae, et inter has forte *Sigalphus rufescens* LATR. numerandus.

---

## 25. Aulacus. LATR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. T. 4. p. 385. JUR. SPIN.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum, convexum, subsericeo-pubescens. Caput globosum. Antennae mediocres, subfiliformes, rectae. Mandibulae validae, dentatae, clausae. Collum elongatum. Metathorax declivis. Abdomen centro metathoracis (nec supra, nec infra) insertum, breviter clavatum. Alae areis costalibus 3; area speculari trapezina, areola magna, nervo exteriori obsoleto. *Color* niger, et rufus. *Motu* tardus. ***Habitatio*** in Finmarkia regione alpina. ***Femina*** cauda longe exserta; *mas* nobis ignotus. (Species Scandinaviae nostra unica.)

**1. A. striatus:** antice strigosus niger, coxis et trochanteribus concoloribus, abdominis medio pedibusque obscure rufis. ♀.

LATR. l. c. Addend. p. 386. ♂♀. JURIN. Hym. p. 90. t. 7. gen. 3. ♀.

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime; ad villam Bossekop prope Alten, quae a capite boreali (*Nordcap* dicto) non longe distat, specimen unicum vivum die 4. Aug. inveni. (Lapponia Finmarkica.)

***Fem. Alysia manducatore*** paullo major, 3 lin. et ultra longus; statura singulari, forma capitis abdominisque rotundata quasi globum antice posticeque gerens. Habitus fere et affinitas *Braconis*, sed certe distincti generis, forma capitis, insertione abdominis et directione nervorum in alis etc. ab aliis generibus satis diversus. Niger. Caput magnum, globosum, postice excavatum, vertice laevi, stemmatibus 3 in triangulum dispositis, fronte transversim rugosa; nigrum, mandibulis ferrugineis, apice piceis. Palpi maxillares elongati, filiformes, fusci. Oculi laterales, mediocres, rotundati. Antennae capite thoraceque parum longiores, recta extensae, nudae, articulis (13 in masculis) 14 in feminis elongatis. Collum elongatum, versus thoracem incrassatum, sutura supra non connivens. Thorax antice valde elevatus, gibbus, dorso distincte transversim strigosus; postice loco scutelli rugosus. Infra scutellum lineae 2 elevatae transversae. Pars intra has lineas et coxas posticas, quae metathoracem mentitur, valde rugosa est, et ejus medio paullo elevato s. protuberanti abdomen insertum. Abdomen longitudine thoracis, obovatum s. clavatum, ex 5 segmentis constare videtur, quorum primo longitudine dimidii abdominis, basi angusto, versus apicem sensim incrassato; totum nitidum, laevissimum, glabrum, nigrum, segmentis 1 rufo, basi apiceque nigro, 2 lateribus etiam rufo. Cauda abdomine paullo longior, vaginis setaceis nudis, nigris, terebra rufa. Alae abdomine paullo longiores, hyalinae, nervis distinctis fuscis, stigmate magno nigricante. Areae costales tres, quarum prima seu basalis a costa nervo secundario remota; ultima in apicem alae descendit. Areola maxima, difformis, nervo exteriori abrupto s. in medio obsoleto. Pedes mediocres, coxis posticis conico-elongatis, subtus apice producto; colore obscure rufo.

***Not.*** Speciem hanc mere forte alpinam, antea ut Scaniae incolam ignotam, quae certe ad proprium genus, si non ad propriam etiam familiam referenda, fusius describere non inutile duxi. Locum inter ***Sigalphum*** et ***Foenum*** jure meritoque tenet, utrique affinis.

---

# FAM. 4. EVANIALES. LATR. FALL.

## 26. Foenus. FABR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 436. FABR. PANZ. FALL. *Ichneumon* LINN.

*Corpus* mediae magnitudinis, elongatum, subcompressum, opacum, parum sericeo-pubescens. Antennae longitudine capitis thoracisque, filiformes, rectae. Caput subovatum. Oculi ovales. Collum elongatum. Metathorax declivis. Abdomen sub scutello insertum compressum, falcatum, 7-segmentatum, alis duplo longius. Alae areis costalibus 3, ultima elongata. Areola et area specularis nullae. Tibiae posticae clavatae. *Color* niger, pictura rufa. *Motu* segnis; tarde volat. *Habitatio* in parietibus ligneis, in quorum foraminibus pupas et larvas aliorum insectorum latentes investigat, ova depositurus; per partem sylvaticam Lapponiae. ***Differentia sexus*** evidens; scilicet ***mas***: antennis 13-articulatis, abdomine angustiori, ano mutico; *femina*: antennis 14-articulatis, abdomine extrorsum crassiori, cauda trisetosa, exserta, gaudet. (Spec. Scand. 2, nostrae Faunae communes).

**1. F. jaculator:** niger, abdominis medio rufo-maculato, thoracis dorso transversim ruguloso (cauda feminarum longitudine abdominis). ♂♀.

FABR. Piez. 141. 1. PANZ. Fn. 96. 16. ♀. ***Ichneumon jaculator*** LINN. Fn. Sv. 1626. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius. Larva larvas ***Apiariarum Sphegumque*** destruit teste LATR. (Lappon.-Scan freq.)

*Mas* et ***Fem.*** Longitudo maris 5, feminae 6 linearum; niger. Mandibulae feminae majores quam in mare et tridentatae, interdum ferrugineae. Thorax gibbus. Abdominis segmenta 2, 3, 4 aut tota rufa immaculata, rufa, dorso nigro-fasciato. Genua anteriora, interdum etiam tibiae et tarsi rufo-testacea. Tibiae posticae basi, saepe etiam articulus primus tarsorum, annulo albo instructa. Cauda longitudine abdominis, aut illo paullo longior, vaginis nigris, apice plerumque albis.

**2. F. assectator:** niger, abdominis medio rufo-maculato, thoracis dorso subtiliter tantum punctulato (cauda feminarum longitudine dimidii abdominis). ♂♀.

FABR. Piez. 142. 2. *Ichneumon assectator* LINN. Fn. Sv. 1627. ♂♀.

Hab. in Lapponia cum praecedente passim. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et ***Fem.*** Priori saepe paullo minor, ei affinis ac similis et vix differt nisi thoracis dorso laeviori, subtiliter tantum punctulato aut striguloso, et cauda feminae breviori. Abdomen variat ut in praecedente segmentis 2—4 aut totis rufis immaculatis, aut rufis maculis vel fasciis dorsalibus nigris. Pedes ut in priori etiam quoad colores.

---

## Evania.

LATR. FABR. FALL.

Genus abdomine ovato-compresso, petiolato, alis abdomine longioribus, areis obsoletis dignotum, huic familiae inserendum, continens speciem unicam Suecicam, scilicet ***Evan. minutam***: nigram, immaculatam, pedibus aequalibus, parvam, in Ostrogothiae, Gottlandiae et Blekingiae pratis sylvaticis occurrentem; Faunae Lapponicae forte peregrinum.

---

## FAM. 5. CYNIPSEAE. FALL.

### Sagaris FALL.

Genus abdomine valde compresso-cultrato, femoribus posticis brevibus et alarum areis discoidalibus praeter sesquialteram minutam sub stigmate, nullis, ab affinibus hujus Familiae dignotum, in Lapponia sine dubio exsul. Species unica Scandinaviae, scil. *Sagaris cultellator* PANZ., *Ibalia* LATR., *Banchus* FABR., in hac Familia gigas, in Ostrogothia et Blekingia mensib. Jul. et Aug. rariss. occurrit, in provinciis magis borealibus a me frustra quaesita.

---

### 27. Cynips. LINN.

FALL. Dispos. Hymenopt. gen. 27. LINN. FABR. *Diplolepis* LATR.

*Corpus* minutum, ovatum, glabriusculum, aut in quibusdam Suecicis subpubescens. Antennae elongatae, subsetaceae. Caput transversum. Scutellum rotundatum. Abdomen subpetiolatum, trigono-lenticulare, infra carinatum; segmentum primum maximum, reliqua segmenta analia, minuta, quasi retractilia. Alae parum nervosae, nervo costali nullo; at nervus auxiliaris, nervulo transverso antice adjecto, et area costalis ultima, distinctiora. *Color* niger, pallidus, abdominis et pedum saepe rufus. *Motu* haud agilis. *Habitatio* imaginum in foliis fruticum, per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. Oviductu vasa plantarum pungunt feminae et intra vulnus ovum ponunt, quo gallae, pro unaquaque specie fere diversae, monothalamae aut polythalamae excrescunt, in quibus larvae et pupae usque ad declarationem in imagines latitant. *Differentia sexus; mas:* antennis 15-articulatis, ano obtuso, mutico; *femina:* antennis 15-articulatis, ano acuto, stylo sub ventre intra lamellas insidente, parum exserto. (Spec. Scandinaviae 35 et forte plures; pleraeque in *Quercu* et in *Salice* Sueciae inferioris habitantes.)

*Subdiv* 1. Alarum area costalis ultima oblonga, saepius pone medium costae extensa, areolae minutae interdum obsoletae, adnexa. Nervus ab areola in marginem excurrens adest, licet obsoletus.

A. Corpore nigricante.

*C. Rosae* LINN.; *C. Glechomae* LINN.; *C. Quercus baccarum* LINN.; *C. Quercus folii* LINN.; *C. Quercus inferus* FABR.; *C. Amerinae* LINN.; *C. Quercus petioli* LINN. et *C. Hieracii* LINN., ad hanc phalangem referendae, in Suecia inferiori collectae, vix in Lapponia habitant, mihi saltem supra Gestriciam non obviae.

B. Corpore pallescente.

*C. Quercus ramuli* LINN.; *C. Quercus terminalis* FABR. et *C. aptera* FABR. huic phalangi subjiciendae; sunt Sueciae mediae et meridionalis, sed non Lapponiae incolae.

*Subdiv.* 2. Alae hyalinae; area costalis ultima brevis subovata, vix pone medium costae extensa; areola adnexa ut et nervus in marginem excurrens, nulla. Corpus (in nostris) semper nigricans.

**1. C. petiolata:** laevis, nitida, nigra, antennis obscure testaceis, pedibus flavis, scutello rotundato inermi, abdomine distincte petiolato. ♂♀.

Hab. in Pinetis Lapponiae ad Muonioniska d. 17. Aug. rarius visa. (Lapp.-Ostrogoth. freq.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Parum ultra 1 lineam longa, glabra. Facies sericeo-subpubescens, praesertim in mare. Sexus praeterea sequentibus notis distinguitur, nempe *mas:* antennae obscure testaceae, articulo 1mo nigro. Abdomen longe petiolatum. Pedes flavi, coxis nigris. *femina:* antennae piceae, abdominis petiolus minus elongatus; pedes obscuriores, rufo-testacei.

**2. C. tibialis:** laevis, nitida, nigra, antennis filiformibus subtus, pedum geniculis, tibiis tarsisque testaceis, scutello inermi, abdomine subpetiolato. ♂.

Hab. in Lapponia rarius; in alpe Lyngen Nordlandiae septentrionalis die 26 Jul. inveni. (Lapp.-Ostrog. rar.)

*Mas.* Priori paullo minor, brevior. Vix pubescens. Antennae submoniliformes, articulis scilicet brevioribus quam in praecedente; nigrae; in medio rufescentes. Femora subclavata, nigra, apice testacea. Alarum areolae subrudimentum, scilicet ab angulo inferiori areae costalis ultimae excurrit nervulus unicus brevissimus.

*Not.* Antennae et tibiae obscuriores sunt in speciminibus Lapponicis quam in Suecicis.

**3. C. minuta:** laevis, nitida, nigra, antennis pedibusque testaceis, scutello rotundato inermi, abdomine subsessili. ♀.

Hab. in Lapponia sylvatica passim; etiam in Nordlandia ad Björkvik d. 15. Jul. inventa. (Lapp.-Ostrogoth. pass.)

*Fem.* Proxima praecedenti, adhuc paullo minor, brevior, glaberrima, nitida, laevissima, nigra. Partes oris rufo-testaceae. Antennae dimidio corpore paullo longiores, filiformes, totae testaceae, articulo tantum primo piceo aut nigro-piceo. Oculi rotundati. Abdomen breve. Alae hyalinae. Pedes flavo-testacei, aut rufo-testacei, postici coxis, interdum etiam femoribus in medio piceis aut subinfuscatis.

**4. C. consobrina:** laevis, nigra, nitida, antennarum basi pedibusque flavis, scutello rotundato inermi, abdomine subsessili. ♀.

Hab. in Lapponia inter Karesuando et Kengis med. mens. Augusti rarissime. (Lapponia Tornensis)

*Fem.* Magnitudo et summa affinitas *Cyn. minutae*, nec ab ea differre videtur, nisi antennarum colore. Antennae scilicet, articulis 6 basalibus flavis. Abdomen breve subsessile, petiolo scilicet brevissimo. Aculeus ani subexser tus. Pedes toti flavi.

**5. C. ruficeps:** laevis, nitida, nigra, capite rufo, antennis pedibusque flavis. ♂♀.

*Mas:* antennis totis flavis, extrorsum parum infuscatis; capite rufo-testaceo.

*Fem.:* antennis flavis, extrorsum infuscatis; capite rufo.

Hab. in graminosis Lapponiae sylvaticae Tornensis et Kemensis mense Augusto passim; deprehenditur quoque rarius in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, et ad Björkvik atque Bossekop 14. Jul. — 4. Aug. individua et mascula et feminea legi. (Lappon.-Ostrogoth. pass.-Scan. mens. Sept. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, statura et similitudo proxime praecedentis, sed differt capite rufo aut ferrugineo. Antennae graciles et pedes, saepe etiam caput in mare, flavescentia; in femina antennae basi et pedes, testacea, capite pulchre rufo. — *Mas.* et *Femina* descripti in copula quidem non deprehensi, sed sine dubio unius ejusdemque speciei.

### 28. Figites. LATR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 449. *Cynips* FALL.

*Corpus* minutum, oblongum, glabrum, laeve. Antennae elongatae, moniliformes. Scutellum foveatum. Abdomen compresso-ovatum. Alarum nervi fere ut in *Cynipe*; area costali ultima semper brevi, trigona, reliquis obsoletis; areola adjecta nulla. Femora subclavata. *Color* niger, pedum interdum rufus. *Motu* segnis. *Habitatio* imaginum in stercoratis et fungis putridis; individua feminea in his praeprimis versantur, ova forte depositura; mares vero tantum pro copulatione ibi etiam congregantur; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* antennis 14–15-articulatis, ano obtuso; *femina:* antennis brevioribus, 13-articulatis, abdomine longiori, ano acuto, stylo parum exserto. (Spec. Scand. 5, antennarum, scutelli abdominisque forma, ut et habitatione et victu, a genere *Cynipe* satis superque distinctae.)

*Subdiv.* 1. Alae subfumato-hyalinae, nervis infuscatis, nervo infra apicem anguli areae costalis ultimae usque ad marginem alae extenso, licet obsoleto. Antennae *maris* 15 articulatae.

**1. F. foveator:** subglaber, nitidus, laevis, niger, antennis pedibusque piceis, femoribus basi nigricantibus, scutello foveis tribus, ultima margine elevato; fronte deflexa. ♂♀.

Hab. in Lapponia secundum collectiones boreales, mihi in terris arcticis non obvius. (Lapponia; Ostrogothia et Scania, in stercore, tempore auctumnali passim.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 1[1] lin. longus. Caput subtransversum, infra antennas elongatum, deflexum. Antennae maris longitudine corporis, pubescentes, nigrae, feminae multo breviores, pilosae, piceae, articulis brevibus. Abdomen petiolo brevissimo, segmento primo maximo. Pedes rufo-picei, coxis et femorum basi nigris.

**2. F. mandibularis:** glaber, nitidus, laevis, niger, mandibulis pedibusque ferrugineis, scutello foveis tribus, ultima margine elevato; fronte subconvexa. ♂♀.

Hab. in Lapponiae Kemensis et Tornensis fungis terrestribus passim; ad Karesuando et Kihlangi dieb. 16-22. Aug. frequentius visus, e pupa *Dipteri* cujusdam quoque egressus. (Lapp.-Ostrogoth. et Scan., ubi *mas* in foliis fruticum saepe capitur.)

*Mas* et *Fem.* Praecedente duplo minor, ei affinis; differt fronte subconvexa, mandibulis rufis et thorace minime piloso. Antennae

aut nigrae, aut rufae, basi nigrae. Petiolus abdominis brevissimus, annulo spongioso cinctus. Nervi ad costam validi. Coxarum, saepe etiam femorum basis nigricans.

*Subdiv.* 2. Alae subalbidae, nervis tenuibus; nervulo infra apicem anguli areae costalis ultimae aut brevissimo, aut nullo. Antennae *maris* 14-articulatae.

**3. F. scutellaris:** subglaber, supra laevis, nitidus, niger, pedum geniculis omnibus, tibiis tarsisque anterioribus testaceis; scutello rugoso, basi bifoveolato. ♂♀.

Jurin. Hymenopt. p. 288. Latr. Hist. Nat. des Crust. et des Ins. Vol. 13. p. 210. — Idem Gen. Crust. et Ins. p. 19. et 1 Tab. 12. f. 4. ♀ f. 5. ♂. *Cynips scutellaris* Ross. Fn. Etrusc. Mant. 2. App. p 106.

Hab. in Lapponia rarissime, teste collect. D. Kolström in Muonioniska; mihi in provinciis borealibus non obvius. (Lapp.; Ostrog.; Gottland.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo praecedentis. Antennae nigro-piceae, maris subnudae, feminae subpilosae, articulo ultimo in utroque sexu incrassato, ovali. Caput subtransversum. Thorax supra pilosiusculus, bistriatus? subtus striatulus. Nervi alarum straminei, nervulo infra angulum areae costalis ultimae brevissimo; at nervus longitudinalis, qui ab apice summo hujus nervuli in marginem infra-apicalem descendit rectus, omnium obsoletissimus, et vix ejus vestigium apparet. Pedes maris ut in diagnosi; feminae plerumque ferruginei, coxis tantum et femorum macula superna nigris Stylus (oviductus) feminae subexsertus, longitudine quintae partis abdominis, oblique exsurgit.

**4. F. ciliaris:** glaber, laevis, nitidus, niger, tibiis tarsisque ferrugineis, scutello basi subbifoveolato, capite rotundato. ♀.

Hab. in Lapponia sylvatica rarissime; ad Wittangi Lapponiae Tornensis medio mens. Jun. tantum lectus. (Lapponia.)

*Fem.* Minimus in hoc genere A priori, cui affinis, differt praecipue: capite rotundato (nec subtransverso), alarum nervis obscurioribus, nervulo infra angulum areae costalis ultimae nullo, margine apicali alae distincte et longe ciliato, ut et magnitudine duplo minori. Antennae nigrae subpilosae, articulo ultimo non incrassato. Alae albo-hyalinae. Pedes nigri, geniculis, tibiis tarsisque ferrugineis. Stylus analis vix exsertus.

B. Antennae fractae. *)

## FAM. 6. PSILOTES. Fall. (*Proctotrupii* **) Latr. *Codrini* Dalm.)

### 29. Dryinus. Latr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 471. Dalm. *Gonatopus* Klug. Ljungh. *Cleptis* species Fall.

*Corpus* parvum, oblongum, glabriusculum, nitidum. Caput thorace latius. Antennae subfractae, versus os insertae, 10-articulatae, articulo primo modice elongato, 2do brevissimo. Oculi mediocres, ovales, subprominuli. Abdomen subovatum, breviter petiolatum. Pedes elongati, femoribus obclavatis, anticis praesertim incrassatis. Alae anticae areolis basalibus binis et stigmate crasso, ramulum arcuatim excurrentem emittente. *Color* corporis niger, membrorum pallidus. *Motu* agilis. Metamorphosis latet. *Victus* forte parasiticus. *Habitatio* in graminosis, in foliis plantarum, interdum etiam in foliis *Pini sylvestris*; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas:* minor, antennis linearibus, pubescentibus; tarsis anticis muticis; *femina:* antennis glabris (in Suecicis saepissime extrorsum subcrassioribus); tarsis anticis raptoriis, unguibus binis, interiori reflexo, ano acuto. Genus igitur hoc capitis forma, antennarum articulatione, alarumque ramulo stigmaticali in discum arcuatim excurrente, etc. a ceteris hujus familiae facile dignoscitur. (Species Scandinav. 12 *Gonatopo formicario* Ljungh.: thorace binodo, femina aptera, ut et *Dryino melaleuco* Dalm. et *Dryino atrato* Dalm.: areolis alarum nullis pedibusque simplicibus, ab hoc genere remotis et novis propriisque generibus jure insertis.)

---

*) Conferatur *Conspectus* Familiar. et Gener. Hymenopt. Lapponiae, ut divisio dichotomica, a nobis facta, facilius adhiberi possit.

**) Nomen hoc non nisi labore pronunciatur.

**1. D. ruficornis:** glaber, nitidus, ater, antennis elongatis tenuibus, flavo-testaceis, medio fuscis, mandibulis pedibusque lutescentibus, geniculis pallidioribus, metathorace punctatissimo, non cancellato. ♀.

Var. a. ♀. antennis testaceis medio subinfuscatis.

Dalm. Analecta Entomologica Holmiae an. 1823 p. 11.5. *Gonatopus ruficornis* Dalm. Act. Holm. 1818. p. 83. 9.

Var. b. ♀. antennis totis testaceis.

Hab. in graminosis et foliis plantarum, per partem sylvaticam Lapponiae Tornensis, versus finem mensis Aug. rarius; deprehenditur quoque in inferalpinis Finmarkiae, et in Pinu sylvestri ad Alten et Bossekop d. 5—8. Aug. inveni; var. b. tantum ad Kengis et Karesuando lecta. (Lappon.-Ostrogoth. passim: Scan. rariss.)

*Fem.* Parvus, licet in suo genere major, vix 1—1¹ lin. longus. Glaber vel pube tantum tenuissima tectus, subtilissime punctulatus. Antennae longitudine thoracis, tenues, nudae, articulo primo crassiori secundoque brevi, flavis, reliquis elongatis, subaequalibus, 3—5 fusco-rufescentibus, 6—10 testaceis. Frons vix sericeo-pubescens. Palpi et mandibulae rufescentes. Alae hyalinae, nervis et stigmate pallidis.

*Obs.* *Dr. ephippiger* ♀, *collaris* ♀, *flavicornis* ♂♀, *longicornis* ♀, *frontalis* ♀, *basalis* ♀, *brevicornis* ♂♀, *brachycerus* ♂♀, *fuscicornis* ♂ *et tenuicornis* ♂, in Analectis l. c. a D. Dalman ut in Suecia lecti describuntur; an quidam horum speciebus vel sexu tantum differant, ulterior docebit experientia. In Lapponia non nisi hic descripta species mihi obvia fuit.

### 30. Sparasion. Latr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 444. Fall.

*Corpus* minutum, elongatum, punctatum. Antennae breves, 12-articulatae, fractae, scapo elongato; clypeo versus os insertae. Oculi rotundi. Abdomen ovatum, depressum, 6-segmentatum. Alae subenerves, nervo tantum unico a basi ad medium, costam intus sequitur. Femora subclavata. *Color* niger. *Motu* agilis. *Habitatio* imaginum in graminosis; feminae foramina parietum et loca arenosa visitant, ova forte depositurae; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* antennis longitudine circiter thoracis, filiformes; *femina:* antennis thorace brevioribus, post mortem curvatis, stylis ex apice extimo abdominis prodientibus, interdum exsertis. (Spec. Scand. 3.)

**1. S. carinatus:** profunde punctatus, pilosus, niger, tibiis tarsisque anticis testaceis, fronte acute porrecta; alarum stigmate nigro, ramulum brevem emittente. ♂♀.

*Mas:* antennis longitudine thoracis, flagello recto, articulis oblongis, stylis analibus nullis.

*Fem.:* antennis thorace brevioribus, flagello fusiformi (in mortuis curvato), articulis brevibus, setis analibus 2, longitudine vix tertiae partis abdominis, pallidis.

Hab. in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Longit. 1¹ lin. Totus niger. Frons inter antennas transversim et attenuatim elevata. Thoracis segmentum anticum arcuatum. Metathorax utrinque tuberculatus. Abdomen longitudine reliqui corporis, ad basin transverse truncatum, metathoraci late adfixum. Alae fusco-hyalinae, nervorum parum vestigio, nervo auxiliari distincto fusco, stigmate nigricante, nervulum brevem in discum emittente. Pedes nigri, antici geniculis, tibiis et tarsis rufo-testaceis, posteriores geniculis, tibiarum apice et interdum metatarso ferrugineis.

**2. S. inermis:** punctatus subglaber, niger, tibiis tarsisque testaceis, capite rotundato, fronte inermi, alarum stigmate et ramulo obsoletis. ♂♀.

*Mas:* antennarum articulis brevibus, articulatione perspicua.

*Fem.:* antennarum articulis arctissime cohaerentibus, articulatione vix conspicua.

Hab. cum priori rarius. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedente duplo minor, fere glaber, seu pubescentia rarius obsitus. Antennae breviores, quam in praecedente (an 10—11 articulatae?) flagello fusiformi; in mare recto, saepe piceo; in femina nigro, basi curvato. Metathorax vix tuberculatus. Abdomen ut in priori, sed ad basin vix truncatum. Alae fumato-hyalinae, subenerves, nervo scilicet auxiliari et stigmate obsoletissimis, ramulo nullo. Pedes ferruginei, femoribus nigricantibus.

*Not.* Cel. Professor Fallén in Methodo Hymenopterorum species Sueciae 4 autumat, sed vere non nisi duas cognovit Clar. Vir, harum singularum mares et feminas ut distinctas species considerans.

## 31. Ceraphron. LATR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 446.

*Corpus* valde minutum, oblongum, duriusculum, glabrum aut pubescens. Antennae versus os insertae, fractae, thoracis circiter longitudine aut illo paullo longiores, filiformes aut in mare interdum ramosae; 11-articulatae, scapo capitis longitudine aut illo longiore. Oculi rotundi. Abdomen ovatum, brevissime et anguste pedicellatum. Alae enerves praeter nervum costalem tenuem a basi ad medium costae ductum; stigma notabile, magnum, rotundatum, nigrum, ramulum brevem emittens. Femora valida. *Color* niger. *Motu* agilis. *Habitatio* imaginum in foliis fruticum et in graminosis; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, antennis interdum radiatis; *femina:* ano acutiori, terebra interdum subexserta; antennis semper simplicibus; saepe aptera. (Spec. Scand. 15 et plures in Museo meo adsunt, genus notis allatis sat limitatum et dignotum efficientes.)

### *Sect.* 1. *Uterque sexus alatus.*

**1. C. ramicornis:** antennis 5-radiatis subglaber niger, tibiis anterioribus testaceis, alis albidis stigmate nigro. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi, inter Kengis et Karesuando rarissime lectus. (Lapp.-; Ostrogoth. rar.)

*Mas.* Parvus, vix ultra 1 lin. longus. Niger. Antennae thorace fere longiores, radiatae, radiis pubescentibus, distantibus, elongatis, quinis, ex apice articulorum 5 primorum flagelli excurrentibus. Thorax opacus, subtilissime punctulatus, subpubescens. Abdomen nitidum, laevissimum, glaberrimum. Genitale (vi exsertum) stylis 2 armatum se praebet. Femora valida, nigra; geniculis omnibus, tibiis tarsisque anterioribus fusco-testaceis.

**2. C. albipennis:** subtilissime punctulatus, subglaber, niger, tibiis tarsisque fusco-testaceis, alis albidis, stigmate nigro, thoracis dorso subopaco, tristriato, scutello apice rotundato. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Ostrogoth. pass.)

*Fem.* Magnitudo et affinitas prioris; an ejus femina? Antennae filiformes, nigrae, scapo basi interdum testaceo, flagello recurvato. Caput et thorax oculo armato subtilissime punctulata. Alae et abdomen ut in priori, ano acuto. Femora valida, picea, genubus, tibiis et tarsis fusco-testaceis.

**3. C. serricornis:** pubescens niger, antennis serratis, pilosis, fuscis, alis albidis stigmate fusco, abdomine glabro, basi piceo, tibiis tarsisque anterioribus fusco-testaceis. ♂.

Hab. in Lapponiae Tornensis graminosis aridis versus finem mensis Aug. rarissime. (Lapponia; Scania in Finetis ad Esperod d. 25. Jul. 1820 rarissime.)

*Mas.* Prioribus duplo minor. Caput et thorax punctulata, opaca, pubescentia. Antennae fronti fere insertae, pilosae, articulis 2—7 argute serratis, 8 — 11 oblongis, fuscis. Pedes picei, geniculis omnibus, tibiis tarsisque anterioribus fusco-testaceis.

**4. C. flavipes:** subglaber niger, pedibus flavis, alis subhyalinis, stigmate fusco. ♂♀.

Hab. in graminosis aridis Lapponiae Tornensis passim; ad Ofver-Torneå, Kengis et Karesuando dieb. 2. Jun. — 2. Sept. captus. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo *C. serricornis.* Niger. Caput rotundatum, subpubescens. Oculi hirti, in vivo nigri. Thorax subpubescens, dorso 3-striato. Alae hyalinae, stigmate et ramulo fusco-nigris, sub stigmate umbra fusca, haud late extensa. Abdomen nigro-piceum, nitidissimum, laevissimum, glabrum; individua ano obtuso forte mascula sunt, et ea ano acuto, feminea. Pedes toti flavi, coxis basi nigris.

Var. b. femoribus supra macula fusca notatis.

### *Sect.* 2. *Feminae apterae aut subapterae, ano acuto; scutello vix ullo.*

**5. C. subapterus:** subpubescens niger, pedibus ferrugineis, alarum rudimento. [illegible].

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; inter Karesuando et Kengis inventus, mens. Augusto. (Lapponia.)

*Fem.* Minutus, vix 1 lin. longus. Niger. Caput rotundatum, subpubescens. Oculi mediocres, ovati, hirti. Antennae thorace paullo longiores, filiformes, flagello ut in reliquis curvato, sed extrorsum vix crassiori; nigrae, scapo summa basi ferrugineo. Thorax subpubescens, uti caput subtilissime punctulatus, dorso tristriatus. Abdomen nitidum, laeve, glabrum. Alae longitudine vix dimidii abdominis, angustae, corpori adplicatae, albae. Pedes cum coxis ferruginei, femoribus validis, supra parum infuscatis.

**6. C. apterus:** subpubescens, subtilissime punctulatus niger, pedibus flavis, alis nullis. ♀.

Var. a. ♀. antennarum scapo toto testaceo.

Var. b. ♀. antennarum scapo basi testaceo.

Hab. in Betula, ad Muonioniska d. 17. Aug. rarius captus. (Lapp.-Scan. pass.)

*Fem.* Priori plerumque paullo minor. Caput, oculi, antennae et thorax ut in praecedente. Alarum loco seta brevis alba. Abdomen nitidum, laeve, glabrum piceum. Aculeus analis (vi exsertus) rufus. Pedes toti cum coxis flavi, femoribus validis.

**7. C. pallidus:** subpubescens, subtilissime punctulatus, rufo-testaceus, antennarum apice oculisque minutis nigris, alis omnino nullis. ♀.

Hab. in foliis fruticum Lapponiae sylvaticae, rarissime; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nordlandiae Norvegicae et ad Finkrog d. 25. Jul. captus. (Lapp.-Scan. pass.)

*Fem.* Magnitudo *C. apteri*, interdum paullo minor. Rufo-testaceus. Caput declinatum. Oculi valde minuti, granulati, nigri. Antennarum articuli 7 — 11, extrorsum sensim crassiores, nigri. Alarum ne quidem rudimentum. Abdomen laeve nitidum, supra pubescens. Pedes pallidi

*Not.* Ex his tribus proxime antecedentibus speciebus nulla individua mascula, quae forte alata sunt, neque in Lapponia neque in Suecia reliqua deprehendere mihi contigit.

## 32. Psilus. PANZ.

FALL. Disposit. Hymenopt. gen. 35. JURIN. PANZ. *Diapria* LATR.

*Corpus* minutum, tenue, elongatum, clavatum, pubescens. Antennae elongatae 12—15-articulatae, subfractae, forma variae, in medio faciei scapo elongato insertae. Caput rotundatum. Oculi rotundi. Mandibulae validae, dentatae. Abdomen clavatum aut subdepressum, nitidum laevissimum, interdum glabrum, segmento primo maximo antice in petiolum coarctato. Alae elongatae, villosae, aut ad costam parum nervosae, aut enerves; areis vix ullis. Femora clavata. *Color* niger. *Motu* tardus. *Habitatio* imaginum in graminosis et foliis fruticum; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* antennis 14—15-articulatis; ano obtusiori; *femina:* antennis 12—15-articulatis, ano minuto, oviductum tubulosum includente. (Spec. Scand. 24, in tria genera posthac dispescendae.)

### *Sect.* 1. *Caput depressum, horizontale, obtuse ovatum. Alae enerves, s. nervorum vestigium.*

**1. Ps. cornutus:** subpubescens laevis nitidus niger, tibiis tarsisque testaceis, antennis elongatis filiformibus; ore retracto cornuto. ♂♀.

*Mas:* antennis longitudine corporis, 14-articulatis, abdominis petiolo lato, trisulcato; genitale (interdum exserto) curvato rufo intra stylos 2 breves ejusdem coloris.

*Fem.* paullo minor, antennis brevioribus, 12-articulatis submoniliformibus, extrorsum crassioribus, articulo ultimo antecedentibus crassiori, ovato.

Var. a. ♂♀. antennis maris 14-, feminae 12-articulatis, pedibus nigris, tibiis tarsisque testaceis.

PANZ. Fn. Germ. 83. 11. [illegible]

Var. b. ♂. antennis 15-articulatis, pedibus totis nigris.

Hab. in gramine et foliis fruticum Lapponiae sylvaticae rarius; varietatem b. tantum ad Kengis d. 22. Aug. legi. (Lapp.-Ostrog. pass. Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Major in hoc genere, longitud. scilicet 1 — $1\frac{3}{4}$ linear. Antennae pubescentes, articulis distinctis, lamina frontali basi subtus tectae. Alae fusco-hyalinae, enerves seu vix rudimento nervorum, costa basi ciliata. Femora clavata, picea. Abdominis petiolus elongatus, distinctus.

### *Sect.* 2. *Caput rotundatum. Antennae protuberantiae in medio faciei insertae. Abdomen petiolatum, petiolo saepius sulcato. Corpus laeve, nitidum. Alae ad costam nervosae, nervo scilicet auxiliari perspicuo ad medium costae ducto, areis 2 elongato-triangularibus, una basi juxta nervum auxiliarem, et altera ad costam pone punctum stigmaticale; ex hac area excurrit nervulus

***versus basin flexus, plerumque brevis. Nervorum 2 longitudinalium saepe rudimentum.***
***Belyta*** LATR.

**2. Ps. congener:** subpubescens niger, antennis 15-articulatis moniliformibus extrorsum crassioribus, basi pedibusque ferrugineis; abdominis petiolo alarumque area costali ultima mediocribus. ♂♀.

***Mas:*** ano acuto, antennis thorace fere longioribus, scapo praesertim longo, articulo ultimo oblongo-ovato.

***Fem.:*** saepe minor, ano acuminato, antennis thorace fere brevioribus, crassioribus quam in mare, magisque pilosis, articulo ultimo breviter ovato.

Hab. in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. pass.)

***Mas*** et ***Fem.*** *Ps. cornuto* plerumque paullo minor; sed variat magnitudine. Totus pubescens seu subpilosus. Niger. Antennae ferrugineae, extrorsum nigrae aut fuscae; etiam in femina, ni valde fallor, 15-articulatae. Oculi parvi, granulati, nigri. Metathorax postice bidentatus. Alarum nervi sat distincti. Abdominis petiolus sulcatus s. rugosus. Abdominis segmentum secundum ad basin nigro-piceum. Pedes cum coxis ferruginei.

**3. Ps. elongator:** subpubescens niger, antennis setaceis 15-articulatis basi, pedibusque ferrugineis; abdominis petiolo elongato; alarum nervis costalibus distinctis, area costali ultima brevi. ♀?

Hab. cum praecedente rarius. (Lappon.-Ostrogoth. freq. Scan. rar.)

***Fem.!*** Magnitudo prioris, a quo praesertim differt: antennis et petiolo abdominis longioribus. Niger. Antennae longitudine fere corporis, articulis basalibus praeprimis elongatis, apicalibus brevioribus; rufae, extrorsum nigrae. Oculi ovati, subexserti, hirsutuli. Metathorax postice vix spinosus. Petiolus valde elongatus, sulcatus. Abdomen clavato-lanceolatum piceum, ano acuminato. Alarum area costalis ultima brevis, angusta, e qua excurrit nervus, aream costalem intermediam cum nervis oppositis formans. Pedes ferruginei, coxis posticis piceis.

**4. Ps. excisor:** subpubescens niger, antennis setaceis longitudine fere corporis, 14-articulatis, articulo tertio exciso, basi pedibusque ferrugineis; abdominis petiolo medi ci; alarum nervo costali distincto, area costali ultima elongata. ♂?

Hab. in Lapponia rarissime, inter Kengis et Karesuando d. 20. Augusti unicum individuum inveni; etiam ad Bjørkvik Nordlandiae septentrionalis d. 14. Jul. rarissime captus. (Lapponia.)

***Mas!*** Magnitudo *Ps. congeneris*. Breviter pubescens niger. Antennae elongatae, setaceae, articulo primo (scapo) mediocri, secundo brevissimo, reliquis subaequaliter longis; tertio hotum basi subtus curvato s. exciso; aut rufae, apice nigricantes, aut totae fuscae. Oculi mediocres. Metathorax non spinosus. Petiolus crassiusculus, parum elongatus, rugosus. Abdomen piceum, apice deflexo, parum acuminato, et exinde masculum conjicio. Alae ut in *Ps. congenere* nervosae, at area costali ultima in *Ps. excisore* multo longiori quam in illo. Pedes cum coxis ferruginei. Variat etiam coxis piceis.

*Not.* Cum *Psilo inciso* mihi in Ostrogothia occurrenti, qui antennarum articulo 3tio etiam exciso gaudet, sed abdominis petiolo multo longiori, alarum area costali ultima breviori, antennis tenuioribus et corpore fere glabro diversus, non confundendus.

**5. Ps. affinis:** subpilosus niger, antennis setaceis, corpore paullo brevioribus, 14-articulatis articulo tertio exciso; basi pedibusque ferrugineis; abdominis petiolo elongato; alarum nervis costalibus distinctis, area costali ultima brevi. ♂?

Hab. cum priori paullo frequentior; etiam in fungo Betulae ad Meraslinka Lapponiae Tornensis d. 10. Jun. captus. (Lapponia-Botnia borealis in graminosis aridis ad Johannis Ro mense Septembr.)

***Mas!*** Magnitudo prioris, eique affinis et similis sed differt: corpore magis piloso, antennis minus elongatis, articulis scilicet paullo brevioribus, petiolo minus crasso, sed paullo longiori, ut et alarum area costali ultima parva et angusta. Antennae quoque paullo obscuriores. In ceteris similes sunt hae duae species.

**6. Ps. acuminatus:** glabriusculus niger, abdomine lanceolato, rufo-piceo, antennis filiformibus, corpore brevioribus, 15-articulatis, rufis, apice moniliformibus fuscis; abdominis petiolo elongato; alarum nervis costalibus distinctis, area costali ultima brevi. ♀?

Hab. in Lapponia mense Augusto rarissime. (Lapponia.)

***Fem.?*** Magnitudo *Ps. congeneris*. Antennae thorace una cum petiolo abdominis parum longiores, filiformes, scapo mediocri, articulo secundo brevissimo, tertio iterum elongato, reliquis sensim brevioribus, ultimis paullo incrassatis, moniliformibus et apicali majori ovato; rufo-testaceae, apice fuscae. Metathorax non spinosus, sed apice margine elevato. Abdomen lanceolatum apice acuminato, sursum subflexo; rufo-piceum, ano dilutiori, petiolus modice incrassatus, elongatus, laevis niger. Alae fere ut in *Ps. elongatore*. Pedes rufo-testacei.

**7. Ps. fuscus:** subpubescens niger, antennis 14-articulatis filiformibus, apice moniliformibus, thorace parum brevioribus, in medio, pedibusque rufis, coxis et abdomine piceis, petiolo brevi, alarum nervis costalibus distinctis, area costali ultima mediocri. ♀?

Hab. in Lapponia rarissime; ad Finkrog Nordlandiae septentrionalis die 25. Jul. captus. (Lapponia Norvegica.)

***Fem.?*** Minoribus individuis *Ps. elongatoris* aequalis. Parum pubescens niger. Antennae breviusculae extrorsum moniliformes, articulis 1 apice, 2 et 3 totis rufis. Abdomen piceum, apice parum acuminatum, petiolo breviusculo. Alae ut in *Psilo congenere*. Pedes ferruginei, coxis piceis.

---

## 33. Codrus. PANZ.

FALL. Disposit. Hymenopt gen. 36. PANZ. JURIN. *Proctotrupes* LATR.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum, utrinque attenuatum, nitidum, tenuissime sericeo-subpubescens. Antennae elongatae, rectae, filiformes, 13-articulatae, scapo parum elongato, inter oculos sub fronte insertae. Mandibulae edentulae. Oculi ovati parvi. Metathorax elongatus scaber. Abdomen utrinque attenuatum, segmento primo maximo, subcampanulato. Pedes simplices. Alarum nervi costales bini approximati paralleli, quorum interior seu auxiliaris punctum stigmaticale ambiens, areolam parvam formans; reliqui obsoleti. *Color* niger, ferrugineus. *Motu* agilis. *Habitatio* in foliis fruticum, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in ano *maris* acuto, bistylato; in *feminae* cauda cornea, longe exserta, declinata, non retrahenda, mox detegitur. (Spec. Scand. 5.)

**1. C. gravidator:** antennis subsetaceis niger, abdominis segmento primo pedibusque ferrugineis, coxis nigricantibus. ♂♀.

*Ichneumon gravidator* LINN. Fn. Sv. 1622. *Banchus gravidator* FABR. Piez. 128. 10. *Proctotrupes campanulator* AHRENS. Fn. Eur. Fasc. 5. f. 16. ♂. b. — ♀. c. certe.

Hab. in Lapponiae sylvaticae fruticibus rarissime. (Lappon.-Ostrogoth. pass. Scan. rar.)

***Mas*** et ***Fem.*** In suo genere magnus, circiter 4 lin. longus. Caput transversum. Antennae thorace paullo longiores, articulo 1mo ovato, 2do brevissimo, reliquis elongatis cylindricis, aequalibus; pubescentes. Palpi fusco-testacei. Abdomen laevissimum, subglabrum, ano saepius nigro. Individua mascula viva ex ano emittunt iterumque retrahunt lamellas 2, more *Vesparum*: hae lamellae stylos 2 corneos acuminatos in mortuis formant. Alae subfumato-hyalinae, stigmate nigricante; nervulis ut in diagnosi. Pedes rufo-testacei.

**2. C. niger:** antennis filiformibus niger, pedibus testaceis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. antennis totis nigris.

Var. b. ♂♀. antennis aut totis, aut basi plus minusve rufis.

PANZ. Fn. Germ. 85. f. 9. ♂. (a Cel. LATR. pro femina forsitan immerito habitus. Cfr. LATR. Gen. Crust. et Ins. Tom. 4. p. 38. sub Synon. Generis *Proctotrup.*)

Hab. cum praecedente rarius. (Lapp.-Scan. pass.).

***Mas*** et ***Fem.*** In copula capti. Priori duplo v. triplo minor, praesertim mas; alias et praeter colorem *C. gravidatori* simillimus. Antennae tamen in *C. nigro* paullo breviores et validiores videntur. Abdomen nigrum, basi raro piceum. Pedes testacei, coxis saepe fusco-ferrugineis.

---

## 34. Platygaster. LATR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 451. *Psili* species FALL.

*Corpus* minutum, oblongum, utrinque subobtusum (ano in *Pl. gladiatore* acuminato), glabriusculum. Antennae fractae, extrorsum paullo crassiores, 10-articulatae, articulis discretis, scapo longissimo, ad os insertae. Mandibulae apice bidentatae. Oculi ovati parvi. Metathorax brevis. Abdomen subdepressum, apice parum acutum, ad basin sensim angustatum; segmentis quinque, quorum primo maximo pone dimidiam abdominis partem descendente, analibus retractis. Femora vix clavata. Alae enerves. *Color* niger. *Motu* agilis. *Habitatio* in graminosis et terra, locis cultis, per partem

sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* ignota, nisi anum acutiorem vel obtusiorem in diversis individuis pro nota sexuali assumere velis. (Spec. Scand. 7.)

*Sect.* 1. *Abdomen subclavatum. Scutellum elevatum. Femora subclavata.*

**1. P. bifracticornis:** parum nitidus niger, antennis bifractis rufis, articulis 6 ultimis crassioribus nigris aut fuscis, pedibus luteis. ♀?

Hab. ad Giebostad in insula Senjen Nordlandiae septentrionalis die 22. Jul. inventus, rarius. (Lappon.-Ostrogoth.-Scan. rar.)

*Fem.!* Parvus, vix ultra 1 lin. longus. Subtilissime punctulatus, antice praesertim parum nitidus, totus niger. Caput rotundatum, exsertum. Antennae longitudine circiter thoracis, articulo primo (scapo) longissimo, suberecto rufo, tribus sequentibus simul sumtis scapo brevioribus, angustioribus deflexis, etiam rufis, 6 ultimis paullo crassioribus subcyathiformibus, apicali ovato, discretis, simul sumtis scapo parum longioribus, nigris aut fuscis, suberectis, unde antenna bifracta videtur. Abdomen capite thoraceque paullo longius, subdepresso-clavatum, antice angustatum. Alae abdomine paullo longiores, totae ideoque etiam in costa enerves. Pedes lutei, coxis nigris, femoribus clavatis. — An femina sequentis!

*Not.* Specimina, quae in Ostrogothia leguntur, interdum pedibus posticis nigricantibus et corpore magis ruguloso gaudent; vix vero diversae speciei.

**2. P. unifracticornis:** parum nitidus niger, antennis unifractis, articulis omnibus subaequaliter crassis pedibusque luteis. ♂?

Hab. in Bjorkvik ad Ofotenfjord Nordlandiae septentrionalis d. 14. Jul. captus, rarius. (Lapponia; Olandia; Ostrogothia; Scania rar.)

*Mas!* Magnitudo praecedentis eique in omnibus simillimus praeter formam et colorem antennarum, an ejus mas! - Antennae scilicet thorace paullo longiores, articulo primo longissimo ut in praecedente, et suberecto, reliquis fere aequaliter crassis et longis subcylindricis, excepto apicali longiori apice oblique acuminato, omnibus deflexis, unde unica tantum fractura in antenna videtur; totae rufae, articulo ultimo apice fusco.

*Not.* Specimina Scanica antennis extrorsum fuscis interdum variant.

*Sect.* 2. *Abdomen pone petiolum depressum, rotundatum s. suborbiculatum (in specie nostra ultima ano producto). Scutellum rotundatum. Femora subclavata. Species minutissimae, Pulice minores.*

**3. P. minutus:** parum nitidus niger, pedibus concoloribus, tibiis tarsisque anticorum totis, posteriorum basi testaceis, ano rotundato. ♂?

Var. a. ♂? pedes nigri, anticorum tibiis tarsisque totis, posticorum tantum basi testaceis.

Var. b. ♂? pedes nigri, tibiis tarsisque omnibus basi testaceis.

Hab. in Finmarkia occidentali, ex. gr. in Bossekop, in fol. Salicum d. 5. Aug. rarius; in Nordlandia septentrionali passim; ad Bjorkvik die 14. Jul. tamen frequentiorem vidi; in Lapponia Suecica non nisi ad Torneåträsk d. 8. Jul. captus; varietatem b. tantum ad Giebostad d. 22. Jul. legi. (Lapponia; Ostrogothia rar.)

*Mas!* Minutus, pulice duplo minor. Caput subrotundatum, collo brevi tenui exserto. Antennae thoracis fere longitudine, nigrae v. fuscae, scapo recto sursum oblique descendente, flagello filiformi, basi declinato, externis arcuatim recurvato. Abdomen glabrum nitidum, supra et subtus parum convexum, ano (in nostris subobtuso; an specimina mascula? (in individuis Ostrogothicis ano magis acuto, an femineis?). Alae abdomine multo longiores. Pedes ut in diagnosi.

**4. P. parvulus:** subnitidus niger, tibiis tarsisque testaceis, ano rotundato. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi sylvatica rarius, ad Kengis et Karesuando mense Aug. inventus. (Lapponia; Ostrog. rar.)

*Mas.* Priori simillimus, sed duplo minor, magis nitidus, et tibiae tarsique in hoc pallidiora videntur.

*Not.* Individuum, quod in Scania ad Abusa inveni, antennis paullo brevioribus et ano distincte acuto gaudet; an hujus femina vel species nova!

**5. P. gladiator:** nitidus niger, tibiarum basi tarsisque testaceis, ano longissime producto, ensiformi. ♀?

Hab. in Nordlandia septentrionali rarissime, in insula Hacksten prope Schiervoe d. 28. Jul. captus. (Lapponia Norvegica, Gottlandia in insula Fårön die 14. Jul. 1819: nec non Scania in graminosis et foliis Quercus ad Esperöd d. 10—21. Aug. 1820, rarius.)

*Fem.!* Magnitudo *Platyg. parvuli*, angustus et tener, totus glaber nitidissimus niger, ano ensiformi valde insignis. Abdominis scilicet segmenta ultima, in speciebus antecedentibus brevissima, retracta, in hac ita producuntur, ut ensem longitudine fere dimidii corporis horizontaliter exsertum, depressum, versus apicem sensim attenuatum forment. Alae quoque, quae in reliquis speciebus hyalinae sunt, in hac et praesertim in speciminibus, quae in Suecia inferiori cepi, magis albescunt. De cetero caput, antennae, thorax, alae et pedes omnino ut in prioribus constructa sunt, quare nullum aptius cognovi genus, cui speciem ob ani structuram tantum anomalam inserere potui. Antennae breviores sexum femineum prodere videntur.

*Obs.* E generibus Latreillianis huic Familiae bene adjungendis *Scelio*, *Teleas* et *Anteon*, species quaedam Suecicae salutantur; sed harum forsitan nullas agnoscit nostra Fauna, saltem nullae mihi in Lapponia obviae.

---

## FAM. 7. PTEROMALINI DALM.°) (*Diplolepis* FALL. BILLB. *Cynipsera* LATR.)

*Sect.* 1. *Pedes postici femoribus crassis, tibiis arcuatis. Corpus mediae aut minoris magnitudinis (non minutum).*

Huic Sectioni inseritur genus *Chalcis* Auctorum, species Sueciae 7 continens, in Lapponia forte peregrinus.

*Sect.* 2. *Pedes omnes simplices, tibiis rectis. Corpus minutum saepe minutissimum.*

*Phalanx* I. *Alarum nervus auxiliaris s. submarginalis in costam ante medium adscendit, ibique ut marginalis productus (nec mox abruptus) pone stigma saepius continuatur.*

Tribus 1. Antennae articulis 8—11. Frons (facies) vix impressa.

### 35. Eurytoma. ILLIG.

DALM. Pteromal. Gen. 4. LATR. ILLIG. *Diplolepis* spec. FALL. *Pteromali* spec. SWEDER.

*Corpus* minutum, longulum, punctatum glabriusculum, subdurum. Antennae medio faciei insertae, articulis 8—10, saepius discretis. Collare magnum transverso-quadratum. Abdomen subcompressum. Alae nervo costali distincto, crassiusculo, ramulo stigmaticali brevi obliquo, apice clavato, clava appendicula laterali. *Color* obscurus, saepius niger, raro pallidus, nunquam metallicus. *Motu* parum agilis. *Habitatio* in graminosis et plantis variis; praesertim vero capitula Carduorum visitat, ova in larvis insectorum, quae his capitulis inhabitant, depositura, per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* antennis longioribus, articulis nodosis vel inaequalibus, verticillato-pilosis; *femina:* antennis brevioribus, submoniliformibus, abdomine subtus carinato, oviductus apice exserto. (Spec. Scand. 16.)

**1. E. appendigaster:** oblonga punctata atra, alis albidis, geniculis tarsisque testaceis, abdomine petiolato, crasso, conico, adscendente. ♂♀.

*Mas:* antennis 9-articulatis, nodis distinctis subquadratis verticillato-pilosis, ano obtuso.

*Fem.:* paullo major robustior, antennis 8-articulatis simplicibus, extrorsum subcrassioribus; totis pubescentibus; abdomine magno compresso, minus longe petiolato, ano acuto.

*Pteromalus appendigaster* SWEDER. Act. Holm. 1795. pag. 217. 6. ♂. *Cynips Serratulae* FABR. Piez. 147. 18. ♂♀. *Chalcis Abrotani* PANZ. Fn. 76. f. 14. ♂. — (*Eucharis compressa*,

°) FORSÖK till Uppställning af Insect-Familjen *Pteromalini*, i synnerhet med afseende pa de i Sverige funne arter; af I. W. DALMAN; Actis Reg. Acad. Scient. Stockh. Anno 1820 insertum; cum Tab. 2 aeneis. In hac opella hic charater Familiae datur: *Pteromalini*, antennae fractae, extrorsum crassiores etc. etc. Conf. DALMAN.

quae forte est *Figitis* generis, huc ut femina vix referri potest, quamquam ita voluerunt D. D. Panz. et Latr.)

Hab. in Lapponia Tornensi rarius, etiam in insula Hacksten Nordlandiae septentrionalis d. 28. Jul. inveni. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* In suo genere major, *Chalcidi rudi* parum brevior, sed multo angustior, circiter 1[1] lin. longa. Caput et thorax distincte punctata. Petiolus abdominis elongatus oblique descendens. Abdomen vero elevatum, ovatum, glaberrimum, nitidum laevissimum. Alae albido-hyalinae; nervus auxiliaris in medio marginis ad costam adscendit, ibique sat crassus breviter continuatur, at paullo pone stigma productus ad ramuli stigmaticalis apicem opposite desinit.

**2. E. guttula:** elongata punctulata atra, alis albido-hyalinis, geniculis tarsisque pallidis, collaris antico utrinque guttula flava, abdomine parum adscendente. ♂♀.

*Mas:* antennae thoracis longitudine, 9-articulatae, articulis oblongis subverticillato-pilosis, articulo ultimo elongato, acuminato; abdomen distincte petiolatum, ovatum, parvum; ano obtuso;

*Fem.:* antennae thorace paullo breviores, 8-articulatae, simplices, moniliformes, extrorsum subcrassiores, articulo ultimo oblongo; totae pubescentes; abdomen vix petiolatum, oblongum, ovatum, ano acuto; terebra in uno individuo, vi ad longitudinem fere abdominis erupta, rubra; in copula

Hab. in Nordlandia septentrionali rarissime, in Finmarkia occidentali frequentius, ibique in monte subalpino Gamstenstind d. 30. Jul. in copula inveni. (Lapponia; Olandia; Scania rar.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedente non brevior, sed paullo angustior, unde statura magis elongata; differt inprimis ab illa: antennarum nodis in mare minus dilatatis, abdomine minore, thorace in utroque sexu subtilius punctulato anticeque ad latera guttis seu maculis 2 flavis. Alae quoque minus albescunt; sed directio nervorum eadem et similis. Genua, tibiae et tarsi pedum anticorum flava. Antennarum articulus secundus in femina saepe apice pallidus.

**3. E. biguttata:** oblonga distincte punctata atra, alis albidis, macula stigmaticali nigricante, geniculis tarsisque pallidis, collaris antico utrinque guttula flava, abdomine subpetiolato, subcompresso ♀.

*Pteromalus biguttatus* Swed. Act. Holm. 1795. p. 216. 5. ♀. certissime. Forte etiam *Diplolepis stigma* Fabr. Piez. 152. 21. alis obscurioribus.

Hab. in Lapponia, Collect. Dom. Deutschii, mihi in terris borealibus non obvia. (Lapponia; Uplandia d. 30. Jul. Swed.-Ostrogothia, Scania ipse, mense Jun. — Sept. pass, e Quercus galla exclusa.)

*Fem.* Magnitudo et summa *Eurytomae appendigastri* similitudo, nec differt ab illa nisi collaris maculis flavis, et alarum macula stigmaticali oblongo-quadrata, nigricante, per quam petiolus ramuli stigmaticalis intra costam translucet incrassatus niger. Genua, tibiae et tarsi pedum anticorum flava, linea tibiarum extra nigra. Abdomen lenticulare, compressiusculum, laevissimum nitidum, oviductus apice prominulo. Antennae nigro-fuscae.

Variat interdum minor.

**4. E. minuta:** elongata, distincte punctata atra, alis albidis, nervis, pedum geniculis tarsisque pallidis, abdomine subpetiolato, oblongo-ovato, parum compresso, subelevato ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi sylvatica, ut ad Muonioniska et Kengis passim; adscendit quoque in regionem subalpinam et inter Alten et Kautokeino Finmarkiae d. 10—13. Aug. inventa; ad Torneå et Johannis Ro Botniae borealis d. 1. et 2. Sept. etiam capta. (Lapponia; Botnia —?)

*Fem.* Statura fere *Euryt. guttulae* (No. 2), sed paullo minor, punctura profundiori, at praesertim maculis collaris flavis nullis distincta. Nigra. Caput et thorax punctata, subglabra, facie parum sericeo-pubescente. Os testaceum. Antennae nigro-fuscae, subpubescentes, articulis brevibus rotundatis, ultimo paullo crassiori, oblongo. Abdomen ovatum, parum compressum, laevissimum, nitidum glaberrimum, petiolo brevi, proportione corporis sat crasso; ano acuto. Alae hyalinae, nervis fusco-stramineis. Pedes nigri, antici femoribus apice late, tibiis tarsisque flavis, striga tibiarum extus nigra; posteriores geniculis, tibiarum apice tarsisque flavis.

*Obs.* In serie systematica heic inserenda sunt genera *Spalangia* Dalm. Latr.: antennis juxta os insertis, 10-articulatis; capite oblongo (nec transverso), abdomineque longe petiolato; et *Perilampus* Dalm. Latr.: antennis brevibus medio frontis insertis, 10—11-articulatis, capite magno, fronte sulcata, thorace profunde punctato, abdomine breviter trigono; haec vero genera, quorum prius unicam, et posterius quinque, continet species Scandinaviae, ad Faunam nostram Lapponicam vix pertinent.

---

## 36. Torymus. Dalm.

Dalm. Pteromal. Gen. 7. *Cynips* Latr. *Cynipedis* et *Diplolepis* species Fabr. *Diplolepis* species Fall. *Pteromali* species Sweder.

*Corpus* minutum, elongatum, subglabrum, nitidum. Antennae medio faciei aequalis insertae, 11-articulatae, flagello tereti, articulis contiguis. Abdomen subcompressum. Oviductus longe exsertus. Alae nervo marginali costam sequente, ramulo stigmaticali brevissimo, punctiformi, a nervo costali parum remoto. Spatium inter nervum auxiliarem et stigma, mediocriter longum. *Color* saepissime viridi-aureus, sericeus. *Motu* haud agilis. *Habitatio* praesertim in *Cynipedum* larvis, quibus gallam perforans aculeo elongato inserit ova; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus* in ano *maris* mutico, vel stylo brevi armato, feminae oviductu exserto, longitudine abdominis, interdum totius corporis consistit. (Spec. Scand. 30 et ultra.)

**1. T. Bedeguaris:** aeneus vel viridis, abdomine aurato splendido, antennarum scapo in femina pedibusque in utroque sexu luteis. ♂♀.

*Mas:* femina paullo minor angustior, colore plerumque magis virescenti; antennarum scapo aeneo, radicula, raro scapo subtus basi, ferrugineis; abdomine haud compresso, stylo anali brevi incurvato, apice nigro, setis nullis.

*Fem.:* paullo robustior, antennarum scapo luteo, supra ad apicem nigro-lineato; abdomine longitudine thoracis, ovato, compresso, semper aeneo vel viridi-aurato, splendido, basi viridi, cauda longitudine corporis, recta, nigra pubescenti, apice non incrassato; in copula.

*Ichneumon Bedeguaris* Linn. Fn. Sv. 1634. ♀. de Geer Ins. 2. p. 877. 10. ♂♀. *Diplolepis Bedeguaris* Fabr. Piez. 150. 6.

Var. b. ♂. coxis omnibus auratis, femoribus posticis extus in medio viridi-submicantibus; antennis brevioribus: thoracis dorso viridi-caerulescenti

Hab. in Lapponia sylvatica, rarius; varietatem b. tantum ad Kengis d. 22. Aug. inveni. (Lapp.-Scan., e Bedeguare Rosae, etiam e gallis Quercus, Fagi, Salicis etc. saepe excludendum vidi.)

*Mas.* et *Fem.* Mas paullo ultra 1 lin. longus, femina dimidio, interdum fere duplo major. Caput subexsertum, transversum, subtilissime strigulosum. Mandibulae testaceae. Oculi ovati. Antennae longitudine thoracis, validae, extrorsum subcrassiores, 10-articulatae, articulis coadunatis. Alae hyalinae, immaculatae. Nervus marginalis parum ultra apicem ramuli stigmaticalis parvi et brevis in costam productus. Pedes validiusculi, lutei, coxis posticis aeneo-auratis.

**2. T. viridissimus:** laete cyaneo-viridis, antennis brevioribus, extrorsum crassioribus nigris, scapo discolore, femoribus viridibus, tibiis pallidis vel infuscatis. ♂♀.

Var. a. ♀ viridi-cyaneus, antennis nigris scapo aeneo, radicula subferruginea, pedibus viridibus, tibiis infuscatis, geniculis tarsisque pallidis, cauda corpore duplo longiori, nigra, subpubescente, apice minime incrassato. (Lapp. rar.-Ostrog. et Scan. in Carduo lanceolato, etiam e gemmis imbricatis Quercus egressus; passim.)

Var b. *T. Tipulariarum* ♂♀. in copula: laete viridis, certo situ cyaneo-micans, antennis nigris, scapo in mare aeneo, radicula ferruginea, in femina subtus ultra medium pedibusque in utroque sexu flavis, femoribus, praesertim posticis late viridi-annulatis, tibiis posticis in medio infuscatis, tarsis albidis, unguibus nigris; ore pallido; cauda feminarum vix corporis longitudine. (Lapponia rariss.-Ostrogothia; Gottlandia, Scania, freq.; e pupis *Tipularum* in tuberculis ramulorum Salicis, tempore vernali, saepe egressus.

*Pteromalus Bedeguaris* Swed. Act. Holm. 1795. 219. 10. certe (exclus. Syn. Linn. Fn.).

Var. c. ♀. paullo minor, magis tener, obscure viridi-cyaneus, antennis nigris, scapo aeneo, radicula et ore ferrugineis, pedibus virescentibus, geniculis, tibiis tarsisque pallidis, tibiis in medio late infuscatis; cauda longitudine corporis et ultra. (Lappon. inter Muonioniska et Kengis mense Aug. rarissime captus.)

Var. d. ♀. longitudine varietatis c. robustior, viridi-cyaneus, antennis nigris, scapo aeneo, radicula picea, pedibus viridibus, geniculis summis tarsisque testaceis, cauda abdomine vix longiore. (Lapponia; in insula Hacksten prope Schiervoe Nordlandiae septentrionalis 2 specimina d. 28. Jul. inveni.)

Hab. haec species in Lapponia locis enumeratis, rarius. Vix cohabitant hae varietates satis diversae; sed ex individuis paucis, quorum non nisi altero sexu gaudeo, distinctas species formare nolui. Varietas vero b. magis discrepans, forte propriam speciem efficit. (Lapp.-Scan. var. a. b. pass.)

***Mas.*** et ***Fem.*** ***T. Bedeguaris*** plerumque paullo minor, praesertim var. c. et d. Caput subtilissime punctulatum, palpis plerumque pallidis. Antennae longitudine dimidii thoracis, validae, 10-articulatae, articulis imprimis ultimis arcte coadunatis. Alae hyalinae, omnino immaculatae, nervis ut in priori. Pedes validi, ut in praecedente inermes

***Obs.*** Huic generi subjici debent incolae Sueciae: ***Tor. pipunctatus*** (*Pteromalus* idem SWED.), ***T. Cynipedis*** (*Ichneumon* idem.), ***T. purpurascens*** (*Diplolepis* eadem FABR.), ***T. nigricornis*** (*Diplolepis* eadem FABR.), ***T. cyaneus*** (*Diplolepis* eadem FABR.) et ***T. Juniperi*** (*Ichneumon* idem LINN.), in Lapponia mihi non obviae.

***Obs.*** *Eupelmus* DALM., genus antennis extrorsum crassioribus, apice arcuatis, 10—11-articulatis, articulis valde contiguis; pedibus intermediis elongatis, tibiis apice spina armatis, articulo primo tarsorum magno, subtus ciliato; oviductu exserto, alarumque nervis ut in *Pteromalo* directis, distinctum, e quo species quatuor Sueciae sexu tantum femineo cognitae, ad Faunam nostram vix numerantur.

— - - - -

## 37. Pteromalus. SWED.

DALM. Pteromal. Gen. 8 SWED. LATR. (non FALL.) *Diplolepis* et *Cleptis* species FABR.

*Corpus* minutum, statura varia, glabrum, saepe parum nitidum. Antennae medio faciei aequalis insertae, scapo tenui tereti, flagello paullo crassiori simplici, articulis 9 – 10 contiguis. Abdomen depressiusculum, aut elongatum aut breve. Oviductus non exsertus. Alae ramulo stigmaticali distincto, in discum alae descendente. Spatium inter nervum auxiliarem et stigma, breve, at nervus costalis ultra apicem ramuli stigmaticalis saepe productus. *Color* aeneus, virescens, raro (in suecicis) nigricans. *Motu* haud agilis, volatu saliente aufugiens. *Habitatio* in foliis fruticum, in ligno recenti etc. feminae saepe in truncis arborum emortuarum deprehenduntur; e pupis Papilionum interdum excluditur; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* ano mutico; *femina:* abdomine subtus carinato, oviductu non exserto, in carinula ventrali occultato, ano acuminato, adscendente. (Spec. Scand. 79 a D. DALMAN l. c. numerantur, quibus 10 et plures, deinde detectae, accedunt, ita ut eo modo plus quam 90 species pro Fauna Suecica denominatae exstarent. Harum vero haud paucae forte non nisi sexu differunt.)

### *Sect. 1. Alae fusco-maculatae.*

**1. Pt. quadrum.** viridi-aeneus, antennis nigris, scapo abdominis basi in mare, pedibusque in utroque sexu, luteis, alarum maculis duabus costalibus quadratis atris. ♂♀.

*Diplolepis quadrum* FABR. Piez. 152. 16. ♂. certe. *Ichn. quadrum* Ent. Syst. 2. 186. 219. ♂.

Hab. in Lapponiae ligno recenter secato rar. (Lappon.-Ostrog. freq. Scan. rar.)

***Mas.*** Inter majores in hoc genere, circiter 2 lin. longus, variat tamen paullo et major et minor. Punctulatus. Caput latitudine thoracis medii, aeneo-viride, ore flavo. Antennae sublineares, 9-articulatae, articulo 1 (scapo) longissimo, extrorsum incrassato, 2 s. metascapo (pedicello ILLIG.) brevi, cyathiformi, 6 sequentibus subaequalibus, cylindricis, ultimo (e duobus interne coadunatis forte constante) compresso; nigro-fuscae, scapo, saepe etiam metascapo luteis. Thorax antice angustatus, collari elevato; viridi-aeneus, metathorace ruguloso, viridi, nitido. Abdomen ovatum, subdepressum, nitidum laeve, purpurascenti-aeneum, basi luteum, apice stylo brevi (*aculeo* a FABRICIO immerito dicto). Alae superiores albo-hyalinae, maculis 2 costalibus quadratis nigris, quarum antica minor, interdum irregularis, apici nervi auxiliaris adnectitur; postica major, interdum paullo rotundata, ramulum stigmaticalem transit, et totum includendo fere obtegit; nervus auxiliaris mediocris, idemque in costam adscensus ibi ciliatus aequaliter longe continuatur; ramulus stigmaticalis una cum clava oblonga maculam illam nigram fere diagonaliter transit. Alae inferiores minores, hyalinae, immaculatae, et, ut in reliquis, praeter nervum costalem in medio curvatum, enerves. Pedes cum coxis anterioribus lutei, femoribus validis; tibiae posticae extus subspinosae.

***Fem.*** Mari descripto similis, differt: colore obscuriori, capite scilicet thoraceque obscure aeneis, abdomine triquetro, subpurpurascenti, basi viridi, ano acuminato; pedibus piceis; sine dubio hujus.

***Not.*** 1. Prolixiorem descriptionem dedi hujus speciei, quam instar typi generis propositam habere volui.

***Not.*** 2. Individuum unicum femineum, solito fere triplo minus, corpore punctulato, obscure aeneo, tibiis flavis, femoribus posticis testaceis, abdominis depressi laevis basi, lateribus ventreque, luteis, alis hyalinis, macula parva subquadrata, ramuli stigmaticali clavae adnexa, fumata, ad *Björkvik* Nordlandiae d. 14. Jul. inveni, quod distinctum putarem et *Pteromalum notatum* nominare vellem; sed cum antennae mutilatae sint, pro certo dicere non audeo, an sit hujus vel *Ented nis* generis.

***Obs.*** *Pteromalus bimaculatus* SWED., in Tavastia Finlandiae, et Ostrogothia Sueciae lectus huic Sectioni inseri debet, in Lapponia non obvius.

### *Sect. 2. Alae immaculatae.*

A. Abdomen oblongum, thorace longius, aut ejus longitudine, raro (in masculis) brevius, apice saepe acuminatum: in feminis plerisque triquetrum.

a) Corpore aeneo, aut olivaceo, aut obscure virescenti.

**2. Pt. hirtipes:** elongatus aeneus, antennis elongatis nigris, abdominis acuminati dorso aeneo-violaceo, pedibus obscure testaceis, femoribus infuscatis, anticis extus pilosis, ramuli stigmaticalis clava oblonga, appendicula subapicali, mediocri inflexa. ♂?

Hab. in Lapponia rarius, inter Alten et Kautokeino Finmarkiae, dieb. 10-13. Aug. lectus. (Lappon.; Ostrog. rar.)

*Mas!* Inter nostrates maximus, saepe circiter 3 lineas longus. Punctatus, aeneus, palpis mandibulisque retractis nigris. Antennae longitudine thoracis, 9-articulatae, sat validae, sublineares, nigrae, scapi radicula macula testacea. Abdomen longe acuminatum, laeve, aeneum, dorso aeneo-violaceo, basi viridi; anus appendiculis duabus nigris subtus instruitur, quae sexum masculum prodere videntur. Alae hyalinae, nervo costali pone basin ramuli stigmaticalis continuato versus apicem alae sensim evanescente; clava oblonga, appendicula sublaterali versus costam flexa, perspicua. Pedes mediocres, obscure aenei; geniculis, tibiis tarsisque fusco-testaceis.

**3. Pt. tarsatus:** brevis crassus aeneus, antennis filiformibus nigris, scapo basi testaceo, abdominis dorso aeneo-subpurpurascenti, geniculis, tibiis tarsisque pallidis, ramuli stigmaticalis clava rotundata, appendicula laterali minuta. ♀.

Hab. in Lapponia passim, ad Kengis et Karesuando d. 15 – 22. Aug. captus (Lapp.-Ostrog. pass. Scan. rar.)

***Fem.*** Robustus, priori fere latior, sed multo brevior, vix 2 lin. longus. Variat etiam paullo minor. Concinne punctatus. Caput sessile, latum, antice subconvexum, postice marginatum, aeneum, mandibulis apice testaceis. Antennae thorace paullo breviores, validae, 9-articulatae, nigrae, scapo basi ultra medium testaceo. Abdomen longitudine thoracis, basi triquetrum, abrupte acuminatum, acumine subadscendente; viridi-aeneum, nitidum, laeve, dorso in medio aeneo-purpurascenti. Alae hyalinae. Nervus auxiliaris mediocris; costalis continuatur paullo ultra apicem ramuli stigmaticalis, qui exacte e medio nervi costalis excurrit; clava mediocris, breviter ovata, appendicula laterali minuta Pedes aenei, geniculis, tarsis tibiisque pallidis, his saepe in medio infuscatis.

**4. Pt. curtus:** brevis, antice crassus, punctulatus, obscure aeneus, antennis mediocriter longis, extrorsum crassioribus nigris, scapo pedibusque luteis, his femoribus in medio infuscatis, ramuli stigmaticalis clava parva, rotundata, appendicula laterali minutissima. ♀.

Hab. in Lapponia inter Muonioniska et Kengis, mens. Aug., rarissime. (Lappon. ?)

***Fem.*** Statura brevis, contractus, circiter 1½ lin. longus, sed antice sat latus, sequenti duplo major. Punctatus, obscure aeneus. Antennae thorace fere breviores, 9-articulatae, extrorsum distincte crassiores, nigrae, scapo et metascapo luteis. Caput thorace fere latius. Oculi oblongi. Mandibulae luteae. Abdomen thorace paullo brevius et angustius, subtriquetrum, acumine angusto, subadscendente; cupreo-aeneum, nitidum, laeve. Alae subhyalinae, nervo auxiliari brevi, costali ultra ramuli stigmaticalis apicem paullo producto; clava parva, appendicula vix ulla. Pedes lutei, coxis basi ultra medium nigris, femoribus, praesertim anticis in medio late infuscatis.

**5. Pt. Puparum:** oblongus, punctatus, aeneus (♀) aut viridis (♂), antennis mediocriter longis filiformibus, discoloribus, ore pedibusque flavis, femoribus in femina infuscatis, ramuli stigmaticalis tenuis clava breviter ovata, appendicula laterali minuta. ♂♀.

*Mas:* laete viridis, abdomine oblongo, aurato, antennis pedibusque flavo-testaceis, coxis aeneis, flagello saepe subinfuscato.

*Fem.:* paullo major, saltem robustior, obscure aenea, aut obscure subcaeruleo-aenea, antennis extrorsum nigro-fuscis, scapo pedibus-

que testaceis, femoribus saltem in medio saepissime infuscatis; abdomine paullo latiori, triquetro, ano acuto, adscendente.

SWEDER. Act. Holm. 1795. p. 203. 1. ♂. p. 204. var. ♀. *Ichn. puparum* LINN. Fn. Sv. 1636. ♂. DE GEER Ins. Tom. 2. p. 883. (T. 1. t. 32. f. 20?). *Diplolepis puparum* FABR. Piez. 151. 15. ♂. (exclus. Syn. DE GEER.)

Var. b. ♀. paullo minor, angustior, antennarum scapo et metascapo luteis; pedibus totis flavis, coxis fuscis, abdomine longitudine thoracis. —E pupa *Papilionis Napi* ad Wittangi d. 17. Jun. capta, 3 specimina declarata hujus varietatis egressa die 6 mensis Julii.

Hab. var. a. in Lapponia sylvatica Tornensi frequens, in Nordlandia septentrionali ad Björkvik etc. quoque visus. E pupis *Papilionis Napi* ad Wittangi d. 15. Jun. captis, individua plura utriusque sexus die 15 mensis sequentis Julii egressa. (Lapponia — var. a. Ostrogoth. freq. Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Parvus, vix 1 lin. longus. Caput subexsertum, thorace latius, punctulatum. Oculi parvi, ovati. Antennae thorace breviores, filiformes, 9-articulatae, in mare praesertim subpubescentes. Thorax lobis parum distinctis, collari brevissimo, postice margine subelevato, antice subito coarctato, totus punctulatus. Abdomen laeve, vix longitudine thoracis, at eo in mare multo angustius, sublineare, depressum, in femina triquetrum. Pedes simplices. — Variat femina tibiis infuscatis.

**6. Pt. violaceus**: oblongus, punctatus, aeneo-purpurascens, antennis elongatis linearibus nigris, scapo aeneo, radicula et ore testaceis, pedibus viridi-aeneis, geniculis tarsisque pallidis, nervo costali pone apicem ramuli stigmaticalis longe extenso, clava rotundata, appendicula laterali minuta. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, in Pino ad Wittangi d. 15. Jun. tantum lectus. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo *Pt. tarsati*, paullo angustior. Differt ab illo inprimis colore corporis violaceo et antennarum scapo aeneo, radice summa tantum testacea. Caput thorace latius, punctulatum, aeneum, mandibulis testaceis. Antennae thorace parum breviores, haud validae, exacte lineares. Thorax punctatus, aeneo-cyaneus. Abdomen longitudine thoracis, triquetrum, ano acuminato adscendente, laeve, cyaneum, dorso praesertim basi virescenti. Pedes aenei, geniculis tibiarumque apice pallidis, tarsis albidis, apice nigricantibus. Alae hyalinae, clava ramuli stigmaticalis nigricante, acumine laterali, brevi.

**7. Pt. petiolatus**: oblongus, subpunctulatus, obscure aeneus, antennis mediocriter longis, extrorsum crassioribus, nigris, pedum geniculis, tibiis tarsisque testaceis, his in medio infuscatis, alis hyalinis, spatio inter nervi auxiliaris apicem et ramuli stigmaticalis basin brevissimo, clava minutissima, appendicula laterali distincta, abdomine petiolato. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, ad Wittangi cum priori captus. (Lapponia.)

*Fem.* Minutus, *Pulice* vix major, angustus, parum punctulatus, subpubescens, obscure aeneus. Caput nutans, thoracis medio parum latius. Antennae thorace paullo breviores, scapo mediocri, tenui, articulo 2 cyathiformi, 3—9 brevissimis discretis, extrorsum sensim crassioribus, ultimo oblongo majori; totae nigrae, pubescentes. Abdomen ovatum subteres, basi apiceque subangustatum, ano acuto, terebra rubra (ex apice abdominis enascente [1]) vi paullo exserta, petiolo distincto ut in *Eurytoma*; totum subaeneonigrum, nitidum, laeve, glabrum. Pedes ut in diagnosi. Alae hyalinae; nervus costalis inter nervi auxiliaris apicem et basin ramuli stigmaticalis crassus, brevissimus, et pone basin paullo ultra apicem ramuli stigmaticalis continuatur; clava angusta vix ulla, at appendicula lateralis sursum flexa sat perspicua.

**8. Pt. parvulus**: oblongus, punctulatus, viridi-aeneus, abdomine obscuriori, antennis brevioribus, extrorsum subcrassioribus, nigris, scapo aeneo; geniculis tarsisque fusco-testaceis, nervo costali paullo ultra apicem ramuli stigmaticalis extenso, clava distincta, appendicula laterali, minuta. ♀.

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime, ad Bossekop d. 4. Aug. captus. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo fere praecedentis, paullo robustior subnitidus, viridi-aeneus. Antennae thorace paullo breviores, subpubescentes. Oculi rotundati. Abdomen longitudine thoracis, triquetrum, ano acuto, laeve, nigro-aeneum. Pedes aenescentes, tarsis et tibiis fusco-testaceis, his in medio late infuscatis. Alae hyalinae, clava determinata, rotundata, appendicula laterali, minuta.

**9. Pt. gracilicornis**: oblongus, punctatus, viridi-aeneus, antennis brevioribus, extrorsum parum crassioribus, nigris, scapo aeneo, tibiis fuscis, geniculis et tarsis subtestaceis, nervo costali paullo ultra apicem ramuli stigmaticalis extenso, clava rotundata, appendicula laterali, mediocri. ♀.

Hab. in Nordlandia septentrionali rarius; ad Giebostad d. 22. Jul. inventus. (Lapponia.)

*Fem.* Statura et magnitudo prioris, viridi-aeneus, punctatus. Antennae thorace breviores, graciles, in medio parum crassiores, nigrae, scapo aeneo, radicula ferruginea. Abdomen ovatum, triquetrum, ano acuto; nitidum, laeve. Pedes obscure aenei, femorum basi, geniculis, tibiarum basi tarsisque fusco-testaceis. Alae hyalinae, ramuli stigmaticalis clava brevi, rotundata, appendicula laterali, mediocri.

**10. Pt. crassicornis**: oblongo-ovatus, punctatus obscure aeneus, antennis brevioribus, validis, nigris, scapo tenui, tibiis tarsisque luteis, nervo costali paullo ultra apicem ramuli stigmaticalis extenso, clava oblonga, appendicula minutissima. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime, inter Muonioniska et Kengis mense Augusto lectus. (Lapponia.)

*Fem.* Minutus, magnitudine *Pterom. parvuli* (No. 8), antice latus; obscure aeneus, punctatus. Caput thorace multo latius. Antennae thorace dimidio fere breviores, scapo gracili, ferrugineo, flagello valido subcylindrico s. extrorsum paullo crassiori, subpubescenti, nigro, articulis arcte cohaerentibus. Mandibulae parum exsertae, ferrugineae. Abdomen thorace brevius et angustius, triquetrum, laeve, nitidum, ano acuto, adscendente. Pedes fusco-aenei, geniculis, tarsis tibiisque testaceis, harum posticis in medio late infuscatis. Alae ut in diagnosi.

**11. Pt. subvirescens**: oblongus, punctulatus, obscure viridis, mandibulis ferrugineis, antennis mediocriter longis, nigris, scapo aeneo, tibiis tarsisque subtestaceis, alarum nervo costali longe ultra apicem ramuli stigmaticalis extenso, clava angulata, appendiculo laterali perspicuo. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in gramine ad Karesuando d. 15. Aug. unicum specimen inveni. (Lapponia — ?)

*Fem.* Statura fere *Pter. tarsati* (No. 3), paullo minor, forma ramuli stigmaticalis clavae in alis, ut et colore corporis paullo laetiori distinctus; a *Pt. socio* (No. 14 infra), cui etiam subsimilis, magnitudine minori, abdomine longiori, ano distincte acutiori et colore corporis obscuriori seu gramineo, mox differt. Antennae thorace breviores, nigrae, scapo aeneo, radicula vix ferruginea. Mandibulae piceae, parum violaceo-micantes. Abdomen longitudine fere thoracis, triquetrum, ano acuminato subadscendente; laeve. Pedes aeneo-virides, geniculis summis, tarsis tibiisque testaceis, his in medio subinfuscatis. Alae ut in *Pterom. mandibulari* (No. 13 infra).

b) corpore viridi, seladonico l. aeruginoso.

* antennarum scapo obscuro.

**12. Pt. albipennis**: oblongo-ovatus, punctatus, seladonicus, antennis brevibus, haud validis, linearibus, nigris, scapo aeneo, geniculis, tibiis tarsisque flavis, alis albo-hyalinis, nervo costali parum ultra apicem ramuli stigmaticalis extenso, clava oblongo-ovata, appendicula parva. ♀.

Var. a. ♀. tibiis flavis, immaculatis.

Var. b. ♀. tibiis flavis, praesertim posticis in medio infuscatis.

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi et Kemensi passim; ad Karesuando, Kengis, Muonioniska etc. d. 15—22. Aug. praesertim lectus. (Lapp.-Gottlandia freq. Scan. pass.)

*Fem.* Longitudo circiter 1½ lin., variat tamen paullo et major et minor. Statura *Pt. tarsati*, eique valde similis, differt: corpore toto pulchre laete viridi, nec aeneo, et antennis scapo toto aeneo, radice tantum ferruginea. Caput et antennae ut in *Pt. tarsato* constructa. Mandibulae testaceae. Thorax gibbus, in medio latitudine capitis, antice perparum angustior, haud distincte lobatus: collari brevissimo, latitudine fere capitis, antice truncatus, margine elevato. Abdomen triquetro-compressum, adscendens, ano acuminato; laeve, dorso in medio saepe violaceo. Alae hyalino-albidae Nervi pallidi, ut in *Pt. tarsato* directi. Pedes ut in diagnosi.

*Not.* Specimina, quae in Suecia inferiori colliguntur, antennis nigro-fuscis, scapo fere toto luteo saepe gaudent, in ceteris Lapponicis simillima.

**13. Pt. mandibularis**: elongatus, punctulatus, laete cyaneo-viridis, mandibulis violaceis, antennis elongatis linearibus pubescentibus nigris, scapo aeneo, pedibus flavo-testaceis, coxis femorumque annulis late viridibus, alarum nervo costali longe ultra apicem ramuli stigmaticalis extenso, clava angulata, appendicula laterali perspicua. ♂.

An *Pteromalus hirticornis* No. 34. DALM. l. c.? *)

*) Cum D. DALMAN opusculo suo supra nominato, tabulam tantum synopticam Generum et Specierum Pteromalinorum Sueciae alligaverit, non nisi conjiciendo dicere audeo, quasnam species per nomina nuda allata indicare voluerit Clariss. Auctor. Pleraeque ex iis, quas Vir amicissimus ante suum discessum e vita mecum communicavit, et de quarum synonymia ideo dubius non sum, ad Faunam nostram non pertinent.

Hab. in Lapponia sylvatica Kemensi et Tornensi haud raro; ex. gr. in foliis fruticum ad Karesuando, Muonioniska et Kengis d. 15—22. Aug.; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, et a Bjorkvik usque ad Alten passim lectus. (Lapp.-Scan. in foliis fruticum melle roridis tempore autumnali pass. freq.)

*Mas.* Statura elongata, et magnitudine et colore laete viridi omnino ***Diplolepis*** (***Pteromali***) ***Patellanae*** DALM. Act Holm. 1818. p. 80. ***Pt. Puparum*** (No. 5 antea) paullo major, circiter $1\frac{1}{2}$ lin. longus. Antennae longitudine fere thoracis, lineares, 9-articulatae, articulis elongatis distinctis; pubescentes, nigrae, scapo aeneo, radicula parum testacea. Mandibulae purpurascentes, apice parum testaceae. Abdomen oblongum, thorace multo brevius, subdepressum, ano truncato, stylo brevi exserto; laeve, nitidum. Alae hyalinae, nervis fuscis, nervo costali longius pone ramuli stigmaticalis basin continuato, versus apicem alae evanescente, clava distincta, angulata s. subquadrata, appendicula evidenti. Pedes flavo-testacei, coxis et annulis femorum magis vel minus latis, viridibus. — Forte mas sequentis?

**14. Pt. socius:** elongatus, punctulatus, laete cyaneo-viridis, mandibulis violaceis, apice testaceis, antennis mediocriter longis, nudis, nigris, scapo aeneo, pedibus viridibus, geniculis, tibiis tarsisque luteis, alarum nervo costali longe ultra apicem ramuli stigmaticalis extenso, clava angulata appendicula laterali perspicua. ♀.

Hab. iisdem locis eodemque tempore ac prior, sed rarius. (Lappon.-Scan. pass.)

*Fem.* Magnitudo, statura et summa affinitas praecedentis; forte ejus femina? Differt tantum a priori: antennis paullo brevioribus et crassioribus, vix pubescentibus, articulisque minus elongatis, mandibulis apice v. saltem in medio subferrugineis, femoribus fere totis viridibus ut et abdomine paullo latiore, ano acuto. In reliquis similis.

°° Antennarum scapo flavo.

**15. Pt. tibiellus:** oblongus, punctulatus, laete viridis, mandibulis testaceis, antennis brevibus extrorsum subcrassioribus, nigro-fuscis, scapo luteo, tibiis tarsisque flavo-albidis, alis albo-hyalinis, nervo costali parum ultra apicem ramuli stigmaticalis extenso, clava parva oblonga, appendicula laterali minutissima. ♀.

Hab. in Lapponia inter Karesuando et Kengis mens. Aug., rarissime captus (Lappon.-Torneå et ad Johannis Ro Botniae borealis d. 2 Sept. rar.)

*Fem.* Statura et summa affinitas ***Pt. albipennis*** (No. 12), sed differt: antennis extrorsum subcrassioribus, scapo testaceo, tibiis tarsisque pallidioribus, et quod duplo et ultra minor. Antennae thorace duplo breviores, fusco-testaceae, articulatione nigra, scapo luteo. Thorax et abdomen ut in ***Pt. albipenni***. Pedes virides, geniculis summis, tarsis tibiisque flavo-albidis, his saepe in medio subinfuscatis. Alae albo-hyalinae, nervis pallidis, subpellucidis, ut in diagnosi indicatum directis.

°°° Antennis totis flavis.

† Palpi simplices.

***Pt. Puparum*** mas, vide supra No. 5.
***Pt. apicalis*** mas, vide infra No. 18.

†† Palpi incrassati.

**16. Pt. palpigerus:** elongatus, punctatus, laete viridis, antennis brevibus, subfiliformibus, ore pedibusque pallide flavis, palporum articulo ultimo maximo lenticulari, luteo, alarum ramuli stigmaticalis clava oblonga, parva, appendicula laterali minuta. ♀?

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime; ad Talvig prope Alten d. 2. Aug. unicum individuum inveni. (Lapponia — ?)

*Fem.?* Statura oblonga et color laete viridis omnino ***Pt. mandibularis***, sed triplo fere minor. Oculi parvi, rotundati. Antennae thorace breviores, sublineares. Palpi singulares: articulo apicali maximo, orbiculari. Abdomen thorace paullo brevius (apice in nostro specimine mutilato, remanente stylo aculeiformi, qui sexum femineum prodere videtur). Pedes pulchre flavi coloris citrini, coxis viridibus. Alae hyalinae; nervis pallidis, costali paullo ultra apicem ramuli stigmaticalis brevis extenso; clava angusta, parum distincta, appendicula laterali minuta.

*Obs.* ***Pterom. patellanus*** (***Diplolepis Patellana*** DALM. Act. Holm. 1818. p. 80. 4.), qui in Uplandiae et Ostrogothiae graminosis occurrit, huic subdivisioni inserendus, mihi in terris arcticis non obvius.

B. Abdomen breve, subcontractum, thorace brevius; rotundatum depressum.

° Abdomen sessile, aut subsessile.

***Pt. Puparum*** mas, vid. No. 5.
***Pt. palpigerus*** vid. No. 16.
***Pt. mandibularis*** mas, vid. No. 13.

**17. Pt. rotundiventris:** oblongus, punctatus, obscure aeneus, antennis brevibus, extrorsum parum crassioribus, nigris, scapo pedibusque livido-testaceis, abdomine orbiculari depresso, violaceo, alarum nervo costali praecise ad apicem ramuli stigmaticalis desinente, clava parva ovata, appendicula laterali minuta. ♀.

Var. a. ♀. pedibus lividis, femoribus in medio infuscatis.
Var b. ♀. pedibus testaceis immaculatis.

An *Ichneum. Coccorum* LINN. Fn. Sv. 1640? *Cleptes Coccorum* FABR. Piez. 156. 9.

Hab. in graminosis et sub muscis in Lapponia sylvatica tota aestate, passim; var. b. tantum ad Kengis et Johannis Ro Botniae borealis parce lecta. (Lappon.-Scan. var. a. in graminosis et sub muscis toto anno freq., e pupis ***Lepidopterorum*** saepe egressus; var. b. Ostrogothia rar.)

*Fem.* ***Pteromalo Puparum*** paullo major, robustior, longitudine circiter $1\frac{1}{2}$ linear.; variat tamen minor; abdomine orbiculari et brevitate nervi costalis ab affinibus distinctus. Nigro-aeneus. Caput subsessile, magnum, thorace fere latius, vertice dilatato. Mandibulae testaceae. Antennae thorace paullo breviores, haud validae, subfiliformes, 9-articulatae, articulis intime coadunatis, nigrae, scapo et metascapo luteis. Thorax haud distincte lobatus, collari latitudine fere thoracis brevissimo, immarginato. Abdomen laeve, violaceum, basi viridi. Alae hyalinae, nervis tenuibus pallidis, clava nervuli stigmaticalis angusta, vix ulla, appendicula laterali minutissima. Pedes ut in diagnosi, coxis aeneis.

*Not.* Nisi hoc insectum, in Succia frequenter habitans, sit LINNAEI *Ichneumon Coccorum*; „nigro-aeneum, abdomine caerulescente; pedibus lividis; in Coccis habitans," species haec LINNAEANA mihi plane ignota est.

**18. Pt. apicalis:** elongatus, punctulatus, seladonicus, ore antennisque luteis, articulo apicali nigro, scapo pedibusque pallide flavis, abdomine violaceo, basi cingulo testaceo, alarum nervis pallidis, ramuli stigmaticalis clava parva ovata, appendicula laterali minuta. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi inter Kengis et Karesuando mense Aug. rarissime. (Lappon. — ?)

*Mas.* Magnitudo, statura et affinitas ***Pt. puparum***. Laete cyaneo-viridis. Antennae thorace paullo breviores, lineares, haud validae, 9-articulatae, luteae, articulo ultimo oblongo, acuto, nigro, scapo pallide flavo. Abdomen ovatum, depressum, laeve, aeneo-violaceum, paullo infra basin cingulo lato, flavo-testaceo; ipsa basis abdominis viridis. Pedes pulchre laete flavi l. citrini, coxis viridibus. Alae hyalinae, nervis tenuibus, costali paullo ultra apicem ramuli stigmaticalis extenso, clava ut in diagnosi.

**19. Pt. brevicornis:** elongatus, punctulatus seladonicus, antennnis brevibus, obscure testaceis, ore, femorum apice, tibiis tarsisque pallide flavis, alarum ramuli stigmaticalis clava parva, ovata, appendicula laterali minuta, abdomine rotundato depresso, subpetiolato. ♂?

Hab. in Lapponia inter Karesuando et Kengis mens. Aug. rarius. (Lappon. — ?)

*Mas?* Statura prioris, duplo fere minor. Laete viridis. Antennae thorace fere dimidio breviores, sublineares, extrorsum parum crassiores, totae obscure testaceae. Mandibulae flavae, apice luteae. Thorax et alae ut in praecedente. Abdomen suborbiculatum, depressum, laeve, petiolo brevi insidens. Anus rotundatus sexum masculum significat. Pedes virescentes; femoribus apice late, tibiis tarsisque pallide flavis, femoribus anticis basi etiam pallidis.

**20. Pt. pubicornis:** elongatus, subpunctulatus, viridis, antennis linearibus, elongatis, subpubescentibus, nigris, scapo aeneo, abdomine rotundato, subpetiolato, aeneo-viridi, pedibus flavis, alarum ramuli stigmaticalis clava parva, appendicula laterali minuta. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi, ad Karesuando rarissime lectus. (Lapponia.)

*Mas.* Magnitudo fere ***Pt. puparum***, paullo angustior. Caput thorace parum latius, viride, palpis retractis. Antennae thoracis fere longitudine, tenues, lineares, 9-articulatae, articulis distinctis; nigrae, pubescentes, scapo viridi. Thorax elongatus, antice subangustior; totus viridis. Abdomen thorace multo brevius, anguste ovatum, parum depressum, subpetiolatum, viridi-aeneum, nitidum, laeve. Anus rotundatus. Pedes non validi, testacei, coxis viridibus, femoribus saltem posticis basi infuscatis. Alae ut in priori.

°° Abdomen petiolatum.

*Pt. brevicornis*, vid. No. 19.
*Pt. petiolatus*, vid. No. 7.

**21. Pt. petioliventris:** elongatus, subpunctulatus, obscure aeneus, antennarum brevium flagello pedibusque lividis, abdomine pone petiolum rotundatum aeneo-nigrum, alarum ramuli stigmaticalis clava parva, appendicula sublaterali minuta. ♂?

Hab. in Lapponia; inter Karesuando et Kengis mense Augusto rarissime visus. (Lappon.-Botnia var.)

*Mas?* Minutus, *Pt. brevicorni* fere longior, sed angustior; nitidus, parum punctulatus. Caput rotundatum, cupreo-aeneum, ore retracto piceo. Antennae longitudine vix dimidii thoracis, sublineares, scapo aeneo, flagello obscure testaceo. Oculi mediocres, rotundi. Thorax elongatus, capitis latitudine, antice parum angustior; totus viridi-aeneus. Abdomen parvum, rotundatum, depressum, violaceo-nigricans, petiolo distincto. Pedes simplices, lutei, coxis aeneis. Alae ut in *Pterom. brevicorni*.

*Not.* Praeter supra descriptos *Pteromalos* haud exiguum individuorum hujus generis numerum e Lapponia quidem reportavi, non minus in lucis Lapponiae sylvaticae, quam in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae collectorum, quae 5 vel 6 species distinctas efficere posse mihi videntur; sed cum haec specimina post iter circiter 200 milliar. factum et post curriculum 10 annorum, jam minus bene sunt conservata, nec ea, jam antennis, jam pedibus, jam capite aut abdomine destituta, ad species cognitas referre valui, multa minus ex reliquiis novas fingere ausus sum.

Tribus 2. Antennae articulis 6—8 magis discretis. Facies impressa. Oviductus non exsertus.

## 38. Entedon. DALM.

DALM. Pterom. Gen. 10. *Eulophus* LATR. *Diplolepis* et *Cleptis* species FABR. et FALL. *Pteromali* species SWED.

*Corpus* minutum aut minutissimum, oblongum, glabrum. Antennae medio faciei impressae insertae, 6—8 articulatae, articulis discretis, flagello subcompresso. Abdomen depressum. Oviductus occultatus. Alae ramulo stigmaticali longiori aut breviori, nervo costali magis vel minus longe producto. *Color* saepe metallicus, raro nigro-flavoque varius. *Motus Pteromali. Habitatio* in foliis plantarum, per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas*: corpore plerisque minore, angustiore, antennis longioribus, interdum ramosis; *femina:* corpore robustiore, abdomine crassiore, antennis semper simplicibus. (Spec. Scand. 50 et ultra, quarum tamen paucae hactenus rite determinatae, altero sexu scilicet ignoto.)

### *Sect.* 1. *Ramulus stigmaticalis in discum alae paullo descendens.*

*Subdiv.* 1. Nervus costalis pone basin ramuli stigmaticalis continuatus.

* Alae immaculatae.

*α.* Antennae maris ramosae.

*E. ramicornis* (*Diplolepis ramicornis* FABR.) vix Lapponiae incola, in Suecia passim legitur.

*β.* Antennae in utroque sexu simplices.

**1. E. larvarum:** viridi-auratus, antennis 6-articulatis, fusco-testaceis, scapo pedibusque pallide flavis, abdomine violaceo, cingulo flavo, alarum macula discoidali fusca, obsoletissima. ♀?

*Ichneum. larvarum* LINN. Fn. Sv. 1637. *Cleptes larvarum* FABR. Piez. 156. 8.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi in terris arcticis non obvius, in collectione D. DEUTSCHII ut Lapponiae incola tantum visus. (Lapp.-Scania. freq.)

*Fem.?* Longitudo circiter 1' linear. Punctulatus, auratus, viridis. Caput subsessile, transversum, ore retracto, flavo. Antennae thorace dimidio breviores, articulis ovalibus distinctis, ultimo oblongo, crassiori, fusco-testaceis, scapo flavo. Thorax in medio capite fere latior, antice posticeque parum angustatus, vix lobatus, collari distincto, paullo angustiori, brevissimo, postice immarginato; viridi-auratus. Abdomen suborbiculare, depressum (limbo in mortuis plerumque elevato) ano truncato; purpurascenti-aeneum, basi singulo flavo, subpellucido. Alae hyalinae, macula in disco rotundata, fusca, valde obsoleta. Ramulus stigmaticalis in discum paullo descendens, clava vix ulla, appendicula laterali minuta; nervus costalis elongatus, pone basin ramuli stigmaticalis et paullo ultra ejus apicem productus. Pedes pallide flavo-subpellucidi, posteriorum coxis aeneis, tarsorum apice unguibusque fuscis.

**2. E. geniculatus:** viridis, antennis 7-articulatis nigris, scapo viridi, abdomine rotundato, basi aeneo, tibiis fuscis, geniculis albis, tarsis fusco-testaceis, alarum ramuli stigmaticalis clava distincta, appendicula laterali minuta. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; in Pinu ad Bossekop Finmarkiae d. 5. Aug. captus (Lapponia Norvegica —?)

*Mas.* Priori dimidio minor, ei affinis, obscure viridis. Caput et thorax ut in praecedente. Antennae pubescentes, 7-, vix 8-articulatae, articulis aegre discernendis. Abdomen breve, depressum, rotundatum, basi subangustatum; totum virescens, basi tantum cupreo-aeneum. Alae hyalinae, nervis nigricantibus, costali intra apicem nervi auxiliaris et basin ramuli stigmaticalis brevi, at pone hujus basin modice continuato; ramulus stigmaticalis, in discum modice descendens, clava rotundata distincta, at appendicula laterali minutissima. Pedes tenues, ut in diagnosi colorati.

**3. E. albipes:** viridis, antennis 7-articulatis nigris, scapo viridi, abdomine elongato, angusto, obscuro, pedibus albidis, femoribus basi fuscis, alarum ramuli stigmaticalis clava breviter ovata, appendicula laterali minuta. ♂.

Hab. ad Lyngen Nordlandiae septentrionalis, d. 26. Jul. rarissime lectus. (Lappon. Norvegica.)

*Mas.* Longitudo prioris, angustior, viridis. Antennae thorace multo breviores, 7-?articulatae, articulorum numero aegre discernendo. Abdomen thorace parum brevius, sed multo angustius, depressum, subaeneum. Pedes albidi, femoribus anterioribus basi, posticis fere totis, fuscis. Alae hyalinae, nervis ut in priori, sed pallidis, et clava multo minori, obovata.

**4. E. longulus:** punctatus, viridis, antennis 7-articulatis nigris, scapo viridi, abdomine ovato, dorso aeneo, geniculis, tibiarum tarsorumque basi albidis, alarum nervo costali elongato, clava ramuli stigmaticalis angusta, appendicula laterali minuta. ♀.

Hab. ad Bjorkvik, d. 14. Jul. inventus. (Lapponia Norvegica.)

*Fem.* *Ent. larvarum* No. 1.) paullo major, longior. Viridis, distincte punctatus. Antennae validae, articulis distinctis. Facies cyanea. Thorax elongatus, capite latior, collari distincto angustiori; sat profunde punctatus. Abdomen thorace parum brevius, sessile ovatum, apice acutum, subdepressum, viride, laeve, nitidum, dorso (in mortuo specimine concavo) cupreo-aeneo; rima ventrali longa, perspicua. Pedes albidi, coxis femoribusque in medio late viridibus, tibiarum, tarsorumque apice, praesertim latere externo nigricante. Alae hyalinae, nervis fuscis, costali elongato, et pone ramuli stigmaticalis in discum modice descendentis basin ultra hujus apicem producto, clava parva, angusta, appendicula laterali minuta.

**5. E. nigritulus:** niger nitidus, antennis brevibus, 7-articulatis concoloribus, abdomine ovato, geniculis, tibiis tarsisque pallidis, abdomine ovato, alarum ramuli stigmaticalis clava parva angusta, appendicula laterali perspicua. ♀.

Hab. inter Karesuando et Kengis Lapponiae Tornensis d. 15—22. Aug. rar. (Lappon. —?)

*Fem.* Minutus, *E. pallipede* fere minor. Subcyaneo-niger, parum punctatus. Caput thorace paullo angustius, nigro-aeneum. Antennae breviusculae, extrorsum subcrassiores, ni valde fallor 7-articulatae, articulatione parum perspicua. Abdomen thorace paullo brevius, ovatum, depressum, apice acutum. Alae hyalinae, margine ciliato, nervis haud obscuris, costali mediocri pone ramuli stigmaticalis modice descendentis basin paullo continuato, et ultra ejus apicem producto; clava angustissima vix ulla, ad cujus basin appendicula perspicua. Pedes ut in diagnosi.

**6. E. monilicornis:** punctatus, viridis, antennis 6-articulatis, moniliformibus nigris, scapo violaceo, abdomine ovato, dorso purpureo, geniculis, tibiis tarsisque albidis, alarum ramuli stigmaticalis clava parva, angusta, appendicula laterali perspicua. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in Pinetis ad Muonioniska d. 17. Aug inventus. (Lapponia).

*Fem.* Valde affinis et similis *Ented. plumicorni* DALM., sed differt: antennarum forma, tibiis etiam albidis, et quod paullo major. Viridis. Caput compressum, antice posticeque emarginatum. Antennae longitudine vix dimidii thoracis, validae, in medio subcrassiores, articulis rotundatis, distinctis, ultimo oblongo-ovato; nigrae subpubescentes, scapo violaceo. Thorax in medio capite paullo latior, collari angusto. Abdomen thorace fere brevius, sed vix angustius, ovatum, depressum, apice acutum, dorso purpureo

s. violaceo, basi viridi. Pedes albidi, coxis femoribusque basi virescentibus aut fuscis. Alae hyalinae, nervis fuscis; costali longiori et paullo ultra apicem ramuli stigmaticalis tenuis in discum modice descendentis, producto. Clava oblonga, angustissima, appendicula laterali perspicua.

**7. E. unguicellus:** punctatus, aureo-viridis, antennis 7-articulatis, fusco-nigris, abdomine ovato, dorso subpurpurascenti, basi pedibusque flavis, unguibus nigris, alis hyalinis, nervo costali elongato, ramuli stigmaticalis clava parva angusta, appendicula laterali minuta. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, inter Karesuando et Muonioniska mense Aug. rarissime lectus; in graminosis aridis ad Johannis Ro Botniae borealis d. 2. Septemb. unicum specimen quoque inveni. (Lapponia — Botnia).

*Fem.* Magnitudo et statura fere *Ent. nigrituli*. Subangustus, tener, punctatus, viridis. Antennae thoracis dimidio parum longiores, haud validae, extrorsum perparum crassiores, articulis oblongis; fusco-nigrae, scapo viridi. Thorax elongatus, capite vix latior. Abdomen thorace paullo brevius, at vix latius, oblongo-ovatum, apice acutum, subtus subcarinatum; basi praesertim subtus luteo-flavum, versus apicem purpurasceus, viridi-micans, dorso basi macula viridi; totum laeve, nitidum. Pedes cum coxis toti flavi, unguibus solis nigro-fuscis. Alae hyalinae, margine ciliato, nervis tenuibus parum infuscatis; costali, proportione parvitudinis alae longiori quam in prioribus, et ultra apicem ramuli stigmaticalis breviter descendentis paullo producto, clava parva angusta, vix ulla, appendicula laterali minuta.

*Obs.* *Ented. auratus* (*Pteromalus auratus* SWED. Act. Holm. 1795. 2. 20. 11.), huic valde affinis videtur, colore antennarum abdominisque distinctus, Faunae Lapponicae forte ignotus.

**8. E. pubicornis:** punctatus, aurato-viridis, subtus cyaneus, antennis 7-articulatis, pubescentibus, nigris, abdomine oblongo, apice subpurpurascente, geniculis, tibiis tarsisque sordide albidis, alarum ramuli stigmaticalis clava oblonga, parva, appendicula laterali minuta. ♂.

Hab. cum *E. unguicello* rarissime. (Lappon.-Botnia).

*Mas.* *E. unguicello* affinis, sed adhuc fere minor, tenuior et vix ejus mas. Caput thoracis latitudine, aeneum, vertice auratum. Oculi rotundi, exserti, in mortuo glauci. Antennae longitudine dimidii thoracis, ni fallor 7-articulatae, articulatione ob pubescentiam minus perspicua, articulo ultimo oblongo, acuminato; tenues, sublineares, evidenter pubescentes s. subpilosae, nigrae. Thorax punctatus, viridis, certo situ aureo-micat, praesertim antice posticeque; subtus cyaneus. Abdomen thorace paullo brevius et fere angustius, oblongum, sublineare s. posterius paullo latius; depressum, apice subtruncatum; laeve, subpurpurasceus, basi viride. Pedes aenei, genubus, tibiis tarsisque sordide pallidis. Alae ut in *E. unguicello*.

*Obs.* *Ented. bicolor* (*Pteromal. bicolor* SWED. Act. Holm. 1795. 204. 2. ♀.) niger, ore, antennis submoniliformibus, abdominis orbiculati macula dorsali triangulari, ventre pedibusque testaceis, oculis nudis; Nericiae, Ostrogothiae et Scaniae frequens incola; mihi vero in Lapponia non obvius.

*Ent. fuscipennis*: alis obsolete maculatis; vid. No. 9. infra.

°° Alae maculatae.

*Ent. larvarum*: alis macula obsoleta, fusca vid. No. 1 supra.

**9. E. fuscipennis:** subtilissime punctulatus, niger, antennis 7-articulatis, extrorsum crassioribus, concoloribus, scapo pedibusque flavo-albidis, femoribus nigricantibus, alis medio subinfuscatis, clava ramuli stigmaticalis parva, angusta, appendicula subbasali pinnata. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; ad Kengis et Wittangi d. 7—15. Jun. captus. (Lapponia; Ostrogothia, ubi 6 specimina imaginis declaratae e pupa Lepidopteri d. 23. Aug. 1815 egressa obtinui).

*Fem.* Certe. Longitudo fere *E. larvarum*, angustior. Glaber, subopacus, parum punctatus niger. Caput cum oculis thoracis medio fere latius, transversim compressum. Antennae longitudine thoracis medii, validae, in medio crassiores, articulis subcyathiformibus, subdiscretis, ultimo conico; nigrae, scapo tenui, pallide flavo. Thorax ut in *E. larvarum*. Abdomen thoracis longitudine, at eo paullo latius, ovatum, depressum, ano parum acuto; violaceo-nigricans, basi aenescens. Pedes cum coxis flavo-albidi, femoribus medioctibus, fuscis, unguibus nigris. Alae angustae, infuscatae, basi et apice sordide hyalinis. Nervi tenues, costali mediocri, pone ramuli stigmaticalis breviter descendentis basin vix ultra ejus apicem producto; clava parva, angusta, appendicula minuta, fere ad basin clavae locata.

*Obs.* *Entedon formosus* ♀ DALM. l. c. et *Ented. bifasciatus* ♂ DALM. l. c. in Lapponia vix occurrunt.

*Subdiv.* 2. Nervus costalis pone basin ramuli stigmaticalis non continuatus; sed ibi mox abruptus.

**10. E. clavicornis:** nigro-aeneus, ore antennisque brevibus clavatis, testaceis, pedibus flavis, abdomine elongato, acuminato, alarum ramulo stigmaticali brevi, vix clavato. ♀.

Hab. in Lapponia mense Aug. rarius; in graminosis aridis ad Johannis Ro d. 2. Sept. quoque visus. (Lapponia-Ostrogothia certe; rar.).

*Fem.* Minutus, *Ent. unguicello* parum major, sed paullo longior Sublaevis. Caput subexsertum, parvum, transversim compressum, aeneum, clypeo late, mandibulisque, testaceis. Oculi respectu magnitudinis capitis sat magni, ovati, subprominuli. Antennae thoracis dimidio fere breviores, 7-articulatae! (sed numerum articulorum ob parvitatem eorum pro certo determinare non valeo), extrorsum subcrassiores, articulo ultimo magno, ovato; testaceae. Thorax capite fere latior, collari paullo angustiori, antice rotundato, obscure aeneus, subnitidus. Abdomen thorace longius, compresso-triquetrum, ano longe acuminato, subadscendente, aeneum, nitidum. Pedes pallide flavi, femoribus posticis subtus macula fusca, unguibusque infuscatis. Alae hyalinae, ramulo stigmaticali in discum breviter descendente, clava angusta vix ulla, appendicula versus apicem locata, minutissima.

**11. E. pygmaeus:** aeneo-niger, antennis brevibus pedibusque fuscis, geniculis pallidis, abdomine oblongo-ovato, subacuto; alarum ramulo stigmaticali brevi, clava parva, ovata, appendicula laterali minuta. ♀.

Hab. in Finmarkia rarissime; in Pinu ad Bossekop d. 5. Aug. inventus (Lapponia).

*Fem.* Priori adhuc minor, brevior, abdomine parum acuto. Caput et thorax ut in praecedente, magis nigricantia. Antennae breviusculae, subfiliformes, 7-articulatae!, nigro-fuscae. Abdomen thoracis longitudine, ovatum depressum, aeneo-nigricans. Pedes fusci, geniculis, tibiarumque apice pallidioribus. Alae hyalinae margine ciliato, nervo costali non longe producto, ramulo stigmaticali brevi, clava parva ovata, appendicula laterali minuta.

**12. E brevinervis:** niger, antennis breviusculis, gracilibus fuscis, geniculis, tibiis tarsisque pallidis, abdomine ovato acuto, alarum nervo auxiliari brevissimo, costali ante medium alae cessante, ramulum stigmaticalem brevem emittente, clava vix ulla, appendicula laterali parva.

Hab. in Lapponia sylvatica rarissime mense Aug. lectus; etiam in gramine loco arido ad Johannis Ro Botniae borealis unicum individuum d. 2. Sept. inveni. (Lapp.; Botnia).

*Fem.?* Statura praecedentis eoque vix major. Subpurpurascenti-niger. Antennae longitudine dimidii thoracis, graciles, articulatione parum perspicua; subpubescentes, fusco-testaceae. Abdomen thoracis longitudine, ovatum, subdepressum, acutum. Pedes et alae ut in diagnosi.

**13. E. aethiops:** subpurpurascenti niger, antennis breviusculis, gracilibus fuscis, pedibus pallidis, femoribus late nigricantibus, abdomine ovato, acuminato, alarum ramuli stigmaticalis clava vix ulla, appendicula laterali minuta. ♀.

Var. a. ♀. pedibus pallidis, coxis, femoribus in medio late, unguibusque, nigricantibus.

Var. b. ♀. pedibus pallidis, coxis, femoribus fere totis, tibiis saltem posticis unguibusque, nigricantibus.

Hab. in Nordlandia septentrionali; in alpe Lyngen d. 26. Jul. rarissime captus. (Lappon. Norvegica).

*Fem.* Magnitudo et summa affinitas *Ent. clavicornis*, et ab illo vix differt nisi oris pedumque colore, abdomine minus acuminato, antennis parum clavatis, ut et loco natali. Caput totum nigricans. Antennae fuscae, haud validae, articulo ultimo paullo crassiori. Abdomen thorace paullo longius, ovatum, ventre basi subcarinatum; apice paullo acuminatum; totum purpurascenti-nigrum, dorso certo situ subaeneo-micans. Pedes ut in diagnosi. Alae ut in *Ent. clavicorni*.

*Ent. albitarsis* rectius ad Sect. sequentem pertinet. Vid. infra No. 14.

## *Sect. 2. Ramulus stigmaticalis in discum alae non vel parum descendens.*

* Nervus costalis pone basin ramuli stigmaticalis paullo productus.

**14. E. albitarsis:** cyaneo-viridis, subtus violaceus, antennis breviusculis extrorsum crassioribus, nigris, scapo aeneo, tarsis albissimis, apice nigris, abdomine oblongo ovato, acuminato, alarum nervo costali vix ultra ramuli stigmaticalis breviter descendentis apicem producto. ♀.

Var. a. ♀. subtus violaceus, tarsis tantum posterioribus albis, abdomine sessili acuminato.

Var. b. ♀. duplo et ultra minor, magis aeneo-viridis, sub-

tus concolor, tarsis omnibus pallidis, abdomine brevissime subpetiolato, minus acuminato; an distinctus? sed in ceteris similis var. a, cum qua eodem loco captus.

Hab. in Lapponia; ad Muonioniska die 17. Aug. inventus rar. (Lapponia —?).

*Fem.* Var. a. Duplo major *Ent. clavicorni*. Subtilissime punctulatus, caeruleo-viridis. Oculi rotundi, magni, prominuli. Os retractum, nigrum. Antennae thoracis dimidio fere breviores, extrorsum sensim crassiores, 7-articulatae (ut mihi videtur), articulis coarctatis, parum perspicuis; subpubescentes, nigrae, scapo viridi. Thorax in medio capite fere latior, caeruleo-viridis, subtus violaceus. Abdomen thorace fere longius, et ejus latitudine, ovatum, supra subdepressum (in mortuis concavum), apice acuminatum; caeruleo-viride, basi cupreum, subtus violaceum. Pedes violacei, tibiis caerulescentibus, tarsis albis, posterioribus apice, anticisque totis, nigris. Alae hyalinae, latae, nervo costali fere ultra medium alae extenso, ramulo stigmaticali perbrevi, clava subsessili, oblonga, appendicula vix ulla; nervus costalis pone basin hujus ramuli vix ultra ejus apicem productus.

Var. b. ♀. ut in diagnosi differt. Abdomen anguste ovatum, supra subconvexum, nigro-aeneum, basi cupreum. Pedes virescentes, tarsis albis, apice fuscis.

**15. E. punctellus:** punctatus, viridi-aeneus, antennis mediocribus, linearibus, pubescentibus, fuscis, geniculis, tibiis tarsisque albidis, abdomine anguste obovato, alarum nervo costali vix ultra ramuli stigmaticalis breviter descendentis apicem producto. ♂.

Hab. in Lapponia, inter Karesuando et Kengis mense Aug. rarissime lectus; in gramine loco arido ad Johannis Ro Botniae borealis unicum specimen d. 2. Sept. quoque inveni. (Lapponia-Botnia).

*Mas.* Minutus, magnitudo et affinitas varietatis b. prioris, sed vix ejus mas. Antennae thorace paullo breviores, tenues, lineares, 7-articulatae?, articulis oblongis, parum distinctis, pubescentes, fuscae, aut fusco-testaceae. Thorax distincte punctatus. Abdomen thoracis fere longitudine, at illo angustius, praesertim anterius, ano obtuso; aeneum aut nigricans, basi semper aeneum. Pedes albidi, coxis et femoribus ultra medium nigricantibus. Alae omnino ut in priori.

°° Nervus costalis pone basin ramuli stigmaticalis non continuatus, sed mox abruptus.

**16. E. cyanellus:** punctatus, cyaneo-viridis, antennis mediocribus, linearibus, nigris, scapo virescenti, abdomine thorace breviori, viridi, geniculis tarsisque albidis, alarum ramulo stigmaticali brevissimo, clava parva, sessili. ♂♀.

*Mas:* abdomine thorace angustiori, obovato, depresso, ano subtruncato, antennis subpubescentibus; plerumque magis cyaneus.

*Fem.:* abdomine thoracis latitudine, suborbiculari, subdepresso, ano parum acuto.

Hab. in Lapponia rarius; Individua mascula ad Kengis et Muonioniska d. 17—22. Aug., feminea autem in insula Hackstén prope Schiervoe Nordlandiae die 29. Jul inveni. (Lapponia Suecica et Norvegica).

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo praecedentis. Pulcher; cyaneo-viridis, capite thoraceque distincte punctatis. Antennae thorace paullo breviores, articulis submoniliformibus. Alae dilatatae, hyalinae, nervis obscuris costali paullo ultra medium alae extenso, mox pone clavae stigmaticalis basin abrupto, clava sessili, parva, ovata, appendicula vix ulla. Pedes virides, geniculis summis albidis, tarsis fusco-testaceis, apice obscurioribus: femoribus posticis in mare cyaneis.

Var. b. ♂. toto corpore nigricante, geniculis tarsisque solum albidis, forte hujus? — Specimen unicum antennis mutilatis ad Kengis mense Aug. captum.

*Not.* Etiam ex hoc genere haud parvam individuorum indeterminatorum messem in Lapponia et praesertim in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque colligere et mecum domum reportare contigit, quae ad 3 vel 4 species distinctas reduci juste forsitan possunt; sed cum horum alia partibus mutilatis laborent, alia mucore jam obducta sint, rectius duxi ejusmodi specimina innominata relinquere, quam ea characteribus insufficientibus denominata proponere.

*Phal. 2. Alarum nervus auxiliaris in costam in medio marginis adscendit, ibique mox ramulum stigmaticalem simplicem emittit.*

## 39. Encyrtus. LATR.

DALM. Pterom. Gen. 11. LATR. *Pteromalus* FALL. *Pteromali* species SWEDERO.

*Corpus* minutum aut minutissimum, breve, obtusum. *Caput* magnum, antice convexum, postice concavum. Os retractum. Antennae supra os insertae, fractae; 10—11-articulatae, flagello compresso, apice subtruncato. Scutellum magnum, determinatum. Pectus utrinque lamina laterali. Abdomen sessile °), breve, depressum. Oviductus non exsertus. Pedes mutici, intermedii elongati, spina apicali armatis. Alarum nervulus auxiliaris elongatus, ubi costam attingit mox abruptus et ramulum stigmaticalem simplicem, haud longum emittens, clava nulla. *Color* varius, saepe metallicus. *Motus* repens; periculo instante moratur meditabundus, mox vero motu salienti non longe aufugit. *Habitatio* imaginum in graminosis et foliis arborum fruticumque; per partem sylvaticam Lapponiae. *Metamorphosis* parasitica. in Coccis °°) *Differentia sexus* externa ex articulatione antennarum discreta aut coarctata statim colligitur, scilicet *mas:* antennis longioribus linearibus, articulis magis distinctis, saepe pilosis aut pubescentibus; *femina* antennarum articulis arcte contiguis, difficile distinguendis, subnudis. (Species Scandinaviae 55 a D. DALMAN l. c. quidem enumerantur; sed cum harum non nisi tres ad utrumque sexum sint determinatae, verisimillimum puto, id quod et ipse Clar. Auctor fatetur, plerasque sexu tantum diversas esse, ideoque genuinas ad numerum vix ultra dimidium reduci posse, antennarum structura et pictura in Subdivisiones facile dispescendas).

**1. E. scutellaris:** capite profunde punctato, niger, antennarum scapo pedibusque rufo-testaceis, tibiis tarsisque posticis atris, scutello basi macula flava, apice nigro-piloso, alis fusco-maculatis. ♂♀.

DALM. Pteromal. 1820. p. 26. 1. ♂♀. Var. — *Pteromalus scutellatus* SWED. Act. Holm. 1795. 218. 7.

Hab. in Lappon. Tornensi ad Karesuando et Kengis mens. Aug. rarius; in Lapponia non nisi feminas vidi. (Lappon.-Scania passim).

*Fem.* Parvus, vix ultra lineam longus, sed in suo genere maximus, crassus. Niger, caput antice convexum, punctatum. Antennae thorace fere longiores, 10-articulatae, scapo tenui, testaceo, flagello compresso, versus apicem sensim dilatato, apice truncato; toto nigro. Thorax sublaevis. Scutellum ut in diagnosi. Abdomen thoracis circiter longitudine, depressum. Pedes validi, lutei, coxis anticis flavis, posterioribus nigris; tibiis posticis compressis, cum tarsis, atris. Alae a basi ad medium hyalinae, macula transversa parva fusca; a medio ad apicem fuscae praesertim circa regionem stigmatis.

*Mas* minor, antennis sublinearibus, pubescentibus, macula scutellari laetiori, et alis fere totis hyalinis, parum infuscatis; in Suecia inferiori passim, in Lapponia a me non lectus.

**2. E. albitarsis:** capite punctato niger, antennarum scapo pedibusque rufo-testaceis, posticorum tibiis atris, tarsisque in medio late albissimis, scutello immaculato, apice nigropiloso, alis fusco-maculatis. ♀.

Hab. ad Muonioniska d. 17. Aug. rarissime lectus. (Lapp.).

*Fem.* Magnitudo, statura et summa affinitas praecedentis, sed differt ab illo: antennarum flagello versus apicem magis dilatato, tarsis posticis albis, scutello toto nigro, et fronte ut mihi videtur minus profunde punctata; in ceteris ei similis. Antennarum flagellum atrum, compressum, versus apicem distincte dilatatum. Ne quidem vestigium maculae flavae in scutello nigro detegitur. Tarsi postici albissimi, articulo primo longiori, basi, ultimisque 2 brevissimis una cum unguiculo, atris.

**3. E. lunatus:** laevis rufo-testaceus, thoracis dorso scutelloque viridi-aeneis, antennarum annulo pallido, apice nigris, alis infuscatis, fascia media arcuata alba, simplici. ♀.

DALM. Pteromal. p. 32. 7. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, cujus ut incola mecum communicatus fuit: a me non nisi in Suecia inferiori lectus. (Lapponia; Ostrogothia-Scania haud raro).

*Fem. Encyrt. scutellari* duplo minor, medius in hoc genere. Luteo-testaceus, vix punctulatus. Antennae thorace paullo breviores, extrorsum modice incrassatae, articulis 1—5 testaceis, 6—7 pallidis, 8—10 ultimis nigris, apice vix truncato. Vertex subangustatus. Thorax et scutellum supra viridi-micantia. Abdomen thorace fere brevius, dorso fuscum. Pedes luteo-testacei, unguiculis nigris.

**4. E. aenescens:** punctulatus aeneus, facie cyanea, antennis extrorsum modice incrassatis, fusco-nigris, geniculis, tibiarum apice tarsisque testaceis, alis hyalinis immaculatis.

°) Re vera abdomen petiolo minuto, inconspicuo metathoraci affixum.
°°) Non solum in *Coccis*, verum etiam in *Harpalis*, secundum observationem Nob. BOHEMANNI nuper factam, metamorphosin subeunt species *Encyrti*.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Muonioniska in Betula alba d. 17. Aug. inventus; ad Johannis Ro Botn. borealis in gramine loco arido d. 2. Sept. specimen quoque inveni. (Lapponia-Botnia rarissim.)

Affinis *E. chalconoto* et *E. aeruginoso* Dalm., differt vero imprimis a priori magnitudine paullo minori, ut et colore faciei et pedum, a posteriori vertice latiori. Obscure aeneum, punctulatum. Antennae thorace paullo breviores, extrorsum paullo dilatatae, apice subtruncatae, nigro-fuscae, parum pubescentes. Capitis pars tota infra oculos pulchre violacea, nitida; vertice viridi-aeneo. Abdomen thorace fere brevius, aeneum, nitidissimum, laevissimum. Pedes ut in diagnosi. Alae albido-hyalinae, immaculatae, stigmate parum crasso, ramuloque stigmaticali brevissimis, hoc apice subclavato, clava minuta, rotundata.

---

## FAM. 8. CHRYSIDIDES. Latr. Fall. Dahlb.

### 40. Chrysis. Linn.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 479. Linn. Fabr. Fall. Dahlb.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum, saepe (in nostris) subpubescens, punctatum, convolvens. Antennae filiformes aut subsetaceae, clypeo, ori proxime, insertae, vibratiles, fractae, longitudine fere thoracis, 13-articulatae. Abdomen sessile, supra convexum, segmento secundo maximo, subtus fornicatum. Alae fusco-hyalinae, nervis in plerisque speciebus parum perspicuis; areis tamen costalibus prima et ultima ad stigma in medio costae subcohaerentibus, distinctissimis. *Color* metallicus, viridis, cyaneus, aureus, splendidus. *Motu* valde agilis. *Habitatio* imaginum in truncis arborum emortuarum, in saepibus, parietibus etc., larvarum in larvis *Apiariarum*, quae destruunt. *Differentia sexus* externa vix ulla; partes scilicet genitales internae: *maris* intra duas lamellas corneas, acutas; *feminae* vagina articulata, elongata, apice aculeo acriter pungente. (Spec. Scand. 21 jam numerantur, a Praecl. Dahlbom partim in „Monographia *Chrysidum* Sueciae" a. 1829 elegantissime elaborata descriptae, partim in „*Exercitationibus Hymenopterologicis*" his diebus e typo egressis revisae, novis speciebus et observationibus adjectis.)

*Sect. 1. Alarum areae distinctae, ultima elongata, integra. Corpus evidenter punctatum. Abdominis segmentum anale apice saepissime dentatum. Chrysis* Latr.

* Abdomen aureum.

**1. Chr. fulgida:** nitida cyanea, antennis tarsisque nigris, scapo et ventre viridibus, abdomine aureo, primo segmento cyaneo, ano quadridentato. ♂♀.

*Mas:* abdominis segmento secundo macula basali magna semicirculari violacea, viridi-terminata.

*Fem.:* abdominis segmento secundo immaculato, ultimo concolore aureo.

Var. a. ♂♀. thorace et capite totis cyaneis, hoc facie parum viridi-maculata.

Linn. Fn. Sv. 1669. (♀ Diagn. ♂ Descr.) Fabr. Piez. 172. 11. ♀. Panz. Fn. 79. f. 15. ♀. Essais Ent. No. V. par Hummel p. 45. 55. Dahlb. Monogr. Chrysidum Sueciae. Lund. 1829 p. 7. 1. ♂♀. Ejusdem Exercitationes Hymenopterologicae. Lund. 1831 p. 28. 1. ♂♀.

Var. b. ♀. facie thoraceque maculis viridibus.

Dahlb. Mon. l. c. et Ejusdem Exercit. Hym. l. c. var. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae passim; in truncis arborum emortuarum Pini sylvestris in monte subalpino Skaaddavaara prope Bossekop, nec non in sylva ad Alten d. 4—7. Aug. uterque sexus captus. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Inter maximas nostratum hujus generis, specimina licet lapponica paullo minora sint, quam quae in Sueciae inferioris locis argillaceis occurrunt. Tota subpubescens. Alae sordide hyalinae. Pictura coloris et magnitudine species a reliquis facile dignota.

**2. Chr. ignita:** nitida cyanea, antennarum flagello tarsisque nigris, subtus viridis, abdominis dorso aureo, ano quadridentato. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 1665. Fabr. Piez. 173. 14. Panz. Fn. 5. f. 22. Dahlb. Monogr. Chr. Sv. 7. 2. ♂♀.? Ejusdem Exercit. Hym. 28. 2. ♂.

Hab. in parietibus et saepibus per totam Lapponiam cultam passim; occurrit etiam rarius in inferalpinis maritimis Nordlandiae Finmarkiaeque usque ad Alten procedens, ibique in truncis Pini d. 6. Aug. capta. (Lapp.-Scan. vulgar.)

*Mas.* et *Fem.* Priori parum minor; individua tamen inter se variant. Subpubescens. Abdomen saepe rubro-aureum. Thorax et metathorax dorso interdum viridi-maculati. Facies viridis. Tarsi nigro-fusci.

*Obs.* Sequentes: *C. bidentata* Linn., *C. segmentata* Dahlb., *C. succincta* Linn., *C. splendidula* Ross. Fn. Etr., *C. bicolor* Dahlb., et *C. undata* Dahlb. (*C. fasciata* Thunb.), Sueciae incolae, Lapponiae forsitan peregrinae.

** Abdomen cyaneum.

**3. Chr. cyanea:** supra cyanea, subtus et facie viridis, antennarum flagello tarsisque nigris, ano subtruncato, obsoletissime tridentato. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 1667. Fabr. Piez. 176. 29. Panz. Fn. 51. 10. Hummel Essais Ent. No. 5. 45. 56. Dahlb. Mon. Chr. Sv. 11. 8. ♂♀. Ejusdem Exercit. Hym. p. 31. 11. ♂♀.

Hab. in Lapponiae cultae saepibus passim. (Lapp.-San. pass.)

*Mas.* et *Fem.* *Chr. ignita* duplo et ultra minor. Subpubescens, dorso obscure cyanea. Subtus viridis. Abdominis segmentum ultimum in medio apice supra linea elevata brevi, quae in dentem obsoletum terminatur.

*Obs. C. nitidulam* Fabr. et *C. sexdentatam* Fabr. Dahlb. in Westrogothiae sylvis captas, in Lapponia frustra quaesivi.

*Sect. 2. Alarum nervi obsoleti; arearum, praeter costalem ad radicem alae completam, rudimentum. Corpus subtiliter punctulatum. Abdominis segmentum anale integrum. Hedychrum* Latr. et Panz.

* Abdomine aureo l. ferrugineo. Majores.

*C. lucidula* Fabr. Panz. Dahlb. „cyanea, antennarum flagello nigro, tarsis obscure ferrugineis, thoracis dorso antice, abdomineque aureis, ano integro"; ut Lapponiae incola venditur, an jure? Mihi supra Ostrogothiam non obvia; nec *C. regiam* Fabr., *C. Roseam* Dahlb., *C. austriacam* Fabr., Sueciae inferiori inhabitantes, in Lapponia vidi.

** Abdomine virescenti cyaneo, aureo-viridi. Minores.

*Chr. unicolor* Dahlb. n. sp., *C. fuscipennis* Dahlb. (seu *C. caerulea* de Geer, *C. violacea* Ross.), *C. aurata* Linn., *C. integra* Fabr., *C. aenea* Fabr. (vix var. *C. fuscipennis* ut vult Cl. Dahlbom) et *C. Panzeri* Fabr. hujus Subdivisionis, in aridis apricis Scaniae et Sueciae mediae habitantes, Faunae Lapponicae hactenus ignotae.

*Obs. Cleptes*, Genus collari (prothorace Dahlb.) magis determinato, angusto et elongato, abdomine supra et subtus convexo etc. a *Chryside* distinctum, 2 species Sueciae continet, scilicet *Cl. semiauratam* Fabr. (Sphegem semiauratam Linn.) et *Cl. nitidulam* Fabr., in Lapponia sine dubio peregrinas.

---

## *Sect. II. Pedes, tarsi saltem, saepissime aut spinosi, aut hirti et spinulosi (in generibus Trypoxylon et Sapyga pedes inermes l. parum spinulosi).*

Tribus 1. *Praedones:* tarsorum pedum posticorum articulo basali cylindrico, spinuloso aut inermi, nunquam hirsuto.

*Subdiv.* 1. Alae superae per totam latitudinem extensae, planae, nec longitrorsum plicatae.

*Phalanx* 1. *Insecta solitarie degentia. Sexus duplex: mares et feminae (neutra nulla). Individua omnia alata.*

## FAM. 9. SPHEGINEAE. FALL. (*Sphegina* LATR. *Sphegides* DAHLB.)

A. Collare breve, ad radicem alarum non extensum.

### 41. Sphex. LINN.

FALL. Dispos. Hym. Gen. 39. LINN. DAHLB. Exerc. Hym. *Ammophila* LATR. KIRB. *Pepsis* FABR.

*Corpus* majoris magnitudinis, elongatum, pubescens. Antennae filiformes, breviusculae, infractae, medio faciei insertae. Abdomen longe petiolatum. Alae abdomine breviores, areola gemina. Area specularis inter nervulum primum et medium areolae inserta. Pedes postici imprimis elongati, tibiis tarsisque spinosis. *Color* trunci niger, fasciis abdominis rufis. *Motu* agilis, inquieta, volatu haud longo ab uno ad alterum locum migrans. *Habitatio* in arenosis, ubi nidos tubulosos conficiunt feminae, alia insecta, praesertim Muscas et larvas Lepidopterorum praedatum exeuntes, eaque una cum ovis sepelientes. *Differentia sexus* externa, *mas:* corpore graciliore, petiolo longiori, alis abdomine multo brevioribus, facie argenteo-sericea, antennis 13-articulatis, regulariter at minus curvatim arcuatis; *femina:* corpore robustiore, petiolo breviori, alis abdomine paullo brevioribus, facie nigra, obscure villosa aut pilosa, vix argenteo-micante, antennis 12-articulatis, validioribus quam in mare, post mortem distincte curvatis, fere convolutis. Feminae laesae aculeo brevi retractili, haud venenifero cum magno dolore pungunt. (Spec. Scand. 4.)

**1. Sph. sabulosa:** nigra, griseo-tomentosa, abdominis segmento secundo tenui, recto, tertioque rufis, alis longitudine petioli elongati, areolae geminae exteriori subtrigona. ♂♀.

*Mas:* brevior, angustior, clypeo et facie argenteo-sericeis.

*Fem.:* paullo longior, crassior, clypeo et facie nigris, parce nigro-pilosis.

LINN. Fn. Sv. 1648. FABR. Piez. 205. 1. ♀. PANZ. Fn. 65. f. 12. ♀. (directione nervorum in alis male delineata). *Ammophila vulgaris* KIRBY Act. Soc. Linn. 4. 17. t. 19. *Sphex sabulosa* DAHLB. *)

Hab. in terra sabulosa, ubi pedibus anticis cuniculum fodit, in quo sepelit larvam Lepidopteri aut Araneae semimortuam, cui ovulum concredit; quo facto orificium terra claudit; per partem sylvaticam Lappon. passim rar. (Lapp.-Scan. vulg.)

*Mas* et *Fem.* Magna, 7—9 lineas longa. Nigra. Abdomen glabratum, thorace fere duplo longius, petiolo longo, biarticulato, recto; segmento primo nigro, secundo longitudine antecedentis, at eo paullo magis compresso, vaginante, subtus membranaceo-dilatato, tertioque obconico, totis rufis, quarto etiam lateribus saepe rufo, reliquis nigris, cyaneo-micantibus. Alae fumato-hyalinae. Areolae geminae exterior magis vel minus regulariter subtriangularis, ex angulo exteriori nervuli excurrentis brevissimi plerumque vestigio. Tibiae parce spinulosae. — Variat abdominis segmento secundo basi saepe nigro, et quarto margine basali magis vel minus late rufo.

**2. Sph. arenaria:** atra, parce nigro-hirta, abdominis segmento secundo elevato obconico, tertio quartoque, rufis, hoc apice nigro, alis petiolum elongatum longe excedentibus, areolae geminae exteriori subquadrata. ♂♀.

*Mas:* capite crebre punctato, nigro-villoso, clypeo et facie argenteis.

*Fem.:* robustior, capite parcius punctato, clypeo et facie nigris, parum argenteo-micantibus; in copula.

PANZ. Fn. 65. f. 13. ♀. (alarum apice supra modum infuscato). Nec LINNAEI *Sphex arenaria* eadem, quae *Philanthus arenarius* est. *Pepsis arenaria* FABR. Piez. 207. 1. *Ammophila hirsuta* KIRBY Act. Soc. Linn. 4. 17.

Hab. in campis arenosis Lapponiae passim, mens. Aug. vigens. (Lappon.-Scan. vulgar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo prioris aut paullo major, hirsutie nigriore, abdominis segmento secundo crassiori etc. areola exteriori subquadrata ab illa imprimis distincta. Variat etiam hirsutie thoracis subgrisescente. Abdomen glabrum, thorace paullo (non duplo) longius, segmento 1mo s. petiolo tenui, elongato, nigro, 2do obconico 3tioque, rufis, 4to etiam plerumque rufo, apice magis vel minus late nigro, reliquis nigris. Alae abdomine paullo breviores, fumato-hyalinae, apice fusciori, areolae geminae, interiori trapeziformi, exteriori magis vel minus regulariter quadrata, ex angulo exteriori nervi excurrentis plerumque vix vestigio. Tibiae parce spinosae. — Variat abdominis segmento secundo basi nigro.

**3: Sph. campestris:** nigra, griseo-hirta, abdominis segmento secundo tenui, recto, tertioque, rufis, alis longitudine petioli elongati, areolae geminae exteriori trigona, petiolatae. ♂♀.

*Mas:* magis griseo-hirsutus, alis brevioribus; clypeo, facie et fronte argenteis; abdominis segmentis 2 et 3 dorso nigro-maculatis.

*Fem.:* paullo major, glabrior; capite nigro, antice vix argenteo-micante, abdominis segmentis 2 et 3 rufis, immaculatis.

*Ammophila campestris* LATR., *Pepsis lutaria* FABR. Piez. 208. 2. ♂. PANZ. Fn. 65. f. 14. (directione nervorum in alis false delineata.)

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi non obvia; in collectione D. KOLSTRÖMII ut Lapponiae incolam tantum vidi. (Lapponia; Uplandia; Gottlandia; Ostrog. pass.)

*Mas* et *Fem.* *Sph. sabulosae* valde affinis et similis, paullo, interdum duplo, minor, minus hirsuta et areolae geminae ultima petiolata ab illa praesertim distincta. Abdomen glabrum, thorace duplo longius, petiolo biarticulato, recto, segmentis 1 tenui, elongato nigro; 2 paullo breviori et crassiori, in mare rufo, dorso linea nigra, in femina toto rufo, basi tantum nigro; 3 adhuc crassiori et breviori, obconico, in mare rufo, dorso nigro, in femina rufo; 4 in utroque sexu nigro, basi plerumque rufo, reliquis nigris. Alae longitudine petioli seu segmentorum primi et secundi; plerumque fuscescentes, apice hyalino, saepe lacero. Pedes fere inermes, tarsis tantum spinulosis.

### 42. Larra. LATR.

FALL. Disp. Hym. Gen. 10. *Larra* et *Astata* LATR. (ad *Crabronites* relata). *Dimorpha* *) JURINE, *Tiphia* et *Larra* PANZ. *Pompili* et *Larrae* spec. FABR.

*Corpus* mediae aut (in nostra) minoris magnitudinis, oblongo-ovatum, glabriusculum (in *L. abdominali* Suecorum tomentosum). Antennae longitudine fere thoracis, clypei basi versus os insertae, infractae, filiformes. Mandibulae in medio edentulae, rotundatae. Metathorax postice truncatus. Abdomen sessile, ovatum, teres, basi subito coarctatum et excavatum. Alae abdomine paullo breviores, areola gemina. Area specularis in area interiori areolae inserta. Area costalis ultima appendicea (in nostra specie). Pedes tibiis et tarsis spinulosis. *Color* niger, rufus. *Motu* valde agilis. *Habitatio* in sabuletis, soli expositis, ubi ab uno ab alterum locum volatu brevi et citissimo transmigrat. *Differentia sexus; mas:* saepe minor, alis longioribus, antennis 13-articulatis; *femina:* antennis 12-articulatis, oculis distantibus. (Spec. Scand. 5 in Museo meo adsunt, quibus accedunt 2 novae nuper a D. DAHLBOM detectae.)

**1. L. pinguis:** subtilissime punctulata subglabra, nitida nigra, abdomine basi ferrugineo, tibiis tarsisque anticis piceis, areolae geminae exteriori subovata, tibiis posterioribus crebre spinulosis. ♀.

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi, mense Aug. rarius. (Lapponia; Botnia borealis ad Calix; Ölandia; Scan. rar.)

*Fem.* *Larra abdominali* Auct. fere triplo minor, vix 3 lineas longa. Nitida nigra, laevis, punctis paucis majoribus in fronte impressis. Nuda, nisi pilis aliquot circa os et sub pectore instructa. Oculi secundum totam longitudinem aeque fere inter se dissiti, in vertice tamen paullo propiores. Abdomen breviter ovatum, nigrum, segmentis 1 et 2 totis, 3 basi, rufis. Alae longitudine fere abdominis, fusco-hyalinae, nervis et stigmate obscurioribus, squamula (tegula) picea. Area costalis ultima brevis, ovata, apice rudimento areae appendiceae; areolae geminae interior triangularis, exterior oblonga, angusta, inferne paullo latior, nervo exteriori subarcuato. Nervi 2 in marginem alae ex angulis arearum excurrentes obsoleti. Pedes ut in diagnosi.

*Obs.* *Tiphia abdominalis* PANZ., *Larra dimidiata* PANZ., *Sphex bimaculata* PANZ. et *Pompilus tumidus*, huic generi associandae, Sueciae vix Lapponiae incolae.

---

*) Quoniam Auctor Clariss. suum opusculum, quod inscribitur „Exercitationes Hymenopterologicae," in Dissertationibus Academicis publicare sibi proposuit, et earum duae tantum partes hactenus divulgatae exstant, reliquas species ab Illo descriptas citare mihi non contigit. Interea continuationem operis laudati avide exspectant Entomologi Sueciae.

*) *Dimorpha* est nomen arboris s. plantae leguminosae JUSSIEUO et WILLDENOWIO, unde ab Entomologis rejiciendum.

B. Collare s. lobus thoracis anticus (prothorax DAHLB.) tenue, arcuatum, ad radicem alarum extensum.

## 43. Pompilus. FABR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 489. FABR. PANZ. FALL. DAHLB. *Sphex* LINN.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum, glabriusculum. Antennae longitudine vix thoracis, setaceae, infractae, suturae clypei posticae insertae. Abdomen oblongo-ovatum, teres, basi subito coarctatum. Alae abdomine paullo breviores, areola gemina. Area specularis in medio areolae inserta. Pedes simplices, femoribus compressis. *Color* trunci niger, pedibus abdominisque cingulis interdum rufis. *Motu* agilis; alis vibrantibus currit; breviter at cito volat. *Habitatio* in arenosis et campis aridis, ubi feminae foramina pro nidis in terra fodiunt, quibus occisam praedam, ovo imposito, committunt; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae, tempore praesertim auctumnali. *Differentia sexus; mas:* minor, abdomine imprimis angustiore, antennis porrectis, parum arcuatis, 13-articulatis; *femina:* robustior, abdomine crassiori, antennis brevioribus 12-articulatis, post mortem convolutis; stylo retractili illaesa pungit magno dolore. (Spec Scand. 22 in Monographia sua hujus gen. 1829 descripsit Histor. Naturalis Docens Clar. D. A. G. DAHLBOM, 2 novis speciebus post illud tempus intra patriam detectis.)

### *Sect. 1. Abdomine rufo-cingulato.*

**1. P. fuscus**: laevis, nudus, capite et ano pilosis, niger, abdomine basi ferrugineo, alis hyalinis, apice fuscis, areolae geminae exteriori trapeziformi, tibiis parce spinosis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. alis apice distincte fuscis.

FABR. Piez. 189. 11. ♂. (exclus. Syn. PANZ.) DAHLB. Mon. Pompilor. Suec. ann. 1829. 2. 1. ♂. *Sphex fusca* LINN. Fn. Sv. 1652. ♂. *Sphex gibba* LINN. Fn. Sv. 1658. ♀. *Pompilus gibbus* FABR. Piez. 193. 27. ♀. PANZ. Fn. 77. f. 13. ♀.

Var. b. ♂. alis apice parum infuscatis.

Hab. in Lapponiis Suecicis, locis arenosis, sylvaticis tempore auctumnali passim; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae usque ad Alten et Bossekop, ibique in silva Pini utrumque sexum mense Augusto inveni. — Var. b. tantum in Finmarkia legi. (Lapp.-Scan. vulg.)

*Mas* et *Fem.* Inter majores. — Variat tamen magnitudine. Niger, laevis, nudus. Antennae thorace fere breviores. Caput (in illaesis) pilis nigris minime densis vestitum. Mandibulae piceae. Abdominis segmenta 1, 2, 3 rufa, hoc margine apicali magis vel minus late nigricante. Anus pilis aliquot obsitus. Alae hyalinae, apice toto infra areas fusco. Areola gemina, exterior irregularis, trapeziformis, subquadrato-triangularis. Nervi 2 longitudinales ex angulis arearum versus apicem alae excurrentes, non ad summum marginem extenduntur. Tibiae et tarsi parcissime spinulosa.

**2. P. minutus**: laevis, nudus niger, abdomine basi ferrugineo, alis hyalinis, apice infuscatis, areolae geminae exteriori subtrigona, tibiis parce spinosis. ♀.

DAHLB. Mon. Pomp. Sv. 3. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi et Kemensi locis arenosis mense Aug. rarius. (Lapp.-Botnia borealis; Gottlandia; Scania rar.)

*Fem.* Priori valde affinis, et ab illo vix differt nisi magnitudine saepe triplo minore et nuditate corporis. Areolae geminae exterior quoque magis triangularis et metathorax distinctius canaliculatus est in *P. minuto*, quam in *P. fusco*. — *Mas* in Suecia inferiori saepe captus, in Lapponia a me non visus.

**3. P. viaticus**: laevis, capite thoraceque pilosis, niger, abdomine basi ferrugineo, fasciis fuscis, alis fumato-hyalinis, apice determinate infuscatis, areolae geminae exteriori subtrigona, tibiis parce spinosis. ♂♀.

FABR. Piez. 190. 12. DAHLB. Mon. Pomp. Sv. 4. 4. ♂♀. *Sphex viatica* LINN. Fn. Sv. 1651. (Diagn., et *Sph. fusca* LINN. Fn. Sv. 1652. Descript.) PANZ. Fn. 65. f. 16. ♂♀.

Hab. in Lapponiae cultae sabuletis rar. (Lappon.-Scan. freq.).

*Mas* et *Fem.* Magnitudo *P. fusci*. Caput et thorax praesertim antice pilis raris obsita. Abdominis segmenta 3 basalia ferruginea, margine apicali in singulo fascia nigra magis v. minus perspicua. Antennae praesertim in femina validae. Areolae geminae exterior plus minus regulariter triangularis, interdum trapeziformis. Nervi 2 ex areis excurrentes non usque ad marginem alae extensi. Tibiae et tarsi spinis validis, sed non densis instructa.

*Not.* Varietates c. et d. a Clar. DAHLBOM l. c. recensitas in Lapponia habitantes non observavi.

**4. P. curtus**: laevis, antice subpilosus, brevis, gibbus, niger, abdomine basi ferrugineo, alis subhyalinis, apice fuscis, areolae geminae exteriori subquadrata, tibiis parce spinosis. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Karesuando Lapponiae Tornensis mense Aug. unicum individuum inveni. (Lappon.; Botnia borealis rarissime.)

*Fem.* Magnitudo fere, et summa affinitas *P. viatici*, atque varietati ejus b. *gibbae*, a D. DAHLBOM in monogr. descriptae, simillimus, sed differt: abdominis basi rufa, immaculata, nec nigrocingulata, ut et areolae geminae exteriori magis ad formam quadratam, quam ad triangularem appropinquante. Caput et thorax pilis raris obsita. Mandibulae nigrae. Antennae validae. Metathorax vix canaliculatus. Abdominis segmentum 1 et 2 tota rufa, vix umbra fusca in margine apicali; 3tium nigrum, margine basali auguste rufo; reliqua nigra. Alae hyalinae, apice toto infra areas determinate, sed minime intense fusco. Nervi ex angulis arearum excurrentes, fere ad marginem alae producuntur. Spinae tibiarum tarsorumque rarae, sed validae, praesertim in tarsis anticis. Spina apicalis interior tibiarum anticarum albida.

**5. P. fumipennis**: laevis, antice pilosus, niger, abdomine basi ferrugineo, alis totis fumatis, areolae geminae exteriori subquadrata, tibiis parce spinosis. ♀.

Hab. in Lapponia cum priori rarissime. (Lapponia Tornensis.)

*Fem.* Affinis praecedenti, dimidio fere major, antennis paullo longioribus, minus crassis, capite et thoracis antico magis pilosis, ut et fuscedine alarum magis dilatata distinctus. Laevis, niger, crassus. Antennae longitudine thoracis, arcuatae, nec convolutae. Os nigrum, palpis elongatis. Abdominis segmenta 1 et 2 rufa, immaculata; 3 margine basali angustissime rufo; reliqua nigra. Alae totae brunnescentes, apice parum fusciori. Areolae geminae exterior et interior subquadratae. Nervi 2 ex angulis arearum excurrentes, breviores quam in prioribus, minime ad marginem alae extenduntur. Pedes ut in priori.

**6. P. exaltatus**: subtiliter punctulatus, nudus, niger, abdomine basi rufo, alis hyalinis, apice fuscis, puncto intra apicem albo, areolae geminae exteriori quadrata, tibiis posticis serrulatis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus totis nigris.

FABR. Piez. 195. 41. ♀. PANZ. Fn. 84. f. 10. ♀. DAHLB. Mon. Pomp. Sv. 6. 8. ♂♀.

Var. b. ♂. pedibus nigris, tibiis anterioribus femoribusque posticis rufescentibus.

Hab. in Lapponiae sylvaticae sabulosis, versus auctumnum, passim; mas rarissime occurrit. Alpes et loca maritima Nordlandiae Finmarkiaeque haec species aufugere videtur, loca Lapponiae interiora ventis minus exposita praesertim amans. E varietate b. individuum tantum unicum masculum ad Kengis die 22. Aug. inveni. (Lapp.-Scania var. b. vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudine variat, *P. fusco* plerumque paullo minor. Alis fuscis, puncto intraapicali albo, in mare obsoleto, in femina perspicuo, statim dignotus. Mandibulae apice ferrugineae. Abdominis segmenta 3 basalia, rufa, immaculata; horum vero tertium interdum margine apicali nigrum. Anus pilosus. Areolae geminae interior oblique, exterior recta quadrata. Nervi 2 ex angulis arearum excurrentes, distincti (nec obliterati) ad summum marginem alae producuntur (nec abbreviati), unde haec species ab affinibus etiam facile distincta. Tibiae posticae latere exteriori in mare obsolete, in femina evidenter serrulatae.

Var. b. ♂. paullo minor, angustior, alis totis fuscis, pedibus nigris, anterioribus: macula antica apicali, tibiis latere antico rufis, posticis: femoribus totis (geniculis nigris exceptis) tibiarumque annulo medio, rufis; tarsis et tibiis omnibus inermibus, horum posticis latere externe vix vel parum serrulatis. An species distincta, cujus femina in varietate b. (*P. exaltati*) a Clar. D. DAHLBOM l. c. descripta, quaerenda?

**7. P. minor**: laevis, nudus, niger, abdomine basi rufo, alis hyalinis, maculis intra areas fuscis, areolae geminae exteriori quadrata, tibiis posticis serratis. ♀.

Hab. in Lapponia rarius, ad Muonioniska et Kengis mens. Aug. inveni. ((Lappon.; in Öfver-Torneå ad pagum Matarengi rariss.)

*Fem.* Priori duplo minor. Laevis et subtilissime tantum punctulatus, nudus, niger, ore obscure ferrugineo. Metathorax convexus, vix canaliculatus. Abdominis segmenta 1 et 2 tota, 3 basi magis v. minus late, rufa. Anus pilosus. Alae hyalinae; in singula area trium discoidalium macula conspicitur fusca, unde exstant tres maculae distinctiores, una in area speculari et duae in areola gemina. Areolae geminae interior oblique quadrata, exterior quadrata, lateribus 2 oppositis paullo arcuatis, nec ut in *P. exaltato* rectis. Nervi duo ex angulis arearum excurrentes abbreviati, brevissimi,

(nec ad marginem alae extensi), vix nisi ad basin eorum perspicui. Pedes subinermes, tarsis brevissime spinulosis, tibiis intermediis latere exteriori breviter et parce spinosis, tibiis vero posticis eodem latere distincte serrulatis. — Variat tibiis et tarsis rufescentibus forte junior, nuper exclusus.

*Obs.* Sequentes hujus Sectionis species, scilicet: *P. serripes*, *P. hyalipennis*, *P. nudipes* et *P. maculipennis* a D. Dahlbom in Monogr. Pompilorum Suec. descriptae, in Lapponia forte peregrinantur, mihi saltem ibi non obviae.

### *Sect. 2. Abdomine nigro.*

**8. P. hircanus**: subtiliter punctulatus, antice subpilosus niger, alis hyalinis, fasciis duabus determinatis fuscis, macula intra apicem albida, areolae geminae exteriori subquadrata, tibiis inermibus. ♂♀.

Fabr. Piez. 195. 40. ♀. Panz. Fn. 87. f. 21. Dahlb. Mon. Pompil. Sv. 7. 9. ♂♀. *Sphex variegata* Linn. Fn. Sv. 1655. certe.

Hab. in Lapponia secundum collectionem D. Past Kolström, in Muonioniska asservatam; mihi in terris borealibus non obvius. (Lappon.?-Uplandia. Scan. freq.)

**9. P. niger**: laeviusculus, antice subpilosus, niger, abdominis segmentis basi obsoletissime sericeo-micantibus, alis hyalinis, apice fuscis, areolae geminae exteriori triangulari, tibiis spinosis. ♂♀.

Fabr. Piez. 191. 15. Dahlb. Mon. Pompil. Sv. 8. 10. ♂♀. var. *Sphex nigra* Panz. Fn. 71. 19. ♀. var.

Hab. in Lapponia Suecica rarissime; in Nordlandia et Finmarkia, locis arenosis frequentius occurrit, et ad Giebostad in insula Senjen, nec non ad Bossekop juxta Altengaard specimina plura utriusque sexus d. 22. Jul. — 4. Aug. vidi. (Lapponia; Ostrogoth.; Scania var. genuina, rar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et affinitas *P. fusci*, colore mox distinctus. Specimina Lapponica a Suecicis vulgaribus differunt: corpore laeviori, vix punctulato, abdominis segmentis basi parum albomicantibus, capite, thoracis antico, ano ventreque magis pilosis, praesertim in femina; inde vero non species diversas puto. — Areolae geminae interior quadrata, exterior in mare regulariter triangularis, in femina saepe quadrato-triangularis s. trapeziformis; nervis duobus ex arearum angulis excurrentibus in utroque sexu abbreviatis, nec ad marginem alae usque productis. Pedes subinermes, tibiis tantum posterioribus latere externo, breviter et parce spinulosis.

*Obs.* *P. ater* Dahlb., *P. pulcher* Fabr., *P punctum* Panz. (*Evania punctum* Fabr.), *P. clavipes* Dahlb. (*Dolichurus ater* Spin. Ins. Ligur), *P. sanguinolentus* Fabr., *P. rufipes* Dahlb. (*Sphex rufipes* Linn.), *P. septemmaculatus* Dahlb., *P. fuscatus* Fabr., *P. bipunctatus* Fabr., *P. femoralis* Dahlb., *P. calcaratus* Dahlb. et *P. clypeatus* Dahlb., ad hanc Sectionem pertinentes, in Suecia media et meridionali capti, in Lapponia a me frustra quaesiti.

---

## Ceropales.

Latr. Fabr.

Genus: antennis validioribus, linearibus, (nec apice attenuatis) medio faciei insertis, alarum nervis ex angulis arearum excurrentibus ad marginem alae usque extensis (nec abbreviatis, abdomine subcompresso, ut et cauda feminae subexserta, lateque vaginata, a *Pompilo* dignotum, cujus species *Cer. maculata* in Suecia inferiori sat vulgaris, in Lapponia etiam habitare creditur, a me in provinciis borealibus supra Uplandiam non visa.

---

# FAM. 10. MELLINII. Fall.

* Areola alarum gemina.

## Psen.

Latr. Panz. Fall. *Trypoxylon*, *Pelopoeus* Fabricio.

Genus: antennis non fractis, extrorsum subcrassioribus, medio faciei versus frontem insertis; mandibulis latere interno unidentatis; clypeo subconvexo, abdomine distincte petiolato; area speculari areolae geminae interiori plerum-inserta, distinctum, quatuor species Suecicas continet, in Lapponia forte hospites.

---

## 44. Mellinus. Fabr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 503. (ad Fam. *Crabronitum* relat.) Fabr. Panz. Fall. *Vespae* spec. Linn.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum, glabriusculum, aut breviter tantum pubescens. Caput transversum. Oculi oblongi. Mandibulae saltem in feminis tridentatae. Antennae vix thoracis longitudine, infra medium faciei versus clypeum insertae. Abdomen petiolatum, petiolo gibbo, obpyriformi. Tarsi mutici, articulo ultimo crasso, pulvillo magno. Area alarum specularis paullo extra nervulum 1—2 areolae geminae inseritur. *Color* niger, pictura fasciis flavis. *Motu* velox: volatus brevis, reptatus agilis. *Habitatio* in arenosis, ubi nidos tubulosos construunt, in quibus ova deponunt feminae, *victum* e Muscis aliisque insectis sibi comparantes. *Pupa* folliculata, sericea. Imagines flores etiam visitant, in foliis arborum et fruticum saepe morantes; per partem sylvaticam Lapponiae, tempore praesertim auctumnali. *Differentia sexus* perspicua; *mas:* antennis 13-articulatis, in medio subcrassioribus; *femina:* saepe duplo major, antennis 12-articulatis, in medio parum crassioribus, aculeo ani recondito, mox dignoscuntur. (Spec. Scand. 3.)

**1. M. arvensis**: niger, orbita oculorum faciali, antennarum scapo latere interno, collaris margine, scutello abdominisque fasciis quatuor, tertia latissime interrupta, flavis; tibiis tarsisque testaceis. ♂♀.

*Mas:* antennarum flagello subtus rufescente, clypeo apice et orbita oculorum interna distincte, flavis.

*Fem.:* antennarum flagello subtus parum rufescente, clypeo nigro orbita oculorum interna angusta et breviter flava.

Fabr. Piez. 299. 10. *Vespa arvensis* Linn. Fn. Sv. 1678. Crabro U flavum Panz. Fn. 17. f. 20. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica, locis arenosis rar. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Longitud. 5—6 linear. Subpubescens, punctulatus. Mandibulae flavae apice nigrae. Antennae breviusculae, in mare sat validae. Thoracis punctum sub alis flavum. Abdominis fascia prima in mare saepe etiam interrupta. Alarum areolae geminae interior trapeziformis, exterior oblique quadrata. Pedes breves, femoribus validis, tibiis posticis extus subciliatis.

*Obs.* *M. ruficornis* Fabr. et *M. sabulosus* Fabr., Sueciae incolae, in Lapponia a me non visi.

## Gorytes.

Latr. *Mellinus* Fabr. *Arpactus* Fall. *Vespa* Linn.

Genus: antennis infra medium faciei insertis, marium 13-articulatis, thorace longioribus, feminarum 12-articulatis, thorace brevioribus; abdomine in utroque sexu subsessili; area alarum speculari inter nervum 1—2 areolae geminae inserta, a *Mellino* nobis distinctum, species Sueciae Fabricianas: *M. mystaceum*, *M. campestrem* et *M. 4-fasciatum* complectens, e Lapponia forte exsul.

** Areola alarum sesquialtera.

## Nysson.

Latr. Fall. *Oxybelus*, *Pompilus* et *Mellinus* Fabr.

Genus: antennis brevioribus et crassioribus, metathorace utrinque spinoso, ano maris bimucronato, abdominis basi punctato etc. a *Goryte* distinctum, cujus species Suecicae Auctor. *N. interruptus*, *N. spinosus* et *N. semirufus* in Lapponia hactenus non visae, quantum novi.

---

## Philanthus.

Latr. Fabr. Fall. Thunb. Act. Ups. Vol. 7. *Cerceris* Latr.

Genus: abdomine toto rugose punctato, metathorace inermi etc. a priori distinctum, species Fabricianas *Ph. arenarium*, *Ph. 5-cinctum*, *Ph. 4-fasciatum*, *Ph. labiatum* et *Ph. ornatum*

sub se comprehendens suecicas, in Lapponia nec a me, nec ab alio, quantum novi, deprehensas.

---

## FAM. 11. CRABRONITES. FALL. LATR.

*Sect.* 1. *Alarum areola intermedia simplex, quadrata.*

### 45. Pemphredon. FABR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 501. FABR. FALL. *Cemonus* PANZ. JURIN.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, oblongum, glabrum aut subpubescens Antennae capite parum longiores, fractae, cylindricae, infra medium faciei versus os insertae. Facies subquadrata. Oculi oblongi, aequaliter longe distantes. Area alarum specularis aut ante, aut paullo pone nervulum areolae primum inserta. Tibiae et tarsi mutica. *Color* niger absque pictura. *Motu* agilis; volatus brevis. *Habitatio* in terra nuda, arenosa, locis aridis; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Nidificatio* plerumque in parietum et arborum exsiccatarum foraminibus, quae insectis occisis implent, ut escam larvis praebeant. Introitum nidorum deinde serragine claudunt. *Differentia sexus* in clypeo *maris* argenteo-piloso, *feminae* nudo mox apparet. (Spec. Scand. 4 mihi cognitae.)

° Area specularis paullo pone nervulum areolae primum ad partem inserta.

**1. P. lugubris:** evidenter punctatus ater, griseo-pubescens, abdomine petiolato, laevi. ♂♀.

*Mas:* minor, clypeo argenteo-piloso, abdomine distincte petiolato.

*Fem.:* robustior, clypeo nudo, corpore minus dense griseo-pubescente, antennis paullo validioribus et abdominis petiolo paullo breviori; in copula.

Var. a ♂♀. ater, tarsis concoloribus. FABR. Piez. 315. 2. ♀. LATR. Gen. Crust. et Ins. Tom. 1. Tab. 13. f. 10. ♀. (areis alarum non recte delineatis) *Cemonus unicolor* JUR. Hymen. pl. 11. g. 28. ♀. *Crabro unicolor* PANZ. Fn. 52. f. 24. ♀.

Var. b. ♀. ater, tarsis obscure ferrugineis.

Hab. in Lapponia, var. a. rarissime; varietatem vero b. in truncis exsiccatis Pini sylvestris, pluribus locis, ex. gr. ad Karesuando Lapponiae Tornensis, ut et ad Kautokeino et Alten ac Bossekop Finmarkiae d. 4—16. Aug. inveni. (Lapp.-Scan. tantum var. a. passim.)

*Mas* et *Fem.* In suo genere major. Mas circiter 4—5 lineas longus, femina paullo major. Ater. Antennae thoracis dimidium non attingunt, validae, scapo crasso, cyathiformi, apice (in mortuis) arcuatae. Palpi antici elongati, omnes fusco-ferruginei. Alae fumato-hyalinae, costa usque ad apicem stigmatis brunnea. Area costalis ultima lanceolata. Areola regulariter quadrata. Abdomen ovale, laeve, petiolo rugoso. Pedes validi, breves.

*Obs.* *Pemphr. minutus* FABR. seu *Stigmus* idem LATR.: sublaevis, glaber, niger, mandibulis, antennarum scapo subtus, tibiisque flavis, abdomine subsessili, *Pemphr. lugubri* quadruplo minor, in Suecia inferiori saepe, in Lapponia vix lectus.

°° Area specularis ante nervulum areolae primum inserta.

**2. P. unicolor:** punctulatus, ater, griseo-pubescens, abdomine petiolato, laevi. ♂♀.

*Mas:* clypeo argenteo-piloso.

*Fem.:* paullo robustior, clypeo subnudo; in copula.

*Pelopoeus unicolor* FABR. Piez. 204. 10. ♂. *Sphex atra* Ent. Syst. Suppl. 244. 18. 9. ♂. *Sphex unicolor* PANZ. Fn. 52. f. 24.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ibi non obvius; tantum in collectione D. Pastoris D. KOLSTRÖM, hunc ut Lapponiae incolam vidi. (Lapponia; Ostrog. rar. Scan. pass. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Similis *Pemphred. lugubri*, fere duplo minor, et insertione areae specularis inprimis distinctus. Caput evidenter punctatum. Antennae brevissimae, capite vix longiores. Thorax nitidus parce punctatus. Abdomen et pedes ut in priori. Alae etiam ut in illo, praeter aream specularem ante (nec pone) nervulum areolae quadratae primum insertam.

---

### Stigmus.

LATR. PANZ. *Antronius* DALM.

Genus: alarum area specularis nulla stigmateque magno a *Pemphredone* distinctum, species comprehendens Scandinaviae duas, quarum *Stigmus pendulus* PANZ. Fn. 86. f. 7.: niger, sublaevis, glaber, mandibulis, antennarum basi, tibiis tarsisque flavo-testaceis, abdomine petiolato; in floribus sylvaticis et umbellatarum etc. frequenter in Suecia occurrit; Faunae nostrae huc usque ignotum.

*Sect.* 2. *Alarum areola intermedia aut obsoletissima aut nulla.*

### 46. Crabro. FALL.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 500. FABR. PANZ. FALL. *Sphex* LINN. DE GEER.

*Corpus* interdum majoris, plerumque mediae, rarius minoris magnitudinis, oblongum, glabriusculum, aut antice subpubescens; laeviusculum. Antennae capite parum longiores, fractae, validae, filiformes, infra medium faciei versus os insertae, scapo longo, cylindrico. Oculi magni, subtrigoni, superne divergentes, juxta clypeum angulo subobtuso, approximati. Clypeus transversus, argenteo- (aut in Suecicis quibusdam aureo-) pilosus, nitidissimus. Areola et area specularis nullae aut obsoletissimae. Area costalis ultima subappendicea. Pedes validi, tibiis crassis spinulosis. *Color* niger, pictura flavo-fasciata. *Motu* agilis. *Habitatio* imaginum in floribus plantarum, praesertim in Umbellatis, etiamque in foliis fruticum; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Nidificant* in foraminibus parietum, truncorum arborum, rarius in terra. *Differentia sexus* variat, aut scilicet antennarum aut pedum structura, aut denique pictura corporis *mares* a *feminis* in diversis speciebus differunt. (Spec. Scand. 36 in Museo meo adservantur.)

A. Abdomen subovatum, breviusculum (ad summum duplo longius quam latius). Pedes in utroque sexu conformes.

**1. C. fossorius:** niger, antennarum scapo subtus, abdominisque utrinque maculis 5—6, ultimis connatis, flavis, alarum squamula, pedum geniculis tarsisque flavo-ferrugineis. ♂♀.

*Mas:* antennis intus subdentatis, scapo subtus flavo, abdominis fasciis 6; 4 primis late interruptis, 2 ultimis continuis.

*Fem.:* major, capite maximo, mandibulis antennarumque simplicium scapo, flavis, abdominis fasciis 5; 4 primis late interruptis, ultima connata; in copula.

FABR. Piez. 308. 3. PANZ. Fn. 72. f. 11. ♀. (magnitudine duplo majori). *Sphex fossoria* LINN. Fn. Sv. 1662. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia-Ostrogothia, Scania, passim.)

*Mas.* et *Fem.* Maximus in hoc genere, praesertim femina, quae *Vespa holsatica* aut *V. vulgari* parum minor. Subpubescens, subtiliter transversim strigosus, niger. Antennarum scapus subtus in mare magis vel minus late, totus in femina, flavus. Collare (prothorax) in femina saepe maculis 2 minutis, flavis. Mandibulae feminarum in medio flavae. Tibiae et tarsi in femina fere tota, in mare latere antico, flavo-ferruginea; tibiae vero posteriores in mare plerumque totae nigrae, geniculis solum testaceis. Alae brunnescentes.

**2. C. vagus:** niger, antennarum scapo apice, abdominis fasciis 3, duabus anticis modice interruptis, tertia continua, pedum anticorum latere anteriori, posteriorum tibiarum tarsorumque basi, flavis. ♂♀.

*Mas:* thorace immaculato, femoribus anticis subferrugineis.

*Fem.:* thoracis antico macula utrinque flava, femoribus anterioribus plerumque totis nigris, ano mucronato; in copula.

FABR. Piez. 313. 22. PANZ. Fn. 46. f. 10. *Sphex vaga* LINN. Fn. Sv. 1664. ♀.

Var. b. ♀. fasciis abdominis omnibus subinterruptis.

Hab. in Lapponia sylvatica Suecica passim; deprehenditur quoque rarius in inferalpinis maritimis Finmarkiae, et ad Bossekop d. 4. Aug. inventus. (Lappon.-Oland.; Gottland. Ostrogothia freq. Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Prioris femina fere triplo minor. Niger. Caput et thorax punctata, subpubescentia. Antennarum scapus versus apicem magis v. minus late, praesertim latere inferiori, flavis. Mandibulae in medio flavo-maculatae. Alae fumato-hyalinae. Mucro analis feminae ater, rectus, longitudine vix septimae partis abdominis.

**3. C. lapponicus**: pilosus niger, abdominis fasciis 3, anticis 2 late interruptis, maculiformibus, anali angusta, subcontinua, tibiarum basi tarsisque ferrugineo-flavis. ♀.
Var. a. ♀. abdominis fascia anali angusta.
Var. b. ♀. duplo fere minor, angustior, fascia anali nulla; an specie distincta?
Hab. in Lapponia rarius; var. a. ad Bossekop et in sylva betulina ad Alteidet Finmarkiae 1—4. Aug. lectus; var. b. ad Talvig Finmarkiae d. 2. Aug (Lapponia.)
*Fem.* Priori paullo minor, circiter 4—5 lin. longus. Niger, antennis et mandibulis concoloribus. Caput et thorax immaculata, sublaevia, pilis nigris et griseis villosa. Abdomen thorace paullo longius, subglabrum, nitidum, laeve, nigrum, segmentis secundo macula utrinque majori transversim ovata, flava, et tertio quoque macula utrinque minori transversa ejusdem coloris; in segmento 5to s anali varietatis a. fascia angusta in medio subinterrupta, flava; in varietate b. segmento eodem toto nigro. Anus parum mucronatus. Alae fumato-hyalinae, stigmate et nervis testaceis, squamula (tegula) picea. Pedes nigri, pubescentes, tibiis anticis latere antico, posterioribus spinulosis, basi late, et apice anguste, flavo-testaceis; tarsis omnibus luteo-testaceis, articulis ultimis nigricantibus.

**4. C. borealis**: glaber, niger, antennarum scapo subtus versus apicem, puncto ante alas, maculisque abdominis utrinque 4 transversis, flavis, pedibus anticis latere anteriori, intermediis geniculis, posticisque tibiis extus, flavo-testaceis. ♂.
Var. a. ♂. antennarum scapo subtus late, abdomineque utrinque maculis quatuor, flavis.
Var. b. ♂. antennarum scapo subtus anguste, abdomineque utrinque maculis tribus, flavis.
Hab. var. a. in Finmarkia occidentali rarius; in sylva betulina ad Alteidet ut et ad Bossekop et Altengaard d. 1—4. Aug. inveni; varietas b. tantum a D. J. Smaltz in Calix Botniae borealis lecta. (Lapponia Norvegica var. a.; Botnia borealis var. b.)
*Mas.* Longitudo circiter 4 lin. seu magnitudine et statura prioris varietatis b., a qua manifeste differt: glabritie corporis et pictura abdominis; ita ut ejus mas esse suspicari non possit. Subtilissime punctulatus, niger, seu pube brevissima in capite et thorace leviter tantum obductus. Antennae nigrae, flagello intus subdentato; scapo subtus a medio ad apicem late flavo. Thorax opacus, niger, puncto seu macula rotunda utrinque ante et paullo infra alas, flava. Abdomen thorace parum longius, obovatum, laeve, nigrum, maculis utrinque 4 transversis, prima majore, versus apicem sensim decrescentibus, flavis; in variet. b. macula quarta utrinque deficit. Alae fumato-hyalinae, stigmate et nervis fuscis, squamula picea. Pedes antici flavo-lutei, coxis et lineis femorum tibiarumque latere postico nigris; intermedii nigri, femorum apice inaequaliter flavo, geniculis et tibiarum apice testaceis; postici nigri, tibiarum apice extus flavo, tarsis fusco-testaceis.

**5. C. ruficornis**: pilosus niger, antennis extrorsum luteis, scapo subtus, collaris maculis, abdominisque fasciis 5, 2 analibus subcontinuis, flavis, pedum anteriorum latere antico flavo-testaceo. ♂.
Hab. in Lapponia rarissime, ad Muonioniska d. 17. Aug. detectus. (Lapponia.)
*Mas.* Magnitudo *Crabr. vagi*. Subtilissime punctulatus, opacus, pilosus, niger. Antennae nigrae, validae, apice arcuatae, scapo subtus longitudine tota flava; flagello a medio ad apicem flavo-ferrugineo, articulatione supra et articulo ultimo fuscis. Collare supra, fascia interrupta flava. Abdomen thorace paullo longius, nitidum, laeve, nudum, nigrum, fasciis 5 flavis; 1ma latiori, angusto interrupta; 2 et 3 paullo angustioribus, late interruptis; 4 parum interrupta, et 5 continua, angustis. Alae fumato-hyalinae, stigmate et nervis fuscis, squamula picea. Pedes nigri, antici latere antico late, intermedii femoribus latere antico tibiarumque apice, flavo-testaceis; tarsis omnibus fusco-testaceis.

**6. C. bipunctatus**: glabriusculus niger, scapo, puncto ante alas, abdominis fasciis 4 late interruptis, tibiarumque latere anteriori, flavis. ♀.
Hab. in Lapponia Suecica rarius; deprehenditur quoque in inferalpinis Finmarkiae occidentalis et in monte subalpino Skaaddavaara inter Bossekop et Altengaard d. 7. Aug. inventus. (Lapponia; Gottlandia ad Sanda, ubi individuum unicum ipsissimae speciei die 11. Jun. 1819 inveni.)
*Fem.* *C. vago* duplo minor, *C. boreali* vero paullo major, latior, statura prioris. Subtiliter punctulatus, glaber seu pube brevissima rara tantum obsitus, opacus, niger. Antennae breves, nudae, extrorsum crassiores, scapo flavo, basi supra nigra (in specimine Gottlandico nigredo haec latius extenditur). Mandibulae in medio flavae. Thorax immaculatus praeter punctum seu maculam rotundam ante et infra radicem alarum, flavam. Abdomen thorace vix longius, nitidum laeve, nigrum, fasciis quatuor; 1 modice, 2, 3, 4 late interruptis, quae fasciae maculas utrinque 4 transversas, flavas formant, quarum prima paullo longior, reliquae aequales. Anus pilosus. Mucro analis brevis. Alae fumato-hyalinae, nervis et stigmate fuscioribus, squamula piceo-ferruginea. Pedes nigri, tibiis vix spinulosis, sed extus ciliatis, latere anteriori flavis; tarsis fusco-testaceis.
*Obs.* Huic subdivisioni inseri possunt: *Crabr. subterraneus* Fabr., *C. cephalotes* Fabr., *C. vagabundus* Panz., *C. dentipes* Panz., *C. philanthoides* Fabr., *C. lapidarius* Fabr., *C. 4-maculatus* Fabr. et *C. saxarius* Panz., Sueciae inferioris, sed vix Lapponiae incolae.

B. Abdomen longiusculum, angustum (multo longius quam latius).

° Abdomen ad basin sensim attenuatum, petiolo non obpyriformi. Mares tibiis anticis peltatis, v. clypeatis; antennis in medio saepe latioribus, uno latere subserratis.

**7. C. cribrarius**: pilosus niger, collaris fascia interrupta, scutelli medio, abdominis fasciis in mare 7, in femina 5, intermediis 3 in utroque sexu interruptis, flavis, tibiis testaceis. ♂♀.
*Mas*: antennis in medio dilatatis serratis, abdominis fasciis 7 flavis, 1 in petioli dorso angusta utrinque abrupta; 2 in medio anguste interrupta, relicta utrinque macula magna transversim obovata; 3 angustiori, late interrupta; 5, 6, 7 ultimis latioribus, continuis; tibiarum clypeo convexo, testaceo-marginato, disco punctato;
*Fem.*: antennis et tibiis simplicibus, abdominis fasciis 5 flavo-luteis, 1 in petioli dorso, modice lata, arcuata; 2 in medio anguste interrupta, relicta utrinque macula magna transversim obovata; 3 angustiori, late interrupta; 4, 5 latioribus, continuis, pygidio acuminato, vix mucronato.
Fabr. Piez. 311. 16. ♂♀. Panz. Fn. 15. f. 18. ♂. (fascia abdominis prima in figura deest); 15. f. 19. ♀. (antennis 12-articulatis). *Sphex cribraria* de Geer Ins. T. II. P. 1. p. 810. t. 28. f. 1. 2. 3. *Vespa cribraria* Linn. Fn. Sv. 1675 diagnos. ♂.
Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi in terris arcticis non obvius; in Collect. D. Kolström tantum vidi. (Lapponia-Ostrogothia; Scania in floribus umbellat. pass.)
*Mas.* et *Fem.* Femina *C. vagi* parum latior, sed multo longior. Totus niger, griseo-pilosus, longitudinaliter striolatus. Flava sunt: maculae 2 collaris, macula scutelli, fasciae abdominis, tibiae et tarsi. Alae fumato-hyalinae, stigmate et nervis fuscioribus, squamula picea. Abdomen glabrum, nitidum, laeve.
*Not.* Mas hujus speciei in Suecia inferiori interdum variat fascia abdominis quarta quoque integra, qui sine dubio est *Crabro palmatus* Panz. Fn. 46. f. 3.

**8. C. peltatus**: pilosus, thorace immaculato niger, abdominis fasciis in mare 7, in femina 5, intermediis 3, in utroque sexu interruptis, flavis, tibiis testaceis. ♂♀.
Fabr. Piez. 311. 15. ♂♀. Panz. Fn. 15. f. 20. 21.
Hab. cum priori in Lapponia passim. (Lapp.-Scan. passim freq.)
*Mas.* et *Fem.* Magnitudo, pilositas, statura corporis et formatio partium omnino ut in praecedente, a quo non differt nisi thorace et scutello totis nigris immaculatis. Mares et feminae ex utroque inveniuntur, et similes tantum cum similibus in copula junctas vidi, unde hunc et priorem species distinctas judico.
*Obs. Crabr. clypeatus* Fabr. (seu *Sphex. clypeata* Linn. et Panz.), *C. pterotus* Fabr., *C. scutatus* Fabr., huic phalangi associandi, in Suecia frequenter, in Lapponia vix, occurrunt.

°° Abdomen petiolo aut brevi aut subobpyriformi; tibiae in utroque sexu simplices.

**9. C. leucostoma**: parum pubescens, laevis nitidus niger, tarsis piceis. ♂♀.
Var. a. ♂♀. tarsis piceis aut nigricantibus, vix fusco-annulatis.
Panz. Fn. 15. f. 24. ♀. forte? *Sphex leucostoma* Linn. Fn. Sv. 1664. *Pemphredon leucostoma* Fabr. Piez 314. 1.
Var. b. ♂. tarsis nigricantibus, anticis in medio distincte albo-annulatis.
Hab. var. a. in Lapponia sylvatica, mens. Aug., passim, var. b. in sylva betulina ad Alteidet et in monte subalpino Skaaddavaara prope Bossekop Finmarkiae, nec non ad Muonioniska d. 1—17. Aug. legi. (Lappon.-Ostrog. freq. Scan. pass. var. a.)
*Mas* et *femina* similes, in copula capti. Mas tamen magnitudine *Crabr. borealis* femina paullo major; femina suo mare paullo mi-

nor. Glaber, niger, immaculatus. Abdomen thorace paullo angustius, at fere dimidio longius. Alae hyalinae, nervis et stigmate late fuscioribus, squamula picea.

**10. C. albilabris**: glaber, punctulatus, nitidus, niger, tibiis aut basi, aut totis flavis, alis fumato-hyalinis, stigmate fusco-testaceo, abdomine subsessili. ♂♀.

*Mas:* antennarum scapo summo apice, collaris margine linea interrupta, puncto utrinque ante alas, pedum geniculis, tibiarum latere anteriori, tarsisque omnibus, flavis;

*Fem.:* nigra immaculata, tibiarum anticarum latere anteriori, posteriorumque basi, flavis, in copula.

FABR. Ent. Syst. 2. 302. 31. ♀. *Pemphredon albilabris* FABR. Piez. 316. 8. ♀.

Hab. in Lapponia Suecica inferiori rar. (Lapp.-Ostrog. freq. Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Priori duplo minor, praesertim mas, abdomine breviori, subsessili aut breviter tantum petiolato, ut et colore pedum diversus. Tibiae posteriores subspinosae.

**11. C. punctum**: glaber, punctulatus, nitidus, niger, scapo subtus, collaris margine subinterrupto, scutello, tibiarumque latere anteriori, flavis, alis subhyalinis, stigmate nigricante. ♂♀.

*Mas:* puncto utrinque ante alas, pedum anticorum tibiarumque posteriorum latere antico, flavis;

*Fem.:* nigra, tibiarum posteriorum basi flava; plerumque paullo major.

Hab. in Lapponia sylvatica rar. (Lapponia-Botnia occidentalis rar.-Scan freq.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedente adhuc paullo minor. A priori, cui similis et affinis, differt pictura corporis et alarum stigmate nervis obscurioribus. Abdominis petiolus brevis.

*Not.* Sub nomine *Pemphredon albilabris* FABR. mascula hujus speciei specimina a D. DALMAN quondam accepi; etiam ut *Crabr. scutatus Fem.* PANZ. individuum masculum a D. MARKLIN communicatum.

*Obs.* Sub hac divisione militat quoque *Crabr. dimidiatus* FABR. (seu *Crabr. signatus* PANZ.), in Suecia inferiori passim, in Lapponia vero nunquam, a me visus.

°°° Abdomen petiolo apice nodoso; tibiae in utroque sexu simplices.

Sequentes hujus subdivisionis species, scilicet: *Crabr. crassipes* FABR., *Crabr. tibialis* FABR., *Crabr. clavipes* LINN. (seu *Crabr. rufiventris* PANZ.), mihi in Suecia inferiori frequenter, in Lapponia nunquam, obviae.

---

## 47. Trypoxylon. FABR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 497. FABR. FALL. (in Fam. *Vespariarum*). *Sphex* LINN.

*Corpus* mediae magnitudinis, elongatum, angustum, glabriusculum, subtilissime punctulatum, parum nitidum. Antennae capite paullo longiores, haud fractae, cylindricae, arcuatae, basi approximatae, scapo brevi, crasso; infra medium faciei insertae. Clypeus convexus, aequalis. Oculi oblongi, aequaliter distantes, intus excisi, similiter ac in Vespariis. Abdomen longe et sensim petiolatum. Area alarum specularis et areola simplex, obliteratae. Pedes mutici. *Color* niger. *Motu* agilis. *Habitatio* imaginum in floribus, praesertim Umbellatarum; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae et Finmarkiae. *Nidificatio* in parietum ligneorum et arborum exsiccatarum foraminibus, ab aliis insectis factis et relictis. Haec scilicet foramina feminae *Trypoxyl.* Muscis, Araneis aliisque insectis occisis, ovo imposito, implent, introitumque luto deinde obturant, ut pullulus ex ovo egressus, sub statu larvae alimentum et securitatem habeat. *Differentia sexus* in *maris* clypeo argenteo-micante, *feminae* eodem nigro externe mox detegitur. (Spec. Scand. 2.)

**1. Tr. figulus**: niger, segmentis margine albo-micantibus. ♂♀.

*Mas:* clypeo argenteo-piloso.

*Fem.:* clypeo nigro, plerumque paullo major.

FABR. Piez. 181. 2. ♂. *Sphex figulus* LINN. Fn. Sv. 1650. PANZ. Fn. 80. f. 16. (in figura alarum areola et nervi justo distinctiores repraesentantur.)

Hab. in Lapponia Suecica culta, rarius, deprehenditur quoque passim in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque usque ad Alten, ubi mens. Aug. parce inveni. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Longit. 5 — 7 linear., angustus. Niger glaber s. pube brevissima grisescente tectus. Oculi oblongi, in medio excisi. Abdomen thorace multo longius, basi angustum, versus apicem sensim incrassatum; nigrum, segmentorum marginibus lucidis; alae abdomine breviores, hyalinae, apice subinfuscatae, nervis ut in *Crabrone* directis, at area costali ultima simplici, non appendiculata. Pedes praeter spinas in apice tibiarum ordinarias, inermes, simplices, femoribus validis.

*Not.* Ob nervorum directionem in alis ut et clypei structuram etc. hoc genus forsitan rectius in Familia *Crabronitum*, quam in Fam. *Vespariarum* locatur.

*Obs.* Altera hujus generis species seu *Tryp. tibialis* mihi, „niger, mandibulis, tibiis pedum anteriorum, geniculisque omnium, ferrugineis; oculis infra antennas subapproximatis," priori duplo et ultra minor, in truncis Quercuum exsiccatarum Ostrogothiae passim visa, in Lapponia hactenus frustra quaesita.

---

## 48. Oxybelus. PANZ.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 499. FABR. FALL. *Vespa* LINN.

*Corpus* mediae magnitudinis, breve, ovatum, brevissime subpubescens. Antennae sensim extrorsum subcrassiores, fractae, capite vix longiores, scapo elongato obconico, clypei basi insertae, approximatae, antrorsum inflexo-convolutae. Clypeus brevis, medio carinatus. Oculi oblongi, integri, aequali spatio per totam eorum longitudinem remoti. Metathorax sub scutello unispinosus. Abdomen breve triangulare. Area alarum specularis et areola, nulla. Tibiae spinulosae. *Color* niger, pictura albo-maculata. *Motu* agilis. *Habitatio* in floribus, praesertim Umbellatarum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Nidificatio* in foraminibus terrae, locis aridis, cultis, insecta minora pro sustinenda prole, more *Pompilorum* et *Sphegum*, occidens, sepeliens. *Differentia sexus* externa ex structura ani cito detegitur. (Spec. Scand. 1. varietatibus pluribus numero macularum in abdomine ludens.)

**1. O. uniglumis**: niger, abdominis segmentis utrinque macula alba, tibiis et tarsis ferrugineis, metathorace mucronato. ♂♀.

*Mas:* ano seu pygidio obtuso, subtruncato; clypeo distincte carinato;

*Fem.:* ano s. pygidio subtriangulari et acuto.

FABR. Piez. 316. 2. *Crabro uniglumis* PANZ. Fn. 64. f. 14. var. *Vespa uniglumis* LINN. Fn. Sv. 1681.

Hab. in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Longitud. circiter 3 — 4 linear. crassus, ovatus, oculo armato brevissime et tenuiter pubescens; punctulatus, niger. Antennarum apex ferrugineus. Scutellum rotundatum, squama utrinque alba, pellucida; mox infra scutellum in metathorace mucro paullo curvatus, supra canaliculatus, deprehenditur. Metathorax postice subretusus, striis 4 longitudinalibus elevatis, interstitiis rugulosis. Maculae abdominis variant 2 — 5 utrinque. Alae hyalinae, nervis ut in *Crabrone* directis. Tibiae ferrugineae, latere exteriori spinuloso; tarsi plerumque etiam ferruginei.

---

## FAM. 12. BEMBECINAE. FALL. (*Bembecides* LATR. BILLB.)

## Bembex.

LATR. FABR.

Genus: cujus unica species *Bemb. rostrata* s. *Apis rostrata* LINN. in Gottlandia, Olandia et Scania campestri rarius habitat, in Lapponia certe hospes.

---

## FAM. 13. SCOLIETAE. LATR.

## Sapyga.

LATR. KLUG. *Hellus* FABR. PANZ. FALL.

*Corpus* elongatum, sublineare, punctatum, subglabrum. Antennae thorace parum breviores, extrorsum subcrassiores, subfractae, ad clypeum insertae. Oculi intus in medio emarginati. Abdomen sessile. Pedes inermes. Alae area specu-

lari ad medium areolae geminae fere adfixa. — Genus, species Sueciae 3 comprehendens, quarum nullam agnoscit Fauna nostra Lapponica.

## Tiphia.

FABR. PANZ. FALL.

*Corpus* oblongum, punctatum, saepe pubescens. Antennae versus os insertae, thorace paullo breviores, filiformes, scapo brevi cylindrico. Femora compressa. Alae area costali ultima aut completa aut incompleta, adjecta areola simplici. Species Sueciae 3, quarum individua, praeter *Tiph. femoratam* frequentiorem, in Suecia rarissime, in Lapponia hactenus nunquam visa.

---

*Phalanx* 2. *Insecta solitarie degentia. Sexus duplex: mares et feminae (neutra nulla). Individua mascula alata, feminea aptera. Abdominis petiolus non squamiformis.*

---

## FAM. 14. MUTILLARIAE. LATR.

## Myrmosa.

LATR. PANZ. FALL.

*Corpus* oblongum, rugoso-punctatum, pilosum. Habitus fere *Philanthi.* Antennae versus os insertae, vix fractae, thorace paullo breviores, filiformes, scapo brevi cylindrico. Alae maris areola aut gemina aut simplici et area speculari instructae; nervis ad marginem extensis. *Mares feminis* apteris duplo aut triplo majores. Spec. Sueciae 2, in Lapponia a me non visae.

---

## Mutilla.

LATR. FABR. PANZ. LINN. FALL.

*Corpus* mediae, plerisque minoris magnitudinis, oblongum, pubescens. Antennae capite multo longiores, ad clypeum insertae, fractae, scapo elongato, cylindrico, incurvo. Abdomen ovatum, convexum, segmento secundo magno, semigloboso, aut subcampanulato. Alae maris area costali ultima integra, area specularis et areola gemina distinctis; at nervis apicalibus in marginem alae non extensis. Species Sueciae 4, in Lapponia hactenus non lectae, quantum novi.

---

*Phalanx* 3. *Insecta societates ordinatas ineuntia. Individua mascula et feminea alata. Neutra aptera. Abdominis petiolus squamiformis aut discrete nodulosus.*

---

## FAM. 15. FORMICARIAE. LATR. (*Formicaedes* BILLB.)

## 49. Formica. LINN.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 528. FABR. LINN. FALL.

*Corpus* mediae, plerisque minoris magnitudinis, oblongum, glabriusculum (in nostris). Caput trigonum. Oculi parvi, rotundi. Antennae thorace paullo breviores, fractae, graciles, filiformes, extrorsum parum crassiores, scapo longissimo, medio faciei insertae. Clypeus subquadratus. Abdomen ovatum, petiolatum, petiolo ex unico articulo elevato, lenticulari, squamoso constante. Aculeus punctorius nullus, at glandulae veneniferae in neutris et feminis. Alae (marium et feminarum) area costali ultima angusta, perfecta; at area speculari et areola nullis. Tibiae praeter spinas ordinarias muticae. *Color* niger, fuscus, in rufo-piceum libenter abiens. *Motu* agilis. *Habitatio* in truncis arborum, sub lapidibus, in terra; per partem sylvaticam et rarius inferalpinam Lapponiae. Mares et feminae nihil curant, nisi nuptias, quae extra domicilium peraguntur, quibusque celebratis illi cito pereunt, hae ad nidum revertunt, ova et alas deposíturae. Neutra seu spadones indefesse vermes, insecta eorumque larvas, succum fructuum et grana pro esca colligunt, rodunt, hauriunt et destruunt; quisquilias, vegetabilium fragmenta et folia putrescentia, praesertim Pini, saepe corrodunt et in acervum congerunt; nidum alveolatum nunquam formant; mares et feminas sub nuptiis sustentant, deinde expellunt et novam prolem educunt. Larvae apodes, subvermiformes. *Differentia sexus* externa mox detegitur: *mas* scilicet et *femina* alati, ille plerumque multoties minor, capite parvo; *neutra* (☿) (femina abortiva) magnitudine plerumque maris, aptera. (Spec. Scand. 10 et ultra.)

**1. F. herculeana**: nigra, pectore, metathorace pedibusque ferrugineis, alis brunnescentibus, petioli squama ovata, apice integro, capite thorace parum latiori ♀. ☿.

LINN. Fn. Sv. 1720. Act. Holm. 1741. p. 38. FABR. Piez. 395. 1.

Hab. in truncis arborum emortuarum Lapponiae Suecicae passim, vagabunda; sub cortice truncorum putrescentium ad Wittangi, et in truncis putridis Pini sylvestris ad Juckasjervi, Lapponiae Tornensis,; d. 13—30. Jun. frequentiorem vidi. (Lappon.-Ostrogoth., Gottlandia, Blekingia, in truncis arborum emortuarum Populi Tremulae, passim.)

*Fem!* Maxima nostratum hujus generis, 5–6 lin. longa, glabra, subnitida, nigra, laevis vel punctis minutis raro impressa. Antennae radicula testacea, flagello extrorsum fusco aut piceo. Thorax subtus piceo-ferrugineus, supra seu dorso continuo, convexo, nigro, metathorace laevi, rufescente. Abdomen ovatum nigrum, margine apicali segmentorum pallido-membranaceo, subpellucido, ciliato, petiolo rufo, squama lenticulari, rotundato-ovata, erecta, integra. Alae corpore longiores, flavo-hyalinae, nervis validis, testaceis, areis subcostalibus tribus, discoidali perfecta nulla. Pedes compressi, rufo-ferruginei, tibiis et tarsis saepe piceis.

*Neutra* feminae descriptae simillima, plerumque paullo minora, alis nullis.

**2. F. intermedia**: nigra, thorace postice compresso pedibusque obscure ferrugineis, illo antice nigricante, petioli squama ovata, apice integro, capite thorace duplo latiori. ☿.

Hab. in societate cum *Form. herculeana* ad Juckasjervi rarius. (Lapponia.)

*Neutr.* Priori paullo minor, sequente vero major, inter utramque media, colore prioris, structura partium sequentis gaudens. A *F. herculeana* aperte differt: thoracis dorso bilobo et metathorace valde compresso; et a *F. rufa*: capite multo majori, thoracis lobo primo obscuro s. fusco, abdominisque segmentorum marginibus evidenter pallide membranaceis distincta; abdominis quoque primum segmentum totum nigrum, nec ut in sequente, antice rufum. Reliqua ut in *Form. rufa.* In Suecia inferiori a me haec species non visa nec ab alio Collectore inventam novi.

**3. F. rufa**: nigra, thorace postice compresso pedibusque rufo-ferrugineis, alis subhyalinis, petioli squama ovata, apice integra; capite thorace paullo latiori. ♂. ♀. ☿.

LINN. Fn. Sv. 1721. ♂♀☿. FABR. Piez. 398. 11.

Hab. in Lapponia sylvatica Suecica, rarius; acervos e foliis acerosis exstruens, pungens. (Lappon.-Gottlandia, Ostrogothia, Blekingia, vulgaris; Scania sylvatica borealis rarius.)

*Neutr.* Priori duplo fere minor, parum nitida, glabra, laevis s. oculo acutissime armato subtilissime creberrime punctulata. Nigra. Caput et antennae ut in praecedente constructa et colorata. Thorax dorso interruptus, lobo scilicet primo reliquis latiori (licet capite duplo angustiori), arcuatim flexo; secundo s. intermedio latitudine primi, sed angustiori, obliquo; tertio, qui metathoracem efficit, valde compresso; totus obscure ferrugineus. Abdomen breviter ovatum, nigrum, petiolo et primo segmento basi antice, ferrugineis, segmentorum marginibus parum membranaceis; laeve, subnitidum, glabrum, pilis erectis pallidis in singulo segmento duplice serie transversim dispositis. Squama petioli ovata, apice integra, ciliata. Pedes obscure ferruginei, tibiis et tarsis nigricantibus.

*Mas et Femina* alati, magnitudine variant.

Var. b ☿. duplo minor, thorace, metathorace, squama petioli pedibusque testaceis; cum varietate a capta.

**4. F. fusca**: cinereo-fusca, antennis pedibusque dilutioribus, petioli squama late ovata, apice truncata, capite thoracis fere latitudine. ♂♀☿.

LINN. Fn. Sv. 1722. FABR. Piez. 399. 13.

Hab. sub terra per partem sylvaticam Lapponiae passim; ad Karungi et Wittangi Lapponiae Tornensis. Feminas alis depositis cum neutris, jam 27. Maj. et 14. Jun. legi. Neutra quoque ad Bossekop Finmarkiae d. 4. Aug. visa. (Lappon.-Scan. vulg.)

*Mas.* Mediocris, circiter 4 lin. longus. Variat etiam paullo minor. Fuscus, parum griseo-sericeo-micans. Laevis. Caput parvum,

thorace fere angustius, trigonum. Antennae filiformes, 13-articulatae, scapo tertiae partis totius antennae longitudinis, ferrugineo, flagello fusco. Oculi subprominuli. Thorax dorso convexo continuo. Scutellum rotundatum. Metathorax non compressus. Abdomen ovatum glabrum; petioli squama crassa, erecta, brevis, late obovata s. obcordata, apice scilicet truncato s. leviter emarginato, nudo. Alae abdomine multo longiores, hyalinae, stigmate et nervis fuscioribus; areis discoidali interdum obsoleta, trapeziformi, subcostalibus tribus subaequaliter longis et latis. Pedes ferruginei toti.

*Fem.* Magnitudo maris, abdomine paullo breviore. Fusco-griseo-sericeo-micans. Caput quadrato-triangulare, thorace parum angustius. Partes oris piceae, aut rufo-testaceae. Antennae paullo validiores, quam in mare, extrorsum subcrassiores, 12-articulatae, fuscae, basi ferrugineae. Oculi subimmersi. Thorax, scutellum, metathorax, abdomen et squama petioli ut in mare. Alae etiam ut in illo. Pedes toti obscure ferruginei.

*Neutra.* Mare saepe multoties minor; aptera, fusca, antennis pedibusque semper dilutioribus. Antennae 12-articulatae, fuscae, basi piceae. Oculi immersi, minuti. Thorax capite duplo angustior, lobo primo majori, rotundato; secundo s. scutello minori, angustiori, compresso; tertio s. metathorace mediocri. Abdomen, squama petioli, et pedes ut in femina.

**5. F. obsoleta:** testaceo-rufa, capite thoraceque supra aut concoloribus aut nigricantibus, abdomine subgloboso nigro, squama petioli obovata, apice emarginata. ♀. ☿.

Linn. Fn. Sv. 1724. Fabr. Piez. 402. 27. Billb. Enumerat. Insect. anno 1820. p. 104. ☿. *Form. dorsata*, capite, thorace subtus femoribusque rufis, antennis, pedibus abdomineque nigris. Panz. Fn. 54. f. 1.

Hab. in Lapponia sylvatica Suecica rarius; ad Ofotenfjord Nordlandiae septentrionalis d. 14. Jul. unicum individuum neutrum inveni. (Lapp.-Blekingia pass.)

*Fem.* *Form. fuscae* ♀ paullo major, glabra, subopaca, laevis. Caput latitudine thoracis, triangulare, rufum, facie, vertice oculisque parvis subimmersis, nigris. Antennae filiformes, 11-articulatae, flagello extrorsum parum crassiori, nigro, scapo fusco. Thorax cum collari, pectore et metathorace rufis, dorso continuo et scutello transverso, nigricantibus. Abdomen subglobosum, nitidum, glabrum, nigrum, articulo primo antice ferrugineo; squama petioli obovata, apice obtuso, magis v. minus emarginato, tota rufa. Alae elongatae, fumato-hyalinae, apice aqueae, nervis validis fuscioribus, areis subcostalibus ordinariis tribus elongatis, et unica discoidali ante medium alae, completa, trapeziformi. Pedes toti rufi, tibiis interdum obscurioribus.

*Neutr.* Femina triplo et ultra minor, glabra, laevis, subopaca. Caput thoracis antico duplo latius, triangulare, rufum, oculis parvis subimmersis, vertice antennisque 12-articulatis, extrorsum subcrassioribus, nigris, scapo rufo. Thorax dorso interruptus, lobo antico rotundato, intermedio s. scutellari et metathorace valde compressis; totus rufus, lobo antico dorso subinfuscato. Abdomen rotundatum, vix pilosum, parum nitidum, nigrum, squama petioli altitudine abdominis dorsi, obovata, apice distincte emarginato, rufo-testacea, non ciliata. Pedes toti rufi, tibiis posticis vix fuscioribus. — Specimina huic simillima, sub nomine *Formica emarginata* Latr. olim mihi misit D. Dalman. — Specimen Nordlandicum paullo majus, tibiis obscurioribus, facie etiam nigra, squama petioli late obovata, apice obtuso vix v. parum emarginato differt; an specie distincta? — Individua etiam duo magnitudine et structura petioli squamae, specimini Nordlandico simillima, corpore pilosiusculo, tota rufo-testacea, oculis, antennarum apice abdomineque tantum nigro-fuscis discrepantia, ad Juhonpietis Lapponiae Tornensis Suecicae d. 8. Jun. inveni.

**6. F. lugubris:** glabra, antice pilosiuscula, nigra tota, alis fumatis, squama petioli late subquadrata, latereque superiori late subemarginata. ♂.

An *Form. microcephala* Panz. Fn. 54. f. 2.?

Hab. in Lapponia rarissime, ad Ofotenfjord Nordlandiae septentrionalis d. 14. Jul. unicum individuum in societate cum *F. obsoleta* var. b. . inveni. (Lapponia Norvegica; Ostrogothia Suecica media rar.)

*Mas.* Magnitudo *Formicae fuscae* feminae. Tota nigra, laevis, glabra, opaca. Caput triangulare, thorace paulo angustius, subpilosum. Antennae filiformes, 13-articulatae. Flagellum scapo elongato duplo longius. Oculi subexserti. Thoracis forma ut in hoc genere vulgaris, dorso convexo continuo. Metathorax convexus, laevissimus, nitidus. Abdomen thoracis longitudine aut illo paullo longius, fusco-atrum, [illegible] griseum, segmentorum basi lucida; marginibus non membranaceis; genitalibus exsertis, ferrugineis. Squama petioli abdominis dorso paullo humilior, obcordata, seu transversim subquadrata, latere superiori late, sed non profunde, emarginata, margine toto ciliato. Alae nervis ut in priori. Pedes nigri, posticis femoribus a medio ad apicem tibiisque latere exteriori ferrugineis.

**7. F. atra:** glabra, nigra tota, alis hyalinis nervis flavicantibus, petioli squama brevissima, transversa, latere superiori emarginata. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad pagum Junosuando juxta flumen Tornense d. 9. Jun. in societate cum *Formica rufa* ☿ unicum individuum captum. (Lapponia Suecica sylvatica.)

*Mas.* Magnitudo, statura et similitudo praecedentis, a qua imprimis differt: antennarum proportione, colore nervorum in alis, ut et squama petioli breviore. Tota nigra, subopaca, glabra, laevis. Caput ut in priori. Antennarum scapus longissimus, capite scilicet duplo longior, cylindricus, niger, radicula testacea; flagellum scapo vix longius, filiforme, arcuatum, 13-articulatum, fuscum. Thorax ut in praecedente. Abdomen etiam ut in illo, sed marginibus segmentorum submembranaceis, ano piloso, et genitalibus parum exsertis. Squama petioli abdominis dorso multo humilior, crassa, transversa, latere superiori late, sed parum profunde, emarginata, nuda, pilis aliquot in angulis obsita. Alae hyalinae, nervis flavicantibus, ut in praecedenti directis, at area discoidali trapeziformi nulla. Pedes nigri, tarsis fusco-ferrugineis.

**8. F. rufa:** glabra, aut fusca, antennis pedibusque ferrugineis (mas et femina), aut testacea, oculis et puncto ventrali nigris (neutrum). ♂. ♀. ☿.

Linn. Fn. Sv. 1725. ☿. Fabr. Piez. 400. 17. ☿. Suecis Ettermyror.

Hab. in Lapponia secundum Collectiones boreales, a me in terris arcticis frustra quaesita. (Lapponia; Botnia-Scania in caespitibus graminosis et sub lapidibus frequenter; ♂ et ♀ mense Augusto examinant; ☿ pungit.)

*Mas.* Parva, vix ultra 1½ lin. long. Variat tamen major. *Form. fuscae* affinis, petioli squama praecipue distincta. Glabra, fusco-nigra, laevis. Antennae valde graciles, setaceae, 13-articulatae, testaceae, scapo obscuriori, tertiae partis totius antennae longitudinis. Thorax et abdomen ut in *F. fusca*, squama petioli abdominis dorso paullo humiliori, oblonga, apice emarginata, subpilosa. Alae et pedes ut in *F. fusca*, at alae basi plerumque infuscatae. Var. b. ♂. paullo minor, alis totis hyalinis, area discoidali nulla; an distincta?

*Fem.* Mare triplo major et ultra. Glabra, fusco-nigra, laevis, sericeo-micans. Antennae validiores, quam in mare, 12-articulatae, ferrugineae. Os rufum. Thorax ut in mare. Abdomen breviter ovatum, glabrum, subopacum, ano parum piloso; squama petioli ut in mare constructa, ferruginea, apice nigricante. Alae et pedes ut in mare.

*Neutr.* Mare duplo et ultra minor, tota testacea, laevis, glabra. Antennae ut in femina. Oculi minuti, punctiformes, atri. Thorax, scutellum et metathorax ut in neutro *Formicae fuscae* constructa; tota testacea. Alae nullae. Abdomen breviter et parce pilosum, testaceum, subtus in medio macula parva, nigra. Pedes toti testacei.

*Obs.* *Form. nigra* Linn., ut et *F. flava* Fabr. Billb. in Sueciae interioris sylvis habitant, in Lapponia a me non visae.

## 50. Myrmica. Latr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 532. Fall. *Formica* Fabr. Linn. Billb.

*Corpus* parvum, oblongum, angustum, glabriusculum aut pilosum. Caput trigono-quadratum. Oculi rotundati, parvi. Antennae thorace paullo breviores, fractae, aut graciles filiformes, aut submoniliformes extrorsum crassiores; infra medium faciei insertae. Clypeus subtriangularis. Abdomen ovatum, petiolatum, petiolo e duobus articulis nodosis constante. Alae (marium et feminarum nostratum) abdomine longiores, areis subcostalibus tribus, prima sub nervo auxiliari sita angusta oblonga; secunda sub stigmate, plerumque latiori, ovata; ultima elongata, apice saepius aperta; area unica discoidali completa trapeziformi; area speculari et areola nullis; similis igitur fere nervorum ratio ac in *Formica*; at nervi, praesertim qui e disco in marginem apicalem alae excurrunt, valdopere obsoleti. Pedes validi, mutici. *Color* niger, rufus, aridus, opacus. *Motu* agilis. *Habitatio* in terra, sub lapidibus et muscis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque, ipsum jugum alpinum non metuens. *Differentia sexus* externa evidens: *mas* scilicet et *femina* alati, *ille* parum minor, antennis 13-articulatis, metathorace bidentato; *haec* antennis 12-articulatis, metathorace distincte bispinoso; *neutra* (femina sterilis) aptera, scutello ut in femina evidenter spinoso. (Spec. Scand. 5.)

**1. M. caespitum:** pilosa nigra aut nigro picea, pedibus dilutioribus, antennis moniliformibus, extrorsum crassioribus,

scapo-breviusculo, alis hyalinis, basi fumatis, area subcostali media nervulum inchoantem includente. ♂♀.

Var. a. ♂♀. corpore nigro.

Linn. Fn. Sv. 1726. ♀. Fabr. Piez. 406. 46. ♂?

Var. b. ♂♀. corpore piceo.

Hab. in Lapponia sylvatica, ut fertur; forte rarissima, mihi ibi non obvia. (Lapp.-Ostrog. freq Scan. rar.)

*Mas.* Magnitudo maris *Formicae rubrae* s. circiter 2 lin. longa Pilosa, nitida, nigra, aut picea, laevis. Caput subrotundatum. Ocelli prominuli. Mandibulae trigonae, apice denticulato, rufae. Antennae thorace breviores, scapo vix quinta parte totius longitudinis antennae, crasso, flagello articulis basi et medio moniliformibus, extrorsum sensim crassioribus, ovatis, ultimo oblongo; totae piceae, apice dilutiores. Thorax dorso convexo, continuo. Scutellum subtriangulare. Metathorax utrinque dente brevi valido. Abdomen (demto petiolo) longitudine thoracis, ovatum, pilosum, petiolo nodis 2, posteriori paullo majori. Alae fumatae, apice hyalinae. Areola subcostalis media nervulum, rarius brevem, plerumque ad dimidium extensum, rarissime nullum, includit. - Pedes mediocres, nigri aut picei, pilosi, tarsis dilutioribus.

*Fem.* Forte hujus? Magnitudo maris descripti. Nigra aut picea, pilosa. Caput subquadratum, longitudinaliter striatum. Oculi subimmersi. Mandibulae late trigonae, rufae. Antennae ut in mare constructae; at scapo longitudine tertiae partis totius antennae; totae rufae. Thorax etiam ut in mare constructus; striatus. Metathorax spina utrinque recta, elongata. Abdomen, alae et pedes omnino ut in mare.

**2. M. vagans**: subpilosa rufo-picea aut rufo-ferruginea, pedibus dilutioribus, antennis submoniliformibus, extrorsum crassioribus, scapo elongato, alis hyalinis, area subcostali media nervulum inchoantem includente. ♂. ♀. ☿.

Var. a. ♂♀. colore corporis rufo-piceo.

Var. b. ♂♀☿. colore corporis rufo-ferrugineo aut rufo-testaceo, capite abdomineque supra interdum obscuriori.

Fabr. Piez. 407. 48.

Hab. in Lapponia sub muscis rarius. (Lappon.-Ostrogoth. Scan. freq.)

*Mas.* Magnitudo, statura et summa affinitas maris praecedentis, a quo non differt nisi pilositate rariori, colore plerumque dilutiori, dentibus metathoracis brevioribus, et inprimis antennis longioribus, scapo longissimo tenui, nec ut in priori brevi, crasso. Antennae capite thoraceque longiores, scapo longissimo, longitudine scilicet exacte tertiae partis totius antennae, haud valido, cylindrico; flagello articulis breviter ovatis, basi antennae angustis, extrorsum gradatim crassioribus, ultimo oblongo; totae minus quam in priori pilosae, fuscae, apice testaceo. Variat praeterea corpus magis, vel minus intense ferrugineum, interdum piceum.

*Fem.* Magnitudo maris; feminae descriptae praecedentis simillima, colore dilutiori, alis pallidioribus basi vix infuscatis, antennarumque scapo paullo longiori, tertiam totius antennae partem et ultra efficiente. Spinae metathoracis etiam paullo breviores, quam in illa videntur. Caput supra et abdominis dorsum saepe obscuriora. Individua et alata et aptera (alis scilicet depositis) saepe simul habitantia deprehenduntur

*Neutra.* Femina duplo et ultra minor. Tota rufo-ferruginea, pilosa. Caput ut in femina, oculis minutis, punctiformibus, nigris. Thorax capite duplo angustior, dorso interrupto, inaequali, longitudinaliter substriato, interstitiis rugosis. Metathoracis spinae rectae. Abdomen ut in femina. Alae nullae. Pedes validi, testacei.

**3. M. Acervorum**: pilosa, rufo-ferruginea, capite supra abdominisque dorso, nigricantibus, antennis rufis, extrorsum fuscis, scapo elongato, flagelli articulis moniliformibus, versus apicem crassioribus, alis albo-hyalinis, area subcostali media elongata, nervulum dividentem nullum includente. ♀. ☿.

Fabr Piez. 407. 50. *Formica Acervorum* Billb. Enumeratio Insector a. 1800. p. 104. ☿.

Hab. in Lapponia Suecica rarius; deprehenditur quoque in Lapponia Norvegica, et ad Bossekop Finmarkiae occidentalis d. 4. Aug. spadones s neutra inveni. In ipso alpium Tornensium jugo individua plura feminarum alis jam depositis, et neutrorum, una cum ovis sic (dictis) seu pupis, locis denudatis, scilicet ubi nix in rupibus soluta fuit, d. 12. Jul. legi. (Lapp.-Ostrogoth. Scan. pass.)

*Fem.* Feminae praecedentis fere triplo minor. Subpilosa, rufa, ferruginea. Caput subquadratum, supra nigricans, opacum, vix striatum. Mandibulae rufae. Oculi parvi, subimmersi, nigri. Antennae thorace paullo breviores, scapo fere plus quam tertiam partem totius longitudinis efficiente, cylindrico, haud crasso, flagello articulis moniliformibus, basi antennae angustis minutis, extrorsum sensim evidenter crassioribus, ultimo ovato; totae ferrugineae, apice seu clava nigricante — Thorax dorso convexo continuo, vix striato, rufo aut piceo; scutellum late triangulare, concolor. Metathorax spina utrinque plerumque brevi. Abdomen ut in prioribus; dorso saltem piceo. Alae albidae, nervis et stigmate obsoletis concoloribus; areis costalibus intermedia elongata, angusta absque nervulo incipiente intus; ultima brevi, apice aperta, vix ultra stigmate apicem extensa; area discoidali ante medium sita, trapeziformi, subquadrata, obliterata. Pedes rufi aut pallidi.

*Neutra* Magnitudo fere feminae eique similis, capite magis elongato, quadrato, oculis paullo minoribus, antennis distinctius clavatis, thorace capite multo angustiori, inaequali, punctulato, spinis metathoracis evidentioribus, ut et alis nullis, distincta.

**4. M. Tuberum**: pilosa, rufo-ferruginea, capite supra abdominisque cingulo late, nigricantibus, antennis flavis, extrorsum fuscis, scapo elongato, flagelli articulis moniliformibus, versus apicem crassioribus, pedibus pallidis, alis albo-hyalinis, area subcostali media elongata nervulum dividentem nullum includente. ♀. ☿.

Fabr. Piez. 407. 47. (sub nomine *Myrmica unifasciata* Latr. a D. Dalman olim communicata). *Formica Tuberum* Billb. Enumer. Insect. 104. ☿.

Vix in Lapponia habitat, mihi enim nec ibi nec in provinciis adjacentibus obvia, nec in terris arcticis ab alio Collectore inventam audivi; sed ut cum priori sat simili comparetur, si forsitan olim in Lapponia quoque detegeretur, illius diagnosin et brevem descriptionem in Fauna nostra desiderari nolui. (Uplandia, Ostrogoth., Scan. pass. rar.)

*Fem.* et *Neutra.* Magnitudo et summa praecedentis similitudo, nec differt ab illa, nisi capite praesertim in femina paullo magis rotundato, antennis pedibusque pallide flavis, illarum articulis 3 ultimis determinate crassioribus et nigricantibus, abdominisque dorso fascia magis vel minus late, interdum ad totum dorsum extensa, nigro-fusca.

**5. M. lacteipennis**: pilosa, nitida nigra, pedibus piceis, alis lacteis, area subcostali media oblonga, nervulum dividentem nullum includente, antennis filiformibus, scapo brevi. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi rarius; ad Karesuando et Kengis d. 15—22. Aug. a me capta. (Lapponia; Ostrogothia, Gottlandia pass. Scan. rar.)

*Mas.* *Myrm. Caespitum* mari duplo minor, angustior, *Myrm. Acervorum* duplo major. Tota atra, nitida, pilosiuscula, laevis, pedibus tantum fusco-piceis. Caput rotundatum, rugoso-punctatum, distincte pilosum. Oculi subprominuli. Mandibulae haud latae. Antennae thoracis longitudine, 12-articulatae, subtenues, filiformes, pubescentes, nigro-fuscae, scapo brevi, vix nonae partis longitudine totius antennae, cylindrico, paullo crassiori, piloso, articulo 2do brevi rotundato; 3—6 angustis, elongatis, 7—11 oblongis, vix crassioribus, ultimo adhuc paullo longiori. Thorax dorso convexo, continuo. Scutellum late triangulare. Metathorax dente utrinque brevi, obsoleto. Abdomen ovatum, petiolo binodo ut in reliquis. Alae ut in *Myrm. Acervorum*, sed magis albidae videntur, nervis etiam ut in illa directis, at area discoidali ante medium sita quadrata, magis distincta et area subcostali intermedia breviori. E basi areolae costalis ultimae excurrit nervulus, sua basi tantum perspicuus, aream specularem inchoantem et crucem cum superioribus formans; qui nervulus in *M acervorum* fere omnino deficit. Pedes picei aut fusco-ferruginei, tarsis saepe dilutioribus. — Vix mas *Form. caespitum* Auctor.? repugnant enim color, magnitudo etc.

---

*Subdiv.* 2. Alae superne per totam latitudinem non extensae, longitrorsum duplicatae, inferas excipientes. Oculi oblongi, semper intus emarginati. Antennae fractae. Clypeus convexus.

## FAM. 16. VESPARIAE Latr. Fall. (*Vespaedes* et *Eumenides* Billb.)

A. *Sociales*, sive societates e masculis, feminis et neutris (feminis sterilibus) aggregatis ineuntes. Mares innocui, feminae et neutra aculeo retractili valde pungentes.

### 51. Vespa. Linn.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 537. Fabr. Linn. Fall. Norvegis Finmarkicis: *Quaesmae.*

*Corpus* majoris magnitudinis, elongatum, cylindricum, punctatum, pubescens aut villosum. Antennae medio faciei insertae, extrorsum subcrassiores, apice non curvatae, scapo

elongato, cylindrico. Clypei margo anticus truncatus, late sed non profunde emarginatus, latere utrinque unidentatus. Metathorax postice, et abdomen antice, transversim truncata, hoc petiolo brevissimo insertum. Alarum areae specularis insertio a nervulo medio areolae geminae remota. Nervuli duo ex angulo interiori areae specularis et areolae geminae exterioris excurrentes, obsoleti, ad marginem alae haud extensi, vix nisi ad basin suam perspicui. *Color* niger, pictura flava in maculas vel fascias digesta. *Motu* agilis; volatus longus, haud interruptus. *Habitatio* in floribus *). Species hujus generis in Monogamia primum vivere contenditur; duo scilicet individua favos fingunt, h. e. nidum polythalamum cellulis hexagonis pluribus aggregatis e ligni frustulis foliisque masticatis construunt, totumque domicilium globose confectum tegumento duplici papyraceo, colore griseo circumdant; femina deinde unum in singula cellula deponit ovum. Ex his ovis excluduntur *Larvae* apodae, subvermiformes, e succo animalium et fructibus a neutris matreve nutriendae, tandem in *pupas* mutantur, et postremo ut *imagines* declaratae, individua scilicet mascula, feminea et neutra proveniunt, quae cuncta rempublicam constituunt. *Hospitatur* per omnes regiones Lapponiae. *Differentia sexus triplicis; mas:* magnitudine media, capite densius villoso, antennis thorace paullo longioribus, 13-articulatis, scapo brevi, flagello lineari; *femina:* mare paullo major, capite minus dense villoso, antennis thorace paullo brevioribus, 12-articulatis, scapo elongato; flagello extrorsum subcrassiori; *neutra:* feminae similis, duplo vel triplo minor. (Species Scandinaviae 10 in Museo meo numerantur).

**1. V. Crabro**: pubescens nigra, clypeo, mandibulis medio, faciei macula, capite pone oculos, antennarumque scapo, luteis, thoracis margine antico et lobis scapularibus rufis, abdomine flavo, segmentorum fasciis basalibus nigris, mediarum tricuspidatis, alis brunnescentibus, tibiis testaceis. ♂. ♀. ☿.

Linn. Fn. 1670. Fabr. Piez. 255. 8.

Hab. in Lapponia, ut fertur, an jure? Neque in ulla Lapponia, neque in provinciis reliquis borealibus huic alluentibus mihi contigit invenire speciem sub nomine *Bolgeting* per totam Patriam bene cognitam, in hoc genere giganteam, et in Sueciae mediae atque meridionalis arboribus et sub earum radicibus haud infrequenter habitantem, Apum accipitrem.

**2. V. vulgaris**: villosa nigra, clypei lateribus inaequaliter, macula inter antennas subdidyma, emarginatura oculorum tota orbitaque postica, linea antealari, puncto sub alis, maculis scutelli 4, abdominis segmentorum margine inaequaliter, genubus, tibiis tarsisque, flavis. ♂. ♀. ☿.

Linn. Fn. Sv. 1671. ☿. Panz. Fn. 49. f. 19. ♀. Fabr. Piez. 255. 9. ♀.

Hab. in domibus Novaccolarum sub tectis, per partem sylvaticam et cultam Lapponiae rarius. In copula capta. Versus autumnum nuptias celebrat. Dulcibus delectatur. Dipterorum praedatrix. (Lappon.-Scania vulgaris).

*Mas.* Medius, circiter 6 lin. longus. Villis antice densis nigris, postice rarioribus pallidis obsitus. Antennae thorace longiores, nigrae, scapo subtus rarissime macula flava. Mandibulae flavae, margine apicali nigro. Clypeus flavus, linea media nigra angusta oblyrata, ad apicem usque saepe producta, interdum abrupta et interrupta, relictis tantum maculis 2 una sub altera, ejusdem coloris. Macula facialis inter antennas transversa, antice emarginata, flava. Tota oculorum emarginatura impleta est flavedine, quae juxta oculos paullo infra antennas extenditur. Orbita oculorum postica flava, continua. Thorax niger, linea humerali, maculis una sub alis et quatuor scutelli, harum 2 inferioribus saepe parvis obsoletis, interdum nullis, flavis. Abdomen nigrum, segmentis margine apicali sinuatim flavo, segmento ultimo apice emarginato. Alae brunneo-hyalinae, squamula (tegula) flava. Pedes mutici nigri, genubus, tarsis et tibiis flavis, his latere interiori linea nigra.

*Fem.* Mare duplo major, magnitudine scilicet fere *V. Crabronis* maris. Alias similis suo mari, differt: corpore minus piloso, macula clypei nigra latiori, subanchoraeformi, ad apicem non extensa, macula frontali antice magis emarginata, fere didyma, orbita oculorum postica interrupta, antennis thorace brevioribus, maculis scutelli 4 distinctioribus transversis, et nigredine segmentorum abdominis margine magis sinuata, in segmentis 2 et 3 fere tricuspidata, in segmentis vero 4 et 5 puncta 2 discreta formante; qualis colorata a Linnaeo femina hujus speciei describitur; segmentum ultimum apice integrum.

*Neutra.* Mare duplo minor. Feminae de çetero similis, differt: maculis scutelli saepe 6, et tunc inferioribus majoribus. — Variat etiam abdomine ut in mare colorato.

*) Vespas varias majores *Apes mellificas* persequi et illis infestare, in terris temperatioribus saepe observatum est; hoc autem vix faciunt nisi ut mel in abdomine s. ventre apum reconditum pro esca hauriant, reliquum corporis intactum relinquentes.

**3. V. borealis**: villosa nigra, clypei lateribus inaequaliter, antennarum scapo subtus, macula inter antennas didyma, orbita oculorum subverticali et infra emarginaturam breviter, linea antealari, maculis scutelli subbinis, abdominisque segmentorum margine inaequaliter, flavis, genubus, tibiis tarsisque luteis. ♀.

Hab. in Lapponia sat frequens, scilicet ad Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 12 - 28. Jun. capta; procedit usque ad alpes et in summo alpium Tornensium Jugo d. 12. Jul. lecta; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae, et ad Tromsoe d. 24. Jul. in terra nidificans inventa; ad pagum Matarengi in paroecia Oefver-Torneå jam d. 29. Maj. visa. (Lapponia; Botnia borealis ad Matarengi rarius; Ostrogothia rarissime, ibique semel capta).

*Fem.* Magnitudo et summa *Vespae vulgaris* ♀ similitudo, at differt: macula clypei nigra adhuc paullo latiori, ad apicem usque extensa, antennarum scapo subtus flavo, macula faciali didyma, antice posticeque scilicet profunde emarginata, orbita oculorum tantum infra emarginaturam juxta oculos tenuissime, et verticali seu occipitali breviter, flava, puncto sub alis nullo, maculisque scutelli tantum 2, aut omnino nullis; et quod non cohabitant. *Vespa saxonica* Fabr. etiam huic similis, sed illa differt a nostra *V. boreali:* clypei linea media valde abrupta, vix nisi in macula media difformi perspicua, macula thoracis triangulari sub alis utrinque evidenti, maculisque 4 scutelli plerumque distinctioribus, flavis. Affinis denique *V. holsaticae* feminae (species, quam in Entomol. System. attulit Cel. Fabr. e speciminibus tantum masculis descripta esse videtur); sed ea clypeum totum flavum, puncto tantum minutissimo centrali nigro, maculam facialem majorem, lineas orbitales oculorum latiores, maculas scutelli semper 2 distinctas tibiasque totas flavo-luteas immaculatas, has latere interiori tantum nigro-lineatas, habet.

*Not.* Hanc speciem apud auctores hactenus nullibi descriptam inveni.

**4. V. rufa**: villosa nigra, clypei lateribus inaequaliter, macula inter antennas transversa, orbita oculorum in emarginatura et occipite breviter, linea antealari, macula sub alis duabusque scutelli distinctis, genubus, tibiis tarsisque, flavis, abdominis segmentis anticis rufis, posticis nigris, omnibus flavo-marginatis. ♂. ♀. ☿.

Linn. Fn. Sv. 1672. ☿. Fabr. Piez. 256. 13. ☿.

Hab. in Lapponia sylvatica rarius (Lappon.-Ostrogoth. in Abiete freq.-Scan. rar.).

*Mas.* Magnitudo *V. vulgaris* maris. Antice nigro-villosus. Antennae thorace longiores, nigrae, scapo subtus late, et apice undique, flavo. Mandibulae flavae, dentibus apicis nigris. Clypeus flavus, puncto centrali nigro. Macula facialis inter antennas transversa, antice posticeque leviter emarginata, flava. Orbita oculorum tantum in parte inferiori emarginaturae abrupta, et in occipite a vertice ad genas continuata, flava. Thorax niger, linea humerali, macula triangulari sub alis, maculisque binis ovalibus transversis distinctis, flavis. Abdominis segmenta 1mum antice nigrum, medio rufum, macula in disco fusca, margine apicali flavo; 2dum rufum, in medio baseos macula lata inaequali nigra, margine apicali flavo; 3tium et reliqua nigra, marginibus inaequaliter flavis aut luteis, ultimo apice integro. Alae brunneo-hyalinae, squamula flava. Genua late, tibiae tarsique, flavo-testacea.

*Fem.* Mare paullo major; differt ab illo: antennis thorace paullo brevioribus, scapo toto nigro, clypei linea media lyrata, lata, ad apicem extensa, orbita oculorum in occipite abrupta, relicta tantum linea vix a vertice ad medium oculi extensa.

*Neutra.* Feminae simillima, triplo fere minor, segmentis abdominis duobus primis totis rufis, margine apicali flavis, secundo in medio baseos plerumque macula triangulari nigra; segmento tertio et reliquis basi inaequaliter, nigris, margine apicali flavis.

**5. V. norwegica**: villosa nigra, clypei-lateribus inaequaliter, antennarum scapo subtus, macula inter antennas didyma, orbita oculorum in emarginatura et occipitali breviter linea antealari, maculis 2 scutelli parvis, genubus, tibiis tarsisque, flavis, abdominis segmentis flavo-marginatis, secundo utrinque macula rufa. ♂. ☿.

Fabr. Piez. 256. 14. var. clypeo flavo. Billb. Enum. Ins. p. 108.

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi et Kemensi passim. Individua praesertim mascula ad Muonioniska et Kihlangi d. 17—21. Aug. inveni; etiam in Finmarkia occidentali, ex. gr. in Gamstenstind atque in alpibus adjacentibus d. 30—31.

Jul. neutra collegi. (Lappon.-Uplandia, Ostrogoth. pass. Scan. rar.)

*Mas.* Magnitudo maris prioris aut fere paullo minor, eique valde similis. Antennae thorace longiores, nigrae, scapo tantum subtus (nec apice) flavo. Clypeus flavus, plerumque linea media sublyrata, parum lata, nigra. Macula inter antennas flava rotundata, antice posticeque distincte emarginata. Orbita oculorum in emarginatura latere inferiore tenui, et in occipite verticali abrupta brevi (nec ibi continuata), flava. Macula sub alis nulla. Maculae scutellares binae, rotundae, parvae, saepe obsoletae. Abdomen nigrum, segmentorum margine apicali haud late, inaequaliter flavo; segmento secundo utrinque macula rufa a basi ad flavedinem extensa; ultimo leviter emarginato. Alarum squamula piceo-testacea. Pedes flavo-testacei, antici femoribus basi late, tibiarumque macula, et posteriores femoribus summa basi et subtus ultra medium, nigris. Reliqua ut in priori.

*Neutra*, mari descripto similis, paullo minor, antennis abdomineque brevioribus, ano acutiori, segmento ultimo dorsali non emarginato, distincta.

*Obs.* *Vespae* Fabricianae *germanica*, *saxonica*, et *holsatica*, nec non *V. Suecica* Billb. ut et *V. austriaca* Panz., in Sueciae inferioris sylvis magis vel minus frequenter, in Lapponia vix, leguntur, mihi saltem in Lapponia non obviae.

---

B. ***Solitariae.*** Mares innocui; feminae aculeo retractili pungentes. Neutra nulla.

## 52. Odynerus. Latr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. pag. 139. (subgenus). Billb. *Vespa* Linn. Fabr. Fall. *Eumenes* Latr.

*Corpus* mediae magnitudinis, elongatum, punctatum, subpubescens. Antennae medio faciei insertae, extrorsum subcrassiores, apice subinflexo. Clypeus subquadratus, antice angulatus, prominentia media angusta, emarginata. Metathorax postice subretusus, squamarum rudimento in apice. Abdomen ovato-conicum, brevissime petiolatum, segmento primo antice rotundato, secundo maximo, antecedente latiori. Alarum areae specularis insertio nervulo medio areolae geminae approximata, h. e. parti dimidiae posteriori (nec anteriori) baseos hujus areolae locata. Nervuli 2 ex angulo inferiori areáe specularis et areolae geminae exterioris excurrentes magis vel minus perspicui, rarius ad marginem alae usque producti. *Color* et *Motus Vespae.* *Habitatio* in floribus; per partem sylvaticam et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque; rarius in alpibus. *Nidificant* aut in foraminibus murorum et parietum, aut in terra, ubi foramina oblonga et extra superficiem terrae, tubo brevi conico argillaceo ad introitum defendendum fabricant. *Larvae* apodae, subvermiformes; in nidis monothalamis; solitarie e larvarum aliorum insectorum cadaveribus vivunt. *Differentia sexus* externe cito detegitur; *mas* scilicet: plerumque paullo minor, antennis 13-articulatis, apice interdum uncinato; clypeo flavo; *femina:* robustior, antennis 12-articulatis, apice mutico; clypeo nigro. (Species Scandinaviae 24, ad genus *Vespam* a D. Fall. relatae; proprium genus jure constituentes).

**1. O. Parietum:** niger, puncto inter antennas, thoracis margine antico subinterrupte, scutelli punctis 2, abdominis fasciis 5, genubus, tibiis tarsisque, flavis, metathorace utrinque unidentato. ♂♀.

*Mas:* glabrior, clypeo toto, antennarumque scapo subtus late, flavis, harum apice uncinato.

*Fem.:* paullo major, clypeo nigro, puncto utrinque antennarumque scapo subtus anguste, flavis, harum apice non uncinato; in copula.

*Vespa parietum* Linn. Fn. Sv. 1673. ♀. Fabr. Piez. 261. 44. ♀. Panz. Fn. 49. 23. (diagnos. et Synon. non vero figura, quae potius *Polistem* (Vespam) *biglumem* Linn. repraesentat. *Vespa emarginata* Fabr. Piez. 263. 50. ♂.

Hab. in Lapponia rarius (Lappon.-Scania in parietibus ligneis et argillaceis vulgaris).

*Mas* et *Fem.* Longitudo circiter 6 linear. variat tamen et major et minor. Niger subpubescens. Antennae feminae longitudine dimidii thoracis, maris ejus fere longitudine. Clypeus maris sublaevis, flavus, feminae punctatus niger, macula utrinque rotundata majori, et interdum 2 aliis minoribus in apice, flavis. Macula inter antennas rotundata flava in utroque sexu. Thoracis margo anticus linea aut continua aut in medio subinterrupta, flava. Scutelli depressi puncta flava parva. Metathorax in medio retusus, ambitu laterali utrinque unituberculato. Squama in apice juxta petiolum utrinque adest minutus, non magna. Abdominis segmentorum margines flavi, unde 5 exstant fasciae nuper nominati coloris, posteriores 3 angustiores, prima et secunda propter latitudinem segmenti 2di remotissimae. Segmentum ultimum macula flava saepe etiam notatur. Venter niger, fasciis secunda et tertia perspicuis. Alae fumato-hyalinae, squamula (tegula) picea, flavo-marginata. Nervi 2 ex angulis arearum excurrentes ad marginem, perspicui. Pedes aut flavi (♂), aut testacei (♀), femoribus (in utroque sexu) basi ultra medium nigris; tibiae etiam in femina latere interiori linea nigra saepe notantur.

**2. O. muticus:** niger, punctis 2 inter antennas, thoracis margine continuo, abdominis fasciis 5, genubus tibiarumque latere exteriori flavis, metathorace utrinque mutico. ♀.

Hab. in graminosis aridis Lapponiae sylvaticae versus finem mensis Aug. rarius. (Lapponia; Botnia borealis ad Johannis Ro prope Torneä; Scania ad Esperoed, ubi feminas hujus speciei vidi d. 30. Jun. 1820 nidos in arena sat profundos construentes introitumque tubulis conicis supra terram dimidii pollicis altis, apice summo perforatis, texentes).

*Fem.* Magnitudo praecedentis, fere robustior. Ei affinis, sed certe distincta. Capite thoraceque sat longe et dense pubescens. Antennae thorace breviores, extrorsum crassiores, nigrae, immaculatae. Mandibulae et clypeus punctatus, nigra. Puncta s. maculae parvae transversae inter antennas 2 flavae. Linea orbitalis ad oculos infra emarginaturam brevis, tenuis, et alia brevissima in vertice pone apicem oculi, flavae. Thorax niger, margine antico continue flavo, flavedine ad latera paullo dilatata. Metathorax in medio longitudinaliter retusus, lateribus omnino muticis. Squamae apicis ordinariae nigrae, parum perspicuae. Abdomen nigrum, fasciis 5 flavis, simplicibus aequaliter latis. Harum fascia tantum secunda in ventre continuata, at ibi in medio interrupta. Alae hyalinae, basi fumatae, summo apice distincte fusco, stigmate nigricante. Exterior areolae geminae longa subquadrata, inaequalis, latere extimo circumflexo. Angulus inferior areolae hujus rotundatus, nullum nervulum in marginem alae emittit. Pedes nigri, genubus non late, tibiarum latere exteriori et anteriori, tarsorumque basi, flavis aut testaceis.

**3. O. 4-fasciatus:** niger, clypeo antennarumque scapo subtus, macula inter antennas, thoracis margine antico subinterrupto, abdominis fasciis 4, genubus, tibiis tarsisque, flavis, metathorace retuso utrinque unidentato. ♂.

Fabr. Piez. 262. 47. ♂. Billb. Enum. Ins. p. 108.

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi et Kemensi versus auctumnum passim; in floribus ad Muonioniska d. 17. Aug. frequenter visus. (Lappon.-Scan. freq.).

*Mas.* Magnitudo variat, mari *Odyn. Parietum* plerumque aequalis, interdum illo minor. Pubescens, niger. Flava sunt: mandibularum medium, clypeus laevis, antennarum scapus subtus, macula inter antennas transversa, thoracis margo anticus in medio subinterruptus, abdominis fasciae dorsales 4 simplices aequaliter latae, et ventralis unica aut continua aut in medio interrupta, femorum apex, tibiae et tarsi. Tibiarum latus interius et tarsorum articulus ultimus tamen saepe nigricantia. Metathorax late retusus, margine laterali subelevato, subdenticulato, dente medio distinctiori; squamae apicis ordinariae parvae, sordide albidae. Alae fusco-hyalinae, costa fusciori. Areolae geminae exterior sat regulariter quadrata, ex angulo subrecto (nec rotundato) nervulum obsoletum vix nisi ad basin perspicuum emittens. Antennae apice evidenter uncinatae.

*Not.* *Femina* hujus clypeo nigro (nec flavo) in Lapponia a me non visa, in Suecia interiori cum mare capta.

**4. O 3-marginatus:** niger, macula inter antennas, thoracis margine antico anguste et interrupte, abdominis fasciis 3, geniculis, tibiis tarsisque, flavis, metathorace retuso, utrinque unidentato. ♂♀.

*Mas:* clypeo laevi, antennarumque scapo subtus, tibiisque flavis, antennis apice uncinatis.

*Fem.:* clypeo punctato antennisque totis nigris, tibiis latere interiori nigricante; in copula.

Hab. in Lapponia cum praecedente rarius. (Lappon.-Uplandia; Gottlandia pass.).

*Mas.* et *Fem.* *O. Parietum* plerumque paullo minor. Pubescens, niger. Macula inter antennas flava, parva, simplex. Punctum flavum in vertice pone oculos minutissimum plerumque adest, et linea orbitalis ejusdem coloris angustissima infra emarginaturam oculorum. Thoracis margo anticus plerumque tenuiter, praesertim in mare flavus, flavedine in medio breviter interrupta. Metathorax ut in priori, sed margo lateralis elevatus magis aequalis (nec denticulatus), dente tantum unico in medio evidenti. Abdominis fasciae 3, simplices; tertia reliquis paullo angustiori; secunda in ventre continuata. Alae omnino ut in priori. Pedes nigri, genubus anguste, tibiis tarsisque in mare totis, flavis, in femina magis testaceis, et tibiis saltem latere interiori nigricantibus.

*Not.* Individuum femineum hujus speciei sub nomine allato ex Upsalia mecum olim quoque communicavit Cel. Prof. Dalman.

**5. O. albo-tricinctus**: niger, clypeo antennarumque scapo subtus in mare, punctis inter antennas geminis, thoracis margine antico anguste, geniculis, tibiis tarsisque flavis, abdominis fasciis 3 albidis, metathorace retuso, utrinque unidentato. ♂.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae septentrionalis et Finmarkiae occidentalis, rarius; in alpe Andeness d. 23. Jul. et in sylva betulina ad Alteidet d. 1. Aug. pauca specimina inveni. (Lapponia Norvegica).

*Mas.* Magnitudo, pictura et summa praecedentis similitudo, nec differt ab illo nisi punctis inter antennas geminatis (nec macula simplici), et abdominis fasciis albidioribus, nec flavis; neque simul habitant. Antennarum summus apex rufescit, unco inflexo haud longo. Linea in margine antico thoracis flava, valde tenuis, aut brevis, aut ad latera utrinque fere extensa, vix unquam in medio interrupta. Abdominis fasciae albidae, secunda reliquis sublatior, in ventre continuata. Alae subhyalinae, vix nisi in area costali ultima infuscatae. Areolae geminae exterior regulariter quadrata, latere exteriori recto; nervulum ex angulo vix emittens. De cetero priori similis.

**6. O. bifasciatus**: angustior, niger, abdominis fasciis 2 simplicibus, tibiarum tarsorumque basi, flavis; metathorace retuso, ambitu acute marginato, vix dentato. ♂♀.

*Mas*: mandibularum medio, clypeoque flavis, antennarum apice incurvato (non uncinato), rufo.

*Fem.*: mandibulis clypeoque nigris, antennis extrorsum distincte crassioribus, apice nec incurvato, nec uncinato; in copula.

Var. a. ♂♀. scutello immaculato, macula inter antennas nulla.

Billb. Enum. Insect. p. 108. *Vespa bifasciata* Linn. Fn. Sv. 1683. ♀. certe. Fabr. Piez. 264. 59. Ent. Syst. 2. 269. 60. ♂.

Var. b. ♀. macula inter antennas lineaque sub scutello flavis.

Fabr. Ent. Syst. 2. 269. 60. var. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica versus finem mensis Aug. rarius. (Lapponia; Botnia borealis ad Sangits-Ostrog. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Prioribus angustior, antecedente non brevior. Parvus, pubescens, niger. Caput et antennae, immaculata, tantum mandibulis in medio clypeoque toto in mare, macula inter antennas simplici in var. b., et puncto minutissimo pone oculos in vertice, in utroque sexu et in utraque varietate, flavis. Thorax immaculatus, linea sub scutello in var. b. flava. Abdominis fasciae 2, secunda in ventre continuata, flavae. Alae fumato-hyalinae costa fusciori; areae geminae exterior sat regulariter quadrata, ex angulo exteriori nervulum obsoletum emittens. Pedes nigri; in mare: tibiis anterioribus latere anteriori, posticis basi, flavis, tarsisque fere totis testaceis: in femina: tibiis et tarsis basi tantum testaceis.

**7. O. angustatus**: niger, clypeo (in femina) longitudinaliter pallide maculato, abdominis fasciis 3 simplicibus, tibiarum tarsorumque basi, flavis; metathorace retuso, ambitu margine parum acuto, subcrenulato. ♀.

Hab. in Finmarkia occidentali ad Bossekop prope Alten. d. 4. Aug. rarissime (Lapponia Norvegica).

*Fem.* Similitudo et statura angusta praecedentis, sed paullo longior. Clypeus niger, macula longitudinali inaequali, in medio valde angusta, flava. Metathorax in medio quidem retusus, sed margine parum elevato, subcrenato. Fasciae abdominis flavae 3, in segmentis 1, 2 et 4 locatae, media paullo latiori, postica angustissima. Venter totus niger. Areolae geminae exterior minus regulariter quadrata, angulo scilicet exteriori paullo magis producto, nervum obsoletum basi tantum perspicuum emittente. Reliqua omnino ut in varietate a feminae praecedentis.

**8. O. alternans**: niger, capite (in femina) immaculato, thoracis macula humerali utrinque, abdominis fasciis 3 simplicibus, tibiarum tarsorumque basi, flavis; metathorace retuso, ambitu subimmarginato. ♀.

Hab. in Lapponia cum praecedente rarissime; in sylva betulina ad Alteidet Finmarkiae occidentalis feminam descriptam d. 31. Jul. inveni (Lappon. Norvegica).

*Fem.* Praecedenti affinis et valde similis, sed fere duplo major, maculis thoracis et structura metathoracis ab illo praesertim distinctus. Punctatus, subpubescens, niger. Caput immaculatum. Macula thoracis in singulo humero ovata, distincta, flava. Metathorax subretusus, margine parum elevato, piloso. Abdomen fasciis tribus flavis in margine apicali segmentorum 1, 2 et 4 locatis, omnibus simplicibus, ultima angustiori, ventrali nulla. In omnibus speciebus segmentum tertium sequente paullo angustius, sed in hac distincte angustius. Reliqua ut in priori.

*Obs.* *Vespa sinuata* Fabr., *V. 5-fasciata* Fabr., *V. simplex* Fabr., *V. quadrata* Panz., *V. spinipes* Panz., *V. Antilope* Panz., *V. 4-cincta* Fabr., *V. Muraria* Linn. et *V. aucta* Panz, huic generi associandae, in Suecia inferiori haud infrequentes incolae, in Lapponia mihi non obviae. Nec *Odynerum 6-fasciatum* Fabr., *O. 3-fasciatum* Fabr., *O. bipunctatum* Fabr et *O. bidentem* Linn., species a Clarissimo Billberg in Enum. Insect. p. 108. ut Suecicas allatas, in Lapponia invenire mihi non contigit.

---

# Polistes.

Latr. *Vespa* Fabr. Linn. Fall.

Genus valde affine *Odynero*, „metathorace paullatim declivi, apice infero squamis duabus petiolum abdominis excipientibus, antennis maris apice inflexo (non uncinato," distinctum, cujus unica species Suecica seu *Polistes biglumis*, dignota: „corpore nigro, capitis maculis antennarumque latere inferiori, flavis, scutelli (inermis) punctis 4, abdominisque fasciis 6, albidis, pedibus testaceis, femoribus basi nigricantibus;"

*Mas*: clypeo facieque totis flavis.

*Vespa biglumis* Fabr. Piez. 264. 63. Panz. Fn. 53. f. 7. (vix Linn. eadem);

*Fem.*: clypeo facieque nigris, flavo-maculatis.

*Vespa parietum* Panz. Fn. 49. f. 23. (exclus. diagnosi et Synonymia);

In Lapponia habitare narratur; mihi in terris arcticis et borealibus non obvia, nec in Suecia supra Uplandiam vidi.

---

# 53. Eumenes. Fabr.

Fabr. Piez. Gen. 52. Latr. Fall. *Vespa* Linn.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum, punctatum, subpubescens. Antennae thorace paullo breviores, medio faciei insertae, extrorsum subcrassiores, apice curvatae. Clypeus oblongo-subquadratus, antice angulatus, prominentia media angusta, emarginata. Oculi intus versus apicem (non in medio) emarginati. Metathorax subconvexus in medio canaliculatus, squamularum rudimento in apice. Abdomen basi coarctatum s. petiolatum, petiolo elongato, pyriformi; segmento secundo campanulato, maximo. Alae ut in *Odynero*, etiam quoad directionem nervorum. *Color*, *motus*, *habitatio* et forte etiam reliqua insecti oeconomia ut in genere *Odynero*. *Sexus differentia* (in nostra) externe mox invenitur; in *mare* scilicet: clypeus flavus, angustior; oculi nempe infra antennas in facie magis approximati; antennae 13-articulatae longiores, apice uncinatae, et genitale lamellis duabus apice capillaribus parallelis (omnino ut in genere praecedente) extra anum prominentibus, non pungentibus; in *femina*: clypeus paullo latior, niger aut flavo-maculatus, antennae 12-articulatae, breviores, apice parum curvato, aculeus analis retractilis, valde pungens. (Species Scandinaviae 2).

**1. E. coarctata**: nigra, puncto inter antennas, thoracis margine antico, linea scutellari, abdominisque segmentis margine flavis, horum secundo bimaculato, tibiis tarsisque testaceis. ♂♀.

*Mas*: antennis apice aculeo inflexo, rufo, clypeo [illegible], flavo.

*Fem*: antennis apice mutico, clypeo latiori, nigro aut flavo-maculato.

Var. a. nigra, clypeo, linea inter antennas apice superiori dilatata, antennarum scapo subtus, thoracis margine antico continue, linea sub scutello, margine segmentorum primi et secundi bipunctati continue et distincte, reliquorum utrinque abrupto, geniculis, tibiis tarsisque flavis.

Fabr. Piez. 288. 16. *Vespa coronata* Panz. Fn. 64. f. 12. certe.

Var. b. ♀. nigra, clypeo antennisque concoloribus, thoracis margine antico continue, linea sub scutello in medio interrupta, puncto utrinque in basi metathoracis, margine segmentorum primi et secundi bipunctati continue et distincte, reliquorum utrinque abrupte, geniculis late, tibiis tarsisque, flavis.

*Vespa coarctata* Linn. Fn. Sv. 1676.

Var. c. ♀. similis var. b., clypeo, fascia arcuata subinterrupta baseos et macula subquadrata apicis, maculaque utrinque in pectore infra alas parva, flavis.

An *Eumenes atricornis* Fabr. Piez. 289. 17. var.?

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi et Kemensi, [illegible] flores ad Muonioniska d. 16—17. Aug. frequenter visitans observata (Lapp.-Scan. pass.).

*Mas* et *Fem.* *Vespae* (*Odyneri*) *parietum* [illegible] et major et minor, variat enim magnitudine. Clypeus maris laevis, feminae

punctulatus. Macula flava inter antennas plerumque longitudinaliter extensa, rarius simplex, rotundata. Puncta lateralia thoracis flava aut adsunt aut absunt. Stria metathoracis flava in medio magis vel minus late interrupta. Alae hyalinae costa fusciori; nervis ut in *Odynero* directis, exteriori areolae geminae sat regulariter subquadrata. Abdomen laeve, segmento primo punctato. Margines segmentorum primi et secundi interdum inaequaliter et valde sinuatim flavi, praesertim in mare, unde exstat *Vespa coronata* Panz. l. c. Fascia secunda totum abdomen cingit.

*Not.* In Suecia inferiori adhuc plures quam hic descriptae varietates inveniuntur, e pictura capitis thoracisque ortae, quales in Lapponia non observavi. Neque mihi in terris borealibus obvia fuit *Eumenes Zonalis* Panz. Fn. 81. f. 18.; subglabra nitida nigra, clypei summo apice, mandibularum macula basali, abdominis segmentorum 1 et 2 margine, tibiarumque anticarum latere anteriori flavis; alarum costa fusca; antennis brevibus, oculis late distantibus, cujus femina ad Lärketorp Ostrogothiae rarissime capta.

- - - - -

Tribus 2. *Floricolae:* tarsorum posticorum articulo basali elongato-quadrato, ciliato-compresso, postice hirsuto, pollinigero. Antennae medio faciei insertae, remotae, maris 13-articulatae, parum geniculatae; feminae 12-articulatae, fractae, scapo cylindrico, elongato, articulo 2do brevissimo, 3tio obconico. Oculi oblongi, integri, in mare saltem distantes. Abdomen sessile l. brevissime petiolatum. Larvae apodae, subvermiformes, e melle aut polline antherarum vivunt.

## FAM. 17. ANDRENETAE. Latr. (*Apiariae* Fall.)

**Insecta solitaria: mares et feminae tantum, neutra nulla.**

---

### 54. Andrena. Fabr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 542. Fabr. Fall. *Colletis* spec. Illig. *Anthrena* Billb. *Apis* Linn.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, ovato-oblongum, ad partem hirsutum aut tomentosum. Antennae thorace parum breviores, filiformes. Abdomen ovatum, subdepressum: ano tibiisque posticis hirsutissimis, striga media segmenti analis supra, nulla. Area costalis ultima ab apice alae remota; areolae geminae exterior trapeziformis exteriori subquadrata plerumque paullo major; nervuli ex angulis versus marginem alae excurrentes perspicui. *Color* corporis niger, pubescentiae griseus aut fulvescens, aut ferrugineus; pictura in nostris nulla. *Motu* agilis. *Habitatio* in plantis variis, quarum flores sedulo visitant imagines; per partem sylvaticam Lapponiae; in alpibus et inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque rarissime. *Nidificant* in arenosis et collibus aridis latere meridiem spectante; ibique foramina ad profunditatem saepe 10 pollicum construunt, in cujus fundo nidus monothalamus. *Differentia sexus*; *mas*: paullo angustior, fronte et facie magis villosa, saepe albo-colorata, antennis paullo longioribus, tibiis minus hirsutis; *femina*: robustior, fronte et facie parum villosa, semper nigra, antennis brevioribus, fasciculo e pilis densis contortis extus ad basin pedum posticorum inserto pro polline colligendo, ano fimbriato striga media nulla. (Spec. Scand. 26 in Museo meo adsunt).

**1. A. haemorrhoidalis**: nigra, ano in femina fulvo-fimbriato, areolae et areae specularis nervis non oppositis. ♀.

Fabr. Piez. 327. 24. Panz. Fn. 65. f. 20.? (Sub nomine *Andrena chrysoura* Illig. in museo Falleniano hanc eandem vidi).

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi passim; in collibus arenosis ad Wittangi d. 16 – 17. Jun. sat frequentem inveni (Lappon. - Ostrog. pass. Blk. rar.).

*Fem.* Media in hoc genere (inter nostrates magna) circiter 5 lineas longa, depressa, oblongo-ovata, lata. Tota nigra, ano tantum fulvo-fimbriato. Tibiae et tarsi pedum posticorum etiam dense luteo-hirsuta. Alae hyalinae, immaculatae. Areolae geminae exterior irregularis, trapeziformis, obliqua, interiori quadrata distincte major, latere extimo valde circumflexo. Facies pilis griseis haud dense vestita. Thorax nigro-hirsutus. Abdomen glabriusculum, marginibus segmentorum tantum ciliatis.

**2. A. dispar**: nigra, aut tota griseo-hirsuta (mas), aut thoracis dorso fulvo-villoso (femina); tibiarum apice tarsisque pedum posticorum (in utroque sexu) ferrugineis, alarum stigmate fusco, areolae geminae interiori minori, nervo areae specularis primo in medio hujus areolae inserto. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica Tornensi, locis aridis, mense Junio passim; scilicet ad Junosuando, Wittangi et Juckasjervi frequenter lecta, foramina nidi in arena fodiens. Supra arenam juxta viam publicam ad Hernoesand Ångermanniae jam die 22. April., et ad Ersnaes Botniae borealis d. 9. Maj. plura hujus individua utriusque sexus, sole lucente agilissime volantia, deprehendere mihi quoque contigit. In floribus Salicis mares et feminae mense Majo rarius leguntur. Specimen certe hujus pulchrae speciei e Dania mecum etiam communicavit amicus meus Westermann; sed in Sueciae mediae et meridionalis provinciis nunquam a me visa. (Lapponia; — Ångermannia; Dania).

*Mas.* Parum ultra 4 lineas longus, augustus. Niger, totus griseo-tomentosus, villositate in dorso thoracis vix vel parum fulvescente. Oculi in vivo nigri. Facies dense nigro-hirsuta. Antennae thorace parum breviores. Abdomen oblongo-ovatum, magis denudatum, minus scilicet dense pilosum, ano testaceo. Alae hyalinae, stigmate fusco; areolae geminae exterior interiori paullo major, nervo exteriori valde obliquo; nervuli ex earum angulis exterioribus ad marginem alae excurrentes, distincti. Areae specularis nervus primus s. anticus in medio baseos areolae geminae interioris inseritur. Pedes postici: tibiarum apice tarsorumque articulo primo ferrugineis, parum dilatatis, nec longe fulvo-hirsutis.

*Fem.* Certe hujus, mare descripto duplo aut ultra major, praesertim latior, femina etiam speciei praecedentis fere robustior. Oculi in viva nigri. Atra, tota (etiam abdomine) nigro-tomentosa, ano concolore, thoracis tantum dorso determinate et pulchre fulvo-hirsuto. Antennae thorace multo breviores. Pedes postici: tibiis fere totis tarsorumque articulo primo dilatatis, distincte ferrugineis et fulvo-hirsutis. Alae omnino ut in mare.

*Not.* Speciem hanc elegantem et distinctam hactenus nullibi descriptam inveni, nisi *Andr. bicolorem* provocare velis; at haec paullo minor, abdomine subnudo et ano fulvo-hirto etc. a nostra (♀) dignoscitur. Affinis etiam *Andr. helvolae* Fabr. et Linn., sed haec duplo minor, abdominis segmento secundo tertioque, tibiisque posticis in femina, ferrugineo-hirsutis.

**3. A. albo-cincta**: nigra, griseo hirta, thoracis dorso fulvo-tomentoso, abdomine nudo, segmentorum 3 intermediorum margine breviter albo-ciliatis, alarum areolae geminae exteriori majori ♀.

Hab. in arenosis; ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 17. Jun. rarissime lecta (Lapponia)

*Fem.* Media. Affinis et similis *Andr. succinctae* Fabr. seu *Api succinctae* Linn., sed haec paullo major, ano tibiisque fulvohirtis etc. a nostra distincta. Nigra. Caput griseo-pilosum, praesertim in regione antennarum et occipite. Antennarum scapus etiam griseo-hirtus. Thorax subtus et lateribus parcius, griseo-hirtus, supra fulvo-tomentosus. Abdomen thorace paullo longius, ovatum, depressum, nitidum, nigrum, denudatum, pilis aliquot griseis in segmento primo, et margine segmentorum trium intermediorum distincte at breviter albo-ciliato; linea media longitudinali nuda, unde fasciae illae tres e ciliis formatae in medio quasi interruptae videntur. Anus fusco-fimbriatus. Alae hyalinae, stigmate fusco. Areolae geminae exterior interiori subquadrata fere duplo major, trapeziformis, nervo anteriori valde incurvato. Nervuli 2 ex angulis arearum excurrentes perspicui, fere ad marginem alae producti. Nervulus areae specularis anticus medio (nec pone medium) baseos areolae geminae interioris inseritur. Pedes, praesertim postici griseo-pilosi, tarsis omnibus subtus ferrugineo-hirtis.

*Not.* *Mas* hujus sine dubio minor et aliter coloratus, mihi ignotus.

**4. A. Lapponica**: nigra, griseo- aut nigro-hirta, abdomine nudo basi piloso, thoracis dorso fulvo-tomentoso; alarum areolae geminae exteriori majori, subquadrata, nervulo intermedio nervoque areae specularis antico fere oppositis. ♂♀.

Hab in Lapponiae Tornensis arenosis passim; ad Wittangi et Juckasjervi d. 16. Jun. — 1. Jul. uterque sexus frequenter visus; in floribus Salicis ad Junosuando rarius; adscendit etiam in alpes et in summo alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. ♀ var. b capta; in monte subalpino Raschstind prope Schiervoe Nordlandiae septentrionalis individuum femineum d. 28. Jul. ex eadem varietate quoque inventum. (Lapponia Suecica et Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Femina specie praecedente fere robustior, at abdomine paullo breviori; mas duplo et ultra minor. *Andr. helvolae* Auctor. aequalis eique affinis et similis, sed distincta. *Mas*: niger. Caput facie tota et occipite griseo-hirtis. Antennae longitudine thoracis. Thorax subtus griseo-, supra griseo-fulvo-hirtus.

Abdomen ovatum, nitidum, nudum, segmento primo et secundo pilis aliquot griseis obsitis, anoque fasciculo pilorum ejusdem coloris. Alae hyalinae, stigmate fusco-stramineo; areae et nervi ut in priori, sed nervulo areae specularis antico non in medio baseos areolae geminae interioris, sed propius ad nervulum medium hujus areolae inserto. Pedes toti nigri, parce griseo-pilosi, tarsis subtus parum et breviter fulvo-hirtis.

*Femina:* nigra. Caput regione circa antennas et occipite nigro-fusco-hirtis. Antennae thorace fere dimidio breviores. Thorax subtus et lateribus griseo-, supra fulvo-tomentosus. Abdomen ovatum, nitidum, nudum, basi parce griseo-pilosum, ano nigro-hirsuto. Alae ut in mare. Pedes nigro-hirti, femoribus posticis subtus basi fasciculo ordinario pilorum albidorum, et tibiis etiam latere interiori fusco-pilosis. Tarsi omnes articulo primo subtus fulvo-pubescente.

Var. b. *Alpina* ♀. paullo minor, tomento thoracis magis grisescente, ano tibiisque fusco-pilosis, tarsis fusco-ferrugineis, alias varietati a similis.

**5. A. barbatula**: nigra, hirsutie albo-grisea subaequaliter tecta, abdomine nudiore, alarum stigmate fusco, areolae geminae exteriori interiore paullo majori. ♂.

Hab. in arenosis ad Wittangi rarius, diebus 15 – 16. Jun capta; in floribus Salicis ad Johannis Ro Botniae borealis jam die 14. Maj. parce visa, lapidibus interdum insidens. (Lapponia; Botnia; Westro- et Ostrogothia, passim.)

*Mas.* Parva, *Andr. lapponicae* mare parum angustior, sed in abdomine forte paullo longior. Nigra. Caput dense albo-pilosum, praesertim in facie et occipite. Antennae longitudine fere thoracis, Thorax supra, subtus et lateribus pilis albidis aequaliter tectus. Abdomen oblongo-ovale, nitidum, nudiusculum, pilis minoribus albidis tectum, et marginibus segmentorum supra parum, subtus evidentius, albido-ciliatis. Hirsuties ani griseseens. Alae omnino ut in *Andr. albo-cincta*. Pedes albido-pilosi, tarsis articulo primo subtus densius griseo-pubescente, reliquis fusco-ferrugineis.

*Not.* Sub nomine *Andrena barbatula* a Dom. Prof. DALMAN specimina hujus speciei e Westrogothia olim missa. In Sandoe prope Wadstena Ostrogothiae die 12. Sept. 1826 plura individua mascula et unicum femineum duplo majus: corpore nigro, toto griseo-hirto, abdominis segmentorum marginibus distinctius ciliatis, ipse inveni.

**6. A. rufitarsis**: nigra, aut albido-hirsuta (mas), aut griseo-tomentosa (femina), pedibus posticis tarsorum articulo primo in utroque sexu, tibiisque in femina, testaceo-ferrugineis. ♂♀.

Hab. in Lapponiae sylvaticae floribus Salicum mens. Junio passim, in Botnia boreali frequentius, ibique ad Lulea, Johannis Ro, Haparanda et Karungi jam mense Majo visa, lapidibus saepe insidens. (Lapponia; Botnia borealis.)

*Mas* et *Fem.* Priori valde affinis et similis, differt tamen magnitudine adhuc paullo minori, alarum stigmate subtestaceo (nec fusco-nigricante), et praeprimis tarsorum posticorum articulo primo in utroque sexu rufo. Feminae etiam hujus et praecedentis sat dissimiles. — *Mas* mari prioris simillimus, praeter notas allatas. *Femina* femina *Andr. barbatulae* paullo brevior. Nigra. Caput griseo-pilosum, praesertim in facie et occipite. Thorax subtus et lateribus griseo-villosus, supra griseo-parum fulvo-tomentosus, tomento scilicet non tam denso, quam in dorso *Andr. lapponicae*. Abdomen ovatum, nitidum, subnudum, segmentis anticis parcissime pilosis (an detritus), nec margine segmentorum nisi ad latera cinereo-ciliato. Anus fusco-hirsutus. Alae ut in priori. Pedes ut in femina *Andr. lapponicae*, sed posticorum tibiis totis, tarsorumque articulo primo, flavo-ferrugineis, hirsutie flavo-aurea tectis. Articulus primus pedum anteriorum niger quidem est, sed subtus pube breviori flavo-aurea tectus, unde obiter inspectus hic articulus etiam ferrugineus videtur.

*Obs.* Species Sueciae: *Andr. carbonaria* FABR. (non PANZ.), *A. pilipes* FABR. (seu *A. aterrima* PANZ.), *A. thoracica* FABR., *A. cineraria* FABR. (*Apis atra* PANZ.), *A. Hattorfiana* FABR. (*Andr. equestris* PANZ.), *A. marginata* FABR., *A. nigripes* ILLIG., *A. lucida* PANZ., *A. Clarkella* ILLIG., *A. Helvola* FABR. (*Apis helvola* LINN.), *A. succincta* FABR. (*Apis succincta* LINN.), *A. Calendarum* ILLIG., *A. florea* FABR. LILLB., *A. fodiens* PANZ., in Lapponia a me frustra quaesitae.

## 55. Halictus. LATR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 545. FALL. *Hylaeus* FABR. ILLIG BILLB. *Apis* LINN.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum subcylindricum, pubescens. Antennae filiformes. Abdomen in masculis subcylindricum; in feminis ovatum striga segmenti analis in his denudata. Alarum area costalis ultima ab apice alae remota; areolae geminae exterior trapeziformis interiori subquadrata plerumque major; area specularis paullo ante hujus areolae nervulos intermedium et ultimum (nec in medio inter hos nervos) inserta; nervulus unicus ex angulo areolae geminae exterioris excurrens valde obsoletus, vix nisi ad basin perspicuus; reliqui nervi distincti. *Color* niger, virescens, rarius rufescens. *Motu* agilis, volatus brevis. *Habitatio* in floribus, quos sole lucente solitarie (nec plura individua simul) frequentant imagines; terrae, caulibus herbarum, ramulisque exsiccatis arborum, coelo nebuloso, mares interdum gregorie insidentes; locis aridis per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Nidificat* in arenosis. *Differentia sexus; mas:* antennis longitudine thoracis, parum geniculatis; clypei summo apice albicante; abdomine cylindrico, pedibusque parum hirsutis, femoribus posticis subtus ad basin fasciculo e pilis contortis nullo, mox dignoscitur a *femina*, quae gaudet: antennis distincte fractis, thorace brevioribus, extrorsum subcrassioribus; clypeo toto nigro, abdomine ovato, rima anali seu striga longitudinali denudata, supera, pedibus posticis extus hirsutissimis, polliniger is, femoribus subtus ad basin fasciculo piloso. (Spec. Scand. 16 lustrare mihi contigit.)

**1. H. cylindricus**: brevis niger, griseo-subhirsutus, fronte argenteo-pubescente, tibiarum posticarum basi tarsorumque articulo primo, albis, abdomine nudo, segmentorum basi albo-micantibus ♂.

*Hylaeus cylindricus* FABR. Piez. 319. 1. ♂. Ent. Syst. 302. 1. PANZ. Fn. 55. f. 2. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica rarissime. (Lapp.-Ostrogoth. freq., Scania rar.)

*Mus.* Longitudo circiter 4 linear.; in suo genere robustus, crassiusculus. Niger, hirsutie grisea praesertim antice tectus. Facies et clypeus pube densa argentea micantia; hic apice albus. Regio circa antennas albo-pilosa. Antennae thorace fere dimidio breviores, totae nigrae. Thorax et metathorax punctata, villosa. Abdomen thorace parum longius, oblongo-ovatum, nigrum, nitidum, laeve, nudiusculum s. pilis paucioribus obsitum, segmentis in medio transversim subimpressis, basi (in illaesis) pube argentea micantibus, saepe tamen detrita. Alae hyalinae, stigmate fusco. Areolae geminae exterior trapeziformis interiori regulariter quadrata vix duplo major; areae specularis nervus primus s. anticus nervulo medio areolae praecise oppositus; nervus autem secundus s. posticus paullo ante nervulum exteriorem ejusdem areolae insertus. Nervus ex angulo areolae exterioris excurrens, obsoletissimus, non nisi ad basin perspicuus; ille vero qui ex angulo areae specularis ducitur distinctus, ad summum marginem alae usque continuatur. Pedes pubescentes, nigri, posteriores tarsorum articulo primo, et postici tibiarum summa basi albis.

**2. H. morio:** brevis niger, griseo-subpubescens, abdomine subnudo, segmentis tenuiter albo-marginatis. ♀.

FABR. Piez. 321. 8.? (Sub hoc nomine individua simillima a Celeb. Prof. J. W. DALMAN ex Uplandia olim missa.)

Hab. in Lapponia forte rarissime; a me in terris arcticis visus non lectus, unicum tantum individuum exsiccatum in Collectione D. DEUTSCHII, Medici Provincialis in Torneå, ut Lapponiae incolam vidi. (Lapp.-Scan. pass.)

*Fem.* Similis priori, sed duplo minor et distinctus, nec ejus femina esse potest. Punctulatus, niger, totus griseo-parum pubescens. Clypeus niger. Facies parum hirta. Antennae capite duplo longiores, nudae, extrorsum crassiores. Abdomen thorace parum longius, ovatum, laeve, nitidum, subnudum, nigrum, segmentorum margine tenuiter albidis, ano pubescente, rima denudata. Alae omnino ut in priori. Pedes pubescentes, fusci.

**3. H. rufitarsis**: niger, subpubescens, abdomine subnudo, immaculato, tarsis in mare rufis ♂♀.

*Mas:* clypeo apice albo, antennis subtus tarsisque rufis.

*Fem.:* clypeo, antennis tarsisque, totis nigris, reliquo corpore scilicet concoloribus.

Hab. in Lapponia sylvatica mense Augusto passim; ad Karesuando, Muonioniska et Karungi uterque sexus frequenter; in floribus Salicis ad Haparanda Botniae borealis jam d. 27. Maj. feminam vidi; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae et ad Björkvik d. 14. Jun. unicum specimen femineum legi. (Lapponia; Botnia borealis.)

*Mas* et *Fem.* Similitudo et summa affinitas praecedentis, sed duplo major, *Hal. cylindrico* aequalis. Punctatus, niger, griseo-parum pubescens. *Mas*: elongatus, angustior, cylindricus. Facies et clypeus pube argentea vestita; hic apice albus. Antennarum scapus et regio circa antennas pilosa. Antennae longitudine thoracis, aut illo fere longiores, filiformes, nudae, nigrae, scapo toto subtus rufo-flavo. Abdomen thorace paullo longius, sublineare, cylindricum, nitidum, laeve nigrum, omnino immaculatum, nu-

dum aut pilis tantum paucioribus obsitum. Alae omnino ut in *Hal. cylindrico*, stigmate fusco-testaceo. Pedes pubescentes, nigri, tarsis omnibus rufo-testaceis. — *Femina:* simillima feminae praecedentis, a qua non differt nisi magnitudine, ut dictum, duplo majori, et abdomine toto nigro, segmentis aut non, aut tenuiter tantum, albo-marginatis. Tarsi quoque feminarum in hac specie saepe picei (nec nigri).

*Obs. Hylaeus rubicundus* ILLIG., *Hyl. 4-cinctus* FABR., *Hal. seladonicus* LATR. (seu *Apis subaurata* ROSS. et PANZ.), *Hyl. malachinus* ILLIG., *Hyl. abdominalis* PANZ., *Hyl. 6-cinctus* FABR. (s. *Hyl. arbustorum* PANZ. ♂.), *Hyl. flavipes* FABR. et *Andrena analis* ♂♀. PANZ. huic generi associandi, in Sueciae mediae et meridionalis floribus et locis arenosis saepe obvii, in Lapponia nec a me, nec ab alio quodam, quantum novi, visi.

## Sphecodes.

LATR. FALL. BILLB. *Sphex* LINN. *Nomada* FABR. *Andrena* PANZ. *Dichroa* *) ILLIG. KLUG.

*Corpus* glabriusculum. Abdomen ovatum (nec depressum nec cylindricum). Clypeus in masculis albo-villosus (nec apice albus). Anus feminae striga anali nulla. Directio nervorum in alis omnino ut in *Halicto*. Species Scandinav. 3, quarum nulla in Lapponia quantum novi inventa, ibique ne quidem vulgarior *Sphecodes gibbus* LATR. (*Nomada gibba* FABR. s. *Tiphia rufiventris* PANZ. Fn. 53. f. 4. ♀.) „Niger, profunde punctatus, abdomine ferrugineo, segmento primo in mare, anoque in utroque sexu atris," in Scaniae campestris arenosis et umbellatis frequenter, in Suecia media passim et Suecia boreali rarissime, a me frustra quaesita.

---

** Areola alarum simplex.

## 56. Hylaeus. LATR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 541. FALL. *Apis* LINN. *Prosopis* **) FABR. JUR. ILLIG. BILLB. *Sphex* PANZ.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongo-ovatum, punctatum, glabrum. Antennae breves extrorsum subcrassiores, medio faciei insertae, subfractae. Mandibulae apice dilatatae, inermes. Clypeus subquadratus, nudus. Abdomen laevissimum. Area alarum costalis ultima apice appendiculata. Areola aream specularem latere superiori excipiens h. e. nervi laterales areolae et areae specularis coëunt, seu suboppositi sunt. Color niger, pictura flava. *Odor* citrinus. *Motu* celer; attactus subconvolvens. *Habitatio* in floribus praesertim Umbellatarum, in quibus etiam *copulatio*, individuis brevissime conjunctis, peragitur; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* externa; *mas:* facie tota flava; *femina:* facie nigra, flavo-maculata. (Spec. Scand. 2.)

**1. Hyl. annulatus**: niger, tibiarum basi alba, areola alarum aream specularem praecise excipiente. ♂♀.

*Mas:* antennis capite triplo longioribus, scapo subtus, facie et clypeo, tarsorumque posticorum articulo primo, flavis.

*Fem.:* antennis capite duplo longioribus, facie linea orbitali s. macula triangulari laterali flavis; in copula.

FABR. Ent. Syst. 2. 305. 12. ♂. *Prosopis annulata* FABR. Piez. 293. 1. ♂. BILLB. Enum. Insect. p. 109. *Apis annulata* LINN. Fn. Sv. 1706. ♂♀. *Sphex annulata* PANZ. Fn. 53. f. 1. ♂. *Sphex signata* PANZ. Fn. 53. f. 2. ♀. (tibiarum posticarum basi flava.)

Hab in Lapponiae sylvaticae floribus et graminosis locis aridis cultis, passim; ad Karesuando, Muonioniska et Kengis mense Aug. frequenter legi, Moschum seu fere odorem citrinum spirantem. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Parvus, vix ultra 3 lineas longus. Glabriusculus, niger. Antennae thorace multo breviores. Thorax punctatus, subpubescens. Abdomen glabrum, nitidum, laeve. Alae hyalinae, stigmate fusco. Area costalis ultima haud longe ab apice alae remota. Nervi longitudinales infra angulos arearum obsoleti. Tibiarum tarsorumque basi albida.

Var. b. ♂♀. thoracis margine antico, interdum puncto antealari, alarumque squamula flavis. Hab. cum var. a. rar.

*Not.* D. E. BILLBERGI et FABRICII *Prosopis albipes*, *similis* et *labiata*, Sueciae incolae quidem sunt, sed ad alia genera demandandae.

## Dasypoda.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 543. FABR. PANZ. FALL.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, oblongum, villosum. Antennae (feminarum saltem) breves, extrorsum subcrassiores, medio faciei insertae, mandibulae ante apicem unidentatae. Abdomen ovatum, subdepressum. Alarum directio nervorum fere ut in *Hylaeo*, at area specularis inter nervum primum et secundum areolae latae, trapeziformis, inserta. Pedes postici praesertim in feminis hirsutissimi. — Genus habitu *Andrenae*, areola simplici distinctum, cujus quatuor numerantur Scandinaviae species, scilicet: *Dasyp. hirtipes* FABR. Piez. ♀. (cujus ♂ est *Das. hirta* FABR. Piez. s. *Apis farfarisequa* PANZ.); *Das. plumipes* PANZ. Fn. 99. f. 15.; *Das. Banksiana* (*Philanthus ater* FABR.? *Apis ursina* KIRBY? *Panurgus* LATR.), et *Das. appendiculata* mihi; ex his vero nullam forte agnoscit nostra Fauna Lapponica.

---

## FAM. 18. APIARIAE. LATR. FALL.

* Areola alarum simplex.

*Apiariae* solitariae; mares et feminae tantum.

## 57. Anthophora. FABR.

FABR. Piez. gen. 72. FALL. *Osmia* LATR. BILLB. *Megachile* WALCKEN. LATR. *Apis* LINN.

*Corpus* rarius majoris, plerumque mediae, interdum minoris magnitudinis, oblongo-ovatum, antice posticeque obtusum; villosum. Antennae breviusculae, filiformes. Mandibulae latae, oblique truncatae, dentatae. Areola alarum lata, trapeziformis. Area specularis inter nervum primum et secundum areolae inserta. Nervi 2 ex angulis arearum ad marginem alae excurrentes obsoleti, vix nisi ad infimam eorum basin perspicui. Pedes breviter villosi, tarsis densius hirsutis, posticis articulo primo saepe dilatato. Abdomen maris obtusissimum, ano inflexo, mutico; ventre feminae hirsutissimo, pollinigero. *Color* corporis niger, rarius metallice nitens; tomenti griseus aut subferrugineus. *Motu* celer: sole lucente ocissime volitat, in esca sibi comparanda strenue occupata, mox vero coelo nubiloso latebris se occultat, quiescens. *Habitatio* in floribus, quorum mel sedulo haurit; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae; rarius summas alpes inhabitans. *Nidificat* in terra, ubi alveolos aggregatos fabricat, cellulam specialem singulae larvae. Has cellulas massa pollinosa ad sustentationem larvae implet. *Differentia sexus* varia, in unaquaque specie indicanda; *mas:* facie semper hirsutiori, antennis interdum longioribus, ano deflexo; *femina:* hirsutie ventris densissima, plerumque rufa, tarsisque hirsutioribus gaudet *). (Spec. Scand. 18 in museo meo adsunt, in plura genera relatae a Cel. LATREILLEO.)

### *Sect. 1. Abdomen in femina dorso planum, erigendum, sursum pungens. Majores.* (*Megachile* LATR.)

**1. A. lagopoda**: nigra, griseo-villosa, abdominis segmentis cinereo-marginatis, area alarum speculari intra areolae basin inserta. ♂♀.

*Mas:* facie densissime albo-villosa, tarsis anticis dilatatis testaceis, albo-ciliatis, tibiis posticis incrassatis, ano inflexo, margine crenulato, apice emarginato.

FABR. Piez. 374. 9. *Apis lagopoda* LINN. Fn. 1702. PANZ. Fn. 55. f. 7.

---

*) Nomen *Dichroa* ab Entomologis rejiciendum, utpote jam plantae Generi ab Illustr. JUSSIEU impositum.

**) *Prosopis* (*Prosopis spicigera*) apud WILLDENOW Spec. Plantar. est arbor leguminifera, quare nomen regno vegetabili jam vindicatum, in animali non adhibendum.

*) Cave ne mares et feminas, magnitudine et colore saepe valde discrepantes, pro diversis speciebus habeas.

*Fem.:* facie minus dense hirsuta, pedibus simplicibus, ventre rufo-hirto, abdomine supra plano (in viva, erigendo, ano non inflexo; sursum pungens.

*Anthophora rufiventris* FABR. Piez. 378. 26.

Hab. in Lapponia sylvatica mens. Aug passim; ad Karesuando et Kengis praesertim legi. (Lappon.-Blekingia passim, Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Inter majores, *Ape mellifica* parum brevior, sed paullo latior, utrinque obtusa. Antennae thorace breviores, filiformes, in femina distincte fractae. Abdomen thoracis fere longitudine, supra subconvexum, subovatum, antice transversim truncatum, segmentorum margine breviter et dense albo-pilosis; subtus in femina dense rufo-hirsutum. Alae fumato-hyalinae, oculo acutissime armato disco pilis minutissimis vestitae, apice punctulis impressae. Area costalis ultima ab apice alae sat longe remota. Areola magna, oblonga, inaequalis, basi dilatata, ibique aream specularem infra e nnexam, utrinque aequaliter paulloque excedens. Pedes ut in diagnosi, femoribus anticis extus, praesertim in mare valde hirsutis.

**2. A. fulviventris:** nigra, griseo-hirsuta, abdominis segmentis margine concoloribus, area alarum speculari intra areolae basin inserta. ♂♀.

*Mas:* facie albo-villosa, pedibus anticis intus albo-pictis, tarsis parum dilatatis, albis, ano inflexo, margine apicali emarginato.

*Fem.:* facie minus dense griseo-hirsuta, pedibus simplicibus, ventre lana ferruginea

FABR. Piez. 378 27. ♀. *Apis fulviventris* PANZ. Fn. 56. f. 18. ♀.

Hab in Lapponia cum praecedente rarius. (Lapp.-Ostrog., Gottland. freq.; in Scania nondum a me visa.)

*Mas* et *Fem.* Similis praecedenti, duplo minor; differt praeterea ab illa abdominis segmentis vix albo-marginatis, maris facie minus dense hirsuta, tibiisque anticis parum dilatatis, ut et feminae lana ventris magis obscure fulva. Tibiae posticae non incrassatae. Reliqua ut in priori.

**3. A. centuncularis:** nigra, griseo- seu subcinereo-hirsuta, abdominis segmentis margine interrupte aldo-marginatis, area alarum speculari intra areolae basin inserta. ♂♀.

*Mas:* facie albido-villosa, ano inflexo, segmento ultimo margine reflexo, integro.

*Fem.:* duplo major, facie minus dense griseo-hirsuta, ventre lana fulva.

FABR. Piez. 378. 25. ♀. *Apis centuncularis* LINN. Fn. Sv. 1687. ♀. PANZ. Fn. 55. f. 12. ♀. *Megachile centuncularis* LATR. Ins. 3. 383.

Hab. in Lapponia sylvatica rarissime; in terra nidos cylindricos e foliis plantarum formans tamquam centunculos, quos utrinque claudit. (Lappon.-Ostrogoth. freq. ibique nuperrime descripto modo nidificantem saepe vidi; Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Femina magnitudine fere prioris, mas duplo minor. Femina feminae speciei praecedentis simillima, et vix differt nisi abdominis fasciis albis non integris, sed in medio interruptis. Mas antem a mare prioris, non solum magnitudine, ut dictum, duplo minori, verum etiam pedibus simplicibus nigris ut et segmenti analis margine reflexo intégro (nec emarginato) aperte distinctus. Praeterea sat affines sunt hae duae species et in ceteris similes.

## *Sect.* 2. *Abdomen in utroque sexu dorso convexum. Mediae aut minores.* (*Osmia* LATR.)

**4. A. nigriventris:** nigra, hirsutie concolore, thoracis dorso abdominisque basi griseo-villosis, area alarum speculari intra areolae basin inserta (ventris lana in femina nigra). ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Bossekop Finmarkiae occidentalis die 4. Aug. unicum specimen inveni. (Lapponia Norvegica; in Gottlandia ad Sanda die 11. Jun. 1819 individuum alterum femineum hujus speciei inveni, operarium).

*Fem. Anth. lagopoda* duplo fere minor, *Anth. fulviventri* subaequalis, abdominis forma, hujus et pedum colore ut et insertione areae specularis distincta. Punctata, nigra. Caput parum pilosum, regione inter antennas, et occipite griseo-hirsutis. Antennae ut in antecedentibus, longitudine scilicet vix dimidii thoracis, nudae subcompressae, extrorsum paullulum crassiores. Thorax dorso et lateribus griseo-villosus. Abdomen thoracis longitudine vel illo paullo longius, dorso valde convexum, apice inflexo; punctulatum, nitidum; in medio parce nigro-pilosum, segmentis 1 et 2 non dorso griseo-villosis, et ano subcinereo-hirsuto; ventre toto pilis rigidis atris dense vestito; aculeo s. stylo punctorio (in individuo mortuo) exserto, erecto, rufo. Alae fumato-hyalinae, in medio fuscedine subtinctae, punctura, pilositate subtilibus, et nervorum directione ut in prioribus, at area speculari apice (versus areolam) paullo angustiori, nervo scilicet hujus areae antico s. interiori versus medium baseos (nec prope angulum basalem areolae inserto. Pedes subsimplices, parce nigro-pilosi, femoribus anticis extus griseo-pilosis, tarsis anticis subtus breviter fulvo-hirtis.

*Not.* Mas forte aliter coloratus, mihi ignotes

**5. A. bicornis:** abdomine aeneo, nigra, supra rufo-hirta, area speculari intra areolae basin inserta. ♂♀.

*Mas:* minor, antennis thoraci longitudine, capite inermi, facie albido-villosa, thoracis antico parce griseo-, postico densius, abdominisque dorso rufo-hirtis.

*Apis rufa* LINN. Fn. Sv. 1690. PANZ. Fn. 56. f. 10. *Anthoph. bicornis* FABR. Piez. 375. 16. var. *β*.

*Fem.:* duplo major, antennis thorace paullo brevioribus, capite nigro-piloso, juxta basin maxillarum ad clypei latera corniculis duobus validis exsertis, compressis, incurvis, corneis, nitidis nigris, nudis, latere superiori pilosis, longitudine hirsutiei, dente infra ad basin obtuso, thoracis antico parcius nigro-fusco-hirto, postico densius, abdominisque dorso rufo-hirsutis, ventre tarsisque subtus, ferrugineo-hirsutissimis.

*Anthophora bicornis* FABR. Piez. 375. 16. *Apis bicornis* LINN. Fn. Sv. 1691. *Apis cornigera* PANZ. Fn. 55. ROSS. Fn. Etrusc. 2. 177. 925.

Hab. etiam in Lapponia, ut mihi relatum est; ipse vero nec in Lapponia, nec in adjacenti Botnia boreali vidi hanc speciem, in Sueciae mediae et meridionalis hortis tempore vernali, Ornithogalo et Ranunculo Ficaria florentibus, valde frequentem, in copula saepe visam, et in foraminibus parietum atque truncorum arborum exsiccatarum nidificantem. ( ? Gestricia; Uplandia passim; Ostrogothia-Scania vulgaris)

*Mas* et *Fem.* Mas mari *Anthoph. centuncularis* magnitudine subaequalis, interdum minor, plerumque brevior; femina suo mare duplo et ultra major. Corpus subaeneo-nigrum, punctatum, abdomine aeneo; hirsuties ut in diagnosi; ano in utroque sexu nigricante. Alae omnino ut in *Anth. centunculari*. Pedes simplices, grisco-pilosi, tarsorum articulo ultimo rufo.

**6. A. inermis:** brevis, atra, nigro-pilosa, thoracis dorso abdominisque basi dense fulvo-villosis, area speculari intra areolae basin inserta. ♀.

Hab. in Lapponia rarius; in ipso alpium Tornensium jugo d. 8—10. Jul. capta. (Lapponia; Gottlandia Sueciae ♂♀. rar.)

*Fem.* Individuis masculis mediocribus prioris magnitudine subaequalis, paullo brevior, sed non angustior, unde magis obtusa videtur. Atra, subnitida, punctata. Antennae thorace dimidio breviores, structura ut in praecedentibus. Facies inermis, tota et occiput griseo-non dense villosa Thorax subtus griseo-pilosus, lateribus et supra dense fulvo-villosus, villositate in illaesis pulchre subaureo-nitida, praesertim in disco postico, metathorace in medio subnudo. Abdomen thoracis longitudine, convexum, subnudum seu pilis nigris parce tectum, segmento primo sat dense secundoque parce seu vix nisi lateribus griseo-fusco hirsutis; ano inflexo, griseo-pubescente, ventre pilis brevibus rigidis atris dense tecto. Alae hyalinae, apice fuscedine subtinctae, nervis ut in *Anth. bicorni* directis. Pedes simplices, nigro- non dense pilosi, tarsis subtus griseo-hirsutis.

*Not.* Nidum, e cellulis 22 ovato-cylindricis in argilla rufa aggregatis, seu conglutinatis constantem, sub lapide ad Kjellunge Gottlandiae d. 26. Jul. 1819 inveni. In his cellulis, quas omnes aperiebam, imagines seu individua utriusque sexus hujus certe speciei completa et exclusioni parata jacebant, scilicet individuum in singula cellula. In una vero harum cellularum specimen vivum et completum *Chrysis austriacae* FABR. deprehendebam°). Mares feminis simillimi erant, at paullo minores, antennis paullo longioribus facie albido-villosa, thorace subtus pedibusque praesertim anticis griseo-pilosis, ano parum pubescente distincti. — Varietatem femineam hujus duplo majorem, facie pilis tantum paucis nigris et griseis mixtis obsita, ano etiam nigro-pubescente, ad Lund et Fogelsang Scaniae d. 10—15. Maj. 1823 vidi.

**7. A. angustula:** nigra, griseo-pilosa, abdomine supra subnudo, thoracis dorso griseo-fulvo-villoso, area alarum speculari intra areolae basin inserta. ♂♀.

*Mas:* antennae thoracis dimidio paullo longiores, facie et gula albido-villosa, occipite, thoracis lateribus pedibusque griseo-pilosis, ano ventreque subnudis.

*Fem.:* paullo major, antennis thoracis dimidio paullo brevioribus, capite parce piloso, pilis aliquot nigris et griseis mixtis in facie et occipite, thoracis lateribus pedibusque parce grisco-hirtis, ano griseo-pubescente, ventre pilis brevibus rigidis atris sat dense tecto.

Hab. in Lapponia rarius; individua 2 mascula in arenosis ad ripam fluminis Tornensis prope Juckasjervi d. 24. Jun.,

°) Individuum *Chrysis austriacae* in pupa *Odyneri* aperiente, nuper etiam ad Lund detexit saepius laudatus DAHLBOM.

unicumque femineum in monte subalpino Raschstind in insula Schiervoe Nordlandiae septentrionalis d. 28. Jul. inveni. (Lapponia Suecica et Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Praecedenti vix brevior, sed multo angustior, *Anthophorae aeneae* (seu *Api aeneae* Linn.) statura subaequalis. Corpus punctatum. Abdomen sublaeve, nitidum, dorso convexum, subnudum, seu parcissime tantum in mare griseo-, in femina nigro-pilosum, segmento tamen primo, praesertim ad latera, distinctius griseo-piloso. Alae ut in *Anthoph. nigriventri.* Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* *Anthoph. leporina* Fabr., *A. globosa* Fabr., *A. fronticornis* Fabr., *A. aenea* Fabr., Billb. (cujus mas est *Apis aenea* Linn. et femina *Apis caerulescens* Linn.), in floribus Sueciae inferioris frequenter visae, in Lapponia vel terris proximis a me frustra quaesitae.

---

## 58. Heriades. Latr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 553. Billb. *Chelostoma* Latr. *Anthophora* Fabr. Fall. *Apis* Linn.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, elongatum, angustum, cylindricum, undique punctatum, pubescens. Antennae thoracis dimidio parum longiores, filiformes, extrorsum vix crassiores, fractae; medio faciei insertae. Alae fere ut in *Anthophora.* Areola scilicet late subtrigona, nervo exteriori valde obliquo, area specularis angustior intra basin areolae ita inseritur, ut nervi hujus areae ab areolae angulis intervallo notabili distent (nec his angulis proxime adjaceant) Nervi quoque ex angulis areae specularis et areolae exterioribus excurrentes magis perspicui sunt, quam in genere priori, ad marginem usque alae fere producti. Pedes simplices non dense hirsuti. Tarsorum posticorum articulus primus non dilatatus. *Color* niger, abdominis incisuris saepius albo-ciliatis, et vix alia pictura. *Motu* celer. *Habitatio* in floribus; per partem sylvaticam Lapponiae; *nidificat* in foraminibus parietum et truncorum arborum vetustarum. *Differentia sexus* evidens; *mas:* facie dense hirsuta, antennis paullo longioribus, cylindricis, abdomine incurvato, ventre subnudo; a *femina:* facie parum pilosa, antennis brevioribus, extrorsum subcrassioribus, abdomine parum curvato, ventre pilis rigidis longis erectis vestito, mox differt. (Spec. Scand 5 lustrare mihi contigit.)

**1. H. truncorum:** brevior, mandibulis mediocribus, nigra, abdominis segmentis margine albido-ciliatis. ♂♀.

*Mas:* facie dense griseo-hirsuta, abdomine valde incurvato, fornicato, ventre basi albido-piloso.

*Anthophora truncorum* Fabr. Piez. 379. 29. *Hylaeus truncorum* Panz. Fn. 64. f. 15. var. $\alpha$.

*Fem.:* facie parce griseo-pilosa, mandibulis paullo longioribus, abdomine longiore, minus curvato, ano inflexo, non fornicato, ventre flavo-aureo-hirsutissimo; in copula.

*Apis truncorum* Linn. Fn. Sv. 1692 (sub qua plures species forsitan latent). *Hylaeus truncorum* Panz. Fn. 64. f. 15. var. $\beta$.

Hab. in Lapponiae lignis antiquis rarius. (Lappon.-Scan pass. freq.)

*Mas* et *Fem.* In suo genere parva, circiter 4 lin. longa. Tota profunde punctata, nigra, parum nitida, griseo-parce pubescens. Antennae maris thoracis dimidii longitudine, feminae paullo breviores Clypeus maris inermis, feminae margine antico in medio in dentem brevem truncatum producto. Mandibulae apice bidentatae, maris mediocres, feminae paullo longiores, validiores. Abdomen dorso nudum, segmentorum margine concinne albo-ciliato; hae vero cilia in mare facile deteruntur, ad latera vero tenacius adhaerent, unde exstat varietas detrita, quam Illustr. a Linn. forte ante oculos habuit, cum descriptionem hujus speciei in Fauna dedisset Anus inflexus, margine mutico. Alae fumato-hyalinae; nervis ordinariis ex arearum angulis excurrentibus subobsoletis. Pedes parum pilosi, tarsis posticis articulo primo praesertim in femina flavo-hirsutiori. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* *Apis florisomnis* Linn. et *Apis maxillosa*, quae sexu sine dubio tantum differunt, huic generi associandae, a me quidem in Lapponia non inventae sunt; sed cum verisimillimum videtur, has Auctorum duas species, quae unicam nobis efficit, boreales et in terris Lapponiae adjacentibus frequentes, intra limites Lapponiae etiam habitare, in nostra Fauna illas desiderari nolui, quare earum descriptionem, ad unam speciem relatam, heic afferre liceat!

**2. H. maxillosa:** longior, nigra, griseo-pubescens, abdominis segmentis margine albo-ciliatis. ♂♀.

*Mas:* densius flavo-griseo-pilosus, capite antice posticeque valde hirsutis, clypeo inermi, mandibulis mediocribus, antennis dimidio thoracis paullo longioribus, apice incurvatis, articulis mediis subtus nodosis, abdomine valde incurvo, ano profunde emarginato, obtuse bidentato, ventre fascia media pilis condensatis, segmento primo elevato, hiante.

*Apis florisomnis* Linn. Fn. Sv. 1703. *Hylaeus florisomnis* Fabr. Piez. 319. 3. Panz. Fn. 46. f. 13.

*Fem.:* forte hujus: parce griseo-pilosa, facie non dense hirsuta, mandibulis elongatis, validis, arcuatis, apice bidentato, latere interno hirsutis; clypeo antice in medio lamina elevata, truncata; antennis capite parum longioribus, simplicibus, extrorsum crassioribus, rectis; abdomine parum incurvo, dorso nudo, nitido, segmentis margine distincte albo-ciliatis; ano subacuto, inermi, ventre lana albida dense vestito, pedibus pubescentibus, tarsis posticis articulo primo subtus flavo-griseo-hirtis.

*Apis maxillosa* Linn. Syst. Nat. 2. 954. 11. Panz. Fn. 53. f. 17. *Hylaeus truncorum* var. $\beta$. *maxillosus* Fabr. Piez. 379. 29.

Hab. . . . . (Botnia-Scania vulgaris; mas in floribus Ranunculorum pernoctans. In copula haec species nondum a me visa.)

## Coelioxys.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 557. Fall. Billb. *Anthophora* Fabr. *Apis* Linn. Panz.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongum, postice acutum; totum nudiusculum, scabro-impresso-punctatum. Antennae thoracis dimidio parum longiores, cylindricae. Palpi biarticulati. Mandibulae angustae, acutae, dentatae. Oculi distincte hirsuti.*) Scutellum utrinque spinosum. Abdomen trigono-conicum, supra planum, pedesque, subnuda, non pollinigera. Alarum directio nervorum et arearum forma ut in *Anthophora.* *Color* corporis niger, abdominis incisuris albis. *Motu* celer. *Habitatio* in floribus, *nidificat* in arenosis. *Differentia sexus* e maris facie densius griseo-hirsuta, ano obtusiore, quadridentato, dentibus intermediis bifidis, et *feminae* facie parce pilosa, ano acuminato, hiante, aculeum aperiente, mox colligitur. (Spec. Scand. 2, quarum altera ano obtuso, submutico, dente inferiori emarginato, a C. Fallén neutrum esse creditur).

**1. C. conica:** nigra, antice parum griseo-pubescens, abdominis segmentis margine aut integre aut interrupte albido-ciliatis. ♂♀.

*Anthophora conica* Fabr. Piez. 380. 33. ♀. (scutello immerito mutico descripto). *Apis conica* Linn. Fn. Sv 1705. ♀. *Anthophora 4-dentata* Fabr. Piez. 379. 32. ♂. *Apis 4-dentata* Panz. Fn. 55. f. 13. ♂. *Apis bidentata* Panz. Fn. 59. f. 7. ♀.

Hab. . . . . Inter limitem Lapponiae hactenus non detecta, quantum novi, in reliqua Scandinavia mensib. Jul. sat vulgaris.

## Anthidium.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 558. Fall. Fabr. Panz. Billb. *Apis* Linn.

Genus, corpore majore, antennis thorace brevioribus, filiformibus, palpis uniarticulatis, mandibulis apice sexdentatis, scutello margine postico subproducto, subemarginato, abdomine ad basin late transverse truncato, supra convexo, incurvo, in masculis saepe fasciculatim hirsuto, et postice spinoso, in feminis subtus hirsuto, pollinigero; tarsis villosis; alarum areis fere ut in *Anthophora*, distinctum, duas continet species Sueciae, quarum nullam in Lapponia inveni. — Altera vero (*Apis manicata* Linn.) seu *Anthid. manicatum:* nigrum, griseo-hirtum, ore, abdominis maculis lateralibus tibiarumque anteriorum apice flavis. ♂♀.

In floribus Labiatarum habitans, in terris Scandinaviae borealibus sat longe procedit. Moribus singularibus et volatu peculiari a reliquis Hymenopteris vel e longinquo vel statim dignoscitur: femina scilicet suspensa in aëre ante florem, prius quam ei insideat, et velocissime inde fugiens, *Bombylium* mentitur.

*) Exemplum in Hymenopteris rarissimum, in Dipterorum *Muscis* et *Tachinis* frequens.

## Eucera.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 566. Fabr. Fall. Panz.
*Apis* Linn.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongum, obtusum, punctulatum, hirsutum. Mandibulae truncatae. Palpi 6-articulati. Antennae filiformes, in mare longitudine corporis, in femina thoracis dimidio parum longiores. Ocelli in linea transversa recta dispositi. Oculi nudi. Abdomen ovatum, nudiusculum, basi pilosum, feminae non pollinigerum. Alae fere ut in *Anthophora*, at nervo exteriori areolae subangulato (nec arcuatim curvato). Pedes distincte pilosi et hirsuti. *Color* corporis niger, hirsutie fulva aut grisea. *Motu* celer. *Habitatio* in floribus. *Differentia sexus* evidens; *mas:* antennis longitudine corporis, clypeo albo, abdomine subconvexo, pedibus anticis femoribus extus longe pilosis, posterioribus totis aequaliter hirtis, tarsis posticis articulo primo subtus densius fulvo-hirsutis, unguilis omnibus apice duplicatis; *femina* paullo major, robustior, antennis thoracis dimidio vix longioribus, clypeo nigricante, abdomine dorso denudato, subdepresso, apice fasciis pilosis, pedibus pubescentibus, anticis femoribus extus longe pilosis, posterioribus tibiis tarsorumque articulorum primo hirsutissimis, pollinigeris. (Spec. Scand. 3.)

*Obs.* Licet nullae mihi in Lapponiis propriis obviae fuerint hujus generis species, quarum duae saltem, scil. *C. longicornis et linguaria* in reliqua Scandinavia sat frequenter occurrunt, tamen omnium trium diagnosin hic afferre juvat, ne laevis saltem earum cognitio in nostro libro desideretur, si etiam in terris arcticis una alterave olim detegeretur. Sunt igitur:

**1. E longicornis:** nigra, thorace griseo-fulvo-hirsuto. ♂♀.
Fabr. Piez. 382. 73. ♂. Panz. Fn. 64. f. 21. ♂. *Apis longicornis* Linn. Fn. Sv. 1684. ♂. *Apis tuberculata* Fabr. Ent. Syst. 2 334. 84. ♀. Panz. Fn. 78. f. 19 ♀

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et statura *Apis mellificae*, antennis, oculis, alarum areis, et oeconomia, distincta.

**2. E. linguaria:** nigra, thorace griseo-cinereo-hirsuto. ♂♀.
Fabr. Piez. 383. 6. ♂. Panz. Fn. 64. f. 22. ♂.

*Mas* et *Fem.* Simillima praecedenti, colore hirsutiei excepto.

**3. E. Tumulorum:** nigra, thorace nigro-hirsuto, mandibulis pedibusque flavis. ♂?
Fabr. Piez. 383. 3. *Apis tumulorum* Linn. Fn. Sv. 1685. et It. Gottlandic. p. 336.

Hab. in ipsis antiquissimis tumulis sepulchralibus, in insula Wisingsoe in lacu Wettern: teste Illustr. a Linné, mihi ignota.

„Magnitudo dimidiae Muscae domesticae. Antennae filiformes, corporis fere longitudine, subtus pallidiores" Linn. l. c. An hujus generis? An *Hylaeus* (*Halictus*, *flavipes* ♂. Fabr.?

---

°° Areola alarum gemina.

A. *Apiariae solitariae*: mares et feminae tantum, neutra nulla. Thorax scabro-punctatus. Scutellum bituberculatum. Antennae thorace parum breviores, subfractae (in mortuis subrectae). Abdomen glabrum. *Nomadinae* Fall.

## 59. Nomada. Fabr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 561. Fall. Fabr. Panz.
*Apis* Linn.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, ovato-oblongum, punctatum. Thorax pubescens. Antennae filiformes, vix thoracis longitudine, maris 13-, feminae 12-articulatae, articulo secundo brevi, in mare brevissimo. Scutellum tuberculatum, metathoracem convexum haud excedens. Abdomen ovale, nudum. Pedes nudiusculi s. parum pubescentes, tibiis versus apicem sublatioribus, extus spinulosis. Tarsorum posticorum articulus primus subaeque latus. Alae praesertim margine infuscatae. Area costalis ultima sat longe ab apice alae remota. Areolae geminae exterior et interior subaequales, subtrapeziformes. Area specularis ita inseritur, ut singulus nervulus fere in medio baseos singulae areolae excipiatur. Nervi duo ordinarii infra angulum arearum excurrentes, obsoleti, vix nisi ad basin suam perspicui. *Color* in rufum vel ferrugineum facile migrans, pictura flava, fasciata (in abdomine), vel punctata (in scutello). *Motu* agilis. *Habitatio* in floribus, in terra arida saepe insidens, ibique ad fossas nidos construunt; per partem sylvaticam Lapponiae. Pollen e floribus non colligunt imagines, mel eorum tantum appetentes. *Differentia sexus* praeter indicatum antennarum articulorum numerum diversum, in *maris* harum articulo secundo brevissimo, retracto, *feminae* brevi, ut et interdum colore, invenienda. Aculeus feminarum capillaris, sursum pungens. Indiv dua rarissime in copula deprehenduntur. (Spec. Scand. 14 mihi cognitae.)

**1. N. borealis:** pubescens nigra, ore, antennarum flagello, alarum squamula, tuberculo ante alas, scutellu pedibusque ferrugineis, his basi nigris, abdomine nudo, rufo, basi segmentorumque margine nigricantibus, fasciis 4 flavis, duabus anticis late interruptis. ♀.

Hab. in terra locis arenosis, sylvaticis Lapponiae Tornensis, mens. Jun. -- Jul. passim; ad Kengis, Wittangi et Juckasjervi frequenter; ad Karungi et Haparanda jam d. 20—27. Maj. vidi. (Lapponia-Botnia borealis.)

*Fem.* Magnitudo et affinitas *Nomadae ruficornis* Fabr. at distincta. Differt praecipue: a *N. Solidaginis* et *rufipede*: antennarum flagello rufo (nec nigro), a *N. ruficorni* et *interrupta:* scutello rufo (nec flavo-bipunctato); a *N. flava*, *Roberjeotiana* et *germanica:* abdominis pictura; a *N. minuta:* magnitudine majori. Caput punctatum, parce pilosum, nigrum, clypei margine summo mandibulisque ferrugineis. Antennae thorace paullo breviores, validae, subaequaliter crassae, ferrugineae, nudae, articulo primo longiori cylindrico secundoque brevissimo, nigris, pilosis, illo subtus plerumque macula basi et apice rufis. Thorax punctatus, fusco-pubescens, niger, scutello obscure rufo. Punctum callosum ante alas laevissimum, nitidum, ferrugineum, circulo ciliarum grisearum basi cinctum. Abdomen thorace paullo longius, nitidum, laeve, seu subtilissime tantum punctulatum, supra glabrum, segmentis 1mo basi nigro, medio fascia rufa, margine apicali nigricante; 2do rufo, macula laterali magna transversim ovata, flava, et margine apicali nigricante; 3tio rufo, macula utrinque transversa plerumque angusta, rarius rotundata, flava, et margine apicali nigricante; 4to basi nigro, medio fascia utrinque abbreviata, flava, et margine apicali rufo; 5to rufo aut fusco, macula apicis magna, flava; ventre nigro, fasciis rufis, nudo, pilis quibusdam series quatuor transversas formantibus. Alae fuscae, lunula versus apicem hyalina, squamula (tegula) distincta, rufa; areolae geminae exterior basi dilatata, interior subquadrata; at area specularis ita inseritur, ut utrumque insertionis punctum ad areolae nervulum medium et exteriorem propius accedat. Pedes pubescentes, tibiis tarsisque praesertim latere exteriori distincte rigide pilosis seu subspinulosis, toti rufi, coxis, trochanteribus femorumque imprimis posticorum basi late, nigris.

*Not.* Difficultas species hujus generis inter se valde affines dignoscendi, veniam dabit prolixae descriptioni.

**2. N. ochrostoma:** pubescens nigra, ore, antennis, orbita oculorum, alarum squamula, tuberculo ante alas, thoracis lineis dorsalibus, scutello pedibusque, ferrugineis, his basi nigris, abdomine nudo, rufo, petiolo basi nigro, segmentis margine fuscis, fasciisque 4 flavis, duabus anticis late interruptis. ♀.

Var. a. ♀. fascia abdominis secunda parva punctiformi.

Dalm. in litteris. *N. ruficornis* Panz. Fn. 55. f. 18. (nec Fabr. eadem). Sub nomine *N. lateralis* Panz. individua similia in Collectione Cel. Fall. vidi.

Var. b. ♀. fascia abdominis secunda obsoleta, vix ulla.

Hab. cum priori in Lapponia, rarius; varietat. b. in silva acerosa ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 26. Jun. inveni. (Lappon.; Uplandia, Gottland.-Scan. var. a. pass.)

*Fem.* Valde affinis et similis priori, plerumque paullo minor, *N. flavae* et *rufipedi* Fabr. aequalis. A praecedente praecipue differt, clypei margine latius rufo, orbita oculorum ferruginea, antennarum scapo supra tantum nigro, thoracis dorso rufo-lineato, abdominis segmentorum margine parum infuscato, alarum disco latius hyalino, ut et trochanteribus pedum rufis. Caput parum pilosum, punctatum. Orbita oculorum magis vel minus anguste rufa. Scapus antennarum pilosus, supra aut totus aut apice niger. Thorax subpubescens s. subnudus (detritus), dorso lineis 4 magis vel minus distinctis rufis, collaris margine et maculis pectoralibus interdum etiam rufescentibus. Abdomen fere totum rufum, petiolo basi atro, segmentorum margine apicali plus minus infuscato; fasciae flavae ut in priori, sed secunda aut minor aut omnino deficiens, et tertia interdum in medio interrupta. Vertex rufus, fasciis nigris, angustis. Alae hyalinae, margine apicali fusco, nervis ut in priori, at areolae exterioris basi minus dilatata, et areae speculari ita inserta, ut nervulus medius areolae ab utroque insertionis puncto fere aequaliter distet. Pedes rufi, coxis et femorum basi inaequaliter nigris. Reliqua ut in antecedente.

**3. N. obscura:** pubescens nigra, clypeo concolore, mandibulis, antennarum flagello, alarum squamula, tuberculo ante

alas, scutelli punctis 2, pedibusque, ferrugineis, his basi nigris, abdomine nudo, rufo, fasciis 4 flavo-albis, duabus anticis late interruptis. ♀.

Hab. cum prioribus rarissime, duo tantum specimina ad Wittangi d. 17. Jun., unicumque ad Kengis d. 27. Maj. inveni. (Lapp. - Botn. boreal. rariss.)

*Fem.* Priori iterum paullo minor, et a ceteris hujus generis mihi cognitis distincta. Affinitas et similitudo *N. borealis*, a qua tamen, praeter magnitudinem duplo minorem, differt etiam clypeo toto nigro (nec margine rufo), scutello punctis 2 (nec linea continua) rufis, et abdomine in fundo nigricante (nec ferruginante). Caput et thorax ut in *Nom. boreali*, margine collaris interdum rufo-maculato. Abdomen laeve, nudum, nigrum, disco interdum nigro-fusco, fasciis flavo-albidis, ut in *N. boreali* constructis; venter niger, fasciis 2 angustis, abbreviatis, flavis. Variat etiam abdominis dorso primo segmento rufo-maculato. — Alae, pedes et reliqua ut in *N. boreali*, areolae exterioris basi tantum minus dilatata.

*Obs.* Species reliquas Scandinaviae indigenas, scilicet: *Nom. ruficornem* Fabr. (*Apem ruficornem* Linn.), *N. flavam* Fabr. Panz., *N. striatam* Fabr. Billb., *N. rufipedem* Fabr., *N. Roberjeotianam* Fabr., *N. Solidaginis* Fabr., *N. Fabricianam* Fabr. (*Apem Fabricianam* Linn.), *N. cingulatam* Fabr. *N. germanicam* Fabr. Panz., *N. minutam* Fabr. (*N. furvam* Panz.) etc. in Lapponia frustra quaesivi.

## Epeolus.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 563. Fall. Fabr. *Apis* Linn.

Genus, alis, habitu, moribus *Nomadae* simile, scutello metathoracem truncatum excedente, abdomineque conico distinctum, unicam sub se comprehendit speciem Scandinavicam, scil. *Epeol. variegatum* Fabr. seu *Apem variegatam* Linn., quae in Ericetis arenosis Sueciae mediae in copula passim frequenter occurrit, in Lapponia forte hospes.

## Megilla.

Fabr. Piez. gen. 63. Fall. *Apis* Linn. Panz.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongo-ovale, valde obtusum, hirsutum. Instrumenta cibaria fere ut in *Anthophora*. Clypeus aequalis, subconvexus. Oculi nudi. Antennae thoracis dimidio parum longiores, filiformes aut extrorsum subcrassiores. Abdomen ovatum, in femina non pollinigerum. Alarum area costalis ab apice alae longe remota, parum ultra areolam extensa. Areolae geminae exterior et interior subaequaliter magnae, subquadratae, nervo extimo arcuato aut obtuse angulato; cum nervo areae specularis alter s. interior in medio baseos areolae interioris insertus. Nervi autem duo ordinarii infra angulos arearum excurrentes, in affinibus generibus plerumque obsoleti, in hoc omnino nulli. Pedes pilosi. *Color* niger, hirsutie saepe grisea. *Motu* valde agilis, volat celerrime. *Habitatio* in floribus libentissime labiatis, aromaticis, ex. gr. in Lavandula, Hyssopo, Salvia etc. sub terra arenosa *nidificans*. *Differentia sexus; mas:* clypeo saepe albo-maculato, abdomine convexo, piloso, ano inflexo, pedibus aequaliter, haud dense pilosis, femoribus intermediis vel posticis plerumque crassioribus, a *femina:* clypeo non colorato, abdomine subdepresso, subdenudato, aculeo sursum pungente, pedibus posterioribus femoribus simplicibus, tibiis tarsisque extus hirsutissimis, pollinigeris dignoscitur. (Spec. Scand. 6 in museo adsunt; in his: *Megilla Acervorum* Fabr. (an *Apis Acervorum* Linn. et *Apis retusa* Linn.?), *M. 4-maculata* Fabr., *M. Haworthana* Kirb., *Apis Dumetorum* Panz., *Lasius Salviae* Panz.)

*Obs.* Quamquam nulla specierum jam enumeratarum ut Lapponiae incola hactenus cognita est, tamen generis descriptionem in Fauna hac Lectoribus desiderari nolui, cum mihi probabile videatur unam vel alteram earum olim esse detegendam etiam in terris arcticis.

**B.** ***Apiariae societates ineuntes;*** Masculi, feminae et neutra. Thorax (villositate detrita) subtiliter punctulatus. Scutellum rotundatum, aequale. Antennae thorace paullo breviores, distincte fractae. Abdomen villosum aut hirsutum.

## 60. Bombus. Fabr.

Latr. Gen. Crust. et Ins. 573. Fabr. Panz. Fall. *Apis* Linn.

*Corpus* aut maximum aut majoris magnitudinis, late obovatum, hirsutissimum. Caput parvum, thoracis dorso elevato, convexo humilius. Os lingua elongata. Mandibulae dorso sulcato aut striato. Clypeus inaequalis. Oculi elongati, parum exserti, nudi. Ocelli in linea transversa recta dispositi. Antennae thorace paullo breviores, filiformes, fractae. Alarum area costalis ultima lanceolata, ab apice alae remota, at ultra areolam distincte extensa. Areolae geminae exterior et interior subaequaliter magnae, irregulares, illa trapeziformis, haec angulo interiori dilatato. Area specularis ad insertionem latissima. Nervi duo ex angulis arearum excurrentes valde obsoleti. Tibiae apice bicalcaratae, posteriores cum articulo tarsorum primo dilatatae, retro-compressae, longe ciliatae. *Color* niger, hirsutie in fascias versicolores saepe disposita. *Motu* agilis, volat cum susurru. Saliceta Lapponiae, alioquin deserta et mortua, sono bombilante viva et laeta tempore aestivali copia individuorum facit. *Habitatio* in floribus praesertim Salicum, Gei nivalis, etc. per omnes regiones Lapponiae, ipsas alpes nivales non reformidans, mel sedulo colligens; individua frequenter occurrunt. Gregarius in terra, in acervis lapidum, sub radicibus arborum, ut et sub muscis nidificat, cellulis aggregatis, monothalamis succo mellino albidiore*) repletis. — *Sexus triplex* ad tempus adgregatus. *Differunt: mas* medius, antennis longitudine fere thoracis, mandibulis parvis, ad apicem angustioribus, bidentatis, barbatis, tibiis tarsorumque articulo primo minus dilatatis; *femina* maxima, antennis longitudine dimidii thoracis, mandibulis cochleariformibus, apice rotundatis, 4-dentatis, tibiis posticis tarsorumque articulo primo extus distincte dilatatis, hoc angulo basali producto, aculeo ani retractili, valde pungente; *neuter* (femina abortiva) minimus (mare saepe duplo, femina triplo aut quadruplo minor), antennis, mandibulis et pedibus ut in femina. (Spec. Scand. 31 in Museo meo numerantur, pleraeque ad omnem sexum determinatae, in pratis floriferis, et in hortorum Sueciae mediae et meridionalis plantis aromaticis et Ribibus collectae.)

*Subdiv.* I. Thoracis hirsuties tota nigra.

**1. B. lapidarius:** hirsutus ater, abdominis segmentis tribus analibus fulvis, alis hyalinis. ♂. ♀. ☿.

Fabr. Piez. 347. 25. ♀. Ejusdem var. quadruplo minor. ☿. *Apis lapidaria* Linn. Fn. Sv. 1712. ♀.

Hab. in Lapponia, Collect. D. D. Kolströmii et Deutschi. — Nidificat in lapidum acervis, copiose (in Suecia temperatiori) mellificans. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas, Fem.* et *Neuter.* Femina magna, circiter 8 lin. longa, mas et neuter subaequales, triplo aut quadruplo minores femina. Totus niger et nigro-hirsutus excepto ano in mare luteo-flavo, in femina et neutro fulvo.

**2. B. alpinus:** hirsutus ater, abdomine basi anguste nigro, alis fumatis, apice hyalinis. ♀. ☿.

Var. a. ♀ ☿. hirsutie abdominis fulva.

Fabr. Piez. 343. ♀. Ahrens. Fn. Europ. Fasc. 10. Tab. 17 (alis justo fuscioribus). *Apis alpina* Linn. Fn. Sv. 1719. ♀.

Var. b. ♀. hirsutie abdominis flava.

Billb. Enum. Ins. p. 111. forte? (e nudo catalogo non nisi conjiciens Synonymiam Clar. auctoris afferre possum.)

Hab. in floribus praesertim Salicum variarum in Lapponia sylvatica Tornensi et Lulensi sat vulgaris; ad Juckasjervi frequens, a die 21. Jun. usque ad 13. Aug. quotidie fere visus. — Adscendit etiam in alpes et in summo alpium jugo parce lectus. Deprehenditur quoque in solitariis alpibus, ex. gr. ad Finkrog et in Lyngentind Nordlandiae septentrionalis, nec non in Jockelfjell Finmarkiae occidentalis captus. Inter Alten et Kautokeino Finmarkiae versus autumnum non nisi rarissime lectus. — Var. a. frequentior et in Lapponia sylvatica Suecica plerumque occurrit; varietas vero b. vix nisi in alpibus nivalibus Norvegiae et in summo jugo legitur. (Lapponia et Norvegica et Suecica; vix extra.)

*Fem* et *Neuter.* Magnitudo praecedentis, interdum paullo minor, secundum sexum pari modo varians. Totus nigro-hirsutus, abdomine aut luteo-seu fulvo-aut flavescenti hirto, abdominis segmento primo nigro. Alae fuscedine tinctae (non vero nigricantes ut in figura Ahrensii), apice ultra areas magis hyalinae. — Variat etiam rarius thoracis summo margine antico et postico griseo-hirto.

*) Succus mellinus, quem conficiunt *Bombi* colore pallidiore et sapore mitiore differt ab illo, quem praeparant *Apes mellificae*.

**3. B. soroeensis**: hirsutus ater, abdominis apice late albo, alis fumato-hyalinis. ☿.

Fabr. Piez. 345. 10. Billb. Enum. Ins. p. 111. var. a. et b. (varietate b. mihi ignota). *Apis Soroeensis* Panz. Fn. 7. f. 11. ☿. (*Bombus neuter* Fabr. Piez. 347. 24. et *Apis neutra* Panz. Fn. 83. f. 18. est forte mas aut neutrum hujus.)

Hab. in Lapponia D. de Paykull, mihi ibi non obvius. (Lappon.; Ostrogoth. rarissime; Dania.)

*Fem.* Magnitudo priorum. Totus nigro-hirsutus. In majoribus individuis interdum thorax antice fascia interrupta angusta, scutellumque, obsoletissime flava. Abdominis segmenta 3 basalia etiam nigra, reliqua albo-hirta. Alae parum infuscatae.

*Obs.* *Bomb. rupestris* Fabr. ater, abdominis segmentis duobus analibus fulvis, alis nigricantibus. ♀; *B. lapidario* fere major, magis elongatus;

*B. subterraneus* Fabr., Linn., ater, abdominis segmentis 4 ultimis fulvo-griseis, alis hyalinis, areolae geminae exterioris et areae specularis nervis exterioribus oppositis subcoeuntibus. ♀? Magnitudine *B. lapidarii* ☿; et

*B. Cryptarum* Fabr. (*B. interruptus* Illig.), ater, abdominis basi cingulo flavo, ano albo, alis subhyalinis ♀. Magnitudine *B. lapidarii*;

in Svecia inferiori passim frequenter, in Lapponia mihi non obvii fuerunt.

*Subdiv.* 2. Thoracis hirsuties aut nigra, flavo-fasciata; aut flava vel fulva, nigro-fasciata.

**4. B. terrestris**: hirsutus ater, thoracis antico fascia, abdominisque basi cingulo, flavis, ano albo, alis fumato-hyalinis. ♂. ♀. ☿.

Fabr. Piez. 343. 4. ♀. ♂. *Apis terrestris* Linn. Fn. 1709. ♀. Panz. Fn. 1. 16. ♀. (thoracis abdominisque fasciis colore nimis luteo, alisque nimis obscuris.)

Hab. in Lapponiae sylvaticae floribus d. 14 Jun. — 15. Aug. haud infrequens. Ad Wittangi et Karesuando Lapponiae Tornensis praesertim reperi. In inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae illum frustra quaesivi. Ad Lulea et Tornea jam d. 8 – 20. Maj. femina visa. Neutra ad Muonioniska etiam d. 17. Aug. vidi. Sub terra profunde nidificat, mel copiose colligens. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas, Fem.* et *Neuter.* Inter majores hujus generis, *B. lapidario* aequalis, magnitudine secundum sexum pari modo varians. Nigro-hirsutus. Thorax fascia antica lata, integra, flava, et abdomen segmento secundo seu cingulo intrabasali ejusdem coloris. Anus latus, albo-hirtus. Tarsi articulis ultimis fuscis. Alae fumato-hyalinae.

**5. B. Arbustorum**: hirsutus ater, thorace fascia antica flava integra, ano late luteo, alis hyalinis. ♂. ♀. ☿.

Fabr. Piez. 347. 23. certe. *Apis pratorum* Linn. Fn. Sv. 1711 forte. *Bremus truncorum* Panz. Fn. 85. 21 ♀. certe. (Sub nomine *B. Burellanus* ♂ a D. Dalman etiam mihi olim missus.)

Hab. in Lapponia forte rarissime, in Collectionibus borealibus ut incolam Lapponiae tantum vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas, Fem.* et *Neuter.* Femina mari *B. lapidarii* magnitudine subaequalis, mas paullo, et neuter duplo, minores. *Mas:* breviter ovatus, antennis longitudine thoracis, niger, facie infra antennas flavo-hirsuta, pilis aliquot nigris vel fuscis immixtis, occipite et thorace antice late, plerumque undique, flavo-hirsutis, hoc interdum subtus nigro; pilis aliquot pallidis in scutello, ano fulvo; *Femina:* paullo longior, antennis thoracis dimidio parum longioribus; nigra, facie infra antennas flavo-vel albo-hirsuta; thorace antice late, saepissime undique, flavo-vel griseo-hirto, flavedine tamen minus vivida quam in mare; pilis aliquot pallidis in scutello; abdominis apice latius fulvo quam in mare; *Neuter:* feminae similis, duplo minor, capite fere toto nigro, ano minus late rubro.

**6. B. ephippium**: hirsutus ater, thorace antice fascia intramarginali flava, utrinque abbreviata, ano luteo, alis hyalinis, apice subinfuscatis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, rarissime; in floribus Salicis ad Juckasjervi d. 21. Jun. 1821 inveni. (Lapponia; Scania ad Lund d. 17. April. 1830 specimen femineum lapponico simillimum quoque detegere mihi contigit.)

*Fem.* Statura maris praecedentis, at duplo major. Priori speciei affinis et similis, sed vere distinctus. Totus nigro-hirsutus. Os infra clypeum ferrugineo-pilosum. Thorax antice fascia in medio latiori, utrinque attenuata, ad latus parum infra humeros extensa, sulphureo-flava, marginem anticum totum fere usque ad medium thoracis dorsum occupante, relicta tantum fascia tenui circa collum, nigro-hirsuta. Anus luteus, minus tamen late, quam in praecedente. Alae hyalinae, apice extra areas determinate subinfuscatae nervis validioribus quam in priori.

*Not.* Vix hic est *Apis pratorum* Linnaei. Diagnosis et descriptio hujus *A. pratorum* ab Illustr. Viro in Fauna Suecica data, brevis atque insufficiens et in hunc et in praecedentem fere aequo jure quadrat. Frequentia vero *Bombi arbustorum* affirmat eum esse ipsum, quem Linn. ante oculos habuit, suam speciem descripturus. *Bombus ephippium* vix ante nostra tempora detectus fuit, in Collectionibus Svecicis, quas vidi, saltem hospes.

**7. B. nivalis**: hirsutus niger, thorace antice posticeque, abdominisque basi, flavo-griseis, ano late griseo-albo, alis fumato-hyalinis. ♀.

Hab. in alpibus nivalibus circa insignem lacum Tornensem (Torneåtraesk) et in summo alpium Tornensium jugo, rarius; d. 8—12. Jul. captus. (Lapponia.)

*Fem.* Affinis *B. ruderato* ejusque pictura, at fere paullo major, colore flavo-seu subluteo magis in griseum vergente, et fascia abdominis nigra non tam lata ac in illo, distinctus, nec cohabitans. Hirtus, niger. Thoracis dorsum flavo-griseum; fascia collaris angustissima et alia in medio infra alas latissima, nigra. Abdomen segmento 1 et 2 griseis, 3 determinate nigro-fasciato, reliquis griseo-albidis. Pedes toti et corpus subtus, nigra. Alae fumato-hyalinae, ad costam praesertim infuscatae.

**8. B. autumnalis**: hirsutus flavo-griseus, thorace fascia media abdominisque segmento secundo, nigris, ano albido, alis subhyalinis. ♀. ☿.

Fabr. Piez. 352. 47. forte hujus varietas.

Hab. in Lapponia passim, d. 27. Jul. — 22. Aug. captus. Minora individua, quae neutra esse credo, in monte subalpino Tennberg et prope Schiervoe Nordlandiae, in graminosis ad Bossekop Finmarkiae, et ad Karesuando Lapponiae Tornensis legi; specimina vero his majora, quae feminea existimo, ad Kengis et Muonioniska praesertim vidi. (Lappon.-Ostrogoth.; Scan. pass.)

*Fem.*? et *Neuter* forte ad eandem speciem referenda. Femina *Bomb. lapidarii* mare parum major, neuter duplo et ultra minor. Affinis priori, differt praeter magnitudinem minorem, hirsutie magis flavo-grisea (nec lutescenti), fascia nigra abdominis aliter locata, et abdomine subtus subalbido-piloso. Femina affinis etiam videtur *B. sylvarum* et *veterano*, sed differt ab illo, ano grisescente (nec rubro), et ab hoc, tarsis nigris (nec testaceis). *Femina.* Caput nigrum, vertice flavo-piloso. Thorax antice posticeque griseo-flavus, fascia media nigra. Abdomen parcius flavo-griseo-hirsutum, segmento secundo fusco vel nigricante, ano summo apice griseo-rubro. Pedes nigri, fusco-pilosi, tibiis et tarsis sordide ferrugineo hirsutis. Venter niger, fusco-pilosus. *Neuter* similis feminae descriptae, triplo minor, hirsutie thoracis magis flava, abdominis magis albida, ano non rufescente, nec tarsis ferrugineo-hirtis. — A specie Fabriciana igitur haec nostra paullo discrepat; an ob clima severius? An species nova?

**9. B. tricolor**: hirsutus niger, supra flavus, thoracis fascia media abdominisque cingulo medio rubro-terminato, nigris, ano albido, alis hyalinis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Karesuando d. 15. Aug. unicum individuum inveni. (Lapponia Suecica sylvatica.)

*Fem.* *B. Arbustorum* paullo major, *B. ephippium* aequalis. Similis *B. hortorum* Linn. et *B. sylvarum* Linn., sed differt ab illo, fascia abdominis nigra, rubro-terminata (nec simpliciter nigra), et ab hoc, ano albo (nec rubro). Hirtus, niger. Thorax dorso flavus, fascia inter alas infra (versus scutellum) dilatata, nigra. Abdominis segmenta 1 et 2 flava, 3 fascia determinate nigra, infra rubro-vel luteo-indeterminate et anguste terminata; reliqua segmenta alba. Alae hyalinae, costa parum infuscata.

**10. B. lapponicus**: hirsutus niger, thoracis dorso flavo, fascia media atra, abdomine rufo, ano flavicante, alis fumato-hyalinis. ♂. ♀. ☿.

Var. a. ♂. ♀. ☿. abdomine supra toto rubro, ano flavicante.

Fabr. Piez. 345. 11. ♀. Ahrens. Fn. Europ. fasc. 10. Tab. 18. ♀.

Var. b. ♀. abdomine supra rubro, segmento 1mo basi nigro, ano sordide flavicante.

Hab. in floribus Salicum, in Lapponia Tornensi, vulgaris; ad Wittangi et Juckasjervi d. 16—29. Jun. inprimis frequenter legi. — Deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae passim, ex. gr. in insula Schiervoe et ad Alten, ubi individua neutra in graminosis d. 27. Jul. — 5. Aug. inveni. (Lapponia, quae, uti sedes Salicum, ita etiam Bomborum patria videtur.)

*Mas, Fem* et *Neuter.* Inter majores. *B. lapidario* et *alpino* tamen paullo minor; secundum sexum solito modo varians. Caput totum nigrum. Thorax dorso flavus, fascia inter alas, in mare angusta, in femina et neutro, latiori, nigra. Rarius occurrunt individua thoracis dorso nigro, margine tantum antico anguste

et scutello, flavis. Abdomen supra fulvum, apice indeterminate flavicante; in varietate b. segmentum primum basi nigrum. Alae hyalinae, parum infuscatae. Pedes toti, et corpus subtus, nigra.

**11. B. hyperboreus**: hirsutus ater, supra fulvus, thoracis fascia media abdominisque apice nigris, alis fusco-hyalinis. ♀.

Schönh. Act. Holm. Anno 1809. p. 57. T. 3. f. 2. (abdomine in medio justo latiori.)

Hab. in Lapponia rarissime, ibique duo tantum individua, quantum novi, collecta; unum scilicet in Lapponia Tornensi ad Enontekis, a D. Grape, teste D. Schönherr, et alterum a me in alpe Jockelfjell ad Alteidet Finmarkiae occidentalis d. 31. Jul. 1821, inventum.

*Fem.* Maximus nostratum hujus generis. Statura linearis *B. rupestris*, sed adhuc fere longior. Species pulchra et distincta. Hirsutus. Caput totum nigrum. Thorax supra fulvus, fascia inter alas transversa, mediocriter lata, lineari, determinata, nigra. Abdomen thorace fere duplo longius ejusque latitudine, lineare, versus apicem sensim acuminatum; nigrum, segmento primo et secundo supra fulvis. Alae fumato-hyalinae, ad costam fusciores, nervis validis. Corpus subtus totum, et pedes, nigra, tarsis in nostro individuo concoloribus, nec ut in specimine Schönherri rufis.

*Obs.* *B. ruderatus* Fabr.: hirsutus ater, thorace flavo, fascia media lata nigra, abdominis basi cingulo flavo, ano albo, alis hyalinis, apice subinfuscatis, ♂. ♀. ☿. Magnitud. *B. terrestris*; *B. hortorum* Fabr. Linn.: hirsutus ater, thoracis antico abdominisque basi, flavis, ano albo. ♀. *B. ruderato* paullo minor; *B. equestris* Fabr. Billb.: hirsutus flavus, capite thoracisque fascia lata, media, inter alas, abdomine subtus pedibusque atris. Magnitudine *B. hortorum*, mihi ignotus; *B. sylvarum* Fabr. Linn.: hirsutus griseus, thoracis fascia media nigra, ano rubro ♂. ♀. ☿. *B. terrestri* duplo minor; frequens; *B. pratorum* Fabr. (*Apis fragrans* Fall.): hirsutus griseo-flavus, capite, thoracis fascia inter alas, pedibusque, nigris. *B. terrestri* duplo minor; *B. lucorum* Fabr. Linn.: hirsutus flavus, thoracis fascia angusta inter alas, abdominisque cingulo medio, obsoletis nigricantibus, ano albo ♂ ♀. Magnitudo fere *B. pratorum*; *B. frutetorum*: Fabr: hirsutus ater, thoracis dorso flavo, fascia media lata nigra, ano supra late luteo-flavo. ♂ ♀. Magnitud. *B. pratorum*, vel paullo major; *B. Mniorum*: Fabr. Billb.; hirsutus ater, scutello abdomineque pallescentibus, ano rufo. Inter minores, mihi ignotus; et *B. autumnalis* Fabr. var. a genuin. hirsutus cinereus, capite, thoracis fascia inter alas, abdominis cingulo medio pedibusque nigris, tarsis piceis, ano late albo. ♀. ☿. Inter minores; omnes huic Subdivisioni inserendi, in Suecia passim, in Lapponia hactenus nunquam, quantum novi, collecti.

*Subdiv.* 3. Thoracis hirsuties unicolor, tota aut (in nostris) fulva, aut (in Suecicis quibusdam) flavescens, aut denique grisea.

**12. B. apricus**: hirsutus ater, thorace supra fulvo, ano albo, alis fusco-hyalinis. ♂. ♀. ☿.

Var. a. ♂. ♀. ☿. abdominis dorso nigro, ano albo.

Fabr. Piez. 348. 29 *Apis meridiana* Panz. Fn. 80. f. 29.

Var. b. ♀. abdominis dorso nigro, basi pilis fulvis, nigris immixtis, ano albo.

Hab. in terra et graminosis locis aridis Lapponiae Tornensis et Lulensis praesertim var. a. passim. Feminas plures sub cortice Pini emortuae ad Juckasjervi d. 30. Jun. inveni, et varietatem b. in terra ad Wittangi d. 16. Jun. legi. Marem in graminosis ad Johannis Ro Botniae borealis usque ad 2. Sept. agilem vidi; sed in summis alpibus et in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae frustra quaesivi individua hujus speciei. (Lapponia; Botnia; Suecia media rar.; Dania.)

*Mas, Fem.* et *Neuter.* Femina ad majores accedit, *B. terrestri* et *lapidario* tamen paullo minor, *B. Hypnorum* Fabr. aequalis et similis, praesertim varietas nostra b. — Mas duplo, et neuter triplo, minores. Caput totum nigrum, pilis occipitis in vertice fulvis, et ore rufo-ciliato. Thorax dorso totus dense hirsutus et intenso colore fulvus. Abdomen nigrum, plerumque pilis aliquot in segmento primo fulvis, inprimis in varietate perspicuis; ano non late, sed distincte albo, in mare saepe griseo. Alae totae hyalino-fuscae. Pedes et corpus subtus, nigra, tarsis solis fusco- vel ferrugineo-subhirsutis.

**13. B. arcticus**: hirsutus ater, thorace abdomineque supra flavo-fulvis, hoc basi anguste nigro. ♀. ☿.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae rarius; ad Bjorkvik juxta Ofotenfjord tria specimina feminea d. 15. Jul. inveni, et in gramine ad Alten d. 5. Aug. unicum neutrum legi. (Lapponia Norvegica.)

*Fem.* et *Neuter.* Magnitudo, statura et affinitas praecedentis, a quo tamen differt: hirsutie superna pallidiori, abdominisque dorso concolore, basi tantum nigra.

A *B. Muscorum*, cui etiam similis, differt: abdominis hirsutie, thoracis concolore seu fulvescente (nec flava), et basi cingulo flavo, ut et loco natali. Reliqua ut in priori.

*Obs.* *B. Muscorum* Fabr., Linn.: hirsutus fulvus, abdomine pallidiore. ♂. ♀. ☿. *B. lapidario* duplo minor. In pratis frequens, sub Muscis nidificans; *B. agrorum* Fabr Billb. hirsutus ater, thorace toto anoque ferrugineis. Magnitudine magnus. Mihi non rite cognitus; *B. Hypnorum* Fabr., Linn.: hirsutus fulvus, abdominis fascia media lata nigra, ano albo. ♂. ♀. ☿. In pratis frequens sub Muscis nidificans; et *B. senilis* Fabr. Billb.: hirsutus, pilis cinerascentibus undique aequaliter tectus. ♂. ♀! (an ☿!). Inter minores. In Ostrogothia frequens; in Dania D. Westermann; sub hac Divisione militant, et ad Faunam Suecicam, vix vero ad nostram, pertinent.

*Not.* Bomborum monographiam, ad quam conscribendam et publicandam Clariss. Doct. Dahlbom, Hymenopterologus patriae hoc aevo facile primarius, se parat, avide exspectamus.

---

## Apis.

Linn. Fabr. Latr. Fall. etc.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongum, hirsutum. Caput thoracis altitudine. Os lingua elongata. Mandibulae dorso laevi. Oculi hirsuti. Ocelli in triangulum dispositi. Antennae thorace breviores, filiformes, fractae. Alarum area costalis ultima elongata, angusta, linearis, ab apice alae non longe remota, et ultra reliquas areas longe extensa. Areolae geminae exterior valde obliqua, interior elongato-triangularis, difformis, basi utrinque dilatata. Area specularis oblongo-quadrata. Nervuli 2 ordinarii excurrentes infra arearum angulos perspicui. Tibiae posticae elongato-obconicae, apice non calcaratae. Tarsi postici articulo primo elongato-quadrato, complanato, subnudo, una cum tibiis pollinigeris. *Color* nigro-fuscus, pictura nulla. *Motu* agilis. Volatus strenuus. *Habitatio* in floribus. Oeconomia notissima. Respublica apiaria saepius descripta. Cfr. etiam Linn. Syst. Nat. 2. 955. 22. *Sexus* triplex perenne aggregatus. *Mas* (s. *Fucus*, Vattenbi, circiter 1600 horum in alveario numerantur) antice posticeque obtusus, oculis maximis, in vertice conniventibus, alis magnis abdomine paullo longioribus; *Femina* (s. *Regina*, unica, Suecice *Vise*) multo longior, abdomine conico, oculis distantibus, tibiis posticis tarsisque omnibus fusco-ferrugineis, alis abdomine brevioribus; *Neuter* (s. *Operarius*, Spado, Arbetsbi, circiter 20000 in alveario), mare et femina paullo minor, oblongus, abdomine ovato, oculis distantibus, tibiis et tarsis fulvo-nigricantibus, alis longitudine abdominis. (Spec. Scand. 1 seu *Apis mellifica*, quae in Suecia hospitatur ubique domestica, rarius fera, spontanea in sylvarum arboribus cavis et templorum muris, vix perennans. Supra Angermanniam versus boream hodie aegre colitur. Veniet autem forte olim dies, cum cura *Apum* in ipsa Torneå aeque feliciter cedet, ac cultura *Hordei*, *Secalis* et *Pisi sativi* in campis ejus circumjacentibus et hortis jam viget, ante quinque saecula hoc loco sine fructu et successu tentata. Ea enim est vis et efficacia culturae agrorum et inhabitationis hominum, ut austerum clima sensim lenius et temperatius reddant.)

# SECTIO TERTIA.

## DIPTERA.

# DIPTEROLOGIS SCANDINAVIAE

AMICIS ET POPULARIBUS CARISSIMIS

**AUCTOR.**

# PRAEMONENDA.

Post moram prodit jam haec nova et tertia Sectio Faunae Insectorum Lapponiae revisae et valde mutatae, Diptera complectens. Cum Volumen primum hujus operis (nec plura hactenus divulgavi, Coleoptera, Orthoptera Hemipteraque amplectens, divulgaretur (anno 1828), tantum Lapponias Scandinaviae *septentrionales*, scilicet Lapponiae Kemensem Fenniae, Tornensem Sueciae, ut et Nordlandiam atque Finmarkiam occidentalem Norvegiae, perlustraveram, Dipteraque in his terris polaribus collecta reportaveram. Deinde vero iter quoque in Lapponias Sueciae *meridionales*, scilicet per totam Umensem, quae vastas illas Lapponiae paroecias: Lycksele, Stensele, Wilhelmina, Åsele atque Fredrica sub se comprehendit, anno 1832, comitante eximio naturae scrutatore felicissimoque insectorum indagatore D. Doct. A. G. Dahlbom, scopo entomologico institui. Sub hoc spatioso cursu, in quo etiam alpes nivales Gardfjellen et Brattiksfjellet, ubi nullus Entomologorum ante nos fuit, visitavimus, nobis contigit Antliatorum Ordinis specierum non solum multas (572) novas detegere, verum etiam plures cognitarum dubias, jam vivas lustrare adcuratiusque observare, nec non alias, quarum alter sexus ignotus fuit, ad utrumque determinare. Denique dives et pretiosa Dipterorum messis, in alpe insigni Dowre Norvegiae ab oculatissimis D. D. Capitaneo Boheman et Phil. Magistro Eb. Munk af Rosenschöld eodem anno (1832) facta, mecum ad describendum benignissime fuit communicata. Ne tandem reticeam partim Dipterorum icadem, quam in tractibus plagae arcticae a me haud visitatis D. Frigelius anno saepius nominato conquisivit conquisitamque mihi benevole misit, partimque horum animalculorum manipulos, quos reliqui mei et scientiae amici atque fautores, suas collectiones Lapponicas evacuantes, meo scrutinio subjecerunt. Nuperrime (1836) idem Boheman pugillum Dipterorum novorum e Dalekarliae alpestribus mihi misit. Talibus adminiculis usus hanc Faunae partem conscripsi.

Cel. Fallen in libro, qui *Diptera Sueciae* inscribitur, 857 species totius Scandinaviae attulit, Generibus 97 subjectas, sub Familiis 26 comprehensas. Cum vero his 857 speciebus subtrahuntur saltem 12, quarum 5 diversos tantum sexus efficiunt, scilicet *Chrysops caecutiens* qui est ♂, et *Chrysops lugubris* qui est ♀ ejusdem speciei, *Dasypogon longitarsis* ♂, et *Das. armillatus* ♀ ejusd. sp., *Empis nodipes* ♂, et *Emp. spissirostris* ♀ ejusd. sp., *Tachydrom. dispar* ♂, et *Tachydr. rufipes* ♀ ejusd. sp., atque *Musca lateralis* ♂, et *Musc. nigrina* ♀ ejusd. sp.; 5 eaedem sub diversis nominibus descriptae, ex. gr. *Leptis flavipes*, quae eadem est ac *Xylophagus ater*, *Tachydrom. geniculata* eadem ac *Tachydr. albo-capillata*, *Ocyptera tachinaria* eadem ac *Tachina lateralis*, *Musca nigrita* eadem ac *Musca tempestiva*, et *Anthomyza gracilis* eadem ac *Agromyza flavipes*; et denique 2 intra limites Scandinaviae haud obviae, nempe *Laphria ephippium* et *Empis pennipes*: restant solummodo 845 species Sueciae a Cel. Viro publici juris factae (Tipulariis scilicet non computatis, earum nempe descriptione a Cel. Auctore omissa). Mihi tamen contigit, uti incolas solum Lapponiae 1251 species in hac Faunae parte adumbrare, sub 174 generibus comprehensas, familiis 45 subjectas. Ill. a Linn. tantum 194 species hujus Ordinis per totam Scandinaviam suo tempore cognovit.

Ut autem ratio Dipterorum in Lapponia magis speciatim videatur, observationes sequentes inserviant.

1mo. Intra *regionem sylvaticam* (Cfr. Praefamen Sectionis 1mae) manent et terminum Abietis Pinusque vix excedunt species Sueciae vulgares e generibus: ***Laphria***, ***Dasypogone***, ***Xylophago***, ***Anthrace***, ***Callomyza***, ***Hybote***, ***Ocydromia***, ***Oedalea***, ***Anthalia***, ***Trichina***, ***Hormopeza***, ***Tachypeza***, ***Brachystomate***, ***Acrocera***, ***Henope***, ***Oxycera***, ***Nephrocero***, ***Ascia***, ***Coprina***, ***Xylota***, ***Milesia***, ***Microdonte***, ***Brachyopa***, ***Pipizis*** plerisque, ***Scenopino***, ***Myopa***, ***Gastro***, ***Hippobosca***, ***Ornithomyza***, ***Phasiis*** plerisque, ***Ocyptera***, ***Gymnosoma***, ***Phania***, ***Trixa***, ***Miltogramma***, ***Xysta***, ***Mesembrina***, ***Chrysoto***, ***Psilopo***, ***Ochtera***, ***Notiphila***, ***Psilopa***, ***Palloptera***, ***Opomyza***, ***Colobaea***, ***Geomyza***, ***Stegana***, ***Drosophilis*** plerisque, ***Meromyza***, ***Oscinibus*** plerisque, ***Gymnopa***, ***Macrochira***, ***Anthophilinis***, plerisque ***Agromyzis*** plerisque, ***Chlorope***, ***Lonchoptera***, ***Peuthetria***, ***Rhypho***, ***Anophele Chironomis*** plerisque, ***Tanypodibus*** fere omnibus, ***Lasioptera***, ***Ctenophora***, ***Pachyneura***, ***Dicranota***, ***Dixa*** et ***Platyura***.

2do. In *regione subalpina* et haud ultra habitant: ***Tabanus*** alpinus; ***Thereva*** fuscinervis; ***Rhamphomyza*** albo-segmentata; ***Gonia*** flaviceps; ***Tachina*** pubicornis; ***Sarcophaga*** alpina; ***Musca*** doleus: ***Anthomyza*** flavo-scutellata; ***Tanypus*** sordidus, crassipes; et ***Corynocera*** ambigua etc.

3tio. In *regione alpina*, huic forte propriae et peculiares aluntur: ***Cyrtoma*** stigmaticalis; ***Hemerodromia*** nivalis; ***Rhamphomyza*** alpina, reflexa; ***Eristalis*** alpina, Phantoma, geniculata, pygmaea; ***Leptopteryx*** nivalis; ***Musca*** genarum; ***Anthomyza*** nivalis, hirtula, incerta, genarum; ***Ectinocera*** borealis; ***Cecidomyza*** nudipennis; ***Tipula*** subunilineata; et ***Macrocera*** fasciata. Numerum specierum hujus regionis computantes et considerantes, invenimus, illas quidem esse insignes, sed pauciores, quam in ulla alia regione. Species scilicet vix ultra 20 proprias producit.

4to. Species reliquis Lapponiae regionibus, interdum etiam Sveciae inferioris communes, in summas *alpes nivales* adscendentes, vel in ipso *alpium jugo* degentes, observantur: ***Tabanus*** Tarandinus; ***Rhamphomyza*** spinipes, reflexa; ***Volucella*** plumata; ***Syrphus*** nemorum; ***Scaeva*** confinis, unifasciata, mellina; ***Eristalis*** alpina, Phantoma, flavipes, vernalis; ***Oestrus*** Tarandi; ***Leptopteryx*** nivalis; ***Musca*** genarum, Hortorum; ***Anthomyza*** nivalis, meteorica, arctica, squalens, hirtula, hirticeps, pluvialis, didyma, radicum, morionella, incerta, genarum, nigritarsis; ***Hydrophorus*** bipunctatus; ***Scatomyza*** fuscinervis, Argus; ***Cordylura*** haemorrhoidalis; ***Scatophaga*** nigra, morio; ***Copromyza*** limosa; ***Oscinis*** atricilla; ***Simulia*** reptans; ***Cecidomyza*** nudipennis; ***Limnobia*** fasciata, arctica, angustipennis; ***Tipula*** nubeculosa, subunilineata; ***Trichocera*** hiemalis; ***Macrocera*** fasciata; et ***Mycetophila*** thoracica = 47.

5to. Per partem *inferalpinam maritimam Nordlandiae Finmarkiaeque*, ut et in serie *alpium Dowreensium*, Norvegiae, et vix alibi, colliguntur: ***Tabanus*** auripilus; ***Chrysops*** nigripes; ***Thereva*** lunulata; ***Hemerodromia*** flavella; ***Tachydromia*** ecalceata, moriella, ***Hilara*** aethiops, squalens, grisola; ***Wiedemannia*** appendiculata; ***Rhamphomyza*** villosa, fascipennis, morio, arctica, unicolor, pusilla, tenuicornis, grisola, fuscula; ***Platygaster*** arcticus; ***Pipunculus*** pilosus; ***Eristalis*** flavipes, pubera; ***Chrysogaster*** fuscipennis; ***Oestrus*** Trompe; ***Phasia*** opaca; ***Micra*** Trixina; ***Tachina*** spathulaeformis, laticornis, collaris, nigrisquamata, ocypterina, rotundicornis, pygmaea, 4-pustulata var. b., magnicornis, strigifrons, arctica, hyalinipennis, breviseta, tricingulata, unicolor, aenea, crassitarsis, simplicitarsis, funebris, grossicornis; ***Sarcophaga*** albiceps; ***Musca*** puberula, minima; ***Anthomyza*** argyrocephala, maculifrons, aculeipes, depressiuscula, impura, impuncta var. b., basalis; ***Leptopa*** filiformis; ***Dolichopus*** atratus, magnicornis; ***Ephydra*** riparia; ***Ochtiphila*** geniculata, aridella; ***Scatomyza*** borealis, glabrata, litorea, Fucorum, muscaeformis, muscina; ***Cordylura*** rufimana, unilineata, nigrita, longifrons, spinigera, ruficauda, immunda, pectoralis, flaveola, dorsata; ***Sciomyza*** Schönherri; ***Tephritis*** zoë, apicalis, flavicauda, pupillata, Zetterstedti; ***Sepsis*** cornuta; ***Palloptera*** ambusta; ***Loxocera*** sylvatica; ***Scatophaga*** bicolor, morio; ***Heteromyza*** bicolor; ***Orygma*** luctuosa; ***Coelopa*** frigida; ***Geomyza*** obscurella; ***Agromyza*** posticata, nigra; ***Hirtea*** Umbellatarum, albipennis; ***Ceratopogon*** nigritulus, lacteipennis, brunnipes; ***Cecidomyza*** monilicornis; ***Sciara*** hirtipennis, pulicaria; ***Erioptera*** sordida, haemorrhoidalis, Nyblaei, analis, fascipennis; ***Limnobia*** marmorata, trimaculata, picta, arctica, nebulosa; ***Symplecta*** punctipennis, stictica; ***Tipula*** brevicornis; ***Sciophila*** hyalinata; ***Leia*** crucigera, Marklini, nigra; et ***Mycetophila*** ruficollis. = 122.

6to. In Lapponia *plus minus frequenter*, in Suecia inferiori aut ***non***, aut saltem ***rarissime*** occurrunt: ***Tabanus*** Tarandinus, auripilus; ***Thereva*** vetula, imberbis; ***Beris*** 6-dentata; ***Anthalia*** Gyllenhali, Schönherri, pallida; ***Iteaphila*** Macquarti, nitidula; ***Hemerodromia*** Frigelii, trapezina; ***Tachypeza*** Heeri, Winthemi; ***Tachydrom.*** pygmaea, unguiculata, pubicornis; ***Hilara*** abdominalis, pilipes, spinimana, nitidula, hirtula, tenuinervis, nigritarsis; ***Brachystoma*** Westermanni, Bohemanni, Escheri; ***Wiedemannia*** borealis, appendiculata; ***Empis*** borealis, lucida; ***Rhamphomyza*** anomalina, rufipes, caudata, nitida, vesiculosa, alata, plumifera, fuscipennis, anthracina, aethiops, lividiventris, tipulariata, metatarsata, dispar, niveipennis, lacteipennis, Oedalina, fraternella, consobrina, hybotina, hybrida; ***Microcera*** rostrata; ***Acrocera*** borealis; ***Henops*** nigripes; ***Oxycera*** maculata; ***Nephrocerus*** lapponicus; ***Pipunculus*** pilosus, spinipes, haemorrhoidalis, annulipes, obscurus; ***Ascia*** spheginea, 4-punctata, aenea, geniculata; ***Xylota*** triangularis; ***Syrphus*** fraterculus, piceus; ***Helophilus*** arcticus; ***Brachyopa*** ferruginea, testacea, dorsata; ***Scaeva*** lapponica, annulipes, topiaria, obscura, tarsata, nitidicollis, confinis, 6 maculata, solitaria, unifasciata, relicta, arctica, podagrata, transfuga, ambigua, nitidula; ***Pelecocera*** Scaevoides; ***Eristalis*** Lucorum, alpina, Phantoma, olivacea, morio, geniculata, nasuta, longula, pubera, lugubris, pygmaea; ***Chrysogaster*** fuscipennis; ***Pipiza*** obsoleta, binotata, hyalipennis, biguttula; ***Oestrus*** Trompe, Tarandi; ***Gastrus*** Pecorum; ***Leptopteryx*** nivalis; ***Phasia*** opaca, fasciola, zonella, ruficeps; ***Ocyptera*** borealis; ***Phania*** thoracica; ***Trixa*** lapponica, obscura, limbata; ***Micra*** Trixina; ***Gonia*** flaviceps; ***Xysta*** striginervis, grisea; ***Tachina*** Marklini, imberbis, sannio, spathulaeformis, laticornis, albicincta, semicincta, convexula, Goniaeoides, pubicornis, nigrisquamata, ocypterina, morio, scutellata, aprica, validicornis, nigrina, rotundicornis, pygmaea, rufina,

truncata, ruficauda, vibrissata, villica, strigifrons, arctica, hyalinipennis, breviseta, crassitarsis, simplicitarsis, funebris, crucigera; ***Sarcophaga*** caerulescens, ruficauda, alpina; ***Musca*** dolens, puberula, groenlandica, sordida, genarum, laticornis, borealis; ***Anthomyza*** veterana, annosa, nivalis, basalis, obscura, Sahlbergi, lugubris, consobrina, verticina, leptogaster, nigritella, anxia, scambus, trigonifera, arctica, frontata, inuncta, subfuscinervis, vicina, turpis, inconspicua, hirtula, hirsutula, innocua, leucogaster, aculeipes, depressiuscula, tristiola, denticauda, laminata, unilineata, Histrio, latipennis, pallipennis, canescens, scatophagina, unistriata, solitaria, longicornis, Billbergi, armillata, lineatocollis, incisurata, borealis, triangulifera, trigonata, moerens, angulicornis, cuneicornis, murina, anilis, vetula, senilis, obtusata, impura, contractifrons, aethiops, brevicornis, didyma, strigilata, inermella, humerella, morionella, lugubrina, frontella, brunneifrons, incerta, verticella, troglodytes, Salicis, haemorrhoum, 8-punctata, spuria, tarsella, bilineella, trilineella, strigella, genarum, dealbata, metallipennis, nigritarsis, ochreata, limbatella, flavoscutellata, zonata, tenera, ruficeps, hians, varians; ***Leptopa*** filiformis; ***Rhaphium*** rufipes, fascipes, discolor; ***Chrysotus*** Rhaphioides, obscuripes, cinerellus; ***Diaphorus*** obscurellus; ***Dolichopus*** Mannerheimi, agilis, festinans, annulipes, tibialis, Sahlbergi, magnicornis; ***Notiphila*** nigripes, vittipennis, geniculata; ***Scatomyza*** borealis, glabra, fuscinervis, affinis, muscaria, muscaeformis, muscina, heteromyzina, frontata, Argus, signata, antennata; ***Cordylura*** tibialis, fuscipes, pallida, unilineata, Scatomyzoides, ustulata, proboscidea, Kunzei, albitarsis, strigifrons, albipennis, longifrons, brevifrons, Friesi, dentimana, melanura, lineata, fulvipes, spinigera, ruficauda, pallidicauda, immunda, fuscinervis, pectoralis, caudata, crassipes, barbata, dorsata; ***Dryomyza*** decrepita, ***Sciomyza*** fuscinervis, pusilla, coxata, bicolor; ***Ectinocera*** borealis; ***Tephritis*** apicalis, Zetterstedti; ***Sepsis*** coxarum; ***Homalocephala*** albitarsis; ***Sapromyza*** notata, laeta, hilarella, chlorophthalma, melanogaster, unguicella; ***Lonchaea*** Deutschi, albitarsis, laticornis, hirticeps, aenea; ***Calobata*** nigricornis; ***Scatophaga*** Audouini, Lefebvrei, gracilis; ***Opomyza*** consobrina, guttipennis; ***Colobaea*** bifasciella, rufipes, bicolor; ***Helomyza*** flavo-testacea, flavifrons, humeralis, scutellaris, tibialis, geniculata, minuta; ***Copromyza*** coronata, pygmaea; ***Piophila*** pygmaea, Lonchaeoides; ***Drosophila*** fuscimana, sordida, flavipennis, marginella; ***Oscinis*** obscurella, scutellaris, ruficeps, atricornis, atricilla, cincta, albipalpis, nana; ***Macrochira*** flava; ***Anthophilina*** curvinervis, puberula, pallida; ***Milichia*** ornata; ***Agromyza*** nigripes, punctella, nudiceps, virgo, flavo-scutellaris, elongella, lineella; ***Lonchoptera*** cinerella; ***Phytomyza*** festiva, nigritula, albiceps, femoralis, fuscula; ***Trineura*** sordida, zonata, humeralis; ***Hirtea*** rufipes, fulvipes, Umbellatarum, Ephippium, albipennis; ***Scatopse*** minuta; ***Simulia*** nana, annulitarsis, pusilla, hirtipes, pubiventris, pygmaea, pallipes; ***Culex*** ciliaris; ***Chironomus*** lucidus, pulcher, zonulus, turpis, Rosenschöldi, pubitarsis, pullus, sociellus, tenellus, fascipennis, bicolor, sordidellus, Ephippium, vulneratus, pedestris, assimilis, hirtulus, dubius, flavipes, longitarsis, pusio, hilarellus, flavellus, incomptus, immundus, lacteipennis, morio, pictipennis, sordidus, lentiginosus, maculipennis, unifascipennis, trifascipennis, crassipes; ***Ceratopogon*** univittatus, nigritulus, lacteipennis, humeralis, brunnipes, costatus, hortulanus; ***Cecidomyza*** rosea, hirtipes, monilicornis, nudipennis; ***Lasioptera*** minuta; ***Sciara*** picipes, sordida, testacea, variabilis, iridipennis, fenestralis, affinis; ***Erioptera*** sordida, haemorrhoidalis, ruficauda, Nyblaei, analis, fascipennis, denudata; ***Limnobia*** 3-maculata, unicolor, arctica, squalens, binotata, stigmatella, bifurcata, affinis, elegans, consimilis, tenuipes, angustipennis, gracilis; ***Tipula*** Speculum, obsoleta, guttulifera, subunilineata, simplicicornis, crassicornis, laetabilis, limbata, longicornis, serricornis, subnodicornis, luridiventris, brevirostris, brevicornis, petiolata, lugubris; ***Psiloconopa*** Meigeni; ***Ctenophora*** nigricornis; ***Pachyneura*** fasciata; ***Dicranota*** Guerini; ***Bolithophila*** bimaculata; ***Macrocera*** fasciata, maculata; ***Corynocera*** ambigua; ***Sciophila*** hyalinata, univittata, trilineata, incisurata, cinerascens, pilosula, geniculata; ***Leia*** crucigera, Marklini, Winthemi, nigra, humeralis; ***Mycetophila*** praeusta, thoracica, fuscula, lucidula, rufescens, maculosa, alternans, obscurella, nigra = 518.

7$^{mo}$.— In *Lapponia* fere *ubique* obveniunt: *Tachydromides; Empidiae* (licet quarundam larvae, observante Cel. Macquart, sint terrestres, multarum certe in humidis vivunt); *Syrphici* praesertim *Eristalis* generis vulgares; ***Oestrus; Tachina; Musca; Anthomyza; Dolichopodum*** pleraque genera: ***Ochtiphila; Scatomyza; Cordylura; Dryomyza; Tetanocera; Scatophaga; Heteromyza; Helomyza; Piophila; Oscinis; Agromyza; Hirtea; Dilophus; Simulia; Culex; Chironomus; Tanypus; Ceratopogon; Sciara; Erioptera*** etc. Pleraque horum ejusmodi sunt, quae aut in uliginosis et sordidis hospitentur, aut aliorum insectorum praeda, aut denique sanguinem calidum sugendo, victitent, unde frequentia horum animalculorum in terra, vel aquis paludibusque repleta, vel Tipulariis minoribus abundante, vel tandem innumeris rangiferis ferisque calidisanguibus domicilio destinata, facile explicetur.

8$^{vo}$. In *Lapponia rarius* inveniuntur species generum: ***Beridis; Leptidis; Sericomyzae; Myopae; Siphonae; Gastri; Hippoboscae; Phasiae; Phaniae; Trixae; Miltogrammae; Goniae; Leptopae; Rhaphii; Notiphilae; Psilopae; Tephritidis; Homalocephalae; Pallopterae; Lauxaniae; Loxocerae; Geomyzae; Madizae; Anthophilinae; Milichiae; Lonchopterae; Penthetriae; Anophelis; Cecidomyzae; Limnobiae; Tipulae; Psiloconopae; Tricyphonae; Bolithophilae; Platyurae; Sciophilae; Leiae; Mycetophilae*** etc. Horum vero insectorum penuria dependere videtur e paucitate vel specierum vel individuorum plantarum, quae iisdem insectis aut escam suppeditarent, aut alii vivendi rationi inservirent, ex. gr. Compositarum, in quarum capitulis floralibus multae *Tephritides* hospitantur; nec non Umbellatarum, Fungorum etc., quarum omnium Lapponia pauperrima est.

9$^{o}$. In *Lapponia rarissime* procreantur species generum: ***Bombylii; Platypezae; Trichinae; Hormopezae; Drapetis; Spheginae; Scenopini; Ocypterae; Gymnosomae; Micrae; Xystae; Diaphori; Psilopi; Ectinocerae; Micropezae; Coelopae; Steganae; Gymnopae; Heteroneurae; Macrochirae; Chloropis; Lasiopterae; Symplectae; Pachyneurae; Dicranotae; Dixae; Corynocerae*** etc.

10mo In *Lapponia* omnino *desiderantur* species Sueciae inferioris e generibus: ***Dioctria; Leptogaster; Phthiria; Sico; Lomatia; Opetia; Pachygastere; Stratiomyde; Callicera; Ceria; Mallota; Rhingia; Tropidia; Eumero; Ulidia; Psaro; Conope; Zodione; Stenopteryce; Melophago; Dialyta; Drymeia; Phyllomyza; Sepedone; Tetanope; Lissa; Tanypeza; Chyliza; Tetanura; Rhynchaea; Platycephala; Asteia; Cordyla; Macropeza; Campylomyza; Glochina; Nephrotoma; Rhipidia; Anisomera; Synapha; Mycetobia; Gnoriste;*** et ***Chionea?***

11mo. *Species* Lapponiae *novae* et a nullo alio descriptae: ***Asilus*** variabilis; ***Dasypogon*** lapponicus; ***Beris*** dubia; ***Tabanus*** lugubris, alpinus, albo-maculatus, confinis, ruralis; ***Chrysops*** nigripes; ***Thereva*** lanata, vetula, lunulata, fuscinervis, lapponica; ***Callomyza*** dives, viduella, boreella, scutellaris, Dahlbomi; ***Cyrtoma*** stigmaticalis; ***Anthalia*** Gyllenhali, Schönherri, pallida; ***Trichina*** fuscipes; ***Hormopeza*** obliterata; ***Iteaphila*** Macquarti, nitidula; ***Hemerodromia*** Frigelii, trapezina, flavella, albiseta, nivalis; ***Tachypeza*** Morio, nervosa, Heeri, Winthemi, brevipennis; ***Tachydromia*** socculata, ecalceata, pygmaea, unguiculata, sordida, moriella, pubicornis; ***Hilara*** abdominalis, pilipes, aethiops, spinimana, nitidula, hirsuta, squalens, tenuinervis, griseola, nigritarsis; ***Brachystoma*** Westermanni, Bohemanni, Escheri; ***Wiedemannia*** borealis, appendiculata; ***Empis*** lucida; ***Rhamphomyza*** anomalina, villosa, albo-segmentata, rufipes, fascipennis, obscura, morio, caudata, arctica, nitida, reflexa, alata, plumifera, fuscipennis, anthracina, aethiops, lividiventris, unicolor, tipulariata, metatarsata, pusilla, dispar, niveipennis, lacteipennis, oedalina, fraternella, consobrina, hybotina, tenuicornis, grisola, fuscula, hybrida; ***Microcera*** rostrata; ***Acrocera*** borealis; ***Henops*** nigripes; ***Platygaster*** arcticus; ***Oxycera*** maculata; ***Nephrocerus*** lapponicus; ***Pipunculus*** pilosus, spinipes, haemorrhoidalis, annulipes, obscurus; ***Ascia*** spheginea, bifasciata; ***Xylota*** triangularis; ***Syrphus*** fraterculus; ***Helophilus*** arcticus; ***Scaeva*** lapponica, annulipes, obscura, tarsata, confinis, 6-maculata, solitaria, unifasciata, relicta, arctica, annulata, podagrata, rostrata, transfuga, nitidula, dubia; ***Eristalis*** alpina, Phantoma, olivacea, gigantea, morio, luteicornis, geniculata, nasuta, longula, pubera, lugubris, pygmaea; ***Chrysogaster*** fuscipennis; ***Pipiza*** obsoleta, binotata, hyalipennis, biguttula; ***Paragus*** punctulatus; ***Leptopteryx*** nivalis; ***Phasia*** opaca, fusciola, zonella, ruficeps; ***Ocyptera*** borealis; ***Trixa*** lapponica, obscura, limbata; ***Micra*** Trixina; ***Gonia*** flaviceps; ***Xysta*** striginervis, grisea; ***Tachina*** Marklini, imberbis, sannio, spathulaeformis, laticornis, albicincta, semicincta, convexula, Goniaeoides, pubicornis, nigrisquamata, ocypterina, scutellata, aprica, validicornis, rotundicornis, pygmaea, rufina, truncata, vivida, ruficauda, magnicornis, vibrissata, villica, strigifrons, arctica, hyalinipennis, breviseta, tricingulata, crassitarsis, simplicitarsis, funebris, grossicornis, crucigera, spinosa; ***Sarcophaga*** caerulescens, ruficauda, alpina; ***Musca*** dolens, puberula, minima, groenlandica, sordida, genarum, laticornis, borealis; ***Anthomyza*** veterana, annosa, nivalis, basalis, Sahlbergi, consobrina, verticina, lasciva, leptogaster, nigritella, anxia, scambus, trigonifera, arctica, frontata, squalens, argyrocephala, 5-lineata, abbreviata, fuscinervis, lanceolata, maculifrons, obscuripennis, inuncta, subfuscinervis, vicina, turpis, inconspicua, hirtula, hirsutula, innocua, leucogaster, aculeipes, depressiuscula, tristiola, denticauda, laminata, unilineata, Histrio, latipennis, pallipennis, canescens, scatophagina, unistriata, solitaria, longicornis, Billbergi, armillata, lineatocollis, incisurata, borealis, trianguligera, trigonata, moerens, angulicornis, cuneicornis, murina, anilis, vetula, senilis, obtusa, impura, contractifrons, aethiops, brevicornis, didyma, strigilata, inermella, humerella, morionella, lugubrina, frontella, brunneifrons, incerta, verticella, troglodytes, basalis, Salicis, haemorrhoum, 8-punctata, spuria, tarsella, bilineella, trilineella, strigella, genarum, dealbata, metallipennis, nigritarsis, ochreata, limbatella, flavo-scutellata, zonata, vittigera, tenera, ruficeps, hians, varians; ***Leptopa*** filiformis; ***Hydrophorus*** obscurus, tristis; ***Rhaphium*** discolor; ***Chrysotus*** Rhaphioides, obscuripes, cinerellus; ***Diaphorus*** obscurellus; ***Dolichopus*** Mannerheimi, agilis, festinans, confusus, annulipes, tibialis, Sahlbergi, magnicornis; ***Ephydra*** furcata; ***Notiphila*** nigripes, vittipennis, geniculata; ***Scatomyza*** borealis, glabrata, fuscinervis, affinis, muscaria, muscaeformis, muscina, heteromyzina, frontata, Argus, signata, antennata; ***Cordylura*** tibialis, fuscipes, pallida, unilineata, Scatomyzoides, ustulata, proboscidea, Kunzei, albitarsis, strigifrons, albipennis, longifrons, brevifrons, Friesi, dentimana, tibiella, melanura, lineata, fulvipes, pilosa, spinigera, ruficauda, pallidicauda, immunda, fuscinervis, pectoralis, caudata, crassipes, barbata, Hircus, sponsa, flaveola, dorsata; ***Dryomyza*** decrepita; ***Sciomyza*** fuscinervis, pusilla, coxata, bicolor; ***Ectinocera*** borealis; ***Tephritis*** apicalis, Zetterstedti (a Bohem. in litt.); ***Sepsis*** Coxarum; ***Homalocephala*** albitarsis; ***Sapromyza*** notata, laeta, hilarella, chlorophthalma, subfasciata, melanogaster, unguicella; ***Lonchaea*** Deutschi, albitarsis, hirticeps; ***Calobata*** nigricornis; ***Scatophaga*** Audouini, Lefebvrei, fuscinervis; ***Opomyza*** consobrina, guttipennis; ***Colobaea*** bifasciella; ***Heteromyza*** flavipes, rufipes, bicolor; ***Helomyza*** testacea, flavo-testacea, flavifrons, ruficeps, humeralis, scutellaris, tibialis, geniculata, minuta; ***Copromyza*** coronata, pygmaea; ***Piophila*** pygmaea, Lonchaeoides; ***Drosophila*** costata, fuscimana, sordida, flavipennis, marginella; ***Oscinis*** obscurella, scutellaris, ruficeps, nigricornis, atricilla, nana; ***Macrochira*** flava; ***Anthophilina*** curvinervis, puberula, pallida; ***Milichia*** ornata; ***Agromyza*** ambigua, nigra, laterella, punctella, nudiceps, virgo, lacteipennis, flavo-scutellaris, elongella, lineella; ***Lonchoptera*** cinerella; ***Phytomyza*** nigritula, femoralis, fuscula; ***Trineura*** sordida, zonata, humeralis, stictica; ***Hirtea*** rufipes, fulvipes, Umbellatarum, Ephippium!, albipennis; ***Simulia*** nana, vittata, annulitarsis, pubiventris, pygmaea; ***Culex*** nigripes; ***Chironomus*** rudis, straminipes, lucidus, pulcher, zonulus, turpis, productus, Rosenschöldi, pubitarsis, pullus, socialis, frigidus, tenellus, viridis, fascipennis, Tanypodipennis, bicolor, sordidellus, Ephippium, vulneratus, assimilis, hirtulus, dubius, longitarsis, hilarellus, flavellus, incomptus, immundus; ***Tanypus*** crassinervis, lacteipennis, morio, pictipennis, sordidus, maculipennis, unifascipennis, trifascipennis, crassipes; ***Ceratopogon*** univittatus, nigritulus, lacteipennis, humeralis, sordidellus, brunnipes, costatus; ***Cecidomyza*** rosea, hirtipes, monilicornis, nudipennis, laterella; ***Lasioptera*** minuta; ***Sciara*** picipes, sordida, hirtipennis, testacea, variabilis, iridipennis, fenestralis, affinis; ***Eri-***

*optera* sordida, haemorrhoidalis, ruficauda, Nyblaei, analis, fascipennis, denudata; *Limnobia* trimaculata, unicolor, arctica, squalens, binotata, stigmatella, bifurcata, nebulosa, affinis, elegans, consimilis, tenuipes, angustipennis, gracilis; *Tipula* Speculum, guttulifera, subunilineata, simplicicornis, crassicornis, nebulicornis, laetabilis, limbata, longicornis, serricornis, subnodicornis, luridiventris, brevirostris, brevicornis, petiolata, lugubris; *Psiloconopa* Meigeni; *Pachyneura* fasciata; *Dicranota* Guerini; *Bolitophila* bimaculata; *Macrocera* fasciata; *Corynocera* ambigua; *Sciophila* trivittata, fasciata, hyalinata, univittata, trilineata, incisurata, pilosula, geniculata; *Leia* crucigera, Marklini, nigra, humeralis; *Mycetophila* thoracica, fuscula, lucidula, rufescens, alternans, obscurella. = 572. Sp. nov.

12mo. *Varietates novae* huic Faunae partis introductae 172 numerantur.

13mo. *Genera* Dipterorum *nova* 25 in hac Fauna finxi, scilicet: *Anthalia*, *Hormopeza*, *Iteaphila*, *Wiedemannia*, *Microcera*, *Platygaster*, *Nephrocerus*, *Coprina*, *Leptopteryx*, *Micra*, *Leptopa*, *Ectinocera*, *Homalocephala*, *Colobaea*, *Macrochira*, *Anthophilina*, *Psiloconopa*, *Pachyneura*, *Dicranota*, *Tricyphona* et *Corynocera*, praeter *Platycnema*, nomen, quod Cyrtomae pulicariae, *Microsania*, Cyrtomae stigmaticali, *Okenia*, Cordylurae caudatae, et *Macquartia*, Mycetophilae nigrae, proposui.

14mo. In Lapponia rarissime occurrunt insecta splendidis coloribus ornata. Si *Sargos*, *Muscas* sic dictas *nobiles*, aliquot *Scaevarum Dolichopodumque* species, quae colore viridi aut metallico insignes sunt, exceperis, omnia reliqua Diptera lapponica aut obscura aut flavescentia aut ferruginantia sunt. Inter totam Tipulariarum cohortem ne unica datur, colore virescente condecorata. *Tabanus bovinus* circiter 10 lin. longus, inter maxima, *Anthalia Schoenherri*, vix ½ lin. long., inter minima Dipterorum arcticorum, numerandus. *Muscitis* Americae exceptis, certe non tanta copia Dipterorum pungentium existit in ulla alia terra, ac in nostra Lapponia. Ibi enim tota aestate, h. e. mensib. Jul. et Aug., praesertim in lucis, ventis non expositis, et circa vesperam, myriades individuorum femineorum *Simuliarum*, *Culicum* et *Ceratopogonum* implent aërem sono pipienti valde ingrato, solem obumbrant, viatorem persequuntur eumque punctione aut morsu doloroso et saepissime venenato laedunt. Imo testimonium habemus, harum tipulariarum turbam, ingenti numero congregatam, ita omnem sanguinem animalium vertebratorum, ex. gr. boum, rhenonum, canum cet., aliquo casu antea debilitatorum defensionique infirmatorum, exsugere potuisse, ut ne gutta quidem superfuerit, horumque corpora eo modo extincta, dissectione facta, tota exsanguia et carne omnino alba deprehensa fuisse.

Plures species *vulgares*, ex. gr. *Dasypog. hirtellus, Anthrax sinuata*, *Thereva nobilitata, Tachydrom. flavipes*, *Sargus cuprarius*, *Pipunculus pratorum*, *Ascia podagrica*, *Scaeva Ribesii*, *Tachina Larvarum*, *Musca caesar*, *Dolichopus ungulatus*, *Cordylura pubera*, *Piophila casei*. *Simulia reptans*, *Culex pipiens*, *Tipula nubeculosa*, *Mycetophila lunata* etc., in hoc libro forsitan sat diffuse descriptae viderentur. Hae vero tales fuerunt, ut ad illas tamquam frequentiores et bene cognitas veluti typos conspecierum delegare potuerim. Praeterea affinitas harum cum aliis similibus non solum excusationem, verum etiam comprobationem prolixae descriptioni facile dabit.

Ad *numerum specierum Scandinaviae*, quem in fine descriptionis generis semper allegavi, quod attinet, tantum observare liceat, hunc potius minorem quam majorem re ipsa existente sine dubio esse. In collectione enim mea Dipterorum Scandinavicorum haud pauca indeterminata reperiuntur, quorum plura, adcuratiori examini subjecta, novas species certe constituent. *Differentiam sexus*, *tempus vigendi, mores, victum* et *metamorphosin*, quantum explorare potuerim, sollicite annotavi. Me *species Groenlandicas* quotquot ad manus fuerint, liberalitate Amici Dom. Westermanni acceptas, in insecta Lapponica introduxisse, sive easdem in Lapponia hactenus observatas, sive non, nemini displicere puto.

*Volatus*, qui apud insecta elytrata et hemelytrata parum singularitatis parumque differentiae ostendit, rursus apud Diptera majoris videtur momenti magnamque diversitatem praebet. Quantum sit discrimen inter volatum ex. gr. *Tabani*, *Empidis*, *Asili*, *Syrphi*, *Hippoboscae*, *Myopae*, *Muscae*, *Drosophilae*, *Copromyzae*, *Dolichopodis*, *Hirteae*, *Psychodae*, *Sciarae*, *Trichocerae* e. s. p., quis est, qui non observaverit? *Tachina* et *Oscinis* extremum celeritatis et tarditatis in volando optime commonstrant. Varius interea in variis generibus et speciebus reperitur volatus, scilicet: nunc agilis, festinus, properus, velox, celer, nunc lentus, segnis, piger, cunctans, socors; in aliis strenuus, alacer, fortis, vehemens, in aliis errans, laborans, debilis, languidus, infirmus, interdum altus, vastus, gravis, firmus, saepe vero demissus, brevis, facilis, fluctuans; denique in quibusdam velificans, placidus, certus, determinatus, in multis rursus turbidus, trepidus, dubius, inquietus e. s. p., quae in volatu dissimilitudo vix nisi e rationibus anatomicis partium explicari potest. Diptera autem femoribus crassis instructa, utpote alio modo sese movendi destinata, ferme saltare, at aegre et gravate volare (ex. gr. *Ochtera*, *Psilopa*, *Meromyza*, *Platycephala*, *Copromyzae* species, *Sapromyzae* species, cet), ea iterum alis angustis munita, rapide et fortiter vehi, et demum alis latioribus praedita, in aëre quasi velificare, fere sine exceptione observatum novimus. Interim hi tot volatus gradus, Dipterorum speciebus discernendis et describendis, saepe haud contemnendas et faciles subministrant notas, nec a me omissas, licet adhuc desiderentur termini fixi omnes horum animalculorum volatus modos exacte exprimendi, experientia facillima dignoscendos.

In *synonymis* afferendis etiam in hac opellae parte parcus fui. Synonymon vero Linnaei Faunae Suec. semper attuli, si modo species ibi descripta. Illam etiam editionem System. Nat. Linn. (Edit. 12, Holmiae 1766), quae cura ipsius immortalis Viri publici juris facta, confidentius citavi, quam editionem Gmelini, quae pluribus erroribus quoque in hoc Systematis Ordine laborat. Diptera Suecica Fall. in

Dissertationibus Academicis (Lundae 1814—1826) descripta, seriem Familiarum successive licet non semper ordine systematico continentibus (unde series numeri paginarum saepe abrupta invenitur); ut et Diptera Europaea MEIGEN. (Systemat. Beschreib. der europ. zweiflüg. Ins.; Aachen u. Hamm, 1—6. Th. 1818—1830) citare nullibi neglexi; prius horum operum eo certius, quo facilius omnes FALL. species a me allatas cum speciminibus originalibus laudati auctoris in Collectione Ejus, quae post obitum Amici nunquam obliviscendi, munificentia viduae mihi dono data fuit, comparare potui. Pro multis speciebus Syn. Macquarti in Dipteris Gallicis (Insect. Diptères du Nord de la France; Lille 1824—1833; 1—5. Tom. Opus tamen ad finem non adhuc perductum) citavi, libentissime, ubi speciei directionem nervorum in alis figuris allegatis, plerumque fidelibus et exactis, meritissimo auctori illustrare placuerit.

*Loca habitationis* insectorum, in hac sectione descriptorum, ibi nomine tantum indicata, qui propius cognoscere cupit, Itineraria Lapponica a me edita adeat, scilicet: 1mo *Resa genom Sueriges och Norriges Lappmarker* 1821 (e typo egressum Lund. 1822. P. 1. 2.) et 2do *Resa genom Umea Lappmarker* 1832 (typis mandatum, Oerebro 1833, 8vo cum mappis 2 geographicis Lapponiarum meridionalium). In his libris situm geographicum, faciem et solum eorum locorum, ubi diutius me detinui et insecta plurima collegi, habebit.

Lundae in Suecia d. 20. Maj. 1837.

***J. W. Zetterstedt.***

# CONSPECTUS

## FAMILIARUM ET GENERUM DIPTERORUM LAPPONIAE.

**I. DIPTERA**
sexu masculo semper alato, femineo rarissime aptero.

### Divisio Prima.

Antennis articulis paucis (tribus).

Sect. 1. Alae plerumque area angulari. Antennae seta aut terminali aut nulla.

*Subdiv.* 1. Alae multinervosae, area angulari.

† *Haustellata*, absque proboscide.

FAM. 1. ASILICI. LATR.

a) Tarsis pulvillatis.

° Antennae stylo apicali nullo.

1. Laphria. FABR.

°° Antennae apice stylatae.

2. Asilus. LINN.
3. Dasypogon. MEIG. (*Dioctria* °) MEIG. Spec. Scand. 5.)

b) Tarsis non pulvillatis.

(*Leptogaster* MEIG. Spec. Scand. 2.)

FAM. 2. BOMBYLIARII. LATR.

4. Bombylius. LINN. (*Phthiria* MEIG. *Volucella* FALL. Sp. Sc. 1.)

†† *Proboscidea*.

a) Antennarum seta nulla.

FAM. 3. XYLOPHAGINI. ZETT.

5. Xylophagus. MEIG.
6. Beris. LATR. (*Sicus* FABR. FALL. *Coenomyia* MEIG. Sp. Sc. 1.)

FAM. 4. TABANII. LATR.

7. Tabanus. LINN.
8. Haematopota. MEIG.
9. Chrysops. MEIG.

b) Antennarum seta terminali.

FAM. 5. ANTHRACIDES. FALL.

10. Anthrax. SCOP. FABR. (*Lomatia* MEIG. Sp. Sc. 1.)
11. Thereva. LATR. MEIG. *Bibio* FALL.

FAM. 6. LEPTIDES. MEIG.

12. Leptis. FABR. FALL.
13. Atherix. MEIG. *Leptis* FALL.

FAM. 7. PLATYPEZINAE. FALL.

14. Platypeza. MEIG.
15. Callomyza. MEIG.
16. Cyrtoma. MEIG. *Empis* FALL. (*Opetia* MEIG. Sp. Sc. 1.)

*Subdiv.* 2. Alae saepius parum nervosae.

† Area alarum angularis obsoleta.

° Tarsi bipulvillati.

FAM. 8. HYBOTINAE. MEIG.

17. Hybos. MEIG. FALL.
18. Ocydromia. HOFFMANNSEGG. MEIG. *Empis* FALL.
19. Oedalea MEIG. *Empis* FALL.
20. Anthalia. ZETT.
21. Trichina. MEIG.
22. Hormopeza. ZETT.
23. Iteaphila. ZETT.

FAM. 9. TACHYDROMIDES. WIED.

*Tachydromiae* MEIG.

24. Hemerodromia. HFFGG. *Tachydromia* FALL.
25. Tachypeza. MEIG. *Tachydromia* FALL.
26. Tachydromia. MEIG. FALL.
27. Drapetis. MEIG.

FAM. 10. EMPIDIAE. FALL.

a) Area alarum discoidalis adest.

28. Hilara. MEIG. *Empis* FALL.
29. Brachystoma. MEIG.
30. Wiedemannia. ZETT.
31. Empis. LINN.
32. Rhamphomyza. HFFGG. MEIG. *Empis* FALL.
33. Microcera. ZETT.

b) Area alarum discoidalis deest.

*Cyrtoma* in Famil. Platypezinae quaerenda.

°° Tarsi tripulvillati.

FAM. 11. ACROCERINAE. ZETT. *Inflatae* MEIG. *Stratiomydae* FALL.

34. Acrocera. MEIG. *Henops* FALL.
35. Henops. MEIG. FALL.
36. Platygaster. ZETT.

FAM. 12. STRATIOMYDAE. FALL.

*Platygaster*, vide Famil. Acrocerin.
(*Pachygaster* MEIG. FALL Sp. Scand. 1.)

37. Nemotelus. GEOFFR. (*Stratiomys* GEOFFR. MEIG. FALL. Sp. Sc. 9.)

°) Nomina generica specierum, quae in Suecia, sed non in Lapponia inventae fuerunt, ut et synonymica, litteris cursivis expressa sunt.

38. Oxycera. MEIG. *Stratiomys* FALL.
*Beris* in Xylophaginor. Famil. exstat.
39. Sargus. MEIG.

†† Area alarum angularis distincta.

FAM. 13. PIPUNCULINI. ZETT. *Megacephali* MEIG. *Syrphici* FALL.

40. Nephrocerus. ZETT.
41. Pipunculus. LATR. *Cephalops* FALL.

FAM. 14. SYRPHICI. FALL. MEIG.

a) Antennae stylo apicali.

(*Callicera* MEIG. Sp. Sc. 1.)
(*Ceria* FABR. FALL. Sp. Sc. 1.)

b) Antennae seta dorsali.

42. Baccha. FABR. FALL.
43. Sphegina. MEIG. *Milesia* FALL.
44. Ascia. MEGERL. MEIG. *Milesia* FALL.
45. Coprina ZETT. *Xylota* MEIG. *Milesia* FALL.
46. Xylota. MEIG. *Milesia* FALL.
47. Milesia. LATR. MEIG. FALL.
48. Chrysotoxum. MEIG. *Mulio* FALL.
49. Microdon. MEIG. FALL.
(*Psarus* LATR. Sp. Sc. 1.)
50. Sericomyza. MEIG. *Syrphus* FALL.
51. Volucella. GEOFFR. MEIG. *Syrphus* FALL.
52. Syrphus. FABR. FALL.
(*Mallota* MEIG. *Syrphus* FALL. Sp. Sc. 1.)
53. Helophilus. MEIG. *Syrphus* FALL.
(*Rhingia* SCOPOLI, FALL. Sp. Sc. 2.)
54. Brachyopa. HFFGG. MEIG. *Rhingia* FALL.
55. Scaeva. FABR. FALL. *Syrphus* MEIG.
56. Pelecocera. MEIG.
57. Eristalis. FABR. FALL. *Syrphus* MEIG.
(*Tropidia* MEIG. *Eristalis* FALL. Sp. Sc. 1.)
58. Chrysogaster. MEIG. *Eristalis* FALL.
59. Pipiza. FALL. MEIG.
60. Paragus. LATR. MEIG. *Pipiza* FALL.
(*Eumerus* MEIG. *Pipiza* FALL. Sp. Sc. 5.)

FAM. 15. SCENOPINII. MEIG.

*Ulidia* MEIG. *Chrysomyza* FALL. Sp. Sc. 1.)
61. Scenopinus. LATR. FALL.

FAM. 16. CONOPSARIAE. LATR. *Myopariae* MACQ.

(*Conops* LINN. MEIG. FALL. Sp. Sc. 6.)
(*Zodion* LATR. MEIG. *Myopa* FALL. Sp. Sc. 2.)
62. Myopa. FABR. Auctor.

Sect. 2. Alae area angulari nulla; seta dorsali (in *Raphio* subterminali).

† *Haustellata*, absque proboscide.

FAM. 17. HAEMATOMYZIDES. FALL. *Stomoxydiae* WIED.

63. Siphonia. MEIG. *Stomoxys* FALL.
64. Stomoxys. GEOFFR. Auct.

FAM. 18. OESTRACIDES. MEIG.

65. Oestrus. LINN. Auct.
66. Gastrus. MEIG. *Oestrus* FALL.

FAM. 19. CORIACEAE. LATR. MEIG.

67. Hippobosca. LINN. Auct.
68. Ornithomyza. LEACH. MEIG. *Hippobosca* LINN. FALL.
(*Stenopteryx* LEACH. MEIG. *Hippobosca* LINN. FALL. Sp. Sc. 1.)
(*Melophagus* LEACH. MEIG. *Hippobosca* LINN. FALL. *Pedicul.* LINN. Sp. Sc. 2.)
69. Leptopteryx. ZETT.

†† *Proboscidea*. Antennae deflexae, saepissime elongatae.

a) Oculi oblongi. Os saepissime mystaceum. Squama sub alis magna.

FAM. 20. RHIZOMYZIDES. FALL. *Phasianeae* ROBINEAU DESVOIDY.

70. Phasia. LATR. *Thereva* FALL.
71. Ocyptera. LATR. MEIG. FALL.
72. Gymnosoma. MEIG. FALL.
73. Phania. MEIG. *Tachina* FALL.
(*Gymnopeza* ZETT. Sp. Sc. 1.)
74. Trixa. MEIG.
75. Miltogramma. MEIG. *Tachina* FALL.
76. Micra. ZETT.

FAM. 21. MUSCIDES. LATR. MEIG. FALL.

† Palpi filiformes.

° Alae divaricatae; nervus longitudinalis 4tus magis vel minus curvatus, aut ante apicem aut in apice alae cum nervo costali conjunctus.

77. Gonia. MEIG. *Tachina* FALL.
78. Xysta. MEIG.
79. Tachina. MEIG. FALL.
80. Sarcophaga. MEIG. *Musca* FALL.
81. Mesembrina. MEIG. *Musca* FALL.
82. Musca. LINN. Auctor.

°° Alae saepissime incumbentes; nervus longitudinalis 4tus pone apicem alae cum nervo costali conjunctus.

(*Dialyta* MEIG. *Musca* FALL. Sp. Sc. 1.)
(*Drymeia* MEIG. *Musca* FALL. Sp. Sc. 1.)
83. Anthomyza. MEIG. *Musca* FALL.
84. Leptopa. ZETT.

†† Palpi dilatati, cochleariformes.

85. Lispa. LATR. MEIG. FALL.

b) Oculi rotundi (in *Dolichopodibus* oblongi, at os in illis non mystaceum). Squama sub alis parva.

° Palpi dilatati.

*Cordylurae* species in Fam. Scatomyzidum.

FAM. 22. DOLICHOPODES. FALL. MACQ. MEIG.

86. Hydrophorus. FALL. MACQ. LEHM. *Medeterus* MEIG.
87. Rhaphium. MEIG. *Hydrochus* FALL.
88. Chrysotus. MEIG. *Dolichopus* FALL.
89. Diaphorus. MEIG. *Dolichopus* FALL.
90. Dolichopus. LATR. Auctor.
91. Psilopus. MEGERLE. *Leptopus* FALL.

FAM. 23. EPHYDRINAE. ZETT. *Hydromyzides* FALL.

92. Ochtera. LATR. MEIG. FALL.
93. Ephydra. FALL. MEIG.
94. Notiphila. FALL. MEIG.
95. Psilopa. FALL. *Notiphila* MEIG.

°° Palpi filiformes (in *Cordylurae* speciebus extrorsum subdilatati).

FAM. 24. OCHTIPHILINAE. ZETT. *Ochtidiae* FALL.

96. Ochtiphila. FALL. MEIG.
*Phyllomyza* FALL. Sp. Sc. 1.)

FAM. 25. SCIOMYZIDES. FALL.

97. Scatomyza. FALL. *Scatophaga* MEIG.
98. Cordylura. FALL. MEIG. *Hydromyza* FALL.

FAM. 26. SCATOMYZIDES. FALL.

99. Dryomyza. FALL. MEIG.
100. Sciomyza. FALL. MEIG.
(*Sepedon* FALL. Sp. Sc. 2.)
101. Tetanocera. FALL. MEIG.
102. Ectinocera. ZETT.

FAM. 27. ORTALIDES. FALL.

(*Tetanops* FALL. Sp. Sc. 1).
103. Tephritis. LATR. FALL. *Trypeta* MEIG.

104. Ortalis. Fall. Meig.
105. Sepsis. Fall. Meig.
106. Homalocephala. Zett. (*Lissa* Meig. *Chyliza* Fall. Sp. Sc. 1.)
107. Palloptera. Fall. *Sapromyza* Meig.
108. Sapromyza. Fall. Meig.
109. Lonchaea. Fall. Meig.
110. Lauxania. Latr. Meig. Fall.

FAM. 28. OPOMYZIDES. Fall.

111. Calobata. Fabr. Meig. Fall.
112. Micropeza. Latr. Meig. *Calobata* Fall.
(*Tanypeza* Fall. Sp. Sc. 1.)
(*Chyliza* Fall. Sp. Sc. 5.)
113. Loxocera. Fabr. Meig. Fall.
114. Scatophaga. Fabr. Fall. Zett. *Psila* Meig.
(*Tetanura* Fall. Sp. Sc. 1.)
115. Opomyza. Fall. Meig.
116. Colobaea. Zett. *Opomyza* Fall.

FAM. 29. HETEROMYZIDES. Fall.

117. Heteromyza. Fall. Meig.
118. Helomyza. Fall. Meig.
119. Orygma. Meig.
120. Coelopa. Meig. *Copromyza* Fall.
121. Copromyza. Fall. *Borborus* Meig.
122. Piophila. Fall. Meig. (*Rhynchaea* Zett. Sp. Sc. 1.)

FAM. 30. GEOMYZIDES. Fall.

123. Geomyza. Fall. *Opomyza* Meig.
124. Stegana. Meig.
125. Drosophila. Meig. Fall.

FAM. 31. OSCINIDES. Fall.

* Nervuli transversi in medio alae approximati.

(*Platycephala* Fall. Sp. Scand. 2.)

126. Meromyza. Meig. *Oscinis* Fall.
127. Oscinis. Fabr. Fall. *Chlorops* Meig.
128. Madiza. Fall. *Chloropis*, *Gymnopae* et *Agromyzae* species Meig.

** Nervuli transversi in disco alae distantes, ordinario scilicet pone medium alae sito.

129. Gymnopa. Fall. Meig.

FAM. 32. AGROMYZIDES. Fall.

* Nervulus transversus ordinarius pone medium alae situs.

130. Heteroneura. Fall. *Agromyza* Meig.
131. Macrochira. Zett.
132. Anthophilina. Zett. *Anthomyza* Fall. *Agromyzae* spec. Meig.
133. Leucopis. Meig. *Anthomyza* Fall.
134. Milichia. Meig.

** Nervuli transversi in medio alae approximati, ordinario non pone medium ducto.

135. Agromyza. Fall. Meig. *Heteroneura* Meig.
136. Chlorops. Panz. Fall. *Agromyza* Meig.

FAM. 33. PHYTOMYZIDES. Fall.

137. Lonchoptera. Panz. Meig. *Dipsa* Fall.
138. Phytomyza. Fall. Meig. *Asteia* Meig. Sp. Sc. 1.)

FAM. 34. TRINEURIDES. Zett. *Trineurae* Meig. *Phytomyzides* Fall.

139. Trineura. Fall. *Phora* Meig.

— — —

## Divisio Secunda.

Antennis articulis pluribus (6 et ultra) *Tipulariae* Auctorum.

*Subdiv.* A. Alarum nervus interior marginalis nullus. Antennae crassiusculae; saepius breves. *Muscidae* Meig.

Sect. 1. Antennae breves (longitudine circiter capitis).

FAM. 35. HIRTEIDES. Billberg.

140. Hirtea. Fabr. *Bibio* Meig.
141. Dilophus. Meig. Macq. *Hirtea* Fabr.

FAM. 36. SCATOPSIDES. Zett.

142. Penthetria. Meig. Zett.
143. Scatopse. Geoffr. Meig.

FAM. 37. SIMULIDES. Zett. *Latipennes* Meig.

144. Simulia. Meig. Zett. Fries. *Culex* Linn. *Scatopse* Fall.

Sect. 2. Antennae elongatae (capite duplo longiores).

FAM. 38. RHYPHII. Zett. *Xylophagiformes* Macq.

145. Rhyphus. Latr. Meig. Macq. *Musca* Linn. *Anisopus* Fall.

(*Cordyla* Latr. Meig. Sp. Sc. 2.)

*Subdiv.* B. Alarum nervus interior marginalis adest (in *Psychoda* et aliquot *Chironomiorum* speciebus parum conspicuus). Antennae semper elongatae (capitis thoracisque saepe fere longitudine aut illis longiores), graciles.

Sect. 1. Ocelli nulli (in *Campylomyza* et *Pachyneura* ocelli 3.)

Tribus 1. Oculi reniformes. Lamina pectoralis saepius distincta.

FAM. 39. CULICINAE. Zett. *Culiciformes* Meig.

146. Culex. Linn. Auctor.
147. Anopheles. Meig. *Culex* Linn.
(*Aëdes* Meig. Sp. Sc.? 1.)

FAM. 40. CHIRONOMII. Zett. *Culiciformes* Meig.

148. Corethra. Meig. *Chironomus* Fall.
149. Chironomus. Fabr. Auct. *Tipula* Linn.
150. Tanypus. Meig. Fries. Macq. *Chironomus* Fabr. Fall.
151. Ceratopogon. Meig. Zett. Macq. *Chironomus* Fall. *Tipula* Linn.
*Corynocera* in Fam. Mycetophilin. exstat.
(*Macropeza* Meig. Sp. Sc. 1.)

FAM. 41. CECIDOMYZIDES. Zett. *Gallicolae* Meig.

(*Campylomyza* Wied. Sp. Sc. 2.)

152. Cecidomyza. Meig. Mannerh. Macq. *Chironomus* Fabr.
153. Lasioptera. Meig. *Tipula* Linn.

FAM. 42. PSYCHODIDES. Zett. *Noctuaeformes* Meig.

154. Psychoda. Latr. Meig. *Tipula* Linn.

FAM. 43. SCIARINAE. Zett. *Lugubres* Meig.

155. Sciara. Meig. Macq. *Hirtea* Fabr. *Molobrus* Latr.

Tribus 2. Oculi rotundati (nec lunati).

FAM. 44. TIPULIDES. Zett. *Rostratae* Meig.

Stirps 1. Palpi 4-articulati.

a) Areola*) alarum minuta adest (in *Erioptera* saepe deest). Antennae subfiliformes, sub-breviusculae, pilosulae.

† Antennae in utroque sexu simplices.

156. Erioptera. MEIG. ZETT. MACQ. *Tipula* LINN.
(*Glochina* MEIG. Sp. Sc.? 1.)
157. Limnobia. MEIG. MACQ. *Tipula* LINN.
158. Symplecta. MEIG. *Limnobia* MACQ.
159. Tipula. LINN. Auctor.
(*Nephrotoma* MEIG. *Tipula* FABR. Sp. Sc. 1.)
160. Psiloconopa. ZETT.

†† Antennae in masculis pectinatae.

(*Rhiphidia* MEIG. Sp. Sc. 1.)
161. Ctenophora. FABR. MEIG. FALL. MACQ. *Tipula* LINN.

b) Areola alarum minuta deest.

† Antennae subfiliformes.

162. Ptychoptera. FABR. MEIG. FALL. MACQ. *Tipula* LINN.

---

*) *Areolam* nomino aream plerumque minutam, subpentagonam, quae exterius versus apicem alae (mox pone medium), areae basali elongatae adjacet.

163. Pachyneura. ZETT.
164. Dicranota. ZETT.
165. Tricyphona. ZETT.

†† Antennae elongatae, extensae, setaceae.

(*Anisomera* MEIG. Sp. Sc.? 1.)
*Dixa* in Fam. Mycetophilin. quaerenda.

Stirps 2. Palpi 5-articulati.

166. Trichocera. MEIG. MACQ. *Tipula* LINN.

Sect. 2. Ocelli 3 aut 2 (in *Dixa*, *Corynocera* et *Cordyla* ocelli nulli.)

## FAM. 45. MYCETOPHILINAE. ZETT.
*Fungicolae* MEIG.

*Subdiv.* A. Ocelli 3-subapproximati.

a) Antennae longae, capillares, circiter 12—15-articulatae, articulis 2 basalibus incrassatis; reliquis obsoletis, aegre distinguendis.

167. Dixa. MEIG. MACQ.
168. Bolitophila. HFFGG. MEIG. MACQ.
169. Macrocera. PANZ. MEIG. MACQ.

b) Antennae mediocres, compressae (in *Rhypho* subfiliformes), 16-articulatae (in *Corynocera* 12-articulatae, apice subclavatae; in *Cordyla* 12-articulatae, medio sublatiores). Halteres breviusculi.

(*Synapha* MEIG. Sp. Sc.? 1.)
(*Mycetobia* MEIG. MACQ. Sp. Sc. 1.)
170. Corynocera. ZETT.
171. Platyura. MEIG. MACQ. *Asindulum* LATR.
(*Gnoriste* HFFGG. MEIG. Sp. Sc. 1.)
172. Sciophila. HFFGG. MEIG. MACQ. *Tipula* FABR.
173. Leia. MEIG.
*Rhyphus* vid. Famil. 38. Rhyphii.
*Cordyla* vide Famil. 38. Rhyphii.

*Subdiv.* B. Ocelli 2, valde remoti.

174. Mycetophila. MEIG. LATR. MACQ. *Sciara* FABR.

## II. DIPTERA
utroque sexu aptero, at halteribus perspicuis.

(*Chionea* DALM. Sp. Sc. 1.)

# ORDO V. DIPTERA.*)

---

## Divisio Prima.

*Antennae articulis paucis (tribus)*°°).

*Sectio* 1. ***Alae plerumque area angulari; antennae seta aut terminali aut nulla.***

*Subdiv.* 1. Alae multinervosae; area angulari.

† Haustellata, absque proboscide.

### FAM. 1. ASILICI. Latr. Fall. Meig.

Antennarum articulus ultimus elongatus, exarticulatus. Hypostoma barbatum. Frons impressa. Haustellum validum, breve, horizontaliter porrectum aut obliquum. Corpus magnum, hirsutum. Abdomen 8-annulatum. Alae incumbentes. Pedes validi, spinosi. — *Larvae* apodae in terra metamorphosin subeunt. *Imagines* rapaces alia insecta minora infestant. *Differentia sexus; Mas:* ano biungulato, *Femina:* ungulis analibus nullis.

---

### 1. Laphria. Fabr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 70. Latr. Fall. Macquart. *Asilus* Linn. Deg. Panz.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongum, hirsutum. Antennae porrectae, articulo ultimo clavato, obtuso, absque stylo terminali. Haustellum horizontaliter exsertum. Palpi hirsuti. Femora valida. Tibiae posticae arcuatae. *Color* niger, hirsutie nitente, saepe flavescente. *Motu* agilis: volatus brevis, strenuus. *Habitatio* in sylvis: truncis et sepibus plerumque assidet, latere aprico; per partem sylvaticam Lapponiae. *Victus* e rapina. *Sexus differt; mas:* abdomine angustiore, lamellis duabus magnis, corneis, genitalia supertegentibus; *femina:* abdomine latiore, magis obtuso, lamellis analibus nullis. (Spec. Scand. 7, haustello horizontali, antennarum articulo ultimo obtuso, absque stylo, tibiis posticis incurvis, et nervis 4 longitudinalibus (si aream angularem ad basin alae valde acut m excipias) in margine alae interiori desinentibus, a reliquis hujus familiae dignotae.)

**1. L. flava:** hirsuta nigra, thoracis postici abdominisque dorso flavo-hirto, barba hypostomatis alba, nigro-immixta. ♂♀.

*Mas:* abdominis angustioris hirsutie flava, densa, barba hypostomatis albida, pilis paucioribus nigris immixta.

*Fem.:* abdominis crassioris, subclavati hirsutie flava, minus densa, barba hypostomatis albida, pilis pluribus nigris immixta in e pula.

Fabr. Antl. 156. 2. (exclus. Syn. Panz. Fn. 23) Fall. Dipt. Suec. Asilici 4. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 208. 2. ♂♀. *Asilus flavus* Linn. Fn. Sv. 1911. ♂. *Asilus Ephippium* Panz. Fn. 39. f. 24. ♀.

Hab. in truncis arborum Lapponiae passim; ad Asele Lappon. Umensis 27. Jul. marem, et ad Muonioniska et Karesuando Lappon. Tornensis 17. Aug. utrumque sexum parce legi. (Lappon.-Smoland. freq., Scan. boreal. rar.)

*Mas et Fem.* In suo genere major, 6—10 lin. longa, magnitudine valde varians. Apex abdominis praeprimis flavo-hirtus. Alae juxta nervos infuscatae. Femora in utroque sexu fere aequaliter clavata.

**2. L. gilva:** pubescens nigra, abdominis dorso fulvo-villoso, barba hypostomatis nigra, albo-immixta. ♂♀.

Fabr. Antl. 159. 15. Panz. Fn. 107. 18. Fall. Dipt. Sv. Asil 5 4. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 294. 12. *Asilus gilvus* Linn. Fn. Sv. 1912.

Hab. cum praecedente rarius. Ad Muonioniska tamen utrumque sexum 17. Aug. frequentiorem vidi. In Botnia boreali ad Luleå adhuc d. 5. Sept. florens visa. (Lappon.-Smoland. freq., Scan. boreal. rar.)

*Mas et Fem.* Priori paullo minor, praesertim angustior, 7—9 lin. longa. Barba hypostomatis nigra, pilis in medio paucissimis, ad latera juxta oculos pluribus albis mixta. Barba menti tota alba. Abdominis dorsum segmentis mediis pube flavi fulva nitida dense vestitum. Alae fumatae Femora minus clavata, quam in praecedente.

**3. L. rufipes:** breviter et parce pubescens aeneo-nigra, femoribus tibiisque posticis rufis, barba hypostomatis nigra, utrinque alba. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Asil. 6. 6. ♂♀. var. ped. omnibus rufis. Meig. Dipt. 2. 299. 22. (secundum Fall. descripta) var. pedibus rufis. Zett. It. Lappon. 1832 pag. 77, 103 et 217.

Hab. in sylvis Lapponiae meridionalis rarius, in arborum truncis dejectis cariosis et decorticatis die sereno sedens, captu difficillima, valde timida, observatore appropinquante mox avolans. In Lapponia Umensi ex. gr. in Stensele ad Kattis-afvan et juxta flumen Oie-elf in Paroecia Lycksele dieb. 27. Jun.—2. Aug. a Clar. Dahlbom et me in copula visa. (Lappon. meridional. var. a.; Westrogoth. var. b. rar. D. Gyllenhal.)

*Mas et Fem.* Praecedente fere duplo minor, *Laphr. marginatae* Fall. subaequalis ejusque statura, sed saepe paullo minor, praesertim mas. Corpus nigrum, aeneo-vel violaceo-resplendens, parum pubescens. Barba supra os (in hypostomate) nigra, juxta oculos et infra os (in mento) alba, argenteo-nitida. Pedes ni ri.

°) Rationem, cur *Diptera* ad Ordinem insectorum quintum retulerim, eaque ante *Lepidoptera* et *Neuroptera*, in serie systematica vulgari post *Hemiptera* subsequentia descripserim, in praefamine Sectionis 2dae hujus Faunae indicavi.

°°) In speciebus Lapponicis Divisionis Primae Dipterorum antennae semper triarticulatae exstant, licet articulus ultimus sub lente visus interdum ex annulis pluribus intime coadunatis constare appareat. Genera sub Familiis: *Tachydromides* et *Acrocerinae* militantia, antennas articulis tantum duobus instructas habere quidem videntur; in his autem antennarum articuli basales 1 et 2 tam arcte cohaerent, ut quasi unum tantum efficiant. Generis *Cryptomae* specierum eadem quoque ratio est. *Mydas* antennas 5-articulatas et *Hexatoma* easdem 6-articulatas habent; sed haec duo genera sunt Faunae nostrae peregrina.

parce griseo-pubescentes, posticorum femoribus validis, sed vix clavatis, tibiisque rufis, genubus nigris. Alae subhyalinae, parum infuscatae.

*Not.* A *Laphr. rufipede* Fall., quae tantum in Suecia inferiori collecta est, specimina Lapponica non differunt nisi pedibus tantum posticis (nec omnibus) rufis, ut et loco natali. In ceteris simillima, vix specie diversa.

*Obs.* Fabricii *Laphr. gibbosa, Ephippium* et *marginata*, ut et Meig. *L. ignea*, in Suecia media frequenter, in Lapponia hactenus non visae, quantum novi.

## 2. Asilus. Linn.

Meig. Dipt. Eur. gen. 71. Linn. Fabr. Latr. Fall. Macq.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, elongatum, hirsutum. Antennae porrectae, 3 articulatae, articulo primo secundo longiori, ultimo subulato, stylo elongato setiformi terminato. Haustellum obliquum, palpis hirsutissimis. Pedes robusti, tomentosi, spinulosi, tibiis rectis. Anus longe appendiculatus. *Color* (in nostris) niger, hirsutie grisescente. *Motus* et *habitatio* ut in *Laphria*, sed longius versus alpes procedit *Asilus*, et in Finmarkia una hujus species etiam visa. *Victus: imagines* alia insecta, inprimis Diptera, crudeliter infestant eaque sub volatu saepe secum portant. *Larvae* apodae, elongatae, subdepressae, glabrae, 12-annulatae, capite corneo, sub terra degunt. *Pupae* nudae, incompletae, antice cylindricae, postice subconicae. *Differentia sexus*; genitalibus in *masculis* prominulis caudaque forficata cornea; ano in *femineis* stylis 2 corneis acuminato producto. (Spec. Scand. 9 in museo meo adsunt, quae haustello obliquo, antennarum stylo terminali longiori, subsetaceo, tibiis rectis crebre spinulosis, et nervis longitudinalibus 4, praeter aream angularem acutangulam, in marginem alae interiorem excurrentibus, a ceteris affinibus dignoscuntur.

**1. A. forcipatus**: cinereus, supra fusco-maculatus, barba hypostomatis latioris supra nigra, infra alba, incisuris abdominis griseis, pedibus nigris, alis subinfuscatis, halteribus flavis. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 1914. var. minor. Fall. Dipt. Sv. Asil. 9. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 313. 11. *Dasypogon forcipatus* Fabr. Antl. 167. 17. *Asil. cinereus* de Geer Ins. 6. 246. 8. Tab. 14. fig. 5—9. ♀.

Hab. in sylvaticis Lapponiae meridionalis rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Inter majores generis; magnitudine tamen variat, 5—7 lin. longus. Oculi in vivo aenei, unicolores. Barba hypostomatis mox sub antennis nigra deindeque alba, et barba infra os s. in mento grisea. Thorax cinereus, vitta media et maculis utrinque nigris, magis vel minus perspicuis. Abdomen cinereum, segmentorum apice ad latera praesertim griseo, unde in illaesis individuis quasi maculae trigonae fuscae in dorso abdominis exstant, et hinc forte *Asilus trigonus* Meig. l. c. 322. 23? Pedes nigri et nigro-spinulosi. Tibiae, praesertim anticae, in latere interiori tomento ferrugineo-testaceo, nitente, tectae.

**2. A. aestivus**: cinereus, supra fusco-maculatus, barba hypostomatis angustioris alba, pilis nigris supra immixta, incisuris abdominis griseis, tibiarum basi lata lutea, alis hyalinis, halteribus flavis. ♂♀.

Var. a. ♂. Tibiis flavo-luteis, apice tarsisque nigris.

Schrank Ins. Aust. p. 487. 996. Meig. Dipt. 2. 316. 15. *Asilus niger* de Geer Ins. 6. 249. t. 14. f. 12. ♀. *Asilus tibialis*°) Fall. Dipt. Sv. Asil. 9. 4. ♂♀.

Hab. cum priori, in terris borealibus rarissime visus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo fere praecedentis vel eo paullo minor. Hypostoma praesertim in mare paullo angustius quam in priori, cujus pictura supra gaudet. Oculi in vivo virides. Barba hypostomatis alba, pilis aliquot nigris supra tecta. Vitta thoracis media nigra, linea angustissima grisea longitudinaliter divisa; macula utrinque didyma nigra. Abdominis segmenta analia supra in mare saepe caerulea. Femora nigra, griseo-hirta. Tibiae luteae, apice spinisque nigris. Tarsi nigri, pedum anticorum et posticorum metatarso in mare praeprimis subtus fulvo-tomentoso.

Var. b. ♀. Tibiis testaceo-fulvis, apice latius, et metatarso nigris, hoc basi fulvo. Ad Åsele Lapponiae Umensis unicum individuum captum, var. a. simillimum, praeter tibiarum colorem fulvum magis obscurum et metatarsum basi plus minus fulvum. Valde affinis *A. varipedi* Meig. Dipt. 2. 328. 33. videtur, sed forte non idem.

**3. A. atricapillus**: cinereus, supra fusco-maculatus, barba hypostomatis latioris nigra, incisuris abdominis griseis, pedibus a latere supero ferrugineis, alis apice subinfuscatis, halteribus sordide albidis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Asil. 10. 5. certe. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 327. 31?

Hab. in Lapponia meridionali rarius, in adjacente Angermannia, ex. gr. ad Hernösand d. 30. Aug. frequentius visus. (Lappon.-Scan. vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Statura et fere magnitudo prioris s. circiter 5 lin. longus. Hypostoma mediocriter latum, barba nigra, subtus pilis aliquot albis immixta, at barba infra os seu menti tota alba. Oculi in vivo aenei. Thorax et abdomen ut in priori picta, sed segmenta analia nunquam caerulea. Alarum limbus in interstitiis nervorum infuscatus, relicta area media longitudinali hyalina. Halteres sordide albidi, capitulo fusco-maculato. Femora et tibiae uno latere, tarsorumque articulis 1 toto, 2 et 3 basi, ferrugineis.

**4. A. variabilis**: cinereus, supra fusco-maculatus, barba hypostomatis latioris aut nigra, aut alba, aut nigro-alboque mixta, incisuris abdominis griseis, pedibus nigris, posticorum tibiis metatarsisque omnium ferrugineis, alis hyalinis, halteribus sordide albidis. ♂♀.

Var. a. ♀. barba hypostomatis nigra.

Var. b. ♂. barba hypostomatis alba.

Var. c. ♂♀. barba hypostomatis nigro-alboque mixta; in copula.

Hab. in Lapponia Suecica et Norvegica haud raro; var. a. ad Talvig Finmarkiae 2. Aug. passim; var. b. etiam ad Talvig, at rarissime, et var. c. ad Talvig, Muonioniska Lapponiae Tornensis 17. Aug. 1821, et ad Åsele Lappon. Umensis 27. Jul. 1832, frequenter, a me lectae. (Lappon.-Ostrogoth., Olandia, Gottlandia; var. c. pass.)

*Mas* et *Fem.* Summa similitudo et affinitas praecedentis, sed saepe paullo minor (praesertim specimina Finmarkica), et barba hypostomatis, variabili, alis hyalinis, nec infuscatis, ut et femoribus totis tibiisque anticis nigris ab illo mox dignota. Barba sub ore semper alba. Thorax, abdomen et halteres ut in priori. Alae maris abdomine paullo breviores. Pedes in utroque sexu nigri, nitidi, parum griseo-pubescentes, nigro-spinosi, tibiis posticis luteis; intermediis ferrugineis, anticis nigro-piceis, metatarsis omnibus flavo-luteis, anticis paullo obscurioribus.

*Obs.* Species Fallenianae *A. crabroniformis, germanicus* et *cingulatus*, nec non *A. obscurus* Meig. in Sueciae mediae et meridionalis pascuis saepe occurrunt, in Lapponia a me frustra quaesitae.

## 3. Dasypogon. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 69. Fabr. Latr. Fall. Macq. *Asilus* Linn. Panz.

*Corpus* mediae aut (in hac Familia) minoris magnitudinis, oblongum, hirsutulum. Antennae porrectae, 3-articulatae, articulis 2 inferioribus subaequalibus, ultimo elongato, subfusiformi, apice stylo brevi. Haustellum longitudine capitis, obliquum. Pedes haud validi, pilosi et spinulosi, tibiis rectis, non ciliatis. Anus obtusior, parum appendiculatus. *Color* niger, abdomine saepe albo-maculato aut fasciato. *Motus* fere *Asili*, at paullo vivacior. *Habitatio* in locis sterilibus et pascuis, circa meridiem praesertim in activitate; per partem sylvaticam Lapponiae. *Victitat* praeda. *Diff. sexus*: ano *maris* obtuso, inflexo, subclavato, lamellis scilicet lateralibus corneis, brevibus, convexis genitale obtegentibus; ano *feminae* acutiori, denticulato, seu stylis 8—12 setiformibus circulatim positis, parum exsertis, armato. (Spec. Scand. 6, Falleni *D. armillato* ut ♀ et *D. longitarsi* ut ♂ unius ejusdemque speciei jure consideratis, haustello obliquo, antennarum nervis longitudinalib. 3, praeter areas 2 angulares acutas, in marginem interiorem alae excurrentibus, ut et ano feminae acute stylato et denticulato, a reliquis hujus familiae dignotae.)

**1. D. hirtellus**: cinereus, barba hypostomatis nigra, thorace lineis tribus fusco-brunneis, media abbreviata, pedibus abdomineque nigris, hoc cano-hirsuto, incisuris albis, alis sordide hyalinis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. Major, 3—4 lin. longus, oculis in vivo brunneis, subaeneo-micantibus.

Fall. Dipt. Sv. Asil. 11. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 273. 23. Macq. Dipt. Gall. Asil. 25. 5.

°) Nomen Falleni: *tibialis* huic insecto impositum rejiciendum, nam sub eodem duae distinctae species, scilicet *A. aestivus* et *A. variabilis* a Cel. Auctore sunt commixtae.

Var. b. ♀. Minor, 2¹ lin. longa, oculis in vivo obscure brunneis, parum aeneo-micantibus; in ceteris var. a. simillimus.

Hab. var. a. locis aridis praesertim arenosis, per partem sylvaticam Lapponiae meridionalis seu Umensis, passim, ad Asele d. 27. Jul. in copula captus; var. b. loco arido, arenoso ad Lycksele d. 13. Jun. rarissime visus. (Lapp.-Scan. var. a. freq.)

*Mas* et *Fem.* *Asilo atricapillo* multo minor, sublinearis. Cinereus, hirtulus. Barba hypostomatis et pili frontis verticisque nigra. Barba sub ore alba. Thoracis lineae dorsales 3 brunnescentes, media recta angusta, obsoleta sensimque posterius evanescens, laterales evidentiores, recurvatae. Pectus (pleurae) griseum. Abdomen sublineare; nigrum nitidum, cano-hirtum, praesertim versus latera; incisuris albis. Alae subinfuscatae, basi albidae; in var. b. alae magis hyalinae. Halteres albidi, capitulo macula fusca. Pedes nigri nitidi, spinis concoloribus, femoribus parce griseo-lineatis.

**2. D. lateralis:** niger, barba hypostomatis concolore, thorace cinereo, vitta media duplicata maculaque utrinque didyma fuscis, abdomine nitido, lineolis lateralibus transversis in utroque sexu, et segmento secundo tertioque in mare totis, albis, alis infuscatis ♂♀.

*Mas:* 4 lin. long., thoracis signaturis distinctioribus, abdomine latiori, segmentis 2 et 3 totis, reliquisque (ultimo excepto) lineolis lateralibus transversis, albis, alis abdomine brevioribus fuscis, fascia media obscuriori, basi subhyalinis.

*Fem.:* 5 lin. long., thoracis signaturis magis confluentibus, abdomine angustiori, segmentis omnibus (ultimo excepto) in latere lineola transversa alba, alis longitudine fere abdominis fuscis, fascia media obsoleta, basi subhyalinis.

Var. a. ♂♀. alis infuscatis.

Fall. Dipt. Sv. Asil. 12. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 276. 27. ♂♀.

Var. b. ♀. alis hyalinis.

Hab. var. a. in Lapponiis Suecicis meridionalibus per partem sylvaticam, passim; in saepibus et truncis Pini, ad Rusele Lapponiae Lyckselensis, Badstutraesk Lappon. Stenselensis, et ad Asele, 30. Jun. — 28. Jul. a me visus; ad Dowre Norvegiae uterque sexus a D. Boheman etiam captus; varietat. b. ad Stensele 4. Jul. rarissime legi. (Lapp.-Wermelandia var. a.)

*Mas* et *Fem.* Priori longitudine aequalis, sed paullo latior, praesertim femina. Caput ut in praecedente. Oculi in vivo aenei l. obscure brunnei, aeneo micantes. Thorax, abdomen et alae ut in diagnosi. Halteres pallide flavi, immaculati. Pedes nitidi, nigri, spinis concoloribus, femoribus inprimis subtus griseo-hirtis, tibiis latere interiori ferrugineo-tomentosis.

**3. D. lapponicus:** niger, barba hypostomatis concolore, thorace cinereo, vitta media duplicata maculaque utrinque didyma, fusco-brunneis, abdominis segmentis 2 et 3 margine apicali, 4 et 5 lineolis lateralibus transversis, albis, alis hyalinis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rar., ad Àsele, Hornmyr et Knaften 26. Jul. — 1. Aug. tria specimina vidi, captu difficillima. (Lapponia meridional.)

*Mas* et *Fem.* Statura fere *D. hirtelli*, paullo angustior et minor, ejus varietati b. aequalis. Species certe distincta. Affinis et similis etiam priori, sed ab illo differt: abdominis pictura in utroque sexu simili, alis hyalinis, nec infuscatis, ut et magnitudine duplo et ultra minori. Caput cum oculis, thorax, halteres et pedes omnino ut in praecedente. Alae abdomine parum breviores, hyalinae. Abdomen angustum, nigrum, nitidum, ad latera, praesertim antice in mare, cano-hirsutum; segmentorum 2 et 3 incisuris, 4 et 5 lineolis transversis lateralibus, albis.

*Obs.* *D. brevirostris* Meig. (*D. longitarsis* Fall. ♂.), *D. armillatus* Fall. ♀.) ut et *D. vitreipennis* Meig. (*Asil. hottentottus* Fabr.) in Ölandiae et Scaniae pascuis rarius obveniunt, in Lapponiae desertis hactenus non detecti.

*Obs.* Genera *Dioctria* et *Leptogaster* huic Familiae etiam subjecta sunt; sed ex illius 5, et hujus 2 speciebus, in Suecia inferiori occurrentibus, vix ullas agnoscit Fauna nostra, mihi saltem tales in terris borealibus nunquam obviae.

---

## FAM. 2. BOMBYLIARII. Latr. Fall. Meig.

Antennarum articulus ultimus secundo multo longior, exarticulatus, seta terminali nulla. Hypostoma imberbe. Frons plana. Haustellum horizontaliter porrectum, longissimum, absque proboscide. Corpus medium, obovatum. Abdomen 7-annulatum. Alae expansae. Pedes tenues, simplices. — *Larvae* rhizophagae, sub terra degunt. *Imagines* floricolae. *Sexus* oculorum connectione facile dignoscitur.

### 4. Bombylius. Linn.

Meig. Dipt. Eur. gen. 61. Linn. de Geer. Fabr. Panz. Latr. Fall. Macq.

*Corpus* majoris magnitudinis, latum, breviter ovatum, tomento s. lana contactu facile delebili tectum. Antennae porrectae approximatae, 3 articulatae, articulo primo secundo multoties longiori, ultimo elongato, stylo brevissimo triarticulato terminato. Haustellum capite multoties longius, rectum, horizontaliter exsertum. Oculi in vivo virides. Alae expansae, nervis longitudinalib. 3, praeter aream angularem subacutam, marginem interiorem alae attingentibus. *Color* corporis niger, vestitu (in nostro) flavescente. *Motu* velocissimus: in aëre momento quasi suspensus haeret, mox citissime avolat, nec deinde eodem loco visibilis. Captu inde difficillimus. *Habitatio* vernalis, per partem infimam et mitiorem Lappon. Suecicae; alpinam longe aufugere videtur. *Larvae* plantarum radicibus victitant. *Imagines* loca arida, arenosa amant, e floribus Salicum aliarumque mel sedulo hauriunt, ante florem, more Sphingidum volitando, pendentes; in terris borealibus rarissime obviae. *Differentia sexus* perspicua: *mas* scilicet oculis in fronte contiguis, a *femina* oculis distantibus facile dignoscitur. (Spec. Scand. 5, antennarum articulo primo elongato, squama sub alis parva, alarum nervis longitud. 3 (nec 4), praeter aream angularem subobtusam, nec acutissimam, in marginem alae interiorem decurrentibus, corpore majori, villoso, nec parce piloso, abdomine late ovato, nec oblongo, moribus etc. a genere *Phthiria* cito dignotae.)

**1. B. major:** flavescenti-livido-hirtus, alis hyalinis, ad costam sinuato-nigro-fuscis. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 1918. Fabr. Antl. 128. 1. Fall. Dipt Sv. Bombyliar. 9 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 190. 5. *B. sinuatus* Mikan Mon. 35. T. 2. f. 4.

Hab. in Lapponia sylvatica rarissime: mas in Jemtlandia a D. Boheman, et feminae duae, una in via arenosa ad Karungi in paroecia Ofver-Torneå d. 28. Maj. et altera in silva ad Kengis Lappon. Tornensis d. 7. Jun. a me, lectae. (Lapponia-Scania, ubi jam medio mensis Aprilis saepe provenit, passim; at specimina Suecica Lapponicis plerumque duplo majora.)

*Mas* et *Fem.* Individua lapponica a me visa circiter 3—4 lin. longa, vix ultra. Tomentum corporis livido-flavescens, subtus pallidius; barba hypostomatis pilis aliquot nigris mixta. In thoracis antico macula media obsoleta, et alia lateralis (ante alas) distincta, nigrae adsunt, in feminis praesertim evidentes. Fascia transversa ejusdem coloris in ventre etiam conspicitur. Alae ad basin et costam longitudinaliter et sinuatim brunneo-nigrae, apice et margine interiori late, hyalinae immaculatae. Pedes graciles, pallidi, tarsis 4 ultimis nigris.

*Obs.* Auctor. *B. medius*, *minor* et *minimus* in Suecia media et meridionali passim obvii, in Lapponia a me frustra quaesiti.

*Obs.* *Phthiria pulicaria* Meig (*Volucella campestris* Fall.) huic Familiae subdita, in Scania campestri haud raro, in Ostrogothiae arenosis rarissime, et in Lapponia vix unquam occurrit, mihi saltem in terris borealibus non obvia.

*Not.* Genus *Anthrax* in Fam. *Bombyliarior.* a Clar. Meigen descriptum, ad propriam seu *Anthracidum* Fam. una cum *Thereva* Meig. (*Bibione* Fall.) rectius sine dubio referendum, quoniam haec genera (*Anthrax* et *Thereva*), inter se sat similia, structura oris et antennarum singulari a reliquis *Bombyliariis* valde recedunt.

†† Proboscide instructa.

a) Antennarum seta nulla.

## FAM. 3. XYLOPHAGINI.*) Zett.

Antennae porrectae, basi approximatae, apice acutae, articulo ultimo elongato, cylindrico, octoannulato. Ocelli 3. Cor-

*) *Fam. Xylophagei* Dej. et Latr. inter *Coleoptera* in Fauna nostra Lappon. P. 1. p. 340. ut Fam. 28., jam est recepta, quare

pus medium. Abdomen segmentis 6—7 (secundum Meig. 8.). Alae incumbentes. Pedes simplices, nudi. Tarsi tripulvillati. — *Larvae* in ligno putrido degunt. *Imagines* aut truncis arborum insident, aut in floribus versantur. *Sexus* dignoscitur aut ex oculis cohaerentibus in mare, aut ex segmentis analibus in femina vaginatis.

## 5. Xylophagus. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 43. Fabr. Fall. Macq. *Nemotelus* de Geer. *Empis* Panz.

*Corpus* majoris l. mediae magnitudinis, elongatum, angustatum, nudiusculum. Palpi clavati. Scutellum muticum. Abdomen segmentis 7, anali non computato. Directio nervorum in alis fere ut in *Tabaniis*. Nervi 4 longitudinales, praeter aream angularem acutangulam, in marginem interiorem alae descendunt. Tibiae apice bicalcaratae. *Color* niger, pictura (in nostris) saepe fasciatim rufa. *Motu* vix nisi sole sereno agilis. *Volatus* strenuus, brevis. *Habitatio* vernalis et aestivalis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Larvae* in ligno putrido degunt. *Imagines* truncis arborum insident. *Differentia sexus* evidens; *mas*: paullo minor, oculis in fronte paullo distantibus, abdomine lineari, paullo obtuso; *femina:* longior, robustior, oculis in fronte magis distantibus, abdomine lanceolato, ano subulato (pro depositione ovorum aptato). (Spec. Scand. 3, palpis clavatis, corpore angustato, scutello inermi, tibiis calcaratis et nervis 4 longitud. praeter aream angular. acutam, in marginem alae excurrentibus a ceteris Familiae hujus dignotae.)

**1. X. ater:** antennis capite fere duplo longioribus, ater, pedibus pallidis, posticorum femoribus tibiisque, apice infuscatis, alis subhyalinis, fascia abbreviata fusca. ♂♀.

*Mas:* pedibus pallide flavis, thoracis vittis tribus griseis alarumque fascia fusca, obsoletissimis.

*Fem.:* pedibus flavo-testaceis, thoracis vittis tribus griseis alarumque fascia fusca, distinctioribus

Fabr. Antl 64. 1. Fall. Dipt. Sv. Xyloph. 13. 1. ♂. et var. a. ♀. Meig. Dipt. 2. 11. 1. ♂. *Empis subulata* Panz. Fn. 54. 23. certe (figura repraesentat *marem;* sed in descriptione dicitur: „alae corpore longiores", quod *feminae* competit).

Hab. in truncis Betulae albae; ad Tresunda et Naestansjŏ in paroecia Wilhelmina Lapponiae Umensis duo individua mascula d. 11. et 13. Jul. 1832, et ad Björkvik in Ofotenfjord atque Gamstenstind Nordlandiae Norvegicae plura individua feminea d. 13 - 30. Jul. 1821, inveni. (Lappon.-Norvegia infer. Bohem.; Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* ♂ 5, ♀ 6 lin. long. Uterque sexus niger, nitidus, subglaber. Abdomine in individuis bene conservatis pube rariori, grisea vestito. Oculi in vivo brunnei, unicolores. Halteres flavi. Pedes cum coxis flavi; posticorum femoribus tibiisque, apice fuscis, raro tibiis totis fuscis ut in figura Panzeri. Tarsi omnes apice nigricantes. Alae subhyalinae, fere in medio fascia transversa, juxta costam evidenti, versus marginem interiorem sensim evanescente, et in mare interdum tota obsoleta, parum perspicua.

**2. X. cinctus:** antennis longitudine capitis, ater, pedibus testaceis, alis subhyalinis, fascia abbreviata fusca, abdomine in femina cingulo rufo. ♂♀.

*Mas:* pedibus testaceis, articulo primo tarsorum posticorum albido, abdomine toto nigro, alarum fascia plerumque obsoleta.

*Fem.:* pedibus rufo-testaceis, articulo primo tarsorum posticorum concolore, abdomine in medio cingulo rufo, alarum fascia distincta.

Var. a. ♀. abdominis segmentis 2, 3, 4 rufis.

Fabr. Antl. 65. 2. Meig. Dipt. 2. 12. 2. *Xyl. ater* var. *β*. Fall. Dipt. Sv. Xyloph. 14. 1. *Rhagio Syrphoides* Panz. Fn. 77. 19.

Var. b. ♀ abdominis segmentis 2 et 3 tantum in medio macula rufa.

Hab. in truncis Pini sylvestris et Abietis, ad Juckasjervi, Wittangi, Juhonpietis, Kardis et Pello Lapponiae Tornensis 4. Jun. — 1. Jul. haud raro, praesertim ♀ frequenter; ad Lycksele, Gransele et Stensele Lapponiae Umensis 4. Jun. — 4. Jul. passim, legi. In silvis acerosis semper occurrit, nec longius versus alpes, quam ad Cataractam Wackokoski (limitem Abietis in Lapponia Tornensi) praecedentem vidi; in Lapponiis Norvegicis a me nunquam visus. E pupis, in cortice Pini sylvestris inventis, uterque sexus fine mensis Aprilis et initio mensis Maji 1832 exclusus, a Nobil. Dom. Subcenturione Boheman benigne etiam communicatus, in Helsingia, Herjeädalen et Jemtlandia Sueciae borealis ab illo haud raro observatus. Pupa elongata cylindrica subnuda, incisuris ciliatis et apice breviter spinuloso, tota pallida segmentis seu annulis 10 constare videtur. (Lappon. Suecica-Ostrogoth. pass.; Hallandia rar.)

*Mas* et *Fem.* Praecedenti similis, sed saepe paullo major, praesertim femina, quae marem magnitudine plerumque duplo superat. Differt ab illo inprimis antennis in utroque sexu multo brevioribus, abdominis feminae cingulo rufo, ut et habitatione in Pino et Abiete, nec haec species, ut prior, in Betuletis degens unquam observata, quantum scio. Oculi in vivo obscure brunnei, parum aeneomicantes, unicolores. Antennae in protuberantia faciei insertae, articulo primo secundo multo longiori, ut in priori omnino. Halteres pallidi. Pedes rufo-testacei, tarsis apice fuscis; posticorum femorum tibiarumque apex vix infuscatus. Alae ut in priori.

*Obs.* *Xyl. maculatus* Fabr., Fall. etc. e Finlandia a D. Prof. Sahlberg missus, in Scania quoque semel captus, in Lapponia non visus.

eadem denominatio (etiam a Cel. Fall. in *Dipteris Sueciae* repetita) Familiae cuidam in *Dipterorum* Ordine non adhibenda. Nec vocabulum *Xylophagi* tamquam nomen Familiae usurpandum, ut voluerunt Cel. Meigen et Wiedemann, cum ejusmodi tantum est nomen plurale generis *Xylophagus*. Unde denominationem *Xylophagini* pro hac Familia elegi, aptiorem existimans.

## 6. Beris. Latr.

Meig. Dipt. Eur. 2. gen. 42. Latr. Macq. *Musca* Linn. *Stratiomys* Fabr. Panz. Fall. *Xylophagus* Latr.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, oblongum, pubescens, subnitidum. Antennarum articuli 2 inferiores breves, ultimus elongatus, conicus. Palpi parvi, 3-articulati. Scutellum radiato-multispinosum. *Color* niger, aut metallicus. *Motus* agilis. *Volatus* brevis. *Habitatio* in foliis plantarum; per partem alpinam Lapponiae. *Metamorphosis* ignota. *Larvae* vix in ligno putrido degunt, ut opinatur Cel. Meigen. Imagines saltem hujus et plurium specierum locis uliginosis, graminosis, ubi arbores non nisi longa distantia crescunt, vivere cognitum est. *Differentia sexus*; *mas:* oculis in fronte arcte cohaerentibus et metatarso postice incrassato; *femina:* oculis in fronte distantibus metatarso postico simplici. (Spec. Scand. 5, scutello multispinoso, tibiis apice muticis etc. dignotae a reliquis hujus familiae.)

**1. B. dubia:** scutello 6-spinoso nigra, thorace aeneo, halteribus pallidis, alis fusco-hyalinis, geniculis tarsisque, basi flavis ♂.

Hab. locis humidis in alpe insigni Dowre Lapponiae Norvegicae, D. Boheman, qui specimina quaedam d. 6—14. Jul. 1832 invenit et descriptum examini meo benigne subjecit. (Lappon. Norvegica.)

*Mas.* *Beri clavipedi* (*Stratiom. flavipedi* Fall.) paullo major, circiter $3\frac{1}{2}$ lin. long. Affinis videtur *Ber. sexdentatae* Meig. *Stratiom. dentatae* Fabr.), sed haec pedibus flavis et metatarso postico distincte incrassato gaudet, qui in *B. dubia* fere simplex est. Caput rotundatum, oculis magnis arcte connexis evidenter hirtis. Frons postice seu vertex tuberculo elevato nigro, in quo 3 ocelli locati. Proboscis exserta, saccata. Palpi 3-articulati, parum clavati. Thorax et scutellum aenea, pube nitida grisea tecta Spinae scutelli 6. nigrae, laterales minores. Abdomen ovatum depressum, nigrum, supra inaequale. Alae fusco-hyalinae, linea stigmaticali fusciori. Directio nervorum fere eadem ac in *B. clavipede.* Nervi 4 longitudinales ad marginem interiorem alae excurrunt, praeter aream angularem paullo retractam nervum unicum in marginem emittentem. Nervus autem tertius (nervorum longitudinalium) ab apice, abbreviatus, in marginem usque non descendit. Halteres laete flavi. Pedes nigri, geniculis tarsisque testaceis, his apice fuscis.

**2. B. sexdentata:** thorace aeneo, abdomine atro holosericeo, pedibus flavis, tarsis, capite scutellique radiis 6, nigris, alis infuscatis. ♂♀.

*Mas:* oculis cohaerentibus, thorace obscure aeneo, scutelli radiis 6, alis halteribusque fuscis, stigmate obscuriore, metatarso postico incrassato.

*Fem.:* oculis interstitio laevi caerulescenti nigro in fronte distantibus; thorace viridi-aeneo, scutelli radiis 7 (an semper?), alis hyalinis versus apicem infuscatis, stigmate obscuriori, halteribus pallidis, metatarso postico incrassato.

*Stratiomys sexdentata* Fabr. Antl. 87. 36. ♀. *B. chalybeata* Meig. Dipt. 2. 4. 4. ♂.

Hab. in Lappon. maxime meridionali rariss.; in Dalekarlia uterque sexus a D. Boheman 1836 inventus, mecumque

ad describendum mutuo benigne communicatus. Long. $2\frac{3}{4}$ fere 3 lin. (Lapponia meridionalis-Dalekarlia.)

*Obs.* MEIGENI *Bc. clavipes*, *vallata* et *obscura* in Suecia inferiori lectae, in Lapponia a me non visae, nec eas alium invenisse audivi.

## FAM. 4. TABANII. LATR. FALL. MEIG.

Antennae porrectae, basi approximatae, triarticulatae (in nostris), articulo ultimo subannulato. Proboscis et palpi exserta. Corpus magnum, pubescens. Abdomen segmentis 7. Alae divaricatae. Squama integra, distincta. Tarsi tripulvillati. — *Larvae* apodae, elongatae, cylindricae, griseae, 12 segmentatae. *Pupae* nudae, sub terra declarationem exspectant. *Imagines* media aestate florent, sanguisugae, raro floricolae. *Differentia sexus* perspicua; *mas*: oculis in fronte connexis, abdomine versus apicem angustato, palpis horizontalibus apice obtusis etc., a *femina*: oculis disjunctis, abdomine postice parum angustato, et palpis perpendicularibus, apice acutis, mox dignoscitur.

### 7. Tabanus. LINN.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 47. LINN. DE GEER. FABR. PANZ. FALL. MACQ.

*Corpus* magnum, oblongum, pubescens. Antennarum articulus ultimus compressus, basi excisus, 5-annulatus. Ocelli (stemmata) nulli. Palpi exserti, stuposi. Oculi in vivo saepissime transversim lineati *). Alar. nervi 5 longitudinales, praeter aream angularem acutangulam paullo retractam, ad marginem interior. alae descendunt. Tibiae intermediae apice valide bicalcaratae. *Color* corporis niger, pubescentiae griseus aut subflavescens. *Volatus* strenuus, brevis. *Habitatio* per omnes Lapponiae partes. *Larvae* apodae, elongatae, subcylindricae, 12-annulatae (LATR.), in stercore pecorum degunt (FALL.), metamorphosin in terra subeunt. *Pupae* nudae, incompletae, elongatae, subcylindricae, postice sexspinosae. *Imagines feminarum* circa mediam aestatem provenientes, in vicinitate gregum plerumque versantur, sanguinem pecorum et equorum sugentes; *marium* cum feminis obveniunt, sed multo rariores, nec sanguisugae. In floribus, quorum mel quoque appetunt, interdum inveniuntur. *Differentia sexus* evidens; *mas*: oculis in fronte contiguis, palpis capitatis, ano acutiori, a *femina*: oculis distantibus, palpis subulatis, ano obtusiori facile dignotus. (Spec. Scand. 16 in museo meo numerantur, antennarum articulo ultimo 5-articulato, basi exciso, ocellis nullis, et alarum area angulari retracta, nec ad marginem interiorem alae nisi apice elongato descendente, a sequentibus hujus familiae dignoscendae.)

#### *Sectio 1. Oculis in utroque sexu nudis.*

**1. T. bovinus**: oculis aenescenti-obscuris immaculatis, nigro-fuscus, abdomine lateribus antice luteo, segmentorum marginibus testaceis maculisque dorsalibus trigonis albidis, tibiis pallidis. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 1882. FABR. Antl. 92. 1. PANZ. Fn. 2. t. 20. FALL. Dipt. Sv Taban. 4. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 2. 43. 18. MACQ. Dipt. Gall. Taban. 155. 6. Tab. 3. f. 7. (ala).

Hab. . . in Lapponia habitare fertur, mihi ibi non obvius. (Lappon.-Uplandia passim, -Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Nostratum maximus, 10 — 12 lin. long. Nigro-fuscus; antennarum basi, palpis et tibiis lutescentibus. Hypostoma (facies) cinereum. Thorax cinereo-villosus, obsolete nigro-lineatus. Abdomen ut in diagnosi.

*Obs.* *T. autumnalis* LINN. FALL. in Scania freq. in Lapponia a me non repertus.

#### *Sect. 2. Oculis in mare semper, in femina saepissime hirtis.*

a) Nervus tertius longitudinalis furca simplici terminatur.

**2. T. tarandinus**: oculis aureo-cupreis transversim 2-(♂) vel 3- (♀) lineatis, linea prima in medio (♂), aut media in medio (♀) oculi, nigricans, abdominis segmentorum margine aureo-flavis, antennis pedibusque luteis. ♂♀.

*Mas:* oculis in fronte arcte cohaerentibus aureo-cupreis, lineis 2 transversis purpureis, superiori in medio oculi.

*Fem.:* oculis in fronte paullo distantibus aureo-cupreis, lineis 3 transversis purpureis, media in medio oculi.

Var. a ♂♀ alis fusco-hyalinis, basi nervis luteis.

LINN. Fn. Sv. 1824. ♀. FABR. Antl 95. 8. ♀. FALL. Dipt. Sv. Tab. 4. 2. ♀. MEIG. Dipt. 2. 44. 19. ♀. DAHLB. Skandinaviska Insecters nytta och skada. Lund. 1837.

Var. b. ♀. alis fusco-hyalinis, nervis totis luteis, fuscedine evidentiori cinctis.

Hab. a. in Lapponiis omnibus, sub aestatibus calidis freq., frigidioribus vero rarius obvius, a novaccolis Umensibus *Lakbröms* vocatus. Tarandorum cornua tenella pungit, deformat; pecora quoque ipsumque hominem persequitur; mensibus tantum Junio et Julio vigens. Mas hactenus ignotus a me primum descriptus; individuum scilicet unicum masculum in folio Salicis ad Lycksele-afvan d. 20. Jun. invenire mihi primo contigit. Femina sub volatu valde susurrat. Var. b. ad Åsele d. 28. Jul. rar. capt. (Lapponia-Ostrogothia rariss. et vix infra hanc provinciam versus meridiem descendens.)

*Mas* et *Fem.* Praecedente paullo minor, circiter 9 lin. longus. Nigricans. Hypostoma flavescens. Interstitium frontale inter oculos flavum, linea media nigra. Antennae in utroque sexu ferrugineae. Palpi pallidi. Thorax nigricans, limbo, praesertim antico flavo-villoso. Abdomen atrum segmentorum margine aureo-flavo. Alae ut in diagnosi. Pedes lutei, femoribus basi nigris.

**3. T. auripilus**: oculis aeneo-viridibus transversim purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi, niger, abdominis segmentorum margine fulvo-ciliato. ♀.

Var. a. ♀. hypostomate fronteque cinereis; antennis totis nigris.

Var. b. ♀. hypostomate fronteque cinereis; antennis nigris, articulo ultimo basi macula laterali rufa.

MEIG. Dipt. 2. 41. 15. MACQ. Dipt. Gall. (Ins. Dipt. du Nord de la France 1826.) Taban. 154. 5.

Var. c. ♀. hypostomate fronteque nigris, colore scilicet cinerascente ordinario forte detrito.

Hab. in silvis betulinis sub fine mensis Junii, toto mense Julio et initio Augusti, praesertim in Lapponiis Norvegicis frequens; var. a. ad Giebostad et Alteidet Nordlandiae, et Bossekop Finmarkiae, copiose, atque etiam in monte subalpino Stoettingsfjellet Lapponiae Umensis rarissime, a me captus; in alpium illa serie insigni Dovrefjell Norvegiae mensib. Junio et Julio quoque a D. BOHEMAN lectus; var. b. in Gamsttind et Andeness, atque in insulis Hacksten et Finkrog Nordlandiae visus; et var. c. in Norvegia semel tantum inventus. (Lapponia inprimis Norvegica; Smolandia, teste D. LJUNGH, an jure? mihi in Suecia nullibi obvius, Parisiae D. MACQUART.)

*Fem.* Priore iterum paullo minor, 7 ½ lin. longus. Fusco-niger. Oculi in vivo pulchre laete virides, interdum aenescentes, brevissime hirsuti. Palpi nigri. Frons cinerea, linea media subinterrupta, callo nitido, transverso supra antennas terminata atra. Hypostoma cinereum. Barba infra os griseo-albida. Thorax tenuiter nigro-hirsutus, subtus albido-villosus. Abdomen nigrum, marginibus segmentorum distincte fulvo-ciliatis. Alae hyalinae, lineola stigmaticali nigra, distincta. Halteres nigricantes. Pedes nigri, tibiis inprimis flavescenti pilosis

*Mas.* *Tabanus aethiops*: „oculis fuscis pilosis, corpore atro, alis sordide hyalinis, antennis nigris, abdominis dorso linea punctorum albidorum" LJUNGH Act. Holm 1823. p. 265. T. III. 3. f. 3., in monte praealto Klefven ad Husquarnen prope Junecopiam Smolandiae captus d. 26. Jun. 1797 est forte hujus speciei *mas*, ob antennas nigras, oculos in vivo unifasciatos (ut mihi asseveravit ipse D. LJUNGH in litteris) etc. Nec mas *Tabani borealis* esse potest, ut autumat Cel. FALL. (Dipt. Suec. Suppl. Prim. p. 2.), etenim hic antennarum articulum ultimum ferrugineum habet, et in copula cum simili saepe captus, teste eodem LJUNGH. Neque obstat fascia tantum *unica* oculorum, nam ejusmodi pictura in maribus, quorum feminae oculos trilineatos habent, obtinere saepe observavi, fasciis scilicet superiori et inferiori obsoletissimis aut fere nullis.

**4. T. tropicus**: oculis aeneo-viridibus transversim purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi, nigricans, palpis albis, abdominis lateribus, antennarum medio tibiisque, ferrugineis, alis subimmaculatis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. Oculi aeneo-virides, lineis 3 distinctis (in mare tamen linea superiori obsoleta), abdominis lateribus late ferrugineis, alis immaculatis.

LINN. Fn. Sv. 1886. FABR. Antl. 100. 32. PANZ. Fn. 13. f. 22. ♀. FALL. Dipt. Sv. Taban. 5. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 2. 57. 34.

*) Oculorum Tabaniorum color metallicus et pictura insignis plerumque purpurea, cum vita omnino pereunt, aqua vero calida restaurantur.

Var. b. ♂♀. Oculi cuprei aeneo-micantes, lineis 3 obsoletis, media distinctiori, alis puncto fusco in furca nervi longitudinalis tertii; hujus forte speciei.

Hab. in sylvis per partem mitiorem Lapponiae; ad Juckasjervi Lappon. Tornensis, et Asele Lappon. Umensis, d. 1—27. Jul. haud infrequenter vidi; individua mascula raro occurrunt; e varietate b. unicum tantum marem ad Umenaes d. 9. Jul., unicamque feminam in Stoettingsfjellet inter Asele et Lycksele d. 1. Aug., Lapponiae Umensis inveni; individuum femineum etiam ad Tornea a D. DEUTSCH captum. (Lapp.-Scan. var. a. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo prioris. Hypostoma (facies) et barba cinerea. Interstitium frontale in ♀ cinereum, linea media interrupta et macula in angulo oculorum, atris, nitidis. Antennae plerumque nigrae, articulo ultimo basi late ferrugineo, interdum totae subferrugineae, apice solum atro. Thorax obscurus, cinereo-villosus, obsoletissime lineatus, callo humerali ferrugineo. Abdomen nigrum, lateribus segmentorum 3 vel 4 anticorum magis vel minus late ferrugineum, vestigio macularum trigonarum albidarum in medio dorsi, segmentorumque margine tenuiter albo-ciliato. Alae sordide hyalinae, nervis validis lineaque stigmaticali obscurioribus. Pedes nigri, tibiis vel totis vel basi saltem testaceis.

**5. T. borealis:** oculis laete viridibus transversim purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi, nigricans, palpis segmentorumque abdominis marginibus albidis, alis subimmaculatis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. oculorum lineis tribus in femina saltem distinctis, niger, abdominis segmentis 2 et 3 lateribus ferrugineis. MEIG. Dipt. 2. 37. 10. ♂♀.

Var. b. ♀. oculorum lineis tribus valde angustis et tenuibus, nigricans, abdominis segmentis 2 et 3 concoloribus, nec lateribus ferrugineis.

FABR. Antl. 101. 37. FALL. Dipt. Sv. Taban. 6. 5. ♂♀.

Var. c. ♀. similis var. b. oculorum lineis tribus latioribus.

Var. d. ♀. oculorum lineis prima et tertia obsoletis, media tantum distincta; antennarum articulo ultimo ferrugineo, apice solum determinate atro; abdominis lateribus maculis utrinque 2 ferrugineis, incisuris anguste albidis; in ceteris var. b. similis, vix specie diversa.

Var. e. ♀. similis var. a., abdominis lateribus non ferrugineis.

Hab. in Lapponiis Suecicis et Norvegicis, a die 4 Jun. usque ad 14. Aug. frequenter a me visus; feminae bobus et equis infestae, homines etiam tenaciter persequentes; var. a. ad Lycksele, Umenaes, et in Stoettingsfjellet, Lapponiae Umensis, vulgaris; var. b. in Finmarkia ad Alten, atque etiam in Lapponia Tornensi praesertim occurrit; var. c. in betuletis Nordlandiae et Finmarkiae Lapponiae Tornensis captus; e varietate d. unicum tantum specimen in Gamstind Nordlandiae 30. Jul. inventum; et e varietate e. etiam non nisi unicum individuum in Norvegia legi. E Tornea D. DEUTSCH var. a. ♂♀. mihi etiam communicavit. (Lappon.- et var. a. b. c. in Suecia media passim; in Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* *T. tropico* plerumque paullo minor, seu 7 lin. longus. Hypostoma et barba menti cinerascentia. Oculi in vivo laete et pulcherrime virides. Interstitium frontale feminae ut in priori. Antennae in utroque sexu nigrae, articulo ultimo basi magis v. minus late ferrugineo. Thorax in ♂ obscurior, in ♀ grisescens, in utroque sexu vix lineatus, callo humerali non nisi in individuis junioribus obscure ferrugineo. Abdomen ut in diagnosi. Alae hyalinae, linea stigmaticali in var. a. nigra, in reliquis varietatibus magis brunnea. Pedes nigri, tibiarum basi magis vel minus late ferrugineis.

**6. T. lugubris:** oculis dimidietate superiori viridi, inferiori subferruginea, transversim purpureo-trilineatis, linea prima in medio oculi, ater, palpis nigris; abdominis segmentis margine tenuiter, serieque media dorsali macularum trigonarum, albis, alis immaculatis. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; duo tantum specimina, unum in betuletis ad Björkvik Nordlandiae 15. Jul. 1821, et alterum in sylva Lycksele Lapponiae Umensis d. 22. Jun. 1832, inveni. (Lapponia.)

*Mas.* Longitudo praecedentis, paullo latior, *T. lurido* FALL. affinis et similis, sed ab illo differt: colore nigriore, palpis obscurioribus, abdominis lateribus vix ferrugineis, ut loco natali. Hypostoma et barba obscure grisea, palpis nigris. Antennae nigrae, articulo ultimo basi fusco-ferrugineo. Thorax niger et nigro-villosus, villositate tamen pectoris grisescente. Abdomen supra et subtus nigrum, segmentis margine tenuiter albo-ciliato, et serie media dorsali tenacius adhaerenti macularum trigonarum albidarum. In segmentis aut 1 et 2 aut 2 et 3 anticis macula obscure ferruginea, parum perspicua utrinque adest. Alae hyalinae, lineola stigmaticali brunnea; squama sub alis brunnea. Halteres nigri. Pedes toti nigri.

**7. T. alpinus:** oculis aenescentibus transversim purpureo-subunilineatis, linea in medio oculi distincta; niger, palpis sordide albidis, segmentis margine tenuiter ferrugineo-ciliatis, anticis lateribus ferrugineis, alis immaculatis. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; in Betula alba in Raschstind insulae Schiervoe Nordlandiae d. 27. Jul. 1821, et ad Umenaes Lapponiae Umensis d. 9. Jul. 1832 duo tantum specimina legi. (Lapponia.)

*Mas.* Longitudo *T. lugubris*, angustior. Affinis etiam *T. lurido*, sed antennarum, abdominis tibiarumque colore obscuriore ut et pictura oculorum diversus videtur. Hypostoma et barba fusco-grisea, palpis albidis, fusco-villosis. Antennae nigrae, articulo ultimo basi piceo-nigro. Oculi subunilineati, linea scilicet media tantum distincta, altera inferiori obsoletissima, et tertiae superioris vix vestigio. Thorax, alae et pedes fere ut in priori, tibiis summa basi ferrugineo-ciliatis, ciliis in dorso et ad latera tenacius adhaerentibus, unde in speciminibus detritis series triplex macularum formatur. Segmenta aut 2 et 3, aut 1, 2 et 3 antica ad latera ferruginea sunt, nec vero tam late, nec tam pure ut in *T. tropico* et *lurido*. Segmentorum ventralium margines albidi, et ferrugineo-ciliati.

**8. T. bromius:** oculis aenescentibus transversim purpureo-unilineatis, linea in medio oculi, nigricans, palpis albis, antennis subferrugineis, thorace albido-lineato, abdomine triplici ordine albo-maculato, tibiis basi testaceis, alis immaculatis. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 1885. FABR. Antl. 97. 18. FALL. Dipt. Sv. Taban. 7. 7. ♂♀. MEIG. Dipt. 2. 52. 29. *Tabanus maculatus* DE GEER Ins. 6. 89. 3.

Hab. in Lapponia forte rarissime; genuinus mihi ibi non obvius, ab alio Collectore ut Lapponiae incola mecum communicatus. (Lapponia; Uplandia-Scania aestate copiose.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 6 lin. long. Hypostoma et barba grisea s. cinerascentia. Palpi albi. Antennae ferrugineae, basi apiceque obscuriores. Oculi *maris* (in vivo) dimidietate superiori aenescente, inferiori paullo subtilius reticulata, viridi; *feminae* virides, conformes; in utroque sexu linea media purpurea, integra. Thorax grisco-nigricans, lineis 5 albidis. Abdomen nigrum, triplici serie albo-maculatum, maculis lateralibus attenuatim subrotundis aut oblique ductis; in segmentis primis ad latera maculae ferrugineae, obsoletae plerumque adsunt. Venter cinereus, vitta media longitudinali nigra. Alae hyalinae, basi et linea stigmaticali brunnescentibus. Pedes nigri, tibiis basi plus minus late albido-testaceis.

**9. T. albo-maculatus:** oculis aureo-viridibus transversim distincte purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi, niger, palpis sordide albidis, antennarum medio ferrugineo; thoracis lineis subquinis abdominisque maculis triplici serie dispositis, albis, alis submaculatis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Badstutraesk, in Stoettingsfjellet et ad Lycksele d. 30. Jun. — 2. Aug. specimina tria Cl. DAHLBOM et ipse legimus. (Lapponia.)

*Fem.* Parvus in hoc genere, *T. bromio* brevior, sed non angustior, circiter 5 lin. longus. Species pulchra et distincta, cujus mas vix quaerendus in *T. lugubri*, cui statura quidem simili gaudet, sed *T. albomaculatus* minor est et aliter coloratus. Niger. Hypostoma et barba menti albido-cinerea. Oculi perspicue trilineati. Interstitium frontale cinereum, macula ordinaria inter angulos oculorum, lineaque interrupta, atris, nitidis. Antennarum articulus primus fuscus, secundus totus, et tertius basi, ferruginei. Palpi sordide albi, nigro-pilosi. Thorax fusco-villosus, lineis 5 cinereis, lateribus obsoletis. Abdominis segmenta margine summo albido, et maculis trigonis triplici ordine dispositis, argenteo-pilosis condecorata, quorum tria in segmento secundo evidentiora, reliqua versus anum sensim decrescentia. Segmenta ventralia albo-marginata. Alae hyalinae (in uno specimine immaculatae), costa anguste, et linea stigmaticali nigro-brunnescentibus; nervis in disco etiam fusco-obumbratis, et puncto in furca nervi longitudinalis tertii fusco. Halterum clava nigra. Squama brunnescens. Pedes toti nigri.

**10. T. confinis:** oculis viridibus transversim purpureo-trilineatis, linea media in medio oculi, niger, palpis tibiisque albidis, antennarum articulo ultimo basi ferrugineo, thoracis lineis subquinis abdominisque maculis triplici serie dispositis, albis, alis immaculatis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 25. Jun. unicum specimen inventum. (Lappon.-meridional.)

*Fem.* Affinis priori, sed paullo major, latior, circiter 6 lin. longus, magis villosus, alis immaculatis et palporum tibiarumque colore distinctus. Caput ut in praecedente, at antennarum articulo primo et secundo cinereis, tantum ultimo basi ferrugineo. Palpi albi et albido-pilosi. Thoracis lineae cinereae obsoletae. Villositas pectoris (pleurarum) grisea, densa. Abdomen valde latum, ut in priori pictum. Alae hyalinae, linea stigmaticali parum perspicua.

Halteres nigricantes. Squama sordide alba. Pedes nigri, dense griseo-pilosi, tibiis anticis basi, posterioribus totis, albo-testaceis.
*Obs. T. luridus* FALL.: oculis transversim trilineatis, linea prima in medio oculi, abdominis lateribus rufo-testaceis; in Ostrogothiae et Scaniae sylvis rarius visus, in Lapponia vix obvius.

b) Nervus tertius longitudinalis furca appendiculata terminatur.

**11. T. ruralis:** oculis flavo-virescentibus immaculatis, fusco-cinereus, parum pilosus, antennis luteis, alis basi flavis, abdominis basi macula utrinque laterali tibiisque, ferrugineo-testaceis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 10. Aug. pauca specimina capta. (Lappon.-meridionalis.)

*Fem.* *T. rustico* FALL. ut et *T. fulvo* MEIG. (seu *T. rusticus* var. β. FALL.) magnitudine aequalis seu circiter 6—7 lin. longus, eisque valde similis et affinis: sed ab illo, antennarum articulo ultimo toto etiam apice fulvo maculaque abdominis laterali ferruginea, et ab hoc, corpore glabriore, alis basi magis evidenter, luteo-coloratis, et ab utroque, toto corpore glaucescente distinctus; nec cohabitant. Caput ut in *T. rustico*, sed antennarum articulo primo et secundo testaceis, tertio lato, toto pulchre fulvo. Oculi pallide virescentes, unicolores. Thorax supra atro-cinereus, seu glaucus, parum pubescens, subtus griseo-villosus. Abdomen cinereum, tenuiter nigro-pubescens, pilis depressis aureis parce vestitum, macula laterali ferruginea, raro in basin segmenti tertii extensa. Alae hyalinae, basi et nervis distincte flavis; ramo superiori furcae nervi longitudinalis tertii nervulo retrogrado lineam unam circiter longo, appendiculato. Squama et halteres flavicantia, clava fusco-maculata. Pedes nigro-fusci, tibiis anticorum basi, posteriorum totis, geniculisque omnium albido-testaceis.
*Obs. T. rusticus* LINN. FALL. MEIG., *T. fulvus* MEIG. et *T. plebejus* FALL., ad hanc subdivisionem referendi, in Suecia anteriori plus minus frequenter obvii, in Lapponia hactenus non collecti, quantum novi.

## 8. Haematopota. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 49. FABR. LATR. FALL. MACQ. *Tabanus* LINN. DE GEER. PANZ.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum, pubescens. Antennarum articulus primus elongatus, secundus cyathiformis, tertius subulatus, quadriannulatus. Ocelli nulli. Palpi exserti stuposi. Oculi in viva transversim undulato-lineati. Alae subdeflexae. Directio nervorum omnino ut in genere *Tabano* Subdiv. b., at area angularis non retracta, sed angulo acuto ad marginem interiorem usque descendit. Tibiae intermediae apice calcaribus 2 parvis. *Color* niger. *Motu* sat segnis, sole lucente vivacior. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque, mense Julio. *Larvae* verisimiliter in stercore vivunt. Feminae declaratae sanguinem animalium sugunt; masculi flores frequentant. *Sexus differt*; *mas*: oculis in fronte cohaerentibus, palpis horizontaliter porrectis; *femina*: oculis distantibus, palpis perpendiculariter exsertis. (Spec. Scand. 1, Faunae nostrae communis; a *Tabano*, antennarum articulo primo longiori, ultimo subulato, et tibiarum intermediarum calcaribus minutis; a *Chrysope*, antennarum articulo medio breviori, alarum nervo furcato appendiculato, et ocellis nullis; et ab utroque, antennarum articulo ultimo 4-annulato, alisque subdeflexis, nec horizontalibus, area angulari angulo acuto usque in summum marginem interiorem descendente, satis dignota.)

**1. H. pluvialis:** oculis pictis, nigricans, thoracis lineis, abdominis segmentorum margine maculisque duplici serie dispositis, cinereis, alis nebulosis, albo-punctatis. ♂♀.

*Mas:* obscurior, antennarum articulo basali crassiori, var. 1: oculis virescentibus supra medium brunneis, in medietate inferiori viridi striis 2, una marginali, altera undata, purpureis; et var. 2: oculorum dimidietate superiori grisea, inferiori viridi, lineis 3 purpureis, intermedia undulata.

*Fem.:* cinerascens, oculis graminei coloris, lineis 5, semper purpureis, intermediis 3 undulatis, irregularibus, media saepe interrupta; in copula.

FABR. Antl. 106. 1. FALL. Dipt. Sv. Taban. 9. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 2. 78. 1. T. 14. f. 8—16. ♂♀. *Taban. pluvialis* LINN. Fn. Sv. 1887. PANZ. Fn. 13. 23. ♀. Nordlandis et Finmarkis: *Blinning*.

Hab. in Lappon. sylvatica mense Julio sat freq.; ad Barrsele Lapponiae Umensis utrumque sexum praesertim vulgarem vidi; ad Dyroen Nordlandiae et ad Bossekop Finmarkiae plura individua mascula quoque legi. Feminae punctione valde molestae, pluvia instante inprimis vigentes. (Lapp.-Scan. vulgar.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 4 lin. longa. Antennae capite paullo longiores, articulo primo tertio duplo crassiori; saepissime nigrae; sed variant rarius articulo ultimo basi testaceo. Palpi albidi. Caput feminae cinereum, macula supra antennas transversa nigra, nitidissima, et supra hanc punctis 3 rotundis, medio minuto, atris opacis. Oculi hirti. Thorax in mare niger, vix vestigio linearum cinerascentium (in speciminibus Lapponicis), in femina dilutior, lineis albidis distinctis. Abdomen in mare nigrum, segmentorum margine albido, et basi macula laterali ferruginea. Alae cinereae, in mare obscuriores, in utroque sexu maculis et lineis albidis nebulosae, lineola stigmaticali nigra. Halteres albi, clava nigra. Pedes nigri, anticorum tibiis basi, posteriorum tibiis tarsisque annulis 3, albis.

## 9. Chrysops. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 48. FABR. LATR. FALL. MACQ. *Tabanus* LINN. DE GEER. PANZ.

*Corpus* majoris magnitudinis, circiter 4 lin. longum, oblongum, subpubescens. Antennae cylindricae, articulis 2 basalibus aequalibus, ultimo longiori, 5-annulato. Ocelli tres. Palpi exserti pilosi. Oculi nudi, in vivo metallice colorati, punctis lineisque nigris aut purpureis picti *). Alae horizontales, divaricatae, triangulum magnum cum corpore efficientes. Nervi ut in *Tabano* directi, at area angularis in summum marginem alae interiorem descendit, ibique subaperta. Tibiae intermediae calcaribus 2 minutissimis munitae. *Color* obscurus, pictura abdominis saepe rufa, alarumque albo-maculata. *Motu* haud agilis, at sole ardente volatu brevi et strenuo se prodit. *Habitatio* in sylvis, pascuis et pratis; mares in floribus saepe occurrunt, feminae homines infestant, nec facile depelluntur; a medio mensis Junii ad idem tempus sequentis Augusti vigent; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Metamorphosis* non rite cognita; secundum FABRICIUM larvae sub terra degunt. Ad ripam tamen lacus in caricetis et juncetis magnam individuorum copiam, quae nuper e nympha declarata videbantur, ipse semel vidi. Imagines feminae sanguinem animalium hauriunt, masculae in fruticum foliis versantur. *Differentia sexus* ut in *Haematopota*. (Spec. Scand. 8 (*Chrysope lugubri* Auctor. tantum ut mare *Chrysopis caecutientis* considerato), antennis cylindricis, articulis 2 inferioribus aequalibus, tertio 5-annulato, ocellis 3, oculis in vivo viridi-aureis, alarumque area angulari apice subaperta, dignotae).

**1. C. caecutiens:** niger aut nigro-fuscus, abdominis basi rufa- vel flavo-maculata, pleuris fulvo-hirsutis, antennis, palpis pedibusque totis, nigris. ♂♀.

*Mas:* ater, alis concoloribus, sinu unico apicali albo, abdominis segmentis secundo macula utrinque laterali rufa, oculis (in vivo) aureo-viridibus, punctis 5 irregularibus et margine postice, purpureis.

*Fem.:* nigro-fusca, alis concoloribus, sinubus duobus, uno apicali, altero basali, albis, abdominis segmentis basalibus 1 et 2 flavis, in medio lineis 2 basi confluentibus nigris, oculis (in viva) viridibus, punctis 5 irregularibus et horum quibusdam interdum confluentibus, margineque postico, purpureis.

FABR. Antl. 110. 1. ♀. FALL. Dipt. Sv. Taban. 9. 1. (sub qua vero plures species latent). MEIG. Dipt. 2. 67. 2. ♂♀. *Taban. caecutiens* LINN. Fn. Sv. 1888. ♀. *Tabanus lugubris* LINN. l. c. 1889. ♂. *Chrysops lugubris* FABR. Antl. 113. 9. ♂. FALL. l. c. 11. 3. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Femina 4½ lin. long., mas plerumque paullo minor. Hypostoma griseo-flavum, maculis 2 magnis nitidis atris, et in fronte feminae etiam 2 ejusdem coloris, prima supra antennas et altera versus occiput. Thoracis dorsum in ♀ antice lineis 2 griseis. Halteres in utroque sexu nigri. Metatarsus pedum posteriorum testaceus.

**2. C. relictus:** nigricans, antennis, palpis pedibusque concoloribus, tibiis testaceis, abdominis segmentis 1 et 2 rufis, macula media gemina nigra, reliquis nigris, margine sinuatim ferrugineo aut cinereo. ♂♀.

*) Pictura oculorum in hoc genere paullo ludit, in diversis nempe individuis ejusdem speciei saepe paullo diversa, ita ut notae pro speciebus dignoscendis non nisi vacillantes exinde eliciantur.

*Mas*: niger; alarum sinubus 2 angustioribus albis, pectoris lateribus flavo-hirtis, abdominis segmentis 1 et 2 lateribus rufo-ferrugineis, reliquis margine sinuatim ferrugineis, quae pictura tamen vix seriem macularum triangularium in dorso format; oculis aureo-viridibus, maculis 4 cupreis, mediis in lineam cohaerentibus.

*Fem.*: nigro-fusca, alarum sinubus 2 latioribus albis, pectoris lateribus griseo-hirtis, abdominis segmentis 1 et 2 flavis, lineis duabus nigris basi cohaerentibus, reliquis segmentis margine sinuatim glauco-cinereis, unde series macularum trigonarum longitudinaliter in medio dorsi formatur; oculis aureo-viridibus, maculis et lineis irregularibus, interdum in disco interiori, interdum versus occiput locatis, brunneis aut purpureis, interdum denique obsoletis, relicta tantum uno alterove puncto purpureo.

MEIG. Dipt. 2. 69. 3. ♂♀. MACQ. Dipt. Gall. Taban. 166 2. *Chrys. viduatus* FABR. Antl. 113. 10. FALL. Dipt. Sv. Taban. 10. 2. ♂♀. (exclus. var. β.). *Tabanus caecutiens* PANZ. Fn. 13. f. 24? ♀. (an figura PANZERI, male delineata, ad hunc vel ad *Chrys. caecutientem* nostrum rectius sit referenda, difficile est dictu).

Hab. in Lapponia, vulgaris; mares ad Badstutraesk Lapponiae Umensis die 30. Jun., et feminae ad Åsele et Wilhelminam Lapponiae etiam Umensis, ut et ad Turtolam Lapponiae Tornensis, nec non in Gamsttind Nordlandiae, dieb. 27. Jul. — 25. Aug. frequenter visi. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo praecedentis eique similis. Caput ut in illo. Antennae et palpi in speciminibus lapponicis plerumque tota nigra, illarum articulo primo et ultimo basi interdum fusco-testaceis, et tunc etiam palpis ejusdem coloris. Lineae thoracis 2 griseae in feminis sat distinctae. Halteres in utroque sexu nigri. Pedes nigri, anticorum tibiis basi, posteriorum tibiis totis et metatarsis, testaceis.

**3. C. nigripes**: nigricans, antennis, palpis pedibusque nigris, abdominis segmentorum margine tenuiter, serieque dorsali media macularum trigonarum, glaucis. ♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi tantum in inferalpinis Finmarkiae ad Bossekop haud longe a Nord-Cap d. 8. Aug. 1821 unicum individuum inveni. (Lappon. septentrional.)

*Fem.* *Chrys. relicto* affinis et similis, sed duplo fere minor, alarum sinubus latioribus, albidioribus, abdominis pictura et pedum colore diversus. A. *Chrys. sepulchrali*, cui etiam similis ejusque magnitudine, pictura abdominis differt. Caput ut in priori. Oculi aureo-virides, maculis seu punctis 3 in disco interiori purpureis. Thoracis dorsum nigrum, nitidum (in paullo detrito), lineis subquatuor glaucis, mediis distinctis. Pleurae pectoris latera) fasciculo pilorum fulvorum. Abdomen nigrum, subnudum: in extimo latere segmenti primi utrinque macula parva flavo-pellucida, quae etiam in segmentum secundum paullo extenditur; segmenta 2 — 7 margine summo glauco, et serie macularum trigonarum, versus anum sensim evanescentium, ejusdem coloris; segmentorum ventralium margines etiam albi. Alae albo-hyalinae, costa et fasciis duabus, exteriori latiori transversa, nigro-brunneis. Halteres et squama nigro-fusca. Pedes nigri, metatarso postico subtestaceo.

**4. C. quadratus**: nigricans, antennis palpisque concoloribus, tibiis testaceis, abdominis segmentis 1 et 2 flavis, macula media quadrata nigra, reliquis nigris, margine summo rufo-flavo. ♂♀.

*Mas*: niger, thoracis vitta dorsali fusca, alis brunnescentibus, sinu apicali et macula basali albo-hyalinis, pedibus nigris, intermediorum tibiis et posteriorum metatarsis testaceis.

*Fem.*: mari similis, nigricans, alis brunnescentibus, sinubus duabus albo-hyalinis, pedibus nigris, omnium tibiis et posteriorum metatarsis flavo-testaceis.

MEIG. Dipt. 2. 70. 5. ♂. MACQ. Dipt. Gall. Taban. 167. 4. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica rarius; in sylva betulina ad Alteidet et in Gamsttind Nordlandiae pauca specimina 30—31. Jul. legi. (Lapponia; Ostrogothia; Scania, passim.)

*Mas* et *Fem.* *Chrys. caecutienti*, cujus marem hunc esse olim credidi, affinis et similis, sed paullo minor, lineis duabus in abdominis basi, in maculam quadratam confluentibus, et tibiis testaceis, diversus. Masculi quoque harum specierum genuini inter se valde discrepant. Caput ut in *Chrys. caecutiente*. Antennae et palpi nigra. Oculi (in mare vivo pictura a me non annotata) in femina viva aurei, punctis in disco 2 transversim positis, nigropurpureis. Thorax niger, lateribus flavo- aut griseo-pubescens. Abdomen ut in diagnosi coloratum, in utroque sexu similiter, in mare vero flavedo segmenti secundi in tertii latus utrinque etiam saepe extenditur. Halteres et squama nigro-fusca. Pedes nigri, tibiis testaceis.

**5. C. sepulchralis**: niger, antennis, palpis pedibusque concoloribus, abdominis segmentorum margine pallido-ciliato. ♀.

FABR. Antl. 113. 12. FALL. Dipt. Sv. Taban. 12. 4. ♀. MEIG. Dipt. 2. 74. 10. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, mense Julio visus. (Lappon.-Scania rar.)

*Fem.* Parvus in hoc genere, longitudinem circiter 4[1] linear. tantum attingens. *Chrys. nigripedi* (No. 3) similis et affinis, sed paullo nigrior, et abdominis pictura ab illo praesertim distinguitur. Caput ut in illo. Oculi laete virides, maculis 3 l. 4 in cantho interiori purpureis. Thorax dorso lineis subquatuor cinereis, 2 intermediis distinctioribus. Abdominis segmenta margine pallide et tenuiter ciliata, sed macularum trigonarum in medio vestigio nullo. Alae albo-hyalinae, costa et fasciis duabus, exteriori latiori transversa, brunneis. Squama et halteres fusco-nigra. Pedes toti nigri.

*Obs.* MEIGENI *Chrys. pictus* et *rufipes*, in Scania meridionali lecti, in Lapponia vix occurrunt, mihi saltem ibi non obvii.

---

b) Antennarum seta terminali.

## FAM. 5. ANTHRACIDES. FALL. (*Anthracii* LATR. *Bombyliarii* MEIG. MACQ.)

Antennae porrectae, breviusculae, prope ad os insertae, triarticulatae, articulo ultimo haud annulato. Os proboscide retracta. Ocelli 3. Corpus medium, hirsutulum. Abdomen segmentis 7. Alae expansae aut divaricatae. Pedes simplices spinulosi. — *Larvae* in terra degunt, radices plantarum consumentes. *Pupae* sub lapidibus inventae. *Imagines* locis aridis versantur, mel florum appetentes. *Sexus differt*; *mas*: genitalibus hamatis, absconditis, ano obtuso, oculis in fronte magis vel minus approximatis; *femina*: ano acutiori, oculis in fronte magis vel minus distantibus.

---

### 10. Anthrax. SCOP.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 59. FABR. PANZ. LATR. FALL. MACQ. *Nemotelus* DE GEER. *Musca* LINN.

*Corpus* magnum, obtuse ovatum, subdepressum, hirsutum. Antennae breves, remotae, articulo 1 cylindrico, ultimo (in nostris) subgloboso, seta terminali crassiuscula. Caput subhemisphaericum, thoraci petiolo tenuissimo setiformi adfixum, eique arcte applicatum, facillime decidit. Oculi postice excisi, in viva brunnei, aeneo-micantes, unicolores. Hypostoma pubescens. Alae expansae. Nervi longitudinales 4, praeter aream angularem apice non arcte conclusam, ad marginem interiorem descendunt. Nervus tertius quartusque longitudinalis ad apicem alae valde curvati. Pedes gracillimi. *Color* (in nostris) niger, pictura saepe punctis aut fasciis nivea. *Motu* celerrima; volatu velocissimo a loco, ubi sedem habuit, perterrita aufugit; captu inde difficillima *Habitatio* in pascuis et locis aridis; in saepibus, parietibus, soli expositis, etiam in terra, rarissime in floribus, sedens, mens. Junio et Julio viget; per partem tantum sylvaticam Lapponiae; nec in alpibus aut in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae hanc unquam vidi, frigori impatientissimam. Plerasque species ova in terra arenosa (corpore scilicet fere perpendiculariter erecto vaginaque anali elongata in arena emissa) deponere saepe observavi. Igitur „Larvas in terra uliginosa metamorphosin subire" immerito statuit FALL.; nec „imagines juxta aquas stagnantes" versari vidi. „Larvas in ligno putrido vivere" dicit MEIGEN, quod tamen vix credibile mihi videtur. *Differentia sexus* aegre investigatur; oculi vero in fronte *feminae* paullo latius distant, hujusque anus saepe paullo magis acuminatus, quam *maris* deprehenditur. (Spec. Scand. 9, antennis basi remotis, nec approximatis, articulo ultimo subrotundato, alis expansis, nervis longitudinalibus tantum quatuor, praeter aream angularem non arcte conclusam, marginem interiorem attingentibus, et nervis longitudinalibus tertio quartoque ad apicem alae parum curvatis, a *Thereva* mox dignotae.)

**1. A. sinuata**: atra, abdomine fasciis interruptis niveis, alis halteribusque fusco-nigris, illis apice oblique dimidiatim hyalinis, nervo apicali nigredine cincto. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Anthracid. 6. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 2. 159. 28. MACQ. Dipt. Gall. Bombyl. 59. 4. Tab. 2. f. 1. ala. *Musca morio* LINN. Fn. Sv. 1784. *Anthrax morio* FABR. Antl. 120. 9. *Nemotelus morio* DE GEER Ins. 6. 192. t. 11. f. 13.

Hab. in Lapponia sylvatica locis apricis, aridis, passim;

ego illam ad Öfver-Torneå et Muonioniska Lapponiae Tornensis seu septentrionalis, ut et in sylvaticis ad Stensele et Lycksele Lapponiae Umensis seu meridionalis, 4. Jul. — 2. Aug. haud infrequenter vidi. Sub lapide loco montoso ad Hamrangeberg Gestriciae inveni etiam pupas 7 vel 8, singulam circiter 6 lineas longam, cylindricam, paullo incurvam, livido-pellucidam, multiannulatam, et in singulo annulorum 4 mediorum in dorso serie duplici denticulorum brevissimorum basi connexorum; subtus inprimis fasciculis pilorum praeditam et antice corona e dentibus 6, subulatis, nigro-brunneis ornatam. Ex his pupis intra folia Betulae nanae, in formam cylindrorum conglomerata, occultis et die 14. Maji captis, deinde diebus sequentium mensium 25. Jun., 6. Jul. et 2. Aug. imagines declaratas provenire vidi (Lappon.-Suecia media, Ostrogoth., Gottlandia freq,; Scan. rariss.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo valde variat, 3—6 lin. longa. Atra. Caput antice hirsutum. Oculi in viva nigro-brunnei, parum aeneo-micantes. Abdomen depressum, ad basin utrinque in regione halterum fasciculo pilorum niveorum; in segmentis 3—7 (in 3, 4 et 7 evidenter) fasciae interruptae e pilis squamiformibus facile devellendis, ad latera tenacius adhaerentibus, formantur. Alae nigrae, apice dimidiatim oblique et inaequaliter hyalinae, nervo apicali ad costam flexo, nigredine magis vel minus cincto, interdum puncto tantum unico fusco relicto.

**2. A. morio**: atra, collari regioneque halterum fulvo-villosis, alis dimidiato-hyalinis, halteribus albidis. ♂♀.

PANZ. Fn. 32. f. 18. (exclus. Syn. DE GEER). FALL. Dipt. Sv. Anthr. 7. 2. certe. ♂♀. LATR. Gen. Crust. 4. 208. *A. afra* FABR. Antl. 122. 15. *A. semiatra* MEIG. Dipt. 2. 157. 25. (exclus. Syn. LINN. *Musca morio*). MACQ. Dipt. Gall. Bombyl. 58. 3.

Hab. in Lapponia secundum collectiones in Suecia septentrionali factas; mihi nec in Lapponia, nec in provinciis adjacentibus viva obvia. (Lapponia? Suecia media Ostrogothia, Gottlandia freq.; Scania rarius.)

*Mas* et *Fem.* Variat ut praecedens 2—6 lin. longa. Atra. Collum et regio sub alis fulva. Alae atrae seu saturatius magisque determinate nigrae quam in priori, et apice latius aqueae, ibidemque nervis omnibus immaculatis. Halteres albidi, clava basi fusca.

**3. A. maura**: atra, collari regioneque halterum flavo-villosis, thoracis vitta laterali abdominisque segmenti primi et quarti margine, niveo-pilosis, alis nigris, margine interiori hyalino bisinuato, halteribus albidis. ♂♀.

FABR. Antl. 121. 12. FALL. Dipt. Sv. Anthr. 7. 3. ♂♀. PANZ. Fn. 32. f. 19. *Musca maura* LINN. Fn. Sv. 1785. certe. *Nemotelus maurus* DE GEER Ins. 6. 191. t. 11. f. 11. *Anthr. bifasciata* MEIG. 2. 156. 24.

Hab. in Lapponiae meridionalis sylvaticis arenosis!, rarissime. (Lapponia; Suecia media, Ostrogoth. frequentiss.; Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Praecedentibus plerumque paullo minor, magnitudine tamen valde ludit, a 1¹ usque ad 5 lin. longa. Atra. Collum et regio halterum in illaesis individuis flava. Lineae thoracis laterales et fasciae abdominis duae, niveae; hae adtactu facile develluntur, illae tenacius adhaerent. Anus albo-pilosus. Alae saturate nigrae, margine interiori sinuatim hyalino; maculae aliquot fusco-pellucidae, obsoletae in disco alae juxta nervos transversos saepe perspiciuntur. Halteres albidi, clava nivea, basi fusca.

**4. A. fenestrata**: nigricans, scutello rufescente, collari fulvo-villoso, abdominis medio fasciis duabus interruptis niveis, alis dimidiato-fuscis, maculis hyalinis, halteribus albidis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Anthr. 8. 4. ♂♀. MEIG. Dipt. 2. 169. 43. *Asilus morio* LINN. Fn. Sv. 1917. *Anthr. nigrita* var. italica Mus. FABR. teste MEIG. l. c.

Hab. in Lapponiae sylvaticae arenosis rarius, ad Haparanda et Muonioniska Lapponiae Tornensis specimina quaedam anno 1821 sub itinere meo Lapponico vidi, ova in arena deponentia. (Lapponia, Bothnia borealis, Neder-Calix; Suecia media ut ad Wadstena Ostrogothiae, passim; Scania rarissime; valde timida et cauta, captu omnium difficillima.)

*Mas* et *Fem.* Prioribus fere major, nec magnitudine multo varians, circiter 5—6 lin. longa. Nigricans. Antennae fuscae, apice conicae. Collum fulvo-villosum. In pleuris ad originem alarum fasciculus pilorum niveorum. Regio halterum, fasciae 2, in medio interruptae, in abdominis segmentis 3 et 4, anusque, albo-pilosa. In abdominis dorso postico pubescentia ferruginea fugax saepe adest. Scutellum plerumque ferrugineum s. rufum. Alae nigro-fuscae, margine interiori versus apicem latius inaequaliter hyalino, et in disco atque ad costam maculis 3 vel 4 hyalinis, quae tamen vix fascias formant, ut in figura MEIGENI. Halteres albi, clava basi fusca. Pedes nigri, femoribus ferrugineo-squamulosis, genubus tibiisque praesertim anticis saepe obscure testaceis.

*Obs.* *A. flava* MEIG. (A. hottentotta FALL.) *A. circumdata* MEIG. (A. hottentotta var. FALL.), *A. cingulata* MEIG. nec non *A. aethiops* MEIG. FALL., et *A. varius* MEIG., in Sveciae inferioris aridis plus minus frequenter occurrunt, in Lapponia hactenus non inventae, quantum novi.

*Obs.* *Lomatia* (Stygia olim) *lateralis* MEIG. (Anthr. Belzebul PANZ.), huic Familiae subjecta, in Oelandiae campis nuper ab oculatissimo nostro BOHEMAN detecta, in Lapponiae desertis frustra quaesita.

## 11. Thereva. LATR.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 54. LATR. MACQ. *Musca* LINN. *Nemotelus* DE GEER. *Bibio* FABR. PANZ. FALL.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, cylindrico-conicum, villosum. Antennae longitudine capitis, basi remotae, articulo 1 cylindrico, 2 cyathiformi, minimo, ultimo elongato-conico, seta terminali, brevi, filiformi. Caput subtransverso-rotundatum, thoraci non arcte applicatum, antice plerumque villosum. Oculi integri in viva virescentes, unicolores, in mortua brunnei. Alae subincumbentes. Nervi longitudinales 5, praeter aream angularem apice conclusam, ad marginem interiorem extenduntur; horum 4 et 5, aream alteram, areae angulari proximam, formant acutam. Nervus tertius quartusque longitudinalis ad apicem alae parum curvatus. (Cfr. MACQ. Dipt. Gall. septentr. Xylotom. Tab. 2. f. 2.). Pedes mediocres tibiis spinulosis. Tarsi bipulvillati. *Color* obscurus, pictura fasciata. *Motu* celerrima, volatu scilicet acri, brevi. *Habitatio* in foliis fruticum, et in arenosis aridis, ibique ipsi terrae plerumque insidens; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque; ipsas tamen alpes nivales aufugit. *Larvae* in terra degunt, 20-annulatae, serpentiformes; *pupae* nudae, subcylindricae, multi-annulatae, vix setis vestitae, pallidae, antice corniculis 2 subulatis instructae, sub lapidibus in campis arenosis initio mens. Julii a me aliquoties inventae. *Differentia sexus* colore pubescentiae, oculorumque connectione in *mare*, vel distantia in *femina*, ut in specierum descriptione indicatum, facile detegitur. (Sp. Scand. 12, corpore cylindrico-conico, antennarum articulo ultimo elongato-conico, oculis integris, alis subincumbentibus, nervis longitudinal. 5, praeter aream angularem acutangulam, marginem interiorem attingentibus, nervisque tertio quartoque longitudinalibus ad apicem alae parum curvatis etc., ab *Anthrace* et *Lomatia* dignotae.)

a) hypostomate pubescente.

**1. Th. nobilitata**: nigricans, ferrugineo-hirta, abdomine livido, segmentis basi atris ventre fusco, flavo-fasciato, tibiis testaceis, alis subflavescentibus, impictis. ♂♀.

*Mas*: oculis in fronte arcte cohaerentibus, hirsutie corporis longiori, obscure ferruginea;

*Fem.*: oculis distantibus, macula frontali supra antennas transversa, didyma, atra, nitidissima, hirsutie corporis breviori et albidiori, quam in mare; in copula.

MEIG. Dipt. 2. 116. 1. ♂♀. *Bibio nobilitata* FABR. Antl. 67. 6. ♀. *Nemotelus hirtus* DE GEER Ins. 6. 187. 9. *Bibio plebeja* FALL. Dipt. Sv. Anthrac. 4. 1. (exclus. Syn. LINN. Fn.) ♂♀.

Hab. in Nordlandiae et Finmarkiae betuletis passim; a me ad Björkvik juxta Ofotenfjord, et ad Talvig prope Alten, 14. Jul. — 2. Aug. uterque sexus captus; in Lapponiis Suecicis non nisi rarissime occurrit, et in regionibus alpinis vel subalpinis a me nunquam visa. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* 6. lin longa. Nigro-fusca. Caput flavo-villosum, pilis supra antennas praesertim in mare nigris. Frons in femina, uti etiam in reliquis speciebus, nudiuscula. Antennae nigrae, articulo primo nigro-piloso. Oculi in viva viridi-aenei, in ♀ laetiores, in ♂ magis aenei. Thoracis dorsum in ♀ vix lineatum. Abdomen lividum, segmentis basi atris summo margine apicali flavo, in ♂ longe fusco-hirsutum, in ♀ pilis depressis flavis nitidis parcius tectum, anoque in ♀ elongato nitido. Alae livido-hyalinae, nervis praesertim in ♀ ferrugineis; de cetero immaculatae. Halteres fusci, stipite albido. Pedes nigri, pallide pubescentes, tibiis tarsisque tastaceis, illis femoribusque posticis subtus, nigro-spinosis. Variat tamen tarsis praesertim anticis nigris.

**2. Th. plebeja**: nigricans, obscure hirta, abdomine nigro, segmentorum margine albido, tibiis testaceis, alis subhyalinis, nervis subinfuscatis. ♂♀.

*Mas:* obscurior, hirsutieque longiori, nigriori, oculis in fronte connexis;

*Fem.:* magis cinerascens, hirsutie breviori, pallidiori, oculi

distantibus, macula frontali magna, obcordata, atra, nitidissima; thorace cinereo-bivittato; in copula.

MEIG. Dipt. 2. 117. 3. ♂♀ *Musca plebeja* LINN. Fn. Sv. 1779. *Bibio plebeja* FABR. Antl. 66. 3. ♀. *Bibio strigata* FABR. Antl. 67. 8. ♂. *Bibio rustica* FALL. Dipt. Sv. Anthr. 4. 2. (exclus. Syn. PANZ.) ♂♀.

Hab in Lapponia passim; haec species longius, quam prior, versus alpes procedere videtur; individua scilicet mascula a D. FRIGELIO inter lacum Kilpisjaur (ad radicem jugi alpini Tornensis situm) et urbem Tromsoe Norvegiae, ut etiam a D. DAHLBOM in Stoettingsfjellet Lapponiae Umensis d. 1. Aug. anno 1832 capta. (Lapp.-Scan. freq.)

***Mas.*** et ***Fem.*** Magnitudo et summa praecedentis similitudo, sed ab illa differt: hirsutie obscuriore, fasciis abdominis albidioribus, nervis alarum magis fuscis, feminarumque thoracis vittis distinctioribus, maculaque frontali majori, magis cordata; nec promiscue copulantur. Hypostoma maris fuscum, griseo-pilosum, hirsutie supra antennas nigra; feminae cinereum, albo pilosum, pilis supra antennas in fasciam nigram dispositis. Oculi in utroque sexu aenei. Abdomen nigrum, incisuris supra et subtus albidis. Alae sordide hyalinae, nervis obscuris et praeprimis transversis fuscedine cinctis, ita ut maculae fuscae hic illic in disco alae formentur, interdum obsoletae. Linea stigmaticalis fusca distincta. Halteres et pedes ut in priori.

**3. Th. lanata**: nigricans, cinereo-hirta, thorace cinereo-bivittato, abdomine nigro, segmentorum margine albido, tibiis testaceis, alis albo-hyalinis, immaculatis, linea stigmaticali fusca distincta.

Hab. in Lapponia minus frequens; in monte subalpino Stoettingsfjellet Lapponiae Umensis unicum individuum d. 1. Aug., et alterum ad Stensele ejusdem Lapponiae d. 4. Jul. vidi; in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Björkvik et Evenaes d. 14—20 Jul. paullo frequentius legi. (Lapponia.)

*Mas.* Magnitudo et affinitas praecedentis, a qua hirsutie albido-cinerea, thorace evidenter vittato alisque magis albido-hyalinis, immaculatis, differt. Caput ut in priori. Thorax fuscus, dorso obscure hirsuto, vittis 2 cinereis; subtus cum pleuris sat longe et dense albo-villosus. Abdominis segmenta basi late atra, nitida, deinde cinerea, et summo margine determinate albo, unde fasciae quasi duplicatae formantur. Abdomen totum, praesertim ad latera et subtus albo-hirsutum; nigredo tamen dorsi (in individuis bene conservatis) pilis nigris vestitur. Alae hyalinae, omnino immaculatae; nervis obscuris et linea stigmaticali nigricante distinctis. Halteres nigro-fusci, stipite pallidiori. Pedes nigri, cinereo-pubescentes, tibiis nigro-spinulosis tarsisque testaceis.

**4. Th. vetula:** nigra, subtus cinereo-hirsuta, thoracis dorso cinereo-bivittato, abdomine atro nitido, segmentorum margine albido, tibiis testaceis, alis hyalinis, immaculatis, linea stigmaticali fusca distincta. ♀.

Hab. in Lapponiis Umensibus rarius; individua simul tria, scilicet ad Badstutraesk 29. Jun. unicum, in silva ad Stensele 4. Jun. unicum, et denique ad Asele 27. Jul. etiam unicum, observavi. (Lapponia meridionalis.)

***Fem.*** Simillima ***Th. lanatae***, cujus femina forsitan est, sed quoniam hirsutie rariori, abdomine nitidiore, alis magis hyalinis, et magnitudine saltem dimidio majori deprehenditur, nec in copula cum priori inventa, ut distinctam speciem pro ulteriori examine propono. Caput cinereum, albido-hirsutum, pilis aliquot nigris supra antennas et in occipite instructum. Frons ferruginea, macula magna obcordata, interstitium fere totum medium occupante, atra nitidissima. Thorax brunneo-niger, dorso lineis 2 mediis glauco-cinereis, distinctis, et 2 lateralibus ejusdem coloris, obsoletis, omnibus in scutello cinereo desinentibus. Pleurae griseo-hirtae. Abdomen atrum, parum pubescens, ut in praecedente pictum, ano ferrugineo-fimbriato. Alae valde hyalinae seu pure aqueae, ipsis tamen nervis et linea stigmaticali, nigris, basi pallidioribus. Halteres et pedes ut in antecedente.

**5. Th. lunulata**: nigricans, cinereo-hirta, thorace immaculato, abdomine cano, segmentis mediis basi macula lunata atra, tibiis testaceis, alis hyalinis immaculatis, linea stigmaticali fusca. ♀.

Hab. in serie alpium Norvegicarum, quae Dovre vocatur, a Dom. BOHEMAN 1832 detecta, mense Julio lecta. (Lapponia Norvegica.)

***Fem.*** Magnitudo et iterum summa ***Th. lanatae*** similitudo, sed thorace immaculato, abdominis pictura et alis pure hyalinis distincta. Antennae cinereae, articulo ultimo nigro. Caput canum, hypostomate argenteo-villoso. Oculi modice distantes interstitio frontali brunnescenti griseo, macula nitida nulla. Thorax subtus albido-villosus, dorso fusco-cinereo, non vittato. Abdomen albo-cinereum, segmentis 2—5 basi macula semilunata atra, in segmento 2do magna, sua basi ad latera abdominis extensa, et apice marginem exteriorem fere attingente; in segmentis vero reliquis macula eadem sensim diminuitur, donec in segmento sexto omnino evanescit. Alae aqueae, stigmate fusco. Halteres obscuri, certo situ cinerascentes. Pedes testacei, coxis femoribusque cinereis, tibiarum tarsorumque apice nigricante.

**6. Th. fuscinervis**: nigricans, griseo-hirta, thorace cinereo-bivittato, abdomine nigro, segmentorum margine albido, tibiis testaceis, alis albidis juxta nervos distincte infuscatis. ♂♀.

***Mas:*** capite griseo, cinereo-hirsuto, pilis supra antennas et in occipite nigris, oculis in fronte connatis.

***Fem.:*** capite griseo, cinereo-hirsuto, pilis supra antennas et in occipite nigris, oculis distantibus, macula magna subtriangulari, interstitium frontale in medio fere totum occupante, atra nitidissima; in copula.

Hab. in Finmarkiae inferalpinis passim; ad Alten, in silva ad Bossekop atque in monte subalpino Skaaddavaara, d. 4 7. Aug. 1821, utrumque sexum etiam in copula inveni; unicum tantum individuum femineum ad Karesuando Lapponiae Tornensis Suecicae d. 15. Aug. legi. (Lapponia septentrionalis.)

*Mas.* et ***Fem.*** Magnitudo ***Th. lanatae*** eique valde similis; ab illa vero, hirsutie ut videtur breviori et rariori, colore picturaque alarum determinata, loco natali ut et copulatione tantum inter similes observata, aperte differt. Ceterae notae in utramque speciem congruunt. Macula frontalis feminae atra antice parum emarginata. Oculi in utroque sexu vivo obscure brunnei, aeneo-submicantes.

**7. Th. anilis:** fusco-grisea, antennis fusco-pilosis, thorace pallide bivittato, alis albidis, nervis subinfuscatis, abdomine maris argenteo-villoso, pedibus totis in femina, tibiisque in mare, testaceis. ♂♀.

***Mas:*** oculis aeneis, in fronte arcte cohaerentibus, thorace griseo-tomentoso, abdomine sericeo-argenteo, segmentis 2—6 summo margine albis, femoribus nigris.

***Fem.:*** oculis ferrugineis, aeneo-micantibus, late distantibus, interstitio frontali transversim et interrupte crenulato, abdomine fusco-griseo, segmentis 4—7 summo margine, pedibusque totis, testaceis; in copula.

MEIG. Dipt. 2 125. 16. ♂♀. ***Musca anilis*** LINN. Fn. Sv. 1791. ♂. certe. *Bibio anilis* PANZ. Fn. t. 25. f 5. ♂. (figura male delineata oculisque immerito distantibus). FABR. Antl. 68. 13. ♂. FALL. Dipt. Sv. Anthrac. 5. 3. Var. α. ♂ certe, var β. ♀. *Bibio flavipes* FABR. Antl. 67. 4. ♀. *Bibio sordida* PANZ. Fn. t. 98. f. 19. ♀. (alis nimis coloratis).

Hab. in arenosis Lapponiae sylvaticae passim; ad Lycksele Lapponiae Umensis 20—26 Jun. copulatam vidi; e Torneå a D. DEUTSCH communicata (Lappon.—Scania freq.).

***Mas*** et ***Fem.*** ♂ 5, ♀ 5½ lin. long. Grisescens. Hypostoma cinereo-villosum. Antennarum articulus primus incrassatus, fusco-pilosus. Interstitium frontale feminae macula nigra nulla notatum, unde a praecedentibus facile dignoscitur. Thorax griseo-fuscus, in ♂ longe, in ♀ breviter, livido-hirsutus. Halteres albi, clava basi fusca. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* ***Ther. annulata*** (***Bibio annulata*** FALL.), in Suecia inferiori frequens, in Lapponia hactenus non inventa, quantum mihi cognitum habeo.

b) hypostomate subnudo.

**8. Th. imberbis:** nigricans, parum pilosa, capite subnudo, thoracis lineis 2, segmentorumque margine, albis, alis hyalinis, linea stigmaticali nigricante, pedibus obscure testaceis, abdomine in mare, hypostomateque in utroque sexu, argenteis ♂♀.

***Mas:*** oculis in fronte arcte cohaerentibus, canescens, abdomine sericeo-argenteo.

***Fem.:*** oculis distantibus, interstitio frontali atro, nitido, interdum transversim substriato, nigra nitida, thoracis vittis 2 dorsalibus angustis, scutelli margine, pectore abdomineque argenteo-squamosis; in copula.

MEIG. Dipt. 2 128. 20. ♂♀. *Bibio imberbis* FALL. Dipt. Sv. Anthrac. 5. 5. ♀. Platypezin. 11. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponiae fruticibus passim; procedit usque ad regionem alpinam et ad Umenaes Lapponiae Umensis d. 7. Jul. 1832, nec non inter Alten et Kautokeino Finmarkiae 10—13 Aug. 1821, etiam in copula parce legi. ((Lappon.—Wermlandia, Ostro- et Westrogothia rar., nec longius versus meridiem eam descendere observavi).

***Mas*** et ***Fem.*** 3 vel 3¹ lin. long. (***Bibioni*** (***Therevae***) ***annulatae*** FALL. subsimilis, sed paullo minor, nuditate capitis, feminae colore nigro (nec cano), ut et fronte nigra (nec brunnea) aperte distincta. Caput fere nudum seu glabrum, barba menti brevi alba. Thoracis dorsum in ♂ canum, in ♀ atrum, lineis 2 in utroque sexu albis, et pectore argenteo. Anus ater. Halteres nigricantes, clava fusca. Pedes nigri, argenteo-submicantes, tibiis basi late obscure testaceis, nigro-spinulosis.

Var. ♀. abdomine toto nigro; forte detrita.

**9. Th. lapponica**: nigricans, parum pilosa, capite subnudo pedibusque nigris, thoracis lineis 2, abdominisque segmentis margine, albis, alis fusco-hyalinis, linea stigmaticali obscura, abdomine in mare argenteo-micante. ♂♀.

*Mas:* oculis in fronte non cohaerentibus, corpore subhirsuto, hirsutie canescente, abdomine argenteo-villoso, segmentis margine undique et continue albis, alis parum infuscatis.

*Fem.:* oculis in fronte paullo latius distantibus, interstitio atro, nitido, ruguloso et punctulato, corpore nudiusculo atro, pectore canescente, segmentis margine interrupte albo-villosis, alis medio subinfuscatis.

Hab. in Lapponia rarius; feminam in trunco Pini ad Bossekop juxta Alten Finmarkiae haud longe a capite septentrionali (Nordcap) d. 5. Aug. 1821, et utrumque sexum ad Åsele Lapponiae Umensis d. 27. Jul. 1832, invenire mihi contigit. (Lapponia.)

*Mas* et *Femina* sine dubio ad unam eandemque speciem pertinentes, licet in copula non capti. Priori affinis et similis, sed duplo fere major, circiter utraque 5¹ lin. longa, et antennis basi pilosis, capite nigro, oculis etiam in mare distantibus, alis paullo fuscioribus et pedibus totis nigris, etc. abunde distincta. Caput nigrum, nudum, pilis occipitis nigris, et barba menti alba. Antennarum articulus primus cylindricus, pilosus, ultimus ovatus, subcompressus. Oculi obscure brunnei, aeneo-submicantes. Pleurae praesertim in mare albido-hirsutae. Abdomen in ♂ argenteo-villosum, segmentis omnibus albo-marginatis, in ♀ nudum atrum, nitidum, segmentis 2, 3, interdum etiam 4 ad latera marginis albo-villosis; variat etiam detritum totum nigrum. Alae hyalinae, fascia media lata obsoleta fusca, in mare vix perspicua. Halteres nigri, clava fusco-alba. Pedes nigri, cinereo-subpubescentes, tibiis spinulosis, posticis basi interdum piceis.

*Not.* Species haec pulchra et distinctissima, una cum *Thereva imberbi* et *Th. confini* Fall. propriam forte constituunt genus, cui nomen *Psilocephala* ob glabritiem capitis propono.

*Obs.* Meigeni *Ther. cincta* et *bipunctata*, prior tantum in Scania rarissime, posterior et in Ostrogothia et in Oelandia rarius, nec non in Scaniae campis arenosis apricis frequenter, capta, ambae locum inter *Th. plebejam* et *lanatam* in serie systematica tenentes, in Lapponia hactenus non visae fuerunt, quantum scio.

---

## FAM 6. LEPTIDES. Meig. Macq. (*Rhagionides* Latr. *Anthracides* Fall.)

Antennae porrectae, basi approximatae, articulo ultimo non annulato. Os proboscide palpisque sericeo-pilosis, prominentibus. Ocelli 3 in vertice. Corpus mediae aut minoris magnitudinis, elongatum, tenuiter pubescens. Abdomen segmentis 7. Alae divaricatae, nervis subquinis praeter aream angularem marginem interiorem attingentibus. Pedes elongati tenues, pubescentes, mutici, tibiis apice bicalcaratis. Pulvilli 3. *Larvae* cylindricae, apodae, capite parvo corneo, in terra degunt. *Pupae* cylindrico-conicae, nudae, posterius spinulosae. *Imagines* in foliis fruticum, in graminosis et truncis arborum versantur. *Differentia sexus: mas:* oculis in fronte conniventibus et ano obtuso; *femina:* oculis distantibus et ano acuto.

---

### 12. Leptis. Fabr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 51. Fabr. Panz. Fall. *Musca* Linn. *Nemotelus* de Geer. *Rhagio* *) Fabr. Cuvier. Panz. Latr.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, parum pubescens, elongatum, posterius attenuatum. Antennae breves, articulo ultimo conico aut subrotundato, seta apicali. Oculi in viva aenei aut virescentes, unicolores, in mortua brunnei. *Color* niger aut ferrugineus, pictura abdominis subfasciata. *Motu* volatu agilis: a loco, ubi sedem habuit, strenue at breviter avolat; mox ad eundem revertens. *Habitatio* in sylvis et pratis, saepibus, arborum truncis et foliis fruticum saepe insidens, flores rarius visitans; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larvae* 11—12-annulatae, in terra, fimo, sabulo, ligno putrido degunt. *Pupam* (*L. scolopaceae*) cylindricam, 11-annulatam, brunneam, nudam, segmentis 5 posticis serie denticulorum coronatis, haud raro vidi. *Imagines* aliorum insectorum praeda certe victitant, ut ipse observavi; mel florum quoque appetere dicuntur. *Differentia sexus; mas:* oculis conniventibus, ano obtuso; *femina:* oculis distantibus, ano acuminato. (Spec. Scand. 13, antennarum articulo ultimo conico aut subrotundato, et seta apicali ab *Atherice* dignotae, duo diversa genera palporum forma et directione nervorum in alis discrepantia, jure forsitan constituentes, ut etiam voluit D. Macquart.)

*) Nomen *Rhagio*, ob similitudinem cum *Rhagium* in Coleopterorum Ordine jam receptum, in Dipterorum rejiciendum.

a) Palpi conici, proboscidi incumbentes; area alarum angularis ad marginem alae saepius aperta. *Leptis* Macq.

**1. L. scolopacea**: cinerea, thorace fusco-vittato, abdomine testaceo, trifariam nigro-maculato, pedibus flavicantibus, alis fusco-nebulosis.

Fabr. Antl. 69. 1. Fall. Dipt. Sv. Anthrac. 10. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 89. 2. ♂♀. *Musca scolopacea* Linn. Fn. Sv. 1788. *Rhagio scolopacea* Panz. Fn. 11. 19. ♂.

Hab. in Lapponiis omnibus per partem sylvaticam a die 25. Jun. ad medium mensis Aug. in truncis arborum viventium et foliis fruticum, frequens, in copula saepe capta; procedit usque ad regionem subsylvaticam et subalpinam, et ad Stor-Uman Lapponiae Umensis atque Torneatrask Lappon. Tornensis parce vidi; in totius Nordlandiae et Finmarkiae inferalpinis usque ad Alten vulgaris occurrit. (Lappon.-Scan. frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* 6—7 lin. long. Antennae et palpi flavescunt. Oculi aeneo-virides, paullo obscuriores quam in *L. tringaria*. Abdominis maculae in serie dorsali sat regulares, ad latera lineam marginalem saepe formant. Anus in mare niger. Alarum area angularis ad marginem aperta. Halteres flavescentes. Pedes flavi, femoribus posticis versus apicem saepe annulo, tarsisque fuscis.

**2. L. tringaria**: flavescens, abdomine laetiori trifariam nigro-maculato, alis immaculatis, tarsis fuscis. ♂♀.

Fabr. Antl. 69. 2. Fall. Dipt. Sv. Anthrac. 10. 2. (exclus. Syn. Panz.) ♂♀. Meig. Dipt. 2. 91. 4. ♂♀. exclus. Syn. *L. Vanellus* Fall., quae distincta est species). *Musca tringaria* Linn. Fn. Sv. 1789. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et summa praecedentis similitudo, sed differt thorace magis flavescente et alis immaculatis. Oculi virides, paullo laetiores quam in priori. Thorax cinereo-flavus, in mare saepe grisescens, lineis pallidis obsoletis. Anus maris niger.

**3. L. lineola**: cinerea, abdomine flavo, maculis dorsalibus alarumque linea stigmaticali nigris, pedibus pallidis, femoribus anticis posticisque annulo apicali, tarsisque omnibus fuscis. ♂.

Fall. Dipt. Sv. Anthrac. 12. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 2. 94. 9. *Anthrax lineola* Fabr. Antl. 74. 6.

Hab. in Lapponiae sylvis et saepibus passim; ad Lycksele Lapponiae Umensis, Muonioniska Lapponiae Tornensis, ut et in sylva betulina ad Alteidet Nordlandiae, 1—17. Aug. legi. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* 3—4 lin. long. Caput laete cinereum. Oculi aenei, in mortua brunnei. Barba albida. Thorax laete cinereus, dorso obscurior, obsoletissime lineatus. Scutellum testaceum. Anus in mare nigricans. Alae immaculatae, lineola stigmaticali nigra distincta. Halteres pallidi. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* de Geeri ut et Falleni *Lept. annulata* et *maculata*, nec non *L. vanellus* Fabr., in Scaniae sylvaticis rarius obveniunt, in Lapponia haud visae.

b) Palpi cylindrici, erecti (proboscidi non incumbentes). Area alarum angularis ad marginem alae conclusa, angulum acuminatum formans. Antennarum articulus ultimus subrotundatus. Habitatio in foliis fruticum et in graminosis saepe in vicinitate paludum. Forte proprii generis. *Chrysopilus* Macq.

**4. L. atrata**: nigricans, aureo- aut atro-tomentosa, alis hyalinis macula costali halteribusque fuscis, tibiis testaceis. ♂♀.

*Mas:* ater opacus, parce nigro-hirtus, pilis aliquot aureis immixtis;

*Fem.:* nigricans, aureo-tomentosa, capite thoraceque cinerascentibus, hoc fusco-vittato; in copula.

Fall. Dipt. Sv. Anthrac. 13. 8. ♂♀. certissime. *Musca atrata* Gmel. Syst. Nat. 5. 2866. 323 *Atherix atrata* Fabr. Antl. 72. 1. ♂. *Atherix aurata* ejusdem 73. 4. ♀. *Atherix*

*tomentosa* ejusd. 73. 5. *Leptis aurata* Meig. Dipt. 2. 99. 16. ♀.; an etiam ♂?

Hab. in Lapponiae pratis paludosis rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* 3 — 4 lin. long. Antennarum articulus ultimus parvus, subconicus seu conico-rotundatus. Tomentum maris atrum; feminae aureum, facile deteritur, et tunc corpus illius nigrum, hujus griseum videtur. Alae amplae metallice nitent. Halteres nigri, petiolo albido. Pedes praesertim in mare interdum toti obscure testacei.

*Not.* Nomen „aurata" huic speciei impositum, sane ineptum, utpote feminae tantum adplicabile (si nostra species eadem sit ac Meigenii, de quo vix ac ne vix quidem dubitare possumus). Utcumque erit, tales mutationes nominum, nulla necessitate urgente factae, synonymiam tantummodo augent, scientiam obscurant difficilemque reddunt.

**5. L. nubecula:** obscure testacea, thoracis dorso, abdominis cingulis alarumque macula costali repanda, nigro-fuscis, scutello pedibusque flavis. ♂♀.

*Mas:* pectore fusco, thoracis dorso, abdominis cingulis alarumque macula costali nigro-fuscis;

*Fem.:* pectore testaceo, thoracis dorso, abdominis cingulis alarumque macula costali fuscis.

Fall. Dipt. Sv. Anthrac. 13. 9. vera. ♂♀. *Lept. bicolor* Fabr. Antl. 71. 8. ♀. *Lept. oculata* (*Atherix*) Fabr. Antl. 74. 7. ♂. *Lept. bicolor* Meig. Dipt. 2. 102. 21.

Hab. in Lapponia septentrionali, rarissime, mihi non obvia, sed a D. Deutsch e Torneå mecum benigne communicata. (Lapponia; Scania passim.)

*Mas.* et *Fem.* 3 — 3½ lin. long. Priori paullo minor gracilior, laetior. Parum pubescens, fusca. Palpi antennarumque basis testacea. Thoracis dorsum obscurum, pleuris in ♀ testaceis. Abdomen dorso nigricans, incisuris 5 anticis flavis, ventre livido. Halteres flavi, clava apice fusca. Reliqua ut in diagnosi.

**6. L. luteola**: lutescens, parce fulvo-tomentosa, thoracis dorso in femina fusco, in mare obscuriore, alis in utroque sexu macula costali dilatata, obsoleta. ♂♀.

Hab. in Lapponia septentrionali, rarissime, Collect. D. Deutsch, mihi in terris borealibus non obvia. (Lapponia; Ostrogothia et Scania in foliis Alni rar.)

*Mas* et *Fem.* 3—4 lin. long. Magnitudo, structura antennarum ceterarumque partium ut et pubescentia omnino ut in *L. atrata*, a qua etiam minime genere est separanda, nam ab ea parum nisi colore differt. Affinis quoque et similis *L. nubeculae*, sed ab illa colore magis lutescente, vestitu nitido, abdomine toto luteo, et alarum macula magis dilatata, saepe valde obsoleta, differt.

**7. L. obscura**: nigra aut fusca, alis hyalinis, basi concoloribus, antennarum articulo primo brevi, ultimo ovato. ♂♀.

*Mas.:* totus niger immaculatus, subpilosus, alis fumato-hyalinis;

*Fem:* fusca aut griseo-fusca, parum pubescens, thorace subvittato; alis hyalinis.

Var. a. ♂♀. halteribus nigris.

Fall. Dipt. Sv. Anthrac. 14. 11. ♀. *Atherix obscura* Meig. Dipt. 2. 111. 11. ♀.

Var. b. ♀. halteribus albidis; paullo major obscurior.

Hab. var. a. in foliis fruticum Betulae, et in truncis Abietis; ad Almsele et lacum Wojmsjoen Lapponiae Umensis, atque ad Pello et Wittangi Lapponiae Tornensis, d. 1. Jun. — 8. Aug. legi; in inferalpinis maritimis Finmarkiae, ex. gr. ad Bossekop, rarius quoque vidi; in alpe Dovre masculum mense Jul. invenit D. Boheman; e varietate b. non nisi unicum specimen ad Lycksele Lapponiae Umensis a me deprehensum. (Lapponia; Scania rar.)

*Mas.* et *Fem.* In hoc genere minima, vix ultra 2 lin. longa, de cetero hujus omnino subdivisionis. *Mas:* niger, hirsutulus. Palpi erecti. Antennarum articulus ultimus ovalis, subcompressus, seta longitudine fere antennae, apicali. Oculi viventis brunnei, vix aeneo-micantes. Alae totae obscure hyalinae; linea stigmaticali lata, obsoletissima. Area angularis conclusa, angulo acuto ad marginem interiorem non usque retracto, omnino ut in prioribus, sed areae nervo superiori crassiori. Pedes toti nigri. *Femina:* obscura aut grisescens, parum pubescens. Thorax subvittatus. Alae hyalinae. Pedes obscure lividi. De cetero omnia ut in mare. — Variat ♂. duplo minor; variat etiam alis albidis, nervis fuscis, stigmate nigro, quales in Dalekarlia a *D.* Boheman lectos vidi.

## 13. Atherix. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 52. Fabr. Panz. Latr. Macq. *Leptis* species Fabr. Fall.

*Corpus* mediae aut subminoris magnitudinis, subpubescens, elongatum, posterius attenuatum. Antennae breves, articulo ultimo transverso, subreniformi, seta dorsali. Palpi subcylindrici, erecti, proboscidi non incumbentes. Oculi viventis rufo-brunnei, parum aeneo-micantes. *Color* in nostris obscurus. *Motus* et *habitatio* ut in generis praecedentis speciebus, quae ad subdivisionem b. pertinent. *Metamorphosis* ignota, forte ut in priori. *Differentia sexus* quoque ut in *Leptide*. (Spec. Scand. 3, remota ab hoc genere *Athcrice flavipede* Fabr. et Meig. seu *Leptide flavipede* Fall., quae non nisi *Xylophagus* Fabr. et nobis est; genus vero *Atherix* a *Leptide* antennarum articulo ultimo subreniformi, seta dorsali instructo, et alarum area angulari apice subconclusa, angulo subacuto ad summum marginem interiorem descendente, facile dignoscitur.)

**1. A. crassicornis:** nigra aut grisea, alarum basi geniculisque subflavicantibus, antennarum articulo primo ovato, crassissimo, ultimo reniformi. ♂♀.

*Mas:* niger, thorace griseo-bivittato, hirsutus, antennarum articulo primo valde crasso, longe piloso;

*Fem.:* nigro-fusca, thorace vitta media duplicata obscura, breviter pubescens, antennarum articulo primo incrassato, piloso, in copula.

Panz. Fn. Germ. 105. 10. ♀. Meig. Dipt. 2. 108. 5. ♂♀. *Leptis griseola* Fall. Dipt. Sv. Anthrac. 12. 7. ♂♀.

Var. b. ♀. glauca, thorace immaculato, alis albido-hyalinis, tibiis basi testaceis.

Hab. in Lapponia frequenter; var. a. in graminosis et foliis fruticum ad Badstutraesk et Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 30, Jun. — 16. Jul. in copula, atque ad Kengis et Karesuando Lapponiae Tornensis 10. Aug., capta; procedit usque in regionem subalpinam et ad lacum insignem Kilpisjaur Lapponiae Tornensis a D. Frigelio inventa. Deprehenditur quoque haud raro in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, ex. gr. in Lyngen, Andeness, Raschstind et ad Talvig a me visa. — Var. b. ad Kengis et Tromsoe lecta, etiam e Torneå a D. Deutsch missa. (Lappon.-Scan. pass. freq.)

*Mas.* et *Fem.* 4 — 4½ lin. long., *Leptide lineola* robustior. Oculi obscure ferruginei, in ♂ aeneo-micantes. Interstitium frontale in ♀ latissimum. Alae sordide hyalinae. Area angularis ad marginem alae subaperta seu saltem non arcte conclusa; lineola stigmaticalis obsoleta. Halteres nigri, petiolo dilutiori. — Var. etiam femina obscura.

*Obs.* *Ather. nebulosa* Fabr. Meig. et Macq. (*Leptis nebulosa* Fall.), ut Sveciae incola a *D.* Fallén allata, mihi omnino ignota; *Atherix* vero *marginata* Meig. in Svecia meridionali rarissime inventa est; neutra earum in Lapponia hacteuus est visa.

## FAM. 7. PLATYPEZINAE. Fall. Meig.

Antennae porrectae, articulo ultimo non annulato, seta terminali. Os proboscide retractum. Ocelli 3 in vertice. Corpus parvum, oblongum, subpubescens. Abdomen 6-annulatum. Alae incumbentes, parallelae, nervis longitudinalibus 3 aut 4 marginem interiorem attingentibus. Pedes mediocres, tarsis posticis dilatatis. *Metamorphosis* non in omnibus nota. *Larvae* quarundam in fungis vivunt. *Imagines* in floribus et foliis motu reptatu versantur. *Differentia sexus*; *mas*: oculis in fronte arctissime cohaerentibus; *femina:* oculis interstitio frontali disjunctis.

## 14. Platypeza. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 120. Panz. Fall. Macq. *Dolichopus* Fabr. Latr.

*Corpus* minutum, oblongo-ovatum. Antennae triarticulatae; seta capillari. Proboscis occulta. Alae hyalinae, area angulari distincta, retracta, unico tantum nervo ad marginem alae interiorem descendente; nervo quarto longitudinali ad apicem alae furcato. Pedes postici validiores, tarsorum articulis subaequalibus. *Color* niger, pictura feminae saepe fasciata vel maculata. Oculi rufo-brunnei, unicolores. *Motu* valde agilis; reptatus scilicet in foliis fere circulatim; at volatus haud celer, subperpendicularis. *Habitatio* in pascuis, loca umbrosa inter frutices amans, ubi mares, sole inter ramos lucente, choreas interdum instituunt; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae; alpes aufugiens; versus autumnum proveniens, vigens. *Larvae* certe

in Boletis vivunt, in quibus pupas cylindricas, albas saepe inveni. *Differentia sexus* e colore, pictura ut etiam oculis in *mare* conniventibus, in *femina* distantibus mox colligitur. (Spec. Scand. 6, quae motu et colore *Trineurae*, habitu *Dolichopodis* generi accedunt; antennis triarticulatis, articulis basalibus cylindricis, ultimo ovato compresso, seta capillari, proboscide occulta, alarum area angulari retracta, nervo quarto longitudinali ad apicem alae furcato, ut et pedum posticorum tarsis subaequalibus, a ceteris hujus familiae dignoscendae.)

**1. Pl. fasciata:** corpore maris toto atro, feminae griseo abdomine fasciis nigris, alis in utroque sexu hyalinis, area angulari elongata, nervo quarto longitudinali non omnino ad marginem alae extenso. ♂♀.

*Mas.:* (hactenus Auctorib. ignotus) ater, halteribus pedibusque concoloribus, hypostomate utrinque distincte setoso, oculis in vivo rufo-ferrugineis;

*Fem.:* grisea, abdomine cano, fasciis quatuor atris, halteribus flavis, pedibus fuscis, hypostomate utrinque distincte setoso, oculis in viva brunneis s. obscurioribus quam in ♂.

MEIG. Dipt. 4. 2. 2. ♀. (exclus. Syn. FALL.) PANZ. Fn. 103. f. 20? ♀. (oculi subconniventes, thorax cinereus, dorso fusco-trilineatus, alarumque linea stigmaticalis distincta in figura repraesentantur, quales notae speciei nostrae competunt, unde dubia de synonymo remanent). MACQ. Ins. Dipt. Gall. Platypez. 7. 1. Tab. 1. f. 1. forte. *Dolichopus fasciatus* FABR. Antl. 271. 22. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi, rarissime; non nisi ad Almsele in Lapponia Åsele d. 24. Jul. pauca specimina inveni. (Lapp.-Scan. rar.).

*Mas* et *Fem.* 1½–2 lin. long. Corpus pubescens, in mare atrum, opacum, in femina griseum, thorace non lineato. Alae in utroque sexu hyalinae, in ♂ parum fumatae. Nervus quartus longitudinalis apice furcatus, ramo inferiori breviori non usque in marginem interiorem extenso, ramo vero superiori ad apicem alae paullo curvatim excurrente. Scutelli setae paucae. Pedes fusci, in mare magis obscuri, nigricantes.

*Obs.* *Platyp. fasciata* FALL. alia est species, ad sequentem pertinens, de quo eo magis mihi persuasum habeo, quod specimen originarium *Pl. fasciatae*, secundum quod suam descriptionem hujus speciei dedit Vir Clarissimus, in possessione mea jam est, idoneamque has species inter se comparandi occasionem idcirco habui. — Alae in speciminibus masculis nostrae *Pl. fasciatae* magis pure hyalinae sunt, quam in illis, quae in Svecia meridionali colliguntur.

**2. Pl. fumipennis:** corpore maris atro, feminae cano, abdominis fasciis nigris; alis in mare fumatis, in femina hyalinis, in utroque sexu area angulari elongata, nervo quarto longitudinali ad marginem summum extenso, pedibus aut lividis aut flavis. ♂♀.

*Mas:* ater opacus, halteribus nigris, alis plus minus infuscatis, pedibus obscure lividis, tarsis pallidioribus, oculis in vivo rufo-ferrugineis.

*Fem.:* cana, thoracis dorso lineis tribus, lateralibus abbreviatis, scutello supra nigro, abdominis segmento secundo fere toto, reliquis macula transversa triangulari basali, nigris; alis hyalinis, halteribus nigris, petiolo albido, pedibus testaceis, oculis in viva brunneis; in copula.

*Platyp. fasciata* FALL. Dipt. Sv. Platypezin. 5. 2. ♂♀. certe (exclus. syn. MEIG. et FABR.).

Hab. in Lapponia rarissime, ad Bjorkvik Nordlandiae d. 17. Jul. inveni; in Lapponia Suecica etiam occurrit, teste D. DEUTSCH, qui mihi specimen femineum e Torneå communicavit. (Lappon.-Scan. pass.).

*Mas* et *Fem.* Priori, cui subsimilis est, magnitudine non cedit, lineas 2 longa. Corpus parum pubescens, hypostomate brevissime setuloso. Scutellum tamen distincte setulosum. Alae area angulari ut in praecedente, maris distincte fumatae. Nervus longitudinalis 4tus ad summum marginem interiorem alae extensus, et ex illo nervulus superior transversus ad apicem alae excurrit multo magis incurvatus, quam in priori. Reliqua ut in diagnosi.

**3. Pl. atra:** atra, halteribus pedibusque nigro-piceis, alis aqueis, area angulari valde retracta, nervo longitudinali quarto ad marginem alae non extenso. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Platypez. 6. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 7. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; unicum tantum par in folio fruticis ad Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 21. Jul. inveni. (Lappon.-Scan. passim.)

*Mas* et *Fem.* Prioribus duplo minor, 1 lin. long. Uterque sexus ater et similis, interstitio frontali feminae brunneo-nigro. Oculi viventis obscure aenei. Alae pure aqueae, area angulari brevi retracta, nervo scilicet infra angulum (intra angulum et marginem) longiori quam in praecedentibus. Nervus longitudinalis quartus ad summum marginem non usque extensus, nervulo superiori transverso ad apicem alae curvatim excurrente. Pedes in ♀ magis picei, quam in ♂.

*Obs.* Falleniana species *Platypeza boletina* et *furcata*, illa in Ostrogothia haud infrequenter, haec in Scania raro, obviae, in Lapponia non deprehensae. Nec species singulares, *Pl. bisetosam* mihi, et *Pl. vittatam* mihi, in Suecia inferiori visas, in Lapponia investigare potui.

## 15. Callomyza. MEIG.

FALL. Dipt. Sv. Platypezin. p. 6. ZETT. *Callomyia* MEIG. MACQ. *Dolichopus* FABR. LATR.

*Corpus* minutum, elongatum, subincurvatum. Antennae triarticulatae, seta capillari. Proboscis occulta. Oculi rufo-brunnei, unicolores. Alae valde hyalinae, area angulari retracta, unico tantum nervo elongato ad marginem interiorem descendente; nervis omnibus longitudinalibus simplicibus. Pedes postici elongati, crassi; metatarso elongato. *Color* niger, cinereus, flavescens, pictura interdum, praesertim in ♀, insigni. *Motu* valde agilis: reptatus in foliis celer; volatus brevis, perpendicularis. *Habitatio* in pratis sylvaticis et pascuis, raro in floribus Umbellatarum, loca umbrosa quaerens, ubi mares instar praecedentis, sole inter folia relucente, choreas ducunt; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae, ad regionem alpinam non nisi rarissime procedens. *Metamorphosis* ignota, forte ut in priori genere. *Differentia sexus* perspicua; *mas:* corpore obscuriori, lineari, abdomine scilicet subcylindrico, incurvo, oculisque arcte cohaerentibus, a *femina:* corpore pallidiori, saepe pulchre picto, abdomine depressiusculo, oblongo, parum incurvo, et oculis distantibus, mox dignoscitur. (Spec. Scand. 2 descripsit FALL. (in Dipteris Suec. Platyp.); mihi autem 12 species, in Scandinavia lectas, in museo meo conservare contigit, inventu rariores; antennis triarticulatis, articulis basalibus subcylindricis, ultimo compresso, acuto, seta capillari elongata, proboscide occulta, alarum area angulari valde retracta, nervis omnibus longitudin. simplicibus et pedum posticorum articulo primo ceteris longiori, facile dignotae.)

**1. C. leptiformis:** antennarum articulo ultimo ovato, aterrima, abdomine albo-tristrigato vel fasciato; in femina segmento secundo pedibusque flavis, halteribus in utroque sexu fulvis. ♂♀.

*Mas:* aterrimus, opacus, abdomine strigis tribus lateralibus argenteis, pedibus fuscis *) aut melleis, oculis (in vivo) rufo-brunneis, in medio transversim impressis.

*Fem.:* atra, opaca, thoracis maculis tribus argenteis, abdominis fasciis tribus interruptis, prima lutea, reliquis argenteis, pedibus flavis, tibiis tarsisque nigris, oculis in viva brunneis obscurioribus.

FALL. Dipt. Sv. Platypezin. 6. 1. ♂♀. (sub qua vero plures species latent). ZETT. Act. Holm. 1819. 1. 78. 31. var. a. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 13. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponiae fruticibus rarius; etiam in Betula alba in Dyroen Nordlandiae Norvegicae individua aliquot mascula d. 21. Jul. legi. ((Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* 1½ lin. long. Antennarum articulus ultimus brevis ovatus, seta longe capillari. *Mas:* Pleurae grisescentes. Abdominis segmenta 2, 3, 4 ad latera striga argenteo-micante, ad certum luminis situm perspicua, ad alium situm aegre observanda. *Fem.:* Palpi flavi, vertex griseus. Thoracis maculae 2, humerales, et 1, ante scutellum, argenteae. Abdominis segmenta, 2dum flavum, linea dorsali nigra, 3 et 4 fascia argentea interrupta, 6 totum argenteum.

**2. C. speciosa:** antennarum articulo ultimo ovato, aterrima, abdomine in mare immaculato, in femina fasciis quatuor integris, prima lutea, reliquis argenteis; pedibus in mare melleis, in femina flavis, posticorum tibiis tarsisque fuscis; halteribus maris nigris, feminae fulvis. ♂♀.

*Mas:* aterrimus opacus, abdomine immaculato, pedibus aut fuscis aut melleis, posticorum tibiis tarsisque nigricantibus. Oculi in vivo obscure rufi. Halteres nigri.

*Fem.:* atra, thoracis maculis 3 argenteis, abdominis fasciis 4 integris, prima lutea, reliquis tribus argenteis, pedibus flavis, posticorum femoribus apice, tibiis tarsisque nigricantibus, halteribus fulvis.

*) Color pedum in maribus hujus generis specierum nigrior plerumque obvenit in speciminibus lapponicis, quam in iis, quae in Suecia inferiori occurrunt.

MEIG. Dipt. 4. 14. 6. ♂. *Call. leptiformis* var. b. ZETT. Act. Holm. 1819. 1. 79. ♂.

Hab. in Lapponiae pratis sylvaticis et lucis, passim; ad Badstutraesk, Barrsele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis d. 27. Jun. — 15. Jul. mares frequentiores vidi; feminam vero in Lapponia nunquam inveni, in Gottlandia in copula semel tantum deprehendi. (Lappon.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo praecedentis, cui in omnibus similis praeter, in mare: halteres nigros et abdomen immaculatum; atque in femina: fascias abdominis integras, nec interruptas. — Variat ♂ interdum duplo minor.

**3. C. elegans**: antennarum articulo ultimo ovato, aterrima, halteribus fulvis, abdomine in mare albo-bistrigato, in femina fasciis quatuor integris, anticis duabus luteis, reliquis argenteis; pedibus maris melleis, feminae flavis, posticorum in utroque sexu tibiis tarsisque nigricantibus. ♂♀.

*Mas:* aterrimus, opacus, abdominis segmentis 3 et 4 utrinque striga alba, obsoleta, pedibus melleis, posticorum tibiis tarsisque fuscis.

*Fem.:* atra, thoracis maculis 3 argenteis, abdominis fasciis 4, integris, prima latiori, secundaque, luteis, tertia latitudine secundae; quartaque latitudine primae, argenteis, pedibus flavis, posticorum femoribus summo apice, tibiis tarsisque nigricantibus.

MEIG. Dipt. 4. 11. 1. ♂♀. certe. PANZ. Fn. 103. 18. ♂. 19. ♀. (figurae male coloratae et pedes anteriores in ♂ false flavi). *Call. leptiformis* FALL. Dipt. Sv. Platypez. 6. 1. descriptio ♂. *Dolichopus elegans* FABR. Antl. 271. 21. ♀, ♂ an hujus?

Hab. in Lapponia, rarissime. Specimen masculum etiam in alpe Dovre Norvegiae captum et a D. BOHEMAN mecum communicatum. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* 2 lin. long. *C. leptiformi* valde similis et affinis, praesertim mas, qui ab illa vix differt nisi abdominis strigis tantum duabus (nec tribus); femina vero fasciis abdominis integris (nec interruptis), quarum 2 flavis, magis discrepat. Reliqua ut in *C. leptiformi*.

**4. C. amoena**: antennarum articulo ultimo ovato, aterrima, halteribus fulvis, abdomine in mare immaculato, in femina antice fulvo, postice fascia argentea; pedibus maris melleis aut fuscis, posticis nigris, feminae flavis, posticorum tibiis tarsisque nigricantibus. ♂♀.

*Mas:* aterrimus, opacus, abdomine immaculato, pedibus meleis aut fuscis, posticis nigris.

*Fem.:* atra, thoracis maculis 3 argenteis, abdominis segmentis 1, 2 et 3 totis fulvis, et fascia postica in segmento 5to late interrupta, argentea; pedibus flavis, posticorum femoribus summo apice, tibiis tarsisque nigricantibus.

MEIG. Dipt. 4. 12. 2. vera. ♂♀. MACQ. Dipt. Gall. Platyp. 9. 1. ♂♀. Tab. 1. f. 2. ala. *Call. leptiformis* var. c. ZETT. Act. Holm. 1819. 1. 79. ♀.

Hab. in Lapponia passim; feminas in silvis Betulinis ad Wilhelmina Lapponiae Umensis et ad Evenaes Nordlandiae 18—21. Jul.; utrumque vero sexum in silva Barrsele etiam Lapponiae Umensis, d. 1. Jul. inveni. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo prioris, vel fere paullo major. *Mas* a mare *Call. speciosae*, cui alias similis, differt: halteribus fulvis, petiolo nigro; *femina* praeterea abdominis segmentis 3 totis fulvis fasciaque tantum unica postica interrupta argentea a reliquis speciebus mox dignota. Oculi (in viva) in utroque sexu brunnei. De cetero prioribus similis est haec species.

**5. C. dives**: antennarum articulo ultimo ovato, aterrima, halteribus aut nigris aut fulvis, abdomine in mare maculis utrinque duabus, in femina fasciis quatuor integris, argenteis; pedibus maris fuscis, posticis nigris, feminae flavis, posticorum femoribus apice, tibiis tarsisque nigricantibus. ♂♀.

Hab in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 22. Jun. unicum marem, et ad Barrsele 1. Jul. atque ad Stensele 4. Jul. duas feminas inveni; ad eandem speciem forte referendos. (Lapponia Suec. meridional.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et summa *C. speciosae* similitudo nec ab illa differt nisi abdomine in ♂ maculis utrinque 2 subquadratis argenteis, et in femina fasciis omnibus argenteis, nec prima lutea. Oculi feminae vivae brunnei, aeneo-micantes. Halteres in ♂ nigri, in ♀ fulvi.

**6. C. viduella**: antennarum articulo ultimo elongato, subulato, aterrima, thorace macula postica glauca, halterum petiolo pedibusque lividis. ♀.

Hab. in alpe Dovre Norvegiae mense Julio, D. BOHEMAN, a quo unicum specimen pro examine subjiciendo benigne missum vidi. (Lappon. Norveg.)

*Fem.* Parum ultra 1 lineam longa. Similis *Call. antennatae* mihi in Act. Holmiens., sed forte paullo major, et thorace atro, non griseo, halterumque clava nigra ab illa distincta. Aterrima, opaca. Antennae subulatae, seta elongata capillari. Vertex nudus, nitidus. Thorax macula postica certo luminis situ cinerea. Scutellum atrum. Abdomen nigrum, cylindricum. Halteres lividi, clava magna nigra. Alae hyalinae metallice nitentes. Pedes lividi, pubescentes, tarsis subobscurioribus. — *Mas* ignotus.

**7. C. borealla**: antennarum articulo ultimo ovato, acuminato, ater, alis hyalinis, halteribus nigris, pedibus fuscis; abdomine maris immaculato, feminae basi fulvo. ♂♀.

*Mas.:* aterrimus, pedibus fusco-nigris, abdomine immaculato, ventre fusco;

*Fem.:* atra, interstitio oculorum griseo, thoracis maculis humeralibus pleurisque cinereis, abdominis segmentis basalibus 2 fulvis, ano cinereo, halteribus nigris, scapo pallido, pedibus fusco-melleis.

Var. a. ♂♀. abdomine maris immaculato, feminae segmentis basalibus 2 fulvis.

Var. b. ♂. abdomine basi macula utrinque ferruginea.

Var. c. ♀. abdominis segmento tantum secundo flavo.

Hab. in Lapponiis Suecicis meridionalibus passim; var. a. ad Barrsele et in Stoettingsfjellet, sed praeprimis ad Grantraesk, Lapponiae Umensis, in fruticibus, in graminosis et in foliis plantarum, quae ad rivulos locis umbrosis laetius vigent, diebus 1—31. Jul. a D. DAHLBOM et me haud infrequenter lecta; var. b. ad Grantraesk et Lycksele 31. Jul. et 2. Aug., et var. c. tantum in Stoettingsfjellet, inventae. (Lappon. Suecica meridional.)

*Mas.* et *Fem.* Pusilla, vix 1 lin. longa. *Mas* valde similis *Call. speciosae*, sed duplo saltem minor, antennis, ni valde fallor, apice magis acuminatis, area angulari ad basin alae fere propius retracta et nervo longitudinali infra nervulum transversum paullo longiori, nervulo scilicet transverso ad marginem propius ducto, differt; *feminae* harum specierum praeterea longe diversae. *Call. elegantulae* mihi in Act. Holm. 1819. 1. 80. 33. adhuc magis affinis et similis est haec nostra species (*C. borealla*), et aequali magnitudine, sed in *C. elegantula* alae fumatae (nec pure hyalinae), et abdomen quoque in mare basi fulvum deprehenduntur, ut et locus natalis alius, unde distinctae species habeantur. — Oculi (in insecto vivo) brunnei, in mare simul obscure cuprei.

**8. C. scutellaris**: antennarum articulo ultimo ovato, acuminato, atra, alis hyalinis, halteribus nigris, pedibus fuscis, scutello abdominisque basi fulvis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in monte subalpino Stoettingsfjellet, inter Lycksele et Åsele sito, d. 31. Jul. 1832, specimina aliquot mascula inveni. (Lapponia Suecica.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo prioris, a qua non nisi scutello abdominisque segmento, 2 et 3 fulvis differt. A *Callom. elegantula* mihi colore scutelli fulvo et alis aqueis, nec fumatis, etiam diversa videtur. In ceteris praecedenti similis.

**9. C. Dahlbomi**: antennarum articulo ultimo ovato, acuminato, atra, alis hyalinis, halteribus pedibusque fuscis, thoracis dorso aut toto, aut postice, scutello abdominisque basi, fulvis. ♂♀.

*Mas.:* ater nitidus, halteribus concoloribus, thoracis postice, scutello abdominisque segmentis 2 et 3 fulvis, pedibus nigro-fuscis;

*Fem.:* atra opaca, halteribus fuscis, thoracis dorso toto, scutello abdominisque segmentis 1, 2, 3, fulvis, pedibus fusco-testaceis.

Var. a. ♂♀. halteribus in mare nigris, in femina fuscis.

*Callom. elegantula* ZETT. Act. Holm. 1819. 1. 80. var. b. ♂. (*Callom. pulcherrima* olim in collectione nostra, sub quo nomine specimina inter amicos entomologicos antehac divulgavi). ZETT. It. Lappon. anno 1832 p. 206.

Var. b. ♀. halteribus flavis.

Hab. in Lapponia meridionali passim, in foliis plantarum altiorum, quae laete vigebant, loco umbroso ad rivulum juxta coloniam Grantraesk Lapponiae Umensis d. 31. Jul. 1832 utrumque sexum copiosius legimus D. DAHLBOM et ipse. (Lapponia Suecica; Ostrogothia rarissime.)

*Mas.* et *Fem.* *Callom. boreellae* et *elegantulae* affinis et similis earumque magnitudine; pictura vero ab utraque diversa, et certe distincta. Oculi in viva brunnei. *Mas:* thorace postice inaequaliter et indeterminate, scutelloque toto, fulvis. Abdominis segmentum secundum totum, tertium etiam lateribus, fulvum. *Femina:* thoracis dorso toto fulvo, opaco, pilis aliquot nigris obsito, et maculis anticis 4 vel 5 fuscis obsoletis, quarum una ante occiput major, distinctior. Scutellum et abdominis segmenta 1, 2, 3 fulva. — Reliqua ut in *C. boreella*.

Nomine Clarissimi Philos. Doctoris A. G. DAHLBOM, Histor. Naturalis Docentis et ad Museum Zoologicum Universitat. Lundensis Amanuensis, plurium Societat. Litt. Membri; Monographiarum: Chrysididum, Pompilorum, Chelonorum, Bomborum, Tenthredinidum Scand. etc., nec non opellarum: Clavis novi Hymenopt. System. cum Tab., Conspect. Tenthred., Siricidum et Oryssinor. Scand., Tineae Padellae adumbrat. cum tab., etc., Auctoris, in itinere meo Lapponico Anno 1832 per Lapponiam meridionalem instituto Socii,

huic omnium pulcherrimae speciei novum decus et ornamentum addere gratissimus voluit, debuit hujus Faunae editor.

*Obs.* *Callomyzae: antennata, Falleni* et *elegantula*, quas in Suecia media et meridionali detexi et in Actis Holmiens. 1819 primus descripsi, in Lapponia frustra a me quaesitae.

## 16. Cyrtoma. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 119. Macq. Dipt. *Empis* Fall. *Bicellaria* Macq. Monogr.

*Corpus* valde minutum, tenerum, Empidiforme. Antennae biarticulatae *), articulo ultimo saepissime elongato, conico, compresso, apice seta s. stylo biarticulato. Palpi minutissimi, proboscidi incumbentes. Proboscis subporrecta. Alae subinfuscatae, area discoidali nulla. Adsunt tamen areae basales. Nervi subquatuor longitudinales marginem interiorem attingunt. Pedes postici elongati, tibiis apice subincrassatis. *Color* (in nostris) niger. *Motu* tarda; volatus fixus et determinatus, etsi non celer. *Habitatio* in pratis, graminosis; in floribus Umbellatarum saepe versatur; per partem mitiorem Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae, mens. Jun. — Aug. *Metamorphosis* latet. *Differentia sexus*, *mas*: oculis in fronte arctissime connexis, (in vivo) rufis, abdomine breviore, ano obtuso, appendiculato; *femina*: oculis conniventibus (in viva) brunneis, abdomine longiore, ano vaginato. (Spec. Scand. 4, nostrae Faunae communes, a *Platypeza*: pedibus posterioribus longioribus, tibiarum apice crassiori, metatarso elongato; a *Callomyza*: antennarum stylo apicali breviori, alarum nervo transverso apicali nullo; et ab utraque: capite minori subgloboso, palpis incumbentibus, nec erectis, antennis biarticulatis, proboscide subexserta, et alarum areis, discoidalibus nullis, angulari ad summam basin alae retracta, facile dignotae; speciebus quarundam frequentium Familiar. quoque sat affines, sed ab *Hybotinis*: proboscide perpendiculari, nec horizontali; a *Tachydromidibus*: aut coxis brevioribus, simplicioribus aut area discoidali nulla; ab *Empidiis*: palpis incumbentibus, nec incurvatis, abdomineque sexannulato, nec segmentis 7; et denique a *Dolichopodibus*: capite minori et antennis biarticulatis; ut et ab omnibus: tarsis posticis dilatatis, dignoscuntur, qua nota *Platypezae* et *Callomyzae* generi quoque accedit *Cyrtoma*, eademque etiam me impellit, ut, praeeunte Clar. Meigen, genus hoc ambiguum in Familia *Platypez.* locarem). Cfr. etiam observatio mea in fine hujus operis.

a) Alae nervis longitudinalibus 4 et 5 obsoletis, basi cum nervo tertio confluentibus, areis basalibus inaequalibus, fere ad tertiam alae partem extensis.

**1. C. spuria**: atra opaca, alis nigricantibus, halteribus pedibusque nigris, tarsis omnibus simplicibus. ♂♀.

*Mas*: aterrimus;

*Fem.*: nigra; in copula.

*Empis spuria* Fall. Dipt. Sv. Empid. 33. 43. ♂♀. *Cyrtoma atra* Meig. Dipt. 4. 2. 1.

Hab. in Lapponiae meridionalis sylvaticae graminosis, libenter in vicinitate aquarum, d. 15. Jun. — 30. Aug. passim; ex. gr. ad Lycksele, Stensele, frequenter, et in alpe Brattiksfjell, rarius; ad Wilhelmina d. 21. Jul. in copula capta; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque et ad Björkvik, in Dyroen et ad Bossekop, haud longe a capite septentrionali, 14. Jul. — 4 Aug. uterque sexus a me visus; in alpibus Dovre etiam a D. Boheman lecta. (Lapp.-Scan. ubique vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* $1\frac{1}{2}$ lin. long. Thorax gibbus. Alae in mare paullo fusciores, quam in femina. Halteres et pedes nigri aut nigro-picei, in femina saepe paullo dilutiores.

**2. C. nigra**: nigra, alis fumatis, halteribus pedibusque fuscis, metatarsis posticis incrassatis. ♂♀.

Meig. Dipt. 4. 3. 2. ♀. (exclus. syn. Fall. *Emp. pulicaria*, quae ad distinctam speciem pertinet).

Hab. cum priori, rarius; in copula capta. Ad Björkvik Nordlandiae 14—15. Jul. feminas frequentiores vidi. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo praecedentis eique similis, sed differt colore corporis fusco-nigro, nec atro, halteribus pedibusque dilutioribus, alis minus nigricantibus, abdominisque in mare interdum obscure livido, nec nisi similis cum simili in copula jungitur.

*) Conferantur quae de articulatione antennarum hujus generis dicuntur in *nota* pag. 505.

b) Alae nervis longitudinalibus omnibus simplicibus subparallelis et distinctis, areis basalibus subaequalibus, ad tertiam partem alae extensis; area angulari retracta, obsoleta (an proprii generis?)

**3. C. pulicaria**: antennarum articulo ultimo ovato; nigra nitida, halteribus concoloribus, alis subinfuscatis, pedibus fusco-lividis, posticorum tibiis metatarsisque incrassatis. ♂♀.

*Empis pulicaria* Fall. Dipt. Sv. Empid. 33. 44. ♂. certe.

Hab. . . . . ut Lapponiae incola mecum communicata, mihi ipsi in terris septentrionalibus viva non obvia. (Lappon.?- Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Statura corporis et habitus omnino praecedentium, sed paullo minor, saltem brevior. Antennarum articulus ultimus ovatus, seta longa, terminali, unde antennae quasi longe acuminatae (ut ait Fall.) adparent, licet articulus ultimus, ut dictum, revera ovatus sit. Thorax gibbus et abdomen, nigra, subpilosa. Anus maris forficulatus, omnino ut in reliquis hujus generis. Alae sordide hyalinae, linea stigmaticali distinctiori, praesertim in mare. Halteres nigricantes. Pedes validiusculi pubescentes, fusco-lividi, in femina plerumque pallidiores, subpallidi, tibiis posticis in utroque sexu dilatatis et metatarsis incrassatis. — Forte proprii generis, cui nomen *Platycnema* propono.

c) Alae nervis longitudinalibus omnibus simplicibus subparallelis et distinctis, areis basalibus fere nullis, at area angulari valde retracta, ad basin alae sita (proprii sine dubio generis, cui nomen *Microsania* imponendum).

**4. C. stigmaticalis**: antennarum articulo ultimo ovato, subnitida, nigra (♂), aut cinerascens (♀), halteribus in utroque sexu nigris, alis hyalinis, linea stigmaticali nigra, pedibus fuscis, tibiis tarsisque posticis parum incrassatis. ♂♀.

*Mas*: corpore nigro.

*Fem.*: paullo major, corpore cinerascente.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in alpe Brattiksfjellet prope novaccolae sedem Umenaes unicum individuum masculum reptans in ipsa nive, ad altitudinem circiter 3000 ped. supra mare, d. 8. Jul. invenit Clariss. Dahlbom, et die sequente unicum individuum femineum ad radicem nominatae Brattiksfjellet deprehendere mihi ipsi contigit. (Lapponiae regio alpina).

*Mas.* et *Fem.* Valde affinis et similis videtur *Cyrtom. pectinipenni* Meig. Dipt. 6. Add. 356. 5., a qua vero alarum costa mutica, nec pectinata, differt. *Mas*: minutissimus, vix ultra ½ lin. longus. Subpubescens, gibbus, parum nitidus niger. Antennae parvae ut in *Cyrt. pulicaria* constructae. Haustellum occultum. Thorax valde gibbus. Abdomen subcylindricum, opacum, subpilosum, ano sat longe inflexo. Alae latae, subtriangulares, albo-hyalinae, nervis tenuibus obsoletis simplicibus, area angulari parva retracta, nervo tamen infra illam usque ad marginem alae extenso, omnino ut in figura Meigeni *Cyrt. pectinipennis*. Linea stigmaticalis distincta nigra, in medio costae sita. Inter nervos longitudinales 3 et 4 ad apicem nervulus inchoans observatur. Halteres nigri. Pedes fusci, validi, tibiis tarsisque posticis paullo incrassatis. *Femina*: mari descripto similis, sed fere 1 lineam longa, cinerascens, opaca, anoque non inflexo.

*Obs.* *Opetia nigra* Meig. Dipt. 6. Add. 358. 1. Tab. 66. f. 17., genus: antennis, longitudine capitis majusculi, triarticulatis, articulis basalibus cyathiformibus, ultimo oblongo, seta terminali; areis alarum, discoidali nulla, angulari ad intimam basin retracta, et nervo quarto longitudinali infra medium alae furcato, pedibus omnibus simplicibus; tibiis apice distincte calcaratis, praesertim dignotum, huic Familiae a Cl. Meigen quoque adnumeratum, proprium licet forte constituens; in Smolandia ab oculatissimo nostro Boheman nuperrime detecta, neque in Lapponia, neque in cetera Scandinavia huc usque visa, quantum novi.

*Subdiv.* 2. Alae saepius parum nervosae.

† Areae angularis rudimento.

° Tarsis bipulvillatis.

## FAM. 8. HYBOTINAE. Meig. (*Hybotidae* Macq. *Empidiae* Fall.)

Antennae porrectae, basi approximatae, triarticulatae, articulis basalibus subcoalitis, ultimo indiviso, seta aut stylo, terminali in *Ocydromia* subdorsali. Caput parvum, subglobosum. Hypostoma imberbe, planum. Frons plana. Ocelli 3

in vertice, in triangulum dispositi. Haustellum horizontaliter porrectum, breve. Palpi articulo unico distincto. Corpus parvum, oblongum. Thorax gibbus. Abdomen tenue, 7-annulatum. Alae incumbentes. Nervi longitudinales omnes simplices, 2 aut 3 marginem interiorem attingunt. Areae, discoidalis unica, subovata; angularis ad basin retracta. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus: mas:* oculis contiguis, ano crassiori, obtuso; *femina:* oculis paullo distantibus, ano acutiori. Habitus Empidiarum.

## 17. Hybos. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 73. FABR. LATR. FALL. MACQ. *Empis* FABR. *Acromyia* BONELLI.

*Corpus* parvum, subpilosum, incurvum, nitidum, firmum. Antennarum articulus ultimus breviter conicus, seta (oculo acutissime armato subpubescente) terminali, apice capillari. Palpi incumbentes. Oculi in vivo obscure ferruginei. Abdomen cylindricum. Alarum areae: angularis subretracta; discoidalis oblongo-quadrata, nervulos 2 ex angulis rectis in marginem interiorem emittens. Pedes subhirsuti, postici longissimi, femoribus crassis abdomen fere excedentibus, subtus spinulosis. *Color* corporis niger, pedum saepe flavus. *Motu* segnis; volatus gravis, laborans. *Habitatio* in nemoribus, lucis et pratis; in foliis fruticum, floribus et graminosis occurrit; per partem sylvaticam Lapponiae; in alpibus et in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque hactenus haud visus. *Victus* e rapina Dipterorum minorum. *Differentia sexus; mas:* femoribus posticis valde incrassatis, oculis connexis et ano subclavato; *femina:* femoribus posticis modice incrassatis, oculis linea angusta in fronte disjunctis et ano acutiori. (Spec. Scand. 4, articulo antennarum ultimo breviter conico, seta apicali capillari, alarum area angulari retracta, discoidali nervulos 2 ex angulis rectis in marginem interiorem emittente, et femoribus posticis subclavatis, subtus spinulosis, a reliquis hujus Familiae distinctae.)

**1. H. funebris:** niger, pedibus concoloribus, alis fuscis, halteribus flavicantibus. ♂♀.

FABR. Antl. 145. 1. FALL. Dipt. Sv. Empid. 5. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 2. 347. 1. MACQ. Dipt. Gall. Hybot. 148. 1. Tab. 4. f. 6. *Empis clavipes* FABR. Antl. 138. 4. *Dasypogon culiciformis* FABR. Antl. 172. 40. An *Musca grossipes* LINN. Syst. Nat. 2. 988. 59?

Hab. in Lapponia meridionali mens. Jul. et Aug. rarius; ad Almsele Lapponiae Umensis d. 24. Jul. in copula captus; in adjacenti Angermannia frequentius, ibique uterque sexus usque ad 15. Sept. visus. (Lapponia-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 linear. Totus niger, nitidus, fusco-pilosus, pectore grisescente. Alae infuscatae, basi pallidiores, macula stigmaticali fusca distincta. Halteres flavo-albidi.

**2. H. vitripennis:** niger, pedibus concoloribus, alis hyalinis, halteribus albis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 2. 348. 2. *Hyb. funebris* var. alis minus fuscis FALL. Dipt. Sv. Empid. 5. 1. (descriptio).

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Almsele, Åsele et in Stoettingsfjellet d. 24. Jul. — 1. Aug. utrumque sexum inveni. (Lapponia; Finlandia, Gottlandia, Nericea, passim; sed in Scania hactenus non visus, quantum mihi cognitum habeo.)

*Mas* et *Fem.* Affinis et similis praecedenti, sed plerumque paullo minor, et alis magis pure hyalinis, linea tantum stigmaticali fusca distincta, et halteribus magis albis, ab illo praecipue differt.

**3. H. flavipes:** niger, pedibus anterioribus totis, tarsisque posticorum, flavis, alis hyalinis, halteribus albidis. ♂♀.

FABR. Antl. 145. 2. FALL. Dipt. Sv. Empid. 5. 2. ♂♀. MEIG. Dipt. 2. 348. 3.

Hab. cum prioribus rarissime. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo praecedentis seu $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lin. long. Niger. Alae albido-hyalinae, macula stigmaticali obsoleta. Halteres albidi. Pedes flavi, posticorum femoribus nigris aut piceis, tibiisque saepe testaceis.

*Obs.* *Hybos fumipennis* MEIG., in Scaniae nemoribus lectus, in Lapponia vix occurrit.

---

## 18. Ocydromia. HOFFMANNSEGG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 74. MACQ. *Empis* FALL.

*Corpus* parvum glabriusculum, nitidum, gracile. Antennarum articulus ultimus lenticularis, versus apicem seta longa, capillari. Oculi in viva rufo-brunnei, parum aeneomicantes, unicolores. Palpi dilatati, compressi. Abdomen subcompressum. Alarum areae: angularis ad basin alae retracta, non nisi unico nervo versus marginem descendente; discoidalis nervulos duos ex angulis subinaequalibus (rarissime subrectis) ad marginem interiorem emittens. Pedes omnes simplices; postici paullo longiores, tibiis apice interdum subincrassatis. *Color* niger, testaceus. *Motu* agilis: volatus non velox, sed reptatus celer. *Habitatio* in pratis, locis umbrosis; foliis fruticum et plantarum floribusque saepe insidens; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus; mas:* oculis cohaerentibus et ano obtuso, a *femina* oculis linea angusta frontali disjunctis et ano acutiori, cito dignoscitur. (Spec. Scand. 6 in museo meo adsunt, quarum una tantum a Cel. FALL cognita ad *Empidis* genus ab illo relata; omnes antennarum articulo ultimo lenticulari, seta capillari subapicali seu subdorsali, alarum area discoidali nervos 2 ex angulis subrectis ad marginem interiorem emittente et pedibus omnibus simplicibus tibiis anterioribus, dente armatis ab affinium generum speciebus dignotae.)

**1. O. glabricula:** glabriuscula, corpore maris nigro, feminae rufo-testaceo, maculis thoracis abdominisque nigris, pedibus in utroque sexu pallidis. ♂♀.

*Mas:* subaenescenti-niger, lucidus, ventre pallidiore, alis halteribusque nigricantibus, pedibus testaceis, coxis flavis, tibiis praesertim anticis tarsisque omnibus obscuris; metatarsis posticis subincrassatis.

*Fem.*: rufo-testacea, alis hyalinis, capite thoracisque disco abdominisque maculis dorsalibus nigris coxis, femoribusque basi flavis, tibiis anticis tarsisque omnibus fuscis.

MEIG. Dipt. 2. 352. 1. ♀. MACQ. Dipt. Gall. Hybot. 145. 1. certe. ♂♀. Tab. 4. f. 5. ala. *Empis glabricula* FALL. Dipt. Sv. Empid. 33. 42. vera. ♂♀ *Ocydr. flavipes* MEIG. 2. 353. 4. mas hujus videtur, licet obstet magnitudo. *Tachydrom. nigripennis* FABR. Antl. 144. 7. forte etiam hujus mas?

Hab. in Lapponiae meridionalis et Nordlandiae nemoribus umbrosis mens. Jul. pass., mares frequentius. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin. Mas gracilis, femina robustior. Alarum area discoidalis in utroque sexu oblonga, omnino ut in figura MEIGENI l. c., sed angulus exterior hujus areae magis acutus, nervulos duos emittens, rudimento nervuli tertii saepissime nullo, in mare tamen interdum praesente. Oculi ♂ rufi. Thoracis discus anticus in ♀ aenescenti-niger, lucidus. Abdomen feminae ferrugineum, fasciis dorsalibus nigris. Venter pedesque in utroque sexu subpubescentes.

*Obs.* Licet individua hujus speciei ubique sat vulgaria occurrant, nulla tamen in copula juncta huc usque deprehendere mihi contigit. Neque Clariss. Dipterologi FALL. et MACQ., alias valde circumspecti observatores, ea copulata unquam viderunt. Cfr. MACQ. l. c. p. 146.

Var. b. ♂. pedibus nigris, coxis femoribusque fusco-testaceis, oculis in viva ferrugineis; in ceteris var. a. simillimus, in silva Barrsele Lapponiae Umensis d. 1. Jul. rarissime visus. (Lapponia; Westrogothia rariss.)

**2. O. rufipes:** glabra, rufo-testacea, capite thoracisque vitta dorsali, abdominisque fasciis dorsalibus, nigris, tarsis fuscis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. thorace dorso vitta unica media nigra.
MEIG. Dipt. 2. 353. 2.
Var. b. ♀. thoracis vittis 2 lateralibus nigris.
Var. c. ♀. thoracis vittis 3 nigris.
Var. d. ♀. thorace subimmaculato.
*Empis glabricula* var. b. ♂. FALL. Dipt. Sv. Empid. 33. 42.

Hab. in Lapponia rarius, mares varietatis a., ad Öfver-Torneå jam die 27. Maj. 1821 visi; individua feminea reliquarum varietatum in Lapponia sylvatica serius et non nisi rarissime obvia; e varietate c. feminam viviparam larvis albis apice nigricantibus ad Hernösand Ångermanniae d. 20. Maj. 1832 vidi. (Lapp.-Scan. freq., ♀ vulgar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo praecedentis ejusque feminae simillima, sed differt thoracis nigredine non maculam magnam, sed vittas in dorso formante. Pedes pallidi, tibiis apice magis vel minus infuscatis, tarsis fere semper obscuris. Alae sordide hyalinae, nervis ut in priori; linea stigmaticali obsoleta. — *Mas*, an hujus? abdominis dorso fere toto aenescenti-fusco, pedibus flavis, mihi rarissime obvius.

**3. O. ruficollis:** glabriuscula, rufo-testacea, capite abdominisque cingulis nigris, pedibus flavis, tibiis posticis tarsisque omnibus fuscis, appendice anali in femina exserta, gladiata. ♀.

Meig. Dipt. 2. 353. 3. ♀. An *Ocydr. ruficollis* Macq. Dipt. Gall. Hybot. 146. 2. eadem? *Empis glabricula* var. b. Fall. Dipt. Sv. Empid. 33. 42. certe. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Suecia media freq. Scania rar.)

*Fem.* Magnitudo praecedentium, a quibus thorace rufo immaculato, anique appendice (an genitali? exserta, compressa, recurva, dignoscitur. Palpi pallidi. Metathorax niger. Alae hyalinae, pallidae, nervis pallidioribus, linea stigmaticali parum perspicua. Area discoidalis duos nervos distinctos emittit, et interdum rudimentum s. initium tertii. Halteres pallidi. Pedes flavi, pubescentes, tibiis apice interdum, tarsisque semper, fuscis. Abdomen subpilosum, rufum interdum cingulis, plerumque vero maculis dorsalibus confluentibus, nigris, segmento ultimo semper nigro, appendice anali basi flavo-pellucida, apice subulata, fusca.

*Obs.* Synonymon Macquarti dubius allegavi, quia Cl. Vir suam *Ocydr. ruficollem* 2 lin. longam describit, sed de ani singulari appendice nullam omnino facit mentionem.

**4. O. scutellata:** glabra, nigra, scutello in mare pectoreque in utroque sexu piceis, alis fusco-hyalinis, pedibus testaceis, tibiis tarsisque fuscis. ♂♀.

*Mas!* abdomine tenuiore, niger, scutello pectoreque piceis, halteribus nigris, petiolo flavo.

*Fem.!* abdomine robustiore, nigra, scutello, pectoreque parum piceis, halteribus testaceis, ventre subpallido, forte hujus!

Meig. Dipt. 2. 354. 5.? ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, ad Wilhelmina Lapponiae Umensis locis umbrosis d. 21. Jul. 1832 capta; feminam desctiptam ad Johannis Ro prope Tornoam Botniae borealis d. 2. Sept. 1821 inveni. (Lapponia —?)

*Mas* et *Fem.* 1[1] lin. long. Aenescenti-nigra, lucida, glabra Pleurae, scutellum et limbus subscutellaris in mare rufo-picea, in femina nigricantia. Alae in utroque sexu fusco-hyalinae, nervis obscuris, linea stigmaticali obsoleta. Area discoidalis duos nervulos emittit et rudimentum tertii. Pedes testacei, tibiis fere totis tarsisque fuscis.

**5. O. flavipes:** griseo-pilosa, nigra, halteribus pallidis, pedibus flavis, tibiis posticis apice, tarsisque omnibus nigricantibus, ano in femina appendiculato. ♂♀.

*Mas:* long. $2\frac{1}{2}$ lin.; ano obtuso, mutico.

*Fem.:* long. $2\frac{1}{2}$ lin., ano appendiculato.

Meig. Dipt. 2. 353. 4. ♂.

Hab. in Lapponiae graminosis et foliis fruticum, passim rar.; ad Wilhelmina Lapponiae Umensis et ad Björkvik Nordlandiae 14—19. Jul. utrumque sexum legi; ad Trondhiem Norvegiae pluribus locis mense Junio invenit D. Boheman, qui etiam feminam mecum communicavit. (Lapp.-Suecia media, Ostrog., Gottland. pass.)

*Mas* et *Fem.* Statura praecedentium et saepe earum magnitudine, sed tota distincte griseo-pilosa. Mas femina plerumque fere duplo major, de cetero simillimi, praeter appendicem feminae analem subulatam, fuscam, basi dilatato-compressam, pallidam. Nigra. Antennae fuscae. Palpi exserti, flavi. Alae hyalinae, nervis pallidis praesertim ad basin alae; linea stigmaticali obsoleta. Nervi ut in prioribus directi. Halteres et pedes flavi, tibiis posticis apice subincrassato, tarsisque omnibus, nigricantibus, in mare interdum testaceis. Metatarsus posticus in utroque sexu subincrassatus. Tibiae posticae paullo curvatae.

## 19. Oedalea. Meig.

Meig. Dipt. Eur. genus 75. Macq. *Empis* Fall.

*Corpus* minutum, elongatum, glabriusculum, nitidum. Antennae capite longiores, articulo ultimo elongato, conico, compresso, stylo apicali biarticulato, brevissimo, parum distincto. Haustellum brevissimum, horizontaliter subexsertum. Palpi breves, incumbentes. Alae hyalinae; areae: angularis ad basin alae retracta, nullo nervo versus marginem interiorem descendens; discoidalis trapeziformis, nervulos tres in marginem alae emittens, saepius integros. Pedes postici elongati, femoribus saepissime subincrassatis, subtus spinulosis. *Color* corporis niger, pedum pallidus. *Motu* haud celer. *Volatus* aeger, parum opportunus. *Habitatio* in foliis fruticum, per partem sylvaticam Lapponiae individua rarius occurrunt. *Metamorphosis* haud rite cognita, at feminas in truncis putridis ova deponere aliquoties observavi. *Differentia sexus*: *mas:* oculis connexis, ano obtuso, a *femina:* oculis distantibus, ano acuminato, facile dignoscitur. (Spec. Scand. 4, antennis 3-articulatis, articulis 2 basalibus distinctis, brevibus, ultimo elongato, subuliformi, stylo brevissimo terminato, haustello brevissimo, alarum area discoidali trapeziformi nervulos tres, plerumque integros, ad marginem interiorem emittente, pedibusque posticis anterioribus paullo longioribus, femoribus subincrassatis, subtus spinulosis, dignotae.)

**1. Oed. hybotina:** nigra, pedibus pallide flavis, posticorum femoribus apice, tibiisque fere totis, nigricantibus, tarsis omnibus apice fuscis; alis hyalinis, ad costam fusco-bimaculatis. ♂♀.

Meig. Dipt. 2. 356. 1. ♂. (nervulo medio ex area alarum discoidali emisso nimis longe abbreviato). Macq. Dipt. Gall. Hybot. 142. 2. Tab. 4. f. 3. ala (areae nervulo medio emisso nimis abbreviato). *Empis hybotina* Fall. Dipt. Sv. Emp. 31. 39. vera. ♂♀. var. „alis maculatis."

Hab in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scania pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1[1] lin. Nigra nitida, parum subpubescens. Antennae capite fere dimidio longiores, fuscae. Alae hyalinae, nervis praesertim ad basin alae pallidis, maculis ad costam 2, una fere in medio, altera versus apicem, fuscis, saepe obsoletis. Nervulus medius ex area discoidali emissus saepissime non usque ad marginem alae extensus, non vero tam longe abbreviatus, quam ut in figuris Meigeni et Macquarti. Halteres pallidi. Pedes cum coxis flavo-allidi, subpilosi, femoribus posticis intra apicem annulo lato, brunneo-nigro. Tarsi omnes apice fusci. Vagina feminae longe exserta, subulata, basi pallida.

**2. Oed. minuta:** nigra, pedibus flavis, posticorum tibiarum apice incrassato, tarsisque omnibus, fuscis; alis sordide hyalinis, macula stigmaticali elongata fusca. ♂♀.

Meig. Dipt. 2. 356. 2. ♂? *Empis minuta* Fall. Dipt. Sv. Empid. 32. 40. ♂♀.

Hab. in Lapponiae sylvaticae lucis passim. (Lappon.-Dalekarlia-Scan. freq., saepe in copula capta.)

*Mas* et *Fem.* Praecedente fere duplo minor, vix 1 lineam longa. Nigra, nitida, glabra, abdomine pedibusque subpilosis. Alae maris fuscanae (forte igitur specimen a Cel. Meigen descriptum masculum fuit), feminae magis hyalinae, macula stigmaticali in utroque sexu longitudinali fusca, obsoleta. Nervuli omnes 3 ex area discoidali emissi, integri. Halteres in ♀ flavi, in ♂ fusciores; pedes etiam in ♀ flavi, in ♂ saepe obscuriores, interdum fusco-testacei, tibiis posticis in utroque sexu apice subincrassatis, tarsorumque omnium apice, fuscis.

Variat *mas* femoribus posticis annulo fusco.

**3. Oed. pallipes:** nigra, pedibus pallidis, posticorum apice subincrassato, fusco, alis hyalinis, immaculatis. ♂♀

Hab. cum priori rarius, ad Kengis Lapponiae Tornensis d. 22. Aug. feminas frequentiores vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* *Oed. tibiali* Macq. Dipt. Gall. Hybot. 142. 1. ♀. Tab. 4. f. 2. valde affinis et similis videtur; illa autem „unam lineam longa" et „tibiis posterioribus nigris" l. c. describitur, unde alia sine dubio est. Magnitudo praecedentis eique etiam simillima, pedibus fere totis flavis, apice tibiarum posticarum fusco minus incrassato, et alis immaculatis distincta. Nigra; femina saepe picea, forte junior. Alae hyalinae, in ♂ infuscanae, licet nervi magis obscuriores, linea stigmaticali in utroque sexu obsoletissima, vix conspicua. Area discoidalis nervulos tres in marginem alae emittit integros, quorum 2 superiores in feminis specimiuum Lapponicorum basi saepe coëuntes. Halteres in ♀ flavi, in ♂ fusci. Pedes in utroque sexu pallide flavi, tibiarum posticarum tarsorumque omnium apice, plerumque parum infuscato.

## 20. Anthalia. Zett.

*Corpus* minutum, elongatum, glabriusculum, saepissime nitidum. Antennae longitudine capitis, articulis 1 et 2 brevissimis, fere coalitis, ultimo ovato seu sublenticulato, compresso, seta apicali brevissima. Haustellum vix longitudine capitis oblique aut horizontaliter exsertum. Alae elongatae, area discoidali trapeziformi, nervulos tres in marginem alae emittente, aut omnes integros aut medium abbreviatum. Pedes simplices, femoribus posticis subelongatis. *Color* corporis niger aut flavus, pedum pallidus. *Motu* haud celer. *Habitatio* in floribus et foliis fruticum; per partem sylvaticam Lapponiae meridionalis. *Metamorphosis* latet. *Sexus differt*, *mas:* ano obtuso, *femina:* ano acuminato. (Spec. Scand. 3 mere lapponicae, antennarum articulo ultimo ovato, compresso, seta brevissima terminato; haustello vix longitudine capitis; alarum area discoidali trapeziformi, nervulos tres aut integros aut medium abbreviatum in marginem alae emittente; et pedibus simplicibus, femoribus posticis longiusculis, dignotae; generi: *Microphor.* Macq. Dipt. Gall. Hybot. pag. 139. affines. Nomen nostri generis ab ἄνθος, flos, derivatur.)

**1. A. Gyllenhali:** atra, nitida, pedibus flavis, halteribus pallidis, alis albidis, fascia media nigra. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius, in foliis fruticum Betulae albae ad novaccolae sedem Umenaes, deinde ad lacum Wojmsjoe, et tandem ad praedium sacerdotale in paroecia lapponica Wilhelmina, tria specimina d. 8—19. Julii legi. Feminam horum unicam oviparam, ova 48 alba, catenulata deponentem vidi. (Lapponia.)

*Fem.* Species haec pulchra et distincta, Seniori Entomologorum Scandinaviae venerabunde dicata, vix 1 lineam longitudine superat. Atra nitida, parum pubescens. Antennae longitudine capitis transversi, articulis basalibus brevissimis, ultimo oblongo-ovato, compresso, apice seta s. stylo brevissimo. Haustellum vix longitudine capitis, oblique porrectum, crassum, palpis brevissimis. Thorax gibbus. Abdomen elongatum, ano longe producto. Alae longitudine abdominis, albidae, nervis tenuibus, pallidis, area costali trapezina tres nervulos integros ad marginem interiorem emittente; in medio alae fascia lata, transversa, nigra, ad costam distincta, sed versus marginem interiorem sensim evanescente. Halteres albidi. Pedes toti pallide flavi, simplices, femoribus posticis paullo longioribus.

**2. A. Schönherri**: nigra subnitida, halteribus pedibusque fuscis, alis fusco-hyalinis, immaculatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi seu meridionali rarius; ad Umenaes juxta radicem alp. Brattiksfjellet unicum specimen d. 8. Jul., et ad Gransele in Paroecia Lycksele, in floribus Sorbi aucupariae utrumque sexum die 25. Jun. inveni. (Lapponia Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Nigra vel nigro-fusca, glabra. Antennae longitudine fere capitis parvi, articulis infimis vix observandis, ultimo magno, lenticulato, seta apicali vix ulla. Haustellum capite duplo brevius, horizontaliter porrectum, palpis minutissimis. Oculi in vivo brunnei, parum aeneo-micantes, unicolores. Thorax gibbus. Abdomen ovatum, fusco-nigricans. Alae abdomine paullo longiores, hyalinae, certo luminis situ metallice nitentes, nervis tenuibus, pallidis, area discoidali trapezina, tres nervulos in marginem interiorem emittente, intermedium abbreviatum. Halteres fusci. Pedes simplices, aut sordide testacei aut nigro-fusci, tibiis anticis in femina subincrassatis.

Variat *mas* alarum macula costali stigmaticali nigricante.

Speciem hanc septentrionalem, inter insecta Diptera minutissimam, vix ¹ lin. longam, mollem, teneram et valde singularem, nomine Entomologi hujus aevi consumatissimi oculatissimique, cujus famae celebritas a Linneana patria supra oceanum jam peragravit, pie et gratissime condecorare ausus sum.

**3. A. pallida**: testacea, oculis, thoracis vitta dorsali antica abdominisque dorso nigricantibus, halteribus pedibusque flavis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad pagum Lycksele specimen tantum unicum detegere mihi contigit. (Lapponia Suecica.)

*Mas.* Minuta, vix ultra ¹ lin. longa, nuda, parum nitida, testacea. Oculi nigri, distantes. Antennae capite breviores, compressae (altera antenna mutilata), seta terminali nulla (an deperdita?). Partes oris in specimine exsiccato corrugatae, vix distinguendae. Thorax gibbus, testaceus, dorso tenuissime pubescens, vitta antica in medio abbreviata, nigra. Abdomen breve, testaceum, dorso fusco, ano elevato. Alae flavo-hyalinae, basi pallidiores, nervis omnibus tenuibus, simplicibus. Area discoidalis oblonga tres nervulos integros ad marginem alae emittit. Halteres magni, pallidi. Pedes breves, validi, postici paullo longiores et tenuiores; omnes pallide flavi, immaculati.

*Obs.* An hujus generis vel species *Trichinae* Meig.? Ob parvitatem insecti et partes capitis corrugatas locum certum speciei determinare non possum. *Hemerodromiae vocatoriae* affinis et habitu valde similis quidem est, sed fere duplo minor, capite nigro etc. diversa, nec *Hemerodromiae* generi inseri potest haec nostra species, quae coxis anticis minime elongatis gaudet.

## 21. Trichina. Meig.

Meig. Dipt. Eur. 6. Add. p. 335. gen. 75—76. Tab. 66. f. 10. 11.

*Corpus* minutissimum, gibbum, parum pubescens, nitidum. Antennae capite transverso paullo longiores, nudae (in extraneis Meigenianis setosae), triarticulatae, articulis 1 et 2 brevissimis, unitis, ultimo longissimo, conico, stylo terminali brevissimo, recto. Haustellum occultum. Alae incumbentes, nervis ut in *Rhamphomyza* directis. Area scilicet discoidalis trapezina tres nervulos in marginem alae interiorem emittit integros. Pedes simplices. *Color* niger. *Motus* celer. *Habitatio* in foliis plantarum, per partem sylvaticam Lapponiae. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus*; *mas*: ano obtuso, a *femina*: ano acuto differt. (Spec. Scand. 1, nostrae tantum Faunae hactenus addicta, antennis capite paullo longioribus, articulis 2 basalibus brevissimis, subcoalitis, tertio longissimo, conico, stylo brevissimo recto terminato, alarum area discoidali trapezina tres nervulos in marginem interiorem emittente, et pedibus simplicibus, dignota.)

**1. T. fuscipes**: nitida, nigra, halteribus concoloribus; pedibus fuscis; alis hyalinis, linea stigmaticali fusca, obsoleta. ♀.

Hab. in foliis plantarum rarissime; ad Stensele Lapponiae meridionalis Umensis die 4. Jul. 1832 unicum specimen inveni. (Lapponia Suecica.)

*Fem.* Valde minuta, vix ultra ½ lin. longa, parum pubescens, nitida, nigra. Oculi supra antennas conniventes. Thorax gibbus. Abdomen ovato-compressum, acutum. Alae subelongatae, hyalinae, linea stigmaticali obsolete fusca. Nervi simplices (nec furcati). Area discoidalis trapeziformis tres nervulos ad marginem alae emittit, quorum 2 superiores ad originem, h. e. in angulo areae, coëuntes. Halteres nigri, clava sat magna. Pedes fusco-testacei, tarsis ultimis nigricantibus.

*Obs.* Licet antennae in nostra specie nudae sint, nec pilosae, tamen in hoc genere sat apte collocatur. In ceteris enim notis nostrum et Meigeni genus *Trichina* simillimum. Cel. Meigen 2 species europaeas hujus, scilicet *Trich. flavipedem* et *clavipedem* descripsit, quarum neutra ad Faunam Scandinaviae pertinet.

## 22. Hormopeza. Zett.

*Corpus* parvum, cylindricum, pilosum, opacum. Antennae capite duplo breviores, biarticulatae, articulo 1 brevissimo, crasso, ultimo rotundato, compresso, stylo apicali brevi. Haustellum parum exsertum, horizontale. Oculi magni. Alae elongatae, nervis tenuibus. Area discoidalis oblonga tres nervulos in marginem interiorem emittit elongatos. Nervus tertius longitudinalis (a costa numeratus) furcatus, ramo superiori in costam excurrente, inflexo. Abdomen 7-annulatum. Pedes simplices, tarsis anticis moniliformibus. *Color* obscurus. *Motus* . . . . . *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus*; *mas*: ano subclavato, stylo centrali erecto; *femina*: . . . . . (Spec. Scand. 1, nostra lapponica, generi *Spaniae* Meig. affinis, antennarum articulo ultimo ovato, nec basi gibbo, tarsorumque forma, certe distincta. Nomen generis ab ὅρμος, monile, et πούς, pes, originem ducit.

**1. H. obliterata**: subpubescens, opaca, fusca, alis albohyalinis, nervis obsoletis, halteribus sordide albidis; pedibus lividis. ♂.

Hab. in Lapponia septentrionali seu Tornensi rarissime; ad pagum Turtola die 25. Aug. 1821 marem descriptum inveni. (Lapponia Suecica.)

*Mas.* Longit. 1¼ lin. Statura elongata, subcylindrica. Fusca, obscura. Caput globosum, nudum. Oculi magni, distincte facettati, in fronte supra antennas arcte cohaerentes, ocellis, ni fallor, 3 in vertice, elevatis. Antennae in medio faciei insertae, brevissimae, fuscae, articulo ultimo rotundato. Haustellum mox infra antennas parum exsertum. Thorax griseus, immaculatus, dorso convexus, pubescens, pleuris cinereis, nudis. Abdomen thorace dimidio longius, subcylindricum, versus apicem paullo angustius; totum nigrum, nitidum, subpilosum. Anus clava subreflexa, e cujus centro stylus brevis, pilosus erigitur. Alae albo-hyalinae, nervis ad costam distinctioribus, reliquis valde obsoletis. Area discoidalis oblonga, subretracta, tres nervulos longos ad marginem interiorem alae emittit. Nervus secundus longitudinalis (a costa) breviusculus, et tertius elongatus in apicem alae descendit rectus, atque ad apicem alae inflectitur. Halteres sordide albi, clava magna. Pedes simplices, pubescentes, lividi; postici elongati, tibiis spinulosis; tarsi antici articulis discretis, suboblongis.

## 23. Iteaphila. Zett.

*Corpus* parvum, pubescens, Empidiforme. Caput rotundatum. Antennae porrectae, capite fere dimidio longiores, distincte triarticulatae, articulo 1 cylindrico, angusto, 2 cyathiformi, et 3 longissimo, conico, stylo apicali brevissimo. Haustellum capite fere duplo longius, interdum longitudine ejus; horizontaliter porrectum. Palpi filiformes, longitudine dimidii haustelli, ei incumbentes, pilosi. Thorax convexus. Abdomen conicum. Alarum nervi ut in *Hilara* et *Empide* directi; area scilicet discoidalis magna, obovata tres nervos ad marginem alae interiorem emittit integros; nervus tertius longitudinalis furcatus, furcae ramo superiori breviori ad co-

stam fere recta ductus. Pedes simplices. *Color* niger. *Motus* haud celer. *Habitatio* in floribus Salicis, per omnes partes Lapponiae; nec alpes ipsas reformidat. *Differentia sexus; mas:* oculis supra antennas cohaerentibus, anoque angusto, varie appendicato et filato; *femina:* oculis late distantibus, anoque longe acuminato, stylo bifido terminato. (Spec. Scand. 2 mere forte septentrionales, antennis distincte 3-articulatis, articulo ultimo longissimo, stylo brevissimo terminato; haustello capite fere duplo longiori; area alarum discoidali ovata 3 nervos integros ad marginem emittente, et nervo tertio longitudinali furcato, bene dignotae. Nomen generis ab *ἰτέα*, Salix; et *φίλη*, amica, derivandum.)

**1. I. Macquarti:** subpilosa, nigricans, alarum stigmate fusco; geniculis pedum testaceis. ♂♀.

*Mas:* paullo minor, niger et nigro-pilosus, alis fusco-hyalinis, nervis subinfuscatis.

*Fem.:* paullo major, griseo-nigricans, breviter fusco-pubescens, alis albo-hyalinis, nervis infuscatis; in copula.

Hab. in floribus Salicis praesertim tempore vernali, in Lapponiis Suecicis, et meridionalibus et septentrionalibus, ubique frequenter, in copula mensib. Majo et Jun. saepe visa; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, rarius, a Björkvik juxta Ofotenfjord usque ad Alten haud longe a capite septentrionali, mihi parce obvia; ad Naes in Werdalen Norvegiae a D. BOHEMAN d. 4. Jun. capta; adscendit iterum in alpes, et in ipso alpium Tornensium jugo circiter 5000 ped. supra mare, in nive ambulantem d. 12. Jul. inveni. (Lapp.-Bottnia borealis, ex. gr. ad Johannis Ro mens. Majo freq,)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ lin. Obscura. Oculi brunnei, in femina interstitio frontali nigro, nitido disjuncti. Thorax in ♂ subvittatus, in ♀ cinerascens, fere unicolor. Scutellum margine distincte pilosum. Halteres nigricantes. Pedes simplices, nudi s. parum pubescentes, minime pilosi, femoribus in ♂ totis nigris, geniculis summis testaceis, femoribus posticis reliquis paullo longioribus.

Var. b. ♂♀. minor, aterrima; mas holosericeus, femina nitida, alis in utroque sexu infuscatis, immaculatis. In Salice ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 21—24. Jun. inventa.

Nomini Domini J. MACQUART, Entomologi in Lille Galliae Celeberrimi, plurium Societ. Litt. Membri; et „Insectes Diptères du Nord de la France, 1827—1833." operis magni pretii figurisque directionem nervorum in alis pro quovis genere adcuratissime illustrantibus ornati, Auctoris, hanc novam novi generis speciem in tesseram pietatis designavit Faunae Lapponicae editor.

**2. I. nitidula:** nigro-subpubescens nitida atra, pedibus luteo-testaceis, tarsis halteribusque nigris, alis fuscanis, stigmate obscuriore. ♀.

Hab. in alpibus Dalekarlicis rarissime; a D. BOHEMAN 1836 inventa, mihique in uno specimine ad determinandum mutuo missa. (Lappon. meridionalis.)

*Fem.* Priori duplo et ultra minor, vix $1\frac{1}{2}$ lin. long. Tota atra nitida, parum nigro-pubescens. Pedes ferrugineo-testacei, femoribus versus apicem annulo lato fusco. Tarsi nigri. Alae fumatae, stigmate nigricante.

*Obs.* Genera: „*Spania*" MEIG. Dipt. Eur. 6. Add. p. 365. T. 66. f. 12. directione nervorum in alis fere ut in *Atherice*, nec non „*Lemptopeza*" MACQ. Dipt. Gall. Hybot. 143. T. 4. f. 4., huic familiae forsitan inserenda, Faunae Scandinaviae ignota. Nec species quaedam MACQUARTI generis „*Microphor.*" Suecicae aut Lapponicae Faunae competunt, nisi speciem unam *Anthuliae* nostrae provocare dubius velis.

## FAM. 9. TACHYDROMIDES. WIED. (*Tachydromiae* *) MEIG. *Empidiae* FALL.)

Antennae porrectae, biarticulatae (articulis scilicet 2 basalibus in unum fere coalitis), articulo primo cylindrico, secundo s. ultimo aut ovato, aut elongato vel conico, aut lenticulato, seta semper terminali, deflexa. Caput parvum rotundatum. Oculi 3. Haustellum breve, perpendiculare, palpis incumbentibus. Abdomen 7-annulatum. Pedes uno pari saepissime incrassati. Corpus parvum aut minutum. Alarum incumbentium area discoidalis aut adest aut abest. Nervi longitudinales 2 aut 3 in marginem interiorem descendunt. *Victus* e rapina. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* in structura ani diversa plerumque mox indicatur.

*) *Tachydromiae* est tantummodo nomen plurale generis *Tachydromia*, ergo etiam ut nomen Familiae non usurpandum.

## 24. Hemerodromia. HFFGG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 81. MACQ. *Tachydromia* FABR. PANZ. FALL. *Empis* FABR. *Sicus* LATR.

*Corpus* parvum, saepe minutum, elongatum, angustum, glabrum, parum nitidum. Antennarum articulus ultimus ovatus. Haustellum exsertum, capite brevius. Oculi in viva virescentes, in utroque sexu linea angusta disjuncti. Directio nervorum in alis in unaquaque specie fere diversa. Pedes antici: coxis insigniter elongatis, femoribus incrassatis, his subtus spinulosis. *Color* corporis cinereus, flavus, raro niger; pedum pallidus. *Motu* non celer; ad volatum haud prompta: antequam fugam tentat, alis interdum vibrat. *Habitatio* in graminosis et foliis fruticum, per omnes partes Lapponiae, ipsas alpes nivales quaedam species non aufugiunt. *Victus* e minorum Dipterorum rapina. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, *femina:* ano acuto, et vix aliter externe differt sexus. (Spec. Scand. 11 in museo meo numerantur, antennarum articulo ultimo ovato, haustello brevi, et pedum anticorum coxis elongatis femoribusque incrassatis, a reliquis hujus Familiae generibus dignotae.)

a) Antennarum seta brevissima, vix ulla. Nervi longitudinales 3—4 saepissime apice furcati. Habitatio in uliginosis, libenter in ipsa terra arenosa ad littora lacuum et ad ripas fluminum.

**1. H. Frigelii:** grisea, thoracis lineis dorsalibus 2 fuscis; antennis basi testaceis, pedibus albidis; alis hyalinis immaculatis, area discoidali longe quadrata, nervis longitudinalibus 3 et 4 apice furcatis. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum praesertim in vicinitate lacuum et fluminum, per partem sylvaticam Lapponiae, inprimis meridionalis, vulgaris; ad Stensele, Åsele, Wilhelmina et Umenaes, at praecipue ad littora lacuum Stor-Uman et Wojmsjoen, Lapponiae Umensis, d. 5 -25. Jul. in copula saepe capta; e Lapponia Tornensi a D. DEUTSCH etiam communicata, deprehenditur quoque rarius in inferalpinis Finmarkiae, e quibus in majores alpes adscendit, et in summo alpium jugo inter Alten et Kautokeino d. 10—13. Aug. a me lecta. (Lapponia Suecica et Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Magnitudo et affinitas *Hemer.* (*Tachydrom.*) *precatoriae* FALL., sed antennis brevioribus, abdomine corpori concolore et inprimis alis immaculatis, puncto scilicet costali nigro nullo, ab illa aperte differt, nec cohabitant. Tota cinerascens s. grisea. Antennae capite saltem triplo breviores, crassae, testaceae, articulo ultimo ovato, fusco, acuminato, seta brevissima alba terminato. Palpi pallidi. Oculi in viva cupreo-virides, unicolores, in mortua brunnei, in utroque sexu distantes. Thoracis lineae dorsales 2 parallelae, fuscae. Abdomen thorace paullo obscurius, totum unicolor, ano maris subclavato, dupliciter forficato, feminae simplici, obtuso. Alae albo-hyalinae, immaculatae, nervis longitudinalibus 3 et 4 singulo furca aequaliter fere longa terminato. Halteres albidi. Pedes toti flavo-albidi, tarsis articulis 2 ultimis solum nigricantibus.

Memoriam Clarissimi Juvenis Dom. FRIGELII, Philosophiae Studiosi, sub itinere in Lapponiam Tornensem 1832 scopo entomologico ut et ornithologico instituto, et supra lacum insignem Kilpisjaur seu originem fluminis Muonio, usque ad alpium Tornensium jugum Norvegiamque directo, indefessi Collectoris, in hac specie non forsitan lapponica, denominanda, conservare mihi gratum fuit.

**2. H. oratoria:** supra aut testacea (♂), aut cinerascens (♀), subtus pallida, antennis pedibusque albis; alis hyalinis, immaculatis, area discoidali nulla, nervis longitudinalibus 3 et 4 apice furcatis. ♂♀.

*Mas:* pallidus, capite cinereo, abdominis dorso fusco, ano nigro, annulo ante anum pallido, oculis in vivo purpurascentibus, intra antennas viridi-caeruleis ibidemque conniventibus.

*Fem.:* supra cinerascens, subtus testacea, oculis in viva purpureis, in medio viridibus, et intra antennas iterum purpureis.

MEIG. Dipt. 3. 63. 3? (notae ibi allatae cum specie nostra non omnimodo conveniunt, nec figura alae quadrat. MACQ. Dipt. Gall. Empid. 103. 3. ♂. T. 2. f. 7. *Tachydromia oratoria* FALL. Dipt Sv. Emp. 11. 13. ♀. et 34. 13. ♂♀. certissime. An *Hemer. albicornis* MEIG. l. c. 64. 4. est mas hujus?

Hab. in graminosis locis aridis et in foliis Betulae, in Lapponia sylvatica d. 26. Jul. — 26. Aug. freq.; ad Åsele Lapponiae Umensis, et ad Kengis, Muonioniska atque Enontekis, Lapponiarum Tornensis et Kemensis, sat copiose vidi;

sed neque in alpibus, neque in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae hanc unquam inveni. (Lapp.-Ostrogoth. passim; Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Parva, $1\frac{1}{4}$ lin. long. Caput griseum. Antennae brevissimae, articulo ultimo conico; seta apicali vix perspicua; totae albidae. Palpi pallidi. Alae hyalinae, immaculatae, nervorum furcis inaequaliter longis. Area angusta, longe quadrata, et ita ad basin retracta, ut potius basalis, quam discoidalis dicatur. Halteres et pedes albidi, tarsis summo apice parum infuscato.

*Obs.* In Suecia inferiori mas interdum variat thoracis dorso vitta media nigra, quae varietas *Hemerodrom. albicorni* MEIG. l. c. proxime accedere videtur.

**3. H. trapezina**: supra grisescens, subtus testacea, capite cinereo; ano nigro; antennis pedibusque albidis; alis hyalinis immaculatis, area discoidali trapeziformi, nervis longitudinalibus 3 et 4 apice furcatis. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica meridionali locis paludosis, passim; juxta lacus et flumina ad Wilhelmina et Åsele Lapponiae Umensis d. 15 - 26. Jul. specimina mascula inveni. (Lapponia; in Scania ad Esperöd die 22. Aug. 1818 duo individua feminea ipsissimae speciei deprehendere mihi contigit.)

*Mas.* Magnitudo *Hem. oratoriae* s. circiter $1\frac{1}{4}$ lin. long. Statura corporis et directione nervorum in alis *Hem. precatoriae* FALL. (in figura MEIGENI *H. precatoriae* alarum nervus longitudinalis quartus simplex, et punctum stigmaticale tantum obsoletum immerito repraesentantur) affinis et similis, sed colore pallidiore et puncto stigmaticali omnino deficiente, et quod duplo minor, ab illa mox differt. *Hem. oratoriae* quoque similis, sed area in disco alae inter nervum 4 et 5 trapezina, facile dignota. Caput cinereum. Antennae capite multo breviores, albidae, articulo ultimo conico, apice vix setigero. Palpi pallidi. Oculi in viva virides, unicolores, in mortua brunnei, supra antennas fronte grisea modice, infra has hypostomate valde augusto niveo, disjuncti. Thorax supra grisescens, vix vittatus, subtus sordide testaceus. Abdomen testaceum, dorso aut toto, aut vitta inaequali, fuscis. Anus niger. Alae hyalinae, immaculatae. Nervi ut in diagnosi. Halteres albidi. Pedes albidi immaculati, tarsis apice solum fuscis.

**4. H. flavella**: flava, capite cinereo, ano fusco; antennis pedibusque albis, alis albo-hyalinis, immaculatis, area discoidali trapeziformi, nervis longitudinalibus 3 et 4 apice furcatis. ♂♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae Norvegicae rarius, in paludosis ad Schiervoe et Hacksten d. 27. Jul. plura specimina utriusque sexus inveni. (Lapp. Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et summa affinitas praecedentis, a qua colore multo pallidiore et loco natali praecipue distinguitur. Caput ut in priori constructum et coloratum. Oculi in viva pulchre virides. Hypostoma valde angustum, niveum. Antennae ut in praecedente constructae, sed fere albidiores, seta apicali brevissima, atra. Thorax flavo-testaceus, immaculatus. Abdomen testaceum, dorso in mare, macula media fusca saepe notato; ano etiam in femina obscuriore. Alae etiam quoad directionem nervorum ut in priori omnino, sed semper pallidiores, fere albidae, et nervis flavicantibus. Halteres albidi. Pedes albi, tarsis 2 ultimis nigricantibus.

**5. H. monostigma**: testacea, capite cinereo-albo, ore, antennis, halteribus pedibusque flavo-albis, abdominis dorso fusco-maculato; alis hyalinis, puncto stigmaticali nigro, area discoidali trapeziformi, nervis longitudinalibus 3 et 4 apice furcatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 62. 1. MACQ. Dipt. Gall. Emp. 104. 5. ♀. T. 3. f. 1. ala. *Tachydromia precatoria* (non praecatoria) FALL. Dipt. Sv. Emp. 10. 12. ♀. var. pallida, et Add. 34. 12. certe. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Hernoesand Angermanniae d. 30. Aug. individua feminea frequentius vidi. (Lapp.-Ostrog. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{3}{4}$ lin. A prioribus differt puncto stigmaticali alarum nigro distincto, et a *Tachydr. precatoria* genuina FALL., cui alias valde similis, colore pallido, nec cinerascente, distincta. Caput niveum, postice cinereum. Thoracis dorsum linea utrinque fusca, praesertim in femina perspicua. Abdominis dorsum maculis transversis fuscis. Articuli tarsorum 2 ultimi nigri.

*Obs.* Sub hac divisione militat etiam FALLENI *Tachydr. precatoria* (lapsu calami *praecatoria*) [*]) cinerascens, ventre pedibusque albissimis, alis hyalinis, puncto stigmaticali nigro, area discoidali trapeziformi, nervis longitudinalibus 3 et 4 apice furcatis; sed haec Sueciae mediae et meridionalis incola terris septentrionalibus vix inhabitat.

[*]) In figura MEIGENI *Hemerodr. precatoriae* alarum nervus longitudinalis 4tus simplex, et punctum stigmaticale tantum obsoletum, immerito repraesentantur.

b) Antennarum seta longissima, deflexa. Nervi alarum longitudinales saepissime simplices. Habitatio in foliis fruticum una cum *Tach. ephippiata* FALL., forte proprii generis, cui nomen *Phyllodromia* proponerem.

**6. H. melanocephala**: testacea, capite cinereo, antennarum articulo ultimo atro; abdominis dorso fusco; pedibus pallidis; alis hyalinis, area discoidali nulla, nervo longitudinali quarto furcato. ♂♀.

Var. a. ♂♀. thorace immaculato.

*Tachydrom. melanocephala* FABR. Antl. 144. 8. FALL. Dipt. Sv. Emp. 12. 16. var. α. ♂♀. *Tachydr. Mantispa* PANZ. Fn. 103. 16. ♀. (male colorata). *Hemerodrom. Mantispa* MEIG. Dipt. 3. 64. 5. (exclus. Syn. LATR. *Sicus raptor* Gen. Crust. 4. 304., nam Tom. 1. tab. 16. f. 11. aliam speciem nervis alarum 3 et 4 longitudinalibus furcatis repraesentat). MACQ. Dipt. Gall. Emp. 102. 1. T. 2. f. 5. ala.

Var. b. ♂♀. thoracis linea dorsali media nigra.

FALL. l. c. var. β.

Hab. in Lapponia meridionali mens. Aug. rarius; in foliis fruticum ad Degernfors et Lycksele Lappon. Umensis capta, in adjacentibus provinciis Westrobotnia et Angermannia frequentius visa. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, prioribus minor, 1 lin. longa. Caput cinereum, hypostomate angusto, niveo. Oculi in viva virides, certo luminis situ purpureo-micantes. Antennae flavae, articulo ultimo ovato, atro, seta longe capillari, deflexa, nigra. Palpi testacei. Thorax rufo-testaceus, aut immaculatus, aut linea dorsali nigricante. Abdomen testaceum, dorso vitta dilatata, fusca. Alae hyalinae, immaculatae, area discoidali nulla, nervisque longitudinalibus omnibus simplicibus, praeter quartum apice furcatum. Nervi 4 longitudinales marginem interiorem alae attingunt. Halteres pallidi. Pedes pallide flavi, tarsis apice fuscis.

*Obs.* Nomen triviale Fabricianum *melanocephala*, Panzeriano *mantispa* vetustius est, ergo reduco.

**7. H. vocatoria**: supra rufo-testacea, thoracis abdominisque dorso vitta longitudinali fusca; subtus pallida; capite cinereo, antennarum articulo ultimo fusco, seta albida; pedibus pallide flavis; alis hyalinis immaculatis, area discoidali nervulos tres in marginem alae emittente. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 65. 7. forte? *Tachydrom. vocatoria* FALL. Dipt. Sv. Emp. 12. 15. certe. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, tenera, priori fere minor, vix 1 lin. long. Caput cinereo-nigricans, hypostomate angusto, niveo. Antennae breves, sub-biarticulatae, testaceae, articulo ultimo fusco, seta capillari, longa, albida. Thorax rufo-testaceus, subtus pallidior, dorso vitta longitudinali fusca, antice distincta, saepe dilatata, posterius evanescente. Scutellum rufo-testaceum, immaculatum. Abdomen testaceum, dorso fuscum, ano in mare clavato, clava subreflexa, testacea. Alae hyalinae, immaculatae, area discoidali oblonga, nervulos tres in marginem interiorem alae emittente. Halteres et pedes pallide flavi, tarsis apice fuscis.

*Obs.* An *Hemer drom. vocatoria* MEIG. l. c. et MACQ. ad hanc vel sequentem speciem referri debeant, pro certo dicere non possum. Synon. Fallenianum vero certissimum est, nam typos Cel. Auctoris, qui jam in possessione mea aeque ac totum Ejus Museum sunt, ante oculos pro comparatione habeo.

**8. H. albiseta**: antennis distincte 3-articulatis, cinerea, pectore, ventre pedibusque pallide testaceis; antennarum articulo ultimo atro, seta albissima; alis hyalinis, immaculatis, area discoidali nervulos tres in marginem interiorem emittente. ♂♀.

Hab. in Lapponiae Tornensis frutetis rarius, in adjacenti Tornoa et ad Johannis Ro Botniae occidentalis, mense Septembr. frequentius legi; in alpe Dovre Norvegiae quoque a D. BOHEMAN capta mecumque communicata; in Lapponia Suecica meridionali tantum ad Lycksele d. 16. Aug. unicum specimen femineum invenit D. DAHLBOM. (Lappon.-Ostrogothia in plantis paludosis silvae Fylla prope Wadstena freq., alibi rarius.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et summa praecedentis similitudo, nec ab ea differt nisi corporis colore supra magis determinate cinereo, infra saepissime, pedibusque semper, testaceis, et antennis distincte 3-articulatis, articulo ultimo nigro. De cetero similes sunt hae species.

**9. H. irrorata**: grisea, antennis brevibus, nigris; halteribus pedibusque flavis; alis fuscis albo-guttatis, nervis 2 et 3 longitudinalibus per nervulum transversum prope apicem connexis. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 66. 9. *Tachydrom. irrorata* Fall. Dipt. Sv. Empid. 13. 17. ♂♀. *Ardoptera irrorata* Macq. Dipt. Gall. Emp. 106. 1. T. 3. f. 2. ala. (nervor. direct. bene delineata).

Hab. in Lapponia Suecica sylvatica rarissime, individua scilicet 2 hactenus tantum visa, unicum masculum in paludosis ad Elgsjoen Lapponiae Umensis ab oculatissimo Dahlbom d. 27. Jul. 1832 captum, et alterum femineum ad Kengis Lapponiae Tornensis d. 22. Aug. 1821 ipse inveni; nec in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae, nec in regione alpina unquam observata. (Lapponia; Westrogothia; Scania rarissime.)

***Mas*** et ***Fem.*** Minuta, parum ultra 1 lin. longa. Caput perpendiculariter nutans. Antennae parvae, breves, 3-articulatae, articulis basalibus brevissimis, ultimo conico-rotundato, seta antenna duplo longiori, curva. Oculi oblongi, in viva obscure brunnei. Hypostoma paullo infra oculos descendens. Haustellum breve. Palpi parvi, albi. Thorax fuscus, dorso setulosus, linea media obsoleta, albida, subtus cinereo-micans Abdomen fuscum, nudum. Alae nigro-brunneae s. fuscae, guttulis albidis in singula circiter 14, quarum 6 ad costam. Nervi fere ut in *Hem. vocatoria* directi; area scilicet discoidalis inaequalis tres nervulos in marginem interiorem emittit; sed nervus tertius longitudinalis furcatus, ramulo superiori furcae cum nervo secundo longitudinali juxta hujus apicem connexo. Halteres tenues, flavi. Pedes simplices, femoribus elongatis, muticis, sed coxis anticis minus vel parum elongatis; toti flavi, tibiarum summo apice, tarsorum articulis ultimis coxisque posterioribus, nigro-fuscis.

***Obs.*** Propter coxas parum elongatas, femora antica simplicia, nec incrassata, ut et picturam alarum nervorumque directionem etc. pro hac specie proprium genus nomine *Ardoptera* formavit Cl. Macquart, et id non sine jure; sed cum directio nervorum fere in unaquaque reliquarum specierum diversa deprehendatur, et pictura alarum magis ut nota specifica, quam generica consideranda, ad genus ***Hemerodromiam***, praeeunte D. Meigen, ad interim quoque refero speciem, quae *Wiedemanniae* nostrae etiam affinis videtur, et plura communia habet.

**10. H. nivalis:** grisea, pedibus concoloribus; antennis brevibus, nigris; alis albidis, nervis fuscedine cinctis, secundo longitudinali cum tertio prope apicem, et tertio cum quarto fere ad medium alae, nervulo connexis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in summo alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. unicum individuum inveni, in ipsa nive ambulans. (Lappon. septentrional.)

***Fem.*** Magnitudo ***Hem. irroratae.*** Grisea aut cineraseens, nuda, parum pilosa. Caput rotundatum. Antennae ut in priori. Oculi rotundi, oculo acute armato puberuli, late distantes. Hypostoma argenteum, nitidum. Os parum infra oculos descendens, apertura magna, haustello proboscide saccata haud exserto, repleta. Thorax et abdomen grisea, pleuris cinereo-micantibus Anus acutus. Alae albido-hyalinae, nervis transversis fuscedine cinctis; nervi alias ut in ***Hemerodr. irrorata*** directi, at nervus tertius et quartus longitudinal. quoque in medio fere alae nervulo transverso (inferiori adjacenti opposito), connexi. Halteres in nostro specimine mutilati. Pedes simplices, nudi, cinerei, coxis anticis sat elongatis.

***Obs.*** Affinis ***Brachystom.*** et ***Wiedemanniae*** generibus, ab hoc vero hypostomate breviori, et ab utroque, nervorum in alis directione, ut et coxis anticis longioribus distincta.

***Obs.*** *Tachydromia ephippiata* Fall., ***Elaphropeza*** Macq., huic subdivisioni associanda, Sueciae mediae et meridionalis rarissima incola, in Lapponia vix habitat

## 25. Tachypeza. Meig.

Meig. Dipt. Eur. 6. Add. 341. *) *Musca* Linn. *Tachydromia* Fabr. Fall. Meig. Zett. Macq. *Sicus* Latr.

*Corpus* minutum, elongatum, glabrum. Antennae breves, articulo ultimo compresso-elliptico, apice setigero. Palpi cylindrici, apice setigeri. Haustellum exsertum, capite multo brevius. Coxae anticae parum elongatae. Femora antica crassissima, intermedia valida, postica gracilia. Oculi in viva aenescentes, supra antennas in utroque sexu linea angusta disjuncti, infra has conniventes. Alae saepissime longae, semper angustatae, nervis longitudinalibus omnibus simplicibus et area discoidali nulla, nervis scilicet transversis ante medium alae approximatis. Vix nisi unicus nervus in marginem interiorem alae descendit. *Color* niger, obscurus, pictura alarum interdum fasciata. ***Motus:*** celerrime at abrupte cursitat; fugam vero ***volatu*** vix nisi perterrita tentat. *Habitatio* in foliis fruticum, in terra ad littora lacuum et ad ripas fluminum, truncis arborum, lapidibus et parietibus ligneis libentissime insidens; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae et Finmarkiae, in alpes non adscendens. ***Victitat*** rapina minorum insectorum. ***Differentia sexus*** externa in abdomine ***maris*** apice obtuso, ***feminae*** acuto facile invenienda. (Spec. Scand. 8 antennis articulis 2 distinctis, ultimo compresso, elliptico, palpis cylindricis, femoribus anticis crassissimis, habitu, moribus, loco natali etc. a *Tachydromia* diversae).

**1. T. arrogans:** atra, nitida, halteribus albis; antennarum basi pedibusque flavis, horum posticis fuscis; alis albis, fasciis duabus nigris discretis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus anterioribus flavis, tibiis subinfuscatis; pedibus posticis fuscis, tarsis pallidis.

*Musca arrogans* Linn. Fn. Sv. 1857. *Tachydrom. arrogans* Fall. Dipt. Sv. Emp. 13. 18. ♂♀ var. a. *Tachypeza Cimicoides* Meig. Dipt. 6. Add. 341.?

Var. b. ♀. pedibus fere totis flavis, posticorum femoribus tibiisque parum infuscatis.

Var. c. ♂♀. femoribus anterioribus testaceis, latere superiori infuscatis; posterioribus tibiisque omnibus nigris, geniculis tarsisque omnibus pallidis.

*Tachydrom. Cimicoides* Fabr. Antl. 144. 4. *Tachydrom. arrogans* Fall. l. c. var. b. descript. *Tachydrom. arrogans* Meig. Dipt. 6. Add 342. 55.?

Var. d. *albitarsis* ♂♀. pedibus nigris, femorum anteriorum basi genubusque testaceis, tarsis omnibus albissimis, apice fuscis; varietatibus prioribus fere major; an propria species?

Hab. in Lapponiae sylvaticae arborum viventium truncis; var. a. et c. rarius; var. b. rarissime; at var. d. in Lapponia meridionali haud infrequenter, ex. gr. in truncis Populi tremulae ad Lycksele, Barrsele et in Stoettingsfjellet, mense Jul. et Aug. obvia, arroganter cursitans; e varietate d. utrumque sexum ad Hernösand Ångermanniae, et ad Johannis Ro prope Tornoam Botniae borealis d. 28. Aug. — 2. Sept. quoque frequenter vidi. (Lappon.-Scania var. a. et c. freq. var. b. rar.)

***Mas*** et ***Fem.*** Minuta, circiter 1 lin. long. Atra, nitida, glabra, scutello setuloso. Antennae brevissimae, basi testaceae. Palpi albi, penicillati. Halteres albi. Alae albicantes, fasciis 2 latis, discretis, nigris aut fuscis, plerumque distinctis, rarius obsoletis; et ita locatis, ut albedo intermedia medium alae transeat, ibique fasciam albam singula fasciarum nigrarum paullo angustiorem formet. In variet. d. fasciae albae et nigrae alternantes fere omnes aequaliter latae, et oculi in viva nigro-brunnei. Pedes ut in diagnosi colorati, femoribus anticis valde, posticis modice, incrassatis.

**2. T. morio:** atra nitida, halteribus albis, antennis basi geniculisque piceis; alis albicantibus, fasciis duabus nigris, ad costam connexis. ♂♀.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae; in foliis Salicis ad littus maris borealis, ex. gr. ad Giebostad d. 22. Jul. plura specimina utriusque sexus inveni. (Lapponia; Suecia media; Ostrogothia in ripa arenosa ad lacum Wettern, rar.)

***Mas*** et ***Fem.*** Similis priori, sed paullo minor, colore pedum nigriore et fasciis alarum nigris, non liberis, sed antice connexis, aperte distincta. ***Tachypezae connexae*** Meig. Dipt. 3. 70. 3. etiam affinis videtur, sed in illa femora antica tota, et posteriora basi, flava sunt, quae omnia in nostra specie semper nigra inveniuntur. Fuscedo alarum in *T. morione* etiam magis dilatata, quam in ***T. connexa***, deprehenditur. Palpi (in exsiccata) nigri. Alae nigrae, basi anguste, sinu angusto intra marginem interiorem ad medium fere alae seu vix ultra nervum longitudinalem tertium assurgente, et summo apice, albidis. Halteres albi. Pedes nigri, geniculis et interdum tarsis piceis. Reliqua ut in praecedente.

Variat rarius femoribus anterioribus nigro-piceis.

**3. T. fuscipennis:** nigra, subnitida, palpis halteribusque albis, antennis pedibusque testaceis, horum posticis fuscis; alis nigricantibus, basi apiceque albis. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 71. 5. ♂. *Tachydrom. fuscipennis* Fall. Dipt. Sv. Emp. 14. 19. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.; Ostrogoth.-Scan. freq.)

***Mas*** et ***Fem.*** Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Nigra, subnitida. Antennae parvae, flavae, seta longa. Palpi albi, nigro-setigeri. Oculi infra antennas distincte connexi, in viva obscure brunnei, unicolores. Alae abdomine parum longiores, nigro-fuscae, basi anguste, et apice

*) Divisionem *Tachydromiarum*, quam Cl. Meigen l. c. nuper *Tachypezam* vocavit, ego etiam, antequam opus Meigeni viderim, ut proprium genus consideravi et nomen *Cormodromiam* in Collectione mea speciebus illuc pertinentibus imposui, atque sub eodem nomine species Amicis divulgavi.

summo, albae. Halteres albi. Pedes ochracei, tibiis anticis parum infuscatis; postici fusci, tibiarum tarsorumque basi testacea; coxis omnibus pallide flavo-pellucidis; femoribus anticis valde incrassatis, intermediis validis. Abdomen in femina interdum piceum.

**4. T. Truncorum:** fusco-nigra, parum nitida, palpis albis; antennarum basi halteribusque flavis; pedibus fusco-testaceis, anticorum femorum apice, posticorum tibiarum medio et metatarso, pallide flavis, alis cinerascentibus, basi dilutioribus ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 71. 6. *Tachydrom. truncorum* FALL. Dipt. Sv. Emp. 14. 20. certe. ♂♀.

Hab. in Lapponiae septentrionalis arborum truncis rarius; ad Pello et Karesuando Lappon. Umensis et Tornensis, 4. Jun. — 17. Aug. inveni. (Lapponia; Suecia media freq. Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Inter majores generis, fere 2 lin. long. Nigra, obscura, vix nitida, subtus grisescens. Antennae paullo longiores, quam in praecedente, articulo primo flavo, ultimo fusco, seta longa. Palpi albi, distincte setigeri. Oculi intra antennas connexi. Thorax distincte lobatus. Alae cinerascentes, basi pallidiores, nervo costali et tertio longitudinali distinctioribus, fuscis. Halteres pallidi. Pedes fusco-testacei, antici supra indeterminate, femoribus versus apicem, tibiisque basi, pallide flavis; intermedii geniculis tarsisque basi pallidis; postici tibiis basi late, metatarsoque flavo-albidis. Coxae, praesertim anteriores, flavo-pellucidae. Femora antica crassissima, infra, ante apicem, puncto nigro; intermedia valida.

**5. T. nervosa:** fusco-nigra, parum nitida, antennis, palpis halteribusque albis; pedibus flavis, femoribus anterioribus macula superna, posticis fere totis, fuscis, tibiis anticis posticisque apice nigricantibus; alis hyalinis, nervis fuscis. ♂.

MEIG. Dipt. 3. 72. 8?

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia; Ostrogoth. Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Praecedenti affinis et similis, sed duplo minor, pedum anticorum colore praesertim distincta. Caput ut in priori, sed antennae fere totae albidae s. pallidae, articulo ultimo vix infuscato. Alae hyalinae, nervo costali loco stigmatis, et longitudinalibus 3 et 5 ceteris distinctioribus, nigris. Pedes flavi, antici femoribus macula superna ante apicem fusca, tibiis versus apicem distincte incrassatis, totis nigris, summa basi pallida, et metatarsis basi nigris; intermedii femoribus externe macula longitudinali tibiisque basi, obsolete fuscis; postici femoribus rufo-testaceis, basi pallidis, tibiis pallidis, basi fuscis, apice nigris, tarsis flavis, apice fuscis; coxis, inprimis anterioribus, flavo-subpellucidis. Cetera ut in priori.

*Not.* Cum Cl. MEIGEN l. c. antennarum colorem omnino silet, de identitate ejus speciei cum nostra dubium manet, licet reliquae notae bene congruant. WINTHEMI *Tachypeza subulosa* MEIG. 6. Add. 342. 56. valde affinis nostrae *Tachyp. nervosae* mihi etiam videtur, sed illa palpis flavis (nec albis), et corpore nigro (nec fusco-subopaco), a nostra differt.

**6. T. Heeri:** fusco-nigra, parum nitida, palpis albis, halteribus pallidis; antennis pedibusque flavis, horum anticis in mare nigro-punctatis, posticorum femoribus totis tibiisque apice in utroque sexu fuscis; alis hyalinis, medio subinfuscatis, stigmate nigro, distincto. ♂♀.

*Tachyp. punctipes* mihi olim.

Hab. in Lapponia Tornensi et Umensi rarius; ad Torneå, Karungi et Muonioniska, ut et ad Stensele et pagum Wilhelminam, in parietibus ligneis d. 3. Jul. — 28. Aug. utrumbue sexum legi; alpes omnino fugit, sed in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae, ex. gr. ad Giebostad et Bossekop, haud longe a capite septentrionali, non raro deprehensa, et d. 4. Aug. in copula visa. (Lapponia - Angermannia rar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo *Tachyp. Truncorum* ejusque summa similitudo; sed antennis totis flavis, punctura insigni pedum anticorum in mare, et alis in utroque sexu in medio tantum infuscatis, ab illa mox differt. Antennae saepissime flavae, in uno specimine articulo ultimo subfusco. Oculi in viva obscure brunnei, unicolores. Alae hyalinae, basi albidae, in medio subinfuscatae, nervis subobsoletis, at costali praesertim in regione stigmatis, et tertio quintoque longitudinalibus, distinctioribus, fuscis. Pedes maris flavi, antici femoribus crassissimis, subpellucidis, extus basi oblique fusco-brunneis, punctoque apicis ejusdem coloris, latere interiori punctis 3 — 6, quorum uno ad apicem, et altero basi, saepe distinctioribus, nigricantibus, tibiis nigris, tarsis pallidis, apice fuscis; intermedii femoribus latere posteriori, tibiis totis tarsisque apice, brunneo-fuscis; postici nigricantes, tibiis medio et metatarsis flavis. Coxae omnes flavo-subpellucidae. Pedes feminae fere ut in *Tachyp. Truncorum*, cui etiam in reliquis similis est haec species. — Variat interdum pedum color paullo pallidior, manet tamen punctura, nota constantior.

E Lapponia ad Lundam 1832 redux, sub nomine *Tachyp. punctipes*, Entomologis patriae divulgavi unum alterumve specimen hujus novae speciei, quam nomine plurimum Reverendi D. OSWALD HEER, V. D. M., Helvetico, a quo non solum pretiosum illud opusculum, a se elaboratum, sub titulo: *Mittheilungen aus dem Gebiete der theoretischen Erdkunde*, Zürich 1834, verum etiam magnam copiam insectorum, in Sicilia, Hispania alpibusque Helvetiae etc. collectorum, obtinui, jam ornatam gratus volui.

**7. T. Winthemi:** nigra, antennis, palpis pedibusque concoloribus, metatarsis flavis, alis infuscatis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus nigris, metatarsis flavis, alis totis infuscatis.

Var. b. ♂♀. pedibus nigris, metatarsis flavis, alis costa late fusca, margine interiori albido-hyalino.

Var. c. ♂♀. pedibus rufo-piceis, alis fusco-hyalinis.

Hab. in Lapponia locis cultis frequens; variet. a. in truncis arborum, at praeprimis in parietibus ligneis ad Lycksele et Umenaes Lapponiae Umensis d. 15. Jun. — 7. Jul.; varietat. b. ad Stor-Uman Lappon. Umensis, ad Johannis Ro Botniae borealis et Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ut et in Pinu ad Bossekop Finmarkiae d. 1. Jun. — 5. Aug.; et varietatem c. in truncis exsiccatis, at inprimis supra lapides celerrime currentem praedamque capientem, ad Juckasjervi 1—3. Jul., inveni. (Lapponia-Botnia borealis rar.)

*Mas* et *Fem.* *Tachyp. truncorum* affinis et quodammodo similis, colore corporis partiumque nigro ab omnibus facile dignota. Nigra, supra parum nitida, subtus certo situ cinereo-micans, pectore nitido. Caput ut in *T. truncorum* constructum. Antennae et palpi nigra. Thorax et abdomen ut in proxime praecedentibus constructa. Alae aut totae (in var. a.) fuscae, basi parum hyalinae; aut costa (in var. b.) late fusca, margine interiori albo-hyalino, et tunc nervo quarto longit. plerumque obsoleto; aut denique (in var. c.) sordide hyalinae. Nervi etiam in var. a. et b. distincte fusci. Halteres fusci. Pedes aut nigri, aut picei, metatarsis semper flavis.

Nobilissimo Dom. WILH. VON WINTHEM, Hamburgensi, Dipterologo nostri aevi laudatissimo, speciem hanc nomine Ejus nobilitatam, amica mente offert ZETTERSTEDT.

**8. T. brevipennis:** cinereo-fusca, opaca, subpilosa, antennis, palpis halteribusque fuscis; pedibus rufo-brunneis, alis brevissimis, subinfuscatis. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae rar.; ad Björkvik prope Ototenfjord d. 14. Jul. 1821 tria specimina mascula inveni. (Lappon. — ?)

*Mas.* Inter Tachydromides minutissima, vix 1 lineam longa. Grisea, opaca, pilosiuscula. Antennae brevissimae, hujus omnino generis, fuscae, seta capillari, deflexa. Hypostoma subconvexum, griseum. Palpi brevissimi, fusci, apice setigeri. Haustellum breve, versus pectus (in exsiccato) inflexum. Alae abdomine breviores, subinfuscatae, nervi ut in reliquis hujus generis directis, at nervulo 4to longitudinali ad basin, ubi aream basalem attingit, valde obsoleto, ita ut obiter intuenti ad certum luminis situm abbreviatus videatur. Halteres fusci. Pedes toti obscure rufo-testacei, femoribus anterioribus fere aequaliter crassis.

*Not.* In Act. Holm. 1819. p. 82. speciem hujus Familiae in Gottlandia ad littus maris, et in ripis arenosis lacuum Wettern Ostrogothiae, et Silfakra Scaniae, in copula frequenter lectam, sub nomine *Empis cursitans* primus descripsi, quam vero deinde Cel. FALL. in Supplemento suo Dipterorum Sueciae, 1825 publicato, sub nomine *Tachydrom. cursitans* attulit; quae quidem *Tachypezae brevipenni* nuper descriptae praeter alarum colorem et proportionem simillima est; cum autem alae in *Tachydromia cursitante* nunquam abbreviatae, sed in utroque sexu abdomine semper longiores, et hyalinae, vix infuscatae deprehenduntur, et patria ambabus longe alia, ut diversas consideravi, donec aliter in posterum forte suadeant observationes.

*Obs.* *Tachydromia terricola* ZETT. Act. Holm. 1819 et *Tachydrom. graminum* FALL. huic generi associandae, Scaniae frequentiores incolae, in Lapponia vix habitant.

---

## 26. Tachydromia. MEIG.

MEIG. Dipt. Europ. gen. 82. FABR. FALL. *Empis* PANZ. *Sicus* LATR. *Platypalpus* MACQ.

*Corpus* parvum, saepe minutissimum, oblongum, glabrum, parum setulosum. Antennae capite saepius breviores, articulo ultimo aut ovato, acuto, aut rarius elongato-conico, seta semper longa, capillari. Palpi compressi, ovales, squamaeformes, apice ciliati. Haustellum exsertum, capite brevius. Femora antica valida, intermedia crassissima, haec subtus

spinulosa. Oculi in viva brunnei, interdum aeneo-micantes; unicolores, et infra et supra antennas in utroque sexu distantes. Alae subdilatatae, nervis ut in *Tachypeza* directis; at nervus obsoletus loco areae angularis e basi alae emittitur, unde 2 nervi marginem interiorem attingunt. *Color* corporis niger, fuscus, flavus; pictura praeter annulos pedum nulla. *Motus* et *mores:* in foliis aut graminibus sedet immobilis, quasi meditans; sed mox aut praedam captura, aut perterrita celerrime, licet non longe, cursitat, sub folii aut graminis latere inferiori sese occultare libenter conatur; fugam vero volatu non nisi invita tentare videtur. Hospitium in graminosis, foliis fruticum et arborum, vix unquam in truncis, parietibus aut terra; per partem sylvaticam et subsylvaticam Lapponiae, atque inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque, alpes tantum summas nivales aufugiens. Insecta minora praesertim infestat, iisque victitat. *Differentia sexus* ex ano *maris* obtuso, feminae acuto, saepe subbifido, et vix aliter externe, conjicienda. (Spec. Faunae Scandinaviae restant 32, Fallenianis plerisque ad alia genera relegatis, antennis articulis 2 distinctis, ultimo ovato, acuto, aut conico, palpis compressis, squamaeformibus, femoribus intermediis crassissimis, subtus spinulosis alarumque nervis longitudin. 2 in marginem interiorem descendentibus, horum basali obsoletiori, dignotae.)

### *Sectio* I. *Antennae capite breviores.*

a) Pedibus plerumque totis flavicantibus.

° Thorace cinerascente s. cinereo-pruinoso.

**1. T. flavipes**: cinerascens, abdomine atro, nitido, palpis haustello brevioribus, albidis; pedibus flavis, articulis tarsorum apice, antennisque, nigris; alis hyalinis, parum fusconervosis. ♂♀.

Var. a ♂♀. femoribus immaculatis.

FABR. Antl. 142. 1. MEIG. Dipt. 3. 81. 32. certe. (*Tachydr. flavipes* FALL. var. a. alia est spec. ad *Tachydr. pallidiventr.* nob. referenda.)

Var. b. ♂♀. femoribus posterioribus supra macula fusca, obsoleta.

*Tachydrom. flavipes* FALL. Empid. 6. 1. var. β.

Hab. in graminosis et foliis fruticum per partem sylvaticam Lapponiae rar. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Caput cinerascens, hypostomate angusto, albido. Antennae capite multo breviores, nigrae, articulo ultimo ovato, acuto. Haustellum vix longitudine capitis, nigrum. Palpi haustello quadruplo breviores, parum exserti, albidi, pilosiusculi. Thorax griseus, brevissime subpubescens, pleuris cinereis. Abdomen atrum, nitidum, subpilosum. Alae hyalinae, nervis parum fuscis, non tamen pallidis, longitudinali ultimo ad marginem interiorem (loco areae angularis) excurrente, valde obsoleto, nervuloque transverso ad basin alae ad partem tantum perspicuo. Halteres albi. Pedes toti cum coxis luteo-flavi, femoribus intermediis anticis subcrassioribus, tarsorum omnium apice nigro, unde tarsi 5-annulati videntur.

**2. T. bicolor**: cinerascens, abdomine atro, nitido, palpis haustello brevioribus albidis, pedibus flavis, articulis tarsorum apice nigris; antennis fuscis, basi pallidis, alis hyalinis, nervis flavicantibus. ♂♀.

FABR. Antl. 143 2. MEIG. Dipt. 3 82. 34? ♀. *Tachydr. flavipes* FALL. Dipt. Sv. Emp. 6. 1. Descr. var. antennis basi pallidis." *Tach. fasciata* MEIG. Dipt. 3. 86. 43? ♀. An *Platypalpus bicolor* MACQ. Dipt. Gall. Emp. 98. 11? Tab. 2. f. 4. ala.

Hab. in Lapponia rariss. (Lapponia-Hernösand Ångermanniae 29. Aug. rar.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Affinis priori, differt: antennarum articulo primo flavo, alarum nervis magis pallidis, et annulis tarsorum minus intense fuscis, fere brunneis. Femora intermedia anticis paullo tantum crassiora. Cetera ut in praecedente.

*Not.* An Syn. MEIG. *T. fasciata* ad hanc speciem vel ad *T. candicantem* (No. 7. infra) var. c. mihi, rectius sit referendum, pro certo statuere non audeo.

**3. T. pallidiventris**: cinerascens, abdomine atro, nitido, ventre flavo; palpis haustello brevioribus, albidis; pedibus flavis, articulis tarsorum apice nigris, antennis fuscis, basi pallidis, alis hyalinis, nervis flavicantibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 82. 35. ♀. *T. flavipes* FALL. Dipt. Sv. Emp. 6. 12. ♂♀. var. minor, certe.

Hab. in Lappon. meridionali rarius; ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 11. Aug. praesertim individua feminea vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* 1 lin. longa. Prioribus simillima, sed a *T. flavipede* magnitudine minori, antennarum articulo primo flavo, alarumque nervis pallidioribus, a *T. bicolore*, cui adhuc magis affinis, magnitudine feminae minori differt, et ab utraque colore ventris flavo, facile dignoscitur.

*Not.* Cel. FALL. plures species commiscuit, quae sub ejus *Tachydr. flavipede* latent, ex. gr. MEIGENI *T. fuscipes*, *flavipes*, *flavicornis*, *pallidiventris*, *calceata*, *longicornis*, *flavipalpis*, *notata* et *bicolor*, quae omnes Illustri viro vix ignotae fuerunt, et quarum pleraeque in Collectione defuncti asservantur. Nec Synonymia MEIGENI sine maxima difficultate extricatur, etenim diagnoses, ex regulis logices vix compositae, et descriptiones insufficientes in plures species quadrant, ita ut dubium de descripta saepe maneat, ubi figura non simul illustratur. Forte etiam harum quaedam sunt non nisi varietates, levissimis notis tantum discrepantes.

**4. T. calceata**: cinerascens, abdomine atro, nitido, palpis haustello brevioribus; antennarum basi pedibusque luteo-flavis, tarsis apice fuscis; alis hyalinis, nervis flavicantibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 87. 45. ♀. *Tach. flavipes* var. γ. FALL. Dipt Sv. Empid. 6. 1. ♂♀.

Hab. in fruticibus Lapponiae Umensis d. 2. Jul. — 20. Aug. feminae frequentiores, mares rarius; ex. gr. ad Umenaes, Wilhelmina et Lycksele; ad Bjorkvik Nordlandiae Norvegicae feminas rarissime vidi. (Lappon.-Hernösand 29. Aug. ♂. Scan. freq. in cop.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. A prioribus differt: haustello breviori, longitudinem scilicet dimidii capitis vix superante, et tarsis pedibus flavis concoloribus immaculatis, articulis tantum 1 et 2 ultimis nigris. Antennae flavae, articulo ultimo ovato, nigro. Hypostoma angustum, album. Palpi haustello multo breviores, pallidi. Thorax griseus, dorso pruinoso, pleuris cinereis. Abdomen atrum, nitidum, immaculatum. Alae flavescentes. Halteres albidi. Pedes luteo-flavi, tarsis apice nigris, femoribus intermediis crassissimis. *Mas* saepe alis minus flavicantibus, pedibus pallidioribus et tarsorum articulis apice fuscis. Hic a *Tach. bicolore* vix nisi magnitudine minore et haustello breviore differt.

**5. T. socculata**: cinerascens, abdomine atro, nitido; palpis haustello brevioribus, pallidis; antennis totis nigris; pedibus luteo-flavis; tarsis apice fuscis; alis hyalinis, nervis flavicantibus. ♀.

Hab in Lapponia meridionali rarius; ad Lycksele tria specimina mense Aug. inveni. (Lappon.-Ostrogothia ad urbem Wadstena ♂♀ in copula.)

*Fem.* Magnitudo, color et omnia ut in praecedente, excepto quod antennae in *T. calceata* basi flava, sed in *T. socculata* totae nigrae deprehendantur. Et cum non nisi similis cum simili copulatur, ut distinctas species ambas proponere non haesitavi.

**6. T. ecalceata**: cinerascens, abdomine atro, nitido, palpis haustello brevioribus; antennis basi pedibusque flavis, tarsis concoloribus; alis hyalinis, nervis pallidis. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae rarissime; in alpe Lyngen (Lyngentind) unicum specimen d. 26. Jul. 1821 inveni. (Lapponia.)

*Mas* Duabus proxime praecedentibus iterum magnitudine aequalis iisque simillima, sed a *T. socculata* antennis basi flavis, et ab utraque pedibus magis pallide flavis (nec lutescentibus), alis minus coloratis, fere hyalinis, nervis tantum pallidis, et praeprimis tarsis omnibus totis flavis, omnino immaculatis, differt.

**7. T. candicans**: cinerascens, abdomine atro, palpis haustello dimidio brevioribus; antennarum basi pedibusque albidis; alis hyalinis, nervis pallidis, tertio quartoque longitudinalibus non parallelis. ♂♀.

*Mas:* palpis brevissimis vix tertiam partem haustelli tegentibus, angustis, albis, nervo longitudinali 4to minus curvato, non omnino in summo apice alae cessante; tarsorum articulo ultimo plerumque fusco.

*Fem.:* palpis majoribus, dilatatis, dimidiam saltem haustelli partem attingentibus, albidis, nervo longitudinali 4to magis incurvato, ita ut fere in summum apicem alae excurrat, ibique cum nervo costali conjungatur; pedibus quoque pallidioribus et tarsorum articulo ultimo vix infuscato.

Var. a. ♂♀. $1\frac{1}{2}$ lin. long., abdomine atro, in ♂ immaculato, in ♀ basi (segmentis 1, 2) maculis ad latera cinereis.

MEIG. Dipt. 3. 85. 42. ♀. FALL. Dipt. Sv. Emp. 10. 11. ♂♀. var. minor.

Var. b. ♀. 2 lin. lóng.; abdomine atro, segmentis 1, 2, 3 lateribus cinereis.

FALL. l. c. var. α. major.

Var. c. ♀. 2 lin. long.; abdomine atro, segmentis omnibus basi ad latera cinereis, ita ut fasciae angustae, interruptae, cinereae formentur.

*Tachydr. fasciata* MEIG. Dipt. 3. 86. 43?

Hab. in Lapponia passim; mascula rarissime, at feminea

individua praesertim in foliis Betulae albae ad Evenäs et Giebostad Nordlandiae Norvegicae d. 17—27. Jul. plura legi. (Lappon.-Suecia media passim-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* A priori differt magnitudine duplo vel triplo majori, et ab omnibus praecedentibus colore partium magis albidiori, ac praeprimis nervis alarum 3 et 4 longitudinalibus non paralleliter directis, sed ita curvatis, ut in medio alae magis distent, et versus apicem sensim appropinquentur, licet nullimode coëant. Antennae flavae; articulo ultimo magis, minus infuscato. Thorax cinereus, pleuris pallidioribus. Halteres albidi. Annuli tarsorum obsoletissime fusci.

*Obs.* Species Meigenianae, *Tachydrom. fuscipes*, *notata* et *flavicornis* huic subdivisioni subjectae, in Suecia inferiori rarius, in Lapponia vix unquam, inventae.

** Thorace nigro, nitido.

**8. T. flavipalpis**: atra, nitida, palpis pedibusque pallide flavis, tarsis fuscis; antennis nigris; alis hyalinis, basi pallidis; haustello brevissimo; femoribus intermediis crassissimis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. corpore atro.

Meig. Dipt. 3. 74. 15. ♀. *Tachydr. pallipes* Fall. Dipt. Sv. Emp. 8. 6. var. „tarsis fuscis" (*Platypalpus flavipalpis* Macq. alia est species, mihi ignota).

Var. b. ♀. corpore ferrugineo; forte nuper exclusa.

Affinis videtur *Platypalpo cothurnato* Macq. Dipt. Gall. Emp. 100. 17.

Hab. in foliis fruticum locis paludosis in Lapponia Tornensi mense Julio passim; ad Karungi et Turtola paullo frequentius legi, jam die 27. Maji proventa, et die 27. Aug. iterum visa; e Tornea a D. Deutsch missa, in Lapponia meridionali quoque haud raro occurrit, et in fruticibus ad Åsele et Wilhelmina Lapponiae Umensis 15—25. Jul. utrumque sexum deprehendi. (Lappon.-Ångermannia-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* 1½ vel 1¾ lin. long. Nigra, nitida, thorace parcissime subpubescente, subtus cinereo-micante. Antennae nigrae, paullo elongatae, apice fuscae, seta longa, fusca. Haustellum capite quadruplo brevius. Palpi in utroque sexu magni, distincte squamaeformes, fere ad apicem haustelli extensi, flavi. Oculi in viva brunnei. Alae hyalinae, immaculatae, linea stigmaticali distinctiori, nigra; basi pallidae. Halteres albidi. Pedes pallide flavi, tarsis inprimis fuscis, metatarso subtestaceo. Femora intermedia crassissima, antica valida. Variat etiam *mus* femoribus posterioribus ad apicem macula brunnea obsoleta.

**9. T. pygmaea**: atra, nitida, palpis pedibusque flavis, tarsis apice fuscis; antennis nigris; alis pallide hyalinis; haustello brevissimo; femoribus intermediis subcrassioribus. ♂♀.

Hab. in Lapponiis septentrionalibus Tornensi et Kemensi passim, in graminosis aridis et foliis Betulae ad Kengis et Karesuando, ut et in inferalpinis maritimis Nordlandiae Norvegicae 13. Jul. — 22. Aug. haud infrequenter legi; in Dovrefjell mens. Jul. a. D. Boheman etiam capta. (Lappon.-Botnia borealis et Ångermannia, 15. Sept. pass.)

*Mas* et *Fem.* Inter minores generis, vix 1 lin. longa. Affinis praecedenti, sed saepe duplo minor, antennis paullo brevioribus, alis pallidioribus, tarsis tantum apice fuscis, et femoribus intermediis minus incrassatis, satis superque distincta. Atra, nitida, vix pubescens. Antennae breviusculae, angustatae. Haustellum capite triplo brevius, palpis ad medium haustelli extensis, flavis. Alae hyalinae, nervo costali in regione stigmatis distinctiori, nigro. Halteres albidi. Pedes flavi, tarsis apice subinfuscatis, femoribus anterioribus validis, subaequaliter crassis; posterioribus versus apicem saepe obsolete fusco-maculatis.

**10. T. unguiculata**: atra, nitida, antennarum basi, palpis pedibusque pallide flavis, tarsorum articulo ultimo nigro, alis hyalinis nervis pallidis; haustello brevi; femoribus anterioribus subaequaliter crassis. ♂♀.

Hab. in graminosis locis aridis; in Lapponia Tornensi 1. Sept. rarius, sed in Lapponia Umensi 3. Jul. — 1. Aug. vulgaris, ibique ad Stensele, Umenaes, Naestansjö et in monte subalpino Stoettingsfjellet, inventa; in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Giebostad d. 22. Jul. et in alpe Lyngen d. 26. Jul. frequenter lecta. (Lapponia-Botnia borealis et occidentalis; Ångermannia rar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo prioris eique similis; differt antennarum basi flava, alis pallidioribus, linea stigmaticali nulla, pedum colore flavo dilutiori, et tarsorum articulo tantum ultimo distincte nigro; reliqua ut in *T. pygmaea*, a qua tamen certe distincta est species.

*Obs.* Huic subdivisioni etiam adnumeratur *Tach. ciliaris* Fall., Faunae nostrae ignota.

*** Thorace pallido vel rufo.

*Tach. flavipalpis* var. b. thorace rufescente; vide subdivisionem antecedentem.

**11. T. lutea**: lutea, nitida, antennarum articulo ultimo nigro; haustello elongato; femoribus intermediis crassissimis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. 10. 10. certissime. ♀. Meig. Dipt. 3. 89. 5. forte. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali; ad Almsele in paroecia Åsele d. 24. Jul. rarissime. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1' lin. Subpubescens. Nitida, lutea, hypostomate albido. Antennae pallidae, articulo ultimo breviter ovato, nigricante. Haustellum longitudine capitis, luteum. Palpi brevissimi. Oculi in viva brunnei, aeneo-micantes, in mortua nigri. Abdomen in ♂ fuscum. Alae in utroque sexu hyalinae, nervis nigricantibus, basi flavis. Pedes toti flavi, immaculati.

*Not.* Haustellum et tarsorum articulus ultimus in hac specie „nigra" dicuntur a Cl. Meigen l. c. In nostris autem speciminibus hujus speciei et lapponicis et suecicis haustellum tarsique toti lutea sunt. Vix tamen species diversae, nam in reliquis omnibus simillimae.

*Obs.* Huic subdivisioni adjungantur Sueciae inferioris incolae *Tachydr. pectoralis* Fall. ut et *Tach. glabra* Meig., in Lapponia hactenus non observatae.

b) pedibus maxima ex parte nigris.

**12. T. annulata**: atra, nitida, capite thoraceque cinereo-pruinosis, hypostomate, palpis halteribusque albis, pedibus luteis, femorum medio late, tibiarum apice, tarsorumque annulis, nigris. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Emp. 7. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 77. 22. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Lapponiae passim; ad Haparanda et Karesuando Lapponiae Tornensis, ad Muonioniska Lapponiae Kemensis, nec non ad Badstutraesk, Åsele et Stoettingsfjellet Lapponiae Umensis 29. Jun. — 1. Sept. haud infrequenter legi; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nordlandiae meridionalis et ad Giebostad ac Björkvik, mense Julio in copula capta. (Lappon.-Scania ubique vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Nitida, nigra. Caput postice cinereum. Hypostoma angustum, album. Haustellum capite brevius. Palpi longitudine dimidii haustelli, albi. Antennarum articulus ultimus conicus. Thorax parce cinereo-pruinosus. Abdomen nitidissimum, glaberrimum. Alae hyalinae, nervis parum fuscis. Halteres albi, petiolo basi testaceo. Pedes subpilosi, femoribus in medio latius vel angustius nigris, anterioribus subaequaliter incrassatis.

**13. T. sordida**: nigra, capite thoraceque subcinereo-pruinosis, hirsutulis, halteribus albidis, geniculis tibiisque anterioribus luteis; femoribus intermediis crassissimis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in Pinu sylvestri ad Lycksele unicum par die 14. Aug. 1832 captum. (Lapponia meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* ♂ 1, ♀ 1¼ lin. long. *Tach. nigrinae* Meig. valde affinis, sed differt ab illa: thorace hirsutulo, minus nitido, et antennis paullo longioribus. Nigra tota. Haustellum capite brevius. Antennarum articulus primus brevissimus, ultimus elongato-conicus, seta articulo hoc vix longiori, valida, crassa, deflexa, nigra. Thorax ut in diagnosi. Abdomen nitidum, glabrum. Alae hyalinae, nervis fuscis. Halteres albi. Pedes nigri, geniculis tibiisque anterioribus testaceis, tarsis etiam piceis. Tibiae posticae in ♂ etiam fusco-testaceae. Femora antica valida, intermedia crassissima.

**14. T. moriella**: nigra, nitida, glabra, halteribus albis, alis albo-hyalinis, nervo longitudinali secundo brevi, subincurvo; femoribus subaequalibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia forte rarius, mihi enim non nisi in inferalpinis Nordlandiae ad Giebostad d. 22. Jul. obvia. (Lappon.-Norveg.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, vix 1 lin. long. *Tach. nigrae* Fall. valde affinis et similis, sed differt: antennis paullo longioribus, alis magis albidis et nervis minus nigricantibus, fere fuscis, ut et secundo horum ad costam paullo curvato, nec omnino recto. Tota nigra, glabra, setis paucissimis vestita. Antennae longitudine fere capitis, articulis subaequaliter longis, seta capillari nigra longitudinem antennae vix superante. Alae albicantes. Pedes nigri, geniculis piceis, femoribus omnibus subaequalibus, parum crassis.

*Not.* Cum *Drapete exili* (infra descripta), antennis brevioribus, nervo alarum secundo breviori, magis incurvo, instructa, haec species non confundenda.

*Obs.* Subdivisioni huic inserantur species Meigenianae *Tachydr.*

*nigra*, *geniculata*, *nigrina*, *minuta* et *celer*, quae in Suecia inferiore, non autem in Lapponia, a me inventae fuerunt.

### *Sect. 2. Antennae capite longiores.*

**15. T. pubicornis**: nigra, nitida, pilosa, antennis concoloribus, pubescentibus, palpis halteribusque albis; alis hyalinis, nervis pallidis; pedibus flavis, tarsis subinfuscatis, femoribus anterioribus subaequalibus. ♂♀.

Hab. in graminosis et in foliis Populi Tremulae et Salicis in Lapponia Umensi, ex. gr. ad Lycksele, Asele et Wilhelmina 1—29. Jul. frequenter, in copula quandoque capta; deprehenditur quoque in interalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, et ad Bjorkvik ac Bossekop 14. Jul. — 15. Aug. visa. (Lapp.-Angermannia; Ostrogothia, pass.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo *Tach. flavipedis* (No. 1), et affinitas *Tach. longicornis* MEIG., antennis pubescentibus etc. ab utraque certe distincta. Nigra, nitida. Caput griseum, hypostomate angusto, cinereo. Haustellum capite brevius. Palpi brevissimi, albidi. Antennarum articulus primus brevissimus, fusco-testaceus, ultimus capite dimidio longior, anguste conicus, breviter pubescens, niger, seta brevi. Oculi in viva nigro-brunnei. Thorax et abdomen parce pilosa. Pectus cinereo-micans. Alae hyalinae, nervis pallidis. Halteres albi. Pedes flavi, pilosi, tarsis praesertim anticis plus minus infuscatis, in femina fere nigris, femoribus anterioribus in utroque sexu subaequaliter crassis.

**16. T. pallipes**: nigra, nitida, vix pilosa, antennis concoloribus, nudis, palpis halteribusque albis; alis hyalinis, nervis basi pallidis, pedibus flavis, tarsis testaceis, femoribus intermediis crassissimis. ♂.

FALL. Dipt. Sv. Emp. 8. 6. ♂♀. MEIG. Dipt. 3. 74. 14. (nec *Tachydr. longicornis* MEIG. Dipt. 3. 73. 12. ab hac multum differre videtur.)

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, ad Kengis et Karesuando d. 12—22. Aug. 2 specimina mascula inveni. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas.* Long. 1 lin. Nigra, nitida, nuda, capite concolore. Antennae longitudinem capitis parum superantes, seta capillari, longitudine articuli ultimi. Palpi albi. Alae hyalinae, nervis, praesertim stigmaticali, distinctis, nigris, basi pallidioribus. Pedes flavi, femoribus posticis apice, tarsisque testaceis.

*Obs.* *Tachydr. pallipes* ♂♀ FALL. (sub qua etiam *Tach. pubicornis* mihi, latet), quae in Suecia inferiori occurrit, paullo major est, et palpis flavis pedibusque pallidioribus a nostra differt, vix tamen distincta species.

**17. T. nigritarsis**: nigra, nitida, vix pilosa, antennis concoloribus nudis; palpis halteribusque albis, alis hyalinis, nervis fuscis; pedibus luteis, tibiis anticis, femoribus posticis apice, tarsisque omnibus, nigricantibus, femoribus intermediis crassissimis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Emp. 34. 1. 2. ♂♀. MEIG. Dipt 3. 74. 13.

Hab. in Lapponia sylvatica; ad Kengis et Karesuando Lapponiae Tornensis, ut et ad Lycksele, Åsele et Fredrica Lapponiae Umensis d. 25. Jul. — 22. Aug. passim. (Lapp. Suecica-Scania freq.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo et affinitas prioris. Antennarum seta brevis. Pedes, antici femoribus luteis, crassi, tibiis tarsisque nigris; intermedii, femoribus crassissimis luteis, supra saepissime infuscatis, tibiis fuscis, tarsis nigricantibus; postici femoribus mediocribus luteis, apice late nigris, tibiis tarsisque luteis, apice infuscatis. — Var. ♀ dimidio major; ad Haparanda 1. Sept. lecta.

*Obs.* Huic Sectioni competunt etiam Faunae Suecicae hujus generis species: *Tach. albo-capillata* FALL., *dissimilis* FALL. et *longicornis* MEIG. Harum vero nullae in Lapponia huc usque detectae, quantum novi.

## 27. Drapetis.*) MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 83. MACQ. *Tachydromia* FALL.

*Corpus* minutissimum, oblongo-ovatum, nitidum, glabrum. Antennae capite breviores, articulis 2 distinctis (secundum MACQ. 3.) basali brevissimo, secundo seu ultimo ovato, apice seta elongata. Haustellum brevissimum, perpendiculare, palpis tectum. Oculi in utroque sexu distantes. Femora omnia subaequalia, simplicia. Tibiae nudae. Alae ut in *Tachydromia*, et nervus longitudinalis secundus brevior, parum ultra dimidiam costam extensus, magisque incurvus. *Color* niger. *Motus:* cursu celerrimo, nec nisi perterrita volatu aufugit. *Hospitium* in truncis arborum viventium, in quorum rimis corticalibus saepe latitat; in foliis agilissime currens insecta minora praedatura; per partem sylvaticam Lapponiae meridionalis. *Differentia sexus; mas:* abdomine subcylindrico, ano obtuso; *femina:* abdomine subovato, ano acutiori. (Sp. Scand. 1. Faunae nostrae communis, antennis brevibus articulo ultimo ovato, femoribus omnibus aequalibus, simplicibus, et nervo longitudinali secundo brevi, vix ultra dimidiam costam extenso, incurvo, a *Tachydromia* et affinibus dignoscitur.)

**1. D. exilis**: nigra, nitida, halteribus nigricantibus, pedibus testaceis, alis hyalinis, nervis fuscis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 91. 1. ♂♀. *Tachydrom. assimilis* FALL. Dipt. Sv. Emp. 8. 5. ♂♀. et 34. 5. ♂♀. certe.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; etiam ad pagum Degenfors in trunco arboris ad domum Pastoris plantatae, d. 22. Aug. legi. (Lappon.-Ostrogoth. Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—¾ lin. Statura gibba. Tota nigra, nitida. Similis *Tachydrom. nigrae* FALL. ut et *Tachydr. moriellae* nobis, sed praeter pedum colorem alium, differt etiam haustello breviori et antennarum forma nervorumque in alis directione diversa. Antennae capite paullo breviores, articulo ultimo semilenticulato, seta longitudine vix duplo totius antennae. Palpi nigri haustellum brevissimum fere totum tegunt. Alae hyalinae, nervis fuscis; nervus auxiliaris ad medium costae, et secundus longitudinalis paullo medium ejus, curvatim extenduntur. Pedes aut testacei, aut ferruginei, femoribus aequaliter crassis, posticis saepe obscurioribus.

## FAM. 10. EMPIDIAE. FALL. MEIG. (*Empides**)) LATR. MACQ.

Antennae porrectae, distincte triarticulatae, articulo primo cylindrico, secundo brevi, tertio subconico, seta aut stylo terminato. Caput rotundatum. Ocelli 3. Haustellum exsertum, perpendiculare aut sub pectore inflexum, longitudine capitis aut illo longius. Palpi erecti, haustello non incumbentes. Abdomen 7-annulatum. Alae incumbentes. Area discoidalis saepissime adest. Nervi longitudinales 3 aut 4 rarissime 5 marginem interiorem attingunt. Pedes varii, saepius pilosi. *Victus* e succo florum et e rapina. *Metamorphosis* haud rite cognita, at secundum observationem MACQUARTI larvae quaedam *Empidum* sunt terrestres, et simili fere modo ac *Asiliorum* transformantur. *Differentia sexus* in variis generibus diversa.

## 28. Hilara. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 76. MACQ. *Bibio* PANZ. *Tachydromia* FABR. *Empis* FABR. LATR. FALL.

*Corpus* parvum aut minutum, oblongum, subpilosum. Antennarum articulus 1 cylindricus, 2 cyathiformis, 3 subulatus, compressus, apice stylo biarticulato. Haustellum perpendiculariter exsertum, capite brevius, crassum. Oculi in utroque sexu distantes, in viva aenescentes. Area alarum discoidalis tres nervulos in marginem interiorem emittit. Nervus tertius longitudinalis ad apicem alae furcatus. Metatarsus masculorum anticus incrassatus. *Color* niger. *Volatus* sat celer. Tempestate serena mares vespere supra aquam vel in vicinitate ejus choreas in aëre quasi hilaritate saepe instituunt. *Habitatio* in foliis fruticum; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. Dipterorum minorum rapina victitat, mel florum non respuens. *Metamorphosis* latet. Larvas quarundam in aqua degere, haud desunt rationes. *Differentia sexus; mas:* oculis sat late distantibus, abdomine cylindrico, ano obtuso, crasso, varie appendiculato, et metatarso antico incrassato, a *femina*: oculis minus late distantibus, abdomine oblongo, apice acuminato, et metatarso antico simplici, mox dignoscitur. (Spec. Scand. 27 in Museo meo adsunt, antennarum articulo ultimo subulato, compresso,

*) *Drapetes* MEGERLE est genus *Coleopterorum*. Vide DEJ. Catal. edit. 2da p. 84. Est etiam nomen *plantae* generis ad Ordinem Thymelaearum relati. Cfr. WIKSTROM Act. Holm. 1818. p. 270.

*) Vocabulum *Empides* est nomen plurale *generis Empis*, ergo ad *Familiam* etiam designandam minime aptum. Cel. BILLBERG in enumeratione sua insectorum, Familiam hanc: *Empidides*, melius jure vocavit.

apice stylo biarticulato, haustello capite fere breviori, crasso, nervo tertio longitudinali ad apicem alae furcato, ut et pedum anticorum metatarsis in mare incrassatis, ab affinium generum speciebus facile dignotae.)

**1. H. abdominalis:** pilosa, cinerea, thorace vittis 2 fuscis, alis hyalinis, abdomine livido, halteribus pedibusque flavis, tarsis fuscis; metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; ad ripas lacuum Stor-Uman et Wojmsjoen, ut et ad novaccolae sedem Umenaes Lapponiae Umensis, 6—13. Jul. 1832 invenimus D. DAHLBOM et ipse; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae, et ad Björkvik juxta Ofotenfjord d. 14. Jul. 1821 in copula semel legi. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 3 lin. Affinis *Emp. gallicae* FALL. Tota pilosa, cinerea. Antennae nigrae, basi lividae. Abdomen in ♂ lividum, in ♀ livido-fuscum, ano in ♂ appendicibus inflatis, et sursum flexis. Alae in utroque sexu hyalinae, basi pallidiores, nervis vix fuscis linea stigmaticali fusca, obsoleta. Pedes testacei, distincte pilosi, tarsis fuscis. Metatarsus anticus in mare lividus, oblongus, incrassatus; articulus secundus tarsorum anticorum etiam incrassatus, rotundatus.

**2. H. fuscipes:** subpilosa, nigricans aut nigro-cinerascens, thoracis vittis 2 fuscis, alis hyalinis, linea stigmaticali nigra, halteribus albidis, pedibus sordide testaceo-ferrugineis, tarsis fuscis; metatarso antico in mare incrassato, oblongo. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 6. 9. ♂♀. (exclus. Syn. FALL *Emp. intermedia*). *Empis fuscipes* FABR. Ent. Syst. 4 406. 14.

Hab. in Betula, ad Bjorkvik Nordlandiae d. 14. Jul. rarius capta. (Lapponia; Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* 2 lin. long. Tota obscura. Alae ut in priori, at basi vix pallidiores, nervis pallidis. Pedes minus pilosi quam in praecedente, toti fusco-ferruginei, tarsis adhuc fuscioribus. Metatarsus anticus in ♂ niger, oblongus, at paullo minus incrassatus, quam in priori.

**3. H. maura:** nigra, nitida, thorace trivittato, alis hyalinis, linea stigmaticali nigra, halteribus fuscis, tibiis muticis, metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀.

FABR. Antl. 139. 9. *Empis maura* FALL. Dipt. Sv. Emp. 23. 16. ♂♀. *Hilara globulipes* MEIG. Dipt. 3. 3. 2. (exclus. Syn. PANZ. *Bibio senilis*, quae alia est species, paullo major, corpore villoso, et quam *Hilar. pilosam* vocavi).

Hab. in Lapponia Suecica Dalekarlica rarissime; sed ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae d. 14. Jul. in copula haud infrequenter vidi, choreasque supra aquam ducentem. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. et ultra. Fusco-nigra seu obscura, tota subglabra. Oculi in viva fusco-aenei, unicolores. Haustellum capite fere dimidio brevius. Thorax dorso vittis 3 atris. Alae hyalinae, linea stigmaticali distincta Halteres fusci Pedes nigri, nudi et inermes, metatarso antico maris oblongo (nec ut Cel. MEIGEN dicit: „subgloboso“).

*Not.* Nomine novo „*subgloboso*“ rejecto, vetustum Fabricianum huic speciei restitui.

**4. H. interstincta:** pilosa, nigra, thorace vittato, alis hyalinis linea stigmaticali nigra, halteribus fuscis, tibiis spinulosis; metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 6. 8. ♂♀. *Empis interstincta* FALL. Dipt. Sv. Emp. 24 17. ♂♀.

Hab. in Lapponia pass., a die 1. Jul. usque ad 22. Aug. obvia, scilicet ad Kengis et Karesuando Lapponiae Tornensis, ad Muonioniska Lappon. Kemensis, ut et ad Lycksele et Asele Lapp. Umensis frequenter visa, supra aquam choreas ducens; deinde rarius in regionem alpinam adscendit, et inter lacum Kilpisjaur ac urbem Tromsoe Norvegiae a D. FRIGELIO parce lecta; deprehenditur iterum in inferalpinis Nordlandiae, et ad Björkvik et Lyngen inveni; in alpe Dowre a D. BOHEMAN in copula capta. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{3}{4}$ — 2 lin. Similis priori, armatura pedum, pilositate corporis et haustello longiori praeprimis differt. Oculi brunnei Alae in femina paullo obscuriores, quam in mare. — Var. ♀ pedibus piceis. Ad Giebostad Nordlandiae 22. Jul. rar

**5. H. pilipes:** pubescens, nigra, alis hyalinis, linea stigmaticali nigra, halteribus albidis; pedibus anterioribus longe pilosis, metatarso antico maris elliptico, pubescente. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, in floribus Salicis ad Juckasjervi d. 3. Jul. 1821 unicum individuum inveni. (Lappon. Suecica; Smolandia D. BOHEMAN rar.)

*Mas.* Long. $1\frac{3}{4}$ lin. Affinis et similis *Hil. interstictae*, haustello breviore, thorace vix lineato, alis magis hyalinis, halteribus albis et pilositate pedum ab illa distincta. Obscure nigra, opaca, tota distincte pilosa et pubescens. Haustellum crassum, vix longitudine capitis. Anus genitalibus subclavatus. Alae albo-hyalinae, linea stigmaticali nigra. Femora anteriora utrinque distincte ciliata. Tibiae anteriores latere antico longe et sat dense pilosae, at metatarsus non nisi pubescens nec margine ciliatus, unde ab *Hilara cilipede* MEIG. differt haec species, quae ei in ceteris simillima videtur.

*Obs.* Specimen Smolandicum vix ultra 1 lin longum, de cetero lapponico simillimum.

**6. H. aethiops:** pilosa, atra, halteribus concoloribus, alis hyalinis, linea stigmaticali nigra; tibiis spinulosis, metatarso antico maris incrassato, elongato. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rarissime; tantum ad Björkvik d. 14. Jul. unicum specimen invenire mihi contigit. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* Long. $2\frac{1}{2}$ lin. Affinis et similis *Hilarae lugubri* ZETT. Act. Holm. 1819. nec non *Hil. modestae* MEIG., sed ab illa halteribus nigris, nec fuscis, alis magis hyalinis anoque tantum simpliciter obtuso, nec genitalibus clavato; et ab hac colore nigriore et metatarso magis incrassato etc. differt. Haustellum crassum, vix longitudine capitis Thorax parum vittatus. Anus minime clavatus. Praeterea tota atra, alis exceptis. Metatarsus pubescens.

**7. H. spinimana:** pubescens, nigro-cinerea, thorace subvittato, alis fusco-hyalinis, linea stigmaticali nigra, halteribus fuscis, pedibus sordide testaceis, tibiarum apice tarsisque nigris, maris tibiis anticis metatarsoque incrassato, magno, elliptico, pilis longis, spinulosis. ♂♀.

Hab. in convallibus rivulosis ad Drivstuen in Dovrefjell Norvegiae a D. BOHEMAN mens. Jul. 1832 detecta, mihique benigne missa, in Lapponia Tornensi a D. FRIGELIO etiam rarissime visa. (Lapponia.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo *Hil. gallicae* seu 2 — 3 lin. long. Nigro-grisea, subcylindrica, pubescens. Caput cinereum, vertice pilosum. Haustellum longitudine capitis. Thorax vittis 2, nigris, obsoletis. Abdomen maris cylindricum, ano genitalibus clavato; feminae oblongum, ano acuminato, vaginato, stylo bifido terminato. Alae fumato-hyalinae, linea stigmaticali distincta. Halteres fusci, petiolo basi pallidiori. Pedes obscure testacei, tibiis apice, tarsisque totis nigris. Tibiae anticae in mare, ut et metatarsus valde incrassatus, ellipticus, latere antico pilis longis et sat densis quasi spinulosa.

**8. H. chorica:** subpubescens, atra, thorace nitido immaculato, alis hyalinis, linea stigmaticali halteribusque nigris, pedibus subpilosis, metatarso antico maris subgloboso. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 4. 3. *Empis chorica* FALL. Dipt. Sv. Emp 24. 18. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica passim; ad Åsele Lapponiae Umensis frequentius vidi, choreas in aëre supra aquam ducentem, d. 26 Jul. (Lappon. — Scania freq.)

*Mas.* et *Fem.* Minuta, circiter 1 lin. longa. Tota atra, pectore cinereo-micante. Caput pilosum. Haustellum capite brevius, crassum. Thorax pubescens, nitidus. Abdomen opacum, ano ♂ non clavato. Halteres nigri. Pedes pilosi.

**9. H. nitidula:** glabriuscula, nitida, atra, alis hyalinis, linea stigmaticali halteribusque nigris; pedibus nudis, metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in Betula alba ad Lycksele, Badstutraesk et Asele d. 15. Jun. — 26. Jul. inveni. (Lapponia Suecica; Dalekarlia.)

*Mas.* et *Fem.* Priori affinis et similis, sed paullo major, magis nitida, corpore glabriore, et metatarso antico in mare oblongo, ab illa distincta. Tota atra, nitida, nuda; oculo tantum armato tenuissime pubescens videtur. Haustellum capite dimidio brevius. Anus ♂ genitalibus subclavatus. Alae hyalinae, linea stigmaticali nigra. Ramulus superus furcae nervi tertii in costam curvatim flexus. Pedes nigri nudiusculi.

**10 H. hirtula:** hirsuta, nigro-obscura, parum nitida, thorace subvittato, alis hyalinis, linea stigmaticali nigra, halteribus fuscis, pedibus pilosis, metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; unicum individuum ad Wilhelmina d. 15. Jul. inveni. (Lappon. Suecica.)

*Mas.* Magnitudo prioris. Tota hirsutula, nigro-cinerea, thorace vittis 2 fuscis, obsoletis. Caput pilosum, haustello vix ejus longitudine. Abdomen lineare, pubescens, pilis aliquot sparsis. Anus genitalibus subclavatus. Alae ut in priori etiam quoad directionem nervorum. Halteres nigri. Pedes parce pilosi.

**11. H. squalens:** parum pubescens, nigro-obscura, parum nitida, alis hyalinis, linea stigmaticali nigra, halteribus fuscis, pedibus nigro-testaceis, subpubescentibus, tarsis nigris. ♀.

Hab. in Norvegia, inter Dovre et Lerdals-oeren a D. Boheman inventa, mihique in uno specimine communicata. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo praecedentis, nigro-fusca, saepe obscure cinerea, parum pubescens. Haustellum vix capitis longitudine, crassum. Alae fusco-hyalinae, nervis ut in *Hil. hirtula*, sed ramulo superiori furcae fere longiori, quam in illa. Halteres nigro-fusci, scapo pallido. Pedes pubescentes, sordide testacei, tibiarum apice tarsisque nigris.

**12. H. tenuinervis:** parum pubescens nigra, alis albo-hyalinis, nervis tenuibus, linea stigmaticali absoleta; halteribus nigris, pedibus subpubescentibus fusco-nigris, tarsis obscurioribus. ♀.

Hab. in foliis Salicis, ad Stuen in Districtu Trondhiem meridionalis a D. Boheman die 21. Jun. inventa et ad me benigne missa. (Lapponia Norveg.)

*Fem.* Parva, vix 1 lin. longa, parum pubescens, fusco-nigra, non nitida. Haustellum capite duplo et ultra brevius. Abdomen postice acuminatum, stylo anali bifido. Alae albo-hyalinae, area discoidali oblonga, nervis omnibus tenuibus, pallidis, linea stigmaticali fusca, obsoleta. Halteres toti nigri. Pedes nudi s. parum pubescentes, nigri, femoribus piceo-nigris.

**13. H. griseola:** parum pubescens cinerea, thorace bivittato, alis hyalinis, linea stigmaticali nigra, halteribus albidis; pedibus nudiusculis, metatarso antico maris incrassato, oblongo. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime, duo tantum specimina vidi: masculum in alpe Dovre a D. Boheman captum, et femineum in Lapponia Umensi a D. Dahlbom inventum. (Lapponia; Smolandia rariss. D. Bohem.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et affinitas *Hil. squalentis*, halterum pedumque colore diversa. Tota cinerea. Caput pilosum. Haustellum longitudine capitis. Thorax parce pilosus, vittis 2 fuscis. Abdomen cinereum, opacum, pube tenuissima, depressa tectum. Alae ut in *Hilara nitidula*. Halteres sordide albi. Pedes cinerei, pubescentes, genubus in mare testaceis.

**14. H. nigritarsis:** parum pubescens, cinerea, thorace immaculato, alis hyalinis, linea stigmaticali obsoleta, fusca, halteribus albidis; pedibus nudiusculis, flavicantibus, tibiarum apice tarsisque nigris. ♀.

Hab. in alpe Dovre Norveg. mens. Jul. a D. Boheman inventa et mecum in uno specimine communicata. (Lappon.)

*Fem.* Praecedente paullo minor eique affinis. Tota cinerea immaculata. Caput et thorax parce pilosa. Alae hyalinae, basi pallidiores, linea stigmaticali obsoleta. Halteres flavo-albi. Pedes parum pubescentes, minime spinulosi, flavescentes, tibiarum apice tarsisque distincte, nigris.

*Obs.* Species Scandinavicae hujus generis Fallenianae: *Empis lurida*, *gallica*, *intermedia*, *nigrina*, *littorea* et *tenella* nec non *Emp. lugubris* Zett. Act. Holm; et Meigerianae: *Hilara 4-vittata* et *manicata*; ut et plures novae in Svecia detectae, in Lapponia hactenus frustra quaesitae.

## 29. Brachystoma. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 77. *Empis* Fall.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum angustum, nudum, s. parum pilosum, interdum holosericeo-subpubescens; opacum. Antennae aut breves aut elongatae, semper 3-articulatae, articulo ultimo conico aut rotundato; seta terminali elongata. Haustellum proboscide saccata longitudine (in nostris) vix dimidii capitis, in apertura oris ampla subretractum, palpis subdilatatis antice tectum. Oculi rotundi in fronte late distantes, brevissime pubescentes, in viva nigro-brunnei. Hypostoma subconvexum, infra oculos parum descendens. Alae elongatae. Directio nervorum eadem fere ut in *Hilara*, at area discoidalis paullo longior. Haec area tres nervulos in marginem interiorem emittit. Nervus tertius longitudinalis ad apicem furcatus, ramulo superiori in costam curvatim flexo. Pedes elongati, tenues. *Color* obscurus. *Motus* celer. *Habitatio* in vicinitate aquae, supra quam volat et currit celerrime; per partem sylvaticam Lapponiae. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* ex oculis *maris* infra antennas conniventibus et ano appendiculato; et ex oculis *feminae* undique distantibus anoque simplici, plerumque invenitur. (Spec. Scand. 5, antennarum articulo ultimo conico aut rotundato, seta elongata terminato, haustello vix longitudine capitis, palpis subdilatatis ad partem tecto, proboscide saccata, alarum area discoidali 3 maculas emittente in marginem interiorem, nervo tertio longitudinali ad apicem furcato, et pedibus simplicibus ab affinibus dignotae, forte proprii generis, nam cum extraneis non bene sub eodem militant.)

**1. B. Westermanni:** supra grisea, subtus cinerea, antennis, halteribus pedibusque nigro-fuscis, geniculis testaceis, alis hyalinis, subimmaculatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; tantum in ripa fluminis Lindainen prope pagum Juckasjervi d. 23. Jun. 1821 utrumque sexum inveni, captu valde difficilem. (Lapponia Suecica.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 2 – 3 lin. Tenera et angusta, *Dolichopodem punctatum* minorem mentiens. Caput supra griseum parce setulosum, hypostomate in femina lato, argenteo. Proboscis in utroque sexu saccata, parum exserta, palpique, nigra. Antennae transversitate capitis triplo breviores, articulis 2 basalibus brevissimis fere unitis, ultimo rotundato, seta capillari antenna triplo longiori terminato; totae nigrae. Thorax supra griseus, parce setulosus, vittis 2 angustis fuscis, postice abbreviatis; subtus cum pleuris cinereo-micans. Abdomen subdepressum, cinereum, dorso vitta longitudinali fusca, ano filato, filo saepe erecto. Alae hyalinae, nervis distinctis, transversalibus subinfuscatis, unde maculae 3 fuscae obsoletae in disco alae conspiciuntur. Linea stigmaticalis nulla. Halteres fusci. Pedes omnino nudi, tenues, elongati, simplices, nigri, femorum summo apice testaceo.

Memoriam Clarissimi Viri B. W. Westermann, Mercatoris Havniae, e cujus museo ditissimo et omnium elegantissimo, Diptera aliaque insecta exotica pulcherrima quotannis, liberalitate insolita, mihi communicata fuerunt, in hac specie boreali, nomine Ejus ornata, gratus conservare volui.

**2. B. Bohemanni:** supra fusca, subtus cinerea, antennis, halteribus pedibusque nigris, alis obscure hyalinis, immaculatis. ♂♀.

Hab. ad ripam lacus Av-sjoen inter Jerkind et Fogstuen in alpe Dowre d. 26. Jul., teste D. Boheman, qui specimina 2 jam a me descripta ibi legit mecumque communicavit. (Lapponia Norvegica.)

*Mas* et *Fem* Statura praecedentis, sed paullo major, obscurior, antennarum seta breviori, alis subnigricantibus omnino immaculatis, femoribus totis nigris, nec genubus testaceis, etc. ab illa distincta. Caput ut in priori, sed articuli antennarum basales longiores, distincti, et seta apicalis brevior (longitudine scilicet antennae), crassior. Oculi in utroque sexu distantes. Thorax et abdomen ut in praecedente, supra magis obscura. Anus maris appendicibus 2 magnis, lyratis, erectis, intra quas genitale subulatum, flavum reflectitur; feminae acutus, simplex. Alae elongatae, angustae, obscure hyalinae, immaculatae, area discoidali longiori et angustiori, quam in praecedente. Halteres nigri, petiolo basi saepe testaceo. Pedes ut in priori constructi, toti nigri.

Nobili Dom. C. H. Boheman, Capitaneo, qui non solum in Svecia interiori et praesertim in Smolandia circa villam suam amoenissimam Anneberg, verum etiam sub itinere in Lapponiam Norvegicam et speciatim in alpes Dowreenses, anno 1832, scopo entomologico instituto, plura insecta valde singularia ac distincta detexit, speciem etiam hanc novam, nomine Celeberr. Viri condecoratam, dicare voluit amicus integerrimus.

**3. B. Escheri:** supra fusca, subtus cinerea, antennis, halteribus pedibusque nigris, alis obscure hyalinis, linea stigmaticali nigra. ♂♀.

Sub nomine: *Brach. stigmaticalis*, quod, jam in novum et melius mutatum*), nihil posthac valere cupio, exemplaria quaedam hujus insecti inter amicos meos Suecanos olim divulgata fuerunt.

Hab. in ripa rivuli ad Grantraesk in monte subalpino Stoettingsfjellet Lapponiae Umensis d. 31. Jul. — 1. Aug. 1832 rar (Lappon. Suecica; Holkaberg Ostrogothiae in Suecia media mens. Jul. 1834 D. Boheman semel.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedenti simillima, nec differt nisi magnitudine paullo majori, at praeprimis alarum linea stigmaticali fusca, distinctiori, ut et loco natali. Ex utraque etiam ambo occurrunt sexus. Oculi hirsutuli. Alae fusco-hyalinae; linea seu macula oblonga stigmaticali nigricante, magis l. minus obsoleta, semper vero praesente. Reliqua ut in priori.

Var. b. ♂. corpore et pedibus brevissime subpubescentibus, et antennarum seta antenna duplo l. triplo longiori. Hab. cum. var. a. in Stoettingsfjellet.

Variat etiam, forte junior, pedibus fusco-lividis.

*) Nobilissimo Dom. Escher-Zollikofer, qui e praedio suo Belvoir prope Zürich, haud pauca Lepidoptera Helvetica aliarumque regionum rarissima nuperrime mihi donum misit, insectum hoc arcticum, nomine Illustr. Viri signatum, animo pio et grato retribuit hujus Faunae auctor.

*Obs.* *Empis Zetterstedti* FALL. Supplem. Dipt. Sv. 7. 36. 37. huic generi etiam subjecta ad littus lacus Vaenern Wermlandiae a me 1814 lecta, sed in Lapponia nunquam visa. — *Brach. nebulosa* mihi; in Dalekarlia et Scania lecta.

---

## 30. Wiedemannia. ZETT.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum, angustum, nudum s. parum pubescens et pilosum, opacum. Antennae breves longitudine vix capitis transversi; triarticulatae, articulo primo cylindrico, angustiori, secundo brevissimo, transverso, ultimo breviter ovato, acuto, seta sat crassa, curvata, antenna parum longiori, terminato. Caput perpendiculariter nutans, hypostomate longe infra oculos descendente. Haustellum proboscide saccata, in apertura oris ampla retractum, palpis subclavatis basi incumbentibus, parum exsertum. Alae elongatae, nervis fere ut in genere praecedenti directis. Pedes elongati, tenues. *Color* obscurus. *Motus* celer. *Habitatio* ad aquam, supra quam natat et volitat celerrime. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* omnino ut in *Brachystoma Bohemanni* descripta. (Spec. Scand. 2, *Clinocerae* MEIG. valde affines, sed antennis brevibus, articulo ultimo breviter ovato, acuto, seta crassiuscula, ore elongato s. hypostomate perpendiculariter extenso, haustello brevi, palpis subclavatis basi tecto, proboscide saccata, area discoidali alarum 3 nervulos in marginem interiorem emittente, nervo tertio longitudinali ad apicem furcato, ut et pedibus simplicibus a reliquis hujus familiae generibus distinctae.)

**1. W. borealis**: supra fusca, subtus argenteo-cinereo-micans, antennis sublonginsculis, halteribus pedibusque nigris, alis fusco-hyalinis, nervis distinctis, nigris, et macula stigmaticali rotunda atra, nervo tertio longitudinali ad apicem simpliciter furcato. ♂♀.

ZETT. It Lappon 1832. p. 207.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, nec nisi in ripa rivuli ad Grantraesk in Stoettingsfjellet d. 31. Jul. — 1. Aug. specimina hujus speciei vidi, supra aquas velocissime volitantia, etiam supra lapides muscis tectos et ab aqua alternatim inundatos sedentia, captu difficillima. (Lappon. Suecica meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 3 lin. long. *Dolichopodi binotato* habitu et moribus subsimilis, sed minor, angustior et distincta. Caput perpendiculariter nutans, nudum, argenteo-micans, vertice setuloso, fusco. Antennae capite transverso paullo breviores, articulo primo elongato, cylindrico, secundo brevissimo, transverso, tertio breviter ovato, acuto, seta terminali, antenna parum longiori. Oculi subrotundati, hirsutuli, in viva nigro-brunnei. Thorax dorso setuloso fusco, subtus cum pleuris et metathorace nudus, argenteo-micans. Abdomen cinereum, vitta dorsali fusca. Partes genitales omnino ut in *Brachyst.* BOHEMANNI descriptae. Alae obscure hyalinae, nervis distinctis, nigris, area discoidalis elongata tres nervulos in marginem interiorem emittit; nervus secundus longitudinalis simplex, at nervus tertius ad apicem furcatus ut in genere *Hilara*. Inter costam et nervum secundum loco stigmatis macula rotunda atra, quae interstitium totum transversum implet. Halteres nigri l. fusci. Pedes elongati, tenues, subpubescentes, nigri.

**2. W. appendiculata**: cinerea, vertice thoracisque dorso fuscis, antennis brevibus, halteribus pedibusque nigris, alis sordide hyalinis, nervis fuscedine cinctis, nervi tertii longitudinalis furca appendicea. ♀.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rariss., in insula Schiervoe 27. Jul. lecta. (Lappon.)

*Fem.* Magnitudo praecedentis, a qua antennis brevioribus, ore minus elongato, nervis alarum aliter directis et coloratis etc. vere diversa. Caput perpendiculariter nutans, hypostomate infra oculos oblongos paullo descendente, non vero tam longe, quam in priori; argenteo-micans, vertice fusco, setuloso. Antennae parvae, breves, articulis scilicet basalibus brevissimis quasi unitis, ultimo rotundato, seta antenna triplo fere longiori, curva. Thorax dorso obscuro, setuloso, vittis 2 fuscis; subtus cum metathorace cinereus. Abdomen fusco-cinereum, nudum. Alae albo-hyalinae, nervis praesertim ad costam umbra fusca cinctis. Nervus tertius longitudinalis ad apicem furcatus, ramo superiori furcae juxta basin nervulo inchoante retroflexo, appendiculato. Halteres nigri, basi fusci. Pedes ut in priori.

## 31. Empis. LINN.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 79. LINN. DE GEER. PANZ. LATR. FALL. MACQ.

*Corpus* majoris, mediae aut minoris magnitudinis, oblongum, saepe pilosum, parum nitidum. Antennae elongatae, capite longiores, 3-articulatae, articulo 1 cylindrico, 2 cyathiformi, 3 reliquis longiori, conico, compresso, apice stylo brevi, biarticulato. Haustellum capite longius, perpendiculare seu pectori inflexum, tenue. Oculi in viva aenescentes. Area alarum discoidalis ovata tres nervulos in marginem interiorem emittit. Nervus tertius ad apicem alae furcatus, furcae ramo superiori breviori recta in costam ducto. Pedes plerumque simplices. *Color* niger, raro testaceus. *Motu* non celer; sole autem urente tempestateque tranquilla choreas aëreas interdum instituunt mares, volatu velocissimo perpendiculari, instar *Ephemerarum*. *Habitatio* in floribus, quorum mel sugunt; sed rapina insectorum libenter quoque victitant, tigrides Dipterorum, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Metamorphosis* non certe cognita. Larvae forte in terra degunt. *Differentia sexus* varia, perspicua; *mares:* oculis supra antennas cohaerentibus, abdomine cylindrico, ano obtuso saepe filatim appendiculato aut vesiculoso, pedibus quam in femina plerumque longioribus, etc.; *femina:* oculis distantibus, haustello quam in mare saepe longiori; abdomine oblongo, apice longe acuminato, femoribus posterioribus interdum pennatis etc. (Spec. Scand. 19, plerisque Fallenianis ab hoc genere remotis, ad *Hilaram*, *Rhamphomyzam*, *Oedaleam* et *Cyrtomam* nostras relatis; antennarum articulo ultimo conico, stylo brevi, biarticulato terminato, haustello capite longiori, tenui, perpendiculari s. pectori applicato, alarum area discoidali 3 nervulos in marginem interiorem emittente, nervo tertio longit. ad apicem furcato, ramo superiori furcae recto, ab affinibus dignotae.)

### *Sect.* 1. *Pedes in utroque sexu nudi* (*non pennati*).

a) Corpore nigricante.

**1. E. borealis**: pilosa nigra, thorace cinerascente, nigroquadrivittato, alis brunneis dilatatis, halteribus pallidis, pedibus posterioribus testaceis, geniculis tarsisque nigris; haustello longitudine pectoris. ♂♀.

*Mas:* alis modice dilatatis; ano clavato, inflexo;

*Fem.:* alis valde dilatatis, apice obtuse rotundatis; ano acuminato; in copula.

LINN. Fn. Sv. 1895. FABR. Antl. 137. 1. FALL. Dipt. Sv. Empid. 16. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 3. 36. 37. MACQ. Dipt. Gall. Emp. 122. 9. ♂♀.

Hab. in floribus Salicum, fruticibus etc. per partem sylvaticam Lapponiarum omnium, a 15. Maj. usque ad 1. Aug. vulgaris, in copula saepe capta; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nordlandiae, et ad Giebostad, Schiervoe et Tromsoe haud raro visa, choreas in aëre circa vesperam serenam instituens, ad Garnaes Norvegiae a D. BOHEMAN inventa. (Lappon., Botnia, Nordlandia freq.; Suecia media rarissim., in Scania ad Stoby d. 17. Maj. 1829 semel etiam lecta a Clariss. D. Mag. JAC. AGARDH.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3½—4 lin. Nigra, tota pilosa. Caput fuscum. Antennae capite paullo longiores. Oculi brunnei, unicolores. Haustellum longitudine pectoris, sed variat etiam paullo brevius; semper nigrum. Palpi clavati, pilosi, nigri. Thorax cinerascens, vittis 4 nigris. Abdomen subnitidum. Alae nigrobrunnescentes, basi pallidiores. Pedes nigri, femoribus tibiisque posterioribus flavis, genubus nigris. Femina femora antica basi etiam flava plerumque habet.

Var. b. ♀. Pedes nigri, femoribus posticis in medio, et intermediis basi tantum testaceis. In Lapponia meridionali frequenter occurrit.

**2. E. livida**: subpilosa, cinereo-fusca, nigro-trivittata, alis aut fuscis aut hyalinis, nervis longitudinalibus 4—5 abbreviatis; halteribus pedibusque flavis, tarsis nigris, haustello longitudine pectoris. ♂♀.

*Mas:* abdomine livido, alis fuscanis.

*Fem.:* abdomine fusco, alis vitreis; in copula.

LINN. Fn. Sv. 1897. FALL. Dipt. Sv. Emp. 18. 4. ♂♀. MEIG. Dipt. 3. 35. 36. ♂♀. MACQ. Dipt. Gall. Empid. 119. 4. ♂♀. Tab. 3. f. 4. ala. *Empis lineata* FABR. Antl. 141. 19. ♂.

Hab. in Lapponia, Museo DEUTSCHII, mihi in terris septentrionalibus non obvia. (Lappon.; Ostrogoth.-Scan. vulgatissima, ut nulla frequentior.)

*Mas.* et *Fem.* 4 lin. long. Subpubescens, cinerascens. Antennae nigrae. Haustellum vix pectoris longitudine. Thorax distincte trivittatus. Alarum ramulus furcalis superior subincurvatus. Nervi longitudinales 4 et 5 non usque in summum marginem interiorem alae excurrunt. Halteres pallidi. Pedes subpilosi flavi, tibiarum apice tarsisque nigris.

**3. E. lucida:** subpilosa nitida, atra, halteribus albis, alis fusco-hyalinis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus nigris.

Var. b. ♂♀. pedibus piceis.

Hab. in Lapponiis omnibus passim; in floribus Salicis atque in paludosis et graminosis ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele, Umenaes et Tresunda Lapponiae Umensis d. 20. Jun. – 24. Jul. sat copiose, etiam in copula; occurrit quoque frequenter in inferalpinis maritimis Nordlandiae, ex. gr. ad Bjorkvik, Giebostad, Lyngen, Schiervoe et Tromsoe, mense Julio. Procedit usque in regionem alpinam, et ad Kautokeino Finmarkiae medio mens. Aug. ut et in Brattiksfjell Lapponiae Umensis d. 8. Jul. ♀ capta. Individua mascula a D. DEUTSCH e Lapponia Kemensi missa. (Lapponia - Jemtlandia.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo praecedentis, tota atra, nitida, pilosiuscula. Haustellum jam longitudine vix duplo capitis, jam pectore longius et hoc in utroque sexu. Oculi in viva obscure brunnei, unicolores. Thorax supra certo situ albomicat, vittis 3 atris, subtus cinerascens. Anus maris appendice clavatus. Alae nunc albo –, nunc fusco-hyalinae, linea stigmaticali angusta nigra; basi pallidiores praesertim in ♀. Nervus furcalis superior brevis, subrectus. Nervi longitudinales omnes ad summum marginem alae usque extenduntur. Halteres albi. Pedes subcompressi, pilosi, tibiis spinulosis, metatarso postico in mare subincrassato.

**4. E. chioptera:** parum pubescens nigra, halteribus fuscis, alis aut albis aut infuscatis; pedibus feminae simplicibus, metatarsis maris incrassatis. ♂♀.

*Mas.:* alis lacteis, metatarso antico posticoque incrassatis, abdomine griseo-pubescente.

*Fem.:* alis infuscatis, pedibus simplicibus, abdomine glabriusculo; in copula.

FALL. Dipt. Sv. Emp. 21. 11. ♂♀. MEIG. Dipt. 3. 27. 20. ♂♀. MACQ. Dipt. Emp. Gall. 128. 21. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica rarissime. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Parva, circiter $1\frac{1}{3}$ – $1\frac{1}{2}$ lin. longa. Nigra. Haustellum pectoris longitudine. Anus maris simplex. Ramulus superior nervi furcalis in utroque sexu rectus, verticalis. Halteres fusci. Pedes saepe nigropicei, pilosi, in ♀ simplices, in ♂ metatarsis oblongis, antico valde, posticoque modice, incrassatis.

*Obs.* Ad hanc Subdivisionem pertinent etiam: *Emp. tessellata* LINN. (*E. livida* FABR.), *E. rustica* FALL. nec non *E. grisea* FALL. *E. picipes* MEIG.), in Suecia meridionali frequenter, in Lapponia nunquam, mihi obviae.

b) Corpore pallescente.

**5. E. stercorea:** glabriuscula, subnitida, flava, antennarum articulo ultimo, thoracis testacei linea media abdominisque vitta dorsali, nigris, tarsis nigro-pubescentibus. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 1899. FABR. Antl. 141. 21. FALL. Dipt. Sv. Emp. 18. 5. ♂♀. MEIG. Dipt. 3. 36. 38.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae, ex. gr. in sylva betulina ad Evenas juxta Ofotenfjord, et ad Alteidet in floribus Achilleae, 14 – 30. Jul. capta, in Lapponiis Suecicis a me frustra quaesita. (Lappon.-Norveg. Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 4 — 5 lin. Subnuda, testacea. Oculi in utroque sexu distant. Antennae capite duplo longiores, nigrae, basi fuscae. Haustellum longitudine pectoris, apice nigrum. Palpi minutissimi. Caput cinereo-canescens. Frons latiuscula. Vertex setulosus, macula nigra. Linea nigra thoracis abdominisque dorsum transit. Anus maris varie appendiculatus, vagina feminae elongata. Alae hyalinae, nervis validis maculaque stigmaticali obsoleta, fuscis. Ramulus superior nervi furcalis valde curvus. Halteres pallidi. Pedes flavi, pubescentes, pubescentia tarsorum praesertim distincte nigra.

*Obs.* Huic Subdivisioni inseritur *Emp. punctata* FALL., in Scania frequenter, in Lapponia a me non, visa.

### *Sect. 2. Pedes in femina ad partem pennati.*

**6. E. pennipes:** parum pilosa, nitida, atra, halteribus flavis, alis infuscatis; pedibus piceis, maris longe pilosis, feminae tibiis anticis, femoribus tibiisque posterioribus pennatis. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 1896. FABR. Antl. 138. 6. ♀. PANZ. Fn. 74. f. 18. ♀. MEIG. Dipt. 3. 21. 8. ♂♀. *E. ciliata* FALL. Dipt. Sv. 20. 8. ♂♀. var. a et b. MACQ. Dipt. Gall. Emp. 123. 11. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica rarissime; in alpe Dowrefjell Lappon.-Norvegicae etiam a D. BOHEMAN mense Jul. capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Nigra, subnitida. Antennae capite vix longiores. Haustellum pectore semper paullo longius, interdum longitudine corporis. Thorax nigricans, pleuris schistaceis. Abdomen subopacum, ano maris non clavato, sed filo elongato sursum flexo instructo. Alae fusco-hyalinae, in ♀ fusciores, linea stigmaticali elongata nigricante; nervus furcalis superior rectus. Halteres flavi. Pedes ut in diagnosi.

**7. E. pennaria:** parum pubescens, fusco-nigra, halteribus albidis, alis aut albidis aut infuscatis; pedibus rufo-testaceis, in mare pilosis, posterioribus in femina pennatis. ♂♀.

*Mas:* pilosus, alis albidis, pedibus posticis tibiis et metatarso subincrassatis.

*Fem.:* glabriuscula, alis fuscanis, femoribus posterioribus tibiisque posticis pennatis.

FALL. Dipt. Sv. Emp. 20. 9. ♂♀. (exclus. Syn. FABR. et PANZ.) MEIG. Dipt. 3. 23. 13. ♂♀. MACQ. Dipt. Gall. Emp. 125. 14. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica rarissime; in inferalpinis maritimis Nordlandiae ad Evenäs et Giebostad 17—22. Jul. paullo frequentius. (Lappon. - Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Parva, vix $1\frac{1}{2}$ lin. long. Fusco-nigra. Haustellum pectoris longitudine. Alarum nervi tenues. Ramulus superior nervi furcati brevis, rectus. Halteres albidi. Anus maris filatus. — Specimina feminea Nordlandica variant alis fuscioribus et pedibus obscurioribus, piceis, interdum subnigricantibus, vix tamen specie distincta, nam in ceteris similia. Individua, quae in Suecia inferiori colliguntur, saepe pedes nigros habent.

Var. *Mas:* monstrosus, nervo tertio longitudinali in una ala simplici, in altera furcato; quod etiam in ala feminae observavit Cel. MACQUART.

*Obs.* Sub hac Sectione militant etiam species Scandinavicae: *Emp. hyalipennis* FALL. et *E. morosa* MEIG.); sed *Emp. pennipes* FALL. (seu *E. ciliata* FABR. et MEIG. vix unquam in Scandinavia reperta est, per errorem ut Succiae incola a Clar. viro allata.

---

## 32. Rhamphomyza. HFFGG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 80. LATR. MACQ. *Empis* FABR. LATR. PANZ. FALL.

*Corpus* majoris, mediae aut minoris magnitudinis, oblongum, pilosum, opacum. Antennae capite longiores, ut in *Empide* constructae. Haustellum quoque ut in *Empide*, at interdum capite brevius. Oculi in viva rufo-ferruginei. Area alarum obovata aut oblonga nervulos tres in marginem interiorem emittit integros. Nervi longitudinales omnes simplices. Pedes saepissime simplices, rarius in femina pennati, aut in mare metatarso incrassato. *Color* niger, raro flavus. *Volatus* minus alacer; interdum autem choreas in aëre instituunt masculi. *Habitatio* in foliis plantarum, etiam in floribus umbellatarum, Geranii, Epilobii etc., per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam maritimam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Victus* e rapina, nec non e melle florum. *Metamorphosis* ignota. Larvae quarundam forte aquaticae. *Differentia sexus* ut in *Empide.* (Spec. Scand. 60 et ultra, ab *Empidis* genere vix nisi nervo tertio longitudinali simplici, nec furcato, differentes.)

° Corpore nigricante.

**1. R. nigripes:** pilosa (♂), aut nudiuscula (♀), cinerea, thorace nigro-4-vittato, halteribus albis, pedibus simplicibus nigris; alis hyalinis, area discoidali irregulari. ♂♀.

*Mas:* pilosus. Oculi supra antennas interstitio angusto disjuncti. Vittae thoracis laterales latae, abbreviatae, distinctae. Alarum area discoidalis in medio alae, obovata, costa ciliari.

*Fem.:* nuda. Oculi interstitio latiori disjuncti. Vittae thoracis laterales obsoletae. Alarum area discoidalis magna, fere ad marginem interiorem alae descendens, nervis infra aream tribus brevibus, costa mutica; in copula.

MEIG. Dipt. 3. 48. 13. ♂♀. *Empis nigripes* FABR. Antl. 141. 17. ♂. *Empis crassirostris* FALL. Dipt. Sv. Empid. 31. 37. ♀.

Hab. in Nordlandia rarissime; in alpe Dowrefjell Norvegiae ♀ a D. BOHEMAN capta rar. (Lappon.; Scania ad Lund in copula sat freq. mens. Majo, Junio.)

*Mas* et *Fem.* Inter majores, circiter 3 – 4 lin. long. Tota opaca cinerea, thorace vittato. Antennarum articulus ultimus niger. Hau-

stellum capite fere dimidio longius, proboscide crassa, nigra. Alae albo-hyalinae, nervis distinctioribus, fuscis, radice pallidae, stigmate nigro. Halteres albi. Pedes validi, simplices, nigri, in ♂ pilosi, in ♀. nudi, coxis in utroque sexu cinereis.

**2. R. spissirostris**: pilosa (♂), aut nudiuscula (♀), cinerascens, thorace obscure bivittato, halteribus albidis, alis albo-hyalinis, area aut discoidali aut in marginem interiorem alae descendente; metatarso maris antico incrassato, oblongo. ♂♀.

*Mas:* pilosus, thoracis lineis fuscis obsoletioribus, oculis supra antennas interstitio angusto disjunctis, alarum area discoidali in medio alae, metatarso antico incrassato, oblongo; ano appendiculato et filato.

*Fem.:* subnuda s. brevissime pubescens, thoracis lineis fuscis distinctioribus, oculis sat late distantibus, alarum area discoidali ita ad marginem alae interiorem descendente, ut angulus areae inferior marginem fere attingat, nervulo scilicet emittente vix ullo vel brevissimo; pedibus nudis simplicibus; ano simplici; in copula.

MEIG. Dipt. 3. 57. 31. ♀. *Emp. spissirostris* FALL. Dipt Sv. Emp. 31. 38. 2. ♀. *Emp. nodipes* FALL Dipt. Sv. Emp. 25. 22. ♂. *Rhamphomyza nodipes* MEIG. Dipt. 3. 50. 16. ♂.

Hab. in Lapponia rarius; ad Björkvik Nordlandiae d. 17. Jul. uterque sexus a me captus; etiam in Dowre a D. BOHEMAN mas lectus. (Lappon. Norvegica; Gottlandia rar.; Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Longit. 2 — 2½ lin. Cinerea. Antennae capite paullo longiores, nigrae. Haustellum capite dimidio longius, crassum, nigrum. Alae hyalinae, albidae, nervis basi pallidis, linea stigmaticali fusca, eo ta mutica, non ciliata, maculis 2 ad marginem interiorem fuscis, valde obsoletis, vix nisi certo luminis situ conspicuis. Nervus superior ex area excurrens curvatus. Pedes nigricantes, in femina interdum picei.

**3. R. anomalina**: subpubescens, opaca, cinerea, abdomine supra argenteo-micante, alis hyalinis, stigmate nigro, area discoidali magna margini interiori retracta, pedibus fusco-piceis; haustello longitudine capitis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Almsele d. 24. Jul. 1832 specimen unicum invenire mihi contigit. (Lappon. Suecica meridionalis.)

*Fem.* Affinis et similis *Em. crassirostri* FALL. (quae est ♀ *Rhamphom. nigripedis* nob. No. 1), sed fere dimidio minor, vix 2 lin. longa, thorace subimmaculato, abdominis dorso magis argenteo-micante, et area alarum discoidali aliter formata, certe diversa. Haustellum capite vix longius, crassum, nigrum. Abdomen oblongo-ovatum, subdepressum, dorso albo-micans, ani apice acuto nigro, stylo terminato. Alae albo-hyalinae, nervis basi obsoletis, extus distinctis, stigmate nigro; area discoidalis magna ad marginem interiorem alae tribus angulis descendit, nervulis tribus ordinariis emissis brevissimis, nec ut in *Rhamph. nigripede* ad partem perspicuis. Pedes validi, nudiusculi, simplices, nigro-picei.

*Obs.* *Mas* hactenus ignotus, alarum aream discoidalem sine dubio aliter locatam habet.

**4. R. villosa**: distincte pilosa, nigricans, subnitida, thorace vix nigro-vittato, alis albo-hyalinis, halteribus nigris, pedibus simplicibus, spinulosis; abdomine maris subcylindrico; ano maris non clavato. ♂.

Hab. in alpe insigni Dowrefjell Norvegiae, mens. Jul. a D. BOHEMAN inventa, rarissime, nec nisi descriptum specimen vidi. (Lappon. Norvegica.)

*Mas.* 3½ lin. long. *Rhamph. nigripedi* iterum affinis et similis, sed corpore magis piloso magisque nigro, nitido, halteribus nigris etc., mox distincta. Haustellum capite fere duplo longius. Palpi longe pilosi. Thorax fusco-nigricans, vittis 2 obsoletis, nigris. Pleurae aureo-micantes. Anus lamellis 2 brevibus, nigris. Alae albido-hyalinae, stigmate fusco. Halteres nigri. Pedes simplices, pilosi, tibiis omnibus extus, femoribusque posticis subtus spinulosis.

**5. R. albo-segmentata**: subpilosa, parum nitida, cinereo-nigricans; thorace subvittato, halteribus fuscis, segmentis margine albis, ano simplici, alis hyalinis, pedibus nigris, simplicibus, spinulosis; haustello capite fere duplo longiore. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rariss., in monte subalpino Stoettingsfjellet inter Lycksele et Åsele unicum specimen a Clar. D. DAHLBOM d. 1. Aug. 1832 inventum. (Lappon.)

*Mas.* Affinis *Rh. villosae*, paullo minor, circiter 3 lin. longa, magis obscure cinerea, minus villosa. Cinereo-nigra. Caput rotundatum. Antennae elongatae, porrectae, nigrae. Oculi supra antennas arcte cohaerentes. Haustellum capite fere duplo longius, crassum, atrum. Thorax pilosus, obsolete late nigro-trivittatus. Abdomen cylindricum, cinereum, opacum, segmentorum margine albo; supra hunc marginem album in singulo segmento series pilorum transversa cernitur. Anus simplex. Halteres nigricantes, scapo pallido. Pedes simplices, nitidi, nigri, distincte spinulosi.

**6. R. plumipes**: pilosa (♂), aut nudiuscula (♀), nigro-cinerascens, thorace fusco-trivittato, vitta media tenuiori, halteribus albis, alis albo-hyalinis; pedibus in mare simplicibus, femoribus intermediis pedibusque posticis in femina pennatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 47. 11. *Empis plumipes* FALL. Dipt. Sv. Emp. 25. 23. ♂♀. var. *α*.

Hab. in Lapponia passim rarius; ad Wittangi et lacum insignem Torneotraesk ad radicem jugi alpium Lapponiae Tornensis, et ad Lycksele Lapponiae Umensis, d. 14. Jun. — 10. Jul. utrumque sexum legi; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae et ad Evenäs in foliis Betulae die 18. Jul. 1821 capta. (Lappon.-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 - 2½ lin. Cinerascens. Antennae nigrae. Oculi rufi, maris supra antennas arcte cohaerentes. Haustellum capite paullo longius, crassum, nigrum. Anus in ♂ incrassatus, appendiculatus, at vix filatus. Halteres albi. Alae in ♂ albidiores, quam in ♀, in utroque sexu nervulo superiori ex area discoidali excurrente, recto, nec curvato. Pedes nigricantes, interdum picei l. fusco-testacei.

**7. R. rufipes**: subpilosa, opaca, cinerea, thorace immaculato, alis albidis, pedibus rufescentibus, metatarso postico (♂) incrassato; haustello longitudine capitis. ♂

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Juckasjervi d. 29. Jun. unicum individuum inveni. (Lappon. Suecica.)

*Mas.* Magnitudo *Rh. plumipedis.* Subpilosa, cinerea. Oculi supra antennas cohaerentes. Haustellum capite vix longius, crassiusculum. Abdomen subdepressum, pilosum, ano incrassato, hiante, filum longum, reflexum emittente. Alae albicantes, nervis pallidis, stigmate obsoleto. Area discoidalis obovata. Pedes rufo-testacei s. lividi, pilosi, posticorum tibiis extrorsum spinulosis et metatarso modice incrassato, oblongo. Coxae omnes cinereae.

**8. R. geniculata**: subpilosa, opaca, cinerea, thorace subimmaculato, halteribus albis, alis hyalinis; pedibus nigris, geniculis albidis, in mare simplicibus, in femina femoribus intermediis pedibusque posticis pennatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. Append. 340. 40. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, in Salice ad Lycksele Lapponiae Umensis mens. Junio utrumque sexum legi; in Norvegia inter Dowre et Lerdalsoeren a D. BOHEMAN quoque capta. (Lapponia — ?)

*Mas* et *Fem.* Priori paullo minor, circiter 1½ lin. longa. Tota cinerea, subimmaculata. Antennae, et haustellum capite in ♀ vix, in ♂ paullo, longius nigra. Oculi rufi, in ♂ supra antennas cohaerent. Thorax in ♂ obsolete trivittatus, vitta media tenuissima, vix nisi in serie pilorum conspicua. Abdomen subdepressum, ano feminae acuto. Alae in ♀ hyalinae, in ♂ magis albidae, stigmate in utroque sexu obsoleto. Area discoidalis oblongo-obovata. Halteres albi. Pedes ut in diagnosi.

*Not.* Etsi abdomen, quod in nostris speciminibus cinereum sit, a Cl. MEIGEN l. c. „nigrum" (in diagnosi, at in descriptione „grauschwarz" dicitur) describatur, tamen de identitate specierum non dubito, nam ceterae notae optime quadrant. Genua albida speciem praecipue distinguunt. Mas *Rh. plumipedi* sat similis.

**9. R. fascipennis**: pubescens, cinerea, thorace obsolete fusco-trivittato, halteribus albis, alis albidis, fascia basali fusca, pedibus nigris; femoribus posticis in femina pennatis. ♀.

Hab. in Lapponia Norvegica littorali rarissime, in Betula ad Evenäs prope Ofotenfjord Nordlandiae d. 17. Jul. 1821 unicum specimen inveni. (Lapponia.)

*Fem.* Parva, vix ultra 1 lin. longa. Gibba, pubescens, cinerea. Antennae, et haustellum capite paullo longius, crassiusculum, nigra. Abdomen albido-cinereum, nudum. Alae albae, fascia non longe a basi, transversa, fusca, obsoleta. Pedes nigro-picei, pubescentes, femoribus tibiisque posticis pennatis.

**10. R. obscura**: subpubescens, nigricans, subimmaculata, halteribus albidis, alis subinfuscatis; pedibus piceis, pilosis, femoribus posterioribus in femina pennatis. ♂♀.

*Empis plumipes* FALL. Dipt. Sv. Emp. 26. 23. var. *β*. ♀.

Hab. in Lapponia rarius; in fol. Betulae ad Evenäs et Tromsoe Nordlandiae d. 17—24. Jul. a me in copula capta; e Lapponia Tornensi a Dom. Doct. et Assessore DEUTSCH femina quoque communicata. (Lapp -Scan. uterque sexus rar.)

*Mas* et *Fem.* Praecedente paullo major, circiter 1½ lin. longa. Fusco-nigra. Haustellum capite paullo longius, crassiusculum. Alae fuscescentes, basi pallidiores, stigmate fusco. Halteres albidi. Pedes subpilosi in ♂ simplices, femoribus posterioribus in ♀ pennatis. Anus in ♂ filo appendiculatus.

**11. R. spinipes**: pilosa, cinereo-nigricans, thorace trivittato, alis longis, brunnescentibus, halteribus pallidis; pedibus nigris, femoribus posticis maris subtus spina armatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 49. 15. ♂♀. *Empis spinipes* FALL. Dipt. Sv. Emp. 26. 24. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim, tempore auctumnali; ad Kengis, Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele Lapp. Umensis d. 1. Aug — 1. Sept. haud raro in copula capta. Adscendit quoque in alpes, et in summo alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. ♀ in nive ambulans reperta; descendit iterum in inferalpinas maritimis Nordlandiae Finmarkiaeque, et usque ad Bossekop in vicinitate Capitis septentrionalis, rarius a me visa; in Lerdals-oeren ad Dowre mense Jul. a D. Boheman inventa; et denique e Lapponia Kemensi unicum par copulatum a D. Deutsch missum (Lappon.-Scania pass.)

*Mas* et *Fem.* Inter majores generis, 4 lin. longa. Pilosa, nigricans. Antennae capite paullo longiores, articulo ultimo ovato, longissime acuminato. Haustellum capite fere dimidio longius, crassiusculum. Oculi maris connniventes; feminae rufo-ferruginei in dimidietate inferiori macula aeneo-micanti, distantes. Alae magnae longae, brunnescentes. Halteres sordide albidi. Anus in ♂ appendicibus difformibus atque squamosis ut et filo unico instructus. Pedes nigri, femoribus posticis in mare subtus versus basin spina e fasciculo pilorum 3 – 6 formata, armatis. — Larva in terra a D. Boie inventa.

**12. R. sulcata:** pilosa, nigra, thorace cinerascente, nigro-trivittato, halteribus flavis, alis infuscatis, pedibus lateribus canaliculatis; femoribus posticis subtus spinulosis. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 46. 9. ♂♀. *Empis sulcata* Fall. Dipt. Sv. Emp. 26. 25. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; inter Novaccolarum sedes Tresunda et Naestansjö nec non ad Stensele Lapponiae Umensis, d. 3 – 13. Jul. 1832; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae, et ad Björkvik, Giebostad, Raschstind ac Gamsttind, d. 12—30. Jul. 1821 in copula frequenter lecta; in alpe Dowre a Dom. Boheman mens. Jul. in copula etiam visa. (Lappon.-Scania pass.)

*Mas* et *Fem.* Praecedente plerumque paullo minor, sed variat etiam ejus magnitudine. Similis priori, sed differt: alis minus brunnescentibus, basi pallidioribus, halteribus flavis, pedibus canaliculatis, in mare femoribus subtus non spina elongata distinctiori sed spinulis pluribus in duas series dispositis armatis, at in femina serie unica locatis; atque metatarso postico maris crassiori, ut et denique ano simpliciter incrassato, squamis et filo nullis.

**13. R. morio:** distincte pilosa, nigra, immaculata, halteribus fuscis, alis parum infuscatis; femoribus subtus una serie spinulosis. ♂♀.

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime; in sylva betulina ad Alteidet prope mare glaciale unicum par d. 1. Aug. 1821 in copula inveni. (Lappon. Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo *Rhamph. sulcatae*, eique similis, sed magis pilosa, halteribus fuscis, alis parum infuscatis, basi concoloribus, thorace nigro, non vittato, ut et metatarso postico maris vix incrassato, distincta; in ceteris similis.

**14. R. alpina:** pilosa, cinereo-nigricans, thorace nigro-trivittato, halteribus nigris, alis fuscanis, basi determinate flavis; femoribus subtus muticis. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; individua tantum 2, unum masculum et alterum femineum in alpe Brattiksfjellet Lapponiae Umensis die 8. Jul. invenire mihi contigit. (Lapponia Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo fere et similitudo *Rhamph. sulcatae* (No. 12), sed halteribus nigris et pedibus muticis mox dignota. ♂ distincte pilosus, ♀ pubescens. Caput ut in *Rhamph. spinipede* (No. 11), sed haustellum in ♀ longitudine fere pectoris. Anus maris appendiculatus et filatus, non vero squama instructus; feminae simplex acutus. Alae fuscanae, stigmate nigricante; basi determinate flavo-bivittatae, vitta scilicet altera costali, altera marginali, relicta area intermedia triangulariter cordata alisque concolore. Pedes simplices, pilosi, tibiis spinulosis, praesertim in ♂, femoribus vero in utroque sexu spinis nullis armatis.

**15. R. caudata:** pubescens, atra subnitida, halteribus fuscis, alis hyalinis, pedibus piceis; ano in mare cauda longa perpendiculariter erecta ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, 2 tantum individua vidi, unum ad pagum Kardis d. 5. Jun., et alterum in floribus Salicis ad Juckasjervi die 3. Jul. 1821, a me capta. (Lapponia Suecica septentrionalis.)

*Mas.* Parva, $1\frac{1}{2}$ lin. longa, cauda singulariter formata ab omnibus conspeciebus facile dignota. Nigra, subpilosa, subnitida. Caput ut in *Rhamph. plumipede* (No. 6.) constructum. Thorax gibbus. Abdomen subincurvum. Cauda analis magna, basi deflexa, mox perpendiculariter erecta, constans lamellis quatuor compressis, quarum 2 brevioribus vaginantibus nigris, apice coronatis, et 2 interioribus longioribus, piceis, ciliatis. Alae sordide albohyalinae, stigmate fusco. Halteres fusci. Pedes pilosi, pici, simplices, femoribus posticis validis.

**16. R. arctica:** pilosa, nigro-cinerea, opaca, thorace parum fusco-vittato, halteribus alisque albidis, his basi pallidioribus, area discoidali oblongo-obovata, pedibus nigris, nitidis, simplicibus. ♂♀.

Hab. in inferalpinis Finmarkiae occidentalis; in floribus *Solidaginis virgaureae* ad Bossekop haud longe a capite septentrionali d. 8. Aug. 1821 utrumque sexum sat copiose vidi. E Lappon. Tornensi mas etiam a D. Deutsch missus. (Lappon.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 – $2\frac{1}{4}$ lin., *Empidi laevipedi* Fall. valde affinis et similis, et parum ab illa differt,, nisi alis albidioribus, area discoidali longiori, nec ut in *E. laevipede* breviter ovata, et loco natali. Cinerascens. Antennae capite transverso paullo longiores, articulo ultimo nigro. Haustellum capite dimidio longius, modice crassum. Oculi brunnei, maris in fronte connexi. Thorax griseus, parum fusco-vittatus. Abdomen cinereum, ano maris parum crasso, appendicibus simplicioribus, squamis et filo ordinario nullis; at genitale subulatum, testaceum, inflexum. Alae albo-hyalinae, nervis albis, praesertim ad basin. Stigma fuscum. Halteres albidi. Pedes nigri, nitidi, simplices, tibiis praesertim in mare spinulosis.

**17. R. nitida:** pubescens, nitida, nigra, alis halteribusque albis, area discoidali breviter ovata, pedum posticorum tibiis versus apicem dilatatis compressis, et maris metatarso oblongo. ♂♀.

*Mas:* Alae cum nervis sordide albidae, praesertim ad basin, et metatarsus posticus incrassatus, oblongus.

*Fem.:* alae fuscescentes, praesertim in medio late, tibiae et metatarsi postica simplicia.

Hab. in Lapponiis Suecicis rarius; in Lapponia Tornensi ad lacum Tornetraesk et in floribus Salicis ad Juckasjervi, d. 29. Jun. — 10. Jul. 1821 inveni; in alpe Brattiksfjellet Lapponiae Umensis d. 3. Jul. 1832 ♀ etiam visa; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae, et ad Björkvik prope Ofotenfjord d. 14. Jul. capta; e Lapponia Norvegica a D. Boheman ♀ missa. (Lapponia - Dalekarlia.)

*Mas* et *Fem.* Priori fere duplo minor, circiter $1\frac{3}{4}$ lin. longa. Tota nigra, nitida, pleuris parum cinereo-micantibus. Vittae thoracis 2 atrae parum perspicuae. Oculi in ♂ connexi. Haustellum in utroque sexu capite parum longius, bas. crassum. Thorax gibbus. Abdomen maris angustum, subcylindricum, ano simpliciter clavato, toto nigro; feminae oblongo-ovatum, acutum. Alae albidae, stigmate tenui, nigricante; area discoidalis breviter ovata sat longe a margine alae distat. Halteres albi. Pedes ut in diagnosi, femoribus subtus, et tibiis extus, parce spinulosis.

Var. β. pedibus piceis, posticis subcompressis; cum var. a., ad Björkvik Nordlandiae 14. Jul.

**18. R. vesiculosa:** subpilosa, opaca, cinereo-nigricans, thorace nigro-bivittato, halteribus fuscis, alis aut hyalinis aut dilatatis, brunneis; in mare tibiis posticis albis et vesica anali sordide alba. ♂♀.

*Mas:* alae albo-hyalinae, simplices; oculi supra antennas conniventes, tibiae tarsique postica albida; cauda longe erecta, reflexa, vesica sordide albida, clavata.

*Fem.:* alae dilatatae, totae brunneae; oculi distantes; pedes nigri vel picei, femoribus intermediis ciliatis, posticis utrinque pennatis; anus acutus, stylo bifido; in copula.

*Empis vesiculosa* Fall. Dipt. Sv. Emp. 27. 27. ♂♀. *Rhamph. Falleni* Meig. Dipt. 3. 50. 17.

Hab. in floribus Salicis ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, 29. Jun. — 3. Jul. pass. visa; at in inferalpinis Nordlandiae ad Björkvik et Giebostad 14—22. Jul. paullo frequentius obvia. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 2 lin. longa, robusta. Nigro-cinerea, pilosa. Antennae nigrae. Haustellum capite paullo longius, crassiusculum. Thoracis vittae dorsales tres obscurae, sed intermedia harum tenuis, vix perspicua. Alae ut in diagnosi, stigmate fusco. Area discoidalis obovata. Halteres nigricantes. Pedes ut in diagnosi.

*Obs.* Hanc speciem, a Fall. sub nomine *Empis vesiculosa* primum descriptam, Cl. Meigen, eam licet non viderit, *Rhamph. Falleni* vocavit, quoniam, ut ipse affert, nomen triviale *vesiculosa* in alio genere (*Brachystoma*) jam adhibitum. Haec autem ratio mutationis nominis non sufficiens mihi videtur, praesertim cum nomen illud specificum Falleni etiam in alio Dipterorum genere (*Callomyza*) usitatum, quare denominationem antiquiorem et characteristicam pro lege sancita et solito more restitui.

**19. R. reflexa:** subpilosa, opaca, cinereo-micans, thorace nigro-trivittato, halteribus albis; alis aut hyalinis aut dilatatis brunneis; pedibus simplicibus piceis; abdomine depresso, nigro, nitido; cauda in mare lamellata, reflexa. ♂♀.

*Mas.* Oculi supra antennas interstitio angusto, cinereo disjuncti, alae elongatae, albo-hyalinae, abdomen subdepressum, cauda lamellis duabus erectis conniventibus, nigris reflexa; genitale e segmento ultimo ventrali exiens etiam sursum flexum, testaceum.

*Fem.* Oculi interstitio latiori distantes; alae elongatae, paullo dilatatae, totae brunneae; abdomen ovatum, acuminatum, stylo apicali bifido, in copula

Hab. in summo alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. 1821 in copula a me capta; femina rarissima, mares frequentiores occurrunt. (Lapponiae alpes nivales.)

*Mas.* et *Fem.* Praecedente fere duplo major, circiter 3 lin. longa, eique affinis, sed halteribus albis, cauda anali maris nigra, lamellata etc. mox dignota. Caput ut in priori, at oculi in ♂ etiam paullo distantes. Thorax distincte nigro-trilineatus. Alae ut in diagnosi, stigmate tenui, fusco; area discoidalis obovata. Pedes simplices, nigro-picei, pubescentes, tibiis praesertim posticis extus spinulosis.

*Obs.* Ab Amico WESTERMANN Hafniensi, specimen *Rhamphomyzae* femineum accepi, in Groenlandia captum, nuper descriptae simillimum, sed alis paullo latioribus et distincte nigrioribus discrepans, unde ut distinctam speciem consideravi et *Rhamphomyzam nigritam* vocavi.

**20. R. alata**: subpilosa, opaca, cinerea, thorace nigro-subtrivittato, halteribus fuscis; in femina alis distincte dilatatis, totis brunneis et pedibus nigris, femoribus intermediis utrinque ciliatis, posticis subpennatis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi passim, in floribus Salicis ad Juckasjervi 21 – 29. Jun. inventa; in Gamsttind Nordlandiae 30. Jul. etiam visa. (Lappon.-Westrogoth. BOHEM.)

*Fem.* *Rhamph. vesiculosae* valde affinis et similis sed duplo fere major et alis paullo magis dilatatis diversa. Caput ut in *R. vesiculosa*. Thorax dorso nigro-trivittato, vitta media tenuiori Abdomen griseum, opacum, stylo anali bifido. Halteres fusci aut nigricantes, scapo pallidiori. Alae amplae, totae brunneae, basi vix pallidiores, stigmate distincte obscuriori, elongato. Area discoidalis obovata. Pedes nigri, tibiis plerumque piceis, nigro-pubescentibus, femoribus posterioribus ut in diagnosi vestitis.

Var. b. ♀. femoribus posticis fere ciliatis, non distincte pennatis, haustello capite duplo longiori. Similis *Rh. anthracinae* (No. 23), alis brunnescentibus (nec nigris) diversa, ergo vix ejusdem varietas. Inter Naes et Tynaes Norvegiae d. 5. Jun. 1832 a D. BOHEMAN inventa.

**21. R. plumifera:** parum pilosa, nitida, atra, halteribus concoloribus, alis latis, brunneis, pedibus nigris; femoribus intermediis pedibusque posticis in femina pennatis. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in alpe Brattiksfjellet, ut et inter novaccolarum sedes Tresunda ac Naestansjö 8 – 13. Jul. 1832 capta. (Lappon. Suecica.)

*Fem.* Parva, parum ultra 1 lin. longa, alis amplis, nigricantibus distincta. Tota atra, nitida, glabra. Caput parvum. Haustellum longitudine capitis, proboscide breviori, crassa. Antennae elongatae. Anus acutus, stylo bifido. Alae latae, communiter inspectae triangulum formant; totae nigro-brunneae, stigmate adhuc obscuriori. Area discoidalis breviter obovata. Halteres nigri, basi fusci. Pedes piceo-nigri, antici pubescentes, femoribus intermediis ciliatis, femoribus tibiisque posticis pennatis, metatarso ejusdem paris oblongo, incrassato, pubescente.

**22. R. fuscipennis:** subpilosa, opaca, cinereo-nigricans, thorace nigro-trivittato, halteribus albis; feminae alis fuscanis, costa obscuriori, abdomine pedibusque nigris, subnitidis, his simplicibus, tibiis spinulosis. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi rarissime; in silva Stensele d. 4. Jul. specimen descriptum inveni. (Lappon. Suecica.)

*Fem.* Simillima *Rh. reflexae* (No. 19), sed duplo minor, *Rh. vesiculosae* aequalis, alis fuscanis sive nigricantibus, nec brunneis, mox ab illa dignota. Caput ut in *Rh. reflexa* omnino. Thorax nigricans, vittis 3 aeqūalibus nigris. Abdomen nigrum, subnitidum, minus tamen lucidum, quam in *Rh. reflexa*. Alae subdilatatae, nigricantes, basi et margine interiori magis fusco-hyalinae, stigmate nigro. Halteres albi. Pedes simplices, nigri, posteriores inprimis pubescentes et spinulosi.

**23. R. anthracina**: subpilosa, opaca, cinereo-nigricans, thorace subtrivittato, halteribus, alis feminae totis, pedibusque nigris, femoribus intermediis pedibusque posticis utrinque ciliatis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in littore ad lacum insignem Stor-Uman d. 5. Jul. 1832 specimen unicum descriptum detegere mihi contigit, a Dom. BOHEMAN specimen alterum, in Lapponia Norvegica captum, mecum communicatum. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo et summa *Rh. alatae* (No. 20) similitudo, nec ab ea differt, nisi colore alarum nigricante (nec brunneo), ut et pedibus posticis ciliatis, minime vero pennatis. Haustellum capite duplo longius. Reliqua ut in *R. atrata*.

**24. R. aethiops:** hirsuta, subnitida, atra, halteribus concoloribus, alis fusco-hyalinis; haustello capite dimidio longiori; pedibus in mare simplicibus, posticis in femina pennatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime. (Lapponia; Suecia inferior, D. B. FRIES, a quo specimen unicum 1835 accepi, forte circa Holmiam captum. In alpibus Dalekarlicis, ♂♀, BOHEMAN.)

*Fem.* Circiter 2 lin. long., robusta, tota atra, immaculata. Caput parvum. Haustellum capite ad minimum dimidio longius, crassum, basi angustius. Thorax nigro-hirsutus, parum nitidus. Abdomen ovatum, nitidum. Alae fusco-hyalinae, stigmate obsoleto, area discoidali obovata. Halteres nigri. Pedes nigri, nitidi, parum pubescentes, femoribus tibiisque posticis pennatis. — *Mas* similis, pedibus pilosis simplicibus, ano appendice atro.

Var. b. ♀. Paullo minor, pedibus piceis femoribus posticis tantum pennatis, in ceteris var. a similis. In Norvegia a D. BOHEMAN 1832 capta.

**25. R. lividiventris:** parum pilosa, opaca, cinerea, alis hyalinis, halteribus albis, antennarum basi, haustello capite paullo longiori abdomineque, lividis, pedibus albido-flavis, tarsis obscurioribus. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; in Lapponia Umensi ad pagum Badstutraesk d. 29. Jun. unicum marem, et ad pagum Stensele d. 3. Jul. unicam feminam, inveni; in Nordlandia ad Björkvik d. 14. Jul. 1821 individuum femineum etiam legi. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Longit. circiter $1\frac{3}{4}$—2 lin. Valde affinis et similis *Rhamphom.* (*Empis*) *pallidiventris* FALL., a qua tamen differt inprimis rostro breviori, antennarum basi testacea et thoracis macula humerali rufa nulla. Cinerea. Haustellum capite paullo longius, crassum, testaceum. Oculi in ♂ supra antennas connexi. Thorax dorso immaculato, pleuris interdum testaceis. Abdomen obscure lividum, in mare pilosum, at ano simpliciter lamellato. Alae albo-hyalinae, nervis pallidis, stigmate vix ullo. Area discoidalis obovata. Halteres albidi. Pedes simplices, flavo-albidi, parum pubescentes, tarsis obscurioribus.

**26. R. culicina:** parum pilosa, opaca, nigricans, aut cinerea, halteribus, ventre pedibusque flavis, tarsis nigris, alis aut fuscis aut hyalinis; haustello capite paullo longiori. ♂♀.

*Mas.*: oculis supra antennas cohaerentibus, thoracis abdominisque dorso nigris, ano obtuso, non clavato, alis fuscanis.

*Fem.*: oculis paullo distantibus, thorace cinereo, dorso obsolete bivittato, abdomine supra fusco, ano acuto, alis hyalinis.

MEIG. Dipt. 3. 52. 19. *Empis culicina* FALL. Dipt. Sv. Emp. 28. 29. ♂♀.

Hab. in Lapponiae sylvaticae nemoribus umbrosis, tempore autumnali rarius. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 2 lin. Statura angusta uti proxime sequentis. Haustellum capite paullo longius. Oculi brunnei. Abdomen angustum, tenue, praesertim in mare. Area alarum discoidalis trapezina brevis. Stigma vix ullum. Halteres saepe fusci. Pedes elongati, simplices, tenues, tibiis spinulosis.

**27. R. unicolor**: parum pilosa, nitida, atra, halteribus concoloribus, haustello longitudine circiter capitis, alis fuscanis, pedibus elongatis, simplicibus, pilosis, piceis. ♂.

Hab. in Nordlandia rariss.; ad Bjorkvik d. 14. Jul. 1821 unicum indiv. legi. (Lapponia.)

*Mas.* Affinis *R. culicinae*, duplo minor, nitida, atra. Oculi supra antennas cohaerentes. Pectus parum cinereo-micans. Anus simplex, pilosus, hians, filo tenui, curvo, reflexo, e rictu excurrente. Alae fuscanae. Area discoidalis obovata, nervo tertio longitudinali modice curvato. Halteres nigri. Pedes elongati, simplices, pilosi, toti cum coxis picei, tibiis leviter spinulosis. — Vix *Rhamph. nitida* MACQ.

**28. R. sciarina:** parum pilosa, opaca, nigra, halteribus fuscis, ventre pallido, pedibus flavis, tarsis nigris, alis fuscanis, haustello capite duplo longiori. ♂.

MEIG. Dipt. 3. 54. 24. et Add. 6. 339. *Empis sciarina* FALL. Dipt. Sv. Emp. 28. 30. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* Similis omnino *R. culicinae*, sed duplo minor, rostro longiori et tenuiori, abdominis dorso magis intense magisque late nigricante, ut et tarsis parum infuscatis distincta.

**29. R. tenuirostris**: distincte pilosa, opaca, obscure cinerea, haustello tenui, pectore fere longiori, halteribus pallidis, pedibus flavis, tarsis nigris, alis subhyalinis.

*Mas:* paullo obscurior longe et distincte pilosus, ano simplici, alis subinfuscatis.

*Fem.:* cinerea, parum pilosa, ano acuto, alis hyalinis.

MEIG. Dipt. 3. 52. 20. *Empis tenuirostris* FALL. Dipt. Sv. Emp. 29. 32. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. tempore autumnali freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo fere et statura *R. culicinae*, a proxime praecedentibus praesertim distinguitur haustello longiori et alis in utroque sexu subhyalinis, in mare parum infuscatis. Haustellum fuscum. Pedes cum coxis testacei, tibiis inprimis spinulosis. Tarsi nigri.

**30. R. variabilis:** pilosa, opaca, nigricans aut cinerea, halteribus albis, pedibus flavis, tarsis fuscis, alis fuscanis aut hyalinis; haustello capite paullo longiori valido. ♂♀.

*Mas:* oculis cohaerentibus, distincte pilosa, supra nigricans, alis fuscanis.

*Fem.:* oculis distantibus, parum pilosa, cinerea, thorace supra obsolete bivittato, ventre pallido, alis hyalinis, stigmate tantum infuscatis.

MEIG. Dipt. 3. 51. 18. *Emp. variabilis* FALL. Dipt. Sv. Emp. 29. 33. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Suecia media, Uplandia pass.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Simillima iterum *R. culicinae*, paullo minor, magis pilosa, praesertim mas. A *Rh. tenuirostri* et affinibus distinguitur haustello breviori et crassiori. Pleurae maris cinerascentes. Alae feminae hyalinae, vitta stigmaticali infuscata.

**31. R. nigripennis**: parum pilosa, opaca nigricans, halteribus fuscis, pedibus flavescentibus, tarsis obscuris, alis fuscanis aut hyalinis, haustello capite vix longiori. ♂♀.

*Mas.:* oculis connexis, niger, holosericeus, alis fuscanis, ventre pallido, pedibus saepe fuscis.

*Fem.:* oculis distantibus, griseseeus, alis hyalinis, abdomine, saltem ventre pallidis, pedibus flavis.

*Empis nigripennis* FALL. Dipt. Sv. Emp. 30. 34. ♂♀. (exclus. Syn. FABR.) *Rhamph. umbripennis* MEIG. Dipt. 3. 54. 25. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Uplandia pass.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Praecedenti valde similis et affinis, duplo fere minor, circiter 1 lin. longa. Haustellum capite parum longius, crassiusculum. Halteres fusci. Tibiae et tarsi nigricantes. Alae ♂ nigricantes, metallice nitentes, stigmate obscuriore. Area discoidalis trapezina, ad basin alae retracta. Alae ♀ hyalinae, stigmate distincto, fusco.

**32. R. tipulariata**: parum pilosa, opaca, atro-holosericea, halteribus nigris, alis fuscanis, area discoidali obovata; haustello capite fere duplo longiori, pedibus simplicibus, elongatis, flavis, tarsis infuscatis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Karesuando mense Aug. D. B. F. FRIES, et ad Johannis Ro prope Tornoam d. 2. Sept. ipse duo specimina invenimus. (Lapponia-Botnia.)

*Mas.* *R. nigripenni* similis, fere tamen paullo longior, halteribus obscurioribus et haustello paullo longiori distincta. Oculi supra antennas cohaerentes. Haustellum tenue, capite vix duplo longius, flavum, summo apice nigro. Thorax atro-holosericeus, pectore cinerascente. Scutellum fuscum. Abdomen lividum, dorso atro, holosericeo. Alae fuscanae, metallice nitentes, costa fere fusciori; nervus tertius longitudinalis paullo curvatus. Nervi duo superiores ex angulo areae discoidalis excurrentes ad basin fere coëunt. Halteres nigri, scapo basi pallido. Pedes elongati, simplices, tenues, pubescentes, flavi, tarsis subinfuscatis. Tibiae posticae leviter spinulosae.

*Obs.* Femina, mihi ignota, sine dubio aliter colorata, forte cinerasceus.

**33. R. metatarsata:** subpilosa, subnitida, nigra, halteribus albis, alis hyalinis; haustello longitudine capitis; in mare metatarso postico elliptico. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi haud frequens; in sylvaticis ad Barrsele, Stensele et Wilhelmina d. 1 — 19. Jul. 1832 specimina pauca inveni. (Lappon. meridional.)

*Mas.* Parva, vix ultra 1 lin. longa, robusta, subpilosa, subnitida, nigricans, thorace vix vittato. Sed variat etiam dimidio fere major. Haustellum longitudine capitis, proboscide crassa. Abdomen pubescens, ano subclavato, piloso, et filo ordinario. Alae fusco-hyalinae, nervis ad costam distinctis, ad marginem interiorem magis obsoletis, stigmate distincto, nigro; area discoidalis trapezina. Halteres albissimi. Pedes subpilosi, metatarso postico magno, elliptico, compresso, longe piloso. Oculi supra antennas paullo distantes, in viva brunnei. — Similis *Rhamph. longipedi* MEIG., sed differt corpore nigricante, nec atro, halteribus albis, nec fuscis, ut et alarum stigmate distinctiori.

**34. R. pusilla**: subpilosa, opaca, nigra, halteribus concoloribus, alis hyalinis, basi subinfuscatis, stigmate fusco, area discoidali trapezina; haustello capite paullo longiori, pedibus simplicibus, pilosis, piceo-nigris. ♀.

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime; inter Kautokeino et Karesuando Lapponiae Tornensis d. 13 15. Aug 1821 duo specimina legi (Lappon. septentr.)

*Fem.* Parva, vix 1 lin. longa, gibba, pilosa, nigricans, thorace obsolete nigro-trivittato. Abdomen ano acuto, stylo bifido. Alae hyalinae ad basin et costam subinfuscatae, stigmate nigricante. Halteres nigri. Pedes piceo-nigri, pilosuli, tibiis extus spinulosis.

**35. R. dispar:** subpilosa, opaca, nigricans, halteribus alisque aut albis (♂), aut fuscis (♀); area discoidali obovata; haustello capite paullo longiori; pedibus simplicibus, piceis. ♂♀.

*Mas:* pilosus, alis simplicibus halteribusque, albis.

*Fem.:* pubescens, alis sublatioribus brunneis, halteribus fuscis; in copula.

Hab. in Lapponia passim; in floribus Salicum Lapponiae Tornensis vulgaris; ex. gr. ad pagos Kardis, Junosuando et Juckasjervi, 5. Jun. — 3. Jul. a me frequenter lecta, et saepe in copula; in Lapponia vero meridionali Umensi non nisi rarissime visa, uterque tamen sexus ad Lycksele d. 1. Jun. captus; ex Utsjoki Lapponiae Kemensis femina a D. DEUTSCH missa, et e Dowrefjell Norvegiae a D. BOHEMAN etiam communicata. (Lapponia.)

*Mas.* et *Fem.* Parva. Magnitudo praecedentis. Affinis *Rh. albipenni* (*Emp. albipenni* FALL.), et mares utriusque sexus simillimi, praeter longitudinem rostri seu haustelli, in *Rh. albipenni* scilicet capite fere brevioris, in *Rh. dispari* vero capite fere duplo longioris. Feminae magis discrepant: alis scilicet in priori hyalinis, in nostra specie subdilatatis, totis brunneis, stigmate adhuc fusciori. Nigro-cinerasceus, thorace obsolete fusco-trivittato. Anus maris simpliciter incrassatus, filo ordinario brevi. Variat pedibus piceis et piceo-testaceis. Individuum unicum masculum haustello pectoris longitudine vidi, certe tamen hujus speciei.

Var. b. ♀. alis nigricantibus, nec brunneis, halteribus albidis, pedibus nigris, alias var. a. simillima; a D. BOHEMAN unicum specimen e Norvegia missum.

**36. R. niveipennis**: subpilosa, opaca, schistacea, thorace immaculato, alis niveis, halteribus albis; haustello capite fere longiori; pedibus simplicibus, pilosis, nigris. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele mense Jun. unicum tantum individuum inveni. (Lapp. meridional.-Dalekarlia, BOHEM. 1836.)

*Mas.* Minuta, circiter 1 lin. longa, schistacea s. subglauca, immaculata, abdomine cinereo-micante. Caput parvum, oculis supra antennas cohaerentibus. Anus subclavatus, hians, pilosus, filum ordinarium e rictu emittens, pallidum, haud elongatum, reflexum. Alae lacteae, nervis albis, obsoletis; costali, auxiliari et tertio longitudinali distinctioribus, fuscis. Area costalis obovata. Pedes nigri, pilosi et subspinulosi.

**37. R. lacteipennis:** subpilosa, opaca, nigricans, thorace immaculato, alis niveis, halteribus albis, haustello capite duplo longiori pedibusque simplicibus, pilosis, nigris. ♂.

Hab. in Lapponia cum priori, rarissime. (Lapponia.)

*Mas.* Praecedenti, ut ovum ovo, simillima praeter colorem corporis nigriorem et haustellum multo longius, hoc scilicet capite saltem duplo longius. Thorax et abdomen cinereo-nigricantia. Reliqua ut in priori; forte tamen propria species.

**38. R. oedalina:** glabriuscula, nitida, atra, halteribus pedibusque fusco-testaceis, alis albo-hyalinis, stigmate fusco, area discoidali elongato-obovata; haustello capite fere breviori, suboblique exserto. ♀.

Hab. in floribus Salicis ad Juckasjervi rarissime, d. 21. Jun. capta. (Lappon. septentrionalis-Jemtlandia? BOHEM.)

*Fem.* Longitudo fere *Rh. disparis* (No. 35), sed angustior, atra, tota nitida. Affinis *Oedaleae pallipedi*, sed haustello longitudine fere capitis et oblique tantum, nec horizontaliter porrecto, distincta. Corpus pilis paucis obsitum. Antennae longitudine capitis, stylo apicali vix ullo. Abdomen ano longe acuminato, stylo bifido. Alae albo-hyalinae, nervis pallidis, vitta stigmaticali fusca. Area discoidalis sat elongato-triangularis. Halteres et pedes fusco-albidi, geniculis albis. Pedes nudiusculi s. brevissime tantum pubescentes.

**39. R. fraternella**: glabriuscula, nitida, atra, halteribus pedibusque nigricantibus, alis hyalinis, stigmate fusco, area discoidali elongato-obovata; haustello longitudine capitis suboblique exserto. ♂♀.

Hab. in floribus Salicis Lapponiae Tornensis rar.; marem ad Kardis 5. Jun., et feminam ad Juckasjervi 29. Jun. inveni. (Lappon. septentrionalis-Jemtland. BOHEM.)

*Mas.* et *Fem.* Magnitudo et summa praecedentis similitudo, nec ab ea differt nisi halteribus pedibusque obscurioribus, fere nigris,

geniculis tantum summis in femina albidis, ut et alis hyalinis, nervis fuscioribus.

**40. R. consobrina:** glabriuscula, nitida, atra, halteribus pedibusque testaceis, alis albo-hyalinis, stigmate obsoleto, area discoidali brevi, trapezina; haustello capite paullo longiori, oblique exserto; antennis brevibus crassiusculis. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi passim, in graminosis ad Stensele, Umenaes et Asele 3—27. Jul. 1832 a D. DAHLB. et me ipso capta; in inferalpinis Nordlandiae quoque occurrit, et ad Giebostad d. 22. Jul. 1821 primam hujus speciei feminam detexi, at in Pinu ad Bossekop Finmarkiae d. 5. Aug. ejusdem anni utrumque sexum inveni. (Lappon.-Suec. et Norveg.; Westrogoth.)

*Mas* et *Fem*. *R. oedalinae* iterum affinis et similis, paullo brevior, haustello longiori et area alarum discoidali breviori mox dignota. Nitida, atra. Antennae fuscae, stylo apicali brevissimo. Haustellum capite paullo longius, plerumque horizontaliter fere exsertum. Palpi filiformes, elongati. Oculi in mare supra antennas cohaerentes, ferruginei; in femina interstitio nitido distantes, aeneo-brunnei. Anus simplex. Alae albidae, stigmate fusco, obsoletissimo. Halteres pallidi. Pedes testacei, simplices, validiusculi, pubescentes, vix vero spinulosi, tarsis fuscis. Abdominis venter basi in ♀ testaceus.

**41. R. hybotina:** elongata, glabra, nitida, atra, haustello capite longiori, halteribus pedibusque flavis, posticorum femorum tibiarumque apice tarsisque omnibus nigris; alis hyalinis, area discoidali trapezina. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica rarius; ad Lycksele et in Stöttingsfjellet Lappon. Umensis 1—16. Aug. capta; in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. in Raschstind, ad Lyngen et in insula Hacksten prope Schiervoe 26—28. Jul. in copula lecta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem*. Priori affinis, paullo vero longior et angustior, nitida, atra. Antennae capite rotundato fere dimidio longiores, articulo 1 cylindrico, 2 brevissimo, cyathiformi, 3 longissimo conico, stylo apicali brevi. Haustellum pectori inflexum, in ♂ capite duplo longius, in ♀ longitudine pectoris; in utroque sexu flavum, in apice determinate nigrum. Oculi in ♀ viva ferruginei, aeneo-submicantes. Abdomen elongatum, ventre in ♀ pallido; ano maris clavato, feminae longe producto. Alae elongatae, hyalinae, stigmate obsoleto. Halteres pallidi. Pedes elongati, simplices, pubescentes, non vero spinulosi; flavi, posticorum femorum tibiarumque apice, tarsisque omnibus, nigricantibus, coxis in ♂ pallide flavis, in ♀ testaceis, metatarso antico in utroque sexu distincte incrassato.

**42. R. tenuicornis:** angusta, glabra, nitida, nigra, haustello capite fere duplo longiori, halteribus, ventre pedibusque elongatis simplicibus, flavis, antennis tenuibus, fuscis; alis hyalinis, nervo tertio longitudinali valde curvo. ♂.

Hab. in Nordlandia rarissime; in insula Hacksten prope Schiervoe in graminosis unicum individuum d. 23. Jul. inveni. (Lapponia; Jemtlandia, Gottlandia rariss.)

*Mas*. Magnitudo et affinitas prioris, antennis tenuioribus, haustello longiori etc. diversa. Tenera, angusta, glabra, nitida, nigra. Antennae capite paullo longiores, tenuissimae, fuscae. Oculi supra antennas paullo distantes. Haustellum capite fere duplo longius, tenue, flavum, apice nigrum. Abdomen angustum, flavum, dorso nigro, nitido. Anus sursum flexus, niger, pilosus, filo flavo, recurvo. Alae fusco-hyalinae, metallice nitentes, infima basi flavescentes, stigmate obsoletissimo. Area discoidalis trapezina, nervo tertio longitudinali reliquis magis curvato. Pedes elongati, nudi, simplices, flavi, femorum posticorum apice tarsisque omnibus, subinfuscatis.

**43. R. griseola:** pubescens, opaca, obscure cinerea, halteribus fuscis, alis albo-hyalinis, stigmate obsoleto; area discoidali obovata, pedibus simplicibus, pilosis, nigris, haustello capite dimidio longiori. ♂.

Hab. in floribus Salicis Capreae ad Garnaes Norvegiae 1832, D. BOHEMAN. (Lappon.)

*Mas*. Minor, 1½ lin. longa, tota fusco-cinerea, opaca, pubescens. Antennae nigrae. Oculi supra antennas cohaerentes. Haustellum capite circiter dimidio, vix duplo, longius, haud crassum, nigrum. Thorax obsoletissime trivittatus, vitta media vix perspicua. Anus appendicibus hiantibus, filo centrali tenuissimo, haud longo, reflexo. Alae albidae, nervis pallidis, tenuibus, stigmate fusco, obsoleto. Area discoidalis obovata s. obcordata. Halteres nigricantes. Pedes simplices, validi, nigri, pilosi, tibiis leviter spinulosis.

**44. R. fuscula:** pubescens, opaca, obscure cinerea, halteribus albis, alis hyalinis, stigmate obsoleto, area discoidali obovata; pedibus simplicibus, pilosis, nigris, haustello capite parum longiori. ♂.

Hab. in alpibus Dowreensibus, D. BOHEMAN. (Lapponia Norvegica.)

*Mas*. Priori valde affinis et similis, paullo major, alis vix albidis, at halteribus albis, diversa. Haustellum capite paullo longius, proboscide crassa. Thorax vix fusco-vittatus. Anus parum crassus, filo ordinario valido, longo, reflexo, flavo. Alae hyalinae, nervis obscurioribus, stigmate obsoletissimo. Area discoidalis obovata. Pedes simplices, nigri, pubescentes, tibiis spinulosis.

*Obs*. Hae duae ultimae species (43 et 44) haud exiguam cum *Rh. geniculata* (No. 8) habent affinitatem, ideoque in serie systematica post illam rectius locandae.

*Obs*. Species Fallenianae *Empis laevipes*, *tipularia* (*cinerea* MEIG.), *pallidiventris*, *albipennis* et *gibba*, in Suecia inferiori passim obviae, in Lapponia a me non inventae. — *Rh. hybrida* femina, corpore flavicante, in Subdivisione sequenti quaerenda.

°° Corpore flavicante.

**45. R. flava:** testacea, pedibus elongatis, simplicibus, pallidioribus, tarsis fuscis, capite cinereo, antennarum apice nigro, alis hyalinis; haustello capite dimidio longiori. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 59. 36. ♂♀. *Empis flava* FALL. Dipt. Sv. Empid. 30. 35. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae Tornensis rarius; d. 17. Aug. — 2. Sept. capta. (Lapponia; Botnia borealis, — Scan. freq.)

*Mas* et *Fem*. Parva, angusta, 2 lin. longa, parum pubescens, opaca, testacea. Antennae nigrae, basi testaceae. Oculi rufescentes. Haustellum capite dimidio et ultra longius, tenue, testaceum. Thorax testaceus, aut flavescens. Abdomen testaceum, elongatum, angustum, dorso saepe infuscato; ano maris simplici, obtuso; feminae acuminato. Alae hyalinae, area discoidali obovata, stigmate nullo. Pedes elongati, simplices, flavi, tarsis fuscis, tibiis spinulosis.

**46. R. hybrida:** corpore discolore, nigro aut flavescente, pedibus flavis, basi fuscis, alis fuscis aut hyalinis, haustello capite duplo longiori. ♂♀.

*Mas:* opacus, ater, halteribus concoloribus, pedibus flavis, tarsis obscuris, alis fuscanis.

*Fem.:* testacea, capite cinereo, antennis nigris, halteribus pedibusque flavis, tarsis fuscis, alis hyalinis; in copula.

Hab. in floribus Umbellatarum tempore autumnali, in Lapponia meridionali, rarius; in copula capta.

*Mas* et *Fem*. Magnitudo et formatio partium omnino ut in praecedente, et feminae utriusque speciei colore etiam simillimae, sed mas *R. hybridae* differt colore totius corporis obscuriori ut in diagnosi indicatum. Est autem mas hujus (*R. hybridae*) *Rh. nigripennis* mari valde similis, praeter haustellum longius. An copulatio hybrida?

---

## 33. Microcera. ZETT.

*Corpus* minutum, angustum, tenellum, parum pilosum. Antennae omnium brevissimae, seta terminali longa, deflexa. Haustellum longitudine capitis, oblique exsertum, apice geniculatum. Alae elongatae, nervis simplicibus, area discoidali elongata. Pedes simplices, elongati, tenues, nudi. *Color* obscurus. *Motus* non celer. *Habitatio* in foliis plantarum locis umbrosis, paludosis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas*: ano valde incrassato, tumido; *femina*: ano simplici. (Spec. Scand. 1, nostra, antennis brevissimis, seta elongata, haustello longitudine capitis, oblique exserto, alarum nervis simplicibus, area discoidali elongata, pedibusque simplicibus, a reliquis generibus hujus Familiae dignota.)

**1. M. rostrata:** opaca cinerascens, haustello nigro, alis halteribusque fuscis, pedibus piceis. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica passim rarius; ad Kengis et Karesuando Lapponiae Tornensis d. 17—22 Aug. 1821; locis paludosis ad Lycksele, Umenaes et Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 7. Jul. — 7. Aug. 1832 rar.; in Norvegiae alpe Dowre in vallibus rivulosis (Suecice Baechdalar) mens. Julio a D. BOHEMAN etiam inventa. (Lapponia; Scania in pariete domi Academiae Lundensis d. 4. Jun. 1825 specimen masculum ipsissimae speciei inveni, olim *Macrourae rostratae* nomine a me impositum.)

*Mas* et *Fem*. Parva, circiter 1 lin. longa, angusta, tenera, grisea, subnuda. Caput nutans. Antennae minutae, longitudine vix sextae partis capitis, deflexae, seta apicis capillari, longa, deflexa. Haustellum longitudine fere capitis, oblique exsertum, apice deflexo vel geniculato. Thorax et abdomen ut in diagnosi. Alae elongatae, angustatae, subfuscae, nervis longitudinalibus simplicibus,

rectis, area discoidali elongata, tres nervulos in marginem alae emittente. Halteres fusci. Pedes simplices, elongati, tenues, nudi, picei s. fusco-testacei.

°° Tarsis tripulvillatis.

## FAM. 11. ACROCERINAE. Zett. (*Inflatae* Meig. Macq. *Stratiomydae* Fall.)

Antennae parvae, bi- aut tri-? articulatae. Oculi magni. Ocelli 3. Abdomen magnum, 5-articulatum. Pedes breviusculi, validi, simplices. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* externe vix quaerenda.

### 34. Acrocera. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 85. Latr. Macq. *Syrphus* Panz. *Henops* Fabr. Fall.

*Corpus* minoris magnitudinis, subglobosum, gibbum, breviter pubescens. Caput minutissimum, oculeum. Antennae verticinae, minutae, biarticulatae, articulo ultimo fusiformi, seta apicali. Proboscis palpique occulta (retracta). Oculi obscure brunnei, unicolores. Alae vitreae, paucinerves, nervo tertio longitudinali ad apicem furcato, nervo interiori marginali nullo. Squama sub alis magna. Pedes breviusculi, simplices. *Color* nigricans. *Motu* tarda; in truncis et ramis arborum exsiccatis saepe immobilis sedet gregatim, tempestate calida et sole lucente truncos et ramos sat velociter circumvolantes vidi imagines. *Habitatio* in truncis et ramis exsiccatis dependentibus arborum viventium, per partem sylvaticam Lapponiae. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus* externe vix perspicua. (Spec. Scand. 3, corpore subgloboso, capite minutissimo, antennis verticinis, biarticulatis, seta elongata terminatis, ore occulto, alis paucinervibus, nervo tertio longitudinali ad apicem furcato, squama sub alis magna a ceteris hujus familiae dignotae.)

**1. A. borealis:** nigra, abdominis segmento tertio utrinque macula rotundata pedibusque pallidis, tarsis infuscatis.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, in trunco Betulae albae ad Asele d. 26. Jul. 1832 viva inventa. (Lappon. meridional.)

Circiter 1½ lin. longa. Affinis et similis *Henopi globulo* Fall., paullo minor et minus coloratus. Caput ut in illo. Thorax breviter pubescens, niger, immaculatus, lineis tantum 2 brevibus, anticis, albidis. Abdomen subglobosum, subinflatum, nigrum, macula laterali paullo pone medium albida. Alae vitreae. Nervus costalis distinctus, fuscus; reliqui tenuissimi, albidi. Area discoidalis, quae in basi alae incboatur, elongato-quadrata emittit 2 nervos ad marginem interiorem, quorum unum (tertium longitudinalem) ad apicem late furcatum, alterum breviorem, simplicem. Juxta hanc aream altera brevior, basalis, etiam quadrata, posita est, nervum quintum longitudinalem emittens. Squama sub alis magna, integra, fornicata, alba, halteres clava globosa albos supertegens. Pedes simplices, validi, nudi, pallidi, tarsis subinfuscatis. Differentia sexus ignota.

*Obs.* Species Meigenianae: *Acrocera albipes* et *Gl bulus*, in Succia media et meridionali passim obviae, in Lapponia a me non visae.

### 35. Henops. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 86. Fabr. Fall. *Musca* Linn. *Syrphus* Panz. *Ogcodes* Latr. Macq.

*Corpus* minoris magnitudinis, subglobosum, gibbum, breviter pubescens. Caput minutissimum, oculeum. Antennae margini superiori oris insertae, minutae, biarticulatae, articulo ultimo conico, seta apicali. Proboscis palpique occulta (retracta). Oculi obscure brunnei. Alae vitreae, paucinerves, nervis simplicibus. Nervus interior marginalis nullus. Squama sub alis magna. Pedes breviusculi, simplices. *Color* nigricans. *Motus, mores, habitatio* et *differentia sexus* ut in genere praecedente. (Spec. Scand. 2, antennarum insertione ad marginem superiorem oris alarumque nervis longitudinalibus simplicibus, et vix aliter, ab *Acrocera* diversae.)

**1. H. nigripes:** pubescens niger, pedibus concoloribus, segmentorum margine albido; squama sub alis alba, nigromarginata.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in silva Pinetorum prope Långseleberget ad Stensele d. 4. Jul. 1832 inventus. (Lapponia meridionalis.)

Circiter 1½ lin. longus. Affinis et similis *Hen. leucomelae* Fall. seu *Henopi gibboso* Meig., sed fere duplo minor, pedibus totis nigris et squama sub alis nigro-marginata distinctus. Oculi in vivo nigro-brunnei, in fronte arcte cohaerentes. Thorax totus aeneo-niger, pubescens. Abdomen breviter ovatum, pubescens, cinctum, margine segmentorum albo. Alae angustae, vitreae, nervis costali et auxiliari elongato, nigricantibus. E loco stigmatis excurrit etiam nervulus perspicuus, fuscus, marginem interiorem non attingens. Nervi reliqui (2) e basi alae fere exeuntes, ad marginem interiorem curvatim flexi, obsoletiores, fusci, ipsum tamen marginem non attingentes. Squama sub alis sordide albida, nigro-limbata et ciliata halteres nigros supertegit. Pedes validiusculi, simplices, pubescentes, nigri.

*Obs.* Species Meigenianae: *Henops gibbosus* (*leucomelas* Fall.) et *marginatus* (*gibbosus* Fall.), Succiae inferioris incolae rariores, in Lapponia frustra quaesitae.

### 36. Platygaster. Zett.

*Corpus* minutum, ovatum, crassum, abdomine suborbiculari, depresso; nudum. Caput rotundatum, mediocre. Antennae frontis medio insertae, parvae, triarticulatae?, articulis 1 et 2 brevissimis, fere unitis, ultimo rotundato, stylo apicali brevissimo, crassiusculo. Haustellum longitudine fere capitis, haud crassum, horizontaliter subcurvatim exsertum. Thorax gibbus. Abdomen suborbiculare, depressiusculum. Alae hyalinae. Area discoidalis irregularis, a basi alae exiens ad medium extensa, nervulos 4 ad marginem alae emittit integros, omnes obsoletos. Nervus costalis fere ad apicem alae, et nervus auxiliaris ad medium costae, extensi, una cum nervo longitudinali 2do simplici, recto, distincti. Apici nervi auxiliaris adjacet area triangularis minuta. Nervulus quoque nervum secundum longitudinalem et aream discoidalem connectit. Squama sub alis vix ulla, at halteres omnino ut in *Pachygastre atro*. Pedes breves, validi, simplices, nudi. *Color* niger. *Habitatio* in paludosis, per partem inferalpinam Lapponiae. *Metamorphosis* et *differentia sexus* ignotae. (Spec. Scand. 1, nostra, abdomine suborbiculari, depresso, capite mediocriter magno, antennis frontis medio insertis, stylo brevissimo, crassiusculo terminatis, haustello subexserto, alarum area discoidali 4 nervulos ad marginem alae emittente, squama sub alis minutissima etc. a ceteris hujus Familiae mox dignota.)

**1. P. arcticus:** glaber, subnitidus, ater, alis hyalinis, thorace linea humerali halteribusque albis, pedibus nigris, geniculis tarsisque fuscis.

Hab. in graminosis paludosis rarissime; in monte subalpino Skaaddavaara ad Alten Finmarkiae occidentalis haud longe a Capite septentrionali d. 17. Aug. 1821 unicum specimen inveni. (Lapponia Norvegica borealis.)

Insectum minutum, vix ultra ½ lin. longum, sed crassum, valde singulare, in quibusdam cum *Acrocerinis*, in aliis cum *Stratiomydis* convenit, familiam propriam inter ambas forte constituens; nec cum *Pachygastre* conjungi potest, ore sat longe rostrato, quare nullum aptiorem locum, quam in Fam. *Acrocerinarum*, huic generi distincto eligendum esse puto, dum nempe novam Familiam pro unius generis unicae speciei formare minus idoneum credidi. — Totus glaber, ater. Oculi rotundi, magni, interstitio frontali triangulari distantes. Hypostoma subgibbum. Antennae et haustellum fusco-nigricantia, palpis brevissimis. Thorax magnus, compressus, capite vix latior, sed multo elevatior, gibbus, linea humorali et angusta et puncto utrinque pectorali albidis. Scutellum gibbum, inerme. Abdomen brevissimum, semiorbiculare, depressum, 5-annulatum. Alae abdomine longiores, modice latae, hyalinae, nervis costalibus distinctis, fuscis; inferioribus albis, tenuibus, obsoletis. Area angularis ad basin alae quidem adest, ut in *Leptide scolopacea*, sed valde obsoleta. Halteres breves, clava rotunda, alba, subtus nigra, ut in *Scenopinis* plerisque. Pedes breves, glaberrimi, femoribus validis.

## FAM. 12. STRATIOMYDAE. Fall. Latr. Meig.

Antennae porrectae, basi approximatae, triarticulatae, articulo tertio annulato, apice aut seta elongata aut stylo brevissimo terminato. Proboscis palpique retracta. Ocelli 3. Abdomen 5-annulatum. Alae incumbentes, tenuiter et obsolete nervosae, nervo interiori marginali nullo. Area discoidalis breviter ovata, 3 aut 4 nervos in marginem interiorem alae emittens, summum marginem vix attingentes. Squama sub alis parva. Pedes breviusculi, simplices, mutici, pubescentes. *Larvae* aquaticae. *Imagines* in floribus et graminosis saepe locis humidis versantur. *Differentia sexus* ex oculorum connectione vel distantia plerumque conjicitur.

*Not.* Articulatio antennarum in familiis *Xylophaginorum*, *Tabaniorum* et *Stratiomydarum* subsimilis est, et affinitatem quandam inter hasce tres Familias et *Tipulariarum* prodit. — *Beris* in Famil. Xylophagin. describitur.

---

### 37. Nemotelus. Geoffr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 89. Fabr. Panz. Fall. Macq. *Musca* Linn.

*Corpus* parvum, oblongum, depressiusculum, glabrum. Antennae hypostomati horizontaliter porrecto, conico insertae, triarticulatae, articulo ultimo fusiformi, distincte 4-annulato, stylo apicali brevi. Scutellum muticum. Abdomen rotundatum. Nervi alarum costales evidentes, in stigma fere desinunt reliqui tenuissimi. Areae: discoidalis minuta 4 nervos ad marginem interiorem emittens; et angularis, valde obsoletae. Pedes breviusculi, nudi. *Color* niger. *Motu* tardus. *Habitatio* in paludosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus*; *mas*: oculis supra antennas arcte cohaerentibus, a *femina* oculis late distantibus mox dignotus. (Spec. Scand. 3, corpore oblongo, antennarum articulo ultimo fusiformi, 4-annulato, stylo brevi terminato, hypostomate porrecto, conico, scutello mutico, et area alarum discoidali, 4 nervulos usque fere in marginem emittente, a reliquis hujus Familiae distinctae.)

**1. N. nigrinus:** nitidus niger, alis albo-hyalinis, halteribus albis, genubus tibiisque anterioribus pallidis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Strat. 6. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 117. 5. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. Strat. 116. 3. *Nemotel. nigritus* Panz. Fn. 107. f. 17 ♂.

Hab. in Lapponia Suecica rarissime; in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. in foliis Betulae albae ad Evenäs et Björkvik utrumque sexum d. 14—18. Jul. paullo frequentius vidi. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* $1\frac{2}{3}$ 2 lin. long. Oculi ♂ in vivo aenei, linea infra medium transversa, angusta, purpurea; dimidietate inferiori subtilissime reticulata. Color corporis aenescenti-niger. Thorax et abdomen immaculata, linea humerali tantum angusta, albida. Squamae sub alis parvae, fuscae. Pedes validiusculi.

*Obs.* Species Fallenianae *Nem. uliginosus* et *marginellus* (*Musca pantherina* Linn. Fn. seu *N. marginatus* Fabr.), in Suecia inferiori passim obviae, in Lapponia a me non visae.

*Obs.* E genere *Stratiomyde*, species Fallenianae: *Chamaeleon*, *panthaleon* (*Strat. furcata* Fabr.), *microleon*, *hydroleon*, *nigrita*, *argentata* et *viridula*, in Lapponia a me frustra quaesitae. Nec *Pachygastrem atrum* (*Sarg. pachygastrem* Fall.) Meig. ad littora Scaniae prope Esperoed frequentem incolam, in provinciis septentrionalibus unquam inveni. At *Pachy. minutissimus* mihi, niger nitidus, glaber, halteribus niveis, tibiis tarsisque albis, alis hyalinis immaculatis, vix $\frac{3}{4}$ lin. longus, in Dalekarlia nuper a D. Boheman detectus.

---

### 38. Oxycera. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 91. Latr. Macq. *Musca* Linn. *Stratiomys* Fabr. Panz. Fall.

*Corpus* minoris (in nostra) magnitudinis, oblongum, depressum, glabriusculum. Antennae capite transverso paullo breviores, triarticulatae, articulo ultimo ceteris longiori, fusiformi, 4-annulato, stylo s. seta apicali elongato. Oculi lineati. Proboscis retracta. Scutellum bispinosum. Reliqua fere ut in *Nemotelo*. *Color* niger, pictura flavo-maculata aut lineata, saepe insigni. *Motu* agilis. *Habitatio* in floribus et foliis plantarum, libenter in vicinitate aquae, per partem sylvaticam Lapponiae. *Larvae* aquaticae. *Differentia sexus*; *mas*: oculis connexis, hirsutulis a *femina*: oculis distantibus glabris mox dignoscitur. (Spec. Scand. 5, corpore oblongo, antennarum articulo ultimo fusiformi, 4-annulato, stylo elongato terminato, scutello armato, et area alarum discoidali 4 nervulos emittente vix in summum marginem extensos, a reliquis dignotae.)

**1. O. maculata:** atra, hypostomate argenteo-pubescente, alis hyalinis, maculis capitis 6, thoracis 4, striisque dorsalibus 2, abdominisque 6, scutello ejusque spinis, flavo-albidis, pedibus nigris, geniculis tibiisque flavis. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele Lapponiae Umensis inveni. (Lapponia Suecica.)

*Fem.* Long. 2 lin. Glabra, nitida, atra. Oculi aequaliter distantes, in viva virescentes, linea media transversa purpurea. Hypostoma argenteo-micans. Proboscis flava. Maculae in fronte 2 juxta oculos, 2 in medio juxta stemmata minutae, et 2 in occipite elongatae, albidae. Thorax striis angustis 4, quarum 2 humeralibus et 2 dorsalibus utrinque abruptis, flavo-albidis, et praeterea maculis 2 humeralibus et 2 ad scutellum ejusdem coloris. In thoracis dorso ad latera punctum utrinque minutissimum et alterum ad radicem alae conspiciuntur, flava. Scutellum fascia transversa et spinis, flavo-albidis. Abdomen macula basali ante metathoracem duplicata, in segmentis tertio et quarto utrinque macula sublunata, anoque, flavo-albidis. Alae hyalinae, nervis ad costam evidentibus, reliquis obsoletis. Area discoidalis sub stigmate parva rotundata 4 nervulos brevissimos emittit. Area angularis magna, obsoletissima. Halteres: clava virescenti-alba, scapo subfusco. Pedes nudi, nigri, geniculis late, tibiisque, flavis, annulis mediis tibiarum anteriorum obsoletis, posticarum distinctis, tarsisque, fuscis; metatarso postico flavo.

*Obs.* In Suecia meridionali *Oxyc. trilineata* frequenter, *pygmaea* passim, et *Hypoleon* rarissime, habitant, in terris septentrionalibus a me nunquam visae.

---

### 39. Sargus. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 88. Latr. Fabr. Fall. Macq. *Musca* Linn. *Nemotelus* Deg.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, elongatum, sublineare, nitidum, subdepressum. Antennae breves, triarticulatae, articulo primo subcylindrico, secundo cyathiformi, tertio lenticulato, obsolete triannulato, apice setigero. Proboscis saccata, retracta. Oculi in vivo virescentes, macula etc. linea purpureis. Scutellum muticum. Nervi alarum distincti. Area discoidalis 4 nervulos in marginem interiorem alae emittit. Pedes mediocres. *Color* metallicus, virescens. *Motu* tardus: in foliis fruticum tempore frigidiore tota die sedentem vidi, captu facilem; calido autem et sole lucente breviter avolantem, at mox ad eundem locum revertentem observavi; escam humidam interdum quaeritsupra folia sat agiliter repens. *Habitatio* in graminosis et foliis plantarum; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Larvae* corpore ovali, elongato, depresso, capiteque cornuto in stercore (bovino, testante Macquart) degunt, affirmante Fabricio. *Differentia sexus*; *mas*: oculis supra antennas aut connexis aut approximatis, et abdomine angustato, ano truncato; *femina*: oculis magis distantibus, abdomine paullo latiori, ano obtuse rotundato. (Spec. Scand. 7, corpore elongato, sublineari, antennarum articulo ultimo lenticulato, obsolete triannulato, seta capillari terminato, scutello mutico, alarumque nervis distinctis, a praecedentibus hujus familiae bene dignotae.)

* Palpi nulli. Oculi in utroque sexu distantes. Antennarum articulus ultimus suborbicularis. Ocelli in fronte locati; anticus distans. Corpus pubescens.

**1. S. cuprarius:** aureo-viridis, abdomine cupreo, posterius violaceo, halteribus pallidis, alis hyalinis, nubecula fusca, antennis pedibusque nigris, geniculis omnibus metatarsique postici basi, testaceis. ♂♀.

Fabr. Antl. 256. 3. Fall. Dipt. Sv. Strat. 15. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 106. 1. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. Strat. 106. 1. Tab. 2. fig. 6. ala. *Musca cupraria* Linn. Fn. Sv. 1853.

Hab. in Lapponia rarius; ad Åsele Lapponiae Umensis, et in foliis Betulae albae ad Björkvik Nordlandiae d. 14—26. Jul. inveni. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4—5 lin. Pubescens, aureo-viridis. Antennae nigrae, articulo ultimo fere orbiculari. Oculi *maris* virides, linea media et angulo superiori purpurascentibus, interstitio frontali angusto, cupreo, vertice caeruleo, stemmatibus tribus, in triangulum dispositis, antico separato, in fronte locato; *feminae* aureo-virides, angulo superiori, aut aeneo, linea purpurea terminato, aut violaceo, caeruleo-terminato, macula disci aenea, interstitio frontali latiori

viridi, vertice caeruleo, stemmatibus ut in ♂; punctis supra antennas in utroque sexu 2 niveis. Proboscis flava. Abdomen in ♂ cupreum, ano violaceo, in femina violaceum, basi cuprea. Alae hyalinae, stigmate nigro, fascia dimidiata fusca. Pedes nigri, postici annulo tibiarum medio plerumque, metatarsique basi, geniculisque omnibus, pallidis. — Larvae 4 lin. longae, in stercore bovino copiose a mens. Julio usque ad Sept. vivunt. Imagines verno tempore proximi anni declarantur, teste BOUCHÉ, Naturgeschichte der Insecten p. 48.

**2. S. infuscatus:** aureo-viridis, abdomine cupreo, posterius violaceo, halteribus pallidis, alis hyalinis, nubecula nulla, antennis pedibusque nigris, immaculatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 107. 3. ♂♀. (exclus. Syn. FALL.) MACQ. Dipt. Gall. 107. 2.? ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi frequenter; in foliis Betulae ad Lycksele, Stensele et Wilhelmina d. 13. Jun. — 22. Jul. legi. (Lappon. Suecica meridionalis-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, color et omnia ut in priori, a qua alis totis hyalinis, nec fusco-fasciatis, stigmate tantum obscuro, et pedibus totis nigris, nec genubus et metatarso postico basi pallidis differt. Oculi *feminae* aenei, in medio linea vel fascia purpurea, interius caeruleo-terminata; maris variant, aut ferruginei, aeneo-submicantes, linea transversa purpurea in parte superiori, aut aenei, macula verticis cuprea, linea purpureo-caerulea terminata. Variat etiam plerumque paullo major et geniculis anticis interdum testaceis. Quod alae fascia fusca sint destitutae et metatarsus etiam posticus niger constantiores videntur notae.

**3. S. flavipes:** aureo-viridis, abdomine cupreo, ano feminae violaceo, halteribus in utroque sexu pallidis, alis fusco-hyalinis, pedibus flavis, femoribus in mare nigricantibus. ♂♀.

*Mas?* Oculi aenei, unicolores, interstitio angustiori disjuncti; abdomen totum cupreum, unicolor; alae subinfuscatae; pedes nigri, geniculis omnibus late, tarsisque posterioribus basi, tibiisque posticis flavis.

*Fem*: Oculi aenei, cantho superiori macula magna violacea, caeruleo-terminata; interstitio latiori disjuncti; abdomen violaceum, antice magis vel minus late cupreum; alae hyalinae; pedes toti flavi, tarsis apice infuscatis; in copula.

MEIG. Dipt. 3. 108. 5. T. 5. f. 14. et App. 6. 344. FALL. Dipt. Sv. Supplem. 2. p. 9. 2 3.

Hab. in Lapponia rarissime; ad Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 20. Jul. (Lapp.-Ostrogothia ad Wadstena 12 Jul. — 6. Sept. in foliis Coryli copiose, alibi rar.)

*Mas* et *Fem.* *Sarg. cuprario* paullo minor, eique simillimus, nec differt, nisi in mare alis infuscatis, nec nubeculosis, abdomineque unicolore, et in femina pedibus totis flavis, oculorumque pictura in utroque sexu vivo. Alae stigmate fusco.

*Obs.* *Sarg. nitidus* MEIG. et MACQ. in Suecia media ad Wadstena Ostrogothiae rariss. a me lectus, in Lapponia haud visus.

°° Palpi in basi proboscidis. Oculi in mare supra antennas cohaerentes. Antennarum articulus ultimus ellipticus. Ocelli in vertice approximati. Corpus parum pubescens.

**4. S. politus:** aureo-viridis, abdomine suborbiculato, concolore, alis hyalinis, halteribus flavis, antennis pedibusque nigris, geniculis, tibiis tarsisque pallidis. ♂♀.

FABR. Antl. 257. 7. ♂. FALL. Dipt. Sv. Strat. 14. 4. ♂♀. Var. MEIG. Dipt. 3. 111. 9. ♂♀. *Musca polita* LINN. Fn. Sv. 1854. *Nemotelus auratus* DE GEER Ins. 6. 202. 18. (*Sargus cyaneus* FABR. Antl. Fem. var. teste MEIG. l. c.)

Hab in fruticibus Lapponiae rar. (Lapp.-Scan. freq.) — Larvae in vegetabilibus putridis ab Aug. usque ad Octob. degunt, secundum BOUCHÉ.

*Mas* et *Fem.* Parvus, 2 lin long., sed variat, uti praecedentes hujus generis, typo major et minor. Caput latum. Oculi in mare supra antennas arcte cohaerentes, rubro-cuprei, in femina sat late distantes, aenei, in utroque sexu linea media obsoletissima. Alae hyalinae, nervis pallidis. Pedes nigri, genubus tarsisque omnibus, tibiisque anticis, flavis, tarsorum apice fusco. Variat colore corporis caeruleo-viridi.

*Obs.* Varietates antennis pedibusque totis flavis, ad novas species (inter quas *S. flavicornis* MEIG. et MACQ. numerandus) forte referendae, in Suecia interiori cum var. a. passim colliguntur, in Lapponia vix obviae; neque *Sargus xanthopterus* FALL. (*Sarg. formosus* MEIG.) in Suecia supra Ostrogothiam mihi visus.



†† Area angularis distincta.

## FAM. 13. PIPUNCULINI. ZETT. (*Cephalopsidae* MACQ. *Megacephali* MEIG. *Syrphici* FALL.)

Antennae breves, triarticulatae, articulo ultimo seta dorsali nuda. Caput hemisphaericum, oculeum. Hypostoma angustatum, lineare. Proboscis occulta. Ocelli 3 in vertice. Abdomen 6-annulatum. Alae incumbentes, areis aut tribus aut nullis. Nervi plerumque tres ad marginem interiorem ducuntur. Pedes simplices. *Habitatio* in foliis plantarum. *Metamorphosis* ignota. *Discrimen sexus* in oculorum distantia anique structura saepius inveniendum.

---

## 40. Nephrocerus. ZETT.

*Corpus* mediae magnitudinis, elongatum, angustum, parum pilosum, nitidum. Oculi magni, approximati, unicolores, postice ad latera excisi. Proboscis retracta. Antennae breves, articulo 1 brevissimo transverso, nudo; 2 etiam brevissimo, piloso; 3 magno, reniformi, compresso, nudo, basi seta dorsali. Thorax vesicula utrinque humerali. Scutellum inflatum. Abdomen thorace duplo longius, angustatum, lineare. Anus hamo inflexo (in ♀). Alae mediocres, abdomine longiores, nervis distinctis, omnino ut in figura alae *Pipunc. aucti* (*Cephalops auctus* FALL.) MEIG. directis, areis scilicet 3 distinctis, angulari ad basin alae, altera inter nervum 4 et 5 longitudinales, oblongo-quadrata, et tertia inter nervum 3 et 2 irregulari, ad apicem alae extensa. Nervulus infra aream tertiam excurrit. Squama sub alis vix ulla. Pedes mediocres. *Color* niger, pictura flava. *Motus Pipunculi*, aut scilicet volatus brevis, aut reptatus in foliis. *Habitatio* in foliis plantarum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ex individuis forte solum femineis, non pro certo indicanda. (Spec. Scand. 1 nostra, corpore glabriori, antennarum articulo ultimo reniformi et abdomine lineari, a *Pipunculis* praeprimis dignota. Nomen generis a *νεφρός*, ren, et *κέρας*, cornu, ob antennas reniformes desumsi.)

**1. N. lapponicus:** nitidus ater, alis hyalinis, antennis nigris, proboscide, thoracis limbo, scutello, halteribus pedibusque, flavis. ♀?

Var. a. abdomine atro, in apice segmentorum 1 et 2 utrinque macula transversa flava.

Var. b. abdomine toto atro immaculato.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, tria tantum specimina vidi, duo scilicet in frutice abietina ad novaccolarum sedem Gransele d. 25. Jun. 1832, et tertium in foliis Betulae albae ad pagum Wilhelmina d. 21. Jul. ejusdem anni; horum vero non nisi unicum Granselensium et alterum Wilhelminense mihi comprehendere contigit, et e quibus comparatis diagnosin et descriptionem heic allatas confeci. (Lapponia Suecica meridionalis.)

*Fem.!* *Sargo cuprario* paullo minor, alias statura corporis haud absimilis, abdomine angustiore, magis lineari. Longit. 3½, fere 4 lin. Laevis, nitidus, ater, parum pilosus. Antennae nigricantes, seta vix erecta. Oculi magni, brunnei, unicolores, anguste et fere aequaliter ubique distantes, interstitio frontali tamen paullo angustiori, toto cum hypostomate cinereo-micante. Thorax brevis, pilis aliquot obsitus, ater, limbo toto flavo, vesicula humerali flavo-albida. Pleurae cinereo-micantes. Scutellum subpellucidum, flavum. Abdomen subpubescens; anus cauda hamata, inflexa, flava, an genitale femineum? Alae hyalinae, radice testacea. Halteres nudi, flavi. Pedes simplices, subpubescentes, omnino mutici; flavi.

## 41. Pipunculus. LATR.

MEIG. Dipt. Europ. gen. 122. LATR. MACQ. *Microcera* ILLIG. *Cephalops* FALL.

*Corpus* parvum aut minutum, subcylindricum, subhirsutum. Caput magnum. Antennarum articuli basales minuti, ultimus compressus, aut acutus, aut denique rotundatus, seta dorsali interdum (in ♂) erecta. Abdomen subcylindricum. Alae magnae, areis aut tribus, scilicet angulari ad basin, intermedia longe quadrata, et tertia inter nervum longitudinalem 2 et 3 ad apicem alae excurrente irregulari; aut nullis. *Color* niger. *Motus*: volatus brevis, tardus, reptatus in foliis. *Habitatio* in graminosis et foliis plantarum; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam NordlandiaeFinmarkiaeque. *Differentia sexus*; *mas:* oculis supra antennas connexis, ano obtuso, submutico; *femina:* oculis anguste disjunctis, ano ob-

tuso, vagina inflexa. (Spec. Scand. 17 in Museo meo adsunt, corpore subcylindrico, hirsutiori, antennarumque articulo ultimo aut acuto, aut ovato, aut rotundato, nec reniformi, a *Nephrocero* dignoscendae.)

### *Sect.* 1. *Areis alarum discoidalibus tribus Pipunculi proprii.*

**1. P. Pratorum**: glaber, opacus, fusco-nigricans, antennis ovatis, fuscis, abdomine nitido, atro, primo segmento fascia, reliquis maculis lateralibus cinereis, halteribus pedibusque testaceis, femoribus in medio latissime nigris. ♂♀.

MEIG. Dipt. 4. 22. 7.? *Cephalops pratorum* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 15. 1. var. (sub quo plures species latent.)

Hab. in Lapponia rar. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Inter majores generis, 1½ fere 2 lin. long. Glaber, nigricans. Antennae subdeflexae, articulo ultimo ovato, fusco, seta erecta. Oculi maximi, rufo-ferruginei, aeneo-micantes, unicolores; in mare in fronte arcte cohaerentes, in femina dissepimento augusto, cinereo, disjuncti; hypostomate in utroque sexu angusto argenteo-micante. Occiput cinereum. Proboscis flava. Thorax fuscus. Scutellum nigrum. Metathorax cinereus. Anus maris rotundatus, subinflexus, feminae cauda subulata, longe inflexa, testacea. Alae hyalinae, certo situ metallice nitentes, stigmate fusco. Nervus 4tus longitudinalis ut in reliquis hujus generis angulatus. Pedes validi, glabri, mutici, testacei, coxis, femorum medio late, tibiarum tarsorumque apice, nigricantibus. Femora valida, uno latere pubescentia.

**2. P. pilosus**: pilosus, opacus, ater, thorace aut concolore, aut fusco; antennis rotundatis halteribusque fuscis aut flavis, geniculis testaceis, alis hyalinis, stigmate fusco. ♂♀.

*Mas*: thorace atro.

*Fem.*: thorace nigro-fusco; in copula.

Hab. in graminosis et foliis fruticum; ad Björkvik Nordlandiae d. 14. Jul. 1821 a me passim lectus; in alpe Dowre Norvegiae mens. Jul. 1832 etiam a D. BOHEMAN in copula captus. (Lapponia; Dalekarlia —.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1½ lin., totus opacus, atro-holosericeus, corpore feminae nigricante. Antennae basi pilosae, articulo ultimo rotundato, fusco, albido-submicante, seta non erecta. Hypostoma argenteum. Thorax et abdomen distincte hirsuta, segmentis lateribus maculis cinereis. Anus obtusus, in ♂ simplex, in femina vagina inflexa. Alae ut in priori. Halteres fusci, variant autem flavi, ut in pari Dowreensi. Pedes pilosi, nigricantes, geniculis pallidis.

**3. P. dispar**: glaber, niger, antennis ovatis, fuscis, halteribus aut fuscis, aut flavis; alis fusco-hyalinis, pedibus discoloribus, femoribus crassis, subtus breviter spinulosis. ♂♀.

*Mas*: aenescenti-niger, scutello segmentorumque margine lucidis, ano simplici, halteribus fuscis, pedibus nigris, genubus testaceis.

*Fem.*: thorace fusco, scutello abdomineque atris, nitidis; metathorace segmentoque primo fascia, cinereis; vagina anali inflexa; alis hyalinis, halteribus pallidis, pedibus nigris, geniculis, femorum, tibiarum tarsorumque basi, pulvillisque elongatis, flavis; in copula. Vix *Pipunculus spinipes* MEIG. add. et MACQ.?

Hab. in graminosis paludosis rarius; ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 21. Jun. in copula captus; mas etiam in prato Lyckselensi d. 4. Aug. visus. (Lapponia —?)

*Mas* et *Fem.* Simillimus *Pipunculo pratorum*, praesertim femina; sed differt paullo minor, abdominis lateribus vix cinereo-maculatis; et sexus masculus utriusque speciei magis discrepat, ut in diagnosi indicatum.

**4. P. geniculatus**: glaber, nitidus, ater, antennis acutis albidis, halteribus geniculisque flavis; alis hyalinis, stigmate nullo. ♂♀.

MEIG. Dipt. 4. 20. 2. *Cephalops pratorum* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 15. 1. Var.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Lycksele mense Jun. captus. (Lappon.-Ostrog. freq. Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Priori minor, 1 lin. long. Totus glaberrimus, nitidus, ater. Antennae deflexae, acutae, apice albae, seta in ♂ erecta, in ♀ porrecta. Frons, hypostoma, metathorax et abdominis curvati primum segmentum, cinereo-micantia. Alae ut in priori, magis hyalinae, stigmate omnino nullo. Pedes nigri, geniculis et pulvillis flavis.

**5. P. sylvaticus**: glaber, nitidus, niger, antennis acutis, albidis, halteribus, geniculis tarsisque flavis, alis hyalinis; stigmate nullo. ♂♀.

MEIG. Dipt. 4. 20. 3.

Hab. in Lapponia passim; ad Lycksele Lapponiae Umensis, ad Kengis Lapp. Tornensis, ad Tromsoe Nordlandiae, ut et in Pinu ad Bossekop Finmarkiae occidentalis d. 24. Jul. — 22. Aug. a me lectus (Lappon.-Ostrogoth. rariss.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et affinitas praecedentis, a quo tantum differt colore corporis subaenescenti-nigro et tarsis flavis. Reliqua ut in priori.

**6. P. haemorrhoidalis**: glaberrimus, nitidus, ater, antennis acutis, fuscis, alis hyalinis, stigmate nullo, halteribus, ano pedibusque flavis, femoribus tibiarumque apice nigris. ♀.

An mas hujus inter MEIGENI *rufipedem*, *flavipedem* aut *varipedem* quaerendus?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; duo tantum individua inveni, unum in Brattiksfjell d. 8. Jul. et alterum ad Lycksele d. 2. Aug. 1832. (Lapponia meridionalis.)

*Fem.* Magnitudo et affinitas *Pipunculi geniculati*. Ater, nitidus, glaber. Antennae acutae, deflexae, fuscae, seta suberecta. Linea frontalis et vertex nigra. Hypostoma angustum, cinereum. Abdomen cylindricum, curvatum, immaculatum. Cauda vesiculosa, inflexa, flava, vagina apicis acuta. Halteres clava lutea, scapo albido. Pedes nudi, nigri, geniculis, tibiarum basi tarsisque flavis. Femora haud valida.

**7. P. annulipes**: glaber, nitidus, niger, antennis acutis, albidis, alis hyalinis, stigmate fusco, halteribus pedibusque flavis, femoribus basi annulo nigro. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; mas loco arido graminoso ad Muonioniska Lapponiae Tornensis 17. Aug. 1821, et femina in silva Stensele Lapponiae Umensis d. 4. Jul. 1832 a me capta (Lapponia-Botnia borealis ad Johannis Ro d. 2. Sept. rarissime.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et affinitas *Pipunc Pratorum*, a quo tantum differt antennis acutioribus et praesertim pedum colore.

*Obs.* Huic subdivisioni subjiciuntur etiam FALLENI *Cephalopes opacus* et *auctus*, Sueciae inferioris, sed vix Lapponiae incolae.

### *Sect.* 2. *Areis alarum discoidalibus. Atelenevra* MACQ.

**8. P. spurius**: subpilosus, opacus, aut ater holosericeus, aut fuscus, antennis rotundatis, nigris, halteribus aut fuscis (♂), aut pallidis (♀), pedibus nigricantibus, alis fusco-hyalinis. ♂♀.

*Mas.*: ater holosericeus, halteribus pedibusque nigris.

*Fem.*: fusca, halteribus tarsisque pallidis; semel in copula.

MEIG. Dipt. 4. 24. 11. ♂. *Cephalops spurius* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 16. 3. ♂. (exclus. ♀.)

Hab. in Lapponiae meridionalis sylvaticis, mas frequenter; ad Lycksele, Stensele et in monte Stoettingsfjellet 20. Jun. — 1. Aug. captus; in foliis Betulae ad Björkvik Nordlandiae etiam passim visus d. 14. Jul. 1821; femina rarissime occurrit. (Lapponia-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Minutus, vix 1 lin. long., subpilosus, ater holosericeus, praesertim mas. Oculi in mare ferrugineo-aenei, supra antennas approximati. Hypostoma angustum, argenteo-micans. Abdomen subdepressum, ano in ♂ subsimplici, in ♀ vagina inflexa. Alae fusco-hyalinae, stigmate obsolete fusco, areis praeter basales nullis, nervo quarto longitudinali obsoletissimo. Halteres in ♂ fusci, in ♀ pallidi. Pedes nigri, pilosi. — Variat saepe abdomine pedibusque fuscis.

**9. P. obscurus**: subpilosus, opacus, nigricans, antennis rotundatis, nigris, halteribus pallidis, alis hyalinis. ♂.

Hab. cum priori rarius. (Lappon.-Ostrogoth. rar.)

*Mas.* Magnitudo, statura et omnia ut in praecedente, sed differt ab illo, colore corporis cinerascente, alis magis hyalinis, et halteribus flavis, unde praecedentis feminae simillimus est. Feminam *Pip. obscuri* non vidi, nec pro femina *Pip. spurii* habere possum nostram speciem, cum in individuis 5 vel 6 examinatis nullam vaginam analem detegere potui.

---

## FAM. 14. SYRPHICI. FALL. MEIG. (*Syrphidiae* WIED.)

Antennae biarticulatae, articulo ultimo compresso, seta saepissime dorsali. Proboscis crassa, occulta. Oculi oblongi unicolores. Ocelli 3 in vertice. Abdomen 5-annulatum. Areae alarum 3, prima inter nervos 3 et 4 longitudinales, secunda inter nervos 4 et 5, et tertia angularis ad basin alae, sitae. Nervi longitudinales aut 2 aut 4 marginem alae interiorem attingunt. Pedes aut simplices aut femoribus incrassatis; tarsi unguibus 2 pulvillisque (onychiis) 3 semper instructi. *Larvae* in humidis saepissime vivunt; *imagines* flores frequentant. *Volatus* velocissimus. *Discrimen sexus*; *mas*: genitale inflexo et ano exinde obtuso, oculisque in vertice plerumque connexis, a *femina*: vagina brevi, parum

erumpente, et ano acutiori, mox dignoscitur. — *Callicera aenea*, *Ceria clavicornis* et *Psarus abdominalis*, a me et Clar. Dahlbom in Suecia media et meridionali rarius visi, in Lapponia non inventi.)

## 42. Baccha. Fabr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 101. Fabr. Fall. St. Farg. et Serv. Encyc. Macq. *Syrphus* Fabr. *Musca* Gmel.

*Corpus* mediae vel minoris magnitudinis, elongatum, tenerum, subpubescens, nitidum. Antennarum articulus ultimus suborbiculatus, basi seta dorsali nuda. Oculi nudi. Hypostoma tuberculatum, infra os non descendens. Abdomen elongatum, antice tenuissimum, petioliforme, postice subclavatum. Alae incumbentes. Nervi longitudinales 4 ad marginem interiorem descendunt. Nervus aream discoidalem primam terminans seu nervus transversus exterior areae alar. primae, juxta marginem inflexus. Pedes simplices. *Color* metallicus. *Habitatio* in graminosis, per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Motus:* volatus sat celer, placidus, velificans, continuus. *Differentia sexus: mas:* oculis superne cohaerentibus, ano rotundato, *femina:* oculis superne distantibus, ano acuto. (Spec. Scand. 2, antennarum articulo ultimo suborbiculato, seta nuda, hypostomate tuberculato, abdomine petioliformi, nervis longit. marginem interiorem alae attingentibus, pedibusque simplicibus a ceteris hujus familiae generibus dignotae.)

**1. B. elongata:** obscure aenea, scutello chalybeato, antennis fusco-testaceis, abdomine aenescenti-nigro, segmentorum 2 et 3 basi, halteribus pedibusque flavis; alis hyalinis, nervis transversis, infuscatis. ♂♀.

Fabr. Antl. 200. 6. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 14. 1. ♂♀. certe. Meig. Dipt. 3. 197. 1.

Hab. in Lapponia sylvatica Umensi passim; ad Badstutraesk et Stensele 1–4. Jul. 1832, in silva betulina ad Evenäs Nordlandiae Norvegicae 19. Jul. 1821 capta. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Longit. 4—4¹ lin. Oculi magni ferruginei. Hypostoma cinereo-micans. Vertex niger. Abdomen pubescens. Alae in ♂ paullo fusciores, quam in ♀, nervis transversis mediis in utroque sexu fuscedine cinctis et macula stigmaticali fusca. Pedes antici breves, postici longiores, metatarso postico incrassato, extus nigricante. — Frons in femina aenea, linea utrinque ad oculos hypostomatis colore seu argenteo-cinereo-micanti.

*Obs.* Altera Scandinaviae species seu *B. obscuripennis* Meig. in Ostrogothia saepe, in Lapponia non, a me visa.

---

## 43. Sphegina. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 100. St. Farg. et Serv. Macq. *Milesia* Fall.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum, subpubescens, nitidum. Antennarum articulus ultimus suborbiculatus, basi seta dorsali nuda. Hypostoma laeve, nec tuberculatum, impressum, margine apicali elevato. Oculi nudi. Abdomen basi coarctatum, exinde apice clavatum. Alae incumbentes. Nervi longitudinales 2 ad marginem interiorem descendunt. Nervus aream discoidalem primam terminans, seu transversus exterior areae primae, arcuatim flexus. Femora postica crassissima, subtus spinulosa. *Color* nigricans. *Volatus* Bacchae. *Habitatio* in Umbellatis, locis umbrosis, in inferalpinis Nordlandiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acuto. (Spec. Scand. 1 nostra, antennarum articulo ultimo suborbiculari, seta nuda, hypostomate laevi, abdomine petioliformi, alarum nervo transverso aream primam terminante arcuatim flexo, femoribusque posticis crassis, subtus spinulosis, a *Baccha* et reliquis generibus certe dignota.)

**1. S. clunipes:** nigricans, antennis fuscis, hypostomatis apice, abdominis fascia, halteribus pedibusque flavis, horum posticorum apice metatarsoque nigricantibus; alis hyalinis. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 194. 1. ♂. Macq. Ins. Gall. Syrph. 17. 1. ♂♀. Tab. 1. f. 2. ala. *Milesia clunipes* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 12. 10. ♂♀.

Hab. in Lapp. Norvegica rarissime; in alpe Dowre a D. Boheman, et ad Björkvik prope Ofotenfjord d. 14. Jul. a me, capta. (Lapp.-Ostrog. Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* *Bacchae elongatae* subsimilis, sed brevior et crassior et in multis differt. 3 lin. long. Nigricans. Oculi in utroque sexu distantes, in mare tamen paullo minus late. Caput nigrum, hypostomatis apice albido. Punctum humerale et limbus thoracis posticus subtestacea. Abdomen pilosum, fasciis in mare 1, in femina saepe 2, flavis. Alae hyalinae, in mare subinfuscatae. Pedes toti cum coxis flavi, femoribus posticis elongatis, crassis, apice late nigris, subtus spinulosis. Metatarsus posticus etiam crassus, niger.

*Obs.* Specimina lapponica suecicis paullo minora, coloreque pallidiore; an juniora?

*Obs.* *Ascia Spheginea* huic generi proxima, sequenti tamen magis affinis.

---

## 44. Ascia. Megerl.

Meig. Dipt. Eur. gen. 99. St. Farg. et Serv. Macq. *Merodon* Fabr. *Milesia* Panz. Latr. Fall. *Musca* Gmel.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum, subnudum, nitidum. Antennarum articulus ultimus oblongus, ante medium seta dorsali nuda. Hypostoma laeve, apice productum, leviter emarginatum. Oculi nudi, ferrugineo-brunnei, in utroque sexu distantes. Abdomen basi coarctatum. Alae incumbentes. Nervus exterior areae alarum primae rectus. Nervi 2 longitudinales ad marginem interiorem descendunt. Femora postica incrassata, subtus spinulosa. *Color* metallicus. *Motus* tardus. *Volatus* haud celer (nisi sole urente), placidus, velificans. *Habitatio* in floribus et graminosis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* dissepimento frontali oculorum paullo angustiori, et abdomine etiam angustiori, ano rotundato; *femina:* dissepimento oculorum paullo latiori, abdomine etiam paullo latiori, ano subacuto. (Spec. Scand. 13, antennis oblongioribus, insertione setae in medio, nervisque alarum exterioribus arearum magis rectis (fere ut in *Microdon.* et *Chrysogast.*) a *Sphegina*, et praeter has notas, hypostomate laevi, abdomine basi subcoarctato, femoribusque posticis incrassatis, subtus spinulosis a reliquis hujus familiae dignotae.)

**1. As. sphegínea:** laevis atra, antennis rotundato-ovatis, nigris, halteribus flavis, abdomine pedibusque aut nigris (♂), aut flavo-fasciatis (♀); nervo exteriori alarum areae primae subrecto. ♂♀.

*Mas:* abdomen atrum, segmento tertio basi fascia obscure testacea; ano obtuso. Pedes nigri, geniculis testaceis.

*Fem.:* abdomen latius, ano acuto, atrum, aut in var. a. segmento 2do fere toto, tertio a basi ad medium, 4to basi anguste, testaceis, aut in var. b. fasciis duabus in segmento secundo tertioque interruptis, maculis quasi 4 magnis relictis, rufescentibus; pedes nigri, aut in var. a. geniculis tantum albis; aut in var. b. femoribus anterioribus fere totis et tibiis basi, albidis, femoribus tibiisque posticis basi flavis.

Hab. in Lapponia Umensi meridionali rarissime; mas et femina in Ledo palustri ad Lycksele 16—22. Jun. 1832 et femina ad Naestansjö d. 13. Jul. ejusdem anni, a D. Doct. Dahlbom et me inventi. Lapponia Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Individuis majoribus *Asciae podagricae* magnitudine aequalis. Species certe distincta; corpore laeviori, nec ut in ceteris punctulato, colore nigro, nec metallico etc. a reliquis *Asciis* diversa, antennarum forma et directione nervorum in alis *Spheginae* generi appropinquans. Atra, hypostomate nigro, subcinereo-pruinoso. Oculi in viva ferrugineo-brunnei. Seta antennarum prope basin articuli ultimi inserta. Abdomen subdepressum, basi angustatum, subpilosum. Alae hyalinae. Halteres albi. Reliqua ut in diagnosi et descriptione singuli sexus.

**2. As. podagrica:** aenea, antennis nigricantibus, in medio macula testacea, abdomine nigro, fasciis duabus, halteribus pedibusque pallidis, posticorum femoribus tibiisque nigris, illis basi, his apice, flavis; alarum nervis transversis fuscedine tinctis, angulo areae primo recto. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 186. 1. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. Syrph. 20. 1. ♂♀. Tab. 1. f. 3. ala. *Merodon podagricus* Fabr. Antl. 198. 10. *Syrphus podagricus* Panz. Fn. Germ. 59. 16. ♀. *Milesia podagrica* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 13. 11. ♂♀. (ubi vero species plures commixtae.)

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scania in floribus compositis et labiatis freq.)

*Mas* et *Fem.* 2¹—3 lin. long. Obscure aenea, nitida, glabra. Hypostoma cinereo-pruinosum. Frons aenea. Vertex nigro-chalybaeus. Proboscis saepe exserta, nigra. Abdomen nigrum, fasciis 2, una in medio segmenti secundi et altera in basi segmenti tertii; in femina saepe interruptis. Segmenta 2 analia aenescentia.

Alarum nervi transversi et fascia media obsoleta, fusca. Pedes pubescentes, anteriores breves, flavi, tibiis pro receptione femorum incurvatis, nigris, apice flavis, tarsis flavis, articulo primo incrassato, ultimoque fuscis.

**3. As. dispar:** aenescenti-nigra, halteribus albidis, alis hyalinis, angulo areae primae subarcuato, geniculis tarsisque anterioribus, femorum posticorum basi et metatarso, flavis, abdominis fascia unica in ♂, punctisque quatuor minutis in ♀, testaceis. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 188. 4. Tab. 27. f. 27. ♂, f. 28. ♀; forte (omnes ibi allatae notae in nostram optime quadrant praeter angulum areae in alis in nostra subarcuatum marginemque alae non omnino attingentem, nec ut in figuris Meigeni rectum et ad marginem usque retractum).

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in paludosis ad Tresunda et Naestansjo paroeciae Wilhelminae individua duo dieb. 12—13. Jul. 1832 invenire mihi contigit, quorum unum jam in Museo D. Fåhraei adservatur. (Lappon.-Ostrogoth. rariss.)

*Mas* et *Fem.* Inter minores, circiter 1¹ lin. long. (a D. D. Meigen et Macquart 2 lin. long. describitur). Nigra, parum aeneomicans. Antennarum articulus ultimus subtus piceus. Hypostoma cinereo-micat. Abdomen in ♂ angustum, fascia in segmento 3tio flava, ano obtuso; in ♀ paullo latius, punctis in segmentis 2 et 3 quatuor minutissimis, ferrugineis, ano acuto. Pedes anteriores in utroque sexu flavi, femoribus latissime, tibiisque late, in medio nigris; postici nigri, femoribus summa basi, tibiis summo apice tarsorumque articulis 2 et 3, flavis.

**4. As. bifasciata:** aenescenti-nigra, halteribus albidis, alis hyalinis, angulo areae primae subarcuato; geniculis tarsisque anterioribus, femorum posticorum basi et tibiarum apice abdomineque fasciis 2, flavis. ♂.

Hab. in paludosis; ad Lycksele et Tresunda Lapponiae Umensis d. 16. Jun. — 13. Jul. rar.; in Muonioniska Lapponiae Tornensis d. 17. Aug. rariss. (Lappon. Suecica.)

*Mas.* Magnitudo praecedentis, a qua parum differt nisi abdominis fasciis duabus, nec unica, flavis. Abdomen nigrum, in segmento secundo in medio fascia ovali, utrinque abrupta, flava; in segmento tertio ad basin fascia alia plerumque multo latiori, ejusdem alias ut prioris colore et forma; segmenta 2 ultima aenea, ano rotundato. Reliqua omnia exacte ut in priori. An ♂ sequentis?

**5. As. 4-punctata:** aenescenti-nigra, halteribus albis, alis hyalinis, areae primae angulo subarcuato; geniculis tarsisque anterioribus, femorum posticorum basi et tibiarum apice abdominisque maculis 4, flavis. ♀.

Meig. Dipt. 3. 189. 6?

Hab. in paludosis ad Tresunda et Wilhelmina Lapponiae Umensis 12—17. Jul. passim, ad Björkvik et Lyngen Nordlandiae Norvegicae 14—17. Jul. rar. (Lappon. — ?)

*Fem.* Priori paullo major, robustior, alias simillima, abdominis pictura tantum diversa; an ejus femina? Abdomen nigrum, in segmento secundo in medio maculis 2 rotundatis, et in segmento tertio ad basin, aliis 2 subtriangularibus, basi saepe cohaerentibus, flavis, plerumque distinctis, rarissime minutis et obsoletis. Segmenta 4 et 5 aenea, ano acuto. Cetera ut in priori. Descriptio Meigeni hujus specici, nostrae non exacte convenit, nec marem talem, qualem descripsit Clar. Auctor, vidi, sed nostras *Asc. bifasciatam* et *A. 4-punctatam* in iisdem locis habitantes observavi. — Variat tibiarum posticarum basi flava.

**6. As. aenea:** aenescenti-nigra, halteribus albis, alis fusco-hyalinis, angulo areae primae arcuato, geniculis tarsisque anterioribus, femorum posticorum basi tibiarumque apice, flavis; abdomine immaculato. ♀.

Meig. Dipt. 3. 191. 9?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime ad Lycksele. (Lapponia — ?)

*Fem.* Long. 1¹ — 2 lin. Simillima *A. bifasciatae*, et ab illa vix differt aliter, quam abdomine immaculato. Atra punctata, parum aeneo-micans. Abdomen atrum, immaculatum, segmentis 4 et 5 aeneis, ano acuto. Venter basi albidus. Alae fusco-hyalinae. Reliqua omnino ut in speciebus proxime praecedentibus.

**7. As. geniculata:** nigro-aenea, halteribus albis, alis hyalinis, angulo areae primae subrecto, geniculis tarsisque anterioribus, femorum posticorum basi, tibiarumque apice, flavis, abdomine immaculato. ♀.

Meig. Dipt. 3. 192. 10?

Hab. in paludosis ad Umenaes et Tresunda Lapp. Umensis 8—13. Jul. rar. (Lapponia — ?)

*Fem.* Magnitudo et summa affinitas *Asc. 4-punctatae*, nec ab illa differt nisi corpore paullo magis aenescente, angulo alarum areae primae fere recto, nec arcuato, ut et abdomine immaculato. Reliqua ut in *A. 4-punctata* omnino. Variat corpore aeneo-nigro et abdominis segmento 2do punctis 2 minutis rufis, obsoletis.

## 45. Coprina. Zett.

*Xylota* Meig. Dipt. Eur. gen. 103. *Musca* Linn. *Syrphus* Panz. *Milesia* Fabr. Latr. Fall. *Syritta* Macq. St. Farg. et Serv.

*Corpus* mediae l. minoris magnitudinis, elongatum, sublineare; parum nitidum, nudum. Antennae in fronte non tuberculata insertae, nutantes, articulo ultimo orbiculato, basi seta dorsali nuda. Hypostoma impressum, non tuberculatum, margine apicali elevato, anguste emarginato. Oculi nudi. Caput subhemisphaericum. Nervi areas alarum discoidales terminantes valde flexi. Nervus transversus medius l. ordinarius rectus. Area angularis marginem interiorem alae nervo apicali attingit, et hic nervus unicus est, qui ad marginem interiorem descendit. Femora postica valde incrassata, subtus spinosa, tibiis incurvatis. *Color* niger. *Motus* tardus; tempestate calida vivacior; volatus continuus, placidus, velificans, ut in *Ascia:* mas scilicet quasi pendet in aëre ante conjugem in folio sedentem; mox vero copulatur. *Larvae* brunneae, posterius angustiores, capite tentaculo parvo, in stercore equino degunt. Ineunte mense Majo in pupas abeunt, et in medio ejusdem mensis imagines prodeunt. de Geer. *Habitatio* in floribus et foliis plantarum, locis cultis non longe a domiciliis hominum et quasi familiaris; per partem tantum sylvaticam Lapponiae *Differentia sexus: mas:* oculis cohaerentibus, ano rotundato, subclavato; *femina:* oculis distantibus, ano subdepresso. (Spec. Scand. 1 nostra, abdomine basi non coarctato etc. a praecedentibus, capite magis rotundato, nec depresso, antennis tuberculo nulli insertis, hypostomatis apice angustius emarginato, femoribus posticis crassioribus, alarum nervo transverso ordinario recto, nec obliquo, nervisque areas discoidales terminantibus magis flexis etc. a *Xylotis*, quibus sat affinis, et a sequentibus hujus familiae generibus, dignota.)

**1. C. pipiens:** nigra, hypostomate pectoreque cinerascentibus, antennis obscure testaceis, pedibus abdomineque ad latera, flavo-maculatis, hoc fascia postica interrupta, alba. ♂♀.

*Musca pipiens* Linn. Fn. Sv. 1822. de Geer Ins. 6. 120. 11. T. 7. f. 8. 9. *Syrphus pipiens* Panz. Fn. Germ. 32. 20. ♀. *Milesia pipiens* Fabr. Antl. 194. 27. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 12. 9. ♂♀. *Xylota pipiens* Meig. Dipt. 3. 213. 1. ♂♀. *Syritta pipiens* Macq. Dipt. Gall. Syrph. 124. 1. ♂♀.

Hab. in floribus et foliis fruticum passim, ad Muonioniska Lapponiae Tornensis, et ad Lycksele, Fredrica nec non Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 17. Jun. — 20. Aug. in copula capta. Inter digitos deprehensa sonum pipientem edit. (Lappon.-Scan. vulgatissima, tota aestate.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 4 lin. long. Aeneo-nigra, glabra. Caput pubescens. Hypostoma et frons cinereo-sericeo-micantia. Antennae subtestaceae, praesertim basi. Oculi nigro-brunnei. Thoracis latera, callus humeralis, lineae 2 dorsales antice perspicuae, at mox abbreviatae, ut et pleurae, albo-cinerea. Abdomen atrum, maculis 6 lateralibus difformibus, 4 anticis in ♂ plerumque testaceis, 2 posticis albidis, sed variant, aut omnes (plerumque in ♀), aut 4 posteriores, albae, et 2 anticae testaceae. Alae aqueae, immaculatae. Halteres pallidi. Pedes antici aut testacei, varie nigro-maculati aut nigri, testaceo-maculati, postici nigri, femorum macula laterali, tibiarumque annulo medio, rufo-testaceis. Variat ♀ saepe femoribus posticis totis nigris, immaculatis.

---

## 46. Xylota. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 103. Macq. *Musca* Linn. *Syrphus* Panz. *Milesia* Fabr. Latr. Fall.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, elongatum, subpubescens. Caput subdepressum. Antennae tuberculo frontali insertae, nutantes, articulo ultimo orbiculato, basi seta dorsali nuda. Hypostoma impressum, non tuberculatum, margine apicali elevato, late emarginato, albo-sericeum. Oculi nigro-brunnei, nudi, unicolores, conformes, h. e. reticulatione aequali. Nervi alarum areas 2 discoidales terminantes minus flexi, horumque alter (inferior) fere rectus. Nervus transversus ordinarius medius obliquus. Unicus tantum nervus ad marginem interiorem alae descendit, ille scilicet, qui aream angularem ad basin alae terminat. Femora postica modice incrassata, subtus spinulosa, tibiis incurvatis. *Color* niger, pictura maculata aut fasciata. *Motus* celer; volatus velox,

brevis. Capta mutica, i. e. nullum edit sonum. *Habitatio* in floribus, praesertim vero in foliis fruticum sedentes; interdum feminae etiam in truncis arborum, ova depositurae, per partem sylvaticam Lapponiae, semper sylvestres et longius a domiciliis hominum. *Larvae* in ligno putrido degunt. *Differentia sexus; mas:* oculis cohaerentibus, ano rotundato; *femina:* oculis distantibus, ano acutiori. (Spec. Scand. 12, capite subdepresso, antennarum articulo ultimo orbiculato, hypostomate impresso, alarum nervo transverso medio obliquo, abdomine lineari, femoribusque posticis incrassatis, subtus spinulosis, a reliquis dignoscendae.)

**1. X. segnis:** subpubescens, aenea, abdomine nigro, segmentis 2 et 3 luteis, tibiarum apice, tarsisque anterioribus flavis. ♂♀.

*Mas:* spina in articulo coxae pedum posticorum elongata.

*Fem.:* spina in articulo coxae nulla.

Meig. Dipt. 3. 220. 12. Macq. Dipt. Gall. Syrph. 128. 1. ♂♀. Tab. 2. f. 8. ala. *Musca segnis* Linn. Fn. Sv. 1823. *Syrphus segnis* Panz. Fn. Germ. 60. 3. ♂. *Milesia segnis* Fabr. Antl. 191. 14. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 10. 5. ♂♀.

Hab. in foliis Populi Tremulae, in Lapponia rarissime. (Lappon.-Ostrog freq. Scania rar.)

*Mas.* et *Fem.* 5 — 5' lin. long. Aenea, subnitida. Antennae piceae. Vertex ater. Pectus villosum, griseum. Callus humeralis grisescens. Abdomen nigrum, segmento primo aeneo, secundo et tertio rufis, hoc apice saepissime nigro. Alae subfusco-hyalinae, immaculatae. Halteres albi. Pedes anteriores flavi, femoribus, tibiarum annulo medio, tarsisque apice, nigris; postici nigri, tibiarum basi, interdum etiam tarsorum medio (in femina) flavis.

**2. X. bifasciata:** aenescenti-nigra, abdomine nigro, fasciis duabus interruptis flavis, pedum omnium genic"lis anteriorumque tarsorum articulis 1 et 2 sordide albidis; femoribus posticis distincte crassis. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 219. 10. ? ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; inter Tresunda et Naestansjö Lapponiae Umensis d. 13. Jul. unicum specimen masculum et alterum femineum tantum inveni. (Lappon.-Ostrog. rar.)

*Mas* et *Fem.* Praecedente paullo minor, scilicet 4 lin. longa, eique similis. Oculi ferrugineo-brunnei. Abdomen lineare segmentis 1, 4, 5 aeneis, immaculatis, 2, 3 atris; horum singulo macula quadrata, marginem lateralem attingente, flava, unde exstant maculae 4 in abdomine. Alae subfusco-hyalinae. Pedes nigri, geniculis, anteriorumque tarsorumque articulis 2 primis albidis. Femora postica sat crassa, subtus ciliata s. dense, sed breviter spinulosa. Spinae coxarum nullae.

**3. X. Nemorum:** subpubescens, nigro-aenea, abdomine nigro, fasciis duabus latioribus interruptis luteis, pedibus nigris, tarsis anterioribus tibiisque omnibus basi albidis; femoribus posticis modice crassis. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 219. 11. *Milesia nemorum* Fabr. Antl. 192. 17. *Milesia ignava* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 11. 6. (exclus. syn. Panzeri 60. f 4. ♀, quod ad *Xyl. ignavam* Meig. pertinet, quae in Suecia non habitat.)

Hab. in Lapponia Umensi passim; in foliis fruticum ad Lycksele, Wilhelmina, Åsele et Fredrica 20. Jul. — 17. Aug. 1832 frequenter vidi; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis 17. Aug. 1821 rar. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5 lin. Affinis et similis prioribus. Differt, a *X. segni* abdominis fasciis raro integris, femoribus subtus ciliatis, nec spinosis et dente coxarum maris minutissimo, nec elongato; a *X. Nemorum* magnitudine longiori, fasciis abdominis latioribus et femoribus posticis minus incrassatis. Variat abdominis fasciis interdum integris, plerumque interruptis, raro maculis tantum 4 relictis parvis luteis. Segmentum 4tum aeneum, macula utrinque albo-villosa.

**4. X. nigripes:** pubescens, aenea, abdomine atro, maculis triangularibus lateralibus aeneis, pedibus nigris; femoribus posticis distincte crassis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad novacculum Umenaes d. 7. Jul. 1832 unicum individuum deprehendi. (Lapponia Suecica.)

*Mas.* Magnitudine, femorum proportione etc. *Xyl. bifasciatae* simillima, nec differt, nisi abdomine pedibusque totis nigris. Abdomen lineare segmentis 1, 4, 5 aenescentibus, immaculatis, 2 et 3 atris, opacis, singulo macula triangulari, laterali, nitidissima, aenea. Reliqua ut in priori.

**5. X. caeruleiventris:** subpubescens, nigro-aenea, abdomine nigro-violaceo, macula laterali triangulari caerulescenti-nigra, griseo-pilosa, in singulo segmentorum 2, 3 et 4; pedibus nigris, tarsis anterioribus tibiisque omnibus basi albidis; femoribus posticis modice incrassatis. ♂♀.

*Milesia ignava* var. β. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 11. 6. Vix *Xylota abiens* Meig. Dipt. 3. 218. 9.?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Åsele d. 27. Jul. unicum par copulatum inveni. (Lappon.-Dalekarlia-Ostrog. Scan. rariss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5 lin. Caput, thorax, alae et pedes omnino ut in *X. Nemorum*, a qua non differt, nisi pictura abdominis ut in diagnosi indicata, et ea in utroque sexu simili.

**6. X. triangularis:** pubescens, aenea, abdomine atro, segmentis 1, 4, 5 totis, 2 et 3 macula laterali triangulari, aeneis nitidis, pedibus nigris, tibiarum tarsorumque basi albidis; femoribus posticis modice incrassatis, subtus ciliatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; in floribus Ledi palustris in silva inter Lycksele et Nydahl Lapponiae Umensis d. 20—24. Jun. 1832; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis raro occurrit. (Lapponia-Dalekarlia.)

*Mas* et *Fem.* Prioribus paullo major, latior, fere 6 lin. long. *Xylotae Nemorum* affinis et similis, magnitudine et pictura abdominis mox dignota. Nigro-aenea. Hypostoma sericeo-album ut in prioribus. Antennae nigrae vel fuscae. Vertex ater. Callus humeralis cinereus. Pleurae macula villosa notata. Abdomen atrum, segmentis 1, 4 et 5 retracto, totis, 2 et 3 utrinque macula triangulari, angulo introrsum verso, aeneis, nitidissimis, ferrugineo-pubescentibus. Alae subfusco-hyalinae, stigmate fusciori. Squama et halteres flava. Pedes nigri, tibiarum basi tarsorumque articulis 1 et 2 flavo-albidis. Femora postica modice incrassata, subtus ciliata. — Variat tarsis posticis totis nigris.

**7. X. femorata:** subpubescens, aenea, abdomine atro-caeruleo, antennis pedibusque rufis, posticorum femoribus apice, tibiis tarsisque nigris. ♂♀.

*Musca femorata* Linn. Fn. Sv. 1824 certe. *Milesia femorata* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 11. 8. ♂♀. certe. *Miles. volvulus* Fabr. Antl. 192 15. *Xylota volvulus* Meig. Dipt. 3. 223. 16. Tab. 28. f. 29. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Wilhelmina d. 20. Jul. capta. (Lapp. Suecica-Smolandia rar.)

*Mas* et *Fem.* Longitudo praecedentis, sed fere angustior. Subpubescens. Caput nigrum, hypostomate albo-sericeo. Antennae totae et seta, rufae. Thorax supra aeneus. Pleurae et callus humeralis nigro-caerulescentia, hic macula cinerea. Abdomen elongatum, sublineare, caerulescenti-atrum, ano feminae longe acuminato. Alae fusco-hyalinae. Halteres fusci, scapo pallido. Pedes anteriores toti rufi, posteriores femoribus elongatis, crassis, rufis, apice, tibiis tarsisque totis coxisque omnibus, nigris. Femora postica subtus pilosa vel ciliata, nec spinosa.

*Obs.* *Xyl. femorata* Meig. Dipt. 3. 216. 6. „nigra, villosa, pedibus rufis; femoribus apice nigris; seta antennarum nigra;" Linn. et Fall. synonymo immerito citato, alia videtur species, in Suecia non obvia.

**8. X. lenta:** subpubescens, nigra, antennis pedibusque concoloribus, abdominis segmento secundo tertioque rufis. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 222. 15. *Syrphus piger* Panz. Fn. Germ. 50 5. ♀. *Milesia pigra* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 11. 7. ♂♀. var. α. (exclus. Syn. Fabr.)

Hab. in Lapponia, ut fertur, mihi nec ibi, nec in provinciis adjacentibus obvia, in Suecia media et meridionali passim visa. (Lappon.?-Scan.)

*Mas.* et *Fem.* Statura et magnitudo omnino praecedentis, a qua colore tantum differt, ut in diagnosibus indicatum.

*Obs.* *Xyl. pigra* Meig. sive *Milesia pigra* Fabr. et Fall. var. β, nigra, abdomine rufo, segmentis 1 et 5 nigris; in Suecia inferiori passim, in Lapponia non, inventa.

*Obs.* Species Suec. Fallenianae: *Miles. silvarum*, *Syrphus laphriformis* (*Xyl. valgus* Meig.) ut et *Eristalis lateralis* (*Thereva dubia* Fabr.), huic generi (*Xylotae*) associandae, in Lapponia vix occurrunt.

## 47. Milesia. Latr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 104. Fabr. Fall. Macq. St. Farg et Serv. *Musca* Linn. *Syrphus* Panz.

*Corpus* magnum, oblongum, subpubescens. Caput subdepressum. Antennae tuberculo frontali insertae, nutantes, articulo tertio orbiculato, basi seta dorsali nuda. Oculi nudi, in viva nigri. Hypostoma inaequale, infra oculos saepissime descendens, subtuberculatum, apice late emarginatum. Alae ut in *Xylota* Pedes simplices, tibiis posticis subcurvatis *Color* niger, pictura flavo-fasciata. *Motus* haud celer, nec volatus velox; flori aut folio insidentes, alis more Ortalidum species quaedam vibrant. *Habitatio* in floribus et foliis fruticum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larvae* in ligno putrido degunt. *Differentia sexus; mas:* oculis supra antennas angulo cohaerentibus, ano rotundato; *femina:* oculis distantibus, ano acutiori. (Spec Scand. 7 capite subdepresso,

antennis tuberculo frontali insertis, articulo ultimo orbiculato, hypostomate subtuberculato, pedibusque simplicibus, tibiis posticis incurvis, dignoscendae.)

**1. M. vespiformis:** nigra, hypostomate pallide sericeo, thoracis maculis abdominisque cingulis utrinque connatis, flavis, antennis pedibusque posterioribus, geniculisque anticis, luteis. ♂♀.

Fabr. Antl. 188. 4. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 9. 3. var. *α*. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 232. 5. *Musca vespiformis* Linn. Fn. Sv. 1811. de Geer Ins. 6. 122. 13. T. 7. f. 13. ♂. *Syrphus apiformis* Panz. Fn. Germ. 45. f. 19. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Asele, in Stoettingsfjellet et ad Lycksele 26. Jul. — 2. Aug. vidi. (Lapp.-Ostrogoth., Gottlandia, pass.)

*Mas* et *Fem* 7—7¹ lin. long. Hypostoma et frons flavo-sericea, linea media atra. Vertex niger. Antennae totae et seta, luteae. Thorax niger, puncto utrinque humerali maculisque 4 elongatis obliquis et quinta etiam ante scutellum transversa, flavis. Striga pectorali flava Scutellum nigrum, nitidum, in ♀ aeneum. Abdomen flavum, segmento 1 toto, reliquorumque singulo fascia media utrinque attenuata et abrupta, incisurisque tenuiter, atris. Fascia in segmento 4to interrupta et margine immaculato. Segmentum ultimum in ♂ retractum. Alae fusco-hyalinae, nervis ad costam et marginem lutescentibus, in medio subinfuscatis. Squama et halteres flava. Pedes simplices pubescentes, mutici, posteriores lutei, femoribus basi nigris; antici nigri, geniculis luteis.

**2. M. apiformis:** nigra, hypostomate pallide sericeo, thoracis maculis abdominisque cingulis utrinque liberis, albis, antennis pedibusque posterioribus, geniculisque anticis, luteis. ♂♀.

Fabr. Antl. 188. 3. *Milesia vespiformis* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 9 3. descript. var. ♀. certe. *Syrphus vespiformis* Panz. Fn. Germ 90. f. 19. ♂.

Hab. in Lappon. Umensi rar.; ad Wilhelmina et in Stoettingsfjellet 19. Jul. — 1. Aug. in copula capta. (Lapponia Suecica; Ostrog. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 6—6½ lin. Praecedenti simillima et valde affinis, sed praeter magnitudinem paullo minorem, differt etiam ab illa signaturis thoracis abdominisque albis, nec flavis, fasciis abdominis ad latera vix connatis, ut et femoribus posterioribus totis luteis, nec basi nigris, et quod similes tantum in copula deprehenduntur. Abdomen nigrum, in segmento 2do fascia unica in medio angusta, libera, et altera in margine, obsoleta, in medio interrupta, albis; in segmentis reliquis fasciis in singulo duabus, altera basali, altera apicali, ad latera fere liberis vel tenuissime tantum connatis, ejusdem coloris. Cetera ut in priori specie.

*Obs.* Falleni species Suecicae: *Milesia Zetterstedti* (*Miles. bombylans* Meig.) et *Diophthalma*; *Eristalis semirufa* (*Musca fallax* Linn.) et *Syrphus asilicus*, ad hoc genus pertinentes, in Lapponia a me frustra quaesitae.

—

## 48. Chrysotoxum. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 96. St. Farg. et Serv. Macq. *Musca* Linn. *Syrphus* Panz. *Mulio* Fabr. Fall.

*Corpus* majoris magnitudinis, ovato-oblongum, pubescens, nitidum. Antennae tuberculo frontali insertae, porrectae, elongatae, angustae, articulo 1 cylindrico, 2 et 3 subcompressis aequalibus, horum ultimo seta dorsali nuda. Hypostoma infra oculos parum descendens, subtuberculatum, apice late emarginatum. Oculi nigro-brunnei, saepissime hirti (nec ut D. Macquart contendit, saepe nudi). Scutellum inerme. Abdomen fornicatum, marginatum. Alae divaricatae. Nervi 3 longitudinales usque fere ad marginem interiorem descendunt. *Color* niger, pictura determinate flavo-fasciata. *Motus:* volatus velox. *Habitatio* in floribus, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Metamorphosis* non rite cognita. *Differunt sexus:* oculis *maris* in fronte contiguis, *feminae* sat late distantibus. (Spec. Scand. 6, antennis capite transverso longioribus, angustis, seta dorsali nuda, hypostomate infra oculos hirtos parum descendente, subtuberculato, scutello inermi, abdomine marginato, alis divaricatis, pedibusque simplicibus, ab aliis generibus bene dignotae.)

**1. C. marginatum:** hirtum nigrum, thoracis maculis lateralibus, linea scutelli antica, abdominisque cingulis 6 flavis liberis, 4 interruptis; alarum costa obscure testacea: ano pedibusque luteis. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 171. 5. ♀. (*Milesia vespiformis* Fabr. Antl. 188. 4. teste Meig. an recte?) *Syrphus arcuatus* Panz. Fn. 2. f. 10. certe ♀. *Mulio fasciolatus* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 5. 1. certe. ♂♀.

Hab. in Lapponiae nemoribus graminosis passim; ad Haparanda, Turtola et Muonioniska Lapponiae Tornensis; ad Stensele et Wilhelmina Lapponiae Umensis, ut etiam ad Björkvik et Bossekop Nordlandiae et Finmarkiae, a die 1. Jul. usque 28. Aug. vidi. (Lappon.-Suecia media, Gottland. rar.; ♂ rariss.)

*Mas* et *Fem.* Mas 6—7, fem. 7 lin. long. Nigrum, hirsutum. Hypostoma flavum, linea media denudata nigra. Frons et vertex feminae nigra, maculis 2 cinereo-micantibus. Oculi obscure brunnei, aeneo-submicantes, hirsutuli. Antennae nigrae, articulo ultimo longitudine antecedentium simul sumtorum; seta rufa. Thorax vittis 2 anticis, in medio abruptis, albidis; maculis 6, scilicet 2 humeralibus, 2 ad scutellum et 2 pectoralibus, flavis. Scutellum nigro-brunneum, linea transversa antica flava Abdominis segmenta: 2dum fascia interrupta; 3tium fascia interrupta et margine apicali ad latera vix connatis; 4tum signaturis iisdem ac in segmento tertio; 5tum fascia arcuata interruptâ et macula triangulari, flavis. Alae hyalinae, costa distincte fusca, basi pallidiori Nervi: tertius longitudinalis et ille aream primam terminans, modice curvati; nervus, qui aream secundam terminat, omnino rectus. Halteres et squama pallida. Pedes lutei, coxis nigris.

Var. ♀. pictura anali obsoleta, alias var. a. simillima, ad Stensele Lapp. Umensis d. 4 Jul. semel.

**2. C. fasciolatum:** hirtum, nigrum, thoracis maculis lateralibus, scutelli limbo abdominisque cingulis 6 flavis, ad latera connatis, 4 interruptis; alarum costa testacea, pedibus luteis ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 170. 4. certe (exclus. forte syn. Fabr. et de Geer). *Mulio fasciolatus* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 5. 1. var. *β*. certe.

Hab. in Lapponiae lucorum fruticibus, ex. gr. ad Lycksele et in Stoettingsfjellet Lapponiae Umensis passim, ad Muonioniska Lapp. Tornensis rar., sed ad Björkvik Nordlandiae et ad Bossekop Finmarkiae occidentalis frequenter d. 22. Jun. — 25. Aug. a me visum. (Lappon.-Gottlandia rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5—5¹ lin. Priori simillimum, differt magnitudine fere duplo minori, antennarum articulo ultimo reliquis paullo longiori, scutelli aut toto aut limbo saltem flavo, abdominis fasciis ad latera plerumque connexis, alarum costa testacea, nec fusca, ut et femoribus saltem anterioribus basi nigricantibus. In ceteris cum priori exacte convenit.

**3. C. arcuatum:** subglabrum, nigrum, thoracis maculis lateralibus, scutelli limbo, abdominisque cingulis 4 deorsum arcuatis, interruptis, flavissimis; alarum costa testacea, stigmate fusco, pedibus luteis. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 168. 2. Macq. Ins. Gall. Syrph. 199. 2. ♂♀. Tab. 4. f. 4. ala. *Musca arcuata* Linn. Fn. Sv. 1806. de Geer Ins. 6. 125. T. 7. f. 14. ♂. *Mulio arcuatus* Fabr. Antl. 184. 3. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 5. 2. ♂♀. (sub nomine perverso *Mulio vespiformis* Fabr. a Cl. Sturm specimen femineum missum.)

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Ostrog. Scania in umbrosis freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5½—6 lin. *Chrys fasciolato* affine et simile, differt vero corpore paullo longiore, glabriore, oculis in vivo obscure aeneis, vix hirtis, antennarum articulis omnibus aequaliter fere longis, scutelli puncto centrali distincte nigro, alarum macula stigmaticali fusca, nervo tertio longitudinali magis incurvato, abdominis fasciis 4 interruptis simplicibus arcuatis, et pedibus totis luteis. In ceteris similes. Abdominis segmenta 3 et 4 margine plerumque anguste lutea. Venter niger, basi et fasciis 2 interruptis flavis.

**4. C. bicinctum:** subglabrum, nigrum, thoracis maculis lateralibus, scutelli summo apice, abdominisque segmentis 2do et 4to fascia arcuata, flavis; alarum costa fusca, pedibus flavis, femoribus basi late nigris. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 168. 1. *Musca bicincta* Linn. Fn. Sv. 1805. *Syrphus bicinctus* Panz. Fn. 45. 18. ♂. var. (fig. male picta). *Mulio bicinctus* Fabr. Antl. 183. 2. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 6. 3. ♂♀. var. *α*.

Hab. cum priori, in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long 4¹—5 lin. *Chr. arcuato* simillimum, sed magnitudine paullo minori, scutello nigro, immaculato, abdominis cingulis l. fasciis tantum 2 remotis subintegris, ventre fascia subunica, alarum costa fere tota fusca, femoribusque maxima ex parte, et metatarsis plerumque, nigris, diversum.

*Obs.* *Chrysotoxum intermedium* Meig. (*Mulio arcuatus* var. *β*. Fall.), et *Mulio linearis* Zett. Act. Holm. 1819, huic generi associanda, in Lapponia a me non visa.

## 49. Microdon. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 95. FALL. *Musca* LINN. *Mulio* FABR. PANZ. *Aphritis* MACQ. ST. FARG. et SERV.

*Corpus* majoris magnitudinis, obtuse ovatum, hirsutum. Antennae medio frontis convexae aequalis insertae, elongatae, angustatae, articulo ultimo parum dilatato, seta dorsali (juxta basin inserta) nuda. Hypostoma latum, infra oculos nudos parum descendens. Scutellum emarginatum. Abdomen incurvum, ventre concavo. Areae discoidales binae, altera gemina, terminantur prope marginem interiorem nervis valde incurvis. Hinc non nisi unicus nervus, ille scilicet ex area angulari ad ipsum marginem descendit. Pedes breviusculi simplices. *Color* aeneo-nigricans, pictura nulla. *Motus* tardus, nec nisi sole urente volat, tempestate frigidiori saepe tota die in culmo immobilis sedet. *Habitatio* in graminosis paludosis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Metamorphosis* ignota, at pupam semel sub cortice arborum captam, et altera vice graminis culmo fixam, semiglobosam, nudam, subreticulatam, glabram, flavam, pellucidam, margine ciliatam et postice tuberculo praeditam, inveni. *Differentia sexus; mas:* oculis supra antennas angulo conniventi paullo distantibus, ano rotundato; *femina:* oculis late et fere aequaliter distantibus, ano subacuto. (Spec. Scand. 2, antennis elongatis, angustatis, articulo primo longitudine fere 2 et 3 simul sumtorum, seta nuda, scutello emarginato, alis incumbentibus, areis discoidalibus apice rotundatis, pedibus simplicibus et corpore non fasciato, a ceteris facile dignotae.)

**1. M. apiformis**: nigro-aeneus, thorace fulvo-villoso, scutello concolore, abdomine cano-tomentoso, alarum nervis transversis infuscatis, halteribus tibiisque pallidis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. tibiis tarsisque flavis.

Var. b. ♂♀. tibiis basi albidis, apice tarsisque nigris.

*Musca apiformis* DE GEER Ins. 6. 128. 18. T. 7. f. 18. ♂. *Mulio mutabilis* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 4. 1. ♂♀. var. α. FABR. Antl. 184. 4. *Stratiomys conica* PANZ. Fn. 12. 21. forte? ♀. *Microdon mutabilis* MEIG. Dipt. 3. 64. 2. (exclus. syn. pluribus.)

Hab. in graminosis, paludosis pratorum passim; ad Stensele et Naestansjö Lapponiae Umensis d. 1—13. Jul. rar.; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis pupa capta et die 4. Jul. exclusa. (Lappon.-Ostrogoth. rar.)

*Mas* et *Fem.* 4—5 lin. long. Crassus, aeneus, villosus, subnitidus. Antennae capite longiores, nigrae, articulo 1 elongato, cylindrico, 2 brevi, 3 fusiformi. Oculi nigro-brunnei. Thorax griseo-fulvo-tomentosus. Scutellum concolor. Abdomen cano-tomentosum, tomento fascias quasi l. maculas formante. Alae abdomine fere breviores. Squama et halteres pallida. Pedes inermes, aut toti nigri, tibiis tantum basi albidis, aut nigri, tibiis tarsisque flavis. Metatarsus posticus subincrassatus.

*Obs.* Altera Scandinaviae species s. *Micr. mutabilis* FALL. l. c. var. γ. *Musca mutabilis* LINN. Fn. Sv. 1807. *Mulio apiarius* FABR. Antl. 185. 9. *Mulio mutabilis* PANZ. Fn. 82. 21. (oculis distantibus et antennis elongatis). *Microdon apiformis* MEIG. Dipt. 3. 163. 1. (exclus. syn. plurib.); nigro-aeneus, thorace fulvo-villoso, scutello ferrugineo, abdomine griseo-aeneo-tomentoso, alarum nervis transversis infuscatis, halteribus, tibiis tarsisque flavis, 5 lin. long.; in Suecia interiori in copula saepe capta, in Lapponia a me non visa.

*Obs. Psaris abdominalis*, hactenus tantum ut Germaniae et Galliae incola cognita, nuper in Scania a D. DAHLBOM quoque capta, mihique oblata, sed in Lapponia minime reperta.

---

## 50. Sericomyza. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 112. LATR. ST. FARG. et SERV. MACQ. *Musca* LINN. *Syrphus* FABR. FALL.

*Corpus* magnum, ovato-oblongum, hirsutum. Antennae tuberculo frontali insertae, breviusculae, nutantes, articulo ultimo orbiculato, seta dorsali plumata. Oculi nudi. Hypostoma infra oculos sat longe descendens, tuberculatum. Alae saepissime incumbentes, nervis longitudinali tertio, eisque, qui areas ad marginem terminant, subrectis s. parum incurvatis. Area tantum angularis nervo ad marginem descendit. Pedes haud validi, simplices, tibiis subcurvis. *Color* nigricans; pictura fasciata. *Motus:* volatu sat celer, at in floribus saepe tarde morans. *Habitatio* in floribus; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Finmarkiae. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte cohaerentibus; *femina:* oculis distantibus. (Spec. Scand. 4, antennis rotundatis, seta plumata, hypostomate longe descendente, et nervis alarum magis rectis ab aliis dignotae.)

**1. S. borealis**: pubescens, nigricans, scutello concolore, abdominis fasciis 4 latioribus flavis, prima interrupta, pedibus luteis, femoribus basi nigris, alis immaculatis, costa anguste testacea. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 343. 2. ♂♀. *Syrphus borealis* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 20. 7. ♂♀. *Musca lappona* DE GEER Ins. 6. 141. 6. descript. var. et T. 8. f. 14. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Uplandia pass. Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 7 lin. Niger, pubescens. Hypostoma pallide flavum, linea media nigra. Antennae fuscae. Thorax callo humerali cinereo, fasciculo pilorum flavorum ad latera et in pectore. Scutellum nigro-piceum. Abdomen atrum, fasciis 4 ad latera dilatatis, flavis, 1 distincte, 2 et 3 parum, interruptis, anali integra. Alae hyalinae, basi et costa anguste, testaceis. Squama pallida. Halteres fusci. Pedes lutei, femoribus ad medium, et tarsorum articulis 2 ultimis, nigris.

**2. S. lappona**: pubescens, nigricans, scutello ferrugineo, abdominis fasciis 3 angustioribus, linearibus, flavo-albidis, subinterruptis, pedibus luteis, femoribus anticis basi nigris, alis hyalinis, costa testacea, et macula apicali fusca. ♂♀.

LATR. Gen. Crust. et Ins. 4: 322. MEIG. Dipt. 3. 344. 3. ♂♀. *Musca lappona* LINN. Fn. Sv. vera. *Syrphus Lapponum* FABR. Antl. 226. 7. FALL. Dipt. Sv. Syrph. 20. 8. certissime. ♂.

Hab. in Lapponia passim, mihi tamen ibi non frequenter obvia; in copula tamen capta; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis, ad Barrsele Lapponiae Umensis, et ad Bossekop Finmarkiae d. 1. Jul. — 2. Sept.; femina a D. GEUTSCH etiam e Torneå missa. (Lapponia; Botnia borealis, ex gr. ad Sangits, passim. — Ostrogothia, Gottlandia, Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* 6 lin. long. Similis praecedenti, sed praeter magnitudinem minorem differt etiam ab illa scutello ferrugineo, abdominis fasciis tantum tribus, et his angustioribus, linearibus albidisque, alarum macula intra apicem ad costam fusca, ut et femoribus tantum anticis ad basin nigris. Reliqua exacte ut in priori.

*Obs.* Species Fallenianae *Syrphus bombyliformis* et *mussitans* in Scania passim, in Sueciae terris septentrionalibus nunquam, a me visae.

## 51. Volucella. GEOFFR.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 118. LATR. ST. FARG. et SERV. MACQ. *Musca* LINN. *Syrphus* FABR. PANZ. FALL.

*Corpus* magnum, ovatum, hirsutum. Antennae fronti parum prominenti insertae, deflexae, articulo ultimo elongato, compresso, seta dorsali longe plumata. Hypostoma infra oculos conice descendens, gibbum. Alae divaricatae, nervo 3tio longitudinali rubrecto, at nervo aream primam discoidalem terminante arcuatim distincte flexo. Pedes mediocres, simplices. *Color* niger, hirsutie saepe flava, at pictura fasciata rar. *Motus:* volatu omnium celerrima; in floribus saepe commoratur. *Habitatio* in floribus; per partem sylvaticam, subsylvaticam et alpinam Lapponiae, nec non inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Metamorphosis* non rite cognita, at *larva*, postice tentaculato-radiata, in nidis Bomborum degit, secundum REAUM. et LATR. Larvas *Vol. inanis* in nido *Vespae Crabronis* degere, hujusque insecti larvas devorare observarunt Cel. D. D. DE ST. FARGEAU et SERVILLE (cfr. MACQ. Ins. Gall. Syrph. 188). *Differentia sexus; mas:* oculis connexis, hirsutis; *femina:* oculis distantibus, nudis, pluma antennarum setae majori. (Spec. Scand. 5 antennis elongatis, deflexis, seta plumata, hypostomate descendente, alis semidivaricatis, nervo aream primam terminante arcuato, distinctae.)

**1. V. plumata**: nigra, thoracis limbo abdominisque basi macula utrinque, flavo-tomentosis, ano albo-hirsuto; alis hyalinis, maculis costalibus 2, una media, altera apicali, fuscis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 403. 2. *Musca plumata* DE GEER Ins. 6. 134. 5. T. 8. f. 4. ♀. *Syrphus plumatus* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 17. 2. var. α. ♀. var. β. ♂. *Musca mystacea* LINN. Fn. Sv. 1793. var. β. ♀. PANZ. Fn. Germ. 8. 22. ♀. (at macula alarum deest et cingulum abdominis ferrugineum pro macula basali flava designatum). *Syrph. mystaceus* FABR. Antl. 224. 5.

Hab. in pratis et nemoribus passim; ad Lycksele et in alpe Brattiksfjell Lapponiae Umensis; in insula maritima Hacksten Nordlandiae et ad Alten Finmarkiae 18. Jun. — 6. Aug. vidi. (Lappon.-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 – 6¹ lin. Nigra, fronte in ♀ et hypostomate in utroque sexu flavis atque flavo hirsutis. Thoracis limbus praesertim posticus flavo-tomentosus; in mare disco thoracis antico late nigro, rotundato. Abdomen macula utrinque laterali flava, et flavo-hirta, segmentis 3 ultimis albo-hirsutis. Alae hyalinae maculis costalibus duabus, una in medio distincta, altera ad apicem minori et obsoleta, fuscis. Squama et halteres fusca. Pedes toti nigri.

**2. V. haemorrhoidalis:** nigra, thoracis limbo abdominisque basi macula utrinque, flavo-tomentosis, ano ferrugineo-hirsuto; alis hyalinis, maculis costalibus 2, una media, altera apicali, fuscis. ♂♀.

*Syrphus haemorrhoidalis* Dahlm. in litteris. *Voluc. plumata* Meig. Dipt. 3. 403. 2. Var.

Hab cum priori rarius, ex. gr. ad Muonioniska et Alten 6—17. Aug. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, statura, color et omnia ut in praecedente, nec differt ab illa nisi abdominis segmentis analibus ferrugineo-tomentosis, nec albo-hirtis, et id in utroque sexu, quare auctoritate Nob. Prof. Dahlmani ut distinctam speciem propono, priori certe valde affinem.

**3. V. bombylans:** nigra, hirsuta, scutello flavicante, atro-hirto, capite flavo, abdominis apice luteo-villoso; alis hyalinis, macula costali media nigra. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 402. 1. ♂♀. *Musca bombylans* Linn. Fn. Sv. 1792. ♀. *Syrphus bombylans* Fabr. Antl. 224. 4. Panz. Fn. Germ. 8. 21. ♀. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 18. 3. ♂♀.

Hab. in Lapponiae meridionalis sylvaticis rar.; ad Wilhelmina et Asele Lapponiae Umensis 21 — 26. Jul. vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5—6½ lin. Similis *Vol. plumatae*, colore differt. Tota nigra. Caput ut in priori. Scutellum fundo nigrum, basi utrinque piceum, segmentis ultimis fulvo-hirtis. Alae ut in *Vol. plumata*, nervis areas terminantibus etiam fuscis. Squama et halteres fusca.

**4. V. pellucens:** subpubescens, nigra, capite et scutello rufescentibus, abdominis fascia basali lata albido-subpellucida; alis hyalinis, macula costali media nigra. ♂♀.

*Mas:* abdominis fascia albida interrupta; oculis in fronte arcte cohaerentibus.

*Fem.:* abdominis fascia albida integra; oculis in fronte dissepimento flavo disjunctis; in copula.

Meig. Dipt. 3. 404. 3. ♂♀. *Musca pellucens* Linn. Fn. Sv. 1826. *Syrphus pellucens* Fabr. Antl. 224. 3. Panz. Fn. Germ. 1. 17. ♀. Fall. Syrph. 19. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponia forte rarissima, mihi nec ibi, nec in provinciis septentrionalibus adjacentibus obvia; sed ut Lapponiae incola tantum ab alio Collectore missa. (Lapponia-Wermlandia, Uplandia, Ostrogothia-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* 7 lin. long. Prioribus minus hirsuta, non tamen omnis pilositas deest. Nigra. Caput nigro-piceum. Frons in ♀ hypostoma et antennae in utroque sexu, lutea. Scutellum rufum aut piceum. Abdomen atrum, segmento secundo toto flavo-albo-pellucido. Alae hyalinae, basi lutescentes, macula media nigra, et alia ad apicem parva, obsoleta, fusca. Squama et halteres flavicantes. Pedes nigri.

*Obs.* *Syrphus inanis* Fall. huic generi subjectus, in Suecia media passim, in Lapponia non, visus.

## 52. Syrphus. Fabr.

Fabr. Ent. Syst. gen. 232. Panz. Fall. *Musca* Linn. Dej. *Elophilus* Latr. *Eristalis* Fabr. Antl. Meig. St. Farg. et Serv. Macq.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongo-ovatum, hirsutum. Antennae fronti parum prominenti insertae, nutantes, articulo ultimo orbiculato, basi seta dorsali aut plumata aut nuda. Oculi obscure brunnei, hirti. Hypostoma infra oculos distincte descendens, tuberculatum. Alae divaricatae. Nervus tertius longitudinalis (costali non computato) ante apicem alae valde incurvatus. Nervi transversi, qui areas 1 et 2 discoidales juxta marginem alae terminant, subrecti; nervus, qui ex area angulari excurrit, vix ad summum marginem descendit. Pedes simplices, haud validi. *Color* nigricans, pictura abdominis, dum adest, triangulariter flavo-maculata. *Motus:* volatu celerrimus; in aëre pendulus velocissime avolat, mox vero ad eundem locum revertit, lusum ejusmodi pluries repetens, pipiens. *Habitatio* in floribus pratensibus; a primo vere usque ad serum autumnum vigens; lucos et nemora amans; per partem sylvaticam et subsylvaticam Lapponiae atque inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. Nec summas alpes nivales aufugiunt quaedam species. *Larvae* in aqua putrida, in limo, luto, in truncis cavis arborum succo repletis, e. s. p. degunt. Plures species generationes saltem duas, unam vernalem, alteramque autumnalem, anno producere videntur. *Differentia sexus; mas:* oculis aut saepissime contiguis, aut dissepimento angusto, lineari in fronte disjunctis; *femina:* oculis sat late distantibus. (Spec. Scand. 17, 14 speciebus a Falleni genere *Syrpho* ad genera *Sericomyiam*, *Volucellam*, *Milesiam*, *Xylotam* et *Helophilum* a nobis relatis, antennis rotundis, hypostomate descendente tuberculato, oculis hirsutis, alis divaricatis, nervo tertio longitudinali valde incurvato, a reliquis hujus familiae bene dignotae.)

a) Antennae seta plumata. Masculorum oculi in fronte cohaerentes.

**1. S. intricarius:** niger, luteo-hirsutus, abdomine aut concolore, aut ano albo-hirto, scutello flavo, tibiis basi albis; alis hyalinis, aut immaculatis, aut macula fusca notatis. ♂♀.

*Mas:* thorace abdomineque luteo-hirsutis, hoc segmento secundo, interdum etiam tertio utrinque macula fulva, scutello flavo, alis aqueis, macula costali in medio, fusca; in copula.

*Fem.:* paullo latior, thorace luteo-hirsuto, abdomine nigro-immaculato, ano albo-hirto, scutello albido, alis aqueis, macula costali in medio fusca; in copula.

Fabr. Spec. Ins. 2. 426. 22. ♀. Panz. Fn. Germ. 59. 11. ♀. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 23. 12. ♂♀. *Musca intricaria* Linn. Fn. Sv. 1800. ♀. *Eristalis intricarius* Fabr. Antl. 282. 3. ♀. Meig. Dipt. 3. 391. 12. ♂♀. *Syrphus aureus* Panz. Fn. 90. 20. ♂. (figura insectum justo latius et nimis coloratum repraesentat). *Syrphus bombyliformis* Panz. Fn. 59. 12. ♂. Fabr. Antl. 227. 12. ♂.

Hab. in Lappon. Tornensi et Kemensi rar., ut et in Schiervoe Nordlandiae Norvegicae passim, d. 27. Jul. — 30. Aug. visus. (Lapp.-Scan. vulgar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 6 lin. Hypostoma nigrum, griseo-pollinosum et tomentosum, linea media denudata; apice descendens; unituberculatum. Antennarum articulus ultimus obscure testaceus. Oculi obscure brunnei. Alarum squama et halteres fusca. Pedes nigri, pilosi, geniculis summis tibiisque basi albis. Reliqua ut in diagnosi.

**2. S. fraterculus:** niger, lutescenti-griseo-hirsutus; ano sordide albo-hirto, scutello flavo, geniculis anterioribus albidis; alis hyalinis, puncto stigmaticali nigro. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in floribus Salicis ad Juckasjervi d. 21. Jun. 1821 semel inveni. (Lapponia Suecica.)

*Fem.* Long, 5 lin. Priori affinis et similis, differt vero ab illo magnitudine paullo minori, hirsutie corporis minus lutea, fere grisea, ano fere concolore, nec pure albo-hirto, alis macula stigmaticali tantum minuta nigra, et pedibus totis nigris, solum geniculis anterioribus summis sordide albidis. Abdomen nigrum, basi lutescenti-griseo-hirtum, apice albo-cinereo-hirsutum. Cetera ut in praecedente. Sed extra Lapponiam non visus.

**3. S. flavicinctus:** niger, luteo-hirsutus, scutello flavicante, abdomine nudiusculo, segmentis secundo utrinque macula trigona lutea, reliquis margine apicali angustissime albidis, pedibus nigris, geniculis, tibiarum tarsorumque basi flavo-albidis, femorum posticorum basi flava, striga alarum fusca. ♂♀.

Var. a. ♂♀. alarum striga media fusca distincta.

Var. b. ♂♀. alarum striga media fusca obsoletissima, relicto tantum puncto stigmaticali nigro.

Fall. Dipt. Sv. Syrph. 24. 13. ♂♀. var. a. *Eristalis flavicinctus* Fabr. Antl. 232. 5. *Musca horticola* de Geer Ins. 6. 140. T. 8. f. 12. ♀. (exclus. syn. Linn. *M. nemorum*). *Eristal. horticola* Meig. Dipt. 3. 396. 18. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi vulgaris, mense Junio flores sedulo visitans; adhuc versus autumnum feminae observantur, et ad Asele, Fredrica, iterumque ad Lycksele mense Augusto individua feminea frequenter vidi. (Lappon.-Scan. praesertim var. a. copiose, ibique saepe major.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4¹ — 5½ lin. Prioribus minor, angustior; A sequentibus, praesertim *Syrph. Arbustorum* et *Nemorum*, quibus valde similis, differt inprimis femoribus posticis basi flavis. Caput ut in *S. intricario.* Scutellum inane, flavum. Abdominis macula lateralis basalis rufa in segmentum tertium maris rarissime extenditur. Squama alarum et halteres pallida. Femorum posticorum basi latius vel angustius flava. Tarsorum articuli 2 basales pallidi, reliqui nigri. Cetera ut in diagnosi.

*Obs.* Specimina Suecica vulgaria a Lapponicis differunt: magnitudine paullo majori, macula abdominis segmenti secundi in tertium

etiam saepe in ♂ extensa, nubecula alarum raro absente, tarsis saltem posticis plerumque nigricantibus; vix tamen ut specie distincta consideranda, nam in ceteris conveniunt. Femorum posticorum basis flava est nota hujus speciei constans.

**4. S. piceus:** nitidus, niger, thorace parum flavo-pubescente, abdominis incisuris tenuissime albidis, alarum macula costali subquadrata, nigra, tibiarum omnium, tarsorumque posticorum simplicium, basi alba. ♂♀

*Mas:* caput nigrum, hypostomate parum cinereo-micante, thorace distinctius luteo-hirsuto. . Abdominis segmentum 2dum macula utrinque laterali lutea; alarum nubecula irregularis, fusca.

*Fem:* caput cinereo-pollinosum, vertice, fronte et linea denudata hypostomatis nigris, nitidis; thorax parum flavo-hirtus; abdomen atrum, nitidissimum, subnudum, immaculatum, incisuris tenuissime albis, et macula in segmento 2do laterali transversa lineari rufa obsoleta; nubecula alarum distincta.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 24. 14. ♀. certissime (mas a Cl. Auctore descriptus ad *Syrph. flavicinctum* pertinet). *Eristalis rupium* FABR. Antl. 241. 38? ♀. MEIG. Dipt. 3. 397. 19. ♂♀. (fig. 2. *Syrphum Cryptarum* nob. repraesentat). *Syrph. cryptarum* PANZ. Fn 90. 18. ♀. *S. flavicinctus* var. β. FALL. Dipt. Sv. Syrph. 24. 13. est mas hujus.

Hab. in floribus pratensibus et sylvestribus, ad Lycksele, Wilhelmina et Stoettingsfjellet Lapponiae Umensis 19. Jun. — 2. Aug freq.; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis rar. (Lappon.- usque ad Ostrogothiam vulgaris, in Scania a me nondum visus. Mascula femineis semper rarius occurrunt.)

*Mas* et *Fem* Long. 5 - 5¹ lin. *S. flavicincto* (No. 3) valde affinis et similis, praesertim mas; differt vero colore nigriore, nubecula alarum distinctiori, tarsis albidioribus etc.; a *S. Arbustorum*, cui etiam similis, metatarso postico simplici, nec incrassato, mox dignotus. Scutellum piceum. Abdominis incisurae immaculatae in ♀, in qua etiam primum segmentum ad latera cinereo-pubescens. Squama et halteres in utroque sexu alba. Pedes nigri, femoribus gracilibus minime crassis vel validis, pilosis; genubus, tibiis basi ut et tarsorum articulis 1 et 2, albis. Metatarsi omnes simplices, posticus elongatus.

Var. b. ♀. femoribus posticis summa basi flava. Hab. cum var. a. freq.

**5. S. Nemorum:** niger, thorace lutescenti hirsuto, abdominis incisuris tenuissime albidis, macula in segmento secundo utrinque trigona lutea; alis nubecula fusca, obsoleta, tibiis basi albis, metatarso postico simplici, hypostomate cinerascenti-piloso, linea media denudata nigra. ♂.

*Musca nemorum* LINN. Fn. Sv. 1797. ♀. hujus? *Eristalis nemorum* FABR. Antl. 234. 10. MEIG. Dipt. 3. 394. 16. ♂♀. (Sub *Syrph. arbustorum* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 25. 15. haec species etiam certe latet.)

Hab. in Lapponia Tornensi ad Öfver-Torneå et Muonioniska, 1—17. Aug. pass.; deprehenditur etiam in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, et in alpe Jockelfjell d. 31. Jul. quoque legi. (Lappon. — Scania uterque sexus pass.)

*Mas.* 5 - 5¹ lin. long. *S. flavicincto* iterum simillimus, differt tantum femoribus tarsisque omnibus totis nigris, et nubecula alarum fusca obsoletiori, puncto stigmaticali tamen distincto. Scutellum obscure flavum. Venter niger, basi flavus. Alarum squama et halteres flava. Pedes nigri, pilosi, femoribus minime incrassatis, geniculis summis tibiisque basi, pallidis; metatarsis omnibus simplicibus, postico elongato.

*Obs.* Feminam hujus in Lapponia frustra quaesivi.

**6. S. Arbustorum:** niger, thorace lutescenti hirsuto, abdominis incisuris tenuiter albidis basique luteo-maculata; alis immaculatis, tibiis basi albis, metatarso postico incrassato; hypostomate cinereo-villoso, immaculato. ♂♀.

*Mas:* paullo obscurior, abdominis segmentis secundo macula in toto latere, tertio macula in basi, luteis.

*Fem.:* grisescens, abdominis segmento secundo macula laterali trigona flava; in copula.

FALL. Dipt. Sv. 25. 15. certe. ♂♀. PANZ. Fn. 14. 22. ♀. *Musca arbustorum* LINN. Fn. Sv 1798 mas hujus. *Eristal. arbustor.* FABR. Antl 236. 17. ♂ MEIG. Dipt. 3. 395. 17. ♂♀. An quoque *Eristal. Nemorum* FABR. Antl. 234. 10. et *Musca nemorum* LINN. Fn. Sv. 1797. est femina hujus?

Hab. in Lapponia septentrionali, ex. gr. ad Öfver-Torneå et Karesuando d. 15—27. Aug. rar. (Lappon.- Ostrogothia, Scania vulgatissimus, ut nullus frequentior, in hortis et pratis jam mensib. Aprili et Majo prima generatio provenit et viget, ad copulationem mox parata.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 5 lin. Priori simillimus et vix distinctum credo. Differt autem abdominis incisuris albidis paullo latioribus, alis hyalinis, immaculatis, puncto tantum stigmaticali fusco, metatarso postico distincte incrassato, elongato, ut et hypostomate flavo- vel cinereo- densе-villoso, linea media denudata nigra tenuissima, fere nulla. Metatarsus intermedius albus. In reliquis con-



veniunt. — Larvae in stagnis putridis mense Aug. copiose versantur. Status nympharum 10—20 diebus. Seriores pupae hibernant.

*Obs.* *Syrph. similis* FALL. in Ostrogothia et Scania passim visus, in Lapponia vix occurrit.

b) Antennae seta nudiuscula. Masculorum oculi (in lapponicis) cohaerentes.

**7. S. tenax:** nigricans, thorace lutescenti-cinereo-hirsuto, abdomine nigro-piceo, fasciis 2 anticis interruptis, obscure ferrugineis, alis immaculatis, genubus anterioribus albidis, posticis dilatatis, bifariam nigro-ciliatis, oculis obscure bivittatis. ♂♀.

FABR. Ent. Syst. 4. 288. 36. PANZ. Fn. 14. f. 23. ♂. 24 ♀. (male colorat.) FALL. Dipt. Sv. Syrph. 26. 17. ♂♀. *Musca tenax* LINN. Fn. Sv. 1799. ♀. *Eristalis tenax* FABR. Antl. 238. 24. MEIG. Dipt. 3. 385. 4. ♂♀.

Hab. in fruticibus et floribus Lapponiae meridionalis vulgaris; ad Lycksele, Åsele et Fredrica frequenter vidi. Prima generatio ineunte mense Junio, altera in fine mensis Augusti et initio Septembr. provenire videtur. Usque ad serum autumnum vigent. — Ova deponentes imagines femineae in cloacis, ad aquas fimetarias et putrescentes saepe inveniuntur. Larva *tenacissima*, vix prelo destructibilis. Pupas oblongo-subcylindricas, nudas, griseas, filo suspensas saepe vidi (Lappon.-Gevalia-Scania copiose.)

*Mas.* et *Fem.* Inter maximos nostratum, circiter 7 lin. long., mas paullo brevior, angustior. Antennae nigricantes. Hypostoma dense cinereo-pubescens, vitta media lata, determinata, nuda, nigra. Oculorum hirsuties in disco densior, ita ut in illaesis individuis praesertim masculis lineas duas longitudinales formet, in mortuis etiam observandas. Scutellum flavescens. Abdomen subnudum, nitidum, nigricans, fasciis basalibus interruptis piceis, interdum vix observandis, praesertim in feminis Lapponicis, quae Suecicis sunt obscuriores. Squama sub alis et halteres pallida, clava fusca. Pedes nigri, pilosi, anteriores geniculis tibiarumque basi, albidis, intermedii metatarso flavo; postici subcompressi, femoribus et praesertim tibiis dilatatis, utrinque ciliatis.

**8. S. cryptarum:** niger, thorace luteo-hirsuto, abdomine subnudo, nitido, maculis basalibus utrinque 2 fulvis, segmentis marginibus albis; alis immaculatis, antennis scutello pedibusque rufis, femoribus basi nigris. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 29. 24. ♂♀. (exclus. syn. PANZ. quod ad *Syrph. piceum* pertinet). *Eristalis Cryptarum* FABR. Antl. 235. 11. MEIG. Dipt. 3. 389. 9. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; in floribus Salicis ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, et ad Lycksele Lappon. Umensis d. 4—21. Jun. inveni. (Lapponia-Scan. Jun. — Oct., pass. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 — 4¹ lin. Ovatus. Hypostoma cinereum linea media, nuda, nigra. Abdomen subnudum, nitidum, nigrum, segmentis 2, 3, 4 margine apicali distincte albido, macula in segmento 2do utrinque trigona, fulva; et in mare macula parva ejusdem coloris in segmenti 3tii basi observatur. Alae basi et costa flavescunt. Squama nigricans; halteres pallidi. Pedes simplices, pilosi, rufi, femoribus basi magis minus late nigricantibus.

**9. S. anthophorinus:** niger, pallide flavo-hirsutus, abdomine maculis lateralibus ferrugineis, pedibus nigris, tibiis basi albis; alarum macula costali media fusca. ♂♀.

FALL. Dipt. Syrph 28. 21. ♂♀. *Eristalis anthophorinus* MEIG. Dipt. 3. 390. 11. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad cadaver ovis putridissimum aquae stagnanti ad maximam partem immersum odore foetidissimum, individua 7 vel 8 hujus ipsissimae speciei feminea sono pipiente celerrime circumvolando congregantia et in cadavere interdum sedentia, ad Lycksele d. 16. Jun. quidem observavi, ova in cadavere sine dubio depositura. Horum autem valde timidorum et captu difficillimorum, non nisi duo comprehendere nobis contigit. Deinde in flore ad Åsele specimen masculum d. 26. Jul. inveni. (Lapponia; Scania in floribus Calthae palustris et Leont. Tarax., ex. gr. ad Lund mense Majo certis annis uterque sexus haud infrequenter.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4¹ 5½ lin. Species pulchra, distincta, tota pallide hirsuta. Antennae nigrae, seta rufescenti. Hypostoma cinereum, linea media nigra. Abdomen maculis lateralibus utrinque 2, nempe in segmento secundo et tertio ferrugineis, in ♂ distinctis in ♀ saepe obsoletis. Scutellum, squama sub alis et halteres flava. Alarum macula media dilatata fusca; plerumque evidens, interdum obsoleta. Pedes simplices, pilosi, nigri, geniculis summis, tibiisque basi, albidis.

**10. S. floreus:** niger, thorace flavo-hirsuto transversim nigro- et cinereo-fasciato, abdomine atro, fasciis interru-

ptis flavis, alis subimmaculatis, pedibus nigris, tibiis basi flavis. ♂♀.

Var. a ♂♀. Thorax flavo-hirsutus, fasciis 2 nigris, prima interrupta, et fascia media cinerea; abdomen fasciis 3 flavis interruptis; pedes flavi, coxis, femoribus annulo medio, tibiarum apice tarsisque, nigris.

Var. b. ♂♀. Thorax flavo-hirsutus, fascia tantum unica postica nigra; abdomen fasciis tantum 2, in singulo segmentorum 2 et 3., flavis interruptis; pedes toti nigri, geniculis tibiarumque basi solum flavis.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 30. 25. ♂♀. PANZ. Fn. 14. f. 21. ♂. *Musca florea* LINN. Fn. Sv 1796. *Eristalis floreus* FABR. Antl. 233. 9. MEIG. Dipt. 3. 399. 21.

Hab. var. a. in Lapponia Tornensi passim; etiam ad Bossekop Finmarkiae 3. Aug. captus. Var. b. ad Muonioniska secundum collectionem KOLSTRÖMI freq. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* 5—6 lin. long. Caput pulchre flavo-villosum, antennis et hypostomatis linea media nigris. Alae vix maculatae. Squama et halteres pallida. Pedes simplices, pilosi, femoribus posticis subelongatis, validis, subtus in medio pubescentia brevi, rigida, nigra vestitis.

*Obs.* FALLENI *Syrphus cimbiciformis*, *apiformis*, *aeneus* et *tristis* (*sepulchralis* LINN.), in Lapponia non observati. Nec *S. megilliformem* FALL., qui ad *Mallotam* MEIG. pertinet, in Lapponia invenire potui.

---

## 53. Helophilus. MEIG.

MEIG. Dipt. Europ. gen. 115. MACQ. ST. FARG. et SERV. *Elophilus* LATR. *Musca* LINN. REAUM. *Eristalis* FABR. *Syrphus* FABR. PANZ. FALL.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongo-ovatum, pubescens. Antennae fronti subporrectae insertae, nutantes, articulo ultimo orbiculari, basi seta dorsali nuda. Oculi nudi, brunnei, in utroque sexu distantes. Hypostoma infra oculos distincte descendens, inferne gibbosum. Alae divaricatae, hyalinae, nervis ut in *Syrpho* directis. Pedes validi, femoribus posticis incrassatis, inermibus. *Color* niger, pictura flavo-fasciata et vittata. *Motus*: volatus celerrimus, at tempore frigidiore tota die in culmo vel folio tranquillus sedet. *Habitatio* in plantis aquaticis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Metamorphosis* non ex omni parte cognita, sed *larvas* in paludosis et aquis stagnantibus degere, e quibus egressas in terra in statu nympharum 8 vel 10 dies manere, constat. *Differentia sexus*: *mas*: oculis supra antennas angulo modice disjunctis; *femina*: oculis supra antennas aequaliter et late distantibus. (Spec. Scand. 7, antennis rotundatis, seta nuda, oculis nudis, hypostomate descendente, alis divaricatis, nervo tertio longitudinali valde incurvato, et femoribus incrassatis ab affinibus dignotae.)

**1. H. pendulus:** niger, hypostomate modice descendente albido, vitta media convexa, tuberculata, atra, thoracis lineis 4, abdominis fasciis 3 interruptis, geniculis tibiarumque basi, flavis, ventre nigro, basi pallido. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 373. 6. ♂♀. *Musca pendula* LINN. Fn. Sv. 1795. *Eristalis pendulus* FABR. Antl. 233. 7. *Syrphus pendulus* PANZ. Fn. 22. 21. ♂. FALL. Dipt. Sv. Syrph. 30. 26. ♂♀.

Hab in sylvis, ad aquas stagnantes, in graminosis, pipiens, ad Lycksele et Wilhelmina Lapponiae Umensis, ad Kihlangi, Muonioniska et Karesuando Lapponiae Tornensis, ut et ad Schiervoe Nordlandiae, d. 21. Jul — 21. Aug. ubique frequenter in copula visus. Larva tubo longo filiformi respiratorio supra aquam suspensa, unde nomen imaginis a LINNAEO datum. (Lapp.-Scan. vulgar.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 4—5 lin Hypostoma convexum, subtuberculatum. Antennae nigrae, seta testacea. Vertex niger. Thorax griseo-subpubescens, lineis dorsalibus, in ♂ saepe angustis, cinereis, aut flavis. Scutellum lividum. Abdomen nigrum, subnudum, segmentis, 2do macula utrinque magna trigona, fulva, 3tio etiam macula laterali ejusdem coloris, saepe minori, linea transversa terminata, unde in segmento fascia abdominis secunda interrupta formatur; 4to fascia interrupta, subarcuata glauca vel cinerea. Segmenta praeterea margine apicali interdum flavo. Alae hyalinae, stigmate parvo, testaceo. Squama et halteres pallida. Pedes nigri, femoribus apice tibiisque basi magis vel minus late flavis, tibiis intermediis plerumque totis pallidis Femora postica subtus rigide pubescentia.

**2. H. arcticus:** niger, hypostomate modice descendente albido, vitta media convexa, tuberculata, atra, thoracis lineis 2 cinerascentibus, abdominis fasciis 2 interruptis, geniculis tibiarumque basi, flavis, ventre nigro, basi lateribus albido. ♂♀.

Hab. in graminosis et floribus Salicum ad Lycksele Lapponiae Umensis et Muonioniska Lapponiae Tornensis d. 17. Jun. — 17. Aug. rarius; in alpibus Dowreensibus Norvegiae D. BOHEMAN mens. Jul. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et statura omnino praecedentis, sed thoracis lineis cinereis semper angustis, fasciis abdominis flavis tantum duabus, secunda maculari, femorum summo apice solum flavo, et ventre segmento primo albo, macula media magna nigra, satis distinctus, et ex ambobus uterque obvenit sexus. Colore et habitu *Syrphi Arbustorum* mari quoque simillimus, sed ab illo aperte differt: oculis nudis, in utroque sexu distantibus, hypostomatis vitta denudata, thoracis lineis et femoribus posticis incrassatis, subtus rigide pubescentibus. Abdomen nigrum, subnudum, margine omni pallido ciliato; segmentum 2dum macula utrinque magna trigona, et margine apicali interrupte, fulvis; 3tium macula laterali basali minori ejusdem coloris; reliqua segmenta nigra, immaculata. Cetera ut in priori.

**3. H. lineatus:** niger, hypostomate conice descendente, albido, thoracis lineis 2 cinerascentibus, abdominis maculis bis tribus lunulatis, flavis, aut glaucis, pedibus luteo- et nigro-variegatis. ♂♀.

MEIG Dipt. 3. 369. 1. ♂♀. *Rhingia lineata* FABR. Antl. 223. 2. ♂. *Syrph. lineatus* FALL. Dipt Sv. Syrph. 31. 28. ♂♀. (exclus. Syn. LINN. *Musca transfuga*). *Rhingia muscaria* FABR. Antl. 223. 3. ♀. PANZ. Fn. Germ. 20. 24. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in plantis aquaticis ad Lycksele, Wilhelmina et Asele, Lapponiae Umensis d. 19. Jun. — 26. Jul. inveni. (Lapponia; Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $3\frac{1}{2}$ — 4 lin. Differt a prioribus praesertim: hypostomate elongato, conico, supra unicolore, magnitudine corporis minori, ut et abdomine pedibusque aliter pictis. Antennae testaceae. Thorax lineis 2 dorsalibus et 2 lateralibus cinereis aut flavis, magis minus latis. Scutellum flavicans. Abdominis maculae laterales aut simplices flavae, in mare, aut sublunatae, cinereae, in femina. Variant tamen in utroque sexu vicissim. Alae hyalinae, immaculatae. Halteres et squama albida. Pedes aut nigri, rufo-vel flavo-annulati et maculati, aut rufi vel flavi, annulis maculisque nigris.

*Obs.* *Syrphus femoralis* FALL. (*Helophil. frutetorum* MEIG.) et *Musca transfuga* LINN. (*Heloph. transfugus* MEIG.) in Lapponia a me non visi.

*Obs.* E genere *Rhingia* omnes species e Lapponia exsulant, mihi saltem nec *Rhing. rostrata*, nec *Rh. campestris* supra Uplandiam obviae.

---

## 54. Brachyopa. HFFGG.

MEIG. Dipt. Eur. MACQ. *Musca* PANZ. *Rhingia* FALL.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum subpubescens. Antennae tuberculo frontali insertae, nutantes, articulo ultimo suborbiculari, basi seta dorsali aut plumata, aut breviter pubescente. Hypostoma infra oculos modice descendens, impressum, apice truncatum. Oculi nudi, rufi v. laete brunnei. Alae abdomine multo longiores, incumbentes, nervo 4to longitudinali omnino recto, at nervo aream primam discoidalem ad marginem alae terminante, subarcuato. Pedes simplices, validi. *Color* testaceus, supra subfuscus. *Motus*: volatus sat celer. *Habitatio* in floribus et in succo destillante arborum; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae meridionalis. *Imagines* primae speciei in trunco arboris exsiccatae e pupis egredientes vidi. *Larvae* igitur in *humo lutoso* vix degunt, ut autumat FALL. *Differentia sexus*; *mas*: oculis angulo supra antennas cohaerentibus; *femina*: oculis distantibus. (Spec. Scand. 3, antennis rotundis, seta hirsutula, hypostomate descendente, corpore nudiusculo, et alis elongatis, nervo 4to longit recto, ab affinibus dignoscendae.)

a) Seta antennarum distincte plumata.

**1. B. ferruginea:** ferrugineo-testacea, thoracis dorso subcinereo-vittato, abdomine supra fusco-maculato; nervo aream alarum primam terminante distincte arcuato. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 263. 4. *Rhingia ferruginea* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 34. 3. ♂♀.

Hab. in floribus Umbellatarum, ex. gr. in Chaerophyllo, nec non in Ledo palustri, locis umbrosis Lapponiae Umensis passim, ad Lycksele, Wilhelmina, Åsele et Stoettingsfjellet d. 15. Jun. — 26. Jul. praesertim legi. Individua 5 e

pupis, in trunco arboris subarido depositis, nuper exclusa ad Lycksele d. 17. Jun. 1832 invenire mihi quoque contigit. (Lappon.-Ostrogoth. ad Laerketorp rarissime.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 4 — 4½ lin. *Rhingia rostrata* paullo longior, sed angustior, pallide ferruginea. Caput et antennae flavescentia, seta nigra, plumata, hypostomate utrinque albo-micante. Thorax dorso vitta media geminata fusca, juxta quam duae aliae vittae cinereae observantur; omnes plerumque obsoletae. Scutellum margine nigro-pilosum. Abdomen parum curvum subnudum, ferrugineum, fusco-maculatum. Alae hyalinae, immaculatae, nervo 4to recto, in apicem extenso; at nervus 5tus ad 4tum sat longe ante apicem arcuatim flectitur. Squama albida. Halteres pallidi. Pedes validi, femoribus posticis subtus sat dense rigide nigro-pubescentibus; tarsis omnibus apice fuscis.

**2. B. testacea:** testacea, capite pedibusque flavis, tarsis nigris, thorace obsolete cinereo-vittato, abdomine supra fusco-maculato; nervo aream alarum primam terminante obtuse angulato. ♂♀.

*Rhingia testacea* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 34. 4 certissime. ♂♀. (Vix *Brachyopa conica* MEIG. Dipt. 3. 261. 1.? Nec *Musca conica* PANZ. Fn. 60. 20.?)

Hab. in floribus Salicis et Ledi palustris, ex. gr. ad Lycksele, Stensele et Umenaes, Lapponiae Umensis, passim, d. 2. Jun. — 8. Jul. capta. In floribus Salicis Capreae inter Tynaes et Hofve Norvegiae d. 7. Jul. a D. BOHEMAN quoque lecta. (Lappon.-Ostrogoth.; Smoland. passim, in copula.)

*Mas* et *Fem.* 3 — 3½ lin. long. Subnuda s. brevissime et tenuiter pubescens, testacea. Caput flavum, hypostomate albo-micante. Antennarum seta plumata fusca. Thorax dorso vitta media duplicata lacte cinerascente, interdum parum observanda, lineis 3 brunneo-testaceis plerumque distinctioribus. Callus humeralis flavus. Abdominis incisurae fuscae, et linea dorsalis media saepe ejusdem coloris. Alae abdomine (in exsiccata) convoluto, subcontracto, fere duplo longiores, hyalinae, immaculatae. Nervus 5tus versus 4tum per nervum angulatum et pone angulum recta recurrit, atque cum hoc nervo (4to) mox infra summum apicem alae conjungitur, angulum acutum ibi formans. Angulus ille rectus interdum nervulo inchoante appendiculatus. Pedes validi, flavi. Tarsi nigri. Femora postica subtus nigro-pubescentia.

*Obs.* PANZERI figura l. c. *Muscae conicae* repraesentat insectum: antennarum seta nuda, flava, thorace distincte cinereo-lineato, alis apice fuscis et tarsis flavis; quales notae nostrae speciei non competunt, quare de synonymo PANZERI incertus sum, de synonymo FALLENI nullo fovens dubio, quia ipsissimi typi Cel. Auctoris in museo meo adsunt. Cel. MEIGEN de antennarum seta ejusque plumatione aut nuditate omnino silet. An igitur *Musc. conica* PANZ. et *Brach. conica* MEIG. ad sequentem speciem rectius pertinent?

b) Seta antennarum subnuda s. brevissime pubescente.

**3. B. dorsata:** ferrugineo-testacea, capite testaceo-flavo, thorace distincte cinereo-vittato, abdomine supra fusco-maculato; nervo aream alarum primam terminante angulato. ♂♀.

An *Brachyopa conica* MEIG. Dipt. 3. 261. 1? *Musca conica* PANZ. Fn. 60. 20?

Hab. in floribus Salicis ad Lycksele Lapponiae Umensis et ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis 4. Jun. — 1. Jul. passim. (Lapponia — ?)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. *Brach. testaceae* valde affinis et similis, sed differt magnitudine plerumque paullo majori, colore obscuriori, thoracis dorso luculentius cinereo-bivittato, tarsis vix fuscis et praesertim seta antennarum non plumata, oculo armato tantum subpubescente, inter *Brach. bicolorem* FALL. et *testaceam* ambiens; ex his vero omnibus speciebus ambo occurrunt sexus, et similes tantum copula junguntur, nec mixtae obveniunt.

*Obs.* *Rhingia rostrata* et *campestris* ad genus proprium *Brachyopae* affine, hypostomate in conum longum horizontaliter porrectum distinctum, referendae, in Lapponia a me frustra quaesitae. *Rhing. Scaevoides* FALL. ad genus *Pelecocerum* MEIG. certiss. pertinet.

## 55. Scaeva. FABR.

FABR. PANZ. FALL. *Musca* LINN. DEG. *Syrphus* PANZ. LATR. MEIG. MACQ.

***Corpus*** majoris, mediae aut minoris magnitudinis, oblongum aut sublineare, pubescens. Antennae fronti subporrectae insertae, nutantes, articulo ultimo compresso, orbiculato aut ovali, basi seta dorsali nuda. Hypostoma infra oculos non descendens, apice vix coarctato, tuberculatum, margaritaceum. Oculi vel nudi vel hirti, semper brunnei, parum aeneo-micantes. Alae hyalinae, immaculatae, incumbentes. Nervus 4tus longitudinalis subrectus (nec ut in *Syrpho* distincte incurvatus). Nervus 5tus infra aream 2dam paullo continuatur, deinde ad nervum 4tum paullo curvatim flectitur et cum illo paullo ante apicem conjungitur. Nervus transversus ordinarius subperpendicularis. Pedes saepius simplices, tenues. *Color* nigricans, thoracis saepissime metallicus, aenescens, pictura abdominis pallide fasciata. *Motus*: volatus celerrimus, in aëre quasi pendent imagines, velocissime avolant, mox ad idem punctum lusu repetito, revertentes. *Habitatio* in floribus praesertim umbellatarum, foliis plantarum etc.; in lucis et nemoribus aërem sono pipiente aestate implent species quaedam; per partem sylvaticam et subsylvaticam Lapponiae atque inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larvae* elongatae, multiannulatae, apodae, aphidivorae. *Pupas* flavas, subpellucidas, olerum foliis et culmis adglutinatas saepe inveni. *Differentia sexus* oculis *maris* cohaerentibus et tarsis anticis interdum subdilatatis, oculis *feminae* distantibus et tarsis semper simplicibus mox detegitur. (Spec. Scand. 58, antennis rotundatis, seta nuda, hypostomate non descendente; apice aequaliter lato (a *Syrpho*), nervo 4to longitudinali subrecto, et transverso ordinario subperpendiculari (a *Milesia*), pedibus simplicibus, nec femoribus incrassatis, etc. ab affinibus dignotae, harum tantum 24 a Cel. FALL. desciptae.)

### *Sect.* 1. *Abdomine latiori, subovali, fasciis flavis saepe arcuatis, pedibus semper simplicibus. Majores, pipientes, supra terram sat alte saepissime volantes.*

A. Alarum nervus 4tus longitudinalis in disco alae paullo incurvatus. *)

**1. S. Alneti:** nigra, thorace nigro-aeneo, nitido, scutello flavicante, abdomine maculis bis tribus oppositis, mediis coëuntibus, viridibus aut pallidis, genubus flavis; antennis ovatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 38. 4. ♂♀. *Syrphus Alneti* MEIG. Dipt. 3. 310. 54. ♂♀. *Syrph. glaucius* PANZ. Fn. Germ. 59. 17. ♂. (exclus. forte syn. FABR. et LINN.)

Hab. in floribus sylvestribus, in pascuis et Juniperetis, locis saepius paludosis, umbrosis, ad Lycksele et Umenaes Lapponiae Umensis, et Muonioniska Lapponiae Tornensis, d. 22. Jun. — 17. Aug. rar. (Lapp. - Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Long fere 5 lin. Lata, abdomine exacte ovali. Antennae nigrofuscae, ovatae. Oculi nudi. Vertex feminae totus, et frons macula cordata, nigra. Hypostoma in utroque sexu tuberculo unico parvo. Abdomen atrum, in segmentis, 2do maculis 2 oblique oppositis, non coëuntibus; 3tio basi fascia recta integra, in medio emarginata; 4to fascia subarcuata, plerumque integra, interdum abbreviata, relicta tantum macula utrinque; quae signaturae in viva flavae aut virides, in mortua saepe flavae. Alae aqueae, stigmate nigricante, nervo 4to longitudinali sat distincte curvato, minus tamen quam in *Syrpho*, in quo praeterea hic nervus ante apicem, in *Scaevis* vero in ipso apice alae excurrit. Squama alba, halteres fusci. Genua anteriora sat late flava; pedes postici saepe toti nigri; tibiae anticae interdum pallidae.

**2. S. lapponica:** oculis nudis nigra, thorace nigro-aeneo, nitido, scutello flavicante, abdominis bis tribus lunulis, pedibusque, flavis, femorum basi tarsisque nigricantibus; antennis ovatis stigmateque fuscis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. abdominis lunulis flavis distinctis.

Var. b. ♀. abdomine nigro, immaculato; lunularum scilicet vix vestigio.

Hab. in floribus Salicum, in Lapponia Tornensi passim, ex. gr. ad Kihlangi, Muonioniska et Juckasjervi 21. Jun. — 21. Aug. lecta; ad Lycksele Lapponiae Umensis unicum individuum vidi. E pupa ovata inermi, opaca, albida, undique crebre nigro-strigata, culmoque adglutinata, imago egressa ad Stensele d. 4. Jul. 1832. (Lappon. Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5 lin. *Scaevae arcuatae* simillima et valde affinis, differt vero magnitudine paullo majori; femoribus basi latius nigris, alis magis pure hyalinis, et nervo 4to longit. distinctius curvato. Similis quoque *Sc. Pyrastri*, hac autem iterum paullo minor, et alis minus aqueis, thorace aeneo non caerulescenti, nec fronte elevata, ab ea dignota. Antennae fuscae. Hypostoma vitta media denudata, nigra. Vertex in ♀ lineaque

*) Clarissimus MEIGEN, Dipt. Eur. 3. p. 274. gen. 110. et 6. Add. p. 352, centum (100) species hujus generis absque omni subdivisione descripsit, quare non sine labore examinandas et inveniendas.

frontalis nigra. Abdomen nigrum, lunulis bis tribus modice latis, primo pari subrecto, pallide flavis. Segmenta analia margine testacea. Venter niger, maculis majoribus nigris, at saepe minoribus rufis. Alae subaqueae, stigmate fusco-testaceo. Squama et halteres albida. Pedes flavi, femoribus anterioribus basi, posticis fere totis, tarsisque, nigris. Metatarsus et annulus tibiarum posticarum fusci. — *Fem.* variat rar. 4 lineas longa. Lycksele.

**3. S. annulipes:** oculis hirtis aeneo-nigra, nitida, scutello, abdominis fasciis tribus, prima interrupta, pedibusque flavis, femoribus basi, tibiarum posticarum annulo, tarsisque totis, antennisque ovatis, nigris, stigmate alarum nigricante. ♂♀

Hab. in floribus sylvestribus, ex. gr. in Leontodonte, Ranunculis, Thlaspi arvensi, ad Lycksele, Tresunda et Stoettingsfjellet, Lapponiae Umensis, d. 19. Jun. — 1. Aug. rar. (Lapponia; Ostrogothia rarissime.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 - 6 lin. Affinis et similis *Scaevae tricinctae* (No. 6) sed diversa; plerumque paullo major, latior, praesertim femina, fascia abdominis prima distinctiori, nec maculiformi, ut et nervo 4to long. magis curvato, qua nota etiam a *Scaeva topiaria* (No 4) dignoscitur. Oculi hirti. Hypostomatis vitta media nigra. Macula supra antennas in ♂, vertex et frons in ♀, nigra nitida, macula laterali in fronte feminae magis alba. Fasciae abdominis subaequaliter latae, subrectae, prima interrupta, 2 et 3 postice emarginatae. Segmenta ultima margine flava. Squama pallida, halteres fusciores. Alae hyalinae, costa anguste fusco-testacea, stigmate concolore aut nigricante. Pedes testacei, femoribus basi, annulo tibiarum posticarum medio, tarsisque omnibus, nigris. — Var. rariss. abdomine nigro, fasciae 1mae vestigio bimaculiformi; collectione D. FAHRAEI.

*Obs.* *Scaeva Pyrastri* FABR. et FALL. in Svecia inferiori frequenter occurrit, vix Lapponiae incola, mihi saltem in terris septentrionalioribus non obvia.

B) Alarum nervus 4tus longitudinalis omnino rectus.

**4. S. topiaria:** oculis hirtis nigro-aenea, nitida, scutello flavo, abdomine nigro, fasciis tribus subrectis, prima interrupta, reliquis subintegris, pedibusque, luteis, femoribus basi, tibiarum posticarum annulo, tarsisque omnibus, antennisque ovatis, nigris; alarum stigmate fusco. ♀.

*Syrph. topiarius* MEIG. Dipt. 3. 305. 47? (fasciae abdominis sulphureae in nostra luteae.)

Hab. in Lapponia rarissime, unicum tantum specimen vidi, et alterum e Groenlandia a D. WESTERMANN communicatum. (Lappon. — ?)

*Fem.* 5 lin. long. Similis *Sc. Grossulariae* et *Ribesii*, sed differt a priori: paullo brevior, fasciis abdominis non omnino rectis; a posteriori: paullo major, fasciis abdominis angustioribus, antennis nigris, nec testaceis, et ab utraque: oculis hirtis, alis purius hyalinis seu vitreis, femoribus latius, et tarsis totis, nigris. Antennae subovatae fuscae. Hypostoma totum flavum. Macula supra antennas et vertex, aenea. Fasciae abdominis subrectae, angustatae. Squama albida. Halteres flavi. Stigma fuscum. Pedes flavi, anteriores: femoribus a basi ad medium, tarsisque totis nigris; postici: femoribus fere ad apicem, annulo tibiarum medio, tarsisque totis nigris.

*Obs.* Synonymon MEIGENI dubium praesertim ob magnitudinem. Femina scilicet a Cl. Auctore tantum 4 lin. long. dicitur. A Cl. MACQUART, Dipt Gall. Syrph. 94 28. insectum sub nomine *Syrph. latifasciatus* describitur, quod Cl. Vir marem sui *Syrph. topiarii* esse auspicatur.

**5. S. Ribesii:** oculis nudis nigro-aenea, scutello pallido, abdomine nigro, fasciis 3, prima interrupta, reliquis postice emarginatis, pedibusque, flavis, femoribus basi nigris, tibiarum posticarum annulo, tarsisque saepe, fuscis; antennis subovatis stigmateque testaceis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 40. 6. ♂♀. (sub qua tamen plures species latent, ut ex collectione Ejus vidi.) FABR. Antl. 248. 1. *Musca Ribesii* LINN. Fn. Sv. 1816. *Syrph. Ribesii* MEIG. Dipt. 3. 306. 49. ♂♀.

Hab. larva inter Aphides Ribis aliarumque plantarum, straminea, linea dorsali abbreviata, nigra, maculisque lateralibus griseis; imagines floribus inhiant, et nemora coelo sereno aestate aërem sono pipiente implent, ad Haparanda, Wittangi et Muonioniska, Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele Lappon. Umensis d. 10. Jun. — 17. Aug. imprimis frequentes, pupam ovatam, inermem, albam, strigis aliquot dorsalibus nigris notatam, sub lapidibus ad Haparanda et Wittangi d. 28. Maj. et 17. Jun. legi. (Lappon.-Scan. frequentissim.)

*Mas* et *Fem.* 5 lin. long. Hypostoma totum flavum. Antennae rotundatae, testaceae. Vertex ♀ aeneo-niger. Abdomen in utroque sexu nigrum, fasciis subquatuor flavis, subrectis, prima interrupta, maculiformi, 2 et 3 integris, subundulatis, seu antice posticeque in medio leviter emarginatis, 4 anali interrupta, parva; segmenta ultima leviter flavo-marginata. Venter flavus, maculis transversis nigris. Alae hyalinae, stigmate testaceo. Squama et halteres flava. Pedes flavi, femoribus basi saepissime anguste nigris, annulo tibiarum posticarum interdum, et tarsis semper, apice saltem, fuscis.

Variat pedibus fere totis flavis et fasciis abdominis latere tantum posteriori emarginatis.

*Obs.* *Scaeva Grossulariae* (Syrphus Grossulariae MEIG.) *Scaevae Ribesii* valde similis, at paullo longior, et thorace magis virescenti-aeneo, antennis obscurioribus, abdominis fasciis omnino rectis et integris, ut et pedibus fere totis testaceis distincta, in Ostrogothiae lucis vulgaris, in Lapponia a me non visa.

**6. S. tricincta:** oculis hirtis aeneo-nigra, nitida, scutello flavicante, abdomine nigro, fasciis 3 rectis, prima maculari, secunda latiori, tertia angusta, sulphureis, pedibus luteis, femoribus basi, antennis ovatis stigmateque, nigris. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 41. 9. vera. ♂♀. *Syrphus tricinctus* MEIG. Dipt. 3. 310. 53.

Var. b. ♂♀. minor, abdominis fasciarum ferrugninearum media etiam interrupta, femoribus summa basi tantum nigris.

Hab. in floribus Umbellatarum, praesertim tamen hospitatur in Caricibus et aliis plantis paludosis, ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, et ad Lycksele, Stensele et Äsele Lappon. Umensis 10. Jun. — 26. Jul. passim, deprehenditur etiam in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, et in silva betulina ad Evenas atque Alteidet 13. Jul. — 1. Aug. rarius visa. — E varietate b. specimen masculum e Tornoa a D. DEUTSCH missum, et individua feminea ad Lycksele rarius inveni. Pupa albida, supra fusco-marmorata, ovata, postice margine et dorso mucronata, e qua ♀ ad Juckasjervi d. 12. Jun. exclusa.

*Mas* et *Fem.* Long. 5 lin. Statura *Scaevae Ribesii*. Antennae rotundatae, ovatae, nigrae, seta rufescente. Hypostoma in ♂ sulphureum, in ♀ luteum, in utroque linea media nigra notatum. Frons et vertex in ♀ nigra, macula laterali albida. Scutellum in utroque sexu flavo-rufescens. Abdominis fasciae: 1ma maculis 2 transversis angustis, parvis; 2da integra, sat lata, in medio postice emarginata; 3tia angusta, saepe interrupta; omnes flavae aut citrinae. Segmenta reliqua margine plerumque anguste flava. Squama alarum testacea, halteres flavi. Stigma distincte nigrum. Pedes flavi, femoribus vix ad dimidiam partem nigris.

**7. S. lunulata:** oculis hirtis nigro-aenea, nitida, scutello aeneo-brunneo, abdomine aenescenti-nigro, bis tribus lunulis flavis subangustatis, stigmate nigricante, pedibus flavis, femoribus basi tibiarumque posticarum annulo nigris; antennis rotundatis, fuscis. ♂♀.

*Syrphus lunulatus* MEIG. Dipt. 3. 299. 39. ♂♀. *Scaeva arcuata* FALL. Dipt. Sv Syrph. 42. 11. descript. var. oculis hirtis et annulo tibiarum nigro.

Hab. in Lapponia meridionali passim; in floribus sylvestribus et Salicum marem 16 — 19 Jun. ad Lycksele frequenter vidi; feminam vero non nisi in monte alpino Brattiksfjell d. 8. Jul. observavi. Locis graminosis in inferalpinis maritimis Nordlandiae Finmarkiaeque, ex. gr. ad Giebostad et Bossekop utrumque sexum 22. Jul. — 4. Aug. haud infrequenter quoque legi. (Lappon.-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 - 5 lin. Similis *Scaevae arcuatae*, sed differt: oculis hirtis, antennis rotundatis, scutello brunneo, nec aenescenti flavo, stigmate nigriore, femoribus basi latius nigris, tibiisque posticis in medio annulatis. Hypostoma plerumque linea media nigra. Fasciae abdominis: 1ma recta, in medio late interrupta, relictis tantum maculis 2 oppositis; 2da et 3tia constant e bis duabus lunulis sursum flexis, modice latis. Alae hyalinae vel subaqueae. Squama alba. Halteres flavi. Vertex et macula supra antennas in ♀ nigra, maculis 2 obliquis, albidis. Tarsi interdum infuscati.

*Obs.* Specimen masculum, alis aqueis, e Groenlandia a D. WESTERMANN obtinui, hujus forte speciei!

**8. S. lunigera:** oculis nudis nigro-aenea, nitida, scutello flavo-aenescente, abdomine nigro, bis tribus lunulis flavis latioribus, stigmate pallido, pedibus flavis, femoribus basi, tarsorumque apice, nigris, antennis ovatis, fuscis. ♂♀.

*Syrphus luniger* MEIG. Dipt. 3. 300. 40. *Scaeva arcuata* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 42 11. var.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; locis paludosis et in floribus Salicis ad Lycksele Lapponiae Umensis 2—4. Jun. utrumque sexum legi. Femina in Dowre capta a D. BOHEMAN quoque communicata. (Lapp.-Otsrogoth., Scania pass.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et affinitas praecedentis, a qua antennis ovatis, oculis nudis, hypostomate in medio vix nigro lineato, tuberculo tantum brunneo-maculato, scutello magis flavicanti aeneo, abdominis

lunulis distinctioribus latioribus, tibiis posticis raro fusco-annulatis, stigmate alarum pallidiori, nervo 3tio et 4to minus parallelis, paullo infra apicem alae subappropinquantibus, etc. differt. Segmenta analia plerumque anguste flavo-marginata ut in priori. Macula supra antennas nigra, obsoleta, vix ulla. Alae subaqueae.

Variat *mas:* 5 lin. long., thorace caerulescenti aeneo. Similis *Sc. Pyrastri*, at paullo minor, et maculis fasciae primae abdominis minoribus, rectis, nec arcuatis, diversa.

**9. S. arcuata:** oculis nudis nigro-aenea, nitida, scutello flavo-aenescente, abdomine nigro, bis tribus lunulis flavis, modice latis, stigmate pallido, pedibus flavis, femoribus basi tarsorumque apice nigris, antennis ovatis, fuscis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 42. 11. ♂♀ *Syrph. arcuatus* MEIG. Dipt. 3. 302. 43.

Hab. in Lapponia passim; in floribus Salicis ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, rarius, d. 21. Jun.; in floribus Syngenesistarum, ex. gr Leontodontis etc. ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 2—19. Jun., frequentius; in Dowre capta, a D. BOHEMAN etiam missa; feminae semper maribus frequentiores occurrunt. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4—4½ lin. Priori simillima, nec differt ab illa, nisi abdominis lunulis angustioribus, alis magis hyalinis, et femoribus basi angustius nigris. Reliqua omnia exacte ut in praecedente. Similis etiam *Sc. Lapponicae* (No. 2), ab illa vero iterum magnitudine minori, nervoque longitudinali 4to minus incurvato praesertim et mox distinguitur. Fascia abdominis prima recta, interrupta, e maculis 2 oppositis formatur omnino ut in duabus proxime antecedentibus.

*Obs.* Pupam ovatam, opacam, inermem albidam, supra nigro-irroratam saepe inveni.

**10. S. albo-striata:** oculis hirtis nigro-aenea, nitida, scutello aenescenti-flavo, thorace vittis duabus approximatis maculaque humerali albescentibus, abdomine nigro, fasciis tribus flavis, subrectis, prima interrupta, pedibus flavis, femoribus anterioribus basi, posticisque annulo medio, stigmate antennisque ovatis, nigris. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 42. 10. certiss. ♂♀. *Syrph. albostriatus* MEIG. Dipt. 3. 317. 63.

Hab. in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele mense Junio rar.; ad Giebostad Nordlandiae uterque sexus d. 22. Jul. visus. (Lappon.-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 4 lin. long. Hypostoma linea media nigra. Thorax aeneus aut subcaerulescens, semper vittis duabus anticis, abbreviatis, albidis, licet saepe obsoletis. Scutellum flavum, disco brunneo. Macula utrinque ad scutellum flava. Abdominis fasciae: 1 interrupta; 2 et 3 postice emarginatae, interdum subinterruptae; 4ta abscondita. Segmenta analia saepe flavo-marginata. Alae subaequae stigmate nigro. Squama alba. Halteres flavi. Pedes flavi, femorum anteriorum basi, posticorum annulo medio lato, tibiarumque saepe angusto, nigris. Reliqua ut in diagnosi. — Vertex ♀ niger, maculis 2 anticis oblique oppositis, albis.

**11. S. obscura:** oculis hirtis nigro-aenea, nitida, scutello aeneo-brunneo, abdomine atro, bis tribus lunulis flavis angustis, alis basi stigmateque nigricantibus, pedibus nigris, genubus late flavis, antennis rotundatis, fuscis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. capite aeneo, pedibus nigris, geniculis flavis.

Var. b. ♂♀. hypostomate flavo, linea media nigra, pedibus aut totis nigricantibus, aut flavis, femoribus basi, tarsisque apice, fuscis.

Hab. in floribus sylvestribus et Salicum, nec non in plantis paludosis, ex. gr. in Rubo Chamaemoro etc., in Lapponia passim; var. a. praecipue ad Juckasjervi et Torneåträsk Lapponiae Tornensis, ut et ad Giebostad Nordlandiae, d. 4—22. Jul. haud infrequenter visa; var. b. tantum ad Lycksele Lappon. Umensis d. 19. Jun. rarius capta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Simillima *Scaevae lunulatae*, sed plerumque duplo minor, obscurior, praeterea abdomine atro, maculis subarcuatis, obliquis, angustis, flavis, etc. diversa. In varietate a. caput et scutellum fere tota aenea, pedes nigri, genubus tantum flavis. In var. b. antennae fuscae, hypostoma flavum, vitta media nigra; alae basi et costa nigricantes; scutellum aeneum aut aeneo-flavum; pedes aut toti nigricantes, aut genua, tibiae et tarsi flavescunt. In ceteris similes sunt hae varietates, vix specie diversae.

**12. S. tarsata:** oculis hirtis aenea, subnitida, scutello aeneo-flavicante, alarum stigmate pallido, abdomine aeneo-nigro, fasciis 3 rectis, interruptis, pedibusque flavis; femoribus summa basi tarsisque nigris, antennis rotundatis fuscis. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; ad Pello, Kihlangi et Torneåträsk Lapponiae Tornensis, ad Lycksele et in Brattiksfjell Lapponiae Umensis d. 4. Jun. — 8. Jul. obvia; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae, et ad Ofotenfjord ut et ad Giebostad 15—22. Jul. feminae lectae. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Similis *Sc. lunulatae* (No 7), differt: corpore magis aeneo, hypostomate flavo, immaculato, fasciis abdominis rectis, femoribus basi saepe angustius nigris, tarsisque totis atris. Abdomen aeneo-nigrum, segmentis: 2do macula utrinque flava; 3tio et 4to fascia in singulo recta, interrupta, ejusdem coloris, ad latera attenuata. Alae hyalinae. Reliqua ut in lunulata.

**13 S. nitidicollis:** oculis nudis, thorace aeneo, nitido, scutello stigmateque pallidis, abdomine nigro, fasciis 4 rectis, prima interrupta, reliquis postice emarginatis, pedibusque flavis, femoribus summa basi nigris, antennis rotundatis, testaceis, seta nigra. ♂♀.

*Syrphus nitidicollis* MEIG. Dipt. 3. 308. 51. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime, duo tantum specimina ibi inveni, unicum ad Lycksele d. 20. Jun. 1832, et alterum ad Bjorkvik Nordlandiae d. 14. Jul. 1821. (Lapponia; Ostrogothia rarissime.)

*Mas* et *Fem.* 4—4½ lin long. Aenea, nitida. Caput flavum, immaculatum, vertice nigro-aeneo. Antennae rotundatae, testaceae, seta nigra. Scutellum flavicans, nigro-et ferrugineo-villosum. Abdomen nudum, parum nitidum, nigrum, fasciis 4 rectis flavis, prima interrupta, reliquis postice emarginatis, omnibus marginem lateralem attingentibus. Alae vitreae, stigmate pallido. Squama et halteres pallida. Pedes flavi, coxis et femorum summa basi fuscis.

**14. S. confinis:** oculis nudis, thorace aeneo, nitido, scutello stigmateque pallidis, abdomine nigro, fasciis 3 rectis, prima interrupta reliquis postice emarginatis, pedibusque flavis, femoribus basi late, tarsisque nigris, antennis rotundatis setaque fuscis. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; duo tantum specimina, unum ad Lycksele die 25. Jun. et alterum in alpe Brattikstjell d. 8. Jul., invenire mihi contigit. (Lapponia.)

*Mas.* Praecedenti simillima eademque magnitudine; sed differt ab illa antennis fuscioribus, femoribus anterioribus a basi et fere ad medium, posticis vero ultra medium, annulo tibiarum posticarum, tarsisque omnibus, nigris. Vix prioris mas esse potest, dum Cl. MEIGEN marem *Sc. nitidicollis* feminae similem descripsit, et utrumque sexum ejusdem speciei (*S. nitidicollis*) etiam ipse inveni. Fascia abdominis 4ta adest quidem, sed saepe occulta. — Affinis quoque *Sc. tarsatae*, sed abdominis fasciae 2 et 3 non interruptae. A *Scaeva Ribesii*, cui etiam subsimilis, antennis tarsisque obscurioribus differt.

**15. S. vitripennis:** oculis nudis, thorace aeneo, nitido, scutello stigmateque pallidis, abdomine nigro, fasciis 3 rectis, prima interrupta, reliquis postice emarginatis, pedibusque flavis, femoribus anterioribus vix ad medium, posterioribus ultra medium, nigris, antennis rotundatis setaque testaceis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 3. 308. 50.

Hab. in Lapponia meridionali rar.; in floribus pratensibus, in Leontodonte, Salice etc. ad Lycksele et Åsele a me capta (Lappon.-Suecia media, Olandia rar.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 2¾—3 lin. Simillima *Sc. nitidicolli* et *confini*, sed differt ab illa femoribus basi latius nigris setaque antennarum rufa, ab hac tarsis testaceis, nec nigris, et ab utraque, magnitudine duplo minori. A *Sc. Ribesii*, cui etiam valde similis, distinguitur praecipue magnitudine minori et tarsis testaceis, non fuscis, ut et alis forte paullo magis pure hyalinis.

*Obs.* Specimina lapponica antennis paullo obscurioribus a svecicis differunt.

**16. S. Corollae:** oculis nudis aenea, nitida, scutello stigmateque alarum pallidis, abdomine nigro, fasciis 3 latis, rectis, subinterruptis, flavis, femoribus basi nigris, antennis rotundatis fuscis. ♂♀.

*Mas.*: fasciis abdominis: 1ma distincte, reliquis parum, interruptis, femoribus posticis fere totis nigris;

*Fem.*: vertice determinate nigro-aeneo, fasciis abdominis omnibus saepe interruptis, femoribus omnibus basi anguste nigris, antennis pedibusque totis flavis; in copula.

FABR. Antl 250. S. *Syrphus Corollae* MEIG. Dipt. 3. 304. 46. ♂♀. *Scaeva olitoria* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 43. 12. ♂♀. (ut *Scaeva transfuga* FABR. femineum specimen hujus a D. STURM communicatum e Germania, in collectione FALL. asservatur, vix vera.)

Hab. in floribus Leontodontis et Salicum ad Kengis et Wittangi Lapponiae Tornensis pass., ad Lycksele Lappon. Umensis frequentior, d. 7—19. Jun lecta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* 4 lin. long. A priori, cui similis, differt: paullo major, latior, fasciis abdominis latioribus maculas fere 6 magnas, rotundatas, flavas formantibus. Hypostoma flavum, tuberculo brunneo. Antennae cum seta fuscae, subtus saepe rufescentes. Fasciae abdominis, in ♂ prima semper interrupta, reliquae saepe continuae, antice posticeque emarginatae; in ♀ omnes interruptae, 2

et 3 interdum subarcuatae; segmenta analia in utroque sexu margine flava, et fascia 4ta in ♂ interdum conspicua. Venter flavus, punctis nigris. Alae hyalinae, nervis 3tio et 4to longitudinalibus infra apicem alae subappropinquantibus. Nervi areas terminantes a margine alae magis quam in affinibus speciebus remoti.

**17. S. sexmaculata**: oculis nudis aenea, abdomine nigro, fasciis 3 rectis angustioribus interruptis, scutello pedibusque flavis, tarsis posticis stigmateque alarum fuscis, antennis rotundatis, testaceis. ♀.

Hab. ad Lycksele Lapponiae Umensis rarissime, unicum tantum individuum d. 19. Jun. invenire mihi contigit. (Lapponia meridionalis.)

*Fem.* 4 lin long. Similis *Sc. Corollae*, sed fasciis abdominis angustioribus et femoribus totis flavis distincta. A *Sc. tarsata*, cui quoque affinis, oculis nudis, tarsis anterioribus antennisque testaceis aperte differt. Hypostoma flavum, apertura oris fusca. Vertex determinate aeneo-niger. Abdominis fasciae rectae subangustae, aequaliter fere interruptae. Alae hyalinae s. subvitreae. Squama et halteres flava. Pedes flavo-testacei, coxis nigris, tarsis posticis fuscis, metatarso elongato valido, subtus sericeo-pubescente.

**18. S. solitaria**: oculis hirtis aeneo-nigra, nitida, scutello brunneo, abdomine fasciis 3 rectis, angustis, interruptis pedibusque flavo-testaceis, femoribus basi anguste nigris, stigmate fusco, antennis rotundatis testaceis. ♀.

Hab. in floribus Salicis et Leontodontis ad Lycksele Lapponiae Umensis rarissime; duo tantum individua inveni. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo et similitudo praecedentis, sed certe distincta species, et differt ab illa oculis hirtis, hypostomate vitta media nigra, tarsis posticis non infuscatis etc. Frons supra antennas tota et vertex nigra, nitidissima. Scutellum aeneo-flavo-brunneum. Abdomen nigrum, fasciis 3 angustis linearibus interruptis luteis (in mortua). Segmenta analia luteo-marginata. Fascia 4ta occulta ut in plerisque. Alae hyalinae, stigmate fusco, nervis 3 et 4 parallelis. Squama et halteres pallide flava. Pedes testacei, femoribus praesertim anterioribus basi anguste nigris.

**19. S. unifasciata**: oculis nudis aenea, nitida, scutello flavo, stigmate fusco, abdomine nigro, basi maculis 2 transversis, antennis rotundatis pedibusque testaceis, posticorum femorum tibiarumque annulo medio lato, tarsisque nigricantibus. ♀.

Hab. in floribus sylvestribus, Salicis, Leontodontis etc. ad Lycksele et in alpe Brattiksfjell Lapponiae Umensis rar. d. 10. Jun. — 8. Jul. lecta; in alpe Dowre Norvegiae a D. Boheman mense Julio quoque visa. (Lapponia.)

*Fem.* Parva, vix 3 lin. long. Oculi tota facie aequaliter, ideoque inferne solito angustius, distantes, summo tamen vertice magis appropinquantes. Hypostoma flavum, linea media nigra. Antennae fuscae aut testaceae. Frons albida, macula supra antennas cordata nigra, quae linea angusta cum vertice aeneo-nigro, nitido cohaeret. Abdomen nigrum, in segmento 2do maculis 2 transversis, latera rarius attingentibus, flavis. In segmentis reliquis vix vestigium fasciae ordinariae in maculis piceo-nigris detegitur. At segmenta analia interdum flavo-marginata. Venter niger. Maculae dorsales etiam subtus translucent. Alae hyalinae, stigmate fusco. Squama et halteres flavi. Femora anteriora summa basi, et tarsi apice, plerumque nigra. Pedes postici vel nigri, genubus late tibiarumque apice flavis, vel flavi, femorum tibiarumque annulo tarsisque fuscis.

**20. S. relicta**: oculis nudis aenea, scutello flavo, antennis rotundatis, stigmateque fuscis, abdomine nigro, fasciis 3 subrectis, angustis, interruptis pedibusque flavis, femoribus anterioribus basi anguste, posticis ultra medium tarsisque omnibus apice, nigris. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, in Leontodonte, loco sylvatico ad Lycksele d. 19. Jun. unicum specimen inveni. (Lappon. meridionalis.)

*Fem.* Long. circiter 3 lin. Affinis *S. solitariae* (No 18), oculis nudis etc. ab illa distincta. Hypostoma flavum, angustum, linea media nigra. Frons et vertex ut in priori. Abdomen nigrum, nitidum, fasciis 3 angustis, subarcuatis, leviter interruptis, flavis, prima ceteris paullo latiori. Segmenta analia anguste flavo-marginata. Alae hyalinae, stigmate parum fusco. Squama et halteres flava. Pedes flavi, anteriores femoribus basi anguste, tarsisque apice nigris; postici femoribus ultra medium, tibiarum annulo medio tarsisque totis nigricantibus.

*Obs.* Species Fallenianae: *Scaeva Syrphoides*, *conopsea*, *festiva*, *bifasciata*, *glauca*, *hyalinata* et *nectarea*, in Svecia inferiori magis minus frequenter obviae, in Lapponia a me non visae. Nec *S. Grossulariae* Meig. in Lapponia observavi (Vid. not. sub *Scaeva Ribesii* No 5).

***Sect. 2. Abdomine angusto, lineari, fasciis abdominis semper rectis, tarsis interdum incrassatis aut dilatatis. Minores, vix pipientes, juxta terram plerumque volantes. Oculi nudi.***

a) Scutello flavo. Tarsi simplices. Hypostoma album aut flavum. Antennae rotundatae. Loca arida praesertim amantes.

° Ano in utroque sexu simplici.

**21. S. Umbellatarum**: nigra, hypostomate albo, linea media nigra, scutello abdominisque maculis bis tribus rectis, albidis, pedibus fuscis, genubus pallidis. ♂♀.

Fabr. Antl. 250. 9. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 44. 15. ♂♀. *Syrphus Umbellatar.* Meig. Dipt. 3. 320. 68. ♂♀.

Hab. in Lapponiae meridionalis floribus rarius; ad Lycksele et Asele 19. Jun. — 26. Jul. praesertim legi. Mas e Tornoa a D. Deutsch communicatus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Antennae et seta nigrae, rarius fuscae. Caput album, linea hypostomatis media, macula supra antennas et vertex, nigra. Pleurae albo-villosae. Abdomen nigrum, maculis utrinque 3 oppositis, subquadratis, albis, fascias totidem interruptas formantibus; fascia 4ta plerumque abscondita. Segmenta analia pallide marginata. Alae hyalinae, stigmate parum infuscato. Squama alba. Halteres flavi. Pedes vel nigri, vel fusci, genubus saltem anterioribus pallidis, femoribus posticis interdum in mare etiam basi pallidis.

Var. b. ♀ fasciis abdominis glaucis, alias var. a. simillima; in Gamattind Finmarkiae d. 30 Jul. 1821 unicum specimen inveni.

**22. S. guttata**: nigra, hypostomate immaculato, albo, thoracis aenei limbo, scutello, abdominis maculis bis tribus rectis, femoribus basi genubusque albis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Syrph. 44. 16. ♂♀. *Syrphus guttatus* Meig. Dipt. 3. 322. 71. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Wilhelmina Lapponiae Umensis unicum par d. 15. Jul. inveni. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Priori minor, praesertim multo angustior, circiter 3 lin. longa, ei alias sat similis et affinis. Antennae cum seta nigrae. Hypostoma album, immaculatum. Frons flava. Vertex in ♀ aeneus, maculaque acuminata fronti flavae intrans quoque aenea. Thorax dorso aeneus, nitidissimus, linea utrinque laterali, scutello et macula ad scutellum, albis. Pleurae cinereae, albo-villosae. Abdomen atrum, opacum, ut in priori pictum. Alae etiam ut in illa. Pedes ut in diagnosi; antici fere toti albidi.

**23. S. arctica**: nigra, hypostomate scutelloque albo-caerulescentibus, thorace aeneo, abdominis maculis bis tribus ovatis, transversis, flavis, genubus pallidis. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Giebostad, ubi d. 22. Jul. rarius visa. (Lapponia.)

*Mas.* Statura et affinitas *Sc. Umbellatarum*, paullo minor. Hypostoma latum, nitidum, albo-caerulescenti micans. Antennae cum seta nigrae. Thorax aeneus. Scutellum album, caeruleo-micans. Abdomen atrum, opacum, maculis utrinque 3 transversis, ovalibus, primi paris minoribus vel minutis, flavis aut luteis. Segmenta analia anguste flavo-marginata. Alae ut in *Sc. Umbellatarum.* Squama albida. Halteres fusci. Pedes nigri, geniculis anterioribus anguste pallidis.

**24. S. cincta**: thorace aeneo, hypostomate scutelloque pallidis, abdomine nigro, fasciis 4 rectis, prima interrupta, pedibusque, flavis, posticorum annulo femorali tarsisque, nigris, antennis testaceis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Syrph. 45. 18. ♂♀. *Syrph. cinctus* Meig. Dipt. 3. 318. 65. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali passim; ad Wilhelmina, Almsele et Fredrica, Lapponiae Umensis, d. 19 - 30. Jul. capta. Pupa pisiformis, inermis, albida. Imagines egressae mense Julio. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* 4 lin long. Affinis et similis *Scaevae Grossulariae, nitidicolli* et *vitripenni*, abdomine tamen lineari, angusto, mox ab illis dignota. Hypostoma flavum, immaculatum. Macula supra antennas et feminae vertex, nigra. Antennae testaceae, superne plerumque fuscae. Abdominis fasciae 4 flavae, rectissimae, latae, integrae, prima interrupta. Pedes flavi, anteriores femoribus aut concoloribus, aut annulo basali nigro; postici aut flavi, femorum tibiarumque annulo tarsisque nigris, aut nigri, coxis femorumque basi flavis, et haec posterior varietas *Syrphus auricollis* Meig. Dipt. 3. 318. 64 esse videtur.

**25. S. annulata**: thorace aeneo, hypostomate flavo, linea media nigra, antennis testaceis, scutello pallido, abdomine

nigro; fasciis 3 rectis, prima interrupta, pedibusque flavis, femorum posticorum annulo nigro. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in frutice ad Wilhelmina Lapponiae Umensis duo specimina d. 19. Jul 1832 detegere mihi contigit. (Lapponia Suecica; Gottlandia; Scania rar.)

*Fem.* Priori valde similis, sed duplo fere minor, hypostomatis linea media nigra, fasciis abdominis angustioribus, coxis nigris, nec flavis, etc. certe distincta. Oculi aequaliter distantes. Macula supra antennas et vertex (in ♀ linea conjuncta, aerea, nitidissima. Scutellum flavum. Abdomen nigrum, fasciis 3 rectis, angustatis, prima integra, luteo-flavis. Segmenta analia etiam distincte flavo-marginata. Alae subvitreae, stigmate subpallido. Halteres et squama flava. Pedes flavi, postici femoribus apice distincte, annulo tibiarum medio obsoleto, tarsisque saepe, fuscis. Coxae omnes nigrae.

**26. S. barbifrons:** atra, nigro-villosa, antennis orbiculatis, concoloribus, scutello livido, abdomine maculis 4 flavis, pedibus fuscis. ♂

Fall. Dipt. Sv. Syrph. 45. 17. ♂♀. *Syrphus barbifrons* Meig. Dipt. 3. 338. 95. ♂. (qui diagnosin et descriptionem a Falleno datas exscripsit, specie ipsi ignota.)

Hab. in Lapponia rarissime, 2 tantum individua inveni, unum in floribus Salicis ad Calix Botniae borealis d. 16. Maj., et alterum ad Karesuando Lapponiae Tornensis d. 15. Aug. (Lapponia Suecica; Botnia borealis; Scan. rariss.)

*Mas.* Magnitudo et affinitas *Scaevae ambiguae* (infra No 38). Species tamen distincta, pulchra. Parum nitida, nigra. Caput aeneo-nigrum, supra antennas imprimis distincte villosum. Antennae breves, nudae. Scutellum livido-nigrum. Maculae abdominis 4 parvae, subtransversae, albido-flavae, in segmentis 3 et 4 locatae. Alae hyalinae, stigmate fusco, geniculis pallidioribus, metatarso postico elongato subcrassiori.

°° Ano in mare subclavato, genitali penicillato; alis abdomine brevioribus. Abdomen in ♂ longum, cylindraceum, in ♀ depressum, lineare. Antennarum articulus ultimus in utroque sexu suborbicularis. Parvae; forte proprii generis *Sphaerophoria* St.-Farg. et Serv. Macq.

**27. S. taeniata:** aenea, abdomine nigro, fasciis 4 integris, hypostomate, thoracis lateribus, scutello pedibusque pallide flavis, antennis testaceis, seta nigra. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus totis flavis.

*Syrphus taeniatus* Meig. Dipt. 3. 325. 74. ♂♀. *Scaeva Menthastri* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 48. 24. ♂♀. Var. (Sub *Musca scripta* Linn. Fn. Sv. 1820. sine dubio etiam latet haec species, quae per totam Sueciam vulgatissima est, dum *Syrphus scriptus* rarius in Suecia occurrit.)

Var. b. ♂. coxis, femoribus basi, tarsis posticis, tuberculo hypostomatis, et peristomate, fusco-brunneis.

Hab. in Lapponia; var. a. ad Lycksele Åsele et in Stoettingsfjellet Lapponiae Umensis, vulgaris, ad Kengis et Torneå, D. Deutsch passim, ad Evenäs Nordlandiae et Bossekop Finmarkiae, ipse, frequenter; d. 2. Jun. — 8. Aug. in copula saepe capta. E pupa pyriformi, inermi, nitida, alba, foliis plantarum adglutinata, imago d. 6. Aug. exclusa. Var. b. in Lapponia Tornensi et subalpina ad lacum Kilpisjaur a D. Frigelio rarissime lecta. (Lapp.-Scan. var. a. frequent)

*Mas* et *Fem.* 3–4 lin. long. Femina mare plerumque brevior. Oculi brunnei. Antennae rotundatae, flavo-testaceae. Hypostoma distincte tuberculatum, pallide flavum, nitidum, vertice (in ♀) et linea antica frontali, nigris, nitidissimis. Thorax nigro-aeneus, linea laterali, maculis pectoris scutelloque pallide flavis. Abdomen nigrum, fasciis 4 rectis integris, testaceis, in ♂ latioribus, ultima irregulari, in ♀ angustis, ultima interrupta. Alae hyalinae, squama et halteribus flavis. Pedes flavi, in ♀ toti cum coxis pallidi, in ♂ coxis et interdum femorum summa basi (in var. b) nigris. Anus maris clavatus, testaceus, supra nigro-maculatus. — Larvae ex aphidibus nutrimentum hauriunt. Status puparum 10–20 dies manet.

**28. S. scripta:** aenea, abdomine nigro, fasciis 4, prima interrupta, hypostomate, thoracis lateribus, scutello, pedibusque, pallide flavis, antennis testaceis, seta nigra. ♂♀.

Fabr. Antl. 252. 17. *Musca scripta* Linn. Fn. Sv. 1820? *Syrphus scriptus* Meig. Dipt. 3. 324. 73. ♂♀. (solito major). *Scaeva Menthastri* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 48. 24. ♂♀. var.

Hab. in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele, rarissime; e Tornoa a D. Deutsch specimen femineum quoque missum. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Priori ut ovum ovo simillima, etiam quoad magnitudinem varians; differt tantum ab illa abdominis fascia prima interrupta

**29. S. Melissae:** aenea, abdomine nigro, fasciis 4 interruptis, hypostomate medio nigro-lineato, thoracis lateribus, scutello pedibusque flavis, antennis testaceis, seta nigra. ♂♀.

*Syrphus Melissae* Meig. Dipt. 3. 326. 76. ♂♀. *Scaeva Menthastri* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 42. 24. ♂♀. var.

Hab. in Lapponia meridionali rar. ad Wilhelmina et Åsele d. 15–26. Jul. capta; in Betula ad Evenäs Nordlandiae Norvegicae d. 18. Jul. rar. (Lapp.-Scan. passim.)

*Mas* et *Fem.* Praecedentibus iterum simillima, plerumque paullo minor, circiter 3 lineas longa, ut et abdominis fasciis omnibus interruptis hypostomatisque vitta media nigra, ab illis distincta.

*Obs.* *Scaeva menthastri* Fall. var. a (*Musca menthastri* Linn. Fn. *Syrphus* idem Meig.), similis *Scaevae Melissae*, a qua vix differt, nisi abdominis fascia secunda integra, reliquis interruptis, in Lapponia a me frustra quaesita.

b) Scutello et hypostomate thorace saepissime aeneo-concoloribus. Thorax nitidus. Antennae rotundatae aut subovatae. Lucis paludosis plerumque versantur imagines.

† Tarsi marium incrassati aut dilatati. An proprii generis?

**30. S. peltata:** aenea, abdomine atro, maculis bis tribus subquadratis luteis, antennis pedibusque nigris, geniculis flavis, in mare metatarsis, antico dilatato, albo, postico modice incrassato, nigro. ♂♀.

*Syrphus peltatus* Meig. Dipt. 3. 334. 89. ♂♀. *Scaeva albimana* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 46. 19. var.

Hab. in Lapponia rarius; ad novaccolum Umenaes Lapponiae Umensis d. 3. Jul. lecta; ad Calix prope Tornoam quoque visa. (Lapp.-Botnia boreal. pass.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4–4½ lin. Caput aeneum. Hypostoma modice extensum, nigro-tuberculatum. Antennae subovatae, fuscae, subtus testaceae. Alae fusco-hyalinae. Squama et halteres testacea. Pedes: in *mare* nigricantes, geniculis omnibus tibiisque anterioribus fusco-testaceis, tarsis anterioribus albis, metatarsis antico dilatato, albo, intermedio simplici, nigro, postico elongato, incrassato, nigro; femora antica extus nigro-villosa; in *femina* lutei, simplices; postici femorum tibiarumque annulo tarsisque nigris. — Macula supra antennas et vertex feminae, aenea, nitida.

**31. S. clypeata:** aenea, abdomine atro, maculis bis quatuor aut tribus quadratis pedibusque luteis, posticorum femorum tibiarumque annulo nigro; tibiis tarsisque anticis in mare dilatatis, flavo-albidis ♂♀.

*Syrph. clypeatus* Meig. Dipt. 3. 335. 90. ♂♀. *Scaeva albimana* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 46. 19 var.

Hab. in Lapponia passim; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis rar.; locis autem paludosis ad Wilhelmina et Lycksele Lapponiae Umensis, frequentius d. 15. Jun. — 17. Jul., in copula saepe capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo fere praecedentis eique similis, sed differt hypostomate aeneo albido-pollinoso, antennis totis nigris, abdominis maculis 8 luteis, pedibus pallidioribus et in utroque sexu similiter pictis, ut et tibiis tarsisque totis in ♂ dilatatis, albidis. Metatarsus posticus in ♂ incrassatus tarsorumque 2 ultimi articuli in utroque sexu, nigri. — E Svecia interiori haec species saepe maculis tantum bis tribus, basalibus minoribus, gaudet, qualis a Cl. Meigen describitur. In Lapponia haec varietas, ubi anus aeneus est, passim occurrit.

**32. S. podagrata:** aenea, abdomine atro, maculis bis tribus quadratis pedibusque anterioribus luteis, femoribus latere postico, posticisque totis, nigris, geniculis flavis, tibiis tarsisque anterioribus dilatatis, flavo-albidis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele mense Junio lecta. (Lapponia.)

*Mas.* Magnitudo *Sc. clypeatae*, vel paullo minor, ei affinis et varietati ejus b. simillima, sed differt abdomine angustiori, tibiis anticis valde dilatatis, praesertim versus apicem, et pedibus obscurioribus, scilicet posticis totis nigris, geniculis tantum leviter testaceis.

**33. S. manicata:** pallide aenea, parum nitida, hypostomate extenso concolore, abdomine maris atro, feminae aeneo, maculis in utroque sexu bis tribus aut quatuor luteis, pedibus nigris, geniculis flavis, articulis 2 primis tarsorum anticorum in mare dilatatis depressis, albis, nigro-punctatis. ♂♀.

*Syrphus manicatus* Meig. Dipt. 3. 336. 91. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim rar.; ad Stor-Uman Lapponiae Umensis d. 6. Jul. ♀ lecta, e Tornoa a D. Deutsch missa; deprehenditur quoque in Norvegia, et ad Björkvik Nordlandiae atque Bossekop Finmarkiae 14. Jul. — 5. Aug. capta; ad Kilpisjaur a D. Frigelio visa, et in floribus ad Ruse et Drivstuen Dowreensem a D. Boheman inventa. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo *Sc. peltatae* eique similis, differt hypostomate longius et fere conice extenso, antennis totis nigris, pedibus, in utroque sexu similiter, coloratis obscurioribus, et metatarsis maris, antico articuloque ei proximo albis, posticoque valde incrassato, subovato.

**34. S. rostrata:** caerulescenti aenea, nitida, hypostomate extenso concolore, abdomine atro, maculis bis tribus pedibusque albis, horum posticis fuscis, geniculis pallidis, articulis duobus primis tarsorum anticorum in mare dilatatis, depressis, albis. ♂.

Hab. ad Lycksele Lapponiae Umensis rarissime. (Lappon.-Scania ad villam Abusae, ubi specimen unicum femineum hujus speciei tarsis simplicibus detexi.)

*Mas.* Priori similis, paullo minor, magis nitida, et colore corporis caerulescenti-aeneo, alis magis pure hyalinis, abdominis maculis pedibusque albidioribus etc. distincta. Hypostoma conice extensum, aeneo-caerulescenti micans, albo-pollinosum, tuberculis (et feminae vertice) nigricantibus. Antennae nigrae. Anus aeneus. Pedes anteriores albidi, femoribus latere postico nigricante et in ♂ nigro-villoso, tarsis anticis articulis 2 dilatatis non nigro-punctatis; postici nigricantes, geniculis albidis, metatarso modice incrassato. Reliqua ut in diagnosi.

**35. S. albimana:** aenea aut subcaerulescens, nitida, abdomine nigro, maculis bis tribus aut quatuor glaucis aut aeneis, tibiis tarsisque anticis albis, in mare dilatatis. ♂♀.

FABR. Antl. 253. 23. ♂. FALL. Dipt. Sv. Syrph. 46. 19. ♂♀. *Syrph. albimanus* MEIG. Dipt 3. 333. 87. ♂♀.

Hab. passim in Lapponia; e Tornoa ♀ a D. DEUTSCH missa, utrumque sexum ad Wilhelmina Lapponiae Umensis ipse legi; ad Ofotenfjord Nordlandiae quoque visa; d. 15—20. Jul. capta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo prioris. Hypostoma modice extensum. Antennae ovatae, nigrae. Maculae abdominis in utroque latere plerumque 3 (rarius 2), subquadratae, in ♂ saepius aeneae, interdum glaucae, aut luteae; in ♀ glaucae. Anus ♂ aeneus et halteres fusci, squama alba. In ♀ squama et halteres albida. Pedes nigri, anteriores magis vel minus albescunt, tarsis anticis geniculisque omnibus semper albis. A priori differt tibiis anticis versus apicem incrassatis et metatarso postico minus crasso.

**36. S. Ocymi:** nigro-aenea, nitida, abdomine rufo, apice nigro, pedibus aut nigris, geniculis luteis, aut luteis, tarsis semper nigris, his anticis in mare dilatatis ♂♀.

*Mas:* abdomen rufo-luteum, apice nigrum. Alae nigricantes. Pedes nigri, geniculis anterioribus, tibiisque posticis basi, luteis, metatarso antico incrassato, apice uno latere longe dilatato;

*Fem.:* abdomen rufo-luteum, apice nigro-fasciatum. Alae fusco-hyalinae. Pedes lutei, coxis, annulo tibiarum posticarum tarsisque omnibus nigris, simplicibus.

FABR. Antl. 252. 18 certe. ♂♀. FALL. Dipt. Sv. Syrph. 48. 23. vera. ♂♀. *Syrphus Ocymi* PANZ. Fn. 82. 18. ♀. MEIG. Dipt. 3. 337. 93. ♀. *Syrphus lobatus* MEIG. Dipt. 3. 336. 92. certe ♂. *Musca brassicaria* PANZ. Fn. 20. fig. 20. marem hujus speciei etiam repraesentat, licet oculi in figura distent.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in paludibus graminosis ad Tresunda et Naestansjö Lapponiae Umensis 12—13. Jul. uterque sexus visus. (Lappon.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Hypostoma modice extensum, distincte tuberculatum. Antennae nigrae, apice oblique subtruncatae. Vertex et scutellum in ♀ saepe caerulescentia. Abdomen in utroque sexu depressum, aequaliter fere latum, posterius sublatius, totum rufum, basi apiceque nigrum, segmentis ultimis in ♀ rufo-fasciatis. Alae et pedes ut in diagnosi. Squama et halteres pallida.

†† Tarsi in utroque sexu simplices.

**37. S. transfuga:** subcaerulescenti-aenea, nitida, abdomine atro, maculis bis tribus albidis, pedibus sordide albis, posticis nigris, geniculis pallidis. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; individuum unicum masculum ad Muonioniska Lapponiae Tornensis 17 Aug., et unicum femineum ad Lycksele Lapponiae Umensis 10. Jun. capta. E pupa pyriformi, curvata, nuda, inermi, opaca, sordide albida, strigis dorsalibus et punctis lateralibus obsita, foliis Pini abietis adglutinata, mas etiam egressus ad Haparanda d. 20. Maj. (Lappon.-Botnia borealis.)

*Mas* et *Fem.* 4 lin. long. Affinis *Scaevae Umbellatarum*, scutelli colore etc. ab illa bene distincta. Hypostoma modice extensum, in ♂ caerulescens, in ♀ aeneum, in utroque sexu albo-pollinosum, in ♀ praeterea macula supra antennas et vertice aeneo-nigris, nitidissimis. Antennae fuscae. Thorax in ♀ nigricans. Maculae abdominis albae subrotundatae, in ♀ deorsum subarcuatae; 4tum par macularum occultum. Alae in utroque sexu hyalinae, squama et halteribus albidis. Pedes sordide albidi, maculis hinc inde fuscis; postici nigricantes, genubus in utroque sexu et femorum basi in ♀ albis.

**38. S. ambigua:** caerulescenti aenea, nitida, abdomine nigro-violaceo, in femina immaculato, in mare maculis bis tribus glaucescentibus, antennis in utroque sexu oblongis, fuscis, pedibus sordide albidis, posticis nigricantibus, geniculis pallidis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 47. 21. ♀.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime, unicumque par tantum a me captum; e Groenlandia ♀ a D. WESTERMANN quoque missa. (Lappon.-Ostrogothia; Scan. rariss.).

*Mas* et *Fem.* 3—$3^1$ lin. long. Valde affinis et similis *Sc. albimanae*, sed maris tarsis anticis simplicibus, et feminae abdomine immaculato, nec non utriusque sexus antennis longioribus, ab illa mox dignota, et certe distincta species, a D. MEIGEN omissa. Caput ut in priori. Abdomen maris ut in *Sc. albimana* constructum et pictum, sed fere adhuc paullo angustius. Alae hyalinae. Squama et halteres pallida. Pedes anteriores sordide albidi, postici nigricantes aut fusci geniculis in utroque sexu et femorum basi in ♀ albidis. Tarsi postici subincrassati.

**39. S. nitidula:** nigro-aenea, nitidissima, hypostomate utrinque pallido, abdomine atro, nudo, fasciis tribus interruptis, angustis, flavis, antennis orbiculatis pedibusque nigris, geniculis luteis. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; ad Lycksele mense Junio detecta. (Lapponia; Hernösand, Angermannia d. 20. Maj.; Ostrogoth. rarissime.)

*Fem.* Long. 4 lin. Proportione longitudinis sat robusta, tota subglabra, nitidissima. Ab affinibus hujus subdivisionis distinguitur hypostomatis aenei lateribus flavis, antennis magis orbiculatis, abdominisque fasciis rectis determinatis ad latera usque extensis. Hypostomatis tuberculati vitta media nigra. Frons transversim unisulcata et vertex nigro-aenea. Abdomen nigrum, fasciis 3 interruptis, flavis, in segmentis 2, 3 et 4 locatis; reliqua segmenta immaculata. Alae hyalinae, stigmate fusco, nervo aream primam terminante distincte flexo. Squama alba. Halteres citrini. Pedes nigri, geniculis summis fusco-testaceis.

**40. S. mellina:** nigro-aenea, nitida, abdomine nigro, maculis bis tribus aut quatuor flavis, pedibus testaceis, posticis nigris, geniculis pallidis, antennis ovatis, fuscis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 46. 20. certe. ♂♀. FABR. Antl. 251. 12 ♀. *Musca mellina* LINN. Fn. Sv. 1821. (vera, et propter descriptionem optime convenientem, et frequentiam speciei in Suecia) *Syrphus mellarius* MEIG. Dipt. 3 328. 81? forte etiam *Syrphus melliturgus* MEIG. Dipt. 3. 329. 82? nec *Syrphus clypeatum* MEIG. Dipt. 3. 335. 90. ♀. a nostra distinguere possum. At *Syrphus mellinus* MEIG. l. c. 331. 85. ad *Scaevam Rosarum* FALL. pertinet.

Hab. in Lapponia haud raro; mares ad aquas Lyckselenses d 23. Jun. frequenter vidi; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis passim; deprehenditur quoque in interalpinis Nordlandiae et in foliis Betulae atque floribus Salicum locis paludosis ad Evenäs et Giebostad capta; usque ad 27. Aug. vigens; etiam in alpe Dowre a D. BOHEMAN, et in alpinum Tornensium jugo a me capta. (Lappon.-Scan. frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* 3 lin. long. Angusta, aenea, nitida, glabriuscula. Hypostoma parum prominens, tuberculatum, lateribus in bene conservatis speciminibus subpollinosum. Abdomen lineare, nigrum, maculis flavis, in *mare* plerumque utrinque tribus, subquadratis, latis, cruce duplici nigra distinctis, mediis majoribus, omnibus saepe perspicuis, interdum obsoletis minoribus; in *femina* utrinque tribus aut quatuor, rotundatis aut triangularibus, minoribus, praesertim prima et ultima, quae interdum obsoletae. Alae hyalinae, in ♂ saepe fusciores, nervo aream primam terminante in nervum 4tum recta excurrente. Squama et halteres flava. Pedes aut toti fusci geniculis pallidis, aut anteriores testacei et postici nigricantes, geniculis flavis.

**41. S. scalaris:** nigro-aenea, nitida, abdomine nigro, maculis bis tribus aut quatuor pedibusque totis, flavis, antennis ovatis, fuscis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus fere totis flavis.

FABR. Antl. 252. 14. ♂. *Syrphus scalaris* PANZ. Fn. 45. 20. certe. ♂. MEIG. Dipt. 3. 330. 83. ♂♀. *Scaeva mellina* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 46. 20. var. β. ♀.

Var. b. ♂♀. pedibus flavis, posticis femorum tibiarumque annulo tarsisque totis, nigricantibus (abdominis maculis utrinque plerumque 4.)

Hab. var. a. in graminosis paludosis ad Wilhelmina et Åsele Lapponiae Umensis 19—26. Jul. vulgaris, femina praesertim frequenter, eaque etiam a D. DEUTSCH e Tornoa

missa; var. b. ad Naestansjo, Wilhelmina et Fredrica Lapponiae Umensis cum var. a. capta, 13 29. Jul. femina semper frequentior; mas hujus var. b. e Tornoa ab eodem D. DEUTSCH communicatus. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo prioris eique simillima et vix ab illa differt nisi pedibus totis flavis, coxis solum nigris. Maculae abdominis flavae oppositae variant, in ♂ plerumque 3 utrinque, subquadratae, cruribus duabus contiguis discretae, media major; in ♀, 2, 3 aut 4, minores, trigonae, luteae, mediae interdum sat elongatae. Tarsi apice fusci. Tibiarum posticarum annulus saepe infuscatus. Praeterea variat paullo pedum pictura, ut in diagnosibus indicatum. Antennae subtus saepe flavescentes.

Variat quoque, uti praecedens, fere duplo minor, angustior; an *Syrphus minutus* MACQ. Dipt. Gall. Syrph. 86. 13?

**42. S. dubia:** nigro-aenea, interdum caerulescenti micans, nitida, abdomine concolore subimmaculato, antennis ovatis pedibusque nigricantibus, geniculis pallidis. ♀.

Var. a. ♀. abdomine immaculato, pedibus anterioribus aut nigricantibus, aut fusco-testaceis, aut flavis.

Var. b. ♀. abdomine punctis 2 in segmento tertio rufis, pedibus ut in var. a.

*Scaeva mellina* FALL. Dipt Sv. Syrph. 46. 20. var. γ. ♀.

Hab. in Lapponia passim; var. a. in floribus Salicum ad Kengis et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, nec non juxta aquas in graminosis ad Lycksele, Åsele et Fredrica, Lapponiae Umensis, d. 13. Jun. — 22. Aug. inveni; varietatem b. non nisi rarissime ad aquas Lyckselenses et ad Alten Finmarkiae, d. 13. Jun. et 8. Aug. vidi. Marem invenire mihi non contigit. (Lapp.-Scan. var. a. rariss.)

*Fem.* Magnitudo et affinitas *Scaevae mellinae*, a qua tamen abdomine immaculato differt. Similis etiam *Sc. ambiguae*, sed antennis latioribus, colore corporis aeneo, parum caerulescenti micante, pedibus plerumque obscurioribus, nec femoribus posticis basi albidis, ab illa distincta.

*Obs.* *Scaeva Rosarum* FALL. et FABR. (seu *Syrphus noctilucus* PANZ. Fn. 72. 24. ♂ oculis immerito distantibus —. *Cheilosia Rosarum* PANZ. Fn. 108. 14. ♀. *Syrphus Rosarum* MEIG. Dipt. 3. 338. 94. an etiam *Syrph. mellinus* MEIG. l. c. 331. 85?), in Suecia inferiori rarius, in Lapponia vix occurrit.

---

## 56. Pelecocera. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 111. *Rhingia* FALL. *Brachyopa* MEIG.

*Corpus* parvum, angustum, scaeviforme, glabriusculum, nitidum. Antennae fronti parum prominenti insertae, breves, articulo ultimo magno orbiculari, seta dorsali brevi, deflexa. Oculi magni. Hypostoma infra oculos subconice descendens, parum tuberculatum. Alae et pedes ut in Scaeva. *Color* niger, pictura flavo-fasciata. *Motus* Scaevae. *Habitatio* in paludosis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*: *mas*: oculis supra antennas angulo appropinquantibus (non cohaerentibus), et sulculo frontali transverso; *femina*: oculis paullo latius et in fronte aequaliter distantibus. (Spec. Scand. 2, antennis patellatis, seta breviori et crassiori, hypostomate longius descendente, oculis majoribus, exsertis, in utroque sexu distantibus, a *Scaeva*, cui proximae, dignoscendae.)

**1. P. Scaevoides:** nigro-aenea, abdomine obscuro, fasciis 3 subinterruptis, antennis subtus, pedibusque pallide flavis, posticis femorum tibiarumque annulo tarsisque fuscis. ♂.

*Rhingia Scaevoides* FALL. Dipt. Sv. Syrph. 35. 5. ♀. *Brachyopa Scaevoides* MEIG. Dipt. 3. 263. 5.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Stensele Lapponiae Umensis d. 3. Jul. unicum specimen detegere mihi contigit. (Lapponia; Ostrogothia ♀. rariss.)

*Mas.* 2 lin. long. A *Brachyopa* differt fronte minus prominente, hypostomateque longius et conice descendente. *Scaevae scalari* similis, sed minor et genere certe distincta. Hypostoma laeve, album, linea media fusca, obsoleta. Antennae flavae, supra fuscae, seta in medio dorsi, nigra. Vertex niger. Thorax et scutellum aeneo-nigra. Pectus albo-micans. Abdomen fuscum, maculis bis tribus majoribus, flavis, in fundo fusco parum perspicuis. Anus niger. Alae hyalinae, metallice nitentes. Nervi ut in *Scaeva* directi. Squama parva, albida. Halteres flavi. Pedes simplices, ut in diagnosi colorati. — Femina mari similis, oculis aequaliter distantibus dignota, in Lapponia mihi non obvia; in Ostrogothia a me tantum semel lecta, quod specimen ipsissimum typus fuit descriptionis Fallenianae hujus speciei.

*Obs.* Altera species seu *Pelecocera tricincta* MEIG. Dipt. 3. 340. 1. ♀. huic supra descriptae quidem similis, sed paullo major (3 lin. long.) et aperte differt seta antennarum breviori, crassiori, fere in apice antennae sita, ut et fasciis abdominis distinctioribus. Haec pulchra et singularis species in floribus sylvestribus, ut Potentilla, Hieracio etc. juxta paludes in Gottlandia habitat, ibique uterque ejus sexus a me mense Julio 1819 captus. Eam vero praeterea nec in Lapponia, nec in reliqua Scandinavia observavi.

## 57. Eristalis. FABR.

FABR. Antl. FALL. *Musca* LINN. *Syrphus* PANZ. LATR. MEIG. (*Cheilosia* MEIG. olim.)

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, oblongum, nitidum, villosum aut subpubescens. Antennae fronti prominenti insertae, articulo ultimo suborbiculari, rarissime ovato, seta dorsali nuda. Frons supra antennas fovea parva. Hypostoma infra oculos descendens, tuberculatum. Oculi obscure brunnei, in ♂ saltem hirsuti. Scutellum apice immarginato, piloso. Abdomen rectum. Alae ut in *Scaeva*. Pedes validi, simplices, metatarso postico subcrassiori. *Color* niger vel olivaceus, pictura rarissime fasciata. *Motus*: volatus celerrimus; quaedam tamen species tardius se movent. *Habitatio* in floribus; per partem sylvaticam et subsylvaticam Lapponiae atque inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque, in alpes nivales interdum quoque adscendens. *Larvae* aut e succo destillante arborum nutrimentum hauriunt, aut in terra uliginosa degunt. Alia igitur vivendi ratione, quam Scaevarum larvae aphidivorae, utuntur *Eristales*. *Differentia sexus*; *mas*: oculis saepissime cohaerentibus; *femina*: distantibus. (Spec. Scand. 28, a *Volucella*: seta antennarum nuda (nec plumata); a *Syrpho*: nervo 4to longitudinali recto (nec incurvato); a *Milesia*: nervulo transverso ordinario recto, subperpendiculari (nec obliquo); a *Scaeva*: hypostomate infra oculos descendente; et ab omnibus suae Familiae fronte supra antennas foveolata, praecipue dignoscendae.)

a) *Discolores*: corpore plus minus picto, nec toto nigro. Oculi in ♂ cohaerentes, in ♀ distantes, in utroque sexu (in nostris) hirti.

**1. E. Lucorum:** aeneo-nigra, thorace luteo-hirsuto, hypostomate medio nigro-vittato, scutello abdominisque basi geniculisque albidis, alarum macula dimidiata antennisque ovatis, nigris. ♂♀.

FABR. Antl. 241. 37. ♀. FALL. Dipt. Sv. Syrph. 50. 1. ♀. *Musca lucorum* LINN. Fn. Sv. 1803. ♀. *Syrphus lucorum* MEIG. Dipt. 3. 313. 58 ♂♀.

Hab. in floribus Umbellatarum et Syngenesistarum in Lapponia sylvatica meridionali rarius, ad Wilhelmina, Åsele et Lycksele, Lapponiae Umensis, d. 20. Jul. — 10. Aug. pauca specimina feminea, nullum vero masculum, vidi; utrumque autem sexum, in floribus Geranii sylvatici ad Rüse et Drivstuen Norvegiae mense Junio et Julio captum, invenit mihique communicavit Nob. BOHEMAN. (Lapp.-Scan. rar., mas rarissimus.)

*Mas.* et *Fem.* 4½ — 5 lin. long. Caput albidum, hypostomatis linea denudata et puncto stemmatum in vertice nigris. Abdomen caerulescenti nigrum, basi fascia alba, in ♀ linea media acuminata angusta, abrupta, in ♂ vitta latiori, nigris, interrupta. Alae hyalinae, macula a costa ad medium disci nigra. Squama et halteres fusca. Pedes nigri, genubus albidis.

**2. E. ruficornis:** thorace nigro, cinereo-4-lineato, abdomine aeneo, fulvo-hirto, hypostomate scutelloque flavo-testaceis, antennis rotundatis, pedibusque rufis, femoribus basi nigris, alis hyalinis, nervis transversis fusco-maculatis. ♂♀.

FABR. Antl. 243. 50. FALL. Dipt. Sv. Syrph. 50. 2. ♂♀. *Syrphus ruficornis* PANZ. Fn. 77. f. 20. ♀. MEIG. Dipt. 3. 278. 1. *Cheilosia ruficornis* MACQ. Dipt. Gall. Syrph. 59. 17. ♂♀.

Hab. in nemoribus ad pagum Stensele et novacculum Umenaes Lapponiae Umensis, et ad Juckasjervi Lappon. Tornensis, d. 30. Jun. — 13. Jul., passim. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo prioris. Antennae magnae, suborbiculares, rufae, supra et extus fuscae, seta nigra. Vertex ♀ niger. Thorax in utroque sexu pubescens, setis lateralibus et in apice scutelli, rigidis. Alae maculis 2 discoidalibus fuscis. Nervus longitudinalis 4tus leviter curvatus. Squama alba. Halteres fusci.

*Obs.* *Eristalis maculata* FALL. in Lapponia non visa. — Et *Erist. semirufa* FALL. (ad *Milesium fallacem* MEIG.), *Er. lateralis* FALL. (ad *Xylotam lateralem* MEIG.), et *Er. Milesiformis* FALL. (ad *Tropidiam Milesiformem* MEIG., referendae), ut Lapponiae incolae non considerandae.

b) *Unicolores*, toto corpore aenescente aut nigro.

° Corpus totum aenescens, aureo- vel fulvo-villosum. Oculi in utroque sexu hirti. *Meteoricae*, volatu scilicet velocissimae.

**3. E. alpina**: nigro-olivacea, fulvo-tomentosa, antennis fuscis aut testaceis, geniculis flavis, alis immaculatis. ♂♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae occidentalis, rar.; in alpibus Jockeltind et Skaaddavaara 31. Jul. — 7. Aug. capta; celerrime volitat. (Lapponia.)

*Mas.* et *Fem.* 5 lin. long. Affinis et similis *Eristali grossae* FALL., ut et *Syrpho canaliculari* MEIG. et PANZ., sed differt a priori: magnitudine paullo minori, villositate corporis non ita densa neque aurea, ano concolore, nec nigro, tibiis tantum basi testaceis etc.; et a posteriori, cui magnitudine etiam cedit: antennarum seta nuda, nec pubescenti, tibiis basi tantum testaceis, nec tibiis totis tarsisque rufis. Caput nigrum. Antennae orbiculares, fuscae aut rufescentes. Corpus olivaceo-nigrum, griseo-fulvo-aequaliter, sed non dense tomentosum. Alae hyalinae, immaculatae, basi subtestaceae. Squama et halteres flava; horum capitulo fusco. Pedes nigri, femoribus summo apice tibiarumque basi flavis; tibiarum anteriorum summus apex etiam flavescit.

**4. E. Phantoma**: olivacea, aureo-dense tomentosa, antennis tibiisque rufo-testaceis, harum annulo medio alarumque nervis transversis mediis, fuscis. ♂.

(Vix *Syrphus Chrysocomus* PANZ. Fn. 3. 280. 4.)

Hab. in Nordlandiae Norvegicae alpibus, ex. gr. Raschstind et Andeness, ad Ostium Malangerfjord; d. 23—28. Jul., in floribus Pruni Padi ad radicem montium crescentis. Omnium velocissime volat, captu difficillima, quasi meteorica. In alpe Dowre a D. BOHEMAN quoque inventa. (Lappon. Norvegica.)

*Mas*: magnitudo et summa affinitas praecedentis, a qua vero aperte differt, colore corporis magis aenescente, longius et densius aureo-villoso, antennis semper rufis, tibiis fere totis testaceis, annulo tantum medio fusco, ut et alis in medio fusco-maculatis. A *Syrpho chrysocom.* MEIG. cui pubescentia similis, differre videtur tibiis non totis rufis et alis non immaculatis. Alae hyalinae, basi testaceae, nervis transversis mediis fuscedine cinctis, unde exstat fascia alarum media fusca. Reliqua omnia ut in priori.

**5. E. flavipes**: olivacea, abdomine aeneo-violaceo, fulvo-tomentoso, antennis pedibusque luteo-flavis, tarsis posticis fuscis, alis flavescentibus, immaculatis. ♀.

*Syrphus flavipes* PANZ. Fn. 54. 10. ♀. (corporis colore nimis viridi.) MEIG. Dipt. 3. 288. 19. certe. ♀.

Hab. in Nordlandia septentrionali rarissime; in alpe Jockeltind d. 31. Jul. unicum specimen inveni. Meteorica. (Lapponia; Suecia infer. rarissim. Mus. Nostr. e Dania a Dom. WESTERMANN quoque missa.)

*Fem.* 4½ lin. long. Similis prioribus. Olivacea. Hypostoma denudatum, atrum, nitidum. Vertex aeneus. Orbita oculorum facialis albo-micans. Antennae totae testaceae, seta nuda, nigra. Thorax non dense fulvo-tomentosum. Alae flavescentes praesertim basi. Halteres et squama flava. Pedes flavi, coxis omnibus, tarsis posticis totis et anterioribus apice, nigricantibus.

*Obs.* *Erist. flavipes* FALL. (exclus. Syn. PANZ.) alia omnino est species, quam *Eristal. fulvipedem* vocavi, synonymo *Cheilosia depila* MEGERL. apud MEIG. Not. sub *Syrph. flaviped.* 3. p. 289., ad subdiv. subsequentem referenda.

*Obs.* *Eristal. grossa* FALL. in Scania certis annis frequens, in terris borealibus non obvia.

°° Corpus nigrum aut atrum, chalybeatum, parum aeneo-micans, nigro-breviter pubescens, aut subglabrum. Oculi interdum nudi. *Chrysogastri* et *Cheilosiae* species MACQ.

**6. E. olivacea**: oculis hirtis*) olivacea, fusco-pubescens, alis fusco-hyalinis, squama halteribusque albis, horum capitulo puncto nigro, antennis parvis pedibusque nigris, geniculis anterioribus summis albidis. ♂♀.

Hab in Lapponia meridionali rarius, in floribus sylvestribus, Ranunculorum et Syngenesistarum etc. 19—25. Jun. in copula capta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* In hac subdivisione magna, scilicet 5 lin. longa. Similis *Eristali giganteae* GYLLENH., quae vero geniculis latius, tibiis basi, halteribusque totis, albis gaudet. Olivacea, parum griseo-hirta. Oculi in utroque sexu hirsuti. Hypostoma distincte bituberculatum, nigrum, denudatum, orbita oculorum faciali cinereo-pubescente. Vertex aeneus. Alae in medio et ad costam fuscescentes. Squama alba. Halteres albidi in apice capituli macula nigra. Pedes nigri, femoribus summo apice albido.

*) Cum interdum in uno sexu oculi sint nudi, in altero pilosuli, in charactere generali subdivisionis nota ex oculorum pilositate aut nuditate desumta, ingredi non potuit.

**7. E. gigantea**: oculis hirtis olivacea, fusco-pubescens, alis fusco-hyalinis, squama halteribusque albis, horum capitulo impunctato, antennis parvis pedibusque nigricantibus, geniculis, tibiarumque basi et apice albidis. ♀.

GYLLENHAL in litteris.

Hab. in Lapponia rarissime; e Tornoa a D. DEUTSCH missa, in Nordlandia ad Björkvik d. 14. Jul. ipse inveni. (Lapponia; e Westrogothia ♂ et ♀ a D. GYLLENHAL communicata.)

*Fem.* Magnitudo et summa praecedentis similitudo, nec differt nisi halterum capitulo toto albido, puncto scilicet nigro nullo, et geniculis latius albidis, tibiisque fere totis albo-flavis, aut testaceis, annulo in medio late nigricante. Antennae mediocres, nigro-piceae. Seta valida nuda, seu oculo armato brevissime pubescens. Oculi distincte hirti. Frons mediocriter lata et corpus totum, punctulata, olivacea. Abdomen lateribus maculis cinereo-pubescentibus. — Var. paullo minor, pedibus fere totis piceis, geniculis parum albicantibus.

*Mas*: oculis in fronte arcte cohaerentibus, alias feminae descriptae simillimus, a D. GYLLENHAL missus, in Lapponia a me non visus.

**8. E. albitarsis**: oculis hirtis (♂), aut nudis (♀), atra, nigro-pubescens, abdomine olivaceo, alis pallide hyalinis, squama, halteribus tarsorumque anticorum articulis mediis albis, antennis parvis pedibusque nigris. ♂♀.

*Syrphus albitarsis* MEIG. Dipt. 3. 290. 22. ♂♀.

Hab. in floribus pratensibus, uti Ranunculo, Thlaspi etc. ad Lycksele Lapponiae Umensis 19—23. Jun., in copula, passim, masculum e Lapponia Tornensi a D. DEUTSCH missum. (Lapponia; Scania, ex. gr. ad Lund, ubi certis annis frequenter occurrit in floribus Calthae palustris, versus finem mensis Maji; mas vulgaris, femina multo rarior.)

*Mas* et *Fem.* 4 lin. long. Similis *Erist. variabili* FALL., paullo brevior et latior, tarsis anticis albis et ab hac et a reliquis distincta. Caput ut in priori. Antennae saepe piceae. Thorax nigro-pubescens, in ♀ fere nudus. Alae pallescentes, praesertim in ♀. Pedes nigri nudi, tarsis anticis articulis 2, 3 et 4 in utroque sexu albis.

**9. E. morio**: oculis hirtis nigro-caerulescens, nigro-pubescens, abdomine atro, ano aeneo, alis fumatis, antennis parvis, squama, halteribus pedibusque nigris. ♂.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime; in floribus Salicis ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 21. Jun. 1821 unicum specimen detexi. (Lapponia.)

*Mas.* Long. 3 lin. Hypostoma nudum, nitidum, atrum. Antennae piceae. Thorax nigro-caerulescens, lineis dorsalibus obscurioribus, nigro-pubescens. Scutellum concolor. Abdomen angustatum, atrum, opacum, nigro-villosum, ano aeneo. Alae fuscescentes. Squama et halteres obscura, clava nigricante. Pedes nigri, tibiis basi fuscis.

**10. E. vernalis**: oculis hirtis olivacea, parum cinereo-pubescens, alis hyalinis, squama halteribusque albidis, pedibus nigris, geniculis, tibiarum basi antennisque mediocribus piceo-testaceis; abdomine ovato. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Syrph. 55. 12. certe. ♂♀. Vix *Syrphus vernalis* MEIG. Dipt. 3 290. 23. (qui ad *Eristalem coemeteriorum* FALL. et nostram pertinere videtur).

Hab. in Lapponia passim; in floribus Salicum ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis rar., ad Tresunda Lapponiae Umensis etiam rar.; in Giebostad Nordlandiae et in ipso alpium Tornensium jugo quoque capta; a d. 21. Jun. ad 22. Jul. visa. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 3 lin. Statura *Erist. albitarsis*. Antennae fuscae aut testaceae. Oculi in utroque sexu hirti. Hypostoma et (in ♀) vertex modice lata. Squama et halteres pallida. Pedes nigri, geniculis tibiarumque basi flavo-testaceis; tibiarum anteriorum apice plerumque etiam testaceo. Abdomen ovatum. Ab *Erist. olivacea* differt imprimis magnitudine paullo minori et antennis magis flavicantibus.

**11. E. luteicornis**: oculis hirtis late distantibus olivacea, nitida, subglabra, antennis magnis, fulvis, alis squama halteribusque pallescentibus, pedibus nigris, tibiis basi fusco-testaceis; abdomine ovato. ♀.

Hab. in Lapponia rarius; in floribus Salicis ad Juckasjervi et in paludosis ad Pello, Lapponiae Tornensis, ut et ad Lycksele Lapponiae Umensis, d. 4—25. Jun. capta. (Lapp.; Botnia borealis rariss.)

*Fem.* Long. 3½ lin. Similis *E. vernali*, paullo major, et antennis majoribus, fulvis, fronte multo latiore etc. ab illa distincta. Olivacea, fere glabra seu tantum tenuiter pubescens. Hypostoma et frons, latissima, nitida; nuda. Antennae magnae, orbiculatae, fulvae, seta et basi nigris. Alae pallide brunneae, squama alba. Halteres pallidi. Pedes nigri, tibiis praesertim anterioribus basi albidis.

**12. E. geniculata**: oculis nudis olivacea, nitida, alis

hyalinis, squama halteribusque albidis, antennis pedibusque nigris, genubus luteis. ♀.

Hab. in alpe Dowre D. Boheman, mihi non obvia. (Lappon. Norvegica.)

*Fem.* Long. 3¼ lin. Magnitudo et statura *Erist. longulae* (No. 15). Caput nigrum, dense griseo-pollinosum, macula verticis nigra. Frons laevis, nec striata. Clypeus tuberculatus, medio denudato, atro, lucido. Antennae nigrae, articulo ultimo ovato-rotundato. Thorax olivaceus, subnitidus, griseo-pubescens, praesertim in pectoris lateribus. Scutellum olivaceum, nitidum. Abdomen angustatum, parum griseo-pubescens, nitidum, nigrum, apice nigro-olivaceo. Alae hyalinae, immaculatae, basi et stigmate parum fuscescentibus. Squama alba. Halteres pallide flavi. Pedes nigri, genubus praesertim anterioribus late flavo-luteis; antici metatarso oblongo, incrassato.

**13. E. coemeteriorum:** oculis nudis glabriuscula, caerulescenti atra, alis nigricantibus, squama halteribusque albidis, antennis parvis pedibusque nigris. ♂♀.

*Mas:* breviter atro-pubescens, abdomine atro-opaco, subaenescenti, oculis cohaerentibus.

*Fem.:* atra, tota subglabra, nitida, oculis non late distantibus, interstitio non transversim striato.

Fall. Dipt. Sv. Syrph. 55. 11. certe. ♂♀. (excl. syn. Panz. quod ad *Chrysogastr. solstitialem* pertinet.) An Fabr. Antl. 246. 65? Vix *Musca coemeteriorum* Linn. Fn. Sv. 1842. *Syrph. vernalis* Meig. Dipt. 3. 290. 23. forte hujus est varietas.

Hab. in Lapponia, ibique mihi rarius in Nordlandiae et Finmarkiae inferalpinis obvia, ex. gr. in Hacksten et Jockelfjell, 28—31. Jul. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* 3—4 lin long. Affinis et similis *Erist. variabili* et *vernali*: sed a priori nuditate corporis et abdomine minus elongato, subovato, a posteriori colore nigriori pedibusque totis nigris, et ab utraque oculis nudis differt. Alae nigricantes nervis 5 et 6 infra areas descendunt, ad marginem alae fere extensi. Squama alba.

**14. E. nasuta:** oculis nudis aenescenti nigra; subglabra, hypostomate vix tuberculato, apice reflexo, alis obscure hyalinis, squama et halteribus albidis, antennis parvis pedibusque totis nigris; abdomine suborbiculato. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, ad Lycksele unicum specimen inveni (Lappon.)

*Fem.* Long. 3 lin. Tota nigra, parum aeneo-micans, subnitida fere glabra. Affinis *Chrysogastro*. Hypostomate nudo, nitido, impresso, non tuberculato, apice reflexo: pedibus totis nigris, et abdomine depresso, orbiculato (in ♂ forte aliter constructo) ab affinibus distinguitur. Frons modice lata, laevigata, nec transversim striata. Scutellum apice pilosum, non attenuatum. Alae fusco-hyalinae, stigmate obscuriori. Reliqua ut in diagnosi.

**15. E. longula:** oculis nudis olivacea, nitida, abdominis angustati, linearis medio aeneo-atro, subopaco, alis obscure hyalinis, squama fusca, halteribus albidis, antennis parvis, rotundato-ovalibus pedibusque nigris, geniculis anterioribus albidis. ♂.

Hab. in Lapponia forte rarissime; e Lapponia Tornensi a D. Deutsch communicata, et ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 17. Aug. ipse inveni. (Lapponia.)

*Mas.* Long. 3¼ lin. Angusta. Affinis *Erist. variabili*, colore corporis et oculis nudis distincta. Hypostoma tuberculatum, nitidissimum, subcaerulescenti atrum, utrinque albo-micans. Antennae parvae, subovales, seta distinctius pubescente, quam in affinibus. Thorax obscure olivaceus, nitidus, atro-pubescens. Abdomen lineare, subglabrum, aeneum, nitidum, segmentis 2 et 3 aeneo-atris, subopacis. Halteres albidi, puncto superne fusco. Pedes nigri, geniculis anterioribus summis albidis.

**16. E. pubera:** oculis nudis aenea, tota griseo-pubescens, alis hyalinis, basi subbrunnescentibus, squama albida, halteribus testaceis, antennis parvis pedibusque nigris; abdomine oblongo. ♂.

Hab. in Nordlandia Norvegica rarissime; ad Bjŏrkvik juxta Ofotenfjord d. 15. Jul. 1821 unicum specimen detegere mihi contigit. (Lapponia.)

*Mas.* Magnitudo prioris. Subnitida, aenea. Affinis *Erist. vernali*, oculis nudis et pedibus totis nigris diversa. Hypostoma valde gibbosum et tuberculatum, ad antennas fere extensum, nigrum, nudum, subnitidum. Antennae parvae, rotundatae, seta subnuda. Thorax et abdomen oblongum griseo-subvillosa. Alae ad basin fusco-brunneae. Reliqua ut in diagnosi.

**17. E. scutellata:** oculis nudis olivacea, alis hyalinis squama halteribusque albidis, antennis parvis, rotundatis, scutelli apice in femina, geniculis tibiarumque apice in utroque sexu subtestaceis: abdomine oblongo. ♂♀.

*Mas:* aeneo-niger. Oculi cohaerentes. Thorax atro-pubescens. Abdomen elongatum, atrum, opacum, basi apiceque aeneum, nitidum; scutelli apex immaculatus.

*Fem.:* aenea. Interstitium frontale et verticale angustatum, aeneum, laeve, nitidum. Totum corpus subglabrum. Scutelli apex rufo-testaceus. Abdomen oblongo-ovatum, aeneum, nitidum.

Fall. Dipt. Sv. Syrph. 55. 13. ♀. *Syrphus scutellatus* Meig. Dipt. 3. 284. 12. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 1. Aug. legi. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 4 lin. Similis *Er. vernali*, oculis nudis mox distincta. Affinis etiam *Er. longulae*, sed colore pedum diversa. Antennae aut nigricantes, aut piceae, interdum fusco-testaceae. Alae hyalinae, basi (in ♂) subbrunnescentes. Genua et tibiae testacea, harum annulo medio late nigro.

**18. E. mutabilis:** oculis nudis olivacea, alis hyalinis, squama halteribusque albidis, antennis parvis, rotundatis pedibusque nigris, geniculis pallidis; abdomine elongato, lineari. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Syrph. 54. 10. ♂♀. *Syrphus mutabilis* Meig. Dipt. 3. 283. 10. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in Bjorkvik Nordlandiae quoque capta; 1. Jun.—14. Jul. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Parva, long. 2¼—3 lin. *Erist. scutellatae* simillima, praesertim mas, sed differt ab illa magnitudine saepe duplo minori, et tibiarum apice vix testaceo, nec scutello feminae rufo. *Mas:* thorace atro, subvilloso, abdomine griseo-pubescente; *femina:* thorace abdomineque aeneis, glabris, nitidis. Reliqua ut in praecedente.

**19. E lugubris:** oculis nudis nigra, nitida, thorace atro-, abdomine griseo-pubescentibus, alis hyalinis, squama halteribusque albidis, horum clava macula fusca, antennis parvis pedibusque nigris, geniculis summis sordide albidis; abdomine oblongo-ovato. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in Ledo palustri ad Lycksele 17. Jun inventa. (Lappon.)

*Mas.* Long. $3\frac{1}{2}$ lin. Colore corporis caerulescenti nigro vel atro, alis subunicoloribus, nec basi brunnescentibus, halteribus clava fusco-maculata, geniculis anterioribus tantum summo apice sordide albidis, ab affinibus distincta. Antennae piceae. Abdomen oblongo-ovatum, glaucescenti-nigrum, fasciis 2, scilicet area in singulo segmentorum 2 et 3, atris, opacis.

**20. E. pygmaea:** oculis nudis nigro-aenea, subglabra, alis hyalinis, squama minuta nivea, halteribus fusco-albidis, antennis rotundato-ovatis pedibusque nigricantibus, anteriorum geniculis summis et anticorum tarsorum articulis mediis, albis; abdomine oblongato. ♀.

Hab. in alpe Dowre, a D. Boheman detecta. (Lapponia Norvegica.)

*Fem.* Minuta, circiter $1\frac{1}{4}$ lin. longa, hujus certe generis. Affinis *Erist. albitarsi* (No. 8), sed praeter magnitudinem triplo vel quadruplo minorem, differt etiam colore subaenescenti micante, geniculis summis albidis etc. ut et loco natali. Caput nigrum, nitidum, fronte modice lata, laevigata. Antennae proportione corporis sat magnae. Thorax aenescens, subglaber. Abdomen sublineare, nitidum, nigrum, glabrum. Alae hyalinae, nigredine subtinctae, unicolores. Pedes nigri, nudi, geniculis anteriorum summis et articulis 2, 3 et 4 tarsorum anticorum albidis.

*Obs.* *Erist. flavipes* Fall (non Panz.) in Lapponia non occurrit; neque *Erist. variabilis* Fall. in terris borealibus mihi obvia, in Suecia inferiori frequens.

---

## 58. Chrysogaster. Meig. °)

Meig. Dipt. Eur. gen. 111. *Musca* Linn. *Syrphus* Fabr. Panz. *Eristalis* Fabr. Fall.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongo-ovatum, nitidum, glabrum. Antennae fronti prominenti insertae, nutantes, articulo ultimo aut orbiculato aut oblongo, basi seta dorsali nuda. Oculi nudi rufescentes. Frons (feminae) saepe transversim striata. Hypostoma infra oculos descendens, in medio impressum, non tuberculatum, apice reflexo. Scutellum apice marginatum, attenuatum, nudum. Abdomen depressum, rectum. Alae incumbentes, nervis fere ut in *Scaeva* directis, at areas discoidales terminantibus inaequalibus. Pedes ut in *Eristali*. *Color* metallicus, pictura nulla. *Motus* et *habitatio* ut in *Eristalum* subdivisione ultima. *Differentia sexus*; *mas:* aut oculis cohaerentibus, aut modice disjunctis, fronteque laevigata; *femina:* oculis distantibus et fronte plerumque transversim, interrupte striata. (Spec. Scand. 8, hypostomate non tuberculato, apice tantum reflexo, scutello apice attenuato, nudo, areis alarum discoidalibus apice inaequalibus, colore

°) Nomen *Chrysogaster* masculini (nec ut putat C. Meigen feminini) generis sine dubio est.

corporis magis metallico-nitente, et fronte feminae transversim striata ab *Eristali*, cui maxime affines, dignoscendae.)

a) Nervo alarum transverso aream primam terminante aut subrecto, aut incurvato, cum nervo 5to longitudinali angulum subobtusum formante. Antennae rotundatae.

**1. C. metallicus:** viridi-aeneus nitidissimus, antennis orbiculatis, nigris, oculis in utroque sexu distantibus. ♂♀.

*Mas:* fronte modice lata, punctulata, stria transversa unica, integra.

*Fem.:* fronte multo latiore, punctulata et transversim interrupte multistriata.

Meig. Dipt. 3. 267. 3. ♀. Macq. Dipt. Gall. 44. 4. ♀. *Chrysogaster discicornis* Meig. Dipt. 3. 270. 8. ♂. *Eristalis metallica* Fabr. Antl. 246. 67. Fall. Dipt. Sv. Syrph. 47. 16. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime, mihi ibi non obvia, ab alio collectore ut Lapponiae incola mecum communicata. (Lapp.-Scania tempore vernali freq.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 3 lin. Totus viridi-aeneus, nitidus. Antennae nigrae. Alae hyalinae basi flavicantes, nervo aream primam terminante valde arcuato. Halteres et squama pallida. Pedes aenei, tarsis nigris.

*Obs.* *Erist. solstitialis* Fall. (*Musca coemeteriorum* Linn. *Syrphus* idem Panz. et Meig.) ut et *Erist. viduata* Fall. in Lapponia a me non visae, in tota reliqua Suecia frequentes.

b) Nervo alarum transverso aream primam terminante, subrecto, cum nervo 5to longitudinali angulum subacutum formante. Antennae oblongae.

**2. C. nobilis:** aeneus, abdominis disco atro-purpureo, alis vitreis, stigmate fusco, antennis elongatis, nigricantibus. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 272. 13. ♂♀. *Eristal. nobilis* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 57. 17. ♂♀. (sub qua etiam *Chrysogaster elegans* Meig. latet.)

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in floribus sylvestribus, Ranunculi etc. d. 15—19. Jun. uterque sexus ad Lycksele a me captus. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* $2\frac{1}{2}$ lin long. Totus aeneus, punctulatus. Oculi in ♂ cohaerentes, in ♀ distantes. Frons in ♀ interrupte striata. Antennae nigrae, subtus saepe testaceae. Abdomen ovatum, disco purpureo. Alae hyalinae, squama et halteribus albidis. Pedes aenei, tarsis obscurioribus.

**3. C. fuscipennis:** aeneus, abdominis disco purpureo, alis fusco-hyalinis, nervis transversis mediis fuscedine cinctis, geniculis summis, tibiarum basi tarsisque piceis. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rarissime; in sylva betulina ad Evenås juxta Ofotenfjord d. 18. Jul. 1821 a me inventa. (Lappon. Norveg.)

*Mas.* Long $2\frac{1}{2}$ lin. Simillimus priori, sed ab illo differt: alis hyalinis, interstitiis inter nervos a medio ad apicem infuscatis, nervulo transverso ordinario medio fuscedine distincte cincto, et macula obliqua ad apicem nervi auxiliaris ad stigma nigricante, ut et geniculis summis, tibiarum basi tarsisque fusco-testaceis. Cetera ut in *Chrys. nobili.*

---

## 59. Pipiza. Fall.

Meig. Dipt. Eur. gen. 105. Fall. St. Farg. et Serv. Macq. *Musca* Linn. *Eristalis* Fabr. *Syrphus* Panz. *Mulio* Fabr. *Milesia* Latr.

***Corpus*** medium, oblongum, subpubescens, nitidum. Antennae fronti parum prominenti insertae, nutantes, articulo ultimo ovato aut rotundato, compresso, basi seta dorsali nuda. Hypostoma aequale, laeve, non impressum; infra oculos vix descendens. Oculi obscure brunnei, hirsuti. Abdomen oblongo-ellipticum, incurvum. Alae incumbentes, nervis uti in *Scaeva*, nervo scilicet 5to infra aream 2dam paullo continuato, deinde ad nervum 4tum per nervulum subrectum flexo et cum illo acutum angulum formante. Femora postica reliquis validiora. ***Color*** niger, pictura, dum adest, in abdomine rufo-punctata. ***Motus*** celer. Reptatus in floribus, alis patentibus. ***Hospitium*** in floribus pratensibus; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. ***Differentia sexus;*** *mas:* oculis cohaerentibus; *femina:* oculis distantibus interstitio laevi. (Spec. Scand. 11, hypostomate subconvexo, laevi, non impresso, nec infra oculos descendente ab affinibus mox dignotae.)

a) Abdomine maculato.

**1. P. noctiluca:** antennis porrectis ovatis, longitudine capitis, nigra, abdominis segmento 2do maculis 2 transversis flavis, geniculis metatarsisque anterioribus albidis, alis fascia media fusca; nervo aream primam terminante subflexo. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Syrph. 59. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 244. 6. ♂♀. *Musca noctiluca* Linn. Fn. Sv. 1814. certissime. *Syrphus rosarum* Panz. Fn. 95. 21. certe. ♀.

Hab. in Nordlandia rarissime; in Dyroen 21. Jul. capta. (Lapponia-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* 4 lin. long. Punctata, tota nigra, corpore pubescentia fusca (♂) aut cinerea (♀) parce vestito; abdomine maculis 2 basalibus flavis, subpellucidis. Antennae porrectae, articulo ultimo rotundato, ovato, reliquis vix longiori. Alae hyalinae, fascia abbreviata in medio, fusca. Squama et halteres alba. Pedes nigri, geniculis anterioribus tibiisque saepe apice, et metatarsis albidis. Femora et metatarsus pedum posticorum crassiora.

**2. P. obsoleta:** antennis porrectis ovatis, longitudine capitis, nigra, abdominis segmento 2do punctis 2 obsoletis rufis, geniculis anterioribus albidis, alis fusco-hyalinis; nervo aream primam terminante subflexo. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele d. 2. Aug. detecta. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo et summa praecedentis similitudo, nec differt, nisi punctis abdominis minoribus, rufis, alis fusco-hyalinis, basi tantum vitreis, et geniculis anterioribus summis albidis, metatarso vix albido. Reliqua conveniunt.

*Obs.* Forte inter species, quas Cl. Meigen l. c. sub numeris 7—13 descripsit, haec etiam latet; sed cum illae a Cl. auctore levissimis tantum notis indicatae fuerunt, quae notae fere aequo jure in omnes quadrant, synonymiam extricare non valeo.

**3. P. binotata:** antennis subporrectis, rotundatis, longitudine fere capitis, nigra, abdominis segmento 2do maculis 2 subobliquis, flavis, geniculis anterioribus albidis; alis hyalinis, nervo aream primam terminante subflexo. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime, d. 19. Jun. inventa. (Lapponia.)

*Fem.* Simillima *Pip. noctilucae*, a qua tamen antennis paullo brevioribus, articulo ultimo suborbiculato, apice obtuso, maculis abdominis flavis subobliquis, alis hyalinis immaculatis, stigmate tantum, ut ordinarie, fusco, et geniculis anterioribus summis albis, differt. In ceteris conveniunt.

**4. P. hyalipennis:** antennis capite brevioribus, ovatis, nigra, atrovillosa, abdominis segmento 2do punctis 2 minutis, obsoletis, rufis, geniculis anterioribus summis albidis; alis vitreis, nervo aream primam terminante subflexo. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, ad Lycksele a me bis capta. (Lapponia.)

*Mas.:* Long. $3\frac{1}{2}$ lin. A *Pip. obsoleta*, cui valde similis, differt. antennis minoribus, corporis villositate atra, abdominis punctis adhuc minoribus, alis vitreis omnino immaculatis, et pedibus totis nigris, geniculis anterioribus summis tantum albidis. De cetero simillimae. — Alterum specimen in Museo D. Fahraei adservatur. —

**5. P. biguttula:** antennis longitudine capitis, ovatis, caerulescenti nigra, griseo-pubescens, abdominis segmento 2do maculis 2 transversis, flavis, geniculis anterioribus summis albis; alis vitreis, nervo aream primam terminante subflexo. ♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 15. Jun., et in foliis Betulae ad Evenås Nordlandiae d. 18. Jul. pauca specimina inveni. (Lapponia.)

*Fem.* Long $3\frac{1}{2}$ lin. Antennae ut in *Pip. noctiluca.* Pedes ut in *Pip. obsoleta.* Maculae abdominis ut in *Pip. binotata.* Alae ut in *Pip. hyalipenni.* A praecedentibus omnibus colore corporis caerulescenti nigro differt.

**6. P. 4-maculata:** antennis capite brevioribus, rotundatis, fuscis, nigra, abdominis segmentis 2 et 3 maculis duabus transversis, flavis, geniculis anterioribus albidis; alis fusco-hyalinis, nervo aream primam terminante subrecto. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Syrph. 59. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 3. 249. 16. ♂♀. *Syrphus 4-maculatus* Panz. Fn. 86. 19. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali passim; in floribus pratensibus ad Lycksele, Barrsele et Tresunda, Lapponiae Umensis, d. 19. Jun. — 11. Jul. haud infrequenter legi; in alpe Dowre a D. Boheman quoque capta. (Lappon.-Ostrogoth. Gottland. rar.)

*Mas* et *Fem.* 4 lin. long. A prioribus facile dignoscitur maculis abdominis 2 et 2 oppositis, transversis, rectis, nervoque aream primam terminante magis recto. Antennae rotundatae, fuscae. Pubescentia corporis maris nigricans, feminae grisescens. Abdomen late ovatum. Alae fusco-hyalinae. Squama alba. Halteres flavi. Genua et metatarsi pedum anteriorum albida. Reliqua ut in diagnosi.

Var. b. ♀. alis hyalinis, minor.

Var. c. ♀. maculis 2 abdominis in segmento 3tio obsoletis, rufescentibus; ad Umenaes, rar.

b) Abdomine immaculato.

**7. P. lugubris:** antennis longitudine fere capitis, nigra, griseo-pubescens, geniculis anterioribus summis albidis, alis vitreis, macula media nigra. ♀.

Meig. Dipt. 3. 250. 18.? (var. ferrugineo-pubescens, genubus tarsisque ferrugineis) *Eristal. lugubris* Fabr. Antl. 246. 64. certe.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Wilhelmina d. 19. Jul. capta. (Lapp.-Scan. rar.)

*Fem.* Long. 4 lin. *Pip. noctilucae* simillima, antennis tamen paullo brevioribus, articulo ultimo magis rotundato, latiori, alis vitreis, macula media costali falciformi determinata, ut et abdomine omnino immaculato, aperte differt.

**8. P. anthracina:** antennis capite brevioribus, nigra, atro-pilosa, geniculis anterioribus summis albidis, alis vitreis, immaculatis. ♂.

Meig. Dipt. 3. 253. 25. ♂.

Hab. ad Lycksele Lapponiae Umensis rarissime, 10. Aug. capta. (Lapp.; Lund. Scan. rariss.)

*Mas.* Long. 2⅛ lin. Tota caerulescenti nigra, atro-pubescens, nitida. Caput laevissimum, nitidissimum. Oculi cohaerentes. Antennae parvae, rotundatae. Abdomen angustatum. Alae vitreae. Squama parva et halteres, albida. Pedes nigri, geniculis anterioribus summis et tarsis anticis albidis.

**9. P. ruficornis:** antennis capite brevioribus, subtus rufescentibus, aeneo-nigra, griseo-pubescens, geniculis anterioribus summis tarsisque albidis, alis hyalinis. ♀.

Meig. Dipt. 3. 252. 24?

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in floribus sylvestribus ad Lycksele et Barrsele, 19. Jun.—1. Jul. a D. Dahlbom et me inventa. (Lappon. —?)

*Fem.* Long. fere 3 lin. An prioris femina! Nigra. Antennae ut in priori constructae, subtus saltem rufae. Thorax aeneo-micans. Abdomen angustatum. Alae vitreo-hyalinae, immaculatae. Squama parva halteresque alba. Pedes nigri, anteriores geniculis et tarsis basi albis.

Var. b. ♀. antennis suborbiculatis, totis testaceis, abdomineque latiore. An *Pipiza ruficornis* genuina Meig.! In floribus Salicis ad Lycksele 17 Jun. semel capta.

*Obs.* *Pipiza atra* Fall. (quae forte est *Psilota anthracina* Meig.!) et *Pip. campestris* Fall. in Lapponia vix obviae, ibi saltem a me non visae.

## 60. Paragus. Latr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 98. Latr. Macq. *Mulio* Fabr. *Syrphus* Panz. *Pipiza* Fall.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum, pubescens. Antennae fronti vix prominenti insertae, subporrectae, articulo ultimo elongato, compresso, ante medium seta dorsali nuda. Oculi nigro-brunnei, hirtuli. Hypostoma subconvexum, infra oculos parum descendens, leviter tuberculatum. Abdomen lineare, incurvum, transverse rugosum. Alae ut in *Pipiza*. Pedes simplices, metatarso postico subincrassato. *Color* niger, aenescens, abdomine rufo-picto. *Motu* agilis, non autem velociter volat. *Habitatio* in floribus; in nemoribus Lapponiae sylvaticae et inferalpinae Nordlandiae. Individua rara, solitaria, juxta terram plerumque volant. *Differentia sexus*; *mas:* oculis supra antennas angulo cohaerentibus; *femina:* oculis non late distantibus. (Spec. Scand. 7, antennarum articulo ultimo elongato, hypostomate convexiori, subtuberculato, abdomine lineari, transversim rugoso, a *Pipiza*, cui affines, distinctae.)

**1. P. punctulatus:** niger, abdominis medio rufo, nigrobipunctulato, antennis fuscis, hypostomate, geniculis tibiisque flavis, nervo alarum transverso aream primam terminante, subarcuato. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica; in alpe Dowre a D. Boheman capta. (Lappon.)

*Mas.* Long. 3 lin. Simillima *Parago bicolori* Meig., qui in Svecia quoque occurrit, sed ab illo praeprimis differt thoracis lineis basalibus nullis, scutello immaculato, punctis 2 in segmento 3tio nigris. Antennae longitudine capitis, articulo ultimo angusto, lineari, subtus testaceo. Hypostoma flavum linea supra os nigra. Vertex niger. Abdominis segmenta: 1 nigrum, 2 rufum, lateribus nigrum, 3 rufum, puncto utrinque nigro, 4 rufum, apice triangulariter nigrum, 5 et anus nigra. Alae vitreae, stigmate nigricante, nervo aream primam terminante ad nervum longitudinalem 4tum subarcuatim flexo. Squama et halteres albida. Pedes geniculis flavis, tibiis testaceis, femoribus basi, anterioribus ad medium, posticis fere ad apicem nigris, tarsis fuscis.

**2. P. tibialis:** aenescenti niger, hypostomatis lateribus, geniculis, tibiis tarsisque flavis, nervo alarum transverso aream primam terminante inflexo. ♂♀.

Meig. Dipt. 3. 183. 13. ♂♀. forte etiam *Par. obscurus* Meig. l. c. 12. *Pipiza tibialis* Fall. Dipt. Sv. Syrph. 60. 5. vera. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in floribus humilioribus ad Lycksele et Wilhelmina d. 21. Jun. — 17. Jul. lecta. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* 1½—2 lin. long. Punctulatus, aeneo-niger, nitidus, pubescens. Antennae capite fere breviores, lineares, subtus saepe fuscae. Vertex, et in ♀ etiam frons, nigra. Pedes flavi, femoribus anterioribus basi, posticis ultra medium, nigris. Reliqua ut in priori aut in diagnosi.

**3. P. trianguliferus:** aenescenti niger, hypostomatis lateribus, geniculis, tibiis tarsisque flavis, abdominis segmento 3tio macula media triangulari rufa; nervo alarum transverso aream primam terminante inflexo. ♂.

*Pipiza tibialis* Fall. Dipt. Sv Syrph. 60. 5. var. β.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad novacculum Umenaes, Lapponiae Umensis, d. 7. Jul. deprehensa. (Lappon.-Gottland. Scania rar.)

*Mas.* Magnitudo et summa praecedentis similitudo, sed differt ab illo macula abdominis in segmento tertio transversa, rufa, determinata.

*Obs.* *Parag. albifrons* (Pipiza eadem Fall.) in Lapponia hactenus non inventa.

*Obs.* E genere *Eumero* Meig., cui associentur Falleni *Pipiza lateralis*, *sabulonum* et *strigata*, nec non 2 novae species, nullas agnoscit Fauna nostra.

## FAM. 15. SCENOPINII. Meig. Fall. Macq.

Antennae triarticulatae, articulo ultimo elongato, seta nulla. Proboscis retracta. Ocelli 3 in vertice. Abdomen 7-annulatum. Alarum nervi longitudinales 4 in marginem interiorem alae descendunt, quorum 2 in ipso apice alae coëunt.

*Obs.* *Chrysomyza splendida* Fall. seu *Ulidia demundata* Meig. oculorum distantia, directione nervorum in alis etc. hujus Familiae speciebus appropinquans; sed antennarum structura, abdominis segmentis tantum 5 etc. diversa, in propria Familia, cui nomen *Ulidides* proponerem, rectius reponenda, Faunae nostrae ignota.

## 61. Scenopinus. Latr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 133. Latr. Fabr. Fall. Macq. *Musca* Linn. *Nemotelus* Panz.

*Corpus* parvum, elongato-lineare, parum nitidum, subnudum. Antennae subdeflexae, articulo ultimo elongato, subcylindrico, truncato, absque seta. Proboscis retracta, occulta. Oculi nudi. Abdomen depressum, 7-annulatum (8-annulatum Meig.). Alae incumbentes, nervis longitudinalibus, 3tio infra apicem alae furcato, et 4to subflexo, in summo apice appropinquantibus. Area angularis subretracta. Pedes validi nudi, tibiis posticis interdum apice incrassatis. *Color* ater. *Motu* tardus. *Habitatio* in fenestris et foliis plantarum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larvae* forte in ligno degunt. *Differentia sexus*; *mas:* oculis cohaerentibus; *femina*; oculis distantibus. (Spec. Scand. 4.)

**1. S. fenestralis:** niger, thorace aenescente, pedibus rufo-testaceis, alis fusco-hyalinis, halteribus fuscis, clava subtus nivea. ♂♀.

Fabr. Antl. 335. 1. Fall. Scen. 5. 1. certe. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 113. 1. ♂♀? *Musca fenestralis* Linn. Fn. Sv. 1845. vera.

Hab. . . . ut Lapponiae incola ad me missa; ab ipso autem nec in Lapponia, nec in adjacentibus provinciis septentrionalibus visa. (Lappon.-Scan. in fenestr. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Nigra, nuda. Oculi in vivo obscure brunnei, aeneo-submicantes, linea media transversa, angusta, purpurea. Thorax et scutellum aenescentia. Abdominis segmenta ultima strigis albis. Nervus alarum furcatus paullo elongatus ad costam curvatim inflectitur. Pedes simplices, toti lividi.

*Obs.* Cum halterum clava in speciminibus svecicis semper dimidiatim fusca deprehendatur, haec species certe est Linnaei *Musca fenestralis*; at Meigeni *Scenop. fenestralis* clava tota alba, alia videtur species.

**2. S. niger**: ater, tarsis rufis, alis halteribusque nigricantibus. ♂♀.

*Mas*: oculis modice distantibus, fronte lineari, tibiis posticis apice incrassatis;

*Fem*: oculis latius distantibus, tibiis posticis apice non incrassatis; in copula.

Meig. Dipt. 4. 16. 9.? ♂. *Nemotelus niger* de Geer Ins. 6. 188. 10. t. 11 f. 5. *Nemotelus tarsatus* Panz. Fn. 98. 20. ♂. *Scenop. rugosus* Fabr. Antl 335. 2. ♀. Meig. Dipt. 4. 117. 10. ♀. *Scenop. ater* Fall. Dipt. Sv. Scen. 5. 2. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae meridionalis rarissime; at in fenestra stabuli bovini ad Johannisberg prope Hernösand Ångermanniae, d. 29. Maj. plura specimina mascula legi. (Lappon.-Ostrog. pass.-Scania rar.)

*Mas* et *Fem*. Long. 1½ — 2 lin. Tota atra, tarsis solis rufis s. albidis, apice infuscatis. Frons et abdomen nitida, hoc in ♂ strigis analibus albis. Alae praesertim ad costam nigricantes. Nervus furcalis brevior et magis rectus, quam in priori. Halteres nigricantes (nec flavi, subtusque albi ut apud Meig. Reliqua ut in praecedente.

## FAM. 16. CONOPSARIAE. Latr. Meig. Fall. Macq. *Myopariae* Macq.

Antennae porrectae, 3-articulatae, basi geniculatae. Haustellum elongatum, porrectum, geniculatum. Abdomen 5- aut 6-annulatum. Alae incumbentes. Nervi fere ut in *Scenopinis*. *Differentia sexus* a structura ani observanda.

*Obs.* E generibus *Conope* et *Zodione* nulla species in Lapponia hacteuus observata est.

### 62. Myopa. Fabr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 136. Latr. Fabr. Panz. Fall. Macq. *Conops* Linn.

*Corpus* medium, elongatum, subcylindricum, subpubescens. Antennarum articulus 1 cylindricus, 2 clavatus, basi compressus, 3 globosus, stylo dorsali. Haustellum elongatum, filiforme, basi medioque geniculatum. Caput vesiculosum, nudum. Oculi parvi, oblongi, remoti, nudi; in viva ferruginei. Abdomen 5- aut 6-annulatum, incurvum. Alae angustatae, nervis fere ut in *Scenopino* directis, at tertio longitudinali ad apicem non furcato. Pedes validi, simplices. *Color* ferrugineus. *Motus* non celer; sed territa mox avolat. *Habitatio* in floribus. *Differentia sexus* in structura ani et vix aliter quaerenda. (Spec. Scand. 8, a *Conope*: antennarum stylo dorsali, nec apicali, et ocellis 3, a *Zodione*: haustello bis, nec basi tantum, geniculato, imprimis dignotae.)

**1. M. buccata**: ferrugineo-cinereoque variegata, capite albido, fronte obscura, thoracis dorso fusco, pedibus nigro-annulatis, alis nebulosis. ♂♀.

*Mas*: anus inflexus, segmento penultimo dorsali late emarginato, ultimo maximo, subdepresso.

*Fem.*: anus inflexus, segmento penultimo dorsali integro, ultimo convexo; in copula.

Fabr. Antl. 179. 5. Panz. Fn. 12. f. 24. Fall. Dipt. Sv. Conops. 10. 1. Meig. Dipt. 4. 142. 2. *Conops buccata* Linn. Fn. Sv. 1905.

Hab. in floribus Salicis Lapponiae Tornensis, ex. gr. ad Wittangi d. 16. Jun. rar. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. 3—4 lin. Caput albidum, supra ferrugineum, fusco-maculatum. Antennae testaceae. Thorax ferrugineus, disco dorsali nigro. Abdomen ferrugineum, apice et lateribus maculis cinereo-micantibus. Alae fuscae, maculis albo-hyalinis. Squama alba. Halteres flavi. Pedes ferruginei, femoribus annulo superno distincto, et tibiis cingulis 2, nigris.

**2. M. testacea**: ferrugineo-cinereoque variegata, capite albido, fronte obscura, thoracis dorso fusco, pedibus nigro-annulatis, alis fusco-hyalinis, puncto medio nigro. ♂♀.

*Mas* et *Femina* ut in priori differunt; in copula capti.

Fabr. Antl. 179. 4. Fall. Dipt. Sv. Conops. 11. 3. Meig. Dipt. 4. 142. 3.

Hab. in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele rar. (Lappon.-Dalekarlia Scan. pass.)

*Mas* et *Fem*. Magnitudo et omnia ut in priori, a qua alis fuscanis, nervulo transverso ordinario medio nigredine cincto, punctiformi, tantum differt; et id in utroque sexu.

**3. M. ferruginea**: ferruginea, capite flavo, thoracis dorso fusco-maculato, alis fuscanis, basi pallidioribus. ♂♀.

Fabr. Antl. 178. 2. Fall. Dipt. Sv. Conops. 12. 5. Meig. Dipt. 4. 144. 5. *Conops ferruginea* Linn. Fn. Sv. 1907.

Hab. in Lapponia rarius; ad Lycksele d. 2. Aug. capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. fere 5 lin. Caput ferrugineum, fronte pulchre flava, genis albo-micantibus. Antennae testaceae. Thorax dorso vitta media et macula utrinque laterali, subconfluentibus, nigris. Abdomen longum, cylindricum, et longe incurvum, praesertim in ♂. Alae fuscanae, immaculatae, basi flavescentes. Squama flava. Halteres testacei. Pedes obscure ferruginei, immaculati.

*Obs.* Species floricolae totius hujus familiae in Lapponia parcissimae sunt et earum individua quoque non nisi rarissime ibi occurrunt. Nec *Myopa dorsalis*, *variegata*, *atra* et *virens* (*Stachynia* Macq.) in terris arcticis mihi obviae fuerunt, in Suecia inferiori plus minus raro habitantes.

## Sect. 2. *Alae area angulari nulla, antennae seta dorsali (in Rhaphio subterminali).*

† *Haustellata* absque proboscide.

## FAM. 17. HAEMATOMYZIDES. Fall. (*Stomoxydiae* Wied.)

Antennae 3-articulatae, deflexae, articulo ultimo elongato, compresso, truncato. Haustellum porrectum, geniculatum. Oculi oblongi, unicolores. Abdomen 4-annulatum. Alae divaricatae. Nervi 4 longitudinales marginem interiorem attingunt, horum 2 in apice alae excurrunt. Squama duplicata, halteres obtegens.

### 63. Siphona. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 37. Macq. *Musca* de Geer. *Bucentes* Latr. *Stomoxys* Fabr. Fall.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum, pubescens, rigide setosum, opacum. Antennae longitudine hypostomatis, articulis inferioribus parvis, ultimo elongato, lineari, obtuso, basi seta dorsali nuda. Haustellum horizontaliter exsertum, filiforme, basi medioque geniculatum. Oculi nudi, obscure brunnei. Alae nervo 4to ad tertium angulato-arcuatim flexo, et cum illo in apice alae connexo. Pedes simplices, spinulosi. *Color* griseus, aridus. *Motu* agilis; volatus sat celer. *Habitatio* in floribus et graminosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larvae* in pupis Noctuarum degunt. *Differentia sexus* vix nisi abdomine *maris* paullo angustiori et ano obtusiori, quam in femina, detegenda. (Spec. Scand. 2, haustello bis geniculato, antennis minus deflexis, seta semper nuda, oculis minoribus et nervo auxiliari breviori, a *Stomoxyde* distinctae.)

**1. S. geniculata**: cinerea, antennarum basi, macula frontali, abdominis basi lateribus in mare, pedibus in utroque sexu testaceis, antennarum articulo ultimo tarsisque nigris. ♂♀.

*Musca geniculata* de Geer Ins. 6. 38. 15. f. 19. 20. vera. *Stomoxys geniculata* Fall. Dipt. Sv. Haematomyz. 5. 2. certe. ♂♀. *Stomoxys cristata* Fabr. Antl. 281. 9. ♂. *Stomox. minuta* Fabr. Antl. 282. 17. ♀. *Siphona tachinaria* Meig. Dipt. 4. 156. 3.? (a qua ejusdem *Siphona geniculata* et *cinerea* parum abludunt). *Bucentes cinereus* Latr. Gen. Crust. et Ins. 4. 339.

Hab. in Lapponia meridionali sylvatica rarissime; ad Almsele Lapponiae Umensis 24. Aug. capta. In paludos. ad Bossekop Finmarkiae occidentalis d. 7. Aug. quoque lecta. (Lappon.-Scan. vulg.)

*Mas* et *Fem*. Parva, 2—2½ lin. long. Hypostoma albo-corneum. Setae mystacinae paucae. Oculi in utroque sexu aequaliter fere distantes, nigro-brunnei. Haustellum nigrum, apice testaceum, pectore paullo longius. Antennarum articulus ultimus, praesertim in ♂, magnus, seta crassa, articulata. Scutelli summus apex testaceus. Abdomen in ♀ unicolor, in ♂ basi lateribus magis l. minus late testaceo-diaphanis. Alae subalbido-hyalinae, nervo auxiliari vix ad medium costae extenso, nervo 4to subarcuatim flexo in summo apice alae desinente. Squama magna, alba. Pedes spinosi.

*Obs.* *Siphona geniculata* MEIGENI in Suecia non occurrit, unde synonymon DE GEERI ad illam non pertinet.

---

## 64. Stomoxys. GEOFFR.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 138. FABR. LATR. PANZ. FALL. MACQ. *Musca* DE GEER. *Conops* LINN.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, ovatum, opacum, pubescens, raro setosum. Antennae longitudine vix hypostomatis impressi, incumbentes, articulis inferioribus parvis, ultimo elongato, compresso, lineari, obtuso, basi seta dorsali plumata. Haustellum horizontaliter exsertum, basi geniculatum. Oculi nudi obscure brunnei. Alae divaricatae. Nervo 4to arcuatim, raro aequaliter, ad tertium flexo, et cum illo in apice alae connexo aut appropinquante. Pedes simplices, pubescentes, raro spinulosi. *Color* rgisescens. *Motus* tardior. *Habitatio* in domibus; in parietibus saepe tranquillae sedentes; pleraeque sanguisugae; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus*; *mas:* oculis in fronte propioribus; *femina:* oculis sat late distantibus et abdomine saepe tumido. (Spec. Scand. 4, antennis brevioribus, magis deflexis, seta plumata, oculis majoribus, corpore vix setoso, et nervo alarum auxiliari longiori, a *Siphonis* dignotae.)

**1. S. calcitrans:** cinerea, thoracis lineis abdominisque maculis nigricantibus, palpis flavis intra os occultatis. ♂♀.

FABR. Antl. 280. 5. FALL. Dipt. Sv. Haemat. 6. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 160. 3. ♂♀. MACQ. Ins. Gall. Muscinae 31. 1. ♂♀. T. 1. f. 2. ala. *Conops calcitrans* LINN. Fn. Sv. 1900. *Stomoxys grisea* FABR. Antl. 281. 7.

Hab. in Lapponiis omnibus, iis scilicet tractibus, ubi homines exstruxerunt domicilia et pecuariam faciunt, 20. Maj. — 20. Aug. frequentiss., sanguinem haurit, strenue pungens, praesertim instante pluvia. — Pupas in stercore equino recenti inveni, d. 25. Maj. excludendas. (Lapp.-Scan. vulgat.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. *Muscae domesticae* habitu similis. Cinerea, pubescens. Antennae nigrae. Oculi in ♂ modice, in ♀ late, distantes. Vitta frontalis ordinarie nigra, in masculis junioribus saepe ferruginea. Palpi filiformes, breves, flavi. Alae hyalinae, nervo 4to longitudinali paullo curvato, etiam in apice alae paullo distante; nervus transversus ordinarius paullo curvatus. Squama et halteres albidi. Pedes nigri, tibiis basi anguste pallidis.

**2. S. stimulans:** cinerea, thoracis lineis abdominisque maculis nigricantibus, palpis flavis, extra os exsertis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 4. 161. 4. ♂♀. *Haematobia stimulans* MACQ. Ins. Gall. Musc. 35. 1. ♂♀. *Stomoxys irritans* FABR. Antl. 281. 10. (excl. syn. PANZERI, quod ad *Stom. siberitam* pertinet). FALL. Dipt. Sv. Haemat. 7. 4. ♂♀.

Hab. cum priori adhuc frequentior, tota aestate; etiam in bobus, et sylvis betulinis, ubi pecora pascuntur, vulgaris. Ad Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis e pupa cylindrica, nuda, brunneo-testacea 18. Jun. et 3. Jul. exclus. (Lappon.-Scania freq. in copula.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{3}{4}$ lin. Priori simillima; saepe paullo minor, et differt: palpis multo longioribus (longitudine fere haustelli), alarum nervo transverso ordinario magis recto, oculis maris in fronte subcohaerentibus et femoribus tibiisque feminae plerumque flexis. Reliqua in utroque similia.

**3. S. irritans:** obscure cinerea, subimmaculata, palpis haustellum tegentibus pedibusque nigris. ♂♀.

MEIG. Dipt. 4. 162. 5. ♂♀. *Conops irritans* LINN. Fn. Sv. 1901. *Stomoxys pungens* FABR. Antl. 282. 12. FALL. Dipt. Sv. Haemat. 7. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponia cum prioribus rarius. (Lappon.-Scan. in vaccis copiose.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. A prioribus differt: magnitudine minori, corpore toto obscure cinereo, immaculato, villoso, antennis brevioribus, nervo alarum ordinario transverso omnino recto, palpis longitudine haustelli eique incumbentibus nigris, ut et oculis maris in fronte approximatis, interstitio angusto disjunctis. Reliqua similia.

*Obs.* *Stomox. siberita* FALL. Sueciae meridionalis freq. incola, in Lapponia non visa.

---

## FAM. 17. OESTRACIDES. MEIG. (*Haematomyzides* FALL.)

Antennae foveolis capitis insertae, parvae, articulo ultimo rotundato, seta nuda. Os clausum. Ocelli 3 in vertice. Alarum nervus 4tus longitud. vel angulatim flexus, vel subrectus. Corpus crassiusculum, hirsutum. Larvae parasiticae aut in sinubus frontalibus, aut sub cute, aut denique in ventriculo animalium calidi sanguinis degunt.

---

## 65. Oestrus. LINN.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 139. LINN. FABR. MODEER. FALL. LATR.

*Corpus* magnum, oblongo-ovatum, hirtum. Antennae breves, articulo ultimo globoso. Oculi parvi, late distantes. Alae divaricatae, nervo longitudinali 4to ad apicem arcuatim flexo. Halteres squama obtecti. Pedes validi, hirsuti. *Color* corporis niger; hirsutie varie colorata Bombum submentiantes. *Motus* celer. *Volatus* saepe altus et longus. *Habitatio* larvarum in pecoribus, modo sub cute, modo in intestinis, vel capite, segmentis saepe spinuloso-annulatis aut scabris; pupa in terra sepulta, segmentis aeque spinuloso-annulatis; imagines Tarandos et Boves circumvolant, terrae ipsi saepe insidentes; per partem alpestrem Lapponiae, Nordlandiae et Finmarkiae, vix nisi tempore calido et sole sereno vigentes et observandae. *Differentia sexus* in structura ani saepe quaerenda. Spec. Scand. 4, a *Gastro* nervo 4to longitudinali curvato, nec recto, alis divaricatis, halteribusque obtectis, praesertim dignotae.)

a) Alarum nervus 4tus ab angulo ad costam perspicuus. Larvae in sinu frontali versantes.

**1. Oe. Trompe:** griseo-hirtus, thoracis fascia media angusta pedibusque nigris; alarum nervo 4to longitudinali ad costam angulatim flexo. ♂.

MODEER Act. Holm. 1786. FABR. Antl. 229. 6. PANZ. Fn. 107. f. 20. ♂. (fig. e specim. detrito depicta videtur) FISCHER Dissert. Cont. 2. 78. 3. FALL. Dipt. Sv. Haem. 10. 2. ♂. MEIG. Dipt. 4. 170. 5. ZETT. Iter. Lapp. 1821. P. 2. p. 39. LAESTAD. Journal 1831. p. 447.; Lapp. Fenn.; *Klupuperae*; Lappon. meridional.: *Snoerp*, Fennonibus: *Saulakat* (larva) Lapponibus: *Sadajim* (larva).

Hab. larva in sinubus frontalibus Tarandi; pupae in terra; imagines mense Julio proveniunt. In Nordlandia et Finmarkia, praesertim ad radicem montis subalpini Skaaddavaara initio mensis Aug. legi. (Lapponia.)

*Mas.* Long. $6-6\frac{1}{2}$ lin. Reliquis magis ovatus. Niger, hirsutie (in bene conservatis) capitis, thoracis, scutelli abdominisque griseo-pallida, in abdominis rotundati basi minus crebra. Fascia thoracis nigra. Oculi obscure brunnei, non violaceo-micantes, unicolores. Antennae subcompressae. Alae hyalinae, nervulo transverso medio infuscato. Nervi praeterea omnes distincti, fere ut in *Tachina grossa* directi. Squama magna, marginata, alba.

*Obs.* In Collectionibus individua hujus speciei thoracis disco et abdomine fere toto saepe nigricantibus occurrunt, qualia a D. MEIG. l. c. describuntur; sed id tantum in speciminibus detritis obtinet.

*Obs.* *Oestr. Ovis* LINN. in Lapponia vix occurrit. Hanc speciem supra Ostrogothiam et Oelandiam versus septentrionem adscendere non vidi, in Smolandia et Scania passim obviam.

b) Alarum nervus 4tus ab angulo ad costam obsoletus. Larvae sub cute animalium degentes.

**2. Oe. Tarandi:** flavo-hirtus, fronte, thoracis fascia postica lata, femoribusque nigris, abdomine fulvo-villoso, basi pallido, alarum nervo 4to ab angulo ad costam arcuatim flexo. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 1731. MODEER Act. Holm. 1786. FABR. Antl. 229. 5. FALL. Dipt. Sv. Haem. 10. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 169. 3. ♂♀. ZETT. It. Lapp. 1821. P. 2. p. 39. 40. LAESTAD. Journal 1831. p. 447. Fennonibus: *Parma*; Lapp.: *Spetha* (imago), *Kurbma* s. *Kurbmut* (larva).

Hab. larvae obovatae, multiannulatae, obscure brunneae, in dorso et lateribus Tarandorum, per totam hiemem sub cute commorantes, diebus canicularibus prodientes. Pupae in terra et sub lapidibus degunt. Imagines Rangiferos circumvolant, eorum hostes; per omnes Lapponias, ubi Tarandi pascuntur. Ad Talvig Finmarkiae atque in alpibus Gamsttind, Skaaddavaara, ut et in ipso alpium Tornensium jugo, 30. Jul. — 10. Aug. praesertim legi. (Lapponia.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 7 lin. *Bombum* angustatum referens. Flavescenti hirtus. Frons et vertex lata, nigra. Antennae nigrae, sub foveis frontalibus retractae. Oculi exserti, aenescenti-violacei. Thorax fascia lata inter alas nigra. Abdomen oblongo-ovatum, totum fulvo-hirtum, basi tantum pallidum. Anus in ♂ obtusus

hamulis 2 incurvis, intra quos genitale; et in ♀ acutus, vagina subcompressa, 6-articulata, saepe longe erumpente. Alae sordide albo-hyalinae, nervo 4to, ubi ad costam curvatur, parum perspicuo; nervulo transverso medio fuscedine cincto. Squama albida Halteres fusci. Pedes nigri, femoribus postice pallido-hirsutis, tibiis tarsisque testaceis, griseo-hirtis.

**3. Oe. Bovis:** pallide flavo-hirtus, fasciis, thoracis postica, abdominisque media, latis nigris, ano fulvo-villoso; alarum nervo 4to ab angulo ad costam subrecto. ♂♀.

Fabr. Antl. 228. 3. Modeer Act. Holm 1786. Svensk. Zoologi 4. Fall. Dipt. Sv. Haem. 11. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 167. 2. *Hypoderma bovis* Macq. Ins. Gall. Oestrides 197. 1. T. 6. f. 3. ala.

Hab. larva apoda, rugosa, brunnea, intra cutem boum, ulcera caussans. Imago bestias praesertim juniores infestat. In Lapponia Norvegica uterque sexus a D. Boheman d. 19. Jun. captus. (Lappon.-Scan., in viis arenosis saepe occurrens.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 5 — 5½ lin. Pallide flavo- seu sordide albido-hirtus. Frons obscurior, in ♀ paullo latior, quam in ♂. Antennae in foveis reconditae, nigro-piceae, nitidae. Thorax dorso trisulcatus, fascia postica lata, nigra. Abdomen fascia media lata, nigra, ano fulvo. Vagina feminae articulata, cylindrica, nigra, in specimine viso longe recta erumpens. Alae et squama magna sordide albidae, immaculatae. Halteres fusci. Pedes nigri, subtus griseo-pilosi, tibiarum apice tarsisque testaceis.

*Obs.* Hanc speciem, in Suecia haud raram, Linnaeo non incognitam fuisse, verisimillimum puto. Quamnam vero earum, quas in sua Fauna hujus generis descripsit, intellexerit Vir Nobil., pro certo dicere non possum. *Oestr. haemorrhoidalis* No. 1733 descriptione quidem in nostram *Oestr. Bovis* quadrat, sed obstat victus larvarum.

## 66. Gastrus. Meig.

Meig. Dipt. Europ. gen. 140. *Oestrus* Linn. Modeer. Fabr. Latr. Fall. Macq.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, oblongum, hirtum. Antennae breves, articulo ultimo compresso. Oculi parvi, late distantes. Alae incumbentes, nervo 4to longitudinali recto, in marginem sat longe pone apicem alae excurrente, halteres nudi. *Color* hirsutiei griseo-ferrugineus, parum varius. *Motu* celer. Volatus velox. *Habitatio*, larvarum in ventriculo animalium; puparum in terra; imaginum in pratis et pascuis, equos infestantium; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in structura ani observanda (Spec. Scand. 5, nervo 4to longitudinali recto, alis incumbentibus, halteribusque nudis, ab *Oestro* diversae.)

**1. G. Equi:** ferrugineus, griseo-hirtus, thoracis cingulo alarumque fascia media et maculis duabus apicalibus fuscis. ♂♀.

Meig. Dipt. 4. 175. 1. ♂♀. *Oestrus Equi* Fabr. Antl. 228. 4. Svensk. Zoologi 4. Fall. Dipt. Sv. Haem. 13. 8. Macq. Dipt. Gall. Oestrid. 193. 1. ♂♀. T. 6. f. 1. ala. *Oestrus Bovis* Linn. Fn. Sv. 1730. Dahlb. Scand. Ins. Lund 1837.

Hab. larva apoda, flavo-grisea, 8 lin. longa (ad maturitatem proventa), in ventriculo Equorum. Ova scilicet in genubus et lateribus Equi deponuntur, deinde lingua excipiuntur, et cum cibo in ventriculum descendunt. Pupas oblongas, cylindricas, brunneas, in segmentis coronatas vidi, in terra captas. Larvae mense Julio in pupas abeunt, quae post un. mensem excluduntur. Imagines equos persequuntur; per partem sylvaticam Lapponiae rarius. (Lapp.-Scan. ubi in summitate montis Stenshufvad minoris innumerum agmen d. 13. Aug. 1817, sole sereno, quasi examinantes, et in aëre sub volatu copulantes observavi.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5 6 lin. Corpus lividum seu ferrugineo-testaceum, hirsutie flavo-grisea undique tectum. Antennae pallidae, ut in *Oestr. Bovis* constructae. Frons, in ♀ saltem, latissima, in ♂ etiam lata. Fascia thoracis media angusta, nigra. Scutellum dense villosum Abdomen pubescens. Alae sordide albidae, ut in diagnosi pictae. Nervuli 2 transversi in disco valde approximati, unicam fere quasi lineam formante. Anus incurvus, evidenter ♀ longe inflexo, crasso, nigro. Pedes pallidi.

**2. G. Pecorum:** niger, thorace abdominisque basi sordide luteo-hirtis, alis infuscatis, tibiis tarsisque pallidis. ♀.

Meig. Dipt. 4. 176. 2. *Oestrus Pecorum* Fabr. Antl. 228. 2. Fall. Dipt. Sv. Haem. 12. 5. ♀.

Hab. in Lapponia, Museo D. Gyllenhali, mihi nec in Lapponia nec alibi in Suecia obvius, et est Dipteron unicum Suecicum hactenus descriptum, cujus uterque sexus in collectione mea desideratur. Larva in intestinis pecorum degit. Fabr. (Lappon. — ?)

*Fem.* „Magnitudo *Gast. Equi.* Caput obscurum, vertice cinereo-hirto Oculi oblongi, parvi. Thorax cum scutello dense cinereo- s luteo-hirsutus, pectore nigro. Abdomen aterrimum: segmento basali luteo-hirto; ano incurvato, conico. Pedes nigri, tibiis tarsisque pallidis, breviter pilosis. Alae subnigricantes, basi pallidiores. Nervi alarum ut in *Anthomyza*, at nervus transversus ordinarius deest! Squama haud magna, et margine distincte lanata." Fall. l. c.

**3 G. nasalis:** niger, capite ferrugineo thoraceque fulvo, hirtis, abdomine griseo-villoso, geniculis tarsisque testaceis. ♂♀.

Meig. Dipt. 4. 178. 5. *Oestrus nasalis* Linn. Fn. Sv. 1732. Macq. Dipt. Gall. Oestr. 194. 4. ♂♀. Panz. Fn. 107. f. 21. ♂. *Oestr. veterinus* Fabr. Antl. 230. 8. Fall. Dipt. Sv. Haemat. 12. 6. ♂♀.

Hab. in Lappon., teste Linn., mihi nec ibi, nec in provinciis adjacentibus obvius. (Lapponia; Ölandia et Scania rarissime.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4½ — 5 lin. Inter minores generis. Corpus nigrum. Caput cum antennis fulvum et fulvo-pilosum. Oculi in ♂ modice, in ♀ latius distantes. Thorax et scutellum dense fulvo-hirta. Abdomen atrum, fasciis, basali albido-, media nigro- et postica flavo-hirtis. Alae immaculatae albidae, nervis ut in *G. Equi.* Squama alba. Halteres pallidi. Pedes fusci, flavo-pilosi, geniculis tarsisque lividis. Oviductus feminae longe inflexus, niger.

*Obs.* *Oestrus haemorrhoidalis* Linn., Fabr., Fall. et Macq. huic generi subditus, in Scania rarissime a me inventus, in Lapponia non obvius.

## Fam. 19. CORIACEAE. Latr. Meig. (*Haematomyzid.* Fall.)

Antennae hypostomatis lateribus insertae, parvae, late distantes. Os vagina bivalvi prominente. Palpi nulli. Oculi immersi, oblongi. Corpus depressum, durum, coriaceum. Alae ad costam distincte nervosae. Pedes robusti.

## 67. Hippobosca. Linn.

Meig. Dipt. Eur. gen. 227. Linn. de Geer. Panz. Fabr. Latr. Fall.

*Corpus* mediae magnitudinis, ovatum, nitidum, nudum, parce pilosum. Antennae breves, gemmiformes, apice setigerae. Ocelli nulli. Alae incumbentes, obtusae, ad costam septem nervosae. Pedes validi, tarsorum unguibus bidentatis. *Color* fuscus. *Motus:* celeriter currit, saepe retrogrediens, invito volat, abscondita quaerens, tenaciter adhaerendo. *Hospitium* in animalibus, praesertim equis, quorum sanguinem sugit; vitae tenax; per partem sylvaticam Lapponiae. Femina pupipara. Larva scilicet in abdomine matris nutrita, in pupam larvae cute indurata obtectam abit. *Differunt sexus: mares:* ano parum emarginato; *femina:* ano magis lobato; vagina articulata, brevi. (Spec. Scand. 1, nostra, antennis gemmiformibus, ocellis nullis, tarsorum unguibus bidentatis, alis obtusis, ad costam multinervosis, a confinibus distincta.)

**1. H. equina:** brunnea, nitida, thorace glabro, albo-maculato, pedibus ferrugineis, annulis nigris. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 1921. de Geer Ins. 6. 257. T. 16. f. 1. Panz. Fn. 7. 21. Fabr. Antl. 337. 2. Fall. Dipt. Sv. Haemat. 14. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 228. 1.

Hab. in Lapponia meridionali rar. (Lappon.-Scan. vulg.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Notissima species, unde, diagnosi data, ulteriorem descriptionem omitto, ut superfluam.

## 68. Ornithomyza. Leach.

Meig. Dipt. Eur. gen. 229. Latr. *Hippobosca* Linn. Fabr. Fall.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum, nitidum, nudum, parum pilosum. Antennae breves, gemmiformes, apice multisetigerae. Ocelli 3. Alae incumbentes, obtusae, ad costam septemnervosae, nervis longitudinalibus 3 ad marginem interiorem alae ductis perspicuis. Pedes validi, tarsorum ungui-

bus tridentatis. *Color* fusco-virescens. *Motus Hippoboscae. Hospitium* in avibus, ad quarum plumas unguibus suis apte haeret; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*, ut in priori. (Spec. Scand. 1, nostrae Faunae communis, ocellis 3, alarum nervis longitudinalibus usque ad marginem alae manifeste extensis, unguibus tridentatis, colore virescenti et hospitio, ab *Hippobosca* diversa.)

**1. O. avicularia:** virescens, pedibus unicoloribus, thoracis abdominisque dorso fusco-maculatis. ♂♀.

Meig. Dipt. 6. 232. 1. *Hippobosca avicularia* Linn. Fn. Sv. 1922. Fabr. Antl. 338. 3. Fall. Dipt. Sv. Haemat. 15. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; in Pico ad Karungi et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, et in pullis Sylviae Phoenicuri, ad Lycksele Lapponiae Umensis, d. 6—28. Aug. D. Dahlbom et ipse invenimus. (Lappon -Scan freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1½—2 lin. Caput flavum, macula frontali laete brunnea. Oculi in mortua nigro-brunnei. Antennae pallidae, setis nigris. Alae sordide hyalinae, metallice nitentes, ante apicem foveolatae. Squama parva et halteres albida. Pedes virescentes, immaculati, pilis et unguibus nigris.

*Obs.* Specimina lapponica multo minora sunt, quam quae in avibus Sueciae inferioris frequenter occurrunt; vix vero diversae speciei, nam in cetero quadraut. Alae quidem ante apicem foveolatae sunt, sed dum ejusmodi foveolae etiam in exemplaribus suecicis adsunt, Meigeni *Ornithomyia viridis* et *viridula* vix nisi hac nota ab *avicularia* dignoscendae, mihi valde dubiae videntur.

---

## 69. Leptopteryx. Zett.

*Corpus* parvum, fusiforme, glabrum. Antennae longitudine capitis, crassae, non setigerae. Ocelli? — Alae incumbentes, versus apicem angustatae, nervis obsoletis. Pedes elongati, nudi. *Color* fuscus. *Motus*? *Habitatio* in alpibus. *Differentia sexus* ignota. (Spec Scand. 1, nostra Lapponica, antennarum forma, seta nulla, alarum pedumque structura, etc. distincta; genere valde dubia; an hujus Familiae?)

**1. L. nivalis:** fusca, alis lactescentibus, thoracis margine laterali albo, pedibus sordide albidis, fusco-maculatis.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in Alpe Brattiksfjell prope Novaculum Umenaes Lapponiae Umensis, die 8. Jul. 1832 ab oculatissimo D. Dahlbom detecta, in ipsa nive reptans. (Lapponia Suecica.)

Long. 1 lin. Glabra. Caput parvum, depressum, fuscum. Oculi exserti rotundi. Antennae longitudine capitis, porrectae cylindricae, crassae, 3-articulatae, articulis subaequalibus, ultimo obtuso, absque omni seta. Thorax capite quadruplo major, subglobosus, brunneus s. fuscus, lateribus et antice marginatus, margine albido; subtus fusco-nigricans. Abdomen thorace parum longius, angustius, oblongum, fuscum, in mortua corrugatum.

Anus obtusiusculus. Alae abdomine paullo longiores lacteae, nervis obsoletis, ad costam vero paullo distinctioribus. Halteres? Pedes elongati, subtenues, nudi, glabri, sordide albidi, genubus, tibiarum apice tarsisque fuscis. — *Chioneae araneoides* Dalm. habitu quodammodo similis, antennarum articulatione, alis majoribus, pedibus glabris, nec hirsutis, etc. facile dignota. — Insectum paradoxum, ulteriori examini subjiciendum, dum plura et meliora specimina colligere datur.

*Obs.* *Stenopteryx Hirundinis* Meig. (*Hippob. Hirundinis* Fall.) et *Melophagus cervinus* et *ovinus* Meig. (*Hippob. cervina* et *ovina* Fall.), in Suecia inferiori passim occurrunt, in Lapponia hactenus non inveni quantum novi.

---

†† *Proboscidea.* Antennae deflexae, saepissime elongatae.

a) Oculi oblongi. Os saepissime mystaceum. Squamae sub alis magnae.

## FAM. 20. RHIZOMYZIDES. Fall.*) *Muscides* Meig.

Antennae triarticulatae, deflexae, seta nuda. Oculi oblongi, nudi, unicolores. Os aut nudum, aut saepius mystaceum.

Alae divaricatae. Unicus tantum nervus in marginem interiorem descendit, interdum abbreviatus. Volatu veloces.

---

## 70. Phasia. Latr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 142. Latr. Macq. *Conops* Linn. *Thereva* Fabr. Panz. Fall.

*Corpus* minoris magnitudinis aut parvum, obtuse ovatum, abdomine rotundato, depresso; pubescens. Antennae incumbentes, hypostomate immarginato, apice prominulo, subconvexo; dimidio breviores, articulo ultimo apice rotundato. Os utrinque pilosum. Oculi rufi et brunnei aeneo-micantes. Abdomen 5-annulatum. Alarum nervus auxiliaris ad medium costae extensus. Nervus tertius longitudinalis rectus in apice alae cum nervo costali conjunctus. Nervus 4tus longit. ad nervum 3tium sat longe intra apicem alae (in nostris) plerumque regulariter arcuatim flectitur. *Color* niger; obscurus. *Motu* celerrima. *Habitatio* in floribus; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae et Finmarkiae. *Differentia sexus; mas:* genitali incurvato, tuberculum formante, articulato, nec sulcato, a *femina:* apertura anali antice tuberculata, stylum nitidum includente, dignoscitur; alae quoque in ♂ plerumque latiores, quam in ♀. (Spec. Scand. 12, abdomine rotundato, depresso, antennis brevibus, hypostomate immarginato, piloso, nec setoso etc. distinctae.)

*Obs.* Respectu habito ad differentes characteres specierum peregrinarum, D. Robineau Desvoidy hoc genus in plura, ut *Phasiam*, *Alophoram*, *Elomyiam* et *Hyalomyiam*, haud immerito distinxit, cujus exemplum Cl. Macquart, Insecta Galliae borealis describens, deinde secutus.

**1. P. muscaria:** oculis approximatis cinerea, thoracis lineis, antennis pedibusque nigris, abdomine aeneo-micante, incisuris lineaque media fuscis; alis hyalinis, curvatura nervi 4ti arcuata. ♂♀.

Meig. Dipt. 4. 196. 18. ♂. *Thereva muscaria* Fall. Dipt. Sv. Rhizom. 3. 2. ♂♀. *Phasia cinerea* Meig. Dipt. 4. 198. 22.? ♀. *Thereva cinerea* Fabr. Antl. 221. 13. ♀.

Hab. in Lapponia rar.; ad Kengis et Muonioniska Lapponiae Tornensis d. 17 — 22. Aug. pauca specimina inveni. (Lapponia-Ostrogothia-Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. *Muscae domesticae* habitu similis, sed duplo et ultra minor. Caput pilosum, cinereum. Oculi magni, in fronte fere cohaerentes, linea tantum angusta, nigra, distantes. Thorax cinereus, lineis 4 nigris. Scutellum nigrum. Alae hyalinae, in utroque sexu aequaliter fere latae, nervis basi pallidis; in mare parum fuscatae. Pedes simplices nigri, tibiis parce spinulosis. Genitale maris sat longe inflexum, et pulvilli elongati; feminae anus depressus, subacutus; pulvilli breviores.

**2. P. opaca:** oculis approximatis nigra, opaca; alis hyalinis, nervo 4to subarcuatim flexo, mox intra apicem alae cum nervo 3tio conjuncto, squama alba. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rarissime; ad Björkvik 14. Jul. detecta. (Lapp. Norveg.)

*Mas.* Parva, long. vix 1½ lin. Tota nigra, opaca, pilosa. Antennae breves. Hypostoma cinereum. Frons triangularis, atra, ad oculos utrinque linea alba. Oculi tantum angulo in vertice cohaerentes. Abdomen certo luminis situ cinereo-fasciatum. Anus breviter inflexus. Alae hyalinae, non dilatatae. Squama sordide albida. Reliqua ut in diagnosi.

**3. P. fasciola:** oculis approximatis atra, opaca, abdominis fasciis 3 interruptis, ferrugineis; alis hyalinis, curvatura nervi 4ti rectangulata, squama infuscata. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, in Pino ad Lycksele d. 19. Jun. inventa. (Lappon. Suecic.-Dalekarlia.)

*Mas.* Minuta, vix 1 lin. long. Pilosa, atra, opaca. Antennae brevissimae. Hypostoma in medio impressum, totum fuscum, utrinque subtestaceum. Frons supra antennas triangularis, nigra, antice ferruginea. Oculi in vertice angulo cohaerentes. Abdomen rotun-

---

*) Ad hanc Familiam referimus omnes sub hac divisione militantes ejusmodi species a D. Meigeno ad numerosissimas Muscides adnumeratas, quae aut nervum 4tum longitudinalem versus tertium ita inflexum habent, ut summum marginem alae non attingat (in *Phania* Meig. et *Gymnopeza* mihi nervus hic 4tus curvatim flexus, in ipso apice alae cum nervo costali conjunctus), aut setis mystacinis distinctis carent, aut denique corpore subcylindrico, anoque longe inflexo gaudent. Seta antennarum in his semper nuda, alae divaricatae, oculi nudi et larvae forsitan pleraeque Rhizophagae sunt, seu radices plantarum consumunt. *Not* D. Leon Dufour larvam *Ocypterae bicoloris* Oliv. (*Ocypt. coccineae* Meig.), in corpore *Pentatomae griseae* invenit, unde per analogiam putat D. Macquart, etiam reliquas *Ocypteras* in aliis insectis parasiticas vivere.

Zetterstedt, Insecta Lapponica.

datum, parce pilosum, subnitidum, nigrum, in singulo segmentorum 2, 3 et 4, fascia recta, transversa, ad latera dilatata, in medio interrupta, ferruginea. Alae hyalinae, parum latae, nervo 4to ad 3tium angulo fere recto, sat longe infra apicem alae flexo et cum illo conjuncto. Squama infuscata. Reliqua ut in diagnosi.

**4. P. zonella**: oculis distantibus cinerascenti nigra, opaca, abdominis fasciis 3 interruptis ferrugineis, capite albido, antennis pedibusque flavis, tarsis fuscis; alis hyalinis, nervo 4to subarcuatim flexo, squama alba. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, in Pino ad Stensele d. 3. Jul. capta. (Lappon. Suec. meridional.)

*Fem.* Minutissima, Pulice parum major, circiter ¾ lin. long. Opaca, tota pubescens et setulosa. Affinis priori, paullo minor, colore corporis magis cinerascenti, pedibus flavis, capite squamaque alarum albis, etc. ab illa distincta, et vix ejus femina. — Caput album, vertice cinereo-lineato. Frons vitta flava. Antennae breves, luteae, seta nigra. Oculi ovales, distantes. Partes oris retractae, flavae. Thorax et scutellum cinereo-nigra. Abdomen ut in priori constructum et coloratum; in segmento primo macula flava utrinque cernitur. Alae ut in praecedente. Squama alba. Pedes flavi, tibiarum apice tarsisque nigricantibus.

**5. P. ruficeps**: oculis distantibus nigra, opaca, abdomine cinereo-irrorato, capite et antennarum femorumque basi, rufo-flavis; alis hyalinis, nervo 2to subarcuatim flexo, mox inter apicem alae cum nervo 3tio conjuncto, squama alba. ♀.

Hab. in Nordlandia rarissime; in foliis Betulae ad Björkvik d. 14. Jul. 1821. duo tantum specimina invenire mihi contigit. (Lapponia Norvegica.)

*Fem.* Parva, circiter 1¼ lin. long., hujus sine dubio generis. Nigra, opaca, tota pilosa. Caput buccatum, flavum, macula supra antennas rufa. Vertex niger, setosus. Barba pallida. Setae hypostomatis utrinque, nigrae. Antennae breves, basi nigro-setosae rufae, articulo ultimo nigro. Oculi non magni, ovati, in fronte sat late distantes. Abdomen rotundatum, depressum, nigrum, cinereo-marmoratum. Alae hyalinae, nervis ut in *Phas. opaca* directis. Squama alba. Halteres fusci. Pedes nigri, pilosi, femoribus omnibus basi, et coxis anticis, flavis.

*Obs.* Species Fallenianae: *Thereva subcoleoptrata*, *hyalipennis*, *nana* et *pygmaea*, ut et *Tachina gagatina* MEIG. huic generi subjiciendae, in Svecia media et meridionali plus minus raro obviae, in Lapponia a me frustra quaesitae.

## 71. Ocyptera. LATR.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 144. FABR. LATR. FALL. *Musca* LINN. PANZ. *Tachinae* species MEIG. *Ocypterae*, *Melanophorae* et *Ptilocerae* species MACQ.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum, cylindricum, nitidum, valde setosum. Antennae deflexae, longitudine hypostomatis marginati, aut illo duplo breviores, articulo ultimo secundo longiori, lineari, compresso, obtuso. Os mystacinum. Oculi in utroque sexu distantes. Abdomen 4-annulatum, cylindricum. Alae abdomine paullo breviores, nervo auxiliari ad medium costae extenso. Nervus 3tius longitudinalis rectus, paullo ante apicem cum nervo costali conjunctus. Nervus 4tus longit. ad nervum 3tium plerumque non longe intra apicem alae angulatim flectitur. *Color* niger. *Motu* celerrima. *Habitatio* in floribus; per partem sylvaticam Lapponiae. Individua raro occurrunt. *Differentia sexus* in *maris* ano inflexo et pulvillis elongatis, et in *feminae* ano simplici, pulvillis brevioribus, plerumque detegitur. (Spec. Scand. 18, corpore setoso, cylindrico, setis mystacinis praesentibus, antennis saepe elongatis, curvatura nervi 4ti, etc. distinctae.)

a) Antennae oblique exsertae. Vibrissae nullae. Majores. *Ocyptera* MEIG. MACQ.

Huc referuntur *Ocypt. brassicaria* et *cylindrica* FALL. in Suecia inferiori frequentes incolae, in Lapponia a me non repertae.

b) Antennae incumbentes. Vibrissae adsunt. Minores. *Tachinae* species MEIG. *Melanophorae* et *Ptilocerae* species MACQ.

**1. O. borealis**: nigra, antennis hypostomate paullo brevioribus, latiusculis; alis sordide hyalinis, nervo ab angulo ad nervum 3tium excurrente recto, squama alba. ♀.

Hab. in Lapponia septentrionali forte rarissime, mihi non obvia, a Dom. Assessore et Doct. DEUTSCH benigne communicata. (Lappon. Tornensis.)

*Fem.* Long. fere 3 lin. Tota atra, nitida, pilosa. Hypostoma albo-micans. Antennarum articulus secundus ultimo latiori, fere triplo brevior. Series vibrissarum continua. Alae hyalinae, basi subfuscae, nervis longitudinalibus tertio recto, 4to angulatim sat longe intra apicem alae ad nervum 3tium flexo. Nervus ab angulo ad nervum tertium recta ducitur. Nervulus transversus ordinarius rectus, nec curvatus, nec obliquus. Squama alba. Abdomen oblongo-cylindricum. Pedes toti nigri. — Nervi alarum omnino ut in ala *Ptilocerae tomentosae* MACQ. Ins. Gall. Tachinar. 98. 5. T. 3. f. 9. directi. At in nostra nervus longit. 5tus fere usque ad marginem alae extensus, et nervulus transversus ordinarius magis rectus nec tam obliquus ac in figura MACQ.

**2. O. cunctans**: nigra, antennis longitudine hypostomatis, latis; alis albo-hyalinis, costa tenuiter nigricante, nervis transversis fuscedine cinctis, ab angulo ad nervum tertium excurrente subcurvato, squama alba. ♂.

MEIG. Dipt. 4. 419. 312? (quae 3 lin. long. describitur, alias similis). Vix *Melanophora nitida* MACQ. Dipt. Gall. Tachin. 94. 7. licet directio nervorum in ala Tab. 3. f. 7. sat similis nostrae videatur.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in Pino ad Stensele Lapponiae Umensis d. 3. Jul semel inventa. (Lapponia; Dalekarlia; Scania rariss.)

*Mas?* Long. vix 2 lin. Simillima *Ocypt. costatae* FALL., sed differt ab illa magnitudine paullo minori, antennis latioribus, nervis transversis infuscatis, et nervulo ab angulo ad nervum 3tium ducto, paullo recurvato, nec recto. Series vibrissarum continua.

*Obs.* Species: *Ocyptera lateralis*, *maculata*, *Umbratica*, *roralis*, *costata*, *carbonaria* et *simplex*, a FALL. descriptae, in Svecia inferiori passim, in Lapponia vix, occurrunt.

## 72. Gymnosoma. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 143. FALL. MACQ. *Musca* LINN. PANZ. *Tachina* FABR. *Ocyptera* LATR.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum, subglabrum. Antennae elongatae, obliquae, articulo ultimo cum secundo subaequaliter longo), compresso, lineari, subobtuso. Os nudum. Oculi in utroque sexu distantes. Abdomen subnudum, globosum, 4-annulatum, incisuris haud perspicuis. Alarum nervus longitudinalis 4tus angulatim flexus, cum nervo 3tio in disco alae mox infra marginem apicalem connexus. *Color* niger, rufus. *Motu* agilis, inquieta. *Habitatio* in floribus, ab uno ad alterum cito volando; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ex oculorum distantia in *femina* paullo latiori, quam in *mare*, per comparationem detegitur. (Spec. Scand. 2, corpore nudiusculo, ore nudo, abdomine subgloboso, fornicato, antennarum articulis secundo et tertio aequaliter longis etc., dignotae.)

**1. G. rotundata**: antennis longitudine hypostomatis nigra, capite albido, thorace antice pallide maculato, abdomine rufo, maculis dorsalibus nigris, alis fuscanis, basi flavis. ♂♀.

*Mas:* oculis mediocriter distantibus, interstitio flavicante, thorace antice fascia, in medio obsoleta, flavescente, abdominis maculis 4 rotundatis, subdiscretis, nigris;

*Fem.:* oculis latius distantibus, interstitio infuscato, thorace maculis humeralibus canis, abdominis maculis 4 anticis triangularibus, cohaerentibus, ultima saepius parva, rotundata, discreta; plerumque paullo major; in copula.

FALL. Dipt. Sv. Rhizom. 9. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 204. 1. ♂♀. *Musca rotundata* LINN. Fn. Sv. 1838. ♂♀. PANZ. Fn. 20. f. 19. ♂. *Tachina rotundata* FABR. Antl. 311. 12.

Hab. — ut Lapponiae incolam in Collectione D. DEUTSCHII vidi, ipse autem eam in terris arcticis non inveni. (Lappon.; Suecia media-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 4 lin. longa, magnitudine fere *Muscae domesticae*, brevior, magis rotundata. Nuda, subnitida. Antennae elongatae. Frons setis brevibus duplici serie ornata. Caput postice cinereo-hirtum. Squama et halteres albida. Pedes validi. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* *Gymnosoma dispar* FALL. (cujus ♂ *Cistogaster globosa*, et ♀ *Cistogast. ovata*, a D. MACQ. vocati), in Ostrogothia et Gottlandia in copula a me capta, in Lapponia frustra quaesita.

## 73. Phania. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 146. LATR. MACQ. *Tachina* FALL.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum, setosum, nitidum. Antennae deflexae, hypostomate breviores, articulo ultimo

elongato, compresso, obtuso, seta basi articulata. Os mystacinum, vibrissis nullis. Oculi brunnei. Abdomen subconicum, 4-annulatum, ano in utroque sexu elongato, inflexo. Alarum nervus longitudinalis 4tus arcuatim flexus, in ipso apice alae cum nervo costali conjunctus. *Color* niger in nostra. Pictura nulla, at in speciebus exoticis abdomen plerumque ferrugineum, subdiaphanum; unde nomen generis. *Motu* agilis. *Habitatio* in floribus et graminosis; per partem sylvaticam Lapponiae meridionalis. Larvae in abdomine Coleopterorum inventae. *Differentia sexus; mas:* oculis saepissime conniventibus seu interstitio tantum angusto disjunctis; *femina:* oculis mediocriter distantibus. (Spec. Scand. 4 in Museo meo adsunt, curvatura nervi 4ti, setis mystacinis paucis, antennarum forma, abdomine subconico, et cauda longe inflexa, apice uncinata, a reliquis suae Familiae distinctae.)

**1. Ph. thoracica**: nitida nigra, capite thoracisque antico opaco, cinereis, alis fusco-hyalinis, basi pallidis, squama alba, halteribus fuscis. ♀.

MEIG. Dipt. 4. 220. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in foliis fruticum et floribus Umbellatarum ad Wilhelmina et in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 15. Jul. — 1. Aug. individua feminea inveni. ♂ mihi ignotus. (In Lapponia tantum, nec alibi intra patriam hactenus inventa.)

*Fem.* Long. fere 3 lin, *Tachinae curvicaudae* FALL. similis, paullo major, colore capitis thoracisque antici griseo, distincta. Antennarum articulus ultimus secundo fere duplo longior, sat latus. Oculi mediocriter distantes, linea frontali media nigra. Vibrissae hypostomatis nullae, at setae frontales paucae. Palpi hypostomatis fere longitudine, nigri, tenues, extrorsum subcrassiores. Thorax antice griseus, maculis 3 certo situ fuscis. Abdomen subconicum seu breviter ovatum nitidum subaeneo-nigrum, parce setosum. Cauda analis ultra medium ventris inflexa. Alarum nervi transversi recti. Squama alba.

*Obs. Phania curvicauda* MEIG. et MACQ. (*Tachina* eadem FALL.), cujus larvas in abdomine *Harpali aulici* et *ruficornis* detexit, atque in Act. Holm. 1828 p. 165 descripsit Nob. D. BOHEMAN, in Svecia media et meridionali rarius obvia, in Lapponia vix occurrit.

*Obs. Gymnopeza* mihi, nov. genus, *Phaniae* affine, ore non mystaceo, palpis retractis, et corpore toto nudo ab illa distinctum, cujus species *Gymnop. albipennis* mihi a D. BOHEMAN in Smolandia, et a me in Scania detecta, ibi licet rarissime obvia, in Lapponia non reperta.

## 74. Trixa. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 147. LATR. MACQ. *Crameria* ROBIN. DESV.

*Corpus* magnum aut medium, oblongo-ovatum, Tachiniforme, pubescens et totum valde setosum, subopacum. Antennae incumbentes, brevissimae, articulis 2 et 3 aequalibus, horum ultimo rotundato, ovato, seta mediocri, subulata, inarticulata, nuda. Hypostoma inferne utrinque breviter pilosum, subvibrissatum, mystacibus vero nullis; apice immarginatum, apertura oris parva. Palpi subexserti, crassi, pilosi. Frons striata, biseriatim setosa. Oculi brunnei. Nervus alarum longitudinalis 4tus ad 3tium angulatim flexus, fere in apice alae cum nervo costali conjunctus. Nervus hic 4tus infra angulum paullo descendit. Nervus transversus ordinarius distincte inflexus. Abdomen 4-annulatum. Tarsi sat elongati. *Color* nigricans. *Motu* velocissima; aut volatu continuo juxta terram se movens, aut celerrima in aëre librans. *Habitatio*: in fruticibus; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larvae* forte parasiticae, vix phytophagae? *Differentia sexus; mas:* oculis approximatis, pulvillis elongatis; *femina:* oculis late distantibus, pulvillis breviusculis. (Spec. Scand. 3, hactenus ut mere lapponicae cognitae, palpis crassis setaque mystacina nulla, a *Tachinis*, et antennis brevissimis nervorumque directione ab affinibus suae ipsius Familiae dignoscendae.)

**1. T. lapponica**: nigra, thoracis abdominisque lateribus maculis albo-micantibus, antennis, palpis pedibusque rufo-testaceis, femoribus anticis superne vitta nigra; alarum nervis subinfuscatis. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in folio Betulae nanae in palude ad lacum Wojmsjoen paroeciae Fredricae Lapponiae Åselensis d. 29. Jul. 1832, a nunquam satis laudando D. Doct. DAHLBOM, unicum individuum inventum. (Lappon. Suec.)

*Fem.* Long. $5\frac{1}{2}$ lin. *Tachinae* majori similis. Nigra. Caput argenteum, fronte linea media striata, fusca. Antennae foveolis, fere ut in *Oestro*, insertae, testaceae, basi supra setam nigris. Palpi testacei, apice rotundati, crassi. Thorax antice et praesertim ad latera maculis albo-micantibus; in humeris puncto linea elevata, brevi discreto, rufo. Scutelli apex rufus. Alarum nervi fuscedine leviter cincti, basi flavicantes. Nervulus transversalis ab angulo ad costam ductus, curvatus. Squama et halteres albida. Abdomen ovatum, macula laterali in basi segmenti singuli sat magna, albo-micante. Pedes cum coxis rufo-testacei, nigro-spinosi; linea superna in femoribus anticis etiam nigra. — A *Trixa alpina* MEIG. ♂, cui valde similis videtur, aperte differt, magnitudine paullo minori, palpis apice non nigris, scutelli apice rufo, abdominisque lateribus minime rufis.

**2. T. obscura**: nigra, antennis, palpis, hypostomate inferne, pedibusque totis rufo-testaceis, alarum nervis non infuscatis. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in silva Barrsele Lapponiae Umensis d. 1. Jul. specimen unicum inveni. (Lappon. Suecica.)

*Fem.* Long. 5 lin. Simillima priori, sed paullo brevior, gibbosior et differt praecipue ab illa abdomine magis rotundato, corpore nigro, vix albo-micante, hypostomate inferne, pedibusque totis rufis, nec femoribus anticis macula nigra, ut et nervis alarum ipsis nigris, sed nulla fuscedine cinctis, basi tantum pallidis. Nervulus quoque ab angulo ad costam magis rectus ducitur. Cetera ut in praecedente. — Specimen inventum paullo detritum videtur.

**3. T. limbata**: nigra, antennis, abdominis limbo inaequaliter, pedibusque rufo-testaceis, femoribus anticis supra vitta nigra; alarum nervis infuscatis. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi rarius; ad Badstutraesk d. 30. Jun., et in palude ad Stensele d. 3. Jun. inventa. In alpibus Dowreensibus Norvegiae etiam a D. BOHEMAN lecta mihique communicata. (Lapponia.)

*Mas.* Long. $4\frac{1}{4}$ lin. Prioribus paullo minor, angustior, abdomine rufo, vitta dorsali inaequali, lata, nigra, ab illis praesertim distincta. Caput flavo-cinerascens. Oculi in fronte approximati, interstitio angusto, nigro, linea alba utrinque marginato, disjuncti. Antennae ut in prioribus. Palpi testacei, apice nigro-pilosi. Thorax cinerasceus, nigro-vittatus, scutelli summo apice interdum rufescente. Abdomen ut in diagnosi. Anus incurvatus. Alae ut in *Trixa lapponica*, sed nervi basi etiam infuscati, nec flavescentes. Squama et halteres albida. Pedes ut in *Tr. lapponica*, tarsorum vero articulis apice distinctius nigro-annulatis.

Var. ♂. femoribus anterioribus supra nigro-vittatis. Ad Badstutraesk.

A *Trixa dorsali* MEIG. Dipt. 4. 225. 5. (5 lin. longa, sexu non indicato), cui valde affinis videtur nostra *T. limbata*, haec differt antennis rufo-testaceis, nec nigro-brunneis, scutelli apice rufo, nec nigro, pedibus cum coxis totis rufis, nec nigris etc. ut et loco natali.

## 75. Miltogramma. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 148. MACQ. *Tachina* FALL. *Megaera* MACQ.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum, pubescens, parce setosum, opacum. Antennae incumbentes, breves, articulo ultimo elongato, lineari, compresso. Os setosum, sed setae mystacinae vibrissaeque nullae. Caput subvesiculosum, fronte ante oculos porrecta. Oculi in utroque sexu distantes, obscure brunnei. Abdomen subconicum, 4-annulatum, absque setis, praeter paucas in margine segmentorum. Alae longitudine vix abdominis, nervo 4to longitudinali angulatim, ad costam paullo ante apicem alae inflexus, excurrit. *Color* grisescens. *Motu* celerrima, inquieta. *Habitatio* in floribus et graminosis, libenter in arenosis, ubi testante D. MACQUART larvae parasiticae in aliorum insectorum larvis degunt. *Differentia sexus; mas:* ano subobtuso, et pulvillis paullo elongatis; *femina:* ano subacuto, et pulvillis brevibus. (Spec. Scand. 4, antennis brevibus, ore setoso, nec distincte mystacino, nervo 4to longit. ante apicem alae excurrente in costam, abdomineque subnudo, ab affinibus distinctae.)

**1. M. conica**: cinerea, abdomine trifariam fusco-maculato, antennis, palpis pedibusque nigris, squama alarum alba. ♂♀.

MEIG. Dipt. 4. 282. 13. *Tachina conica* FALL. Dipt. Sv. Muscid. 9. 14. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; in terra arenosa, sole sereno libenter sedet. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* $1\frac{1}{2}$—2 lin. long Cinerea. Caput argenteo-micans, fronte setulosa, in utroque sexu aequaliter mediocriter lata, paullo fusciore, praesertim in ♀. Os setulosum, et seta mystacina parva. Vibrissae omnino nullae. Antennae hypostomate dimidio breviores, fuscae. Palpi nigri. Thorax antice certo situ fusco-maculatus.

Nervus 4tus infra angulum subcontinuatur. Nervus transversus ordinarius rectus. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* *Miltogramma oestracea* MEIG. (*Tachina* eadem FALL.) in Suecia media et meridionali frequenter occurrens, in Lapponia a me non reperta.

## 76. Micra. ZETT.

*Corpus* parvum, oblongum, pubescens, subopacum. Antennae incumbentes, breves, articulo ultimo secundo parum longiori, subquadrato, compresso. Os setulosum. Mystaces et vibrissae nullae. Frons ante oculos minime prominens. Proboscis et palpi retracta. Oculi magni, obscure brunnei, in mare approximati. Abdomen rotundato-ovatum, subdepressum, ano inflexo, hamato (♂). Alae longitudine abdominis, nervo 4to longitudinali arcuatim flexo, in summo apice alae excurrit. *Color* nigricans. *Motu* agilis. *Habitatio*; in inferalpinis Nordlandiae hospitatur. *Differentia sexus*; *mas*: oculis in frontis postico approximatis, ano inflexo hamato; *femina*: ignota. (Spec. Scand. 1 nostra, antennarum forma, ore, curvatura nervi 4ti et structura abdominis, a generibus prioribus hujus familiae, facile dignoscenda.)

**1. M. Trixina**: nigricans, hypostomate argenteo-micante, abdominis segmentis basi subcinerascentibus, squama albida. ♂.

Hab. in Nordlandia rarissime; ad Björkvik prope Ofotenfjord d. 14. Jul. 1821 unicum individuum detegere mihi contigit. (Lapponia Norveg.)

*Mas.* Long. circiter 1½ lin. Nigricans, tota pubescens, seu pilosa, sed setis rigidis minime vestita. Antennae hypostomate triplo breviores, seta mediocri, subulata, basi articulata. Caput argenteo-micans, macula supra antennas triangulari nigra, pilosa. Thorax antice parum griseo-maculatus. Abdominis fasciae subcinereae linea media nigra abruptae. Alae hyalinae, nervo 4to long. in summo apice alae, at mox infra apicem cum nervo 3tio confluente. Nervi transversi ordinarii recti. Squama sordide albida. Halteres fusci. Pedes nigri, pilosi, non spinulosi.

---

# FAM. 21. MUSCIDES. LATR. FALL. MEIG.*) (*Muscidiae* WIED.).

Antennae deflexae aut obliquae, saepissime lineares, truncatae, seta dorsali. Proboscis retracta. Os semper mystacinum. Nervus alarum 4tus longitudinalis aut curvatus, aut rectus, cum nervo costali conjunctus. Abdomen 4—6 annulatum. Pulvilli intra ungues plerumque in ♂ longiores, majores, quam in ♀. Metamorphosis annua. Larvae apodes, vermiformes, annulatae, forsitan omnes, pleraeque saltem, sarcophagae, parasiticae, e regno vegetabili non nisi rarius nutrimentum hauriunt.

† Palpi filiformes.

* Alae divaricatae (in *Musca Groenlandica* etc. incumbentes), nervo longit. 4to magis vel minus curvato, aut ante apicem, aut in apice alae cum nervo costali conjuncto.

*Obs.* Genera *Trixa*, *Miltogramma* et *Micra*, huic Familiae valde affinia, inter *Rhizomyzides* quaerenda.

## 77. Gonia. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 150. MACQ. *Musca* DE GEER. *Tachina* FALL.

*Corpus* magnum aut medium, ovato-oblongum, pubescens et rigide setosum. Caput inflatum, vesiculosum, undique setulosum, non vibrissatum. Antennae longitudine fere hypostomatis, incumbentes, articulo ultimo longissimo, prismatico, seta nuda, triarticulata, in medio geniculata. Oculi parvi, oblongi, nudi, in utroque sexu latissime distantes, linea media frontali subconvexa, non striata. Nervus alar. 4tus longitud. angulatus, paullo ante apicem alae cum nervo costali et longitudinali 3tio in eodem puncto conjunctus, infra angulum interdum continuatus. Abdomen 4-annulatum. *Color* griseus, aridus. *Motu* agilissima, inquieta. *Habitatio* in floribus, in terra arida saepe moratur; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas*: hamulis 2 corneis, inflexis analibus, et antennis paullo longioribus, a *femina*: vagina anali brevi, articulata, cylindrica, parum erumpente, et antennis brevioribus per comparationem ab attento oculo, facile distinguitur. (Spec. Scand. 8, capite buccato, undique setuloso, vibrissis nullis, oculis in utroque sexu late remotis, setaque antennarum geniculata, a sequentibus Familiae dignotae. Typus generis *Gon. capitata*.)

**1. G. capitata**: thorace griseo, fusco-vittato, limbo-posteriori scutelloque rufis, capite flavo, abdomine pellucido-testaceo, vitta dorsali, ano, antennarum articulo ultimo pedibusque nigris. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 3. 1. MACQ. Dipt. Gall. Tachinariae 178. 1. ♂♀. T. 5. f. 8. ala. *Musca capitata* DE GEER Ins. 6. 23. t. 1. f. 3. *Tachina capitata* FALL. Dipt. Sv. Musc. 11. 18. ♂♀. *Rhedia vernalis* et *Reaumuria capitata* ROBIN. DESVOIDY No. 1 et 2, secundum D. MACQUARTI observationem sexu tantum differunt.

Hab. in Lapponia testantibus Collectionibus septentrionalibus, mihi in terris arcticis non obvia. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 6 — 7 lin. Caput flavum, superne setis sparsis nigris; linea frontali media saepe aurantiaca. Antennae articulis basalibus, in ♂ brevibus, ultimo longissimo, in ♀ articulo 2do et ultimo fere aequaliter longis; in utroque sexu basi rufae, articulo ultimo nigro. Palpi flavi. Proboscis nigra. Thoracis humeri et limbus posterior rufi. Scutellum testaceum. Maculae abdominis laterales et ani utrinque, albo-micantes. Alae hyalinae, basi subpallidae. Nervus 4tus ab angulo ad costam curvatus, at infra angulum non continuatus. Nervus transversus ordinarius inflexus et obliquus. Squama alba. Halteres fusci. Pedes nigri, setosi.

**2. G. flaviceps**: nigra, immaculata, palpis antennisque concoloribus, his basi scutelloque ferrugineis, capite flavo, alis hyalinis. ♂.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime; in alpium Tornensium jugo inter Alten et Kautokeino Finmarkiae d. 14. Aug. 1821 unicum specimen inveni. (Lapponia.)

*Mas.* Long. 4½ lin. Similis *Tachin. ruficeps* FALL., at minor, et corpore maculis albo-micantibus nullis, alarum nervis non infuscatis etc. ab illa distincta. Tota caerulescenti nigra, nitida. Caput flavum, albo-micans, vitta frontali intense flava. Setae mystacinae distinctae. Scutellum rufum. Alae hyalinae, basi vix fusciores, nervis fere ut in *Gon. capitata* directis, at nervuli, transversus ordinarius et ille ab angulo ad costam ductus, magis recti. Squama alba. Halteres fusci. Pedes nigri, pulvillis elongatis.

*Obs.* FALLENI *Tachina hebes* et *ruficeps*, huic generi subjiciendae, in Suecia inferiori rarius, in Lapponia vix, colliguntur.

## 78. Xysta. MEIG.*)

MEIG. Dipt. Eur. gen. 141. *Thereva* FABR.

*Corpus* medium, oblongo-ovatum, pubescens et setosum. Antennae hypostomate duplo breviores, incumbentes, articulo secundo ultimoque subaequalibus, compressis, seta nuda. Os mystacinum. Vibrissae spuriae. Abdomen ovatum, subconvexum, 5—6-annulatum. Alarum nervus 4tus angulatim flexus, cum nervo costali, in apice l. in 1ma specie paullo ante summum apicem alae conjunctus, et infra angulum in 1ma specie apparenter continuatus. *Color* nigricans. *Motu* agilis. *Habitatio* . . . .; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* mihi ignota, at in altero speciminum visorum, forte femineo, anus aculeo exserto, recto. (Spec. Scand. 2, nostrae, antennis brevibus, articulis 2 et 3 subaequaliter longis, hypostomate subcontracto, abdomine 5—6-annulato, et ano in ♀ appendiculato, a *Tachina* etc. dignotae.)

---

*) Mirum sane videtur, Clar. MEIGENUM genera tam *multa* eaque valde *dissimilia* in hanc Familiam congessisse, ex. gr. *Tachinam*, *Trypetam* (*Tephrit.*), *Steganam*, *Calobatam* etc., quae neque characteribus, neque habitu aut victu conveniunt; cum e contrario in prioribus partibus Operis sui genera, notis saepe levissimis discrepantia, in diversas Familias distribuit, ex. gr. *Therevam* (*Bibionem* FALL.) et *Anthracem*, quae licet sat affinia in duas Familias, nempe: *Xylotomas* et *Bombylarios*, separavit.

*) *Xysta* (*gravida*) ESCHSCHOLTZ, Zoologischer Atlas, 2. p. 9. est etiam Coleopterorum genus inter *Melasomata*. Cfr. Magazin de Zoologie par GUERIN. Paris 1833. p. 30. 31.

**1. X. striginervis**: oblongo-ovata, glauco-cinerea, fronte prominente argentea, antennis, hypostomate fere duplo brevioribus, vitta frontali media, palpis, thoracis vittis tribus, maculis abdominis triplici serie pedibusque, nigris; nervo alarum 3tio longitudinali versus apicem strigis 2 vel 3 capillaribus. ♀?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad lacum Wojmsjoen paroeciae Wilhelminae d. 11. Jun. unicum specimen detegere mihi contigit. (Lappon. meridional.)

*Fem.!* Long. 4 lin. *Muscae domesticae* statura subsimilis. Affinis *Tachinae*, cujus speciem primo obtutu et ante adcuratius examen credidi. Caput argenteum. Oculi non late distantes, vitta media nigra, striata, utrinque albo-marginata. Setae circa os utrinque plures, sed non longae, nec rigidae. Vibrissae nullae, sed loco illarum series pilorum parvorum. Thoracis vittae nigrae latae, media latior. Abdomen ovatum, setosum, glaucum, maculis triangularibus triplici ordine dispositis, subcohaerentibus, nigro-brunneis. Ex ano erumpit stylus corneus, subulatus, rectus, niger. Alae ut in *Tachina leucocephala* (No. 5), at omnino inermes, et nervo long. 3tio ad apicem strigis 3 transversis, minutissimis, fuscis, oculo tantum armato observandis. Squama alba. Pedes nigri, certo situ cinereo-micantes. Pulvilli elongati.

**2. X. grisea**: oblongo-ovata grisea, fronte parum prominente argentea, antennis hypostomate fere duplo brevioribus, angulo supero acuminato, totis, vitta frontali media, palpis, thoracis antico lineolis 3 obsoletis, pedibusque, nigris. ♂.

Hab. in Dalekarlia, a D. Boheman 1836 detecta. (Lapp. maxime merid.)

*Mas.* Long. fere 3 lin. Grisea, abdominis dorso maculis obsoletissimis certo tantum situ perspicuis, fuscis. Oculi nudi in fronte subapproximati, vitta nigra argenteo-marginata, distincti. Antennarum seta nuda capillaris, basi incrassata. Alae subhyalinae, basi parum albescentes, nervo 4to angulato arcuatim flexo in summo apice alae excurrente. Nervi basi inermes, nec setulosi. Nervus transversus ord. subincurvus squama sordide albida.

*Obs.* Cel. Meigen l. c. duas descripsit hujus generis species, abdomine convexo, subnudo, ut et colore corporis a nostris diversas. *Xysta cilipes* Meig. 4. 182. 1. T. 39. f. 4. 5. ano aculeo incurvato in figura repraesentatur. Oculi etiam in fronte subcohaerentes, et longitudo corporis $3\frac{1}{2}$ lin. An *Mas!*

---

## 79. Tachina. Meig.

Meig. Dipt. Europ. gen. 149. Fabr. Fall. Macq. *) *Musca* Linn. Panz. *Echinomyia* Latr.

*Corpus* magnum, medium, aut parvum, oblongo-ovatum, pubescens et setosum. Antennae fronti plerumque prominenti insertae, deflexae aut incumbentes; articulo ultimo saepius elongato, inferne semper truncato, seta nuda. Os mystacibus distinctis. Vibrissae plerumque adsunt. Oculi ovati, obscure brunnei. Abdomen 4-annulatum. Alarum nervus 4tus long. ad 3tium saepissime angulatim, raro arcuatim, flexus. Pedes simplices. *Color* nigricans, grisescens. *Motu* agilissima, valde inquieta. *Habitatio* in floribus, foliis fruticum et graminosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. Media aestate vel versus finem, imagines praesertim vigent. *Metamorphosis* non omnium nota. Plurium *larvas* in larvis aliorum insectorum, praeprimis Lepidopterorum vivere, saepe ipse observavi. Forte eadem omnibus vitae conditio. Hinc *Tachinae* in oeconomia naturae utiles, larvarum nocentium multiplicationem moderantes. *Differentia sexus* varia; *mas*: aut interdum oculis subapproximatis, aut semper ano obtusiore, hamulis 2 corneis inflexis, et pulvillis intra ungues majoribus, longioribus, a *femina*: oculis semper distantibus, vagina anali brevi articulata, saepe recondita, dignoscitur. (Spec. Scand. 164 in Museo meo adsunt, antennarum seta nuda, mystacibus vibrissisque saepissime distinctis, abdomine 4-annulato et nervo alarum 4to ad 3tium angulatim (raro arcuatim) flexo, ab aliis affinibus dignotae, oculorum nuditate aut hirsutie, antennarum forma, nervorumque directione forsitan optime disponendae **).

*) Qui tamen hoc genus Meigenianum in plura, magis minus distincta, divisit.

**) Magnitudo et affinitas specierum difficultasque eas inter se distinguendi, diagnoses nostras saepe perlongas et prolixas excusabunt.

### *Sect.* 1. *Oculi nudi.*

A. Antennae oblique deflexae, articulo ultimo breviori, subquadrato. Seta triarticulata. Abdomen rotundato-ovatum. Oculi in ♂ subapproximati. Larvae parasiticae, in larvis aliorum insectorum vivunt. *Echinomyia* Duméril, Latr. Macq.

**1. T. Marklini**: nigra, nitida, antennarum basi scutelloque ferrugineis, hypostomate cinerascente, abdomine pellucido-ferrugineo, vitta dorsali atra, alis fusco-hyalinis, basi et squama-flavescentibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica passim; ad Haparanda D. Deutsch, ad Öfver-Torneå D. Portin; ad Lycksele, Wilhelmina et Fredrica, Lapponiae Umensis, ipse, d. 22. Jul. — 28. Aug. capta. (Lappon.; Botnia occident. ad Skellefteå; ad Hernösand Angermanniae, rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 6 lin. Affinis et similis *Tach. ferae* Fall., paullo major, colore corporis nitidissimo nigro, abdominis vitta dorsali atra latiori, pedibus totis nigris etc. ab illa certe distincta; nec cohabitant. Antennae hypostomate dimidio breviores, ferrugineae, articulo ultimo nigro. Apertura oris pallida. Frons in ♂ mediocriter lata, in ♀ fere duplo latior, linea media in utroque sexu substriata, nigra, aut rufo-picea. Caput postice flavo-villosum. Abdomen nigrum, segmentis 3 anticis lateribus inaequaliter, anoque in ♀ rufo-pellucidis. Nervus 4tus infra angulum non continuatur, ad costam paullo inflexus ante apicem alae excurrit. Nervulus transversus ordinarius obliquus, parum inflexus.

Memoriam amici mei D. Gabr. Marklin ad Reg. Societ. Litt. Upsal. Adjuncti etc. in hac specie, e loco Clar. Viri Natali Skellefteå reportata, conservare volui.

*Obs. Tachina grossa* et *fera* Fall. in Suecia inferiori frequenter, in Lapponia non, inventae.

B) Antennae incumbentes, articulo ultimo elongato. Seta saepe triarticulata. Abdomen conico-ovatum. Antennae in utroque sexu distantes.

° Nervus alarum 4tus infra angulum apparenter saltem continuatus, curvatura saepius sursum flexa. *Metopia* et *Athericia* Macq. *Tachinae* species ejusdem.

**2. T. Larvarum**: elongata cinerea, fronte ante oculos distincte porrecta, argenteo-flava, linea media, antennis, hypostomate paullo brevioribus, thoracis vittis 4, abdominis fasciis pedibusque, nigris, palpis testaceis, nervis inermibus, squama sordide albida; serie setarum frontalium ad hypostoma descendente. ♂♀.

Meig. Dipt. 4. 295. ♂♀. (exclus. syn. Fall. *Tach. rurali*) *Musca larvarum* Linn. Fn. Sv. 1839. Fabr. Antl. 300. 81.? (scutello in nostra nunquam rufo). *Tachina rustica* Fall. Dipt. Sv. Musc. 5 5. certissime. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; etiam in Dowre Norvegiae a D. Boheman capta. (Lapp.-Dalekarlia-Scan. vulgaris et frequens, e Chrysalid. *Tineae Evonymellae* saepe exclusa.)

*Mas.* et *Fem.* 4—5 lin. long. *Muscae domesticae* habitu similis, longior. Antennarum articulus ultimus secundo vix dimidio longior. Hypostoma argenteum. Frons praesertim in ♂ flavescens. Oculi non late distantes et fere aequali spatio in utroque sexu remoti. Nervus 4tus infra angulum tantum apparenter descendit, paullo ante apicem alae in costam excurrens. Nervi transversi, ordinarius obliquus, parum curvatus, medius minutus. Alae hyalinae, basi concolores. Femina saepius minor, pulvillis parvis.

**3. T. ruralis**: oblonga, nigra, maculatim albo-cinerascens, fronte ante oculos parum porrecta, alba, antennis hypostomate paullo brevioribus; palpis apice testaceis, nervis auxiliari et tertio longitudinali setulosis, squama alba, serie setarum frontalium subabrupta. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Muscid. 5. 6. vera. ♂♀. *Tach. verticalis* Meig. Dipt. 4. 299. 105. certiss. ♂♀.

Hab. cum praecedente, in Lapponia aeque rara. (Lapp.-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* 4 lin. long. A priori, cui similis, aperte differt: fronte parum porrecta, cinerea, latiori, abdominis fasciis nigris minus perspicuis, nervis, longitudinalibus 2 et 3 basi setulosis, et ordinario magis obliquo, ut et magnitudine paullo minori, breviori. Antennarum articulus ultimus dilatatus, longitudine 1 et 2 simul sumtorum. Setae frontales non crebrae, sed rigidae, validae, infra antennarum basin descendunt. Vibrissae nullae. Thorax obsolete vittatus. Squama alba. Halteres fusci. Pedes nigri. — Fallenii nomen *ruralis* antiquius et melius, ergo retinendum.

**4. T. devia**: oblonga, nigra, nitida, maculatim albo-micans, fronte ante oculos distincte porrecta, argentea, linea

media, palpis, antennis hypostomate paullo brevioribus pedibusque, nigris, vittis thoracis 4 maculisque abdominis lateralibus albo-micantibus; squama alarum alba, nervis inermibus. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Muscid. 6. 8. vera. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 301. 108. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Stensele Lapponiae Umensis d. 3. Jul. unicum individuum utriusque sexus inveni. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Statura et fere magnitudo *Tach. Larvarum* (No. 2), colore corporis nigro in caerulescentem migrante. Caput argenteum, nec argenteo-flavum, linea verticali nigra. Antennae nigrae, articulo ultimo reliquis simul sumtis duplo longiori. Series setarum vix infra antennarum basin descendit. Vibrissae nullae. Hypostomatis apex albescit. Thorax nigro-trivittatus. Alae ut in *Tach. Larvarum*, sed nervo ab angulo ad costam ducto, magis inflexo. Squama alba. Halteres fusci.

**5. T. leucocephala:** oblonga, cinerascens, hypostomate fronteque longe porrecta, argenteis, linea media frontali in ♀, antennis longitudine hypostomatis, palpis, thoracis lineis 4, abdominis maculis triplici serie pedibusque in utroque sexu, nigris; squama alba, nervis subinermibus, vibrissis distinctis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Muscid. 8. 11. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 371. 229. ♂♀. *Musca leucocephala* Panz. Fn. 54. 14. ♂. *Metopia leucocephala* Macq. Dipt. Gall. Tach. 148. 1. ♂♀. *Musca labiata* Fabr. Antl. 304. 100. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali passim, ad Stensele et Lycksele Lapponiae Umensis 3. Jul. — 13. Aug. capta; inter frutices et plantas vivaciores, quarum foliis interdum insidet, deprehenditur, valde agilis, inquieta, semper fere in agitatione. (Lapp.-Botnia-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Parva, circiter 3 lin. long. Color corporis paullo variat nigricans, aenescens, cinerascens. Antennae inflexae, longissimae, nigrae, articulis 2 basalibus brevissimis. Frons subconico-porrecta, in ♂ argenteo-nitidissima, in ♀ minus nitida, at linea media nigra. Vertex nigricans. Palpi nigri. Series vibrissarum integra, ab ore ad antennarum basin continua. Thoracis vittae nigrae saepe obsoletae. Abdominis maculae trigonae interdum confluentes. Alae hyalinae, immaculatae. Nervus longitudinalis 3tius setulis 3—4 interdum armatus. Nervulus ordinarius subrectus et parum obliquus. Nervus 4tus infra angulum obtusum apparenter descendit, et ab angulo ad costam paullo ante apicem subrecta excurrit. In illaesis individuis abdomen masculorum lateribus maculis albis micat.

**6. T. argyrocephala:** oblonga, cinerascens, hypostomate fronteque longe porrecta, argenteis, linea media in ♂ angustissima, in ♀ lata, antennis longitudine hypostomatis, palpis, thoracis lineis 4, abdominis maculis triplici serie pedibusque in utroque sexu, nigris; squama alba, nervis subinermibus, vibrissis distinctis. ♂♀.

Meig. Dipt. 4. 372. 230. ♂♀. *Araba argyrocephala* Robin. Desv. No. 3. *Metopia argyroceph.* Macq. Dipt. Gall. Tach. 148. 2. ♂♀. Sub *Tachin. leucocephal.* Fall. l. c. etiam latet.

Hab in Lapponia rar.; ad Björkvik Nordlandiae mascula a me capta. (Lappon.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, statura, proportio partium, color, mores, et omnia ut in praecedente omnino, nec differt ab illa nisi linea media frontali in ♂ ab antennarum basi per laminam argenteam, in vertice etiam, ducta, angusta, nigra. Femina hujus, a femina praecedentis parum discrepans, in Lapponia a me non visa.

**7. T. campestris:** oblonga, cinerascens, hypostomate fronteque parum porrecta, argenteo-micantibus, vitta frontali media lata, antennis longitudine hypostomatis, palpis, thoracis lineis 4, abdominis fasciis sinuatis lineaque dorsali media angusta, pedibusque, nigris; squama alba, nervis subinermibus, vibrissis distinctis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Muscid. 8. 12. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 373. 231. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rar.; ad Stensele d. 3. Jul. lecta; ad Björkvik Nordlandiae pupa cylindrica, nuda, brunnea inventa, e qua imago femin. d. 15. Jul. egressa. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½—3 lin. Similis *Tach. leucocephalae*, differt tantum ab illa: oculis in utroque sexu distantibus, fronte parum porrecta, lateribus tantum argenteo-micante, vitta frontali media lata nigra, et abdominis pictura fasciata, nec maculata. Mas a femina aegre distinguitur, nisi per comparationem sexus frontem perparum latiorem, abdomen paullo magis depressum et latum, ut et anum acutiorem, tuberculo nullo inflexo praeditum, in ♀ attente observes. Pulvilli in utroque sexu aequaliter fere longi, parvi.

**8. T. cylindrica:** subcylindrica, cinerea, fronte distincte porrecta, albida, antennis hypostomate paullo brevioribus, seta brevi crassa, vitta frontali media, palpis, thoracis lineis 4, abdominis maculis triangularibus triplici serie et linea media dorsali, pedibusque nigris; squama alba, nervis subinermibus, vibrissis nullis, setis mystacinis paucis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Musc. 8. 13. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 375. 234. ♂♀. *Athericia cylindrica* Macq. Dipt. Gall. Tach. 140. 3.

Hab. in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele, rarius; e Lapponia Norvegica etiam a D. Boheman communicata. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Parva, circiter 2 lin. long., subcylindrica, corporis forma, setis mystacinis paucis et defectu vibrissarum *Miltogrammae* affinis. Antennarum articuli 1 et 2 brevissimi, 3 longissimus. Oculi in utroque sexu aequaliter fere, sed non late distantes, vitta media distincta nigra, linea albida utrinque marginata. Setae corporis non crebrae. Alae ut in *Tach. leucocephala* (No. 5), at nervus 4tus longit. propius ad apicem alae excurrens. Reliqua ut in diagnosi.

**9. T. imberbis:** oblonga, grisea, fronte distincte porrecta, sordide albida, antennis hypostomate paullo brevioribus, seta brevi crassa, vitta frontali media, thoracis lineis 3, abdominis maculis triangularibus triplici serie, pedibusque nigris; palpis flavis, squama alba, nervis subinermibus, ab angulo ad costam valde inflexo, vibrissis nullis, setis mystacinis paucis. ♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime; mihi non obvia; e Tornoa a D. Deutsch mecum communicata. (Lapponia septentrionalis.)

*Fem.* Long. 2¼ lin. Simillima priori, sed ab illa manifeste differt: paullo major, latior, colore corporis frontisque magis grisescente, palpis flavis, nec nigris, fronte paullo minus lata, vitta nigra angustiori, thoracis lineis 3 fuscis obsoletioribus, abdominis ovati maculis triangularibus, triplici serie dispositis, nigris evidentioribus, et nervis alarum, ab angulo ad costam ducto juxta angulum valde inflexo, transversoque ordinario magis obliquo. Cetera ut in praecedente omnino.

**10. T. amabilis:** oblonga, nigro-cinerascens, fronte parum prominente concolore, vitta media lata, antennis longitudine hypostomatis, palpis, thoracis lineis 4, abdominis fasciis rectis et linea dorsali, pedibusque, nigris; squama alba, nervis subinermibus, vibrissis distinctis. ♀.

Meig. Dipt. 4. 374. 232. ♂♀. (nostrae simillima videtur praeter longitudinem 3 linearum.)

Hab in Lapponia Tornensi rarissime. (Lapponia; Botn. occid. 7. Sept.; Scania 22. Jun. rar.)

*Fem.* Long. circiter 2 lin. Affinis et similis *Tach. cylindricae*, a qua differt praecipue magnitudine minori, colore corporis nigro magis in caeruleum vergente, et cinereo magis in albidum, ut et fasciis abdominis nigris fere rectis, nec sinuatis. Reliqua ut in diagnosi aut in *Tach. campestri.* — Variat forte detrita, abdominis nigredine confluente, relictis tantum maculis albis in lateribus. — *Mas* a D. Meigen ut feminae similis describitur, a me non visus.

**11. T sannio:** oblongo-ovata, cinerea, supra dilute brunneo-maculata, fronte prominente albida, palpis flavis, antennis longitudine fere hypostomatis, thoracis lineis 4 obsoletis, pedibus abdominisque ovati maculis nigris, incisuris et squama albis; alis subinermibus, vibrissis nullis ♀.

Hab in Lapponia meridionali rarissime, ad Åsele d. 28. Jul. 1832 inventa. (Lapponia.)

*Fem.* Long. 4 lin. Statura *Muscae domesticae.* Caput argenteo-albidum. Frons valde lata, setis utrinque serie duplicata ornata, macula verticis dilute brunnea. Antennae elongatae et seta valida, nigra. Thorax et scutellum disco laete brunneo-tincta. Thoracis lineae 4 fuscae, antice valde obsoletae, laterales saltem certo tantum situ detegendae. Abdomen subdepressum, ovatum, griseonigroque variegatum, segmentis basi anguste, et maculis lateralibus, albo-micantibus, nitidis. Alae ut in *Tach. leucocephala.* Squama alba. Halteres fusci. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* Species Fallenianae *Tachina fasciata* (*Tach. flavescens* Meig. et Macq.), *ambigua*, *agrestis*, *spathulata*, *minuta* et *griseola*, huic subdivisioni subjectae, in Suecia inferiori plus minus raro obviae, in Lapponia a me non observatae.

°° Nervus alarum 4tus infra angulum obtusum non continuatus, in costam propius ad apicem alae plerumque excurrit. Genera: *Masicera*, *Pales*, *Myobia* et *Clytia* Macq.

**12. T. nigripes:** vibrissis subnullis, oblonga, nigra, maculatim albicans, thorace vittato, alarum squama alba, angulo nervi 4ti rectilineari, nervo transverso ordinario subincurvo; antennis longitudine fere hypostomatis, linearibus. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Muscid. 13. 24. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 357. 205. (secundum Fall. exscripta.)

Hab. in Lapponia rar. Inter Dowre et Lerdalsoeren Norvegiae a D. BOHEMAN capta; ad Kemi d. 30. Aug. ipse inveni. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Oblonga. Caput albicans, vitta frontali media nigra. Frons paullo prominens. Antennae angustatae palpique nigra. Setae frontales paullo infra antennarum basin descendunt. Vibrissae supra setas mystacinas validas paucae, breves. Oculi oblongi, in ♀ paullo latius distantes, quam in ♂. Abdominis segmenta basi et lateribus albo-micantia; in segmento 2do maris interdum macula lateralis rufa. Alae hyalinae, immaculatae, nervis inermibus, tertio longitudinali tantum basi setulis 2—4 armato. Nervus 4tus paullo ante apicem alae excurrit. Reliqua ut in diagnosi.

**13. T. tibialis:** vibrissis nullis oblonga, nigra, maculatim albicans, thorace vittato, squama sordide albida, tibiis testaceis; angulo nervi 4ti rectilineari, nervulo transverso ordinario subincurvo, antennis hypostomate brevioribus, linearibus. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Musc. 13. 23. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 278. 67.

Hab. in Lapponia rar.; in floribus Salicum ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 27. Jun. inveni. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 3½—4 lin. Similis *Tach. nigripedi*, paullo angustior, antennis brevioribus, alis basi minus flavescentibus et tibiis testaceis ab illa distincta. Frons subporrecta, sordide albida, vitta media nigra. Oculi in ♂ propiores, quam in ♀. Thorax albicans, vittis 3 latioribus nigris. Abdomen oblongum albicans, segmentis apice fascia nigricante. Alae albo-hyalinae, basi subinfuscatae, nervo 4to in summum fere apicem excurrente. Squama albida. Halteres testacei.

Variat in Suecia inferiori abdominis lateribus ferrugineo-maculatis; talem vero in Lapponia non vidi.

**14. T. spathulaeformis:** vibrissis nullis oblonga, nigra, antice submaculatim albicans, thorace subvittato, squama alba, angulo nervi 4ti rectilineari, nervo transverso ordinario subrecto, antennis longitudine hypostomatis, apice distincte dilatatis. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica; in alpe Dowre a D. BOHEMAN detecta mihique ad describendum benigne communicata. (Lapponia.)

*Mas.* Long. 3½ lin. Affinis *Tach. nigripedi*, paullo angustior, antennarum forma et ab hac et ab aliis confinibus mox dignota. Tota nigra, subnitida. Hypostoma argenteo-micans. Antennae apice dilatato spathulam formant. Seta mediocris. Interstitium frontale latum, setosum, utrinque argenteo-micans. Abdomen subcylindricum, subincurvum, nigrum, nitidum, immaculatum (an in specimine paullo detrito?). Alae totae subfusco-hyalinae. Nervus 4tus rectangulatim flexus fere in summum apicem alae excurrit; squama alba. Pedes toti nigri.

**15. T. laticornis:** vibrissis distinctis oblonga, nigra, maculatim albicans, thorace vittato, squama alba; alarum angulo nervi 4ti rectilineari, nervo transverso ordinario subincurvo, antennis longitudine hypostomatis linearibus magnis. ♀.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime, ad Bossekop Finmarkiae occidentalis, non longe a NordCap d. 4. Aug. 1821 semel a me lecta. (Lapponia Norvegica-Dalekarlia 1836.)

*Fem.* Long. 3½ lin. Similis iteram *Tach. nigripedi*, paullo minor et ab illa differt vibrissis distinctioribus, medium oculi attingentibus, antennis longioribus et multo validioribus, ut et nervo 4to fere in ipso apice excurrente. A *Tach Muscaria* FALL., cui adhuc magis appropinquat, antennis majoribus et curvatura nervi 4ti angulata, nec arcuata, distincta. Reliqua ut in diagnosi vel ut in *Tach. nigripede.*

**16. T. collaris:** vibrissis distinctis subcylindrica, nigra, thoracis antico nigro-vittato, squama abdominisque maculis lateralibus albis; antennis longitudine fere hypostomatis linearibus, angustis, alarum nervo 4to subarcuatim angulato, angulo rectilineari, in apicem alae excurrente, nervulo transverso ordinario subrecto. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Musc. 15. 27. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 403. 286. ♂♀.

Hab. in Lapponia Norvegica passim; in alpe Dowre a D. BOHEMAN mens. Jun., Julio lecta; in Lapponia Suecica a me frustra quaesita. (Lapp.-Dalekarlia-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4—4¼ lin. Caput argenteum, vitta media nigra. Oculi in fronte maris propiores, quam in feminae. Antennae, seta longa basi subincrassata palpique nigra. Setae frontales infra antennarum basin descendunt fere usque ad punctum, ubi vibrissae desinunt. Thorax lobo antico albo, lineis 4 nigris. Macula ante scutellum albo-micans. Abdomen fasciis 3 argenteis, interruptis. Alae hyalinae immaculatae, inermes. Reliqua ut in diagnosi.

**17. T. albicincta:** vibrissis distinctis cylindrica, nigra, thoracis maculis, squama abdominisque cingulis 3, albis; alarum nervo 4to angulatim flexo in apice alae recta excurrente, antennis longitudine hypostomatis linearibus, validis. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in silva Stensele 4. Jul. lecta. (Lapp. Suec. Dalekarlia.)

*Fem.* Inter minores, circiter 2 lin. long. A *Tach. blanda* FALL., cui alias valde similis, differt magnitudine paullo minori, antennis validioribus, seta longiori ad medium fere incrassata, ut et curvatura nervi 4ti angulata, vix arcuata. A *Tachin. albo-cingulata* FALL., cui etiam simillima, nervo 4to in summo apice alae, nec procul ab apice excurrente, mox distincta. Vibrissae desinunt, ubi setae frontales incipiunt, seu fere juxta antennarum basin. Caput albicans, fronte latiori fusca, vitta media nigra. Alae hyalinae immaculatae, inermes, nervo 4to in eodem puncto cum nervo tertio in apice alae conjuncto.

**18. T. semicincta:** vibrissis abbreviatis oblonga, nigra, parum albido-micans, squama abdominisque cingulis 3 subinterruptis, albis; alarum nervo 4to angulatim flexo in apice alae recta excurrente, antennis longitudine hypostomatis linearibus, validis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, a D. DEUTSCH communicata, mihi ipsi non obvia. (Lapponia septentrionalis.)

*Fem.* Parva, 2 lin. long. Similis priori, sed ab illa differt magnitudine fere minori, statura scilicet paullo breviori, latiori, oculis in fronte non tam late distantibus, corpore parum albo-micante, abdominis cingulis albis subinterruptis, squama sordide, nec pure, albida, alis minus pure hyalinis, nervo 4to non omnino in eodem puncto cum nervo 3tio conjuncto, ut et serie vibrissarum abbreviata; a *Tach. albido-cingulata* FALL., cui quoque affinis, nervo 4to in summo apice alae, nec procul ab apice, excurrente; et tandem a *Tach. tricingulata* mihi (No. 50 infra), cui iterum similis, oculis nudis, nec hirtis, distincta. Nigricans, hypostomate argenteo- et pleuris cinereo-micantibus. Antennae et seta ut in priori. Series vibrissarum abbreviata. Frons mediocriter lata, atra, orbita oculorum argentea. Palpi nigri. Alae sordide hyalinae, angulo nervi 4ti obtuso. Nervulus transversus ordinarius rectus. Squama sordide albida. Abdomen ovatum, atrum, subnitidum, segmentis 2, 3 et 4 basi cingulo albo, in medio subinterrupto.

**19. T. mutabilis:** vibrissis nullis ovata, corpore ♂ nigricante, ♀ cinerascente, squama in utroque sexu subinfuscato, antennis longitudine fere hypostomatis linearibus, palpis pedibusque nigris; alis hyalinis, immaculatis, nervo 4to angulatim flexo, mox ante apicem alae exeunte. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Musc. 16. 31. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 403. 285. (secundum FALL. transscripta.)

Hab. in Lapponiae fruticibus rarissime, a D. DEUTSCH e Tornoa missa. (Lapp.-Scan. frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* Parva, circiter 2 lin. long. *Mas:* nigricans, hypostomate albo-micante. Oculi approximati, linea frontali angustiori disjuncti. Thorax et abdomen certo situ maculis cinerascentibus. Alae et squama, subinfuscatae. *Femina:* cinerascens tota. Oculi late distantes, linea frontali nigra aut picea. Lineae thoracis anticae tenues, nigrae. Maculae abdominis certo luminis situ fuscae. Alae hyalinae et squama alba, vix infuscatae. — Antennae in utroque sexu lineares, haud dilatatae. Alae inermes, h. e. setulis nullis in nervis armatae. Nervus 4tus prope ad apicem alae excurrit. Valde affinis et similis *Tachinae florali* (No. 49 infra), sed oculis nudis facillime dignota.

**20. T. discolor:** vibrissis nullis ovata, corpore ♂ nigricante, ♀ cinerascente, antennis in utroque sexu longitudine fere hypostomatis linearibus, haud dilatatis, palpis pedibusque nigris, alis fusco-hyalinis, nervo 4to angulatim flexo, mox ante apicem alae exeunte, squama fusco-flavescente. ♂♀.

*Tach. mutabilis* var. β. FALL. Dipt. Sv. Muscid. 17. 31. ♂.
*Tachin. bipunctata* WIEDEM. in litter.

Hab. in Lapponia Umensi freq., in foliis Betulae, in floribus Umbellatarum et Salicum, ad Barrsele, Wojmsjoen, Wilhelmina, Åsele et Aimsele, 1—29. Jul. vulgarem vidi, ad Tresunda d. 4. Jul. in copula capta. (Lapp.-Scan., ubi mares inprimis frequentiores.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Praecedenti simillima, sed plerumque duplo major, et praeterea differt ab illa: *mas* colore nigriore, thoracis lineis albis distinctioribus, alis praesertim basi magis nigricantibus, abdominis lateribus griseis et macula in segmento 2do utrinque rufescenti, subpellucida; *femina* ovata, convexa, corpore aut cinereo, aut griseo-flavescenti, alis hyalinis, squama flavescenti, halteribus flavis, abdomine subunicolore; nec species simul habitant, et ex utraque ambo occurrunt sexus. Oculi brunnei. Nervus alarum transversus ordin. subinflexus. Reliqua ut in diagnosi. — Var. ♀ rarius oculis tenuissime pubescentibus.

**21. T. convexula:** vibrissis nullis ovata, convexa, grisea, thoracis vittis 4, scutellique basi brunneis, abdomine rotun-

dato, fusco, maculis glauco-micantibus, squama albida, nervo 4to in apice alae excurrente, antennis hypostomate subnudo brevioribus, seta crassa, brevi, palpisque nigris. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi ad Lycksele, rarissime. (Lapponia meridional.)

*Fem.* Parva, vix $1\frac{1}{2}$ lin. long. Ovata, convexa, grisea. Caput cinereum, fere ut in *Miltogramma* constructum, subnudum, setarum frontalium et mystaciuarum perpaucis tantum distinctis. Frons paullo prominens, linea media nigra. Oculi non late distantes. Antennae hypostomate elongato duplo fere breviores, articulo ultimo reliquis triplo longiori, lineari, non valido, apice obtuso; seta brevi, crassa, basi articulata. Thoracis antici lineae 4 brunneae, humerales latiores. Abdomen ovato-rotundatum, valde convexum, nitidum pubescens, sed parum rigide setosum, fusco-brunneum, segmentis basi maculis glauco-albo-micantibus, in fascias fere digestis. Alae hyalinae, nervo 4to vix apparenter intra angulum continuato. Nervulus transversus ordinarius subrectus. Squama albida. Halteres flavi. Pedes cinereo-nigri.

**22. T. Goniaeoides**: capite undique setoso oblonga, nigra, maculatim albicans, alis hyalinis, basi flavis, nervo 4to angulatim flexo, in apice alae excurrente, squama albida; antennis longitudine fere hypostomatis compressis, valde dilatatis, seta crassa, triarticulata. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, ad Åsele 26. Jul. 1832 unicum specimen inveni. (Lapponia.)

*Fem.* Long. $5\frac{1}{4}$ lin. Elongata, *Tach deviae* (antea No. 4) subsimilis. Caput nigrum, albo-micans, undique sat crebre et longe sparse setosum, at vibrissis in carina hypostomatis interioris ordinariis vix ullis. Hinc *Goniae* similis. Frons porrecta. Oculi sat late distantes, vitta frontali media striata, nigra. Antennae intus valde dilatatae. Seta longa, valde crassa, triarticulata, apice capillari. Thorax praesertim antice albo-micans, lineis 2 tenuibus, nigris. Abdomen albo-micat. Alae basi distincte flavae. Nervus 4tus angulo non exacte rectilineari, fere in summo apice alae excurrit ibique cum nervo 3tio non in eodem puncto connexus. Nervulus transversus ordinar. inflexus. Squama alba, flavo-submarginata. Halteres flavi. Pedes nigri.

**23. T. pubicornis**: vibrissis nullis oblonga, nigricans, abdomine ovato, subgrisescenti micans, squama albida, alis hyalinis, nervo 4to angulatim flexo juxta summum apicem recta excurrente, antennis hypostomate paullo brevioribus, seta pubescente. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad lacum insignem Torneåtrask, in regione subalpina Lapponiae unicum individuum d. 10. Jul. 1821 inveni. (Lappon. septentrional.)

*Mas.* Fere 4 lin long. Antennarum seta ut in *Musca*, ceterae partes ut in *Tachina*, et *Tach. nigripedi* (No. 12) subsimilis. Caput argenteum. Oculi subconniventes, linea nigra angusta disjuncti. Frons porrecta. Hypostoma subcontractum. Antennae mediocres fusco-nigrae, seta distincte pubescenti. Alae ut in *Tach. nigripede*, at nervus 4tus propius ad apicem alae excurrens. Alarum intima basi infuscata. Squama albida. Halteres fusci. Pedes nigri.

**24. T. nigrisquamata**: vibrissis nullis oblonga, aterrima tota, squama halteribusque nigris; alis fuscis, nervo 4to arcuatim flexo, in summo apice excurrente, antennis parvis, hypostomate brevioribus. ♂.

Hab. in Norvegia rar.; in alpe insigni Dowre a D. Boheman mense Julio capta, mihique ad describendum communicata. (Lapponia.)

*Mas.* Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin. Tota aterrima, subnitida, pilosa. Habitus *Phaniae* eique affinis, sed appendice caudali longe inflexa nulla. Squama non magna, sed nigra ab affinibus facile dignota. Caput obscurum, macula triangulari supra antennas atra. Oculi magni, angulo tantum in vertice cohaerentes.

**25. T. ocypterina**: vibrissis distinctis ovata, nitida, nigra, antice parum albo-micans, squama alba; alis hyalinis immaculatis, nervo 4to angulatim flexo, mox intra apicem alae cum nervo 3tio conjuncto; antennis longitudine hypostomatis magnis, validis. ♀

Hab. in Lapponia rar.; inter Dowre et Lerdalsoeren a D. Boheman lecta. (Lapponia Norvegica; in Pinetis ad Kjeflinge Scaniae in vicinitate maris, rarissime.)

*Mas.* Minuta, vix ultra 1 lin. longa, nitida, nigra. Similis *Tachin. ocypterutae* Fall., sed capite vibrissato, antennis longioribus, et palpis nigris, nec flavis, ab illa distincta. Hypostoma argenteum, latum, vibrissis utrinque instructum. Frons obscura, lata, linea media nigra. Thorax antice submaculatim albus. Nervulus transversus ordinarius rectus.

**26. T. morio**: vibrissis distinctis ovata, nitida, nigra, squama albida; alis hyalinis, basi flavescentibus, nervo 4to subarcuatim flexo, in ipso apice alae cum nervo 3tio conjunsco; antennis longitudine hypostomatis linearibus. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Muscid. 18. 34. ♂♀.

Hab. in Dowre Norvegiae, a D. Boheman capta. (Lapp.-Dalekarlia-Scan. rariss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Similis priori, duplo saepe major, et corpore immaculato, alis basi magis flavescentibus, nervoque 4to potius arcuatim, quam angulatim flexo et usque ad summum apicem alae producto, distincta. Oculi in utroque sexu late distantes.

**27. T. scutellata**: vibrissis abbreviatis ovata, nigro-cinerea, thorace nigro-bivittato, palpis scutellique apice flavis, squama alba; nervo long. 4to angulo rectilineari juxta apicem alae excurrente; antennis longitudine fere hypostomatis, pedibusque, nigris. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in Betula ad Muonioniska 17. Aug. capta. (Lappon.)

*Fem.* Long. 4 lin. Magnitudo et similitudo *Muscae domesticae*, latior; affinis etiam et valde similis *Tach. scutellari* Fall.; ab illa vero aperte differt antennis forte minus validis, seta longiori, basi tantum, nec fere usque ad apicem, crassa, vibrissis tantum inferne inchoandis, nervo 4to propius ad apicem exeunte et nervulo transverso ordin. paullo magis curvato. Caput cinereum, fronte parum prominente, lata, linea media nigro-picea. Thoracis lineae anticae 2 tenues, nigrae. Alae immaculatae, inermes. Squama albida. Halteres flavi. Abdomen nigricans. Pedes nigri.

**28. T. aprica**: vibrissis nullis oblonga, cinereo-grisea, thoracis lineis 4 nigris, abdomine maculis fusco-micantibus, squama albida; alarum nervo 4to juxta apicem excurrente; antennis hypostomate paullo brevioribus, linearibus, palpis pedibusque nigris. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali passim; ad Wilhelmina et Åsele Lapponiae Umensis d. 22 — 26. Jul praesertim legi. (Lappon. Suecica; Wadstena Ostrogothiae d. 7. Sept. rariss.)

*Fem.* 3 — $3\frac{1}{2}$ lin. long. Affinis et similis *Tach. cinereae* et *incanae* Fall., sed mox differt ab illa palpis nigris, nec flavis, ab hac abdominis maculis fuscis, irregularibus certoque luminis situ tantum perspicuis, nec abdomine immaculato, et ab utraque magnitudine paullo minori etc. Oblonga, tota flavescenti cinerea, subopaca. Frons prominens, modice lata, vitta media nigra. Antennae angustatae, fusco-nigrae, seta longa, capillari, basi subincrassata. Palpi nigri. Vibrissae vix inchoandae. Thoracis lineae 4 tenues, subinterruptae, nigrae. Abdomen fusco-maculatum, ano subacuto. Alae hyalinae, inermes, basi vix flavescenti maculatae, nervo 4to intra angulum et costam non omnino recto. Nervulus transvers. ordinarius subflexus. Squama albida. Pedes nigri.

*Obs.* Marem hujus speciei aliter esse coloratum et forte obscuriorem, ex analogia cum sexu *Tach. incanae*, cujus femina fere similem, ac femina *T. apricae* habet colorem, concludere fas est.

**29. T. validicornis**: vibrissis nullis oblongo-ovata, obscure grisescens, thorace vittato, alis hyalinis, basi, squama, palpis scutellique apice, flavis, nervo 4to angulo rectilineari juxta apicem exeunte; antennis longitudine hypostomatis linearibus, latis, pedibusque, nigris. ♂♀.

Hab. in Lapponia haud frequenter; in Betula juxta rivulos ad Muonioniska Lapponiae Tornensis passim, et ad Lycksele Lapponiae Umensis rar., d 13 — 17. Aug. capta. (Lappon. Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Long. $4\frac{1}{2}$ lin. Affinis *Tach. scutellatae* (No. 27), paullo longior, sed non latior, colore corporis flavescenti griseo, nec cinereo, in ♂ obscuriori etc distincta. Caput flavescenti griseum, fronte paullo prominente, lata, in ♀ latiori, vitta media in utroque sexu nigra. Vibrissae supra mystaces paucae, inchoandae. Antennae longitudine fere hypostomatis, lineares, compressae, apice obtusae, in ♀ validiores; totae nigrae, seta longa capillari, ad medium usque incrassatae. Thorax antice subquadrivittatus, lineis 2 mediis tenuibus. Abdomen cylindrico-ovatum, flavo-griseum, unicolor, ano maris tuberculis nigris inflexo, fere ut in *Xysta*, at stylo nullo exserto. Alae fusco-hyalinae, basi et squama distincte flavis, praesertim in ♂; inermes praeter setulas ordinarias in basi. Nervus 4tus pone angulum fere recta excurrit juxta apicem alae, ubi cum nervo 3tio non in eodem puncto conjungitur. Nervulus transversus ordin. subcurvatus. Pedes nigri.

**30. T. nigrina**: vibrissis distinctis elliptica, cinereo-nigra, squama alba, vitta frontali ferruginea, abdomine ovato, nitido, atro, antennis longitudine fere hypostomatis, pedibusque nigris, alis albo-hyalinis, nervulis transversis praeter medium nullis. ♀.

Meig. Dipt. 4. 355. 202.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, ad Kengis 22. Aug. semel inventa. (Lappon. — ?)

*Fem.* Parva, long. $1\frac{1}{2}$ lin. Similis *Tach. ocypterutae* Fall.; sed nervis aliter directis dignota. Caput et thorax cinereo-nigra, immaculata. Frons non prominens, lata, linea media angusta, rufa. Series vibrissarum decrescendo non longe assurgit. Antennae elongatae, validae, seta brevi, crassa. Abdomen rotundato-ovatum,

depressum, atrum, nitidum, setis in series transversas dispositis. Alae latae, albo-hyalinae, nervo longitudinali 4to simplici non usque ad marginem alae extenso. Nervuli transversi, ordinarius nullus, medius minutus, auxiliaris brevis, basi ciliata. Squama magna, alba. Pedes nigri.

**31. T. rotundicornis**: vibrissis nullis elliptica, grisea, squama sordide albida, antennis brevissimis, articulo ultimo rotundato, vitta frontali, palpis pedibusque nigris, alis sordide hyalinis, nervo 4to angulatim flexo, in summo apice excurrente. ♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi non obvia, in Dowre a D. BOHEMAN detecta mihique pro descriptione benigne missa. (Lapponia Norvegica; Westrogoth. rariss.)

*Fem.* Long. fere 2¼ lin., oblongo-ovata seu elliptica. Tota grisea, opaca, setosa. Caput sordide albo-micans. Hypostoma breve, subretusum. Frons distincte porrecta. Antennae hypostomate dimidio breviores articulo 1mo brevissimo, 2do mediocri, 3tio antecedentibus simul sumtis vix dimidio longiori, apice rotundato, totae nigrae, seta ad dimidium fere incrassata, concolore. Oculi parvi, rotundati, oculo acutissime armato omnium tenuissime pubescentes, late distantes, interstitio frontali nigro, orbita oculorum sat late albida. Series setarum frontalium vix ad basin antennarum descendit. Vibrissae nullae. Setae mystacinae paucae. Palpi exserti, nigri. Thorax et abdomen grisea, immaculata. Alae inermes, hyalinae, basi fuscae, nervo 4to angulatim flexo, in summo apice recto excurrente, ibique cum nervo costali et 3tio longitudinali in eodem puncto conjuncto. Nervulus transv. ord. rectus. Pedes griseo-nigri.

**32. T. pygmaea**: vibrissis nullis ovata, grisea, squama albida, antennis longitudine fere hypostomatis, palpis, abdominis maculis transversis pedibusque nigris, alis hyalinis, nervo 4to angulatim flexo, fere in summo apice excurrente. ♀.

Hab. cum praecedente D. BOHEMAN. (Lappon. Norveg.; Gottlandia, Scan. pass.)

*Fem.* Statura fere et colore prioris, sed multo minor, circiter 1¼—1¾ lin. long. Tota cinerascenti grisea, opaca. Caput cinerascens. Frons porrecta. Hypostoma infra oculos descendens. Antennae longitudine fere hypostomatis, lineares, parum latae, apice intus oblique truncatae, totae nigrae, seta ut in priori. Interstitium frontale latum, cinereum, vitta media nigra angustata. Vibrissae vix inchoantes. Setae mystaceae perpaucae. Palpi aut nigri aut flavi (in speciminibus suecicis semper nigri). Thorax cinerascens, lineis 4 fuscis, quarum 2 mediis angustissimis, lateralibus interruptis submaculiformibus. Abdomen ovatum, parum convexum, griseum, margine segmentorum sinuatim nigro. Alae sordide hyalinae, nervo 4to angulatim flexo, mox ante summum apicem alae recta excurrente, ibique cum nervo 3tio et costali fere in eodem puncto conjuncto; setulae 3 l. 4 in basi nervi 3tii adsunt. Nervulus transv. ordin. inflexus. Squama albida. Pedes nigri.

**33. T. rufina**: oblongo-ovata opaca cinerea, antennis validis nigris, basi, capite, scutello, abdomine pedibusque rufo-ferrugineis, tarsis nigris, alis hyalinis, nervis, 4to longitudinali arcuatim flexo in summo apice excurrente, 3tio basi multi-setoso. ♀.

Hab. in Dalekarlia, D. BOHEMAN. (Lappon. maxime meridionalis.)

*Fem.* Long. 2¾ lin. Affinis *Tach. pilipenni* FALL., colore alio. Rufescens. Caput flavum, vitta frontali fulva. Antennae hypostomate paullo breviores, valde dilatatae, nigrae, articulis 1, 2 totis, 3 basi rufis, tota breviuscula, crassa, articulata nigra. Thorax totus cinereus, callo humerali rufo-testaceo, scutello rufescente. Abdomen ovale rufum, segmentorum margine basali albido. Squama sub alis pallida. Pedes rufi, tarsis nigris.

*Obs.* Species Fallenianae: *Tachina silvatica* (*Masicera* MACQ.), *vertiginosa* (*Masicera* MACQ.), *plebeja*, *infuscata*, *muscaria*, *erinaceus*, *blanda*, *albo-cingulata*, *ocypterata*, *pilipennis*, *versicolor*, *setipennis* (*Pales* MACQ.), *scutellaris*, *cinerea*, *incana*, *grisea*, *aurea* (*Myobia* MACQ.), *inanis* (*Myobia* MACQ.), *pallipes* (*Eurygaster* MACQ.), *pellucens* (*Clytia* MACQ.) et *rotundiventris* pluresque novae species, sub hac divisione militantes, in Suecia inferiori obviae, in Lapponia a me frustra quaesitae. — *Dexia volvulus* MEIG. (*Musca cylindrica* FALL.) seta antennarum pubescente, in Genere *Musca* (No. 3) quaerenda. — *Tach. pilipennis* in *Dalekarlia* capta.

*Sect. 2. Oculi hirti.*

A) Alarum nervi, 4tus angulatim flexus, infra angulum subcontinuatus; ab angulo vero ad costam curvatim excurrens, transversus ordinarius paullo curvatus. Frons valde prominens. Antennae articulis 2 et 3 subaequaliter longis, ultimo magno subquadrato. Corpus ovatum sat magnum. *Micropalpis* et *Chrysosoma* MACQ.



**34. T. truncata**: vibrissis nullis nigra, thoracis vittis 4 abdominisque fasciis 3, cinereo-albidis, squama alba, capite argenteo, vitta frontali media scutellique apice ferrugineis, palpis apice flavis; alis subimmaculatis, nervo 4to juxta apicem excurrente; antennarum articulo ultimo subquadrato. ♂♀.

*Mas:* paullo minor, palpis summo apice flavis, oculis non late remotis, alarum nervis parum infuscatis, 3tio longitudinali ad basin non setuloso, ano tuberculatim incurvato, atro, macula parva in abdominis segmento 2do ad latera saepissime rufa.

*Fem.:* paullo major, palpis apice fere ad medium flavis, oculis late remotis, alarum nervis subinfuscatis, 3tio longit. ad basin setulis 3—5, ano non incurvo, puncto rufo in abdominis basi nullo. GYLLENHAL in litteris.

Hab. in Lapponia haud freq.; in truncis arborum viventium ad Kengis et Wittangi Lapponiae Tornensis, rarius; in silva ad Lycksele ut et in campis apricis ad Badstutraesk, Lapponiae Umensis, passim, d. 10—30. Jun. a me capta. (Lappon.-Dalekarlia-Westrogothia, a D. BOHEMAN in copula inventa; GYLLENH.

*Mas* et *Fem.* Long. 4—4¼ lin. Affinis *Tach. haemorrhoidali* FALL. paullo minor et antennarum articulo ultimo breviori, exacte quadrato, seta apice capillari, nec tota fere aequaliter crassa, alarum nervis, ab angulo ad costam ducto et transverso ordinario paullo magis curvatis etc. ab illa facile distincta; nec cohabitant. Oculi obscure brunnei. Setae frontales una serie utrinque infra antennarum basin paullo descendunt. Caput argenteum, hypostomatis apice albicante. Antennae nigrae, deflexae. Seta valida, ultra medium incrassata, deinde capillaris; triarticulata. Palpi nigri aut fusco-lividi, apice flavicante. Abdominis segmenta 2, 3, 4 basi albida, unde fasciae 3 ejusdem coloris formantur. Alae basi subinfuscatae. Nervus 4tus breviter, sed perspicue infra angulum continuatur, at ab angulo ad costam curvatim flexus paullo ante summum apicem alae excurrit.

*Obs.* Nomine specifico formam antennarum articuli ultimi, apice truncati, sine dubio designare voluit Nob. GYLLENHAL.

*Obs.* FALLENI: *Tachina vulpina* (*Micropalpis* MACQ.), *comta*, *obliquata*, *haemorrhoidalis* (*Micropalpis* MACQ.), et *viridis* (*Chrysosoma* MACQ.), in Suecia inferiori lectae, in terris arcticis a me non observatae.

B) Alarum nervus 4tus aut plerumque angulatim, aut arcuatim flexus, infra angulum non continuatur.

° Nervus 4tus angulatus et ab angulo ad costam curvatus seu sursum flexus. Majores saepissime. Corpus ovatum. *Nemorea* MACQ.

**35. T. Radicum**: vibrissis nullis nigra, nitida, thorace antice cinerascente, lineis 4 nigris, abdomine basi fasciis 2, squamaque albis, scutello apice rufo, alarum nervis subinfuscatis; antennarum articulis 2, et 3 subquadrato, subaequaliter longis, palpis pedibusque nigris. ♂♀.

MEIG. Dipt. 4. 249. 18. ♂♀. *Musca radicum* FABR. Antl. 300. 82. (exclus. syn. LINN. *Musca radicum*, quae est *Anthomyza radicum* nobis). *Nemorea radicum* MACQ. Dipt. Gall. Tach. 167. 4. ♂♀. *Tachin. lurida* FALL. Dipt. Sv. Muscid. 26. 54. var. a. ♂♀ (exclus. Syn. FABR. quod ad *Tachinam luridam* MEIG. 4. 244. 8. referendum; sed haec in Suecia vix obvia).

Hab. in Lapponia rarissime, a me tantum in alpe Skaaddavaara Finmarkiae lecta, d. 7. Aug., in Lapponia Suecica forte etiam obvia. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5 lin. et ultra. Caput flavescenti argenteum, vitta frontali brunnea. Antennae basi geniculatae, articulo 1 parvo, subrecto, 2 sensim dilatato, ultimoque oblongo, subquadrato, deflexis, subaequaliter longis; totae nigrae. Palpi nigri. Frons valde prominens. Oculi in ♂ non late distantes; in ♀ remotiores. Caput postice flavo-villosum. Nervus 4tus non procul ab apice alae excurrit. Abdomen in ♂ interdum maculis lateralibus rufis. Pedes nigri.

**36. T. vivida**: vibrissis nullis caerulescenti nigra, nitida, thorace antice parum albo-micante, vittis 3 nigrioribus, abdomine obsolete albo-fasciato, squama alba, palpis flavis, scutelli apice rufo, alarum nervis haud infuscatis, antennarum articulis 2, et 3 subquadrato, subaequaliter longis, pedibusque nigris. ♂♀.

*Tach. lurida* FALL. Dipt. Sv. Musc. 26. 54. var. β. ♂♀. An *Tach. Histrio* MEIG. Dipt. 4. 250. 19?

Hab. in Lapponiae graminosis sylvaticis, et fruticibus, passim, ad Kemi, Kengis et Muonioniska, Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele et Åsele, Lapponiae Umensis d. 20. Jun. — 30. Aug. haud infrequenter lecta. (Lappon.-Scania pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4½ — 5 lin. Simillima priori, sed saepe paullo minor et capite magis argenteo-albido, nec flavescenti, palpis flavis, abdominis fasciis albis magis obsoletis, vix nisi certo situ et tantum in maculis lateralibus albis inchoantibus perspicuis, ut et nervis alarum fuscedine minus cinctis, ab illa distincta. Color totius corporis solitus niger in hac specie etiam magis in caeruleum vergit. Oculi rufo-brunnei. Hypostomatis s. clypei apex magis promiuet et albescit, oculique in mare fere paullo magis approximati, quam in *Tach. Radicum*, cum qua in ceteris convenit haec species.

Var. b. ♂. Abdominis segmentis 2 et 3 lateribus rufo-maculatis. Muonioniska 17. Aug.

Var. b. ♀. Scutelli apice parum rufescente.

**37. T. caesia**: vibrissis nullis caerulescenti nigra, nitida, thorace albicante, vittis 4 obscuris, abdomine albo-tessellato, squama alba, scutelli apice ferrugineo, alis immaculatis, antennarum articulis, ultimo quadrato, secundo elongato fere breviori, palpis pedibusque nigris. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Musc. 27. 55. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 247. 14. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele mens. Jun. capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5 lin. Similis *Tach. Radicum*, sed capite magis albicante, colore corporis caesio, abdomine albo-nigroque certo situ tessellato, alis vix infuscatis, et in primis antennarum articulo 3tio antecedenti fere breviori ab illa et ab aliis affinibus similibusque distincta. Nervus 4tus in speciminibus lapponicis paullo magis rectus ad costam excurrit, quam in individuis suecicis.

**38. T. ruficauda**: vibrissis nullis cinerea, thoracis vittis 4 nigris, squama sordide albida, palpis flavis, scutelli apice anoque rufis, abdomine nitido cinerascenti, maculis subaeneomicantibus, alis hyalinis, nervis transversis infuscatis, antennis longitudine hypostomatis, articulo ultimo longissimo, valido, pedibusque nigris. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Åsele Lapponiae Umensis d. 26. Jul. unicum specimen invenit D. DAHLBOM; uterque vero sexus a D. BOHEMAN in alpe Dowre captus mihique benigne communicatus. (Lapponia; Scania rarissime ad Bjoernstorp).

*Mas* et *Fem.* Long. fere 4 lin. Species pulchra et distincta. Caput albicans. Frons paullo prominens, vitta media atra. Setae frontales validae, infra antennarum basin descendunt. Seta mystacina valida. Antennae nigrae, deflexae, articulo ultimo secundo sexduplo longiori, lineari, compresso, lato, praesertim in ♂. Oculi maris appropinquantes, feminae sat late distantes. Lineae in thoracis antico 4 nigrae, in ♀ imprimis distinctae. Abdomen maculis fusco-aeneis et cinereis pro situ vario, micat. Tuberculum inflexum in ♂, et segmentum ultimum apice in utroque sexu, rufa. Alae hyalinae, nervis, transverso ordinario parum incurvo, et praesertim medio, fuscedine cinctis. Nervus 4tus fere in apice alae excurrit. In basi nervi 3tii setulae 4—6 parvae videntur. Squama subalbida. Pedes nigri.

**39. T. dubia**: vibrissis subnullis nigricans (♂), aut cinerascens (♀), thoracis vittis 4 obscuris, squama sordide albida, palpis nigris aut lividis, abdomine fusco-aeneo-cinereoque tessellato, alis hyalinis, nervis subinfuscatis, antennis hypostomate fere paullo brevioribus, articulo ultimo elongato, valido. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Muscid. 29. 60. ♂♀. certissime (licet curvatura nervi 4ti a Clar. Auctore „arcuata" immerito nominetur). MEIG. Dipt. 4. 360. 210. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius. (Lappon.-Scan. frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* In hac subdivisione parva, circiter 3 lin. longa. Caput cinerascens, linea frontali media nigra. Frons parum prominula. Oculi ♂ appropinquantes, ♀ late distantes. Vibrissae paucae, decrescentes. Palpi nigri, raro lividi aut flavi. Abdomen ut in priori. Nervus 4tus angulatim (non arcuatim) flexus, fere in summo apice excurrit. Nervus transv. ordinar. rectus. Nervi omnes, praesertim ad costam infuscati. Scutellum aenescens. Pedes nigri.

*Obs.* Individua hujus speciei lapponica paullo minora sunt et alis ad costam magis infuscatis, quam quae in foliis fruticum Sueciae meridionalis freq. occurrunt.

*Obs.* Species a FALL. descriptae: ***Tach. aurata, tricincta*** (***Nemorea puparum*** MACQ.) ***rudis, affinis, assimilis*** et ***obscura***, in Lapponia hactenus non inventae.

°° Nervus 4tus angulatus, et ab angulo ad costam subrectus excurrit. Corpus ovatum, interdum cylindricum. Species *Tachinae*, ***Eurygast.*** et ***Erebiae*** MACQ. (***Tachina discolor*** et ***rotundicornis***) oculis ♀ interdum tenuissime pubescentibus, in Sectione 1ma inter ***Tachinas*** oculis nudis: No. 17 et 31, quaerendae.

**40. T. 4-pustulata**: vibrissis nullis nigra, thorace lineatim abdomineque maculatim albicantibus, hoc lateribus, ano scutelloque rufis, palpis flavis, squama nivea, nervo 4to non procul ab apice alae excurrente, antennis hypostomate paullo brevioribus, articulo ultimo lineari, secundo duplo longiori. ♂♀.

Var. a. ♂♀. abdomine lateribus rufo.

FABR. Antl. 309. 4. MEIG. Dipt. 4. 255. 38. ♂♀. *Tach. aestuans* FALL. Dipt. Sv. Musc. 30. 61. ♂♀. var. a. et b.

Var. b. ♂♀. in copula cum var. a., saepe minor, abdomine praeter anum vix rufo-maculato.

Hab. in Lapponia rarissime, valde agilis et inquieta; var. b. in Dowre capta. (Lappon. — Scania vulg.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3¹ — 4¹ lin. Subsimilis ***Muscae domesticae***, paullo latior, ovata. Caput albicans, vitta frontali media nigra. Oculi in ♂ appropinquantes, in ♀ late distantes. Frons parum prominens. Antennae non validae, seta longe capillari. Palpi flavi. Thoracis vittae albidae 5. Scutellum fere totum rufum. Alae hyalinae, basi subinfuscatae, inermes, nervo transverso ordin. paullo inflexo. Pedes nigri, uno latere ciliati.

**41. T. vulgaris**: vibrissis paucioribus, inferne nigra, thorace lineatim abdomineque maculatim albicantibus, scutelli apice plerumque rufo, palpis nigris, squama alba; nervo 4to ab apice alae paullo excurrente, antennis longitudine hypostomatis, articulo ultimo valido 2do multoties longiori. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Musc. 30. 62. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 391. 264. ♂♀. *Eurigaster vulgaris* MACQ. Dipt. Gall. 155. 3. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; larvae in Lepidopteris vivunt. Pupas cylindricas, nudas, brunneas saepe excludendas vidi. Inter Dowre et Lerdalsoeren Norvegiae a Dom. BOHEMAN capta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* 3—4 lin. long. Similis priori, saepe paullo minor et antennis longioribus, setis capitis corporisque validioribus, palpis anoque nigris, scutelli apice tantum rufescente, alis basi non infuscatis, sed pallidis, nervo 4to ab apice paullo magis remote excurrente, ut et oculis in utroque sexu aequaliter et late disjunctis, ab illa distincta. Series vibrissarum decrescens, non longe a mystacibus assurgit. Antennae validae, saltem in ♂, seta longa ad medium incrassata.

**42. T. magnicornis**: vibrissis paucioribus, infernis, nigra, thorace lineatim abdomineque maculatim albicantibus, scutelli apice plerumque rufo, palpis nigris, squama alba, nervo 4to prope apicem alae excurrente, antennis longitudine hypostomatis, articulo ultimo valido secundo multoties longiori. ♂♀.

Hab. in Dowre Norvegiae, a D. BOHEMAN. (Lapp.-Scan.-♂♀ passim.)

*Mas* et *Fem.* 3—4 lin. long. Praecedenti valde affinis et simillima, nec ab illa differt, nisi antennarum articulo ultimo adhuc paullo validiori, latiori, ut et nervo 4to alar. longitud. paullo propius ad apicem alae exeunte; quae notae vix nisi per comparationem utriusque speciei deteguntur.

**43. T. vibrissata**: vibrissis distinctis nigra, undique albido-submicans, scutelli apice rufo, palpis nigris, squama albida, nervo 4to prope apicem alae excurrente, antennis longitudine hypostomatis, articulo ultimo valido secundo multoties longiori. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis 22. Aug. semel capta. (Lappon. Suec.)

*Mas.* Priori iterum simillima ejusque magnitudine, sed distincta vibrissis fere ad medium oculi assurgentibus, thorace obsolete tantum vittato, abdomineque aequaliter, licet parum, cinereo-micante, vix maculatim picto. Antennae ut in ***Tach. vulgari***, sed oculi paullo magis appropinquantes, quam in illa. Alae basi et squama sordide albida.

**44. T. confinis**: vibrissis nullis ovata, nigra, nitida, thoracis antico abdominisque segmento 2do subcinereo-micantibus, scutello testaceo, palpis nigris, squama alba, nervo 4to paullo ante apicem alae excurrente; antennis longitudine hypostomatis, articulo ultimo lineari, longissimo. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Musc. 32. 65. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 396. 274. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in alpe Dowre a D. BOHEMAN capta. (Lappon.-Gottlandia freq., Smoland. rar., Scan. rariss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—3½ lin. ***Tach. vulgari*** affinis et simillima, sed saepe paullo minor et differt vibrissis nullis, ut et thorace abdomineque parum albo-micantibus. Variat ♂ abdominis segmento secundo macula laterali rufa.

**45. T. villica**: vibrissis abbreviatis nigra, thorace lineatim abdomineque maculatim albicantibus, scutelli apice rufo, palpis flavis, squama alba, nervo alarum 4to juxta apicem excurrente, antennis hypostomate paullo brevioribus, articulo ultimo 2do triplo longiori. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Muonioniska 17. Aug. detecta. (Lappon. septentrion.)

*Fem* Long. 5 lin., ovata. Vibrissae decrescentes, abbreviatae. Caput sordide albidum. Frons mediocriter lata, linea media nigra. Antennae sordide nigrae, mediocriter latae, seta longe capillari, vix ad medium incrassata. Thorax subcinereus, lineis 4 angustis nigris. Abdomen nigrum, fasciis 2 interruptis albidis, unde in segmentis 2 et 3 maculae 4 albidae exstant. Alae hyalinae, basi subinfuscatae, nervo 4to prope apicem alae non omnino recto excurrente, cum nervo 3tio non in eodem puncto conjuncto, sed ab illo paullo remoto. Nervulus transvers. ordinar. incurvatus. Squama alba. Pedes nigri. Scutelli summus apex rufescit.

**46. T. strigifrons:** vibrissis nullis oblonga nigra, nitida, parum albo-micans, scutelli palporumque apice testaceo, squama nivea, nervo 4to prope apicem alae excurrente, antennis hypostomate paullo brevioribus, articulo ultimo lato secundo duplo longiori, fronte transversim strigata. ♂.

Hab. in Nordlandia boreali rarissime, in folio Betulae ad Alteidet non longe a capite septentrionali d. 1. Aug. unicum specimen inveni. (Lappon. septentrional.)

*Mas.* Long. 4 lin. Affinis *Tach. confini* (No. 43) angustior. Caput argenteo-micans, vertice obscuriori, hypostomatis apice albo-corneo. Frons paullo prominens, haud lata, transversim strigata, linea media angustiori, nigra. Antennae validae, seta longa, capillari, basi incrassata. Palpi nigri, apice lividi. Thorax et abdomen lateribus albo-micant. Genitale incurvum. Alae hyalinae basi subinfuscatae. Nervulus transv. ord. paullo inflexus. Squama alba. Pedes nigri.

**47. T. arctica:** vibrissis nullis oblonga, subcylindrica, nitida, nigra, thoracis lateribus abdomineque albo-submicantibus, palpis nigris, squama sordide albida, nervo 4to fere in apice alae excurrente, antennis hypostomate paullo brevioribus, articulo ultimo lineari, lato, secundo triplo longiori. ♂.

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime; in monte subalpino Skaaddavaara, non longe a capite septentr. distante, d. 7. Aug. semel inveni. (Lapponia.)

*Mas.* Long. 4 lin., angusta. Caput obscure argenteum. Frons paullo prominens, haud lata, linea media brunnea. Antennae ut in priori, sed articulus ultimus 2do saltem triplo longior. Scutellum nigrum. Segmenta abdominis 2, 3, 4 basi late albida, linea media longitudinali nigra. Alae basi subinfuscatae. Squama sordide alba. Pedes nigri.

**48. T. hyalinipennis:** vibrissis subnullis ovata, nigra, thoracis vittis abdominisque cingulis tribus, cinereis, palpis nigris, squama alba, alis hyalinis, nervo 4to paullo ante apicem excurrente, antennis hypostomate paullo brevioribus, articulo ultimo haud dilatato, lineari, secundo vix duplo longiori. ♂♀.

Var. a. ♂♀. antennis hypostomate paullo brevioribus.

Var. b. ♀. antennis hypostomate parum brevioribus; paullo major, alias v. a. simillima.

Hab. in Lapponia Norvegica, in alpe Dowre utraque varietas a D. Boheman inventa, mecumque ad describendum communicata. (Lappon. Norveg. Dalekarlia.)

*Mas* et *Fem.* Vix ultra $3\frac{1}{4}$ lin. long. Similis *Tach. vulgari* (No. 40), paullo minor et antennis minoribus, angustioribus, oculis minus hirsutis, linea frontali angustiori, scutello nigro, abdominis cingulis cinereis angustioribus, in basi segmentorum tantum perspicuis, ut et alis magis hyalinis, immaculatis ab illa distincta. Vibrissae spuriae, inferae, decrescentes. Thorax subcinereus, lineis 3 angustis nigris. Reliqua ut in *T. vulgari* vel in diagnosi. — *Mas.* paullo angustior femina.

**49. T. breviseta:** vibrissis nullis oblonga, obscure cinerascens, thoracis vittis abdominisque maculis, obsoletissimis, fuscis, palpis lividis, antennarum basi scutellique apice rufis, squama sordide albida, alarum nervo 4to paullo ante apicem excurrente, antennis hypostomate paullo brevioribus, validis, seta brevi, crassa. ♂♀.

Hab. in Lapponia Norvegica D. Boheman. (Lapponia; Dalekarlia-Westrogothia a D. Gyllenhal missa.)

*Mas* et *Fem.* Longitudo *Tach. confinis*, sed paullo angustior, subcylindrica, praesertim mas. Tota obscure grisea, thoracis vittis abdominisque maculis obscuris obsoletissimis, certo situ tantum perspicuis. Caput argenteo-micans, vitta frontali nigricanti. Frons valde prominens. Antennae hypostomate paullo breviores, articulis 1 et 2 rufis, ultimo antecedenti vix duplo longiori, validiusculo, nigro, apice intus rotundato; seta hoc articulo paullo breviori, fere usque ad apicem aequaliter crassa, nigra. Oculi mediocriter distantes, in ♀ latius remoti. Alae fusco-hyalinae, nervo 4to paullo ante summum apicem excurrente, ibique cum nervo 3tio non exacte in eodem puncto conjuncto. Nervuli transversi subinfuscati, ordinarius s. exterior subrectus. Nervus 3tius longit. basi setulis 2 l. 3. Squama sordide alba. Pedes nigri.

**50. T. floralis:** vibrissis nullis ovata, cinerascens, thoracis vittis 3 latis, abdominis linea media dorsali, segmento primo toto, reliquorumque maculis pedibusque nigris, palpis aut nigris aut flavis, nervo 4to prope apicem alae excurrente, antennis hypostomate paullo brevioribus, fuscis, articulo ultimo 2do vix dimidio longiori. ♂♀.

Var. a. ♂♀. Mas: abdomine macula laterali rufa.

Fall. Dipt. Sv. Musc. 36. 74. var. *β* et *γ*. (var. *α*. oculis nudis ad *Tachin. mutabilem* (No. 19) rectius est referenda). *Tach. floralis* Meig. Dipt. 4. 304. 12. vix eadem. Macq. Dipt. Gall. 122. 5. ?

Var. b. ♂. duplo minor, abdomine macula laterali nulla. Fall. l. c. var. *γ*.

Hab. in Lapponia meridionali rarius, mense Jul.; var. b. d. 15. Sept. capta. (Lapp.-Ångermannia-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—3 lin. Valde similis *Tach. mutabili*, sed plerumque paullo major, et oculis paullo magis remotis et evidenter hirsutis, ut et saepius macula rufa supra antennas, mox distincta. Frons parum prominens. Alarum nervus transversus ordinarius distincte inflexus. — *Mas* saepius obscurior, palpis antennisque nigris, oculis minus late distantibus et abdominis macula laterali plerumque rufa; *femina* magis cinerascens, palpis flavis, antennis subcrassioribus, basi et linea frontali rufescentibus, oculis latius distantibus et abdominis macula laterali nulla.

*Obs.* An *Tach. floralis* Meig. l. c. cum citatione Fall., aut *Tach. notabilis* ejusd. l. c. 4. 266. 45 huc rectius referendae, pro certo dicere non possum.

**51. T. tricingulata:** vibrissis nullis ovata, nigra, nitida, thoracis maculis abdominisque cingulis tribus albidis, squama alba, palpis nigris, alarum nervo 4to paullo ante apicem excurrente; antennis hypostomate paullo brevioribus, articulo ultimo lineari, extrorsum subdilatato, apice obtuse, secundoque vix duplo longiori. ♀.

Hab. in Lapponia Norvegica; inter Dowre et Lerdalsoeren ♀ passim, a D. Boheman capta. (Lapponia-Gottlandia, Scania, passim, uterque sexus similis.)

*Fem.* Long. 2 lin. Caput albicans, linea frontali nigra. Oculi mediocriter distantes, tenuiter hirsuti. Antennae sordide nigrae, seta longe capillari, vix ad medium incrassata. Thorax vix nisi ad latera distincte albicans. Scutellum nigrum. Abdomen ovatum, subaenescenti nigrum, nitidum, cingulis in segmentorum 2, 3, et 4 basi albidis, ad latera perspicuis. Alae hyalinae, basi vix infuscatae. Squama albida. Nervus 3tius long. ad basin trisetulosus. Pedes nigri. — In Gottlandia et Scania utrumque sexum legi; sed e Lapponia nulla individua mascula obtinui.

Var. b. ♀. duplo minor, alias var. a. simillima, e Dowre a D. Boheman missa.

**52. T. nitida:** vibrissis nullis oblonga, subcylindrica, nigro-aenea, nitidissima, thorace antice albo-micante, lineis 4 nigris, alis hyalinis, basi squamaque pallide flavescentibus, nervis, longit. 3tio basi trisetuloso, 4to fere in apice alae excurrente, transversoque ordinario incurvo, antennis hypostomate duplo fere brevioribus, palpis pedibusque nigris. ♂♀.

*Tach. atrata* Meig. Dipt. 4. 270. 52. ♂♀. (exclus. Syn. Fall. *Tach. atrata*, quae est *Tach. corrusca* Meig.)

Hab. in foliis fruticum Betulae etc., in pascuis, nemoribus, saepe juxta paludes, ad Badstutraesk, Barrsele et Stensele, Lapponiae Umensis, 29. Jun. — 3. Jul. sat frequens, in copula 3. Jul. capta; e Tornoa a D. Deutsch missa. (Lapp.-Scan. pass..)

*Mas* et *Fem.* ♂ saepe $3\frac{1}{2}$, ♀ 3 lin. long.; aenea nitida, thorace antice abdomineque toto certo situ albo-micantibus. Caput nigrum, parum albo-micans, vitta frontali nigra. Hypostoma breve, contractum. Antennae parvae hypostomate fere dimidio breviores, lineares, apice obtusae, articulo ultimo secundo vix duplo longiori. Oculi in ♂ fere cohaerentes, in ♀ paullo distantes. Alae hyalinae, basi et ad costam fusco-flavescentes. Squama sordide flava. Pedes nigri.

**53. T. atrata:** vibrissis nullis oblonga, subcylindrica, aeneo-nigra, nitidissima, immaculata, alis margine interiori hyalino, costa apicali fuscana, basi et squama luteo-flavis, nervis, 3tio basi trisetuloso, 4to in apice alae excurrente, transversoque ordinario incurvo; antennis hypostomate fere duplo brevioribus, palpis pedibusque nigris. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Musc. 34. 71. certissime. ♂♀. *Tach. corrusca* Meig. Dipt. 4. 273. 61. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Dalekarlia-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Praecedenti simillima, differt autem colore magis atro, antennis ♂ in vertice omnino cohaerentibus, alis costa fuscioribus, basi et squama magis intense flavis, nervoque 4to in summo apice excurrente. Antennarum articulus ultimus secundo in ♂ paullo, in ♀ fere duplo, longior. Reliqua ut in priori.

**54. T. unicolor:** vibrissis distinctis oblonga, atra, subnitida, squama alba, alis hyalinis, nervis, 3tio basi 4-setuloso, 4to subarcuatim flexo, paullo ante apicem alae excurrente, transverso ordin. subrecto, antennis longitudine fere hypostomatis. ♀.

FALL. Dipt. Sv. Musc. 35. 73. ♀. MEIG. Dipt. 4. 398. 277. (forte eadem, licet species in Subdiv. (D. a Tab. 41. f. 27. 28.) sit locata, ubi difficillime invenitur, respectu habito ad directionem nervorum in alis; nervus scilicet 4tus *angulatim* flexus, in figuris citatis immerito [repraesentatur.)

Hab. in Lapponia Norvegica; in Dowre a D. BOHEMAN ♀ capta. (Lapponia ♀ - ♂ in floribus ad margines agrorum ad urbem Wadstena Ostrog.!, ♀ Scania.)

*Fem.* Circiter 3 lin. long. Tota cum pedibus, antennis palpisque atra, subnitida, setosa. Thorax antice certo situ albedine levissima micat. Antennae hypostomatis fere longitudine, lineares, validiusculae, articulo ultimo reliquis quadruplo longiori, seta elongata, ultra medium fere incrassata. Hypostoma nigrum, summo apice reflexo, sordide albicante. Frons et orbita oculorum subargenteo-micantia, vitta media frontali fusca. Oculi sat late distantes, distincte hirti. Series setarum frontalium fere infra basin antennarum descendit, et desinit ubi vibrissarum incipit. Abdomen conicum, nitidum. Alae hyalinae, basi nervis infuscatis; nervi, tertius basi setulis 4—6; 4tus angulo obtusissimo, fere arcuatim, flexus, paullo ante apicem alae excurrit, ibique cum nervis 3tio et costali fere in eodem puncto connexo; nervus transv. ord. subrectus seu parum inflexus. Squama alba. — *Mas* feminae similis, augustior.

**55. T. aenea:** vibrissis nullis oblongo-ovata, nigro-aenea nitida, immaculata, alis basi squamaque pallide flavescentibus; nervis, 3tio basi 4—8-setuloso, 4to in apice excurrente, transversoque ordin. recto; antennis hypostomate brevioribus, linearibus, palpis pedibusque nigris; tarsis anticis crassis. ♀.

MEIG. Dipt. 4. 273. 60. ♂♀. *Tach. atrata* FALL. Dipt. Sv. Musc. 34. 71. var. sub hac etiam latet (ut ex Collectione Viri defuncti mihi donata vidi).

Hab. in Lapponia Norvegica; ubi in alpe Dowre femina a D. BOHEMAN inventa. (Lapp.-Gottl. Ostrog. Scania, passim; bi vero tantum feminae visae.)

*Fem.* 2—2¾ lin. long. Nigra, abdomine distincte aenescente. Affinis *Tach. nitidae* (No. 51) sed minor, immaculata et differt praeterea antennis paullo majoribus, fronte latiori, alarum nervis, tertio basi multisetoso, transverso ordinario recto, ut et tarsis anticis distincte crassioribus. Antennarum articulus ultimus 2do duplo longior.

*Obs.* *Mas* antennarum articulis secundo et ultimo subaequaliter longis, et oculis conniventibus, a Cl. MEIG. l. c. describitur, mihi ignotus.

**56. T. crassitarsis:** vibrissis nullis oblongo-ovata, nigra, nitida, immaculata, alis hyalinis, nervis, 3tio basi 6—7-setuloso, 4to in apice excurrente, transverso ordinario recto, squama alba; antennis hypostomate paullo brevioribus, extrorsum subdilatatis; tarsis anticis crassis. ♀.

Hab. in alpe Dowre D. BOHEMAN, qui specimen unicum ad describendum mihi transmisit; a me ipso nunquam inventa. (Lappon. Norvegica.)

*Fem.* Long. fere 2½ lin. Affinis et similis *Tach. aeneae*, colore corporis magis nigro, nec aenescenti, alis hyalinis, squama alba, et antennis apice paullo magis dilatatis, nec exacte linearibus, ab illa distincta. Reliqua ut in priori vel in diagnosi.

**57. T. simplicitarsis:** vibrissis nullis oblongo-ovata, nigro-aenea nitida, immaculata, alis basi squamaque pallide flavescentibus, nervis, 3tio basi 4—8-setuloso, 4to in apice excurrente, transversoque ordin. recto; antennis longitudine hypostomatis valde dilatatis, palpis pedibusque nigris; tarsis omnibus simplicibus. ♀.

Hab. in fruticibus et graminosis ad Drivstuen in alpe Dowre D. BOHEMAN. (Lappon. Norveg.)

*Fem.* Long 2—2¾ lin. Simillima *Tach. aeneae*, sed antennis longioribus, multo magis dilatatis, ut et tarsis simplicibus mox ab illa distincta. In ceteris convenit utraque species.

**58. T. funebris:** vibrissis distinctis oblongo-ovata, caerulescenti nigra, nitida, antice albo-submaculata; alis hyalinis, nervis, 3tio basi 3—4-setuloso, 4to fere in apice exeunte, transverso ordin. recto, squama alba; antennis hypostomate paullo brevioribus, validis, palpis pedibusque nigris; tarsis simplicibus. ♀.

Hab. in alpe Dowre, a D. BOHEMAN detecta, a me nunquam lecta. (Lapp. Norveg. Dalekarlia.)

*Fem.* 2¼ lin. long. Tota subcaerulescenti nigra. Caput argenteomicans, vitta frontali media atra, opaca. Antennae nigrae, articulo ultimo elongato, valido lato, seta fere ultra medium incrassata. Vibrissae fere ad basin antennarum sensim decrescendo assurgunt. Thorax antice albo-micat, lineis 3 nigris. Abdomen immaculatum. Alae hyalinae, nervis basi obscuris, 4to longitudinali angulatim flexo, mox ante summum apicem alae cum nervo 3tio non intime conjuncto; transverso ordinario rectissimo. Squama albicans, flavo-submarginata. Halteres nigri. Pedes nigri, tarsis omnibus simplicibus. — Similis *Tach. magnicorni* (No. 41) sed vibrissis distinctis etc. aperte diversa.

**59. T. grossicornis:** vibrissis paucioribus, infernis, oblongo-ovata, nigra, nitida, immaculata; antennis hypostomate apice reflexo parum brevioribus, valde dilatatis; alis hyalinis, basi squamaque albo-pallescentibus, nervis, 3tio basi 6—7 setuloso, 4to rectangulatim flexo, in summo apice alae excurrente, transversoque ordinario recto. ♀.

Hab. in Lapponia Norvegica, e qua mihi a D. BOHEMAN communicata. (Lapp.-Westrogoth. GYLL.)

*Fem.* Long. 3 lin. Similis iterum *Tach. magnicorni* (No. 41) sed magnitudine paullo minori, antennis paullo brevioribus et latioribus; seta breviori, apice vix capillari, hypostomatis apice reflexo, corpore nigro, immaculato, ut et nervo 4to fere rectangulatim flexo, in summo apice alae excurrente, ibique cum nervis 3tio et costali intime connexo, distincta. Caput caerulescenti nigrum, parum albo-micans. Frons lata, vitta media fusca. Vibrissae paucissimae, vix nisi ad apicem hypostomatis inchoantes adsunt. Sed series setarum frontalium infra antennarum basin descendit. Oculi distincte hirti. Palpi nigri. Alae basi et squama flavo-albescunt. Nervus 3tius basi setis 6—7 distantibus.

**60. T. lateralis:** vibrissis nullis cylindrica nigra, thorace cinereo-vittato, squama alba, abdominis segmentis 3 anticis lateribus ferrugineis, incisuris albo-micantibus, alis fusco-hyalinis, nervo 4to mox intra apicem alae cum nervo 3tio conjuncto, antennis hypostomate paullo brevioribus, haud dilatatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Musc. pag. 36. Not. MEIG. Dipt. 4. 283. 78. ♂♀. *Musca lateralis* PANZ. Fn. 7. f. 22. *Ocyptera lateralis* FABR. Antl. 314. 8. *Ocyptera tachinaria* FALL. Dipt. Sv. Rhizomyz. 6. 4. ♂♀.

Hab. in graminosis locis aridis ad Johannis Ro, Kengis et Muonioniska, Lapponiae Tornensis, ad Lycksele, Lapponiae Umensis, 4. Aug. — 2. Sept. sat freq. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Angusta, cylindrica, nigricans. Caput argenteum. Frons paullo promineus, linea media nigra. Oculi tenuiter hirsuti, in ♂ paullo magis appropinquantes, quam in ♀. Antennae sordide nigrae, articulo ultimo longitudine reliquorum simul sumtorum, lineari, in ♂ intus paullo dilatato; apice in utroque sexu obtuso; seta capillari vix ad medium incrassata. Palpi nigri. Thorax cinerascens, lineis 4 nigris, interioribus tenuibus. Abdomen conicum, nigrum, nitidum, segmentis plerumque 3 anticis lateribus rufis; sed variat etiam segmentis tantum 1 et 2 utrinque leviter ferrugineo-maculatis. Incisurae in illaesis individuis albescunt. Anus in ♂ inflexus in ♀ acutus. Alae hyalinae, nervis subinfuscatis, 4to long. rectangulatim flexo mox intra apicem alae cum 3tio conjuncto, qua connexione ad *Ocypteras* accedit haec species. Nervus transversus ord. plus minus curvatus. Squama alba. Pedes nigri.

**61. T. crucigera:** vibrissis nullis subcylindrica, nigra, thorace cinereo-vittato, squama albida, palpis, femoribus tibiisque subtus, scutelli apice abdomineque rufo-testaceis, hoc vitta dorsali incisurisque nigris; alarum nervo 4to in summo apice excurrente; antennis hypostomate paullo brevioribus, non dilatatis. ♀.

Hab. in Umbellatis et foliis fruticum, locis umbrosis, ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, d. 15—19. Jul., rar. (Lapp.-meridion. Dalekarlia.)

*Fem.* Long. 3½ lin. Affinis priori, paullo brevior, pictura etc. ab illa diversa. Caput cinereum. Frons parum promineus, linea media latiori nigra. Antennae ut in praecedente, seta paullo crassiori. Palpi flavi. Thorax ut in priori. Scutellum testaceum, basi nigricans. Abdomen oblongo-ovatum, nitidum, rufo-testaceum, vitta dorsali lineari, postice attenuata, ad anum fere producta, incisurisque tenuiter, nigris. Alae subhyalinae, basi parum flavescentes, nervis, 4to longit. in summo apice exeunte, transverso ordinario subrecto. Squama sordide albida. Pedes nigricantes, femoribus subtus tibiisque fusco-testaceis. Affinis etiam et quodammodo similis *Tach. diaphanae* FALL. (*T. lucidae* MEIG.), haec differt a nostra magnitudine paullo majori, scutello, femoribus abdomineque totis testaceis subpellucidis, hoc tantum linea dorsali abbreviata nigra, picto, et in Scania huc usque solum visa.

**62. T. spinosa:** vibrissis nullis subcylindrica opaca, nigricans, tota rigide setosa, thorace vittatim abdomineque maculatim cinerascentibus, squama alba, nervo 4to prope apicem alae excurrente, antennis hypostomate duplo brevioribus,

extus subdilatatis, palpis pedibusque nigris; abdomine in ♂ lateribus rufo-maculato. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Kengis Lapponiae Tornensis a D. B. F. FRIES, et ad Bossekop Finmarkiae a me inventa, d. 3—22. Aug. capta. In alpe Dowre etiam a Nobil. D. BOHEMAN mens. Jul. lecta. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Affinis *Tach. laterali* magis setosa et pictura alia. Caput argenteum, vitta frontali angusta, nigra. Oculi in ♂ sat appropinquantes. Antennae nigrae, articulo ultimo longitudine reliquorum, extus, praesertim in ♂, sensim subdilatato, seta capillari, basi parum incrassata. Palpi nigri. Thorax cinereus, antice lineis 4 nigris, mediis tenuibus. Abdomen nigricans, pro diverso situ cinereo - et albo - maculatim micans, praesertim ad latera. Segmenta antica lateribus in ♂ maculis rufo - subpellucidis. Alae in utroque sexu hyalinae, basi parum infuscatae, costa ciliata et ad basin, ubi excurrit nervus secundarius seta aculeata. Squama alba. Pedes nigri, femoribus anticis latere postico cinerascentibus.

*Obs.* Fallenianae species: *Tach. longicornis*, *dispar*, *fulva*, *excisa*, *diaphana* (*T. lucida* MEIG.) *tremula* (*Erebia tremula* MACQ.) et *albicans*, in Svecia inferiori habitantes, in Lapponia et aliis terris septentrionalioribus a me nunquam repertae.

---

## 80. Sarcophaga. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 154. MACQ. *Musca* LINN. FABR. LATR. FALL. *Cynomyiae* et *Agriae* species ROB. D. et MACQ.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, oblongo-ovatum, pubescens et setosum, Tachiniforme. Antennae incumbentes, articulo ultimo elongato, prismatico, compresso, seta plumata, apice nuda. Oculi distantes nudi. Os mystacibus distinctis, at vibrissis vix ullis. Abdomen 4-annulatum. Alarum nervus 4tus ad 3tium angulatim flexus, in costam paullo ante apicem alae excurrens; idem etiam ab angulo et costam sursum inflectitur. Seta spinulosa in basi costae, ubi excurrit nervus secundarius, vix ulla, quae in *Tachinis* saepe manifesta. Pedes simplices. *Color* nigricans, cinereus, pictura nigro-lineata aut tessellata. *Motu* velox, volatu celeri. *Habitatio* in foliis fruticum, terra, lapidibusque; per omnes fere Lapponiae partes. *Larvae* in cadaveribus et stercoratis vivunt. *Differentia sexus; mas:* ano tuberculatim inflexo, oculis magis appropinquantibus, ut et pulvillis majoribus; *femina:* ano acutiori, oculis latius distantibus, et pulvillatis parvis. (Spec. Scand. 24, seta antennarum ad 3tiam partem plumata, apice nuda, oculis in utroque sexu disjunctis, corpore setoso, alarum nervo 4to angulo acutiori (nec obtuso) ad costam sursum flexo, et ante apicem alae excurrente, a reliquis hujus Familiae distinctae; harum tantum 8 descripsit Cel. FALL.)

### *Sect.* 1. *Palpi nigri. Alarum nervus 4tus infra angulum saltem apparenter continuatur. Color corporis cinerascens, pictura nigro-lineata. Tibiae posticae in ♂ saepe villosae. Sarcophaga* MACQ.

**1. S. carnaria:** cinerea, capite albo-flavescenti, nitido, vitta frontali, antennis, thoracis lineis subtribus, abdominis tessellis pedibusque nigris; ♂ tibiis posticis intus villosis, anoque nigro, nitido. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 18. 6. ♂♀. MACQ. Dipt. Gall. Sarcophagii 42. 2. ♂♀. Tab. 2. f. 2. ala. *Musca carnaria* LINN. Fn. Sv. 1832. DE GEER Ins. 6. 63. 8. t. 8. f. 5. FABR. Antl. 284. 4. FALL. Dipt. Sv. Musc. 38. 1. ♂♀. (sub qua vero plures latent species).

Hab. in Lapponia rarius, in tota reliqua Suecia frequentissima; larva in vegetabilibus putridis et stercore pecorum hominisque, vix in carnosis, secundum Cl. BOUCHÉ Naturgesch. der Insecten, 1834. 1. 61. Status nympharum 4—8 hebdomadibus; seriores vero in statu pupae hybernant. (Lappon.-Scan. vulgatiss.)

*Mas* et *Fem.* Magna, saepe 7 lin. long. Oculi exserti rufo-ferruginei, in ♂ paullo propiores, quam in ♀. Thoracis vittae nigrae 5, laterales abbreviatae. Abdomen nigrum, tessellis quadrifariam dispositis, cinereis. Nervus 4tus angulo acuto in costam excurrit, ibique paullo a nervo tertio distat. Nervi transversi, ordinarius distincte flexus, medius obliquus, fuscedine interdum cinctus. Pedes in utroque sexu spinosi; in ♂ subtus villosi, villositate in latere interiori tibiarum posticarum longa, densiori, pulvillisque magnis suborbiculatis.

**2. S. caerulescens:** nigro-caerulescens, capite flavescenti albo, nitido, vitta frontali, antennis pedibusque nigris, thoracis lineis 6, abdominisque tessellis, glaucis; ♂ tibiis posticis intus villosis, anoque nigro, nitido. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; lecta est ad Kihlangi, Torneåträsk et in truncis Pini sylvestris ad Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, et in Tresunda ad Wojmsjoen, atque in Rusele, Lapponiae Umensis; d. 23. Jun. — 21. Aug. visa; in copula die 12. Jul. capta. (Lappon.-Scania rariss.)

*Mas* et *Fem.* 7 lin. long. Praecedente igitur non brevior, sed paullo latior, praesertim ♀; variat tamen ♂ interdum paullo minor. — Caput, alae, pedes, anus, pictura et praeterea omnia ut in priori, a qua non differt nisi colore corporis magis caerulescenti, lineis thoracis abdominisque tessellis albo - glaucis, nec non capite minus flavescenti. — In unico specimine femineo caput album et vittam frontalem ordinariam vidi; hanc vero *Sarcoph. albiceps* MEIG. esse, ob magnitudinem minorem (6 lin. long.) et alias notas distinguentes, vix in suspicionem venire potest.

**3. S. albiceps:** nigra, capite albo-argenteo, nitido, vitta frontali, antennis pedibusque nigricantibus, thoracis lineis 6 glaucis, abdominis tessellis cinereis. ♀.

An *Sarcoph. albiceps* MEIG. Dipt. 5. 22. 8? (similis nostrae, sed 6 lin. long.) MACQ. Dipt. Gall. Sarcoph. 43. 5? ♂♀.

Hab. in Lapponia rariss.: ad radicem alpium Andeness Nordlandiae septentrionalis unicum specimen d. 23. Jul. 1821 inveni. (Lappon. - Scan.?)

*Fem.* Vix 5 lin. long. Priori similis, multo minor, capite albidiore, colore corporis magis nigro s. minus caerulescenti, abdominis tessellis cinereo - albidis, vix glaucis, ut et nervo transverso ordinario minus incurvato, fere recto. — *Mas* in Lapponia non visus, at in Collectione mea Insector. Svec. adest, tibiis posticis intus villosis.

**4. S. ruficauda:** nigra subnitida, capite cinereo-argenteo, thoracis lineis 9, abdominisque maculis lateralibus, obsoletis cinereo-albidis, antennarum seta breviter plumata; ♂ tibiis posticis intus villosis, ano postice sanguineo. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele semel lecta d. 16. Aug. (Lapponia.)

*Mas.* Circiter $4\frac{1}{2}$ lin. longa, angusta, cylindrica, nigra. Caput argenteum. Oculi non late distantes, linea tantum frontali media (per se lata) tota disjuncti. Antennae nigrae, seta tantum ad medium pubescente s. breviter plumata, unde a prioribus etiam differt haec species. Abdomen nigrum nitidum, subcylindricum, lateribus tantum maculis obsoletis albidis. Anus magnus, nitidissimus, niger, dimidietate postica inflexa, sanguinea. Alae ut in *Sarcoph. carnaria*. Squama alba. Pedes nigri, ut in *Sarc. carnaria* villosi.

**5. S. haematodes:** cinerea, capite concolore, nitido, vitta frontali media, antennis, thoracis lineis subtribus angustioribus, abdominis tessellis pedibusque, fusco-nigricantibus; ♂ tibiis posticis intus nudis, ano antice cinereo, postice rufo; ♀ ano griseo. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 29. 25. certe. ♂♀. *Sarcophaga haematoda* MACQ. Dipt. Gall. Sarcoph. 46. 14. *Musca haemorrhoidalis* FALL. Dipt. Sv. Musc. 39. 2. vera (ut ex Collectione Cel. Viri mihi donata vidi, licet plures species ano rufo juxta genuinam ibi positae fuerint).

Hab. in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele d. 1—30. Aug. in copula observata. (Lappon. - Hernösandia-Scania freq.)

*Mas.* et *Fem.* $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{4}$ lin. long. Corpus ovatum, cinereum. Caput plerumque flavescenti album, nitidum, interdum argenteum. Oculi in ♂ propiores, quam in ♀. Thoracis lineae fuscae 5, laterales obsoletissimae. Scutellum linea media fusca. Alae ut in *Sarcoph. carnaria*. Reliqua ut in diagnosi. — *Sarcoph. haemorrhoidalis* MEIG. et MACQ. alia videtur species, 5—6 lin. longa, in Svecia sed non in Lapp. obvia.

*Obs.* FALLENI *Musca affinis* (*Agria* MACQ.), *obsoleta*, *lineata* et *latifrons* (*Agria* MACQ.), huic generi et susdivisioni subjectae, in Lapponia a me non repertae.

### *Sect.* 2. *Palpi flavi. Alarum nervus 4tus infra angulum vix continuatus. Color corporis plerumque metallicus, praesertim abdominis; nitidus; thorace sublineato. Tibiae posticae intus semper nudae. Cynomyia* ROB. DESV. et MACQ.

**6. S. Mortuorum:** caerulescenti nigra, capite aureo-fulvo, thorace obsolete albido - 4-vittato, abdomine viridi-chalybaeo nitidissimo, unicolore. ♂♀.

Var. a. ♂♀. abdomine viridi-chalybaeo, antennis aut testaceis, aut saepius superne fuscis.
Meig. Dipt. 5. 16. 1. *Musca Mortuorum* Linn. Fn. Sv. 1830. Fall. Dipt. Sv. Musc. 45. 18. ♂♀. (exclus. syn. Fabr. quod ad *Muscam vomitoriam* pertinet). *Cynomyia mortuorum* Macq. Sarcoph. 40. 1. ♂♀. Tab. 2. f. 1. ala.
Var. b. ♀. abdomine toto viridi; antennis ut in var. a. variantibus.
Meig. l. c. var.
Hab. var. a. in graminosis sylvaticis ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, et ad Lycksele, StorUman et Umenaes, Lapponiae Umensis, d. 20. Jun. — 29. Aug. passim; ad Bossekop Finmarkiae frequenter, ibique etiam d. 7. Aug. e nympha declarata; var. b. ad Juckasjervi d. 3. Jul. capta. — Strenue volans. Larva in cadaveribus et carne putrida, in canina libenter, unde nomen a D. Robin. *Cynomyia*. (Lappon.-Scan. freq.)
*Mas* et *Fem.* Magnitudo valde variat; individua enim a 4 usque ad 6 lin. long. occurrunt. Oculi obscuri, aeneo-micantes, in ♂ subapproximati, in ♀ late remoti. Linea frontalis fulva. Vertex niger. Antennae apice revera obtusae, sed in feminis mortuis margo interior saepe inflexus, unde apex antennarum in his acutus videtur, qualis a Fall. describitur. Seta nigra, paullo ultra medium longe plumata. Anus ♂ niger, nitidus. Squama alarum in utroque sexu alba. Pedes nigri.

**7. S. alpina**: caerulescenti nigra, capite testaceo, albo-micante, antennis nigricantibus, basi fuscis, thorace antice obsolete albo-4-vittato, abdomine caeruleo, nitidissimo, unicolore. ♀.
Hab. in Lapponia meridionali rarissime, in alpe Brattiksfjell d. 8. Jul. semel lecta. (Lapponia.)
*Fem.* Individuis minimis praecedentis speciei fere aequalis, vix 4 lin. longa. Similis priori, sed praeter magnitudinem minorem differt etiam capite testaceo, nec fulvo, genis fuscis, fronte non tam longe prominente, interstitio frontali angustiori, antennis fusco-nigris, basi tantum testaceo-maculatis, abdomineque undique aequaliter, at levissime et certo tantum situ perspicue albo-micanti, unde ad *Musc. vomitoriam* accedit; sed haec albedo in *Sarc. alpina* nullas format maculas. Hypostoma albo-micat, in medio fuscum, macula supra antennas fulva. Vertex nigricans. Seta antennarum longe plumata, apice nuda. Alae aqueae. Squama alba. Pedes nigri. Reliqua ut in priori.
*Obs.* Est forte femina *Muscae genarum* mihi (infra No. 18), at plumis setae antennarum longioribus ab illa distincta videtur, nec in copula junctas vidi.
*Obs.* *Musca ruralis* Fall. corpore cinerascenti, thoracis lineis abdominisque punctis nigrioribus, in hac subdivisione reponenda, in Scania frequenter visa, in Lapponia non lecta.

## 81. Mesembrina. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 153. Macq. Robin. Desv. *Musca* Linn. de Geer. Panz. Fabr. Fall. *Syrphus* Panz. *Eristalis* Fabr.

*Corpus* magnum, ovatum, hirsutum, non setosum. Antennae fronti parum prominenti insertae, incumbentes, hypostomate paullo breviores, articulo ultimo elongato, prismatico, angusto. Seta usque ad apicem plumata. Oculi distantes, nudi. Os mystacibus pluribus distinctis, at vibrissis vix ullis. Abdomen 4-annulatum. Alae elongatae, nervo long. 4to regulariter arcuatim flexo, in apice alae excurrente. Nervus 3tius basi omnino inermis, ne quidem vestigio setularum. Costa mutica. Seta spinulosa in apice nervi secundarii nulla. Pedes simplices, tibiis spinulosis. *Color* niger, hirsutie saepe flava. *Motu* agilis, strenue et alacriter volans. *Habitatio* in sylvaticis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. Opinante D. Robineau Desvoidy vivipara, veluti *Sarcophaga*, sed secundum Macquart ovipara, utpote plures *Muscae* species. *Larvae* in stercore bovino degunt. *Differentia sexus*; *mas:* oculis approximatis, et pulvillis magnis; *femina:* oculis late remotis, et pulvillis parvis. (Spec. Scand. 2, seta antennarum undique longe plumata, corpore late ovato, villoso, nec setoso, alis inermibus, nervo 4to obtuse arcuato in apice alae exeunte, a reliquis distinctae.)

**1. M. mystacea**: atra, thoracis dorso fulvo-villoso, abdominis apice griseo-hirsuto, palpis alarumque basi flavis, squama fusca. ♂♀.
Var. a. ♂♀. hirsutie thoracis anique fulva.
*Musca mystacea* Linn. Fn. Sv. 1793. var. *α*. de Geer Ins. 6. 133. 1. t. 8. f. 2. ♀. Fall. Dipt. Sv. Musc. 50. 29. var. *α*. ♂♀.
Var. b. ♂♀. hirsutie thoracis fulva, ani grisea.
Meig. Dipt. 5. 12. 2. *Syrphus apiformis* Panz. Fn. 91. f. 20. *Eristalis apiarius* Fabr. Antl. 231. 1.
Var. c. ♂♀. hirsutie thoracis grisea, ani aut grisea aut albida.
Fall. l. c. var. *β*.
Hab. in silvis Lapponiae passim, 29. Jun. — 22. Aug. obvia; var. a. ad Juckasjervi et Muonioniska, Lapponiae Tornensis, ad Stensele et Badstutraesk, Lapponiae Umensis, et ad Alteidet Nordlandiae septentrionalis capta; var. c. ad Kengis lecta; et var. b. e pupa cylindrica, nuda, brunnea, in stercore bovino ad Juckasjervi inventa, d. 30. Jun. egressa. (Lapponia-Ostrog. passim, at vix in Scania.)
*Mas* et *Fem.* 6—7 lin. longa, posterius valde lata, inter Muscides nostras majores numeranda, *Syrphum* mentiens, ad Syrphicos minime referenda. Caput fusco-testaceum. Palpi flavi. Oculi in ♂ fere cohaerentes. Thorax subtus et scutellum nigra. Alarum nervus 4tus fere infra summum apicem excurrit. Pedes nigri, villosi.

**2. M. meridiana**: atra nitida, immaculata, hypostomate lateribus flavo-aureis, alis basi squamaque flavis. ♂♀.
Meig. Dipt. 5. 11. 1. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. Musc. 15. 1. ♂♀. Tab. 1. f. 3. ala. *Musca meridiana* Linn. Fn. Sv. 1821. Fabr. Antl. 284. 3. Panz. Fn. 10. 17. Fall. Dipt. Sv. Musc. 51. 30. ♂♀.
Hab. . . . Ut Lapponiae incola mecum communicata, mihi nec in Lapponia, nec in provinciis adjacentibus obvia, in Suecia media et meridionali frequentissima, in sepibus ligneis et truncis arborum, latere meridiei verso plerumque sedens. (Lappon.; Uplandia-Scania vulgaris.)
*Mas* et *Fem.* 5—6 lin. longa, priori angustior, ovalis, tenuiter pubescens, atra. Hypostoma lateribus pulchre aureo-flavum, in medio inaequaliter late nigricans. Antennae nigricantes, basi testaceo-maculatae. Oculi in ♂ appropinquantes, in ♀ late remoti, in utroque sexu interstitio frontali atro disjuncti. Scutellum nigro-piceum. Nervus 4tus in summo apice alae excurrens. Nervulus transversus ordinarius magis curvatus, quam in priori. Reliqua ut in diagnosi.

## 82. Musca. Linn.

Meig. Dipt. Eur. gen. 156. Linn. Fabr. Geoffr. Dej. Panz. Latr. Fall. *Dexia* Meig. *Curtonevrae*, *Polleniae*, *Muscae*, *Luciliae* et *Calliphorae* species Macq.

*Corpus* majoris, mediae aut rarius minoris magnitudinis, subcylindricum aut ovatum, pubescens et setosum. Antennae incumbentes hypostomate paullo breviores, articulo ultimo elongato prismatico, angusto, seta undique et plerumque fere ad apicem plumata (in *Musca volvulus* etc. pubescente). Oculi saepius nudi. Os mystacibus pluribus distinctis, at vibrissis vix ullis, aut brevibus. Alae saepissime elongatae, nervo 4to aut angulatim aut curvatim, vel ante apicem vel in apice alae excurrente. Abdomen 4-annulatum. Pedes simplices, tibiis spinulosis. *Color* griseus, metallicus, niger. *Motu* velox; volatus celer. *Habitatio* in foliis fruticum, floribus, sepibus, domibus etc.; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larvae* in stercoratis, cadaveribus aliisque sordidis vivunt. *Differentia sexus*; *mas:* oculis magis approximatis et pulvillis magnis; *femina:* oculis distantibus et pulvillis parvis. (Spec. Scand. 50, seta antennarum undique et longe plumata, corpore pubescente et setoso, ut et nervo 4to angulato aut arcuato, aut ante apicem aut in ipso apice alae excurrente, ab affinibus diversae.)

Divisio 1. *Muscae sylvaticae*, corpore subcylindrico aut oblongo, oculis nudis, in utroque sexu distantibus (in ♂ propioribus), seta antennarum plumata aut pubescente. Color obscurus aut grisescens, non metallicus. Oviductus feminae vagina brevi. *Dexia* Meig.*) Macq.

A) Nervus 4tus longitudinalis intra angulum et costam sursum flexus, paullo ante apicem alae excurrens. Corpus subcylindricum.

**1. M. compressa**: oculis in utroque sexu subaequaliter et subparalleliter distantibus cylindrica, nigra, maculatim albi-

*) Subdivisiones hujus generis, levioribus notis a *Musca* diversi, a Cl. Meig. factae figurisque illustratae, naturae rationi non semper conveniunt, ex. grat. *Dexia carinifrons*.

cans, antennarum basi, abdominis compressi lateribus femoribusque rufis; nervo 4to infra angulum distincte continuato; seta antennarum pubescente. ♂♀.

FABR. Ent. Syst. 4. 327. 64. *Ocyptera compressa* FABR. Antl. 314. 5. *Dexia compressa* MEIG. Dipt. 5. 41. 13. ♂♀. (Syn. FABR. *Ocyptera rufa* erronea). *Musca lateralis* PANZ. Fn. 7. 22. (cum *Tachin. laterali* commutata). *Musca rufiventris* FALL. Dipt. Sv. Musc. 41. 8. ♂♀.

Hab. in Lapponia, ut fertur, mihi in provinciis borealibus non obvia. (Lapponia? Smolandia, Gottlandia passim.)

*Mas* et *Fem.* $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ lin. longa, angusta. Caput nigrum, orbita oculorum faciali late argentea. Frons parum prominens. Antennae longitudine fere hypostomatis, lineares. Seta pubescens. Series vibrissarum decrescens, abbreviata. Palpi flavi. Oculi non late remoti. Thorax cinereus, vittis 2 brunneis. Abdomen nitidum, aeneo-nigrum, segmentis 3 anticis lateribus rufis, incisuris albido-micantibus. Alae hyalinae, nervis fuscedine cinctis. Nervulus transvers. ordinar. paullo curvatus. Nervus 4tus cum nervo 3tio in costa paullo ante apicem alae intime connexus. Squama sordide albida. Pedes nigri, femoribus testaceis. Valde affinis *Tach. laterali*.

**2. M. canina:** oculis in utroque sexu inaequaliter distantibus flavo-grisescens, thoracis lineis, abdominis incisuris tarsisque fuscis, antennis, palpis pedibusque flavis, alis basi flavescentibus, nervo 4to infra angulum distincte continuato; seta antennarum plumata. ♂♀.

FABR. Antl. 296. 60. FALL. Dipt. Sv. Musc. 41. 8. ♂♀. *Dexia canina* MEIG. Dipt. 5. 47. 24. ♂♀. MACQ. Dexiariae 55. 2. ♂♀.

Hab. . . ut Lapponiae incola mecum communicata, in terris borealibus mihi non obvia; in reliqua Suecia haud rara. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* 5—$5\frac{1}{2}$ lin. long. Cylindrica, griseo-flavescens. Oculi maris versus verticem paullo appropinquantes, feminae aequaliter fere et late distantes. Frons prominens, linea media testacea. Setae frontales ad antennarum basin descendunt. Setae oris paucae, distinctae. Vibrissae omnino nullae. Antennae hypostomate paullo breviores, lineares. Seta breviuscula, undique et usque ad apicem plumata. Thoracis lineae 2 tenues, et maculae laterales 4, nigricantes. Abdominis segmenta apice fusca. Alae praesertim basi flavescunt. Nervi ut in priori, at nervus 4tus cum tertio in apice alae non intime connexus, et infra angulum longius continuatur. Squama et pedes flava, tarsis fuscis. *Obs.* *Musca vacua* FALL. et *Musc. leucozona* (seu *Dexia leucozona* MEIG. cujus ♂ est *M. lateralis* FALL; et ♀ est *M. nigrina* FALL.), in Scania saepe, in Lapponia non, colliguntur.

B) Nervus 4tus long. intra angulum et costam subrectus (infra angulum non continuatus). Seta antennarum saepe pubescens, rarius plumata.

**3. M. volvulus:** cylindrica nigra, thoracis maculis humeralibus abdominisque cingulis 3 albis, alis hyalinis, basi et squama subflavescentibus, nervo 4to subarcuatim flexo, in summo apice alae excurrente, antennis longitudine fere hypostomatis, linearibus, apice truncatis, seta pubescente. ♂♀.

FABR. Ent. Syst. 4. 328. 17. *Ocyptera volvulus* FABR. Antl. 314. 7. *Dexia volvulus* MEIG. Dipt. 5. 35. 2. ♂♀. *Musca cylindrica* FALL. Dipt. Sv. 43. 13. certiss. ♂♀. (exclus. certe syn. *Musc. halterata* PANZ. quod ad *Muscam mauram* FABR. seu *Dexiam* eandem pertinet).

Hab. in Lapponia meridionali rar., ex. gr. ad Lycksele 10. Aug. capta; in alpe Dowre a D. BOHEMAN visa, mense Julio. (Lappon.-Hernösandia 29. Aug. rar. Dalekarlia-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Affinis *Tach. albicinctae* (No. 18) seta pubescente, nec nuda, et ab illa distincta. Similis quoque *Musc. compressae*, sed directione nervorum in alis etc. mox dignota. Caput argenteum, vitta frontali nigra. Antennae lineares, apice truncatae, et seta distincte pubescens, nigra. Alae inermes praeter setulas paucas in basi nervi 3tii. Nervulus transvers. ord. subrectus. Pectus albo-micans. Femina paullo major, antennis paullo minoribus, alias mari simillima.

*Obs.* Specimina svecica lapponicis saepe paullo majora, et nervo 4to long. fere angulatim flexo gaudent; in ceteris simillima. Nomen Fabricianum speciei vetustius, ergo reduco.

**4. M. carinifrons:** oblonga, fronte producta; cinereo-grisescens, antennis, palpis, linea media frontali, thoracis vittis 3, media triplicata, pedibusque nigris, abdominis maculis fusco-micantibus, alis immaculatis, antennis hypostomate brevioribus, seta breviter plumata. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Musc. 44. 15. ♂♀. *Dexia carinifrons* MEIG. Dipt. 5. 45. 20. ♂♀. MACQ. Dexiar. 56. 6. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.; Scan. omnium frequentissima.)

*Mas* et *Fem.* $3\frac{1}{2}$—4 lin. longa, oblonga, utrinque attenuata. Cinerea, opaca. Oculi in ♂ sat approximati, linea angustiori nigra utrinque albido-marginata, disjuncti; in ♀ late remoti. Antennae breviusculae, lineares, apice obtusae. Seta breviuscula, pubescens. Hypostomatis apex albido-flavus. Vibrissae nullae. Abdomen conicum certo situ fusco-micat. Alae sordide hyalinae, immaculatae, basi pallidiores. Nervus 3tius mox ante apicem alae excurrit omnino rectus. Squama sordide albida. Pedes nigri.

**5. M. dolens:** oblonga, fronte subproducta; nigricans, palpis lividis, alis aqueis, squama alba, antennis hypostomate brevioribus, seta pubescente. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, ad lacum insignem Torneåträsk, in regione subalpina Lapponiae situm, d. 9. Jul. 1821 unicum specimen inveni. (Lapponia septentrion.)

*Mas.* Long. circiter 3 lin. Affinis priori, colore corporis nigro, alis magis pure hyalinis, squama albidiori, et oculis (in ♂) adhuc magis approximatis, fere cohaerentibus, distincta. Caput argenteo-micans, linea frontali angustissima nigra. Antennae fere breviores, quam in praecedente, nigro-fuscae, seta non usque ad apicem pubescente. Thorax antice parum albo-micans. Pedes picei. Reliqua ut in diagnosi vel in praecedente.

**6. M. puberula:** oblongo-subcylindrica, fronte producta; cinereo-nigricans, palpis flavis, alis hyalinis, squama alba, antennis hypostomate brevioribus, seta pubescente. ♂♀.

Hab. in Nordlandia septentrionali, ad Tromsoe d. 24. Jul. unicum par inveni. (Lappon. Norveg.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 4 lin. Priori iterum affinis et similis, paullo major, colore corporis nigro magis cinereo-micante, palpis flavis, alis minus pure hyalinis, et oculis non tam prope conniventibus, distincta. Caput, in ♂ argenteum linea frontali media augusta (angustiori scilicet quam in *M. carinifronti*, at paullo latiori quam in *M. dolente*), atra; in ♀ cinereum, interstitio frontali lato, linea media nigra. Antennae et seta ut in praecedente. Vibrissae paucae, decrescentes. Thorax niger, cinereo-micans. Abdomen ovatum, dense pubescens, in ♂ subcylindricum, ano subtuberculato, inflexo (non vero tam magno ut in *Sarcophagis*, quibus alias subsimilis); cinereo-nigricans, incisuris tenuiter et maculis dorsalibus certo situ perspicuis, fusco-aeneo-micantibus; in ♀ subdepressum, ut in ♂ pictum. Alae hyalinae, basi infuscatae, nervis ut in *M. carinifronti* directis. Pedes nigro-picei.

**7. M. melanoptera:** oblonga, fronte parum prominente, atra, nitida, alarum nervis et costa late, nigricantibus, antennis parvis, seta pubescente. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. 52. 34. ♂♀. *Dexia melanoptera* MEIG. Dipt. 5. 36. 4. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, duo tantum specimina, unum ad Almsele et alterum ad Åsele Lapponiae Umensis d. 24—25. Jul. inveni. (Lappon. Ostrog. rar.)

*Mas.* et *Fem.* 2—$3\frac{1}{2}$ lin. long. Parum pubescens, tota atra, nitida, immaculata, thorace antice perparum albo-micante. Caput nigrum, hypostomate, et fronte parum prominente linea utrinque, argenteis. Oculi in ♂ postice fere cohaerentes, in ♀ late remoti. Antennae hypostomate triplo breviores, seta fusca, breviter plumata, apice nuda. Abdomen oblongum. Alae ad costam et nervos late, nigricantes, nervo 4to long. in summo apice alae excurrente obtuse arcuatim flexo. Squama in ♂ fusca, in ♀ albida. Halteres et pedes nigri, hi nudiusculi, parum spinulosi.

*Obs.* Pupa hujus speciei a Cl. BAUMHAUER in ligno putrido inventa, mense Majo exclusa, teste D. MEIGEN.

**8. M. minima:** oblonga nigra, fronte non prominente. squamaque sordide albis, alis fuscanis; antennis hypostomate brevioribus seta plumata. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica; in Dowre a D. BOHEMAN inventa. (Lapponia; Suecia MARKLIN ♂; Gottland., ipse ♀.)

*Mas.* Minuta, circiter 1 lin. longa. Subcylindrica, tota nigra, parum nitida. Frons minime porrecta et hypostoma sordide argenteo-micantia. Oculi subcohaerentes, supra antennas triangulo et in vertice linea anguste nigra, distantes. Antennae hypostomate fere duplo breviores, angustae, sublineares, seta plumata, apice nuda. Vibrissae nullae. Setae mystacinae paucae. Alae ad costam inprimis infuscatae; nervis ut in priori directis, at nervulo transv. ordin. omnino recto, nec leviter flexo. Nerv. long. 3tius basi setulis 1, 2 armatus. Squama sordide albida. Halteres nigricantes. Valde affinis *Musc. melanopterae*, differt tamen constanter ab illa magnitudine triplo minori, fronte minime prominente, antennis proportione paullo longioribus, alis totis fere aequaliter fuscanis, nec ad nervos intensius infuscatis nervoque transv. ord. omnino recto.

*Fem.* Mari descripto similis, magis griseo-nigricans, abdomine ob-

longo, oculis remotis, alis minus infuscatis et halteribus albidis, sine dubio hujus, in Gottlandia capta, in Lappon. non visa.
*Obs.* Fallen *Musca ferina*, *grisescens* et *Tachinoides*, in Lapponia a me frustra quaesitae. *Tach. pubicornis* mihi, seta pubescente, vix Musca, sed in genere *Tachina* (No. 23) quaerenda.

Divis. 2. *Muscae Familiares*, corpore obtuse ovato, oculis aut nudis aut pubescentibus, in ♂ saepe supra cohaerentibus. Plerumque unicolores, saepe metallicae. Nervus 4tus infra angulum nunquam descendit. Oviductus ♀ longe vaginatus. Muscae genuinae Auctorum.

A) *Muscae nobiles.* Aureo-virides, unicolores. *Lucilia* Rob. Desv. et Macq.

* Nervus 4tus longitudinalis angulatim flexus.

a) Palpi rufi vel ferruginei. Typus: *Musca caesar.*

**9. M. caesar:** viridi-aurea nitens, abdominis 1mo segmento concolore, hypostomate lateribus argenteo, medio fusco, apice rufo, genis albis, palpis flavis, antennis pedibusque nigris. ♂♀.
Linn. Fn. Sv 1828. Fabr. Antl. 289. 26. Fall. Dipt. Sv. Musc. 46. 20. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 51. 1. ♂♀. *Lucilia caesar* Macq. Musc. 27. 1. ♂♀. T. 1. f. 8. ala.
Hab. in Lapponiae cadaveribus, carnibus putridis, rar. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)
*Mas* et *Fem.* 4—4½ lin. long., tota viridi-aurea, interdum caeruleo- aut aeneo-viridis. Oculi in ♂ postice arcte cohaerentes, in ♀, interstitio nigro linea frontali alba, verticali viridi marginata, late disjuncti. Hypostoma lateribus, et genae, argenteo-micantia. Hypostomatis vero discus concavus corneus nigro-micat, apex rufescit. Palpi flavi. Antennae hypostomate paullo breviores, lineares, fusco-nigrae, seta longe plumata usque ad apicem. Vibrissae nullae. Frons minime prominens. Scutellum saepe caerulescens. Thorax et abdomen viridi-aurea. Alae subfusco-hyalinae, basi parum fusciores. Nervus 4tus long. pone angulum acutiorem per lineam paullo curvam ad costam mox ante summum apicem excurrit, ibique cum nervo 3tio non in eodem puncto conjunctus. Nervulus transv. ord. fere rectus. Squama albida. Pedes nigri, femoribus metallice parum nitentibus.

**10. M. sericata:** viridi-aurea nitens, caeruleo-micans, abdominis 1mo segmento obscuro, hypostomate lateribus argenteo, medio fusco, summo apice rufescente, genis cinereis, palpis flavis, antennis pedibusque nigris. ♂♀.
Meig. Dipt. 5. 53. 3.? ♂♀.
Hab. in Lappon. merid. rarius, ad Åsele 26. Jul. capta. (Lappon.-Ostrogoth. ♂ pass., ♀ rariss.)
*Mas* et *Fem.* Circiter 4 lin. long. Simillima praecedenti, cum qua in omnibus convenit praeter magnitudinem saepe paullo minorem, colorem corporis plerumque caeruleo-micantem, segmentorum abdominis 1mum abscure caeruleum aut subnigricans, hypostomatis apicem tantum summo margine rufescentem, et oculos ♂ quidem cohaerentes, sed non tam arcte ut in priori. Abdominis segmenta 2 et 3 saepius viridi-aurea. Curvatura nervi 4ti non obtusa, sed rectangulata; in ipso angulo in uno specimine punctum minutum adest appendiceum, quasi nervulum infra angulum inchoaturum. Frons ♂ macula triangulari nigra, utrinque argenteo-lineata. Vertex in ♂ nigricans, in ♀ viridis.

b) Palpi nigri.

**11. M. cornicina:** viridi-aurea, interdum caeruleo-micans, abdominis 1mo segmento concolore, hypostomate lateribus argenteo, medio fusco, genis, fronte verticeque virescentibus, palpis, antennis pedibusque nigris. ♂♀.
Fabr. Antl. 289. 29. Fall. Dipt. Sv. Musc. 47. 21. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 52. 2. ♂♀.
Hab. larvae in stercoratis, imagines in foliis fruticum, locis saepe paludosis, ad Muonioniska Lapponiae Tornensis, ad Badstutraesk et Lycksele, Lapponiae Umensis, nec non ad Tromsoe Nordlandiae, d. 4. Jun. — 14. Aug. frequent. capta; ad Kilpisjaur D. Frigelius. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)
*Mas* et *Fem.* 3½—4 lin. long. Similis *M. caesari*, a qua differt palpis nigris, genis, fronte verticeque viridibus, hypostomatis disco concolore, nigricante, angulo nervi 4ti magis obtuso s. rotundato, nervulo ord. transv. subincurvato, et oculis in ♂ minus approximatis. Linea frontalis media in utroque sexu nigra, opaca. Vertex variat caerulescens, viridis, cupreus. In speciminibus quibusdam abdominis apex cupreus. Mas femina plerumque minor.

** Nervus 4tus long. arcuatim flexus in summum apicem alae excurrens.

**12. M. cadaverina:** viridi-aurea aut caerulea, nitens, hypostomate fusco, lateribus argenteo, genis, antennis, palpis pedibusque nigricantibus. ♂♀.
Linn. Fn. Sv. 1829. Fabr. Antl. 289. 30. Fall. Dipt. Sv. Musc. 53. 35. ♂♀. (exclusis in descriptione: „individuis minoribus in Caltha palustri primo vere observatis," quae ad *Muscam aeneam* nobis pertinent). Meig. Dipt. 5. 59. 19. ♂♀.
Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Dalekarlia-Scan. in cadaveribus et stercore equino ubique vulgatissima.)
*Mas* et *Fem.* Long. 2—4 lin. Similis *M. caesari*, sed plerumque duplo minor, et nervo alar. 4to non angulatim, sed regulariter arcuatim flexo, ut et palpis, hypostomatis apice genisque nigris ab illa distincta. Caput omnino ut in *M. caesari* constructum, etiam quoad oculorum connexionem. Alae hyalinae. Squama alba, duplicata, interior in ♂ sordide albida. Pedes nigri, femoribus in medio late viride-micantibus.

**13. M. serena:** obscure viridis, nitens, capite, antennis, palpis pedibusque nigris, orbita oculorum faciali maculisque in thoracis antico tribus, albidis. ♂♀.
Meig. Dipt. 5. 59. 18. ♀. *Lucilia serena* Macq. Musc. 31. 16. ♂♀. *Pyrellia calida*, *bicolor*, Rob. Desv. No. 6. 8.
Hab. in Lapponiae silvis et cultis, ad Wittangi et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, ut et ad Lycksele et Tresunda, Lapponiae Umensis, 1. Jun. — 14. Jul. ♀ freq.; ♂ rariss. (Lapponia-Botnia boreal. —?)
*Mas* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Similis priori, a qua differt magnitudine saepe paullo majori, colore corporis paullo obscurius viridi, capite toto nigro, linea tantum utrinque juxta oculos ad verticem fere continuata, argentea, thoracisque antico maculis 3, una media et 2 humeralibus, vittas inchoantibus, albo-micantibus, in ♂ valde obsoletis. *Mas:* oculis supra arcte cohaerentibus, orbita oculorum faciali nigra vix albo-micante, ut et maculis thoracis albis obsoletioribus, tantum differt, a Cl. Meig. non visus, in silva Wittangi 16. Jun. captus.
Var. b. thorace abdomineque caeruleis, in stercore ad Johannis Ro Botniae d. 12. Maj. lecta.
*Obs.* Quae in Lapponia hujus subdivisionis frequenter occurrunt specimina Muscarum viridium, ad *M. serenam* referenda. Nam *M. cadaverina* mihi non nisi rarissime ibi obvia fuit.

B) *Muscae plebejae*, colore obscuro, nec aureo-nitenti; thorace lineato.

* Nervus 4tus angulatim flexus paullo ante apicem alae cum nervo costali conjunctus. Oculi nudi. *Pollenia* Rob. Desv. Macq. *Calliphora* Rob. Desv. Macq.

**14. M. vomitoria:** thorace caesio, antice subvittato, capite nigricante, orbita oculorum faciali albida, antennarum medio hypostomatisque carinis et apice rufis, palpis flavis, barba ferruginea, abdomine caeruleo nitido, maculatim albo-micante, incisuris anguste pedibusque atris, alarum angulo nervi 4ti acuto, descendente, squama nigra. ♂♀.
*Mas:* oculis arcte cohaerentibus, linea tantum angustissima nigra disjunctis.
*Fem.:* oculis late remotis, interstitio nigro, antice albo-marginato.
Linn. Fn. Sv. 1831. de Geer Ins. 6. 57. 4. Panz. Fn. 10. 19. ♀. Meig. Dipt. 5. 60. 21. certe. ♂♀. Fall. Dipt. Sv. Musc. 47. 22. ♂♀. (exclus. Syn. de Geer et Fabr.) sub qua species sequens etiam latet. *M. carnivora* Fabr. Antl. 285. 5. (teste Meig.) *M. Mortuorum* Fabr. Antl. 290. 32. *Calliphora erythrocephala* Macq. Musc. 24. 2. ♂♀.
Hab. ad domicilia in Lapponia rarius; larvae in carne et recenti et putrida degunt; etiam in caseo antiquo, teste D. Bouché. In statu larvae circiter 7—8 diebus, et in nymphae adhuc paucioribus, manet. Notissima. Svet. *Spyfluga.* (Lappon.-Scania freq.)
*Mas* et *Fem.* Long. 3—5 lin. *Sarcoph. Mortuorum* saepe brevior, sed proportione latior, ovata. Antennae hypostomate paullo breviores fusco-nigrae, articulo ultimo basi, et secundo apice, ferrugineis. Macula supra antennas hypostomatisque carinae laterales et apex etiam ferruginea. At genae et reliquae capitis partes griseo-nigrae, linea ad oculos sordide albida; barba et palpis flavis. Oculi brunneo-rufi, aeneo-submicantes. Scutellum piceum. Alae hyalinae, basi subinfuscatae. Nervus 4tus ab angulo ad costam distincte curvatus excurrit. Nervulus transv. ordin. inflexus. Squama nigra, duplicata, inferior albo-marginata. Pedes nigri.

**15. M. erythrocephala:** thorace caesio, antice subvittato, capite nigricante, orbita oculorum faciali albida, antennarum medio, hypostomatis carinis et apice, genisque, rufis, palpis

flavis, barba nigra, abdomine caeruleo-nitido, maculatim albo-micante, incisuris anguste, pedibusque atris, alarum angulo nervi 4ti acuto, descendente, squama nigra. ♂♀.

*Mas:* oculis non arcte cohaerentibus, linea angustiori nigra disjunctis.

*Fem.:* oculis late remotis, interstitio nigro, antice sordide albido-marginato.

MEIG. Dipt. 5. 62. 22. certe. ♂♀. *Musca vomitoria* FALL. Dipt. Sv. Musc. 47. 22. var. certe *Calliphora vomitoria* MACQ. Musc. 24. 1. — A pluribus Auctoribus cum *Musc. vomitoria* confusa.

Hab. in Lapponia cum priori, at multo frequentior; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ad Lycksele Umensis, nec non ad Bjorkvik Nordlandiae et Bossekop Finmarkiae ubique, d. 3. Jun. — 7. Aug. visa. Larvarum victus ut in priori. Pupae etiam pupis praecedentis similes teste D. BOUCHE. (Lapp.-Scania ubique vulgatissima.)

*Mas* et *Fem.* 4—6 lin. long. Praecedenti simillima, at praeter magnitudinem paullo majorem differt etiam genis rufis, barba nigra, nec fulva, alis magis hyalinis, nervis scilicet ad basin non infuscatis et oculis rufo-brunneis parum aeneo-micantibus et in ♂ non tam arcte cohaerentibus. In reliquis conveniunt ambae species. — In speciminibus masculis genas nigras saepe vidi, barba tamen nigra, oculorum distantia et alis immaculatis a *M. vomitoria* genuina mox distinctis.

**16. M. groenlandica:** ovalis subdepressa, violaceo-caerulea nitida, immaculata, thoracis limbo antico virescenti, capite toto pedibusque nigris, orbita oculorum faciali albicante, palpis flavis, alarum nervo 4to ab angulo ad costam subrecto, squama nigricante. ♂♀.

*Mas:* oculis supra non late distantibus, interstitio atro disjunctis.

*Fem.:* oculis interstitio atro, lato distantibus; in copula.

Ut *Musca groenlandica* WIED. a D. WESTERMANN mihi missa, in Groenlandia capta. A D. FALL. cum ejus *M. azurea* confusa. Nomen WIEDEMANNI insecto huic boreali reservavi.

Hab. aut in floribus Salicis, in stercoratis, truncis Populi, et ligno recenti Pini, locis sylvaticis, aut in cultis, in parietibus ligneis, in piscibus mortuis etc.; ad Turtola, Kengis, Wittangi et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, ad Lycksele, Umenaes et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, nec non ad Raschstind Nordlandiae et Bossekop Finmarkiae, d 20. Maj. — 25. Aug. frequenter visa; in Dowre a D. BOHEMAN capta. (Lappon.-Westrobottnia-Stockholmia, vulgar. - deinde Smolandia rar. - Scania rarissime.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3¹—5 lin. Aut plerumque violaceo-caerulea, aut interdum caeruleo-virescens, thoracis limbo antico et abdominis apice magis viridibus, tota subdepressa, ovalis, nigro-pubescens, parum setosa, pubescentia in abdomine imprimis depressa. Caput totum nigrum, orbita tantum oculorum antica albida. Antennae hypostomate fere duplo breviores. Palpi flavi. Oculi maris paullo, feminae late, remoti. Alae hyalinae, basi parum infuscatae, in quieta incumbentes. Nervus 4tus angulo subrecto ad costam per lineam fere rectam paullo ante apicem alae excurrit. Nervulus ord. transversus inflexus. Squamae nigricantes. Halteres fusci. Pedes nigri.

**17. M. sordida:** ovalis subdepressa, thorace caesio, limbo antico virescenti, cinereo- et nigro-alternatim vittato; abdomine viridi nitido, capite pedibusque nigris, orbita oculorum antica late grisea, palpis fuscis, alarum nervo 4to ab angulo ad costam subrecto, squama albida. ♀.

An *M. azurea* MEIG. Dipt. 5. 63. 24?

Hab. in Lapponia rarissime; ad Lycksele 2 specimina vidi. (Lapponia.)

*Fem.* Long. fere 5 lin. Priori valde similis, sed differt: antennis paullo brevioribus, palpis fuscis retractis, frontis lateribus supra antennas late griseis, thoracis colore et pictura, abdomine laetius viridi, linea dorsali angusta violacea, ut et squamis albidis vix infuscatis. Thorax antice virescens, cinereo-micans, lineis 5 nigris, mediis angustis. Reliqua ut in priori.

*Obs.* Ob summam cum prioribus 2 proxime praecedentibus similitudinem *M. azurea* FALL. hic describenda, licet intra Lapponiae fines huc usque vix observata fuerit.

**M. azurea:** ovalis subdepressa, violaceo-caerulea, nitida, subimmaculata, thorace antice cinereo-subvittato, capite toto, palpis pedibusque nigris, frontis lateribus cinereis; alarum nervo 4to ab angulo ad costam subrecto, squama nigricante. ♂♀.

*Mas:* oculis subcohaerentibus, linea nigra angusta disjunctis.

*Fem.:* oculis late remotis, interstitio nigro, cinereo-marginato.

FALL. Dipt. Sv. Musc. 46. 19. ♂♀. (vera ipsissima, quam ante oculos habuit Cl. Auctor suam speciem descripturus). An etiam MEIG. Dipt. 5. 63. 24?

Hab. in sepibus ligneis recenter exstinctis et in parietibus ligneis; in Uplandia, Ostrogothia, Smolandia, passim rarius.

*Mas* et *Fem.* Long 4—5 lin. *M. groenlandicae* affinis et simillima, certe autem differt oculis maris paullo magis approximatis, palpis in utroque sexu nigris, nec flavis, thorace caerulescenti, antice concolore, vittis 4 albidis obsoletis. Reliqua ut in *M. groenlandica*. Var. abdomine viridi.

**18. M. genarum:** thorace caesio, antice subvittato, capite rufescente, orbita oculorum faciali lata, albido-nitente, antennis, genis inferne pedibusque nigris, palpis flavis, abdomine caeruleo, nitido, albo micante, squamis albis; nervo alarum 4to ab angulo ad costam subrecto ♂.

Hab. in alpibus Lapponiae rarius: ad lacum insignem Torneoträsk et in ipso alpium Tornensium jugo in nive ambulans, d. 8—12. Jul 1821 duo specimina legi, iterum in alpe Brattikstjell, Lapponiae Umensis d 8. Jul. 1832 unicum inveni. (Lappon.-regio alpina et subalpina.)

*Mas* Long. 3¹ lin. *M. erythrocephalae* affinis et similis, sed minoribus ejus magnitudine aequalis et differt: antennarum seta breviter et fere superiori tantum latere plumata, apice nudo, vitta frontali rufa, thorace magis caerulescente, antice albido 4-vittato, nervo 4to per lineam fere rectam in costam excurrente, et angulo hujus nervi non descendente, ut et squama alba, minime infuscata. Reliqua ut in *M. erythrocephala*.

*Obs.* Est forte ♂ *Sarcophagae alpinae* mihi (No. 17), sed quoniam *M. genarum* est plerumque paullo minor et antennarum setam brevius plumatam habet, separatas descripsi, usque dum copulatio vel aliae observationes in posterum aliter forsitan suadeant.

**19. M. laticornis:** antennis brevibus valde dilatatis nigricans, thorace antice albo-4-vittato, palpis flavis, abdomine aeneo-viridi, squama albida, nervo 4to ab angulo ad costam subcurvato. ♀.

Hab. in Muonioniska d. 17. Aug. rarissime. (Lapponia; Bottnia occidentalis 7. Sept. rarissime.)

*Fem.* 4 lin. long. Simillima sequenti, a qua tamen differt antennis duplo latioribus, palpis pallidioribus, squama magis albida et nervo 4to magis forte curvatim flexo ad costam excurrente.

**20. M. Vespillo:** antennis brevibus angustis nigricans, thorace antice albo-4 vittato, palpis brevibus testaceis, abdomine aeneo-viridi, squama sordide albida; nervo 4to ab angulo ad costam subrecto. ♂♀

FALL. Dipt. Sv. Musc. 47. 23. certe. ♂♀. FABR. Antl. 292. 39? *M. sepulchralis* MEIG Dipt. 5. 71. 34. et forte *M. Vespillo* MEIG. Dipt. 6. Add. p. 374. *Pollenia Vespillo* MACQ. Dipt. Gall. Musc. 17. 4.

Var. b. ♂♀. duplo minor, 2 lin. long. nervo 4to in apicem alae excurrente.

Hab. in Lapponia passim; var. a. ad Wittangi Lapponiae Tornensis, et Lycksele Lapponiae Umensis frequentius visa; e pupa cylindrica, brunnea, nuda, sub lapide ad Juckasjervi inventa, imago declarata exiit d. 1. Jul.; var. b. ad Lycksele et in Raschstind Nordlandiae d. 16. Jun. — 28. Jul. lecta. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)

*Mas* et *Fem.* 2—4 lin. long. Nigra, setosa. Antennae hypostomate duplo breviores. Frons subporrecta, lateribus grisea aut argenteo-micans, linea media atra. Oculi in ♂ sat approximati, in ♀ late remoti. Thorax antice albo-micans, vittis nigris. Abdomen aeneo-viride, nitidum, maculatim albicans. Alae hyalinae, basi subinfuscatae. Nervus transversus ord. inflexus. Squama sordide albida. Pedes nigri.

**21. M. atramentaria**: ovalis subdepressa nigricans, antennarum basi rufo-picea, thorace fulvo-tomentoso, capite griseo, palpis nigris, abdomine cinereo-tessellato; nervo 4to mox ante apicem alae cum nervo 3tio in eodem puncto costae conjuncto. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 65. 26. ♂♀. Sub *M rudi* FALL Dipt. Sv. Musc. 48. 24. certe latet. ♂♀. *Pollenia atramentaria* MACQ. Dipt. Gall. Musc. 18. 6. ♂♀. T. 1. f. 5. ala. *Nitellia atrament.* ROB. DESV.

Hab. cum sequente, rarius. (Lapp.-Scan. ubique copiose.)

*Mas* et *Fem.* 3—5 lin. long. Nigricans. Caput maris cinereum, oculis cohaerentibus, macula supra antennas triangulari nigra, cinereo-marginata; feminae griseum, oculis late distantibus, vitta media nigra. Antennae hypostomate breviores, angustae, lineares, nigro-fuscae, basi rufescentes, seta distincte plumosa. Frons subporrecta. Hypostomatis latera supra genas saepe rufescentia. Palpi nigri. Thorax et scutellum parce et breviter aureo-tomentosa, tomento faciliter detergendo. Abdomen cinerasceus, maculis irregularibus nigro-micantibus. Alae hyalinae, basi subinfuscatae, nervo 4to pone angulum subrectum per lineam plerumque rectam in costam excurrente, ibique juxta apicem cum nervo 3tio saepissime

in eodem puncto conjuncto. Nervulus transv. ordin. inflexus. Squama sordide albida. Pedes nigri.

**22. M. rudis**: ovalis subdepressa nigricans, antennarum basi picea, thorace fulvo-tomentoso, capite griseo, palpis nigris, abdomine cinereo-tessellato; nervo 4to mox ante apicem alae cum nervo 3tio non in eodem puncto costae conjuncto. ♂♀.

Fabr. Antl. 287. 16. Fall. Dipt. Sv. Musc. 48. 24. certiss. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 66. *Pollenia rudis* Macq. Dipt. Gall. Musc. 16. 1. ♂♀. T. 1. f. 4. ala. *Pollenia rudis* Rob. Desv. No. 4.

Hab. in truncis arborum viventium, in parietibus ligneis, in domibus, fenestris, etc. tota aestate in Lapponia meridionali passim: in domibus hibernans. (Lapponia; Angermannia-Scania vulgatissima.)

*Mas* et *Fem*. 3—5 lin. long. Priori simillima, nec differt nisi nervo 4to long. pone angulum subrectum per lineam paullo curvam (nec rectam) ad costam excurrente, ibique cum nervo 3tio long. juxta apicem saepissime non in eodem puncto (nec intime) conjuncto; quam notam, me judice levissimam, Nob. Robineau Desvoidy tanti momenti existimavit, ut exinde novum genus finxerit. — Minora individua raro occurrunt; in majoribus abdomen olivaceo-micat.

**23. M. corvina**: nigricans, fronte parum porrecta albida, thoracis vittis abdominisque tessellis cinereis, squama sordide albida; alarum nervulo transv. ordinario subincurvo; abdominis lateribus in ♂ flavo-diaphanis. ♂♀.

*Mas*: niger, thorace antice obsolete albo-4-vittato, oculis in fronte arcte cohaerentibus, abdomine ferrugineo, basi et vitta dorsali nigro, submaculatim albo-micante; squama fusca;

*Fem*.: cinerea, oculis late remotis, vitta media atra, thoracis lineis 4 abdominisque tessellis subtrifariam dispositis, nigris; squama albida; in copula.

Fabr. Antl. 294. 49. ♂. Fall. Dipt. Sv. Musc. 48. 25. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 69. 32. ♂♀. *M. ludifica* Fabr. Antl. 298. 73. ♀. Panz. Fn. 105. 13. ♀. *Musc. corvina* Macq. Dipt. Gall. Musc. 21. 3. ♂♀. *Musca nigripes* Panz. Fn. 60. 13. ♂. *Musca autumnalis* de Geer Ins. 6. 83. ♂

Hab. in Lapponia culta ad domos rar. — Larva in stercoratis, caseo antiquo etc. degit teste D. Bouché. (Lapp.-Scan. frequentiss.)

*Mus* et *Fem*. Long. 3—3¹ lin. Antennae hypostomate breviores, seta longissime plumata. Palpi et pedes nigri. Alae hyalinae, nervo 4to obtuse angulato, per lineam subrectam in costam paullo ante apicem alae excurrente. Abdomen rotundatum. Reliqua ut in diagn.

**24. M. domestica**: nigricans, fronte parum porrecta flavescenti nitida, thoracis vittis abdominisque tessellis cinereis, squama sordide albida; alarum nervulo transverso ordin. subrecto; abdominis basi in ♂ lateribus saepissime flavo-diaphanis. ♂♀.

*Mas*.: oculis approximatis, vitta atra disjunctis; abdominis segmentis 1 et 2 lateribus plerumque distincte flavo-pellucidis;

*Fem*.: oculis late remotis, vitta atra lata disjunctis; abdominis segmentis 1 et 2 lateribus vix pellucidis; in copula.

Linn. Fn. Sv. 1833. de Geer Ins. 6. 71. 10. tab. 4. f. 5. 6. Fabr. Antl. 287. 18. Fall. Dipt. Sv. Musc. 49. 26. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 67. 31. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. Musc. 21. 1. ♂♀. T. 1. f. 6. ala.

Hab. per omnes Lapponias, nec non Nordlandiam et Finmarkiam, ubi scilicet homines exstruxerunt domicilia, frequenter, a d. 20. Maj. ad 1. Sept. visa; larva in colluvariis et in stercoratis, praesertim in stercore equino et gallino recenti, D. Bouch. In statu pupae degit 8—14 diebus. Plures generationes anno. (Lappon.-Scan. omnium vulgatiss., notissima.)

*Mas* et *Fem*. Long. 3—4 lin. A priori, cui simillima, differt capite magis flavescenti, nec cinereo, nervulo transv. ordin. magis recto, oculis in ♂ paullo magis remotis, corpore ♂ non ita nigricante, nec pelluciditate abdominis in segmenta 3 et 4 descendente.

°° Nervus 4tus arcuatim flexus in apice alae cum nervo costali conjunctus.

a) Oculi hirti.

**25. M. maculata**: cinerea, capitis vitta frontali, antennis, palpis, pedibus, thoracis lineis 4, abdominisque rotundati punctis nervosis, nigris, hoc in ♂ lateribus flavo-diaphanis. ♂♀.

Fabr. Antl. 287. 14 ♀. Panz. Fn. 44. 22. ♀. Fall. Dipt. Sv. Musc. 49. 27. ♂♀. Meig. Dipt. 5 78. 48. ♂♀. *M. vulpina* Fabr. Antl. 292. 43. ♂. *Graphomyia mac.* Rob. Desv. No. 1. *Curtoneura mac.* Macq. Dipt. Gall. Musc. 13. 9. ♂♀. (synonymis vero Fabr. allatis quoad sexum vice versa).

Hab. in Lapponia meridionali rar. ad Lycksele d. 16. Aug. capta. Larva flava, stigmatibus posterioribus circularibus. Nympha brunneo-nigra Macq. l. c. (Lapp.-Ostrogoth. freq. Scan. pass.)

*Mas* et *Fem*. Long. 4—4½ lin. Cinerea. Oculi in ♂ appropinquantes, linea media nigra disjuncti, in ♀ late remoti. Antennae hypostomate breviores, lineares, nigro-fuscae, seta longe plumosa. Thorax in ♂ niger, lineis 4 angustis cinereis, scutello nigro, margine rufescente; in ♀ cinereus, vittis 4 nigris, media scutellum transeunte. Abdomen rotundatum. Alae hyalinae, nervo 4to regulariter arcuatim curvato, in apice alae cum nervo costali conjuncto; nervulo transv. ord. inflexo. Squama sordide albida. Pedes nigri.

**26. M. meditabunda**: cinerea, capitis vitta frontali, antennis, palpis, pedibus thoracisque lineis nigris, abdomine ovato, punctis 4 fuscis. ♂♀.

Fabr. Antl. 297. 68. ♂♀. Panz. Fn. 44. 23. ♂♀. Fall. Dipt. Sv. Muscid. 50. 28. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 79. 49. ♂♀. *Curtoneura meditabunda* Macq. Dipt. Gall. Musc. 13. 10. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; in Lappon. meridionali, ex. gr. ad Lycksele frequentius, in septentrionali, ex. gr. ad Muonioniska, Jul. Aug. rar. (Lappon.-Scania freq.)

*Mas* et *Fem*. 4 lin. long. Priori parum brevior, sed multo angustior, ovata. *Mas*: Caput nigrum, fronte parum prominente lateribus argentea, linea media angustata atra. Oculi appropinquantes. Antennae ut in priori. Thorax ater, vittis 4 albidis. Scutellum cinereum, macula media nigra. Abdomen griseum, maculis 2 et 2 triangularibus atris. Alae hyalinae, nervis et basi interdum infuscatis, nervo 4to parum arcuato fere infra summum apicem alae excurrente. Nervulus transv. ord. incurvus. Squama fusca. Pedes nigri. *Femina*: Caput cinerascens, vitta frontali lata nigro-fusca. Oculi late remoti. Thorax cinereus, lineis 4 obsoletis, nigris. Abdomen griseum, maculis 2 et 2 brunneis, obsoletioribus. Alae hyalinae, nervis vix infuscatis.

b) Oculi nudi. Antennae hypostomate paullo breviores, seta distincte plumata. Frons non prominens.

**27. M. pabulorum**: nigra, pedibus concoloribus, capite cinerascente, thoracis lineis abdominisque tessellis cinereis, palpis, antennarum articulo 3tio basi, scutellique apice, testaceis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Musc. 51. 31. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 75. 41. ♂♀ *Muscina pab.* Rob. Desv. No. 1. *Curtoneura pab.* Macq. Dipt. 10. 1.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. certis annis freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. 4¹ lin. Late ovata. Oculi in ♂ cohaerentes, in ♀ late distantes. Thorax cinereus, vittis 4 nigris. Alae hyalinae, nervo 4to mox intra apicem alae arcuato; nervulo transv. ordin. incurvato. Squama alba. Pedes nigri. Reliqua ut in diagnosi.

**28. M. borealis**: nigra, antennis, palpis pedibusque concoloribus, capite, thoracis lineis abdominisque tessellis cinereo-albicantibus, scutelli summo apice ferrugineo. ♂♀.

Hab. in Lapponiae parietibus passim; ad Wittangi Lapponiae borealis, et ad Lycksele et Wilhelmina Lapponiae meridionalis, 16. Jun. — 15. Jul. capta. (Lappon.-Bottnia ad Johannis Ro, ubi in floribus Salicis jam d. 14. Maj. lecta.)

*Mas*. et *Fem*. Long. 4¾ lin. Similis et affinis praecedenti, saepe paullo minor, et differt ab illa: antennis palpisque totis nigris, oculis in ♂ non tam arcte cohaerentibus, linea angusta atra disjunctis; scutelli tantum summo apice rufo, alis magis pure hyalinis et nervo 4to rectiori, non tam distincte arcuato, fere infra summum apicem alae in marginem excurrente. Oculi rufo-brunnei. Reliqua ut in priori, a qua tamen certe est distincta

**29. M. stabulans**: nigra, antennis concoloribus, capite cinerascente, palpis, scutelli apice pedibusque ferrugineis, femoribus basi tarsisque nigris. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Musc. 52. 32. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 75. 42. ♂♀. *Curtoneura stabulans* Macq. Dipt. Gall. Musc. 11. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ibi non obvia, in reliqua Suecia frequens. Larvae in vegetabilibus putridis fungorum et fructuum, etiam in stercore vivunt; Bouch. (Lappon.-Angermannia freq.-Scan. vulgatissima.)

*Mus* et *Fem*. Long. 4 lin. Similis *M. pabulorum*, minor et differt: antennis in medio minus distincte rufescentibus, femoribusque apice plus minus late tibiisque ferrugineis, ut et oculis in ♂ non tam arcte cohaerentibus.

**30. M. Hortorum**: purpurascenti atra, antennis, palpis, vitta frontali media pedibusque nigris, capite, thoracis vittis 3 abdominisque tessellis albidis ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Musc. 52. 33. ♂♀. Meig. Dipt. 73. 39. ♂♀. *Curtoneura hortor.* Macq. Dipt. Gall. Musc. 12. 6. ♂♀. *Anthomyia cineruscens* Wied. Zool. Mag. 1. 1. 83. *Morellia agilis* Rob. Desv. No. 1.

Hab. in Lapponia vulgaris; scilicet ad Kengis et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis pass.; ad Lycksele et Badstutraesk, Lapponiae Umensis freq.; deprehenditur quoque haud raro in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae, et in betulis ad Tromsoe, Giebostad et in Jockelfjell; d. 20. Jun. — 22. Aug. lecta. In Dowre a D. Boheman capta. — Larvae in stercore bovino vivunt, Bouch. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 li. Color corporis praesertim in ♂ cyaneo-ater. Oculi in ♂ non arcte cohaerentes. Alae hyalinae. Squama alba. Reliqua ut in diagnosi vel in *M. pabulorum.*

**31. M. tempestiva**: nigricans, antennis, palpis, vitta frontali media pedibusque concoloribus, abdomine aeneo-griseo, squama alba. ♂♀.

*Mas*: niger, oculis in vertice arcte connatis, linea utrinque frontali argentea, abdomine aeneo-griseo, alis hyalinis;

*Fem*: cinerascens, oculis late remotis, capite griseo, vitta frontali nigra, thorace nigro-lineato, abdomine ut in ♂, alis albidis.

Fall. Dipt. Sv. Musc. 53. 36. ♂♀. Meig. Dipt. 76. 44. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali passim, ex. gr. ad Lycksele et Asele. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Vix 1½ lin. longa, ideoque inter nostrates hujus generis minutissima, *M. minima* (No. 8) tantum excepta. Nervus alarum 4tus ut in *M. maculata* distincte arcuatim flexus, in summum apicem alae excurrit. Reliqua ut in diagnosi.

°° Alae plerumque incumbentes. Nervus longitud. 4tus pone seu intra apicem. Alae cum nervo costali conjunctae.

*Obs.* Spec. Scandinaviae *Musca erinacea* et *hamata* Fall., quarum prior ad genus *Dialytum* Meig. et altera ad *Drymeiam* Meig. jam refertur, in Lapponia forte peregrinae, mihi nec in Lapponia nec in aliis terris borealibus obviae.

## 83. Anthomyza. Zett.

*Anthomyia* Meig. Dipt. Eur. gen. 157. Wiedem. *Musca* Linn. Dej. Fabr. Panz. Fall.

*Corpus* magnum, medium aut minutum, ovatum aut subcylindricum, pubescens et setulosum. Antennae deflexae, hypostomate breviores, articulo ultimo oblongo aut elongato lineari, compresso, apice obtuso, basi seta dorsali, plumata, pubescente aut nuda. Oculi unicolores, nudi, interdum hirti. Os mystacinum, sed vix vibrissatum. Frons vitta obscura; maris superne angustata. Alae incumbentes, rarius divaricatae, nervis longitudinalibus rectis, 4to cum nervo costali sat longe pone apicem alae conjuncto. Abdomen 4-annulatum. Pedes simplices, interdum dentati, tibiis spinulosis. *Color* niger, griseus, raro pallidus, nunquam metallicus. *Motus* plerisque sat celer, at volatus vix tam velox ut in antecedentibus hujus familiae generibus. Locis umbrosis tempestate serena choreas in aëre instituunt mares plurium. *Habitatio* in floribus, foliis fruticum, graminosis, sepibus etc., saepe etiam in locis limosis, ubi nutrimentum e quisquiliis putridis accipiant; per partem omnem Lapponiae, nec ipsas alpes exceptas. Larvae in aquis putridis, in stercoratis e. s. p. degunt. *Differentia sexus*; *mas:* oculis superne magis approximatis aut connexis; *femina:* oculis semper sat late remotis. Sexus etiam interdum colore valde discrepat. (Spec. Scand. circiter 200 in museo meo adsunt, antennis brevioribus, vibrissis nullis et nervo costali totum alae apicem cingente, pone apicem desinente et cum nervo longitud. 4to recto conjuncto, a praecedentibus facile dignotae.)

Divisio prima. Pedes toti nigri. Antennae et palpi nigra*).

A) Seta antennarum distincte plumata (in *Anth. variabili* pubescens.

* Oculi hirti (in ♀ interdum nudi). Corpus magnum aut mediocre.

**1. A. lardaria**: ovata, nigro-caesia, thoracis vittis abdominisque tessellis albidis, fronte et hypostomate sordide albicantibus; alis hyalinis, squama albida. ♂♀.

Meig. Dipt. 5. 83. 1. ♂♀. *Musca lardaria* Fabr. Antl. 285. 6. Fall. Dipt. Sv. Musc. 54. 37. ♂♀.

Hab. in Lapponiae floribus et stercoratis. (Lappon.-Scan. ubique frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* 5 lin. long., in hoc genere inter nostrates maxima. Ovata, lata. Frons parum prominens. Oculi maris arcte cohaerentes, feminae parvi, late remoti; vitta media lata nigra, albidomarginata, sejuncti, ut in plerisque sequentibus. Alae hyalinae, basi vix infuscatae, nervulo transv. ord. inflexo, squama alba.

**2. A. albo-lineata**: ovata atra nitida, hypostomate, thoracis antico vittis 3, abdominisque tessellis albis, alis hyalinis, squama alba. ♂♀.

Meig. Dipt. 5. 83. 2. ♂♀. *Musca albo-lineata* Fall. Dipt. Sv. Musc. 54. 38. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; in stercoratis ad Juckasjervi Lappon. Tornensis 11. Jul. — 1. Aug. lecta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3½ lin. Caput ut in priori, etiam secundum sexum. Thoracis vittae anticae 3 albae, latae, una in medio, 2 laterales. Alae ut in priori. Habitu et colore *M. hortorum* similis.

**3. A. incana**: oblongo-ovata nigricans, hypostomate thoracisque lineis 5 latioribus cinereis, abdomine griseo, basi linea dorsali fusca, alarum basi squamaque flavescentibus, nervulo transv. ord. inflexo; oculis ♂ appropinquantibus. ♂♀.

Wied. Zool. Mag. 1. 81. 32. Meig. Dipt. 5. 84. 3. *Musca Nemorum* Fall. Dipt. Sv. Musc. 55. 39. ♂♀.

Hab. in Lapponia Kemensi rar.; d. 30. Aug. uterque sexus captus. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4½ lin. Hypostoma argenteum, nigro-micans. Oculi in ♂ non omnino cohaerentes; in ♀ parum hirsuti. Abdomen unicolor, basi tantum linea obsoleta fusca.

**4. A. Lucorum**: oblongo-ovata nigricans, hypostomate thoracisque lineis 5 latioribus cinereis, abdomine griseo, maculis fusco-micantibus, alarum nervis transversis, ordinario inflexo, infuscatis, squama flavicante; oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂♀.

Meig. Dipt. 5. 85. 4. ♂. *Musca lucorum* Fall. Dipt. Sv. Musc. 55. 40. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali passim; in floribus Salicis ad Lycksele et Wojmsjoen Lapponiae Umensis d. 20. Jun. — 11. Jul. mares praesertim legi; in foliis Salicum Nordlandiae et usque ad Bossekop Finmarkiae d. 5. Aug. feminas haud rar. inveni. (Lapp.-Scan. in copula freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4—4½ lin. Praecedenti simillima, sed differt abdomine fusco-maculato, alarum nervis transversis distinctius infuscatis, basi potius fusco-, quam flavo-maculatis, squama flavomarginata, ut et oculis in ♂ arcte cohaerentibus. Abdomen ovatum, certo situ maculis irregularibus fusco-micantibus, quarum 4 subtriangularibus in disco et linea media, plerumque magis perspicuis.

**5. A. plumbea**: oblongo-ovata nigricans, hypostomate, thoracisque lineis 5 latioribus cinereis, abdomine plumbeo, basi linea dorsali fusca, alis subimmaculatis, nervo transverso ordinario inflexo, squama flavicante, oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂♀.

Meig. Dipt.. 5. 85. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponia septentrionali passim; ex. gr. in floribus Salicis et in ripa fluminis Tornensis ad Wittangi et Juckasjervi, d. 13—21. Jun. capta, in Öfver-Torneå D. Portin; sed in Finmarkia ad Bossekop 4. Aug. rarius. (Lappon.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* 4 lin. long. Simillima priori, sed ab illa mox differt abdomine plumbeo, alis subimmaculatis, nervisque transversis et basi parum infuscatis.

**6. A. veterana**: ovata, tota griseo-cinerea, thoracis lineis 2 angustis nigris, capite cinereo, alis basi et squama flavescentibus, nervis transversis rectis subinfuscatis; oculis ♂ appropinquantibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in silva Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 15. Jul. 1832 unicum specimen femineum inveni. (Lappon. Suecica.)

*Fem.* Long. 5 lin. *Anth. lardaria* (No. 1) parum brevior, sed angustior, statura et similitudine omnino *Anth. incanae* (No. 3) a qua, praeter magnitudinem paullo majorem, differt etiam colore corporis magis griseo, capite cinereo, fronte multo latiori, antennis forte paullo longioribus, thoracis antico lineis dorsalibus tantum 2, tenuioribus, nervisque transversis rectis.

*Mas*, paullo minor, thorace paullo obscuriore et fronte argentea, oculis nudiusculis approximatis, linea atra disjunctis, in ceteris feminae descriptae similis, forte hujus; in silva Wittangi Lapponiae Tornensis d. 14 Jun. 1821 captus.

*) Notas Subdivisionum in diagnose et descriptione specierum ad singulam repetere superfluum duxi, unde illas notas subintellectas, ad unam quamque speciem afferre omisi.

**7. A. annosa:** ovata, tota schistaceo-cinerea, thoracis vittis nigris obsoletis, abdominis maculis fusco-micantibus, alis subimmaculatis, nervo transverso ordinario inflexo, squama flavo-marginata: fronte lata. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis d. 1. Jun. individuum unicum invenit D. B. F. FRIES. (Lapponia; Botnia borealis ad Johannis Ro 12. Maj. unicum.)

*Fem.* Longit. $4\frac{3}{4}$ lin. Similis priori, sed differt colore magis cinereo, thoracis lineis 3 nigris paullo latioribus, alis immaculatis etc. Caput ut in priori. Alae ut in *A. plumbea.* Abdomen ut in *A. lucorum.*

**8. A. nivalis:** oblongo-ovata nigricans, fronte prominente argentea, abdomine griseo, maculis dilatatis nigro-fuscis, alis basi et nervis transversis infuscatis, ordinario inflexo, squama flavo-marginata; oculis ♂ non arcte cohaerentibus. ♂.

Hab in summo alpium Tornensium jugo rarissime, die 12. Jul. capta. (Lapponia.)

*Mas.* Long fere 4 lin. Affinis et similis *A. lucorum*, paullo minor, et differt fronte paullo magis porrecta, oculis minus arcte cohaerentibus, linea nigra angusta disjunctis, thorace antice vix vittato, abdominis maculis praesertim in segmentis 1 et 2, valde dilatatis, relictis fere tantum incisuris albidis, ut et alis basi distincte infuscatis, minime flavescentibus. Reliqua ut in *A. Lucorum.*

*Fem.* Tota obscure grisea, lineis thoracis 2 fuscioribus, fronte prominente griseo-nitente, vitta media fusca; alis summa basi, squama halteribusque flavis, nervis transversis subinfuscatis; ordinario inflexo. Forte hujus speciei; in alpium Tornensium jugo in ipsa nive ambulans d. 12 Jul. cum mare unicum individuum inveni. — Similis mari descripto, sed differt corporis colore magis grisescente, thoracis lineis 2 obscuris, abdomine immaculato, fronte grisea nitida, oculis modice distantibus, vitta frontali fusca, utrinque griseo-marginata, alis infima basi, flavis, nervisque transversis leviter tantum infuscatis.

**9. A. variabilis:** oblonga nigricans, fronte non prominente argentea, abdomine cinerascente subimmaculato, alis basi squamaque flavescentibus, nervulo transverso ordinario recto; oculis arcte (mas) cohaerentibus. ♂♀.

*Mas.* niger, thorace nitido, antice vitta utrinque laterali albida, oculis hirtis arcte cohaerentibus, abdomine subcylindrico, linea dorsali fusca, ano obtuso, alis subinfuscatis;

*Fem.* tota flavo-cinerea, thorace antice vittis 3 subalbidis obsoletis, oculis mediocriter distantibus subnudis, abdomine ovato, immaculato, ano acuminato, alis non infuscatis, in copula.

MEIG. Dipt. 5. 87. 9. *Musca variabilis* FALL. Dipt. Sv. Musc. 58. 47. ♂♀.

Hab in fruticibus Lapponiae meridionalis, ex. gr. ad Wilhelmina, 16–20. Jul. in copula frequenter capta; in monte subalpino Stoettingsfjellet ♀ d. 1. Aug. a D. DAHLBOM lecta; ad Tromsoe Nordlandiae Norvegicae d. 24. Jul. a me etiam in copula visa; nec non in alpe Dowre a D. BOHEMAN haud raro quoque observata. (Lappon.-Scan. vulgar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—$3\frac{1}{2}$ lin. Oblonga, angusta. Antennarum seta breviter pilosa s. pubescens.

*Obs.* Specimina mascula, quae in floribus silvestribus l. pratensibus Sveciae inferioris frequenter occurrunt, a Lapponicis differunt: seta antennarum longius plumata, thoracis vittis 3 inchoantibus albidis, ut et abdomine linea dorsali fusca obsoletissima vix observanda. In ceteris vero omnibus, etiam quoad feminarum colorem et picturam conveniunt, ita ut tamquam species diversas individua suecica et lapponica considerare non possim.

**10. A. serva:** oblongo-ovata nigricans, fronte parum prominente thoracisque lineis 5 latioribus cinereis, abdomine griseo, maculis fuscis micantibus, alis hyalinis, immaculatis, basi parum infuscatis, nervulo transverso ord. recto, squama flavicante; oculis ♂ non arcte cohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 86. 6. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; ad ripas fluminis Tornensis a Wittangi et Juckasjervi usque ad lacum Tornetraesk 20 Jun. — 8. Jul. parce visa. (Lappon.-Scan. in copula passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 4 lin. Affinis *A. Lucorum* (No. 4), in pluribus tamen diversa. Frons parum prominens, grisea, nitida. Oculi in ♀ mediocriter, in ♂ non arcte cohaerentes, in hac linea angusta disjuncti. Thorax cinereus, vittis 4 latioribus nigris. Abdomen ovatum, griseum, certo situ maculis subtrifariam dispositis fuscis, in ♂ evidentioribus. Alae hyalinae, nervis transversis non infuscatis, rectis; basi maculis obsolete fuscae. Squama flavo-marginata.

**11. A. basalis:** oblongo-ovata nigricans, fronte parum prominente argentea, thoracis vittis 5 latioribus cinereis, abdomine oblongo griseo, maculis irregularibus fuscis micantibus, alis basi squamaque luteo-flavis, nervis transversis subinfuscatis, ordinario subrecto, oculis ♂ non arcte cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad lacum Stor-Uman d. 6. Jul. individ. inveni. (Lapponia.)

*Mas.* Long. 4 lin. Affinis priori. Caput ut in illa, fronte magis argentea. Thorax cinereus, lineis 4 nigris obsoletis, 2 intermediis angustis. Abdomen griseum, certo situ fusco-marmoratum. Alae hyalinae, basi non late, sed distincte flavae, nervis transversis subrectis, paullo infuscatis. Squama et halteres luteo-flava.

**12. A. obscurata:** oblonga nigricans, fronte parum prominente argentea, thoracis lineis 5 angustis cinereis, abdomine cinerascente, maculis triangularibus 6 distinctioribus brunneo-fuscis, alis hyalinis, immaculatis, nervulo transverso ordinario subrecto, squama sordide albida, geniculis testaceis; oculis ♂ non arcte cohaerentibus. ♂.

MEIG. Dipt. 5. 89. 12 ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; ad Muonioniska, collectione D KOLSTRÖM, ad Wittangi d. 15. Jun. ipse. Ad Lycksele Lapponiae Umensis etiam unicum inveni. (Lapp.-Bottnia ad margines agrorum ad Haparandam d. 1. Sept. rarissime — ?)

*Mas.* $3^{1}$ lin. long. Affinis *Muscae meditabundae* (No. 26) alarum nervis aliter directis. Caput ut in priori, oculis forte paullo magis distantibus. Thorax niger, lineis 5 obsoletis angustis cinereis. Abdomen oblongum, cinereum, punctis pro insertione pilorum minutis fuscis et maculis 6 triangularibus fusco-brunneis in dorso segmentorum 1, 2 et 3, basalibus 2 minoribus obsoletis. Alae hyalinae, ad basin et costam subinfuscatae, nervo transverso medio inprimis fuscedine cincto.

**13. A. Sahlbergi:** oblonga nigricans, fronte parum prominente argentea, thoracis lineis 5 cinereis, abdomine griseo, maculis triangularibus 4 obsoletis fuscis, alis hyalinis immaculatis, nervo transverso ord. subinflexo, squama sordide albida, oculis ♂ non arcte cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; descriptum specimen a D. DEUTSCH missum. (Lapponia.)

*Mas.* Long. $3\frac{3}{4}$ lin. Affinis et similis *A. obscuratae*, sed forte paullo longior et differt abdomine griseo, nec cinereo, maculis tantum 4 in segmentis 2 et 3 valde obsoletis, et squama alarum albida, nec flavescenti marginata. Ab *A. serva*, cui etiam similis differt corpore angustiore, abdomine subcylindrico, nec ovato, squama albidiore, et oculis in ♂ paullo magis remotis. Antennae distincte plumatae. Thorax cinerascens, lineis angustis, nigris. Alae hyalinae, basi parum infuscatae, sed nervis transversis fuscedine subcinctis.

D. FERDINANDO SAHLBERG, filio, Phil. et Med. Doctori Helsingforsiensi Finlandiae, qui, Patre comitante, iter per Sueciam A. 1822 fecit, deindeque juvenis deserta Lapponiae solus peragravit, multaque nova insecta et in his detexit, speciem hanc borealem in testimonium observantiae suae tribuere voluit auctor libelli.

**14. A. laeta:** oblonga albo-cinerea, capite concolore, fronte subprominente argentea, thoracis lineis 4, lateralibus interruptis, abdominisque fasciis 3 undulatis, nigricantibus, tibiis fuscis, alis pure hyalinis, nervis transversis nigredine cinctis, ordinario inflexo, squama albida; oculis ♂ appropinquantibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 106. 40. ♂♀. (oculis immerito nudis). *Musca laeta* FALL. Dipt Sv. Muscid. 56. 42. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in trunco Betulae albae ad Åsele Lapponiae Umensis, d. 26. Jul. 1832 unicam feminam, et in insula Hacksten Nordlandiae Norvegicae d. 28. Jul. 1821 unicum marem inveni. (Lapponia; Ostrogoth. pass.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Oblonga, laete cinerea, pulchra. Caput totum argenteo-cinereum, vitta frontali ordinaria subconcolore, parum fusca. Oculi brunnei, in ♀ mediocriter distantes, subnudi, in ♂ paullo magis approximati, nullo vero modo cohaerentes, hirsuti. Thoracis lineae nigrae, 2 mediae, angustiores ultra medium dorsi productae, et 2 laterales interruptae, adjacenti utrinque extus ante alas macula oblonga ejusdem coloris. Scutellum cinereum, macula antescutellari fusca. Abdomen cinereum, segmentis basi fasciis undulatis fuscis, et maculis dorsi 4 oblongo-triangularibus, in lineam mediam dispositis, brunneis. Alae subaqueae, basi vix fusco-maculatae, at nervi transversi nigredine distincte cincti. Squama albida. Halteres flavi. Pedes nigricantes, tibiis praesertim posticis in ♀ obscure testaceis.

**15. A. lugubris:** ore producto oblongo-ovata nigricans, fronte parum prominente grisea, thorace obsoletissime cinereo-lineato, abdomine maculatim griseo-micante, alis hyalinis, basi subinfuscatis, nervo transv. ord. recto, squama flavicante; oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂.

MEIG. Dipt. 5. 87. 8? ♂. (ubi nervo transverso ordinario inflexo describitur.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele 2 specimina inveni. (Lappon. meridion. — ?)

*Mas.* Long. 4 lin. Affinis *A. variabili* (No. 9). Nigra subnitida. Caput obscure griseum. Hypostoma infra oculos distincte descendens, apice subreflexo. Oculi arctissime cohaerentes. Antennae breviusculae, seta distincte plumata. Thoracis lineae 5 angustae, obsoletae, griseae, vix nisi certo situ apparentes. Abdomen rotundato-ovatum, nigrum, griseo-irroratum. Squama pallide flava. Reliqua ut in diagnosi.

**16. A. consobrina:** ore parum producto oblongo-ovata nigricans, fronte subprominente grisea nitida, thorace obsolete cinereo-vittato, abdomine maculatim griseo-micante, alis basi et nervis transversis subinfuscatis, ordinario subinflexo, squama flavicante; oculis ♂ non arcte cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia rar.; ad Lycksele passim, at in silva Juckasjervi 30 21. Jun. rarius capta. (Lapponia.)

*Mas.* Long. $4-4\frac{1}{4}$ lin. Valde similis priori, saepe paullo major, et differt ore minus producto, fronte paullo magis prominente, seta antennarum brevius plumata, fere pubescente, oculis fere paullulum distantibus, alis basi et nervis transversis distinctius infuscatis, ordinario subinflexo. Thorax, abdomen, squama et reliqua ut in praecedente.

**17. A. dispar:** oblongo-ovata, fronte parum prominente; *mas:* corpore nigro, hypostomate argenteo, abdomine cinereo, segmento primo maculisque 4 subquadratis nigris, alis subinfuscatis; *femina:* corpore cinereo, hypostomate concolore abdominis punctis 4 brunneis obsoletis, alis subhyalinis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 88. 11. ♂♀. *Musca dispar* FALL. Dipt. Sv. Muscid. 58. 48. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali; ad Åsele et in betuletis ad Wilhelmina et Tresunda Lapponiae Umensis d. 11—26. Jul. a me lecta, in Nordlandia Norvegica non nisi ad ripas fluvii Storelfven prope Talvig d. 2. Aug. vidi; e Lapponia Tornensi a D. DEUTSCH missa; feminae rarius occurrunt. (Lappon.-Scan. vulgatiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{2}-3$ lin. Oculi plerumque fere nudi, brunnei, in ♂ tamen (in illaesis) hirtuli, non arcte cohaerentes, linea scilicet angusta disjuncti; in ♀ mediocriter et paralleliter remoti. Antennae breviter plumatae. Caput ♂ argenteum, macula supra antennas ordinaria triangulari, atra; ♀ cinereum, vitta frontali, in vertice divisa, atra. Alae ♂ nigrae, margine interiori magis hyalino; ♂ hyalinae, basi subflavicantes, nervulo transverso ordin. in utroque sexu subrecto. Squama albida. Halteres flavi. — Var. *mas* abdominis maculis 4 nigris interdum confluentibus.

**18. A. umbratica:** oblongo-ovata, aeneo-nigra, fronte non prominente cinerea, thorace vix vittato, abdomine immaculato; *mas:* oculis arcte cohaerentibus, alis squamaque infuscatis; *femina;* oculis mediocriter remotis, alis subhyalinis squama subalbida. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 88. 10. ♂. (eadem omnino ac nostra videtur.)

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad lacum Stor-Vman Lapponiae Umensis d. 6. Jul. tantum lecta; in monte subalpino Raschstind Nordlandiae d. 28. Jul. semel quoque capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* $1\frac{3}{4}-2$ lin. long. Aeneo-nigra, hirta. Similis priori, minor, fronte minime prominente, capite obscuriori, oculis distinctius hirtis, in ♂ magis arcte cohaerentibus, colore corporis nigro in aeneum vergente, abdomine immaculato, alis ♂ minus infuscatis etc. mox dignota. Thorax vix vittatus. Abdomen aenescens, linea media nigra, certo situ perspicua. Alae in ♂ infuscatae, margine interiori hyalinae, squama sordide albida, halteribus fuscis; in ♀ hyalinae; squama et halteribus albidis; nervulo transverso ordinario in utroque sexu rectissimo. Similis etiam *Anthom. vespertinae*, cum qua in collectionibus saepe commutatam vidi, sed oculis hirtis, colore paullo minus nitido etc. facile distincta.

°° Oculi nudi.

**19. A. verticina:** antennis brevioribus validis oblonga cinerea opaca, fronte subprominente grisea, vertice, thoracis lineis abdominisque maculis fusco-brunneis, alis basi squamaque flavescentibus, nervulo transverso ordinario inflexo ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi passim; in floribus Salicum ad Pello, Kengis et Junosuando, 4 9. Jun. a me capta. (Lapponia, Botnia borealis.)

*Fem.* Long. $4\frac{1}{4}$ lin. angusta. Similis *Anthom. sylvestri*, antennis paullo validioribus et seta plumata ab illa distincta. Oculi late remoti, vitta media atra, linea utrinque juxta oculos lata, cinerea. Vertex brunneus. Thorax canus, vittis 3 brunneis obsoletis. Abdomen cinereum, maculis irregularibus certo situ fusco-micantibus. Alae basi subflavicantes, nervo transverso medio obliquo. Squama et halteres flavescentia.

**20. A. obtusipennis:** oblongo-ovata flavescenti cinerea, fronte parum prominente grisea, thoracis lineis abdominisque punctis fuscis, alis immaculatis obtusis, nervo transv. ordin. recto, squama albida; oculis in utroque sexu late remotis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 103. 192. (secund. FALL. transscripta). *Musca obtusipennis* FALL. Dipt. Sv. Muscid. 57. 46. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, non nisi ad Lycksele Lapponiae Umensis semel visa; ad Bjorkvik Nordlandiae d. 15. Jul. capta. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* $2\frac{1}{2}$ lin. long., subcylindrica, flavescenti grisea. Antennae subelongatae, angustae. Caput griseum. Oculi late distantes, vitta frontali atra in vertice divisa. Thoracis lineae 4 angustae fuscae, obsoletae. Abdomen ovatum, aut immaculatum aut punctis 4 fuscis Anus in ♂ obtusus, in ♀ acutus. Alae hyalinae, nervis transversis rectis Squama albida. Halteres flavi.

**21. A. hilaris:** oblonga cana, fronte prominente concolore, thoracis linea media maculisque 2 lateralibus, scutelli margine abdominisque fasciis 3 sinuatis, nigris, alis hyalinis, nervo transverso ordinario inflexo, squama alba. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 94 19. ♂♀. *Musca hilaris* FALL. Dipt. Sv. Musc. 57. 44. ♂♀.

Hab. in truncis arborum viventium in Lapponia meridionali Umensi rarius; ad Badstutraesk et Åsele 10 - 26. Jul. a me lecta; ♂ rarissime occurrit. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* $2\frac{1}{2}-3\frac{1}{2}$ lin. long. *Anth. lactae* (No. 14) similis, sed paullo minor, multo angustior oculis omnino nudis etc. distincta. Tota cana, pulchra. Caput albo-argenteum, vitta frontali atra. Oculi ferruginei, in ♀ parvi, late remoti, in ♂ superne approximati. Antennae longitudine fere hypostomatis, lineares, nigrae, seta distincte et longe plumata. Linea thoracis media angusta et maculae utrinque 2 majores, atrae. Macula ante scutellum rotundata, atra. Scutellum lateribus nigrum. Abdomen conicum, segmentis 2, 3 et 4, basi fascia sinuata nigra. Alae hyalinae immaculatae Squama parva, alba. Halteres nudi, flavi.

**22. A. lasciva:** linearis cinerea fusco-micans, fronte non prominente grisea, thoracis lineis 3 abdominisque 1 media obsoleta, fuscis, alis immaculatis, nervo transverso ordinario recto, squama parva, albida, halteribus flavis; oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂♀.

Hab in Lapponia rarius; in silva Wittangi Lapponiae Tornensis d. 15 Jun. capta. (Lapponia; Scania ad Fogelsäng tempore vernali 1826 in copula frequenter visa, deinde rarius.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{3}{4}-2$ lin. Affinis et valde similis *Anth. variatae* (No. 25), a qua tamen differt magnitudine plerumque minori, statura angustiori, fronte minime porrecta, ut et nervo transverso ordin. omnino recto. Frons in ♀ mediocriter lata. Oculi in ♂ arcte cohaerentes. Antennae in ♂ paullo angustiores, quam in ♀, seta in utroque sexu distincte et longe plumata. Thorax ♂ obscurus, ♀ griseus; lineis 3 fuscis Abdomen fusco-griseum, linea media obsoleta fusca, in ♂ lineare, ano subclavato, in ♀ oblongum, ano acuto. Alae hyalinae, basi pallidiores. Halteres nudi, flavi.

**23. A. leptogaster:** linearis grisea, fronte parum prominente abdominisque angustati, depressi incisuris cinereis, alis fusco-hyalinis, nervo transv. ordinario recto, squama parva halteribusque sordide albidis; oculis ♂ subcohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele et Åsele mens. Jul. inventa. (Lapp. Umensis.)

*Mas* 2 lin. et paullo ultra longa. Antennae mediocres, fuscae, seta distincte, sed non longe plumata. Caput cinereo-albidum, subnitidum, vitta media frontali posterius inter oculos angustata, aterrima, ante antennas interdum lutea. Thorax griseus, immaculatus. Pectus cinereum. Abdomen lineare, angustum, depressum, pilosum, griseum, incisuris albido-cinereis; ano inflexo appendiculato et laminis 2 dentiformibus obtusis in segmento ultimo ventrali, nigris. Alae basi subpallide maculatae. Halteres nudi, albidi. Pedes simplices, nigricantes.

**24. A. nigritella:** sublinearis pilosa, atra, fronte non prominente obscura; *mas:* oculis arcte cohaerentibus, alis fuscanis, squama albida; halteribus nigris; *femina:* oculis mediocriter remotis, alis, squama halteribusque flavicantibus; nervo transverso ordinario in utroque sexu recto. ♂♀.

Hab. in Betuletis Lapponiae meridionalis passim frequenter; ad Lycksele, Badstutraesk et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, d. 30. Jun. — 17. Jul. in copula saepe capta; deprehenditur etiam in inferalpinis Nordlandiae, et in Betula ad Evenäs d. 18. Jul. in copula quoque visa; in Dowre a D. BOHEMAN lecta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long fere 2 lin. Valde affinis et similis *Muscae flavipenni* FALL., sed illa, quam nostra, magis nitida, alis, squama

halteribusque in utroque sexu flavis, et oculis in ♂ non arcte cohaerentibus. *Tota* aeneo-atra, oculis brunneis. Seta antennarum non longe plumata. Abdomen in ♂ oblongum, pilosum, in illaeso certo situ macula triangulari atra, ano subclavato; in ♀ conicum grisescens, subnitidum, ano acuto, longe variegato. Alae basi fuscae. Squama minuta alba. Halteres nudi, in ♂ nigri, in ♀ flavi.
Affinis quoque *A. lascivae*. Differt tandem ab *Anth. vespertina* FALL., cui sat similis, magnitudine paullo minori, alis basi tantum nigricantibus et halteribus in ♂ nigris.

**25. A. variata**: oblonga grisea, fronte parum prominula cinerea, thoracis lineis subbinis abdominisque unica media dorsali fuscis obsoletis, alis hyalinis, nervo transverso ordinario subinflexo, squama halteribusque sordide albidis; oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 97. 24. ♂♀. *M. variata* FALL. Dipt. Sv. Musc. 59. 51. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele semel visa. (Lappon.-Scan freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. 2—3 lin. Oculi, in ♀ mediocriter remoti, interstitio cinereo, vitta medio fusca postice divisa, antice saepe flavo-notata, in ♂ versus verticem intime connexi. Antennae in utroque sexu mediocres, seta longe plumata. Thorax in femina subimmaculatus, in mare lineis aut 4, quarum 2 mediis angustis, aut subtribus angustatis fuscis. Abdomen in ♀ subimmaculatum. Alae basi pallidiores. Squama parva et halteres nudi, pallida Pedes toti nigri.

**26. A. duplicata**: oblonga cinerea aut grisea, fronte parum prominula aut argentea (♂), aut grisea (♀); thoracis lineis 4 abdominisque ovati punctis totidem rotundatis, nigris, alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto, squama halteribusque pallidis; oculis ♂ subcohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 92. 17. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele a me capta. (Lapponia-Scania pass.)

*Mas* et *Fem*. Circiter 3 lin. long. Similis *Muscae 4-maculatae* FALL., sed differt ab illa seta antennarum distinctius, licet non longe, plumata, et nervis alarum transversis non infuscatis. Alae hyalinae, nervo transv. ord. sat longe a margine alae remoto Squama mediocris, alba. Halteres nudi, pallide flavescentes. Pedes nigricantes. *Mas:* corpore cinereo, fronte argentea, linea media antice lata, postice inter oculos angustissima, atra, albo marginata; *femina:* corpore griseo, fronte concolore, oculis sat late remotis, vitta media nigra didyma.

*Obs*. Species Fallenianae: ***Musca vespertina, assimilis, ambigua, grisea, notata*** et ***flavipennis***, huic subdivisioni subjectae, in Suecia inferiori obviae, in Lapponia a me frustra quaesitae. (*Musca* vero *nigrita* FALL. Musc. 60. 53 e numero specierum omnino excludatur, etenim a Cl. Auctore descriptum sub hoc nomine specimen, a me in Gottlandia captum, certissime non est nisi ***Musca tempestiva*** alis apice laceris, unde orta etiam confusio.)

### B) Seta antennarum pubescens.

* Oculi nudi. Nervus alar. longit. 4tus in marginem alae saepe non omnino rectus, sed levissime curvatus excurrit (ut in speciebus 3 primis). (*A. spinipes* ♀ oculis nudis, vide infra.)

**27. A. dentipes**: oblongo-ovata nigra, hypostomate argenteo, puncto supra antennas albo, thoracis antico vittis 5 obsoletis albidis, abdomine cinereo-micante, linea media nigra, alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto, squama sordide albida; *mas:* oculis appropinquantibus et femoribus anticis subtus dentatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 144. 105. ♂♀. *Musca dentipes* FABR. Antl. 303. 95. ♂. FALL. Dipt. Sv. Musc. 60. 54. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius, ad Junosuando et Wittangi mense Junio a me lecta; larvae in stercoratis et vegetabilibus putridis mens. Julio et Aug. inveniuntur. (Lapp.-Dalekarlia-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. 4 lin. Antennarum seta breviter pubescens, basi incrassata. Oculi, in ♂ approximati, in ♀ mediocriter remoti, in utroque sexu linea aut vitta media atra disjuncti. Frons vix prominens. Alae in ♂ paullo fusciores, quam in ♀, nervo ord. transv. in utroque sexu parum flexo. Squama rotundata, parva, sordide albida. Halteres albidi, clava fusca. Abdomen lateribus inprimis cinereo-maculatim micat. *Mas:* sedens pedes posticos fere rectos gerit; femoribus anticis versus apicem subtus spina brevi subinflexa armatis.

**28. A. leucostoma**: ovata, caeruleo-atra immaculata nitida, hypostomate et macula supra antennas argenteis, alis hyalinis, nervis pallidis, transverso ordinario recto et perpendiculari, squama fusca, tibiis posticis incurvis, in ♂ intus pilosis et oculis cohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 160. 136. ♂♀. *Musca leucostoma* WIED. Zool. Mag. I. 82. FALL. Dipt. Sv. Musc. 61. 56. ♂♀.

Hab. cum priori aeque rara in Lapponia, in reliqua Suecia vulgaris. (Lapp.-Scan. copios.)

*Mas* et *Fem*. Long. 3½ lin. Similis priori, paullo minor, et differt oculis in ♂, paullo magis cohaerentibus, licet non arctissime, interstitio in ♀ non albo-marginato, macula supra antennas in utroque sexu majori, colore corporis magis caerulescenti, immaculato, alar. nervis pallidioribus, squama fusca, pedibus muticis, tibiis posticis curvatis, et in ♂ intus pilosis. — Affinis et similis etiam *Anth. spinepedi*, oculis nudis in utroque sexu distincta. — Larvae in stercore degunt. — Alarum nervus transversus ordinarius rectus, nec inflexus, et perpendicularis, nec oblique ductus.

Var. b. ♀. alis basi flavicantibus, alias var. a simillima, ad Talvig Finmarkiae d. 2 Aug. capta.

**29. A. anxia**: oblonga, subnitida nigra, hypostomate et puncto supra antennas albis; alis hyalinis, nervo transverso ordinario subrecto, squama sordide albida. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi forte rarissime, mihi non obvia, a D. DEUTSCH missa. (Lappon. boreal.)

*Fem*. Long. 4½ lin. Similis *A. dentipedis* feminae, sed differt statura magis oblonga, sublineari, toto corpore nigro, immaculato, et nervo transverso ordinario magis recto. Caput et antennae omnino ut in *A. dentipede*. Abdomen elongatum, sublineare. Alae hyalinae, nervis 4to longit. ut in 2 proxime praecedentibus non omnino recto, sed leviter curvatim in marginem interiorem alae descendit, ibique cum nervo costali paullo infra apicem alae conjungitur; transverso ord. vix vel parum inflexo. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs*. Specimen e quo descriptio facta est, paullo vetustum et detritum videtur; dubium.

**30. A. irritans**: ovata cinerascens subopaca, hypostomate punctoque supra antennas albidis, alis subhyalinis, nervo transverso ordinario recto, basi et squama pallide flavis; *mas:* oculis arcte cohaerentibus et femoribus anticis subtus dentatis. ♂♀.

*Mas:* oculis sat intime connexis, thorace obscure cinereo, abdomine cinerascente, linea dorsali nigra, femoribus subtus apice bidentatis, tibiis anticis basi incisis, femoribus posticis elongatis, basi ultra medium attenuatis, tibiis ejusdem paris etiam elongatis, alis subinfuscatis;

*Femina:* oculis mediocriter remotis, thorace abdomineque cinereis, immaculatis, alis hyalinis, pedibus simplicibus.

MEIG. Dipt. 5. 134. 91. ♂♀. *Musca irritans* FALL. Dipt. Sv. Muscid. 62. 58 ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; in Pinu ad Muonioniska Lapponiae Tornensis d. 17. Aug. et ad Björkvik Nordlandiae 15. Jul. a me lecta. (Lapp.-Scan. omnium frequentissima, viatores persequens, valde molesta, praesertim femina.)

*Mas* et *Fem*. Long. 3—3½ lin. Affinis *A. dentipedi*, paullo minor; et differt colore corporis cinerascenti, alis basi et squama pallide flavicantibus, in ♂ oculis magis arcte cohaerentibus et pedibus posticis magis elongatis.

Var. b. ♂♀. oculis breviter et parce hirsutulis; non diversa.

**31. A. scambus**: ovata valde pilosa atra immaculata, capite toto nigro, alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto. squama sordide albida; *mas:* oculis arcte cohaerentibus, femoribus anticis subtus dentatis tibiisque posticis incurvis, intus seta solitaria. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, ad Lycksele unicum individuum detexi. (Lappon.)

*Mas*. Long. 3½ lin. Affinis *Anth. spinipedi* (infra), oculis nudis etc. distincta. Tota atra Caput totum nigrum, oculeum, oculis scilicet maximis in fronte longe et intime connexis. Antennae parvae. Seta pubescens, basi subincrassata. Os valde hirsutum. Abdomen ovatum, ano subtruncato, valde piloso. Alae hyalinae. Squama mediocris, albida, flavo-marginata. Halteres nudi, albi, clava nigra. Pedes, antici femoribus apice subtus dentatis et tibiis basi intus incisis; posticis femoribus elongatis, basi attenuatis, subtus subnudis, tibiis etiam elongatis, valde curvatis hirsutis, a basi ad medium attenuatis et intus nudis, in medio intus seta valida elongata, solitaria, et in apice setis ordinariis. Affinis videtur *Eriphiae* MEIG., structura pedum distincta.

**32. A. meteorica**: ovata puncto supra antennas albo, corpore aut atro aut cinereo, alarum nervo transverso ordinario subrecto, pedibus mediocribus. ♂♀.

*Mas*: oculis arcte cohaerentibus; corpore atro opaco, piloso, alis et squama infuscatis, femoribus anticis subtus bispinosis;

*Fem.:* oculis mediocriter remotis, vitta frontali media nigra, albido-marginata, corpore cinereo, thorace antice lineis angustis nigricantibus, alis hyalinis, basi et squama flavicantibus, pedibus simplicibus.

MEIG. Dipt. 5. 137. 96. ♂♀. *Musca meteorica* LINN. Fn.

1849. ♀. Fabr. Antl. 306. 110. Panz. Fn. Germ. 1. 19. ♀. Fall. Dipt. Sv. Musc. 64. 63. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali passim; in fruticibus et graminosis paludosis ad Wilhelmina, Tresunda et in Stoettingsfjellet, Lapponiae Umensis, d. 12. Jul. — 1. Aug. haud infrequenter visa; adscendit quoque in alpes, et in summo alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. ♀ capta. Mares rarius occurrunt. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* 3 lin. long. Valde affinis et similis *A. irritanti*, a qua ♀ parum discrepat, at ♂ *A. meteoricae* a ♂ *A. irritantis* oculis arctius connexis, thorace, saltem abdomine nigrioribus opacis pilosis, alis et squama magis infuscatis, tibiis anticis non incisis et femoribus posticis brevioribus, validioribus, mox distinctus.

**33. A. trigonifera:** ovata nigricans, hypostomate punctoque supra antennas albidis, thorace antice parum cinereo-maculato, abdomine griseo, maculis dorsalibus 3 magnis triangularibus linea media grisea divisis, alis hyalinis, nervo transv. ord. subrecto, squama flavo-albida; femoribus validis muticis; oculis ♂ fere cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; eandem e Groenlandia a D. Westermann accepi (Lappon.)

*Mas.* Long. 3 lin. Affinis *Anth. dentipedi* (No. 27) brevior, et abdomine aliter picto. Antennae breviusculae. Hypostoma cinereo-argenteum. Punctum supra antennas minutum album. Oculi linea angusta nigra disjuncti. Thorax vix maculatus. Abdomen pilosum, griseum, maculis in segmentis 1, 2 et 3 magnis atris triangularibus, per lineam mediam cineream in 6 divisis. Anus subinflexus. Alarum squama parva. Halteres nudi, lutei. — Valde affinis videtur *Eriphiae cinereae* Meig. Dipt. 5. 206. 1. Vix tamen eadem. Ab *Anth. litorea*, cui pictura abdominis similis, differt antennis ♂ magis cohaerentibus, squama sub alis magis flavescente, femoribus validioribus, corpore magis piloso etc.

**34. A. arctica:** oblonga nigricans, cinereo-maculata, abdomine cinereo, maculis dorsalibus tribus paribus magnis triangularibus, linea media cinerea divisis, alis hyalinis, nervo transv. ord. recto; femoribus muticis; oculis ♂ fere cohaerentibus. ♂♀.

Hab. in Lapponiae alpibus rarissime; etiam in inferalpinis maritimis Nordlandiae ad Bjorkvik d. 14. Jul. semel capta; e Groenlandia a D. Westermann quoque missa. In Lapponia meridionali non nisi 2 feminas, unam ad Stensele et alteram in alpe Brattiksfjell d. 4—8. Jul. inveni. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—2½ lin. Similis priori, sed in multis diversa. Antennae praesertim in ♂ breviusculae, angustae. Seta capillaris infima basi tantum incrassata et articulata. *Mas:* hypostomate argenteo et oculis subcohaerentibus; *femina:* hypostomate cinereo, et oculis vitta fusca, utrinque cinereo-marginata, mediocriter disjunctis. Thorax in ♂ nigricans, maculis anticis obsoletis cinereis; in ♀ cinereus, lineis obsoletissimis fuscis. Abdomen ♂ breve; subcylindricum, glauco-cinereum, pictura fere ut in priori, triangulis vero angustioribus; ♀ ovatum, cinereum, maculis ut in ♂, at obsoletioribus et fuscis, ano acuto. Alae hyalinae, in ♂ subfusciores. Squama parva, albida. Halteres nudi, pallidi. Pedes breviusculi, subvalidi, simplices.

**35. A. frontata:** oblonga nigricans, hypostomate, fronte distincte porrecta, thoracis vittis obsoletis abdomineque obscure cinereis, hoc maculis lateralibus lineaque media fusco-micantibus, alis hyalinis, nervo transv. inflexo, squama albida. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; etiam e Groenlandia a D. Westermann communicata. (Lappon.)

*Fem.* Long. 4 lin. Angusta, cinereo-nigricans. Antennae breves, validae, seta ad basin incrassata. Abdomen oblongum, subdepressum, fusco-cinereum, maculis lateralibus et linea dorsali certo situ fusco-micantibus. Squama parva. Halteres nudi, fusco-testacei. Pedes simplices. Oculi parvi, late remoti, interstitio nigro, fusco-marginato, substriato. Vertex macula triangulari fusca.

**36. A. squalens:** oblonga obscure cinerea, fronte distincte porrecta nitida concolore, thoracis lineis angustis mediis abdominisque unica dorsali, fuscioribus, alis hyalinis, nervis transversis rectis infuscatis, squama sordide albida. ♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Lycksele d. 2. Jun. 1832 pauca specimina inveni; in alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. 1821 a me rarissime etiam lecta. (Lapponia.)

*Fem.* Long. fere 4 lin.; angusta. Statura et affinitas prioris, sed antennis forte paullo longioribus, minus latis, hypostomate magis nitido, marginibus vittae frontalis cinereis, nec fuscis, thoracis vittis 4 distinctioribus, lateralibus latioribus abbreviatis, abdomine parum fusco-maculato, ano elongato, alis subfuscioribus, nec pure hyalinis, et nervis transversis omnino rectis, infuscatis, facile distincta. Reliqua ut in antecedenti.

Var. b. ♀. paullo robustior, tota nigricans, thorace subvittato, alis basi et squama flavicantibus; an specimen detritum hujus; In silva Wittangi Lapponiae Tornensis d. 15. Jul. capta.

**37. A. argyrocephala:** oblonga nigra, parum cinereo-micans, hypostomate argenteo, fronte parum prominula concolore, alis subhyalinis, basi, squama halteribusque flavis, nervo transverso ordin. recto; oculis ♂ approximatis. ♂.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae; ad Bjorkvik d. 14. Jun. semel capta. (Lappon.)

*Mas:* Long. 3½ lin., angusta. Setosa, sed parum pubescens, nigra, cinereo-levissime micans. Frons et hypostoma argentea. Oculi approximati, vitta frontali angustata, atra, per orbitam oculorum tenuissimam albam marginata, disjuncti. Antennae breviusculae, seta breviter et tenuiter pubescente, capillari, basi infima incrassata et articulata. Thoracis humeri depressi, interstitio dorsali convexo. Abdomen conicum, ano breviter stylato. Alarum squama parva. Halteres nudi. Pedes simplices, pulvillis distinctis.

**38. A. litorea:** antennis longiusculis ovata grisea, fronte subprominula, thoracis lineis abdominisque maculis 4 triangularibus, brunneis, alarum nervis transversis infuscatis, ordinario subrecto, squama albida, halteribus flavis. ♀.

Meig. Dipt. 5. 90. 13? *Musca litorea* Fall. Dipt. Sv. Musc. 63. 60. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi haud frequenter, ad Asele et in Stoettingsfjellet 28. Jul. — 1. Aug. capta, in Lapponia Tornensi rarissime visa; in Norvegia a D. Boheman quoque lecta. (Lapp.-Scan. pass.)

*Fem.* Long. 3½ 4 lin. Grisea. Caput cinerascens, vitta frontali gemina atra. Antennae nigrae, articulo ultimo secundo paullo longiori, seta breviter pubescente, basi subincrassata, articulata. Thoracis lineae brunneae saepe obsoletae. Alarum nervi magis vel minus fuscedine cincti, ordinario plus minus subinflexo. Squama mediocris, albida, flavo-marginata. Halteres nudi, flavi. Pedes nigri.

Var. b. ♀. thoracis lineis 5 fuscis latioribus et abdomine fere toto nigricante, alias var. a simillima, vix specie diversa; ad Muonioniska Lapp. Tornensis d. 17 Aug. semel capta.

*Obs.* Hujus speciei specimina, quae in Scania occurrunt, plerumque minora et differunt thoracis disco aut toto obscure brunneo, aut vittis lateralibus latioribus abruptis et abdominis maculis ♀ saepe confluentibus. *Mas:* fronte argentea, vitta media simplici atra, oculis subappropinquantibus, abdomine conico maculis saepe 6 nigris, in Scania haud raro captus, in Lapponia a me non visus.

**39. A. 4-maculata:** oblonga cinerascens, thorace sublineato, abdomine maculis 4 nigris, alis hyalinis, squama et halteribus albidis, nervis transversis rectis subinfuscatis, oculis ♂ non arcte cohaerentibus. ♂♀.

Meig. Dipt. 5. 92. 16. ♂♀. *Musca 4-maculata* Fall. Dipt. Sv. Musc. 63. 61. ♂♀. *Musca cornuta* Fabr. Antl. 298. 71. (teste Meig.)

Hab. in Lapponia meridionali rarius, ad Lycksele d. 1—5. Jun. capta; in inferalpinis maritimis ad Dyroen Nordlandiae in Betula d. 21. Jul., et ad Bossekop Finmarkiae d. 4. Aug. parce lecta. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* 4½ lin. long. Frons parum porrecta. Antennae subelongatae, seta breviter pubescente. Thoracis lineae nigrae obsoletae. Abdominis puncta 4, in segmentis 2 et 3, subovata. *Mas:* caput argenteum, macula frontali supra antennas triangulari atra. Oculi approximati, orbita argentea tantum disjuncti. Lineae thoracis saepe evidentiores. Abdomen subconicum. *Fem:* Caput cinereum. Oculi mediocriter remoti. Vitta frontalis duplicata atra. Abdomen ovatum. Nervi alarum transversi saepe minus infuscati, quam in ♂.

Var. b. ♂ oculis arctius cohaerentibus, ad Bjoerkvik Nordlandiae d. 14 Jul. semel capta.

*Obs.* Specimen vidi fere totum nigricans, cinereo-micans, punctis abdominis evidentioribus; in ceteris varietati a genuinae simile, et vix speciei diversae.

**40. A. semicinerea:** oblongo-ovata, nigro-cinerascens, fronte non prominula, nervis transversis rectis, abdomine flavo-suppellucidi, incisuris nigris; *mas:* ano fusco, oculis arcte cohaerentibus. ♂♀.

Wied. Zool. Arch. 1. p. 84. 37. ♀. Meig. Dipt. 5. 108. 43. ♂♀. *Musca hyalinata* Fall. Dipt. Sv. Musc. 64. 62. ♂♀.

Hab. in Lapponia, mihi raro obvia; ♂♀ in copula e Tornea a D. Deutsch missa; in floribus Achilleae ad Alteidet Finmarkiae d. 30. Jul. frequentiorem vidi praesertim feminam. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½—3 lin. Oculi ♂ magni. Caput in utroque sexu nigricans, albo-submicans. Antennae elongatae, seta pubescenti. Thorax in ♂ nigricans, in ♀ grisescens. Alae fusco-hyalinae, squama sordide albida. Halteres testacei.

*Obs.* Nomen Wiedemannianum utpote vetustius retinendum.

**41. A. cinerea**: oculis parvis oblonga cinerea, fronte distincte porrecta, thorace tenuiter lineato, alis basi, squama halteribusque flavescentibus, nervo transverso ordinario recto ♀.

Var. a. ♀. vitta frontali nigra, immaculata.

Var. b. ♀. vitta frontali nigra, et macula supra antennas flava.

MEIG. Dipt. 5. 199. 203. (secund. FALL. transscripta) *Musca cinerea* FALL. Dipt. Sv. Musc. 70. 75. ♂♀. var. *Musca flavicans* PANZ. Fn. 54. 18. ♀. forte (licet alae in figura nimis sint flavo-coloratae.)

Hab. in Lapponia meridionali Umensi passim, ex. gr. ad ripas Wojmsjoen, Tresunda et Wilhelmina, d. 12. Jul. capt.; in maritimis Nordlandiae non nisi in monte subalpino Raschstind d. 28. Jul. rarissime lecta. (Lapp.-Scan. varietas Falleniana freq.)

*Fem.* Long. 3—4 lin. Cinerea. Magnitudo, statura et color ut in *Anth. latipenni* (infra No. 65) cui valde affinis, at differt abdomine angustiore, hypostomate forte minus retuso, fronte magis prominula, oculis ut videtur paullulum latius remotis, antennis angustioribus, thoracis lineis 2 approximatis angustis, fuscis, ut et alis minus flavicantibus. Caput cinereum, parum setosum, non pubescens, setis mystacinis paucis. Frons valde prominula, vitta media nigra. Oculi parvi, ovati, mediocriter distantes. Antennae mediocres seu longiusculae, seta brevissime pubescente. Thoracis lineae 2 approximatae, angustae, nigrae aut fuscae, interdum obsoletae. Rudimentum lineae 3tiae in medio dorsi saepe observatur. Abdomen conicum. Alae hyalinae s. subflavicantes, basi, squama parva, et halteribus nudis, magis flavescentibus, nervo transv. ord. vix inflexo. Pedes nigricantes.

*Obs.* Cl. FALL. marem descripsit feminae similem, oculis arcte cohaerentibus, qualis in Scania saepe occurrit, in Lapponia vero a me non visus, quare de identitate FALLENI et nostrae speciei non omnino certus sum, praesertim cum Falleniana a nostra, thoracis lineis adhuc obsoletioribus et fronte paullo minus prominula differre videtur.

**42. A. 5-lineata**: oblongo-ovata glauco-cinerascens, thoracis lineis 5 abdominisque maculis confluentibus, brunneis, alarum nervis transversis rectis, infuscatis, squama albida, flavo-marginata. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime, non nisi ad Muonioniska Lappon. Tornensis et in Bossekop Finmarkiae occidentalis pauca specimina, 4—17. Aug., inveni. (Lapponia.)

*Fem.* Long. 3 lin. Simillima *A. litoreae* (No. 38) colore corporis magis glauco et thoracis lineis 5 brunneis omnibus aequalibus etc. ab illa distincta. Oculi mediocriter distantes, vitta frontali duplicata atra. Seta antennarum brevissime pubescens. Abdomen ovatum, nitidum subnudum, maculis brunneo-nigris ita dilatatis, ut maculae seu fasciae cinereae tantum ad latera conspiciantur. Alae hyalinae, nervis transversis rectis, infuscatis. Squama parva, albida, flavo-marginata. Halteres fusci.

**43. A. abbreviata**: oblongo-ovata cinerea, thoracis lineis 3, media subtriplicata, lateralibus abbreviatis abdominisque maculis 4 magnis triangularibus, brunnescentibus, alis hyalinis, nervis transversis rectis, squama albida; oculis ♂ non arcte cohaerentibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; in silva ad Wittangi et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, 14—30. Jun. 1821 rarius visa, sed ad Umenaes, Naestansjö et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, d. 10—16. Jul. 1832, in copula saepe capta. (Lappon. Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—3¹ lin. Similis praecedenti, sed differt thoracis abdominisque pictura, alis purius hyalinis, fere aqueis, nervisque non infuscatis. Oculi brunnei. Thoracis lineae 3 brunnescentes, media in medio plerumque triplicata. Abdomen in ♂ subcylindricum, interdum immaculatum; in ♀ ovatum, parum nitidum, cinereum, macula in segmentis 2 et 3 magna triangulari, saepe dilatata et linea media cinerea semper divisa. Segmentum 1mum etiam fusco-maculatum. Halteres flavi. Caput maris ut in *A. 4-maculata* (No. 39).

**44. A. fuscinervis**: elongata nigricans nitida, fronte parum prominula, alis hyalinis, nervis omnibus flavedine cinctis, transverso ordinario recto, costa basi ciliata, apice subnuda, squama halteribusque pallidis, clava fusca. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime, ad Karesuando Lapponiae Tornensis et Lycksele Lapponiae Umensis pauca specimina d. 4—14. Aug. capta. (Lappon. Suecica, sylvatica.)

*Fem.* Long. 2¾ lin. Augusta, nitida nigra, parum albo-micans. Antennae mediocres l. minusculae, seta brevissime pubescente. Caput nigricans, fronte parum prominente, lateribus obscure albo-micante, vitta media nigra. Hypostoma breviusculum, apice reflexum. Abdomen elongatum. Alarum costa nigro-ciliata. Squama parva, pallide flava. Halteres nudi, nigri, petiolo flavo. Pedes nigri. An ♀ *A. obscuripennis* (No. 47)?

**45. A. lanceolata**: elongata nigricans nitida, fronte parum prominula, alis hyalinis, nervis omnibus flavedine cinctis, transverso ordinario recto, costa tota ciliata, squama halteribusque pallidis, clava fusca. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime, duo tantum specimina inveni, unum ad Asele Lapponiae Umensis d. 25. Jul. et alterum ad Kengis Lappon. Tornensis d. 22. Aug. captum. (Lappon. Suecica.)

*Fem.* Long. 3¾ lin. Simillima *A. fuscinervi*, paullo major, et capite praesertim latiori, oculis magis oblongis, antennis magis dilatatis, colore corporis nigro magis cinereo-micante, interdum fere griseo, ut et alarum costa a basi ad apicem alae aequaliter ciliata, facile distincta. Abdomen elongatum, apice acuminatum. Alae fusco-hyalinae, nervis saltem fuscedine cinctis.

**46. A. maculifrons**: oblonga cinereo-grisea, vix maculata, fronte subprominula argenteo-cinerea nitida, macula supra antennas lutea, alis hyalinis, basi, nervis, squama halteribusque flavis, nervo transverso ordinario recto; oculis approximatis. ♀?

Hab. in Lapponia Norvegica; in alpe Dowre a D. BOHEMAN capta. (Lapponia.)

*Fem.!* Long. 3¹ lin. Antennae mediocres, articulo ultimo brevissime pubescente, 2do duplo longiori. Seta brevissime pubescens. Frons nitida. Oculi subapproximati, vitta frontali angustata atra, lateribus distinctis albido-marginata. Macula supra antennas fulva, determinata. Thorax inaequalis, griseo-cinereus, certo situ subfusco-maculatus. Abdomen ovato-subcompressum, griseum. Alae longiusculae, squama parva, halteribusque nudis, flavis. Pedes nigricantes.

**47. A. obscuripennis**; oblonga nigra nitida, fronte vix prominula concolore lateribus albo-lineata, alis fuscanis, nervo transverso ordinario recto, squama sordide albida, halteribus nigris, oculis ♂ parum approximatis. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi rarissime, ad Stensele d. 3. Jul. unicum specimen invenit D. DAHLBOM; e Dowre a D. BOHEMAN missa. (Lappon.)

*Mas.* 2¹ lin. long. Tota nigra, nitida pilosa, sublinearis. Antennae mediocres, articulo ultimo 2do vix duplo longiori, seta pubescente. Caput nigrum, fronte lateribus subargenteo-micante. Oculi subappropinquantes. Alae totae aequaliter fuscanae. Squama parva, subalbida. Halteres nudi. Abdominis segmentum anale subtus appendiculatum, tuberculatum. Forte mas *A. fuscinervis* (No. 44)! — Specimen detritum e Lapponia Torneusi a D. DEUTSCH communicatum hujus etiam videtur speciei.

**48. A. inuncta**; oblongo-ovata nigro-cinerascens nitida, fronte parum prominula concolore, thoracis lineis 3 latissimis nigris, alis hyalinis, nervis transversis rectis, squama albida, halteribus flavis. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali; ad Lycksele unicum specimen inveni. (Lapp. Suec.)

*Fem.* Long. 2¼ lin. Subovata, obscure cinerascens, pinguis. Antennae mediocres, seta pubescente. Oculi non late distantes, vitta frontali fusco-nigra, lateribus distinctis cinereo-marginata. Thorax niger, lineis 4 cinereis. Scutellum cinerasceus. Abdomen ovatum, subdepressum, nigro-cinerascens, nitidissimum. Alae aqueae, immaculatae. Squama parva, albida. Halteres nudi, pallidi. Pedes nigri.

** Oculi hirti (in ♀ interdum nudiusculi):

**49. A. spinipes**; oblongo-ovata caeruleo-nigra, nitida, hypostomate, macula supra antennas, maculis humeralibus fasciisque abdominis interruptis, albidis, alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto, oblique ducto, squama albida; oculis ♂ approximatis. ♂♀.

*Musca spinipes* FALL. Dipt. Sv. Musc. 61. 55. ♂♀. *Musca ciliata* FABR. Antl. 333. 87. (teste MEIG.) *Anth. ciliata* MEIG. Dipt. 159. 134. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, in Betula ad Muonioniska d. 17. Aug. capta, e Groenlandia a D. WESTERMANN quoque communicata. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Simillima *A. leucostomae* (No. 28) oculis hirtis, macula humerali alba, alis non pallide nervosis, squama albida, nervo alarum transverso per lineam rectam oblique ducto, abdominisque fasciis obsoletis albidis interruptis, facile distincta. Pedes in ♂ femoribus posterioribus elongatis. Oculi in ♀ nudi.

Var. *Mas*: oculis fere nudis, puncto supra antennas albo minori, humeris et abdomine parum albo-micante, femoribus posterioribus minus elongatis, tibiis posticis intus minus hirsutis, qualis in Lapponia plerumque occurrit; similem quoque e Groenlandia a D. WESTERMANN obtinui.

**50. A. subfuscinervis:** oblonga nigricans, thoracis lineis abdominisque maculis albo-micantibus obsoletis, nervis subinfuscatis, transverso ordinario subrecto, squama sordide albida; oculis ♂ approximatis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, in paludosis d. 4. Jun. semel capta. (Lappon.; Botnia ad Pello.)

*Mas.* $4\frac{1}{4}$ lin. long. *A. dentipedi* simillima, oculis hirtis et forte paullo magis remotis, fronte ut videtur paullo magis prominula, thoracis lineis 4 abdominisque maculis lateralibus albo-submicantibus, alarum nervis et basi infuscatis, ut et femoribus muticis satis superque distincta. Subnitida, setosa et pubescens. Antennae brevissime pubescentes. Punctum supra antennas album. Abdomen oblongum, nitidum, setosum, nigrum, maculis praesertim ad latera certo situ albo-micantibus. Squama albida, sordide marginata. Halteres fusco-testacei. Pedes simplices.

**51. A. vicina:** oblonga nigricans, thoracis lineis abdominisque maculis albo-micantibus obsoletis, nervis subinfuscatis, transverso ordinario inflexo, squama sordide albida. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, a D. DEUTSCH missa. (Lapponia.)

*Fem.* $4\frac{1}{4}$ lin. long. Simillima priori, cujus ♀ forte est, sed differt alarum nervo transverso ordinario distincte inflexo, nec subrecto. Caput nigrum, hypostomate certo situ cinereo-micante. Oculi mediocriter distantes, vitta frontali atra, orbita oculorum cinerascente. Alae basi fuscae. Nervi transversi fuscedine cincti, ordinarius inflexus. Reliqua omnia ut in praecedente.

**52. A. turpis:** oblonga obscure grisea, fronte subprominula cinerea nitida, thoracis lineis 4 nigris abdominisque unica medio brunnea, alis hyalinis, nervo transverso ordinario subinflexo, squama albida. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; ad novaculum Umenaes d. 8. Jul. inventa; e pupa cylindrica, brunnea nitida nuda, sub cortice Pini ad Lycksele capta, imago quoque egressa d. 21. Jun. (Lapponia Umensis.)

*Fem.* $4-4\frac{1}{4}$ lin. long. *A. squalenti* valde similis et vix differt nisi oculis tenuiter hirtis, macula supra antennas majori, antennis apice superiori prominente, fronte magis cinerea, thoracis lineis nigris distinctioribus, alarum nervis transversis non infuscatis, ordinario paullo flexo, ut et squama magis albida. Abdomen et reliqua omnino ut in A. *squalente* (No. 36).

*Mas:* thorace magis obscuro, abdomine nigro cinereo-subfasciato, et oculis subcohaerentibus, de cetero feminae similis, forte hujus; in alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. unicum specimen captum.

**53. A. inconspicua:** oblonga fusco-nigricans, fronte subprominula flavescenti grisea nitida, thoracis vittis 5 abdominisque maculis fusco-cinereis obsoletis, alis hyalinis, nervo transv. ord. subrecto, squama albida flavo-marginata; oculis ♂ cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad cataractam Pulkapola d. 19. Jun. 1821 semel capta. (Lappon.)

*Mas.* 4 lin. long. Affinis *A. subfuscinervi*, fronte magis flavicante, oculis magis cohaerentibus, alis basi et nervis non infuscatis etc. distincta. Abdomen omnino ut in *A. subfuscinervi*. Halteres albidi, clava nigricante. Pedes simplices.

**54. A. hirtula:** antennis breviusculis oblonga hirsuta, nigricans (♂), vel parum cinereo-micans (♀), fronte in utroque sexu minime prominula, alis hyalinis, nervo transv. ord. recto, squama albida; ♂ oculis arcte cohaerentibus pedibusque inermibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime; in alpium Tornensium jugo die 12. Jul. 1821 in copula semel capta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 3 lin. Affinis *Eriphiae cinereae* MEIG., oculis hirtis, fronte non prominula etc. distincta. Parum nitida, tota in ♂ hirta et setosa, nigricans. Corpus ♀ cinereo-obscurum. Hypostoma in utroque sexu breve, apice reflexo; cinereum nitidum, genis nigris. Antennae parvae, seta brevissime pubescente. Os hirsutissimum. Thorax vix vittatus. Abdomen maris conicum, hirsutissimum praesertim ano, totum nigrum, certo situ subcinereo-micans, linea dorsali obscuriori. Alae hyalinae immaculatae, basi parum infuscatae, nervo transv. ord. rectissimo. Squama alba. Halteres nudi, fusco-testacei. Pedes piceo-nigri, toti longe hirsuti.

*Obs.* Specimina quaedam in Nordlandia Norvegica septentrionali, ex. gr. ad Tromsoe et in silva betulina ad Alteidet d. 24 Jul. — 1 Aug. in copula capta, a typicis vix discrepant.

**55. A. hirsutula:** antennis longiusculis oblonga hirsuta, nigricans vel parum cinereo-micans (♂), aut grisescens (♀), fronte in utroque sexu minime prominula, alis subinfuscatis, nervo transv. ord. recto, squama sordide albida; oculis ♀ arcte cohaerentibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali passim; ad Lycksele, Stensele, Naestansjö et in monte subalpino Brattiksfjell 25. Jun. — 13. Jul. in copula inventa; in Nordlandia non nisi ad Björkvik et Giebostad a D. FRIES d. 14—22. Jul. etiam in copula lecta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{3}{4}$ lin. Priori simillima, sed corpore forte minus dense et longe hirsuto, antennis paullo longioribus, hypostomate paullo longiori, apice non reflexo, alis ♂ praesertim ad costam distincte fuscanis, margine interiori tantum hyalino, squama sordide albida, ut et halteribus magis fuscis distincta. Oculi ♀ nudi, mediocriter distantes, vitta media frontali nigra. Abdomen ♂ subcylindricum, cinerascenti nigrum, linea dorsali in segmento 2do perspicua, nigra; feminae oblongo-ovatum, immaculatum, flavo-griseum. Alae ♀ basi flavicantes. Reliqua ut in antecedenti.

**56. A. innocua:** antennis mediocribus oblonga hirta, fronte vix prominula, alarum nervo transv. ord. recto; squama subalbida; *mas:* nigricans, fronte argentea, thoracis maculis humeralibus abdomineque cinereis, hoc linea dorsali nigra, alis fuscanis, halteribus fuscis, oculis arcte cohaerentibus; *femina:* tota cinerea, immaculata, vitta frontali atra, alis subhyalinis, halteribus testaceis. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi rarissime; ad Stensele unicum specimen d. 3. Jul. et ad Lycksele unicum par d. 25. Jun. in copula, inveni. (Lappon.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{3}{4}$ lin. Antennae mediocres, lineares. Seta pubescens. Hypostoma breve, apice non reflexo. *Mas:* orbita oculorum frontalis et punctum supra antennas, alba. Thorax niger, nitidus, maculis humeralibus albo-micantibus. Abdomen cylindrico-conicum, cinereum, linea dorsali praesertim in segmento 2do perspicuo, nigra. Alarum nervi fuscedine cincti. Squama parva, sordide albida. Halteres nudi, nigri, basi testacei. Pedes elongati, tenues, pilosi, inermes. *Femina:* cinerascens vel grisea, immaculata, parum pubescens. Oculi mediocriter distantes, orbita interna cinerea, subnitida, vitta frontali nigra. Abdomen ovatum, apice acutum. Alae hyalinae, basi flavicantes, squama et halteribus flavis. Pedes mediocres, nigricantes.

**57. A. leucogaster:** antennis mediocribus obtuse ovata nigra, fronte non prominula argentea, abdomine cano, segmentis 1 et 2 nigro-maculatis, alis hyalinis, nervo transverso ord. omnino recto, squama albida, halteribus fuscis; oculis ♂ subcohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi forte rarissime, mihi non obvia, a D. FRIGELIO captum, unicumque specimen mihi communicatum. (Lappon. septentrionalis.)

*Mas.* Circiter 2 lin. long. Ovata, obtusa. Antennae lineares. Seta vix nisi nuda. Oculi magni, tenuissime hirti, fere cohaerentes, linea angustissima atra, utrinque angustissime albo-lineata disjuncti. Thorax niger, subnitidus. Abdomen ovatum, canum opacum, segmento 1mo fere toto, 2do macula basali in medio gemina, nigris. Alae albido-hyalinae. Squama sat magna, albida. Halteres fusci.

**58. A. aculeipes:** antennis breviusculis oblonga hirsuta nigricans, vix cinereo-micans, fronte minime prominula, alis hyalinis, nervo transv. ord. recto; squama albida; oculis in ♂ non arctissime cohaerentibus et tibiis posticis intus spina longissima armatis. ♂♀.

Hab. in Nordlandia rarissime; ad Björkvik d. 14. Jul. unicum par in copula captum. (Lappon.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 3 lin. *A. hirtulae* (No. 54) valde similis, corpore magis nigricante, maris abdomine magis depresso et inprimis tibiis spina valida longa (longitudine fere tibiae), oblique porrecta, apice hamata, et infra apicem latere exteriori albo-pubescente, intus armatis, mox et certe distincta. Oculi ♀ mediocriter remoti abdomenque ovatum acutum. Reliqua ut in *A. hirtula*.

Var. b. ♀. grisescens, thorace antico lineis 2 angustis fuscis, alis basi, squama, halteribusque flavicantibus; in Salice ad Wojmsjoen d. 11 Jul. capta, forte hujus.

**59. A. depressiuscula:** antennis longiusculis ovata subdepressa, fronte parum prominula, alarum nervo transv. ord. recto; *mas:* oculis appropinquantibus niger, alis fuscanis, hypostomate argenteo; *femina:* oculis mediocriter remotis cinerea, thoracis lineis abdominisque maculis fuscis, alis hyalinis, hypostomate albo-cinereo. ♂♀.

Hab. in Nordlandia rarissime; ad Giebostad d. 22. Jul. unicum par in copula captum. (Lappon.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Affinis *A. hirsutulae*, corpore minus hirto magisque depresso et ovato, ut et oculis ♂ paullo magis distantibus, vitta atra angusta disjunctis etc. distincta. Antennae hypostomate paullo breviores, lineares, seta pubescente. Oculi in ♂ tenuiter, in ♀ parum, hirti. Squama sordide albida. Halteres nudi, testacei. Pedes simplices, inermes. *Femina:* vitta frontali duplicata brunnea, thoracis lineis 3 dorsalibus approximatis,

tenuibus, et utrinque unica laterali latiori interrupta, brunneis, abdominisque subnitidi disco macula dilatata ejusdem coloris.

**60. A. tristiola:** antennis longiusculis oblongo-ovata subdepressa nigra, fronte parum prominula obscura, alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto, squama albida; oculis ♂ subcohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele unicum specimen detexi. (Lappon.)

*Mas.* Long. 2 lin. Similis priori, paullo minor et differt alis magis hyalinis et oculis magis cohaerentibus. Caput obscurum, fronte subprominente. Antennae ut in priori. Oculi tenuiter hirti. Thorax antice vix albo-subvittatus. Abdomen ovale, certo situ griseo-subfasciatum. Alae hyalinae, metallice nitentes, basi parum infuscatae. Squama parva, albida. Halteres nudi, fusci, clava obscuriori. Pedes pilosi, simplices, inermes. Femina forte aliter colorata; ignota.

C) Seta antennarum nudiuscula aut nuda. Oculi saepissime nudi.

a) Corpore subcylindrico, capite interdum subinflato. Species mediocriter magnae. (*Anth. cinerea* antennis brevissimis, seta pubescente; vide antea No. 41.)

**61. A. denticauda:** cinerea aut grisea, fronte prominula, alis squama halteribusque albidis, nervo transverso ordinario recto, oculis in utroque sexu remotis; ano maris subtus valide bidentato. ♂♀.

Hab. in floribus Salicum, locis praesertim paludosis, in Lapponia passim; scilicet in Lapponia Tornensi ad Pello, Wittangi et Juckasjervi, d. 4—25. Jun. haud infrequenter; sed in Lapponia meridionali non nisi ad Lycksele d. 2. Jun. rarius lecta. (Lapponia; Botnia borealis, ubi ad Öfver-Torneå jam d. 29. Maj. ♂ provenit.)

*Mas* et *Fem.* 4 lin. longa, angusta, linearis subcylindrica praesertim ♂; parum pubescens, sed setosa, opaca, tota aut cinerea (♂), aut grisea (♀); thorace vix lineato. Caput ♂ argenteum, ♀ cinereo-flavescens, vitta frontali in utroque sexu atra. Oculi in utroque sexu paullo remoti, paralleliter et fere aequaliter (licet non late) distantes. Hypostoma breve, apice subreflexo. Antennae breviusculae, seta capillari, nuda, basi tantum incrassata et articulata. Segmentum ultimum ventrale ♂ dentibus 2 validis nigris armatum. Alae, ♂ praesertim basi, squama parva et halteres nudi, alba; ♀ subinfuscatae. Pedes simplices, cinerascentes, tarsis nigris.

**62. A. laminata:** cinerascenti grisea, fronte prominula concolore, alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto, squama sordide albida; oculis ♂ remotis et ano bilaminato. ♂.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime; ad Juckasjervi d. 23. Jun. semel capta. (Lapp.)

*Mas.* Circit. 3 lin. longa. Affinis et similis priori, capiti corporisque colore magis griseo, alis hyalinis et segmento ventrali ultimo laminis 2 paralleliter exsertis facile distincta. Caput et antennae ut in priori constructa, illud griseum, vitta frontali fusca. Oculi paullo remoti, sed non paralleliter distantes. Antennarum seta nuda, vix ad medium incrassata. Thorax et abdomen cinereo-fusca, subimmaculata. Squama parva et halteres subnudi, sordide albida. Pedes cinerascentes.

**63. A. unilineata:** antennis brevissime hirtis cinerea, fronte prominula concolore, abdominis linea dorsali nigra, alis immaculatis, nervo transverso ordinario subinflexo, squama alba; oculis ♂ approximatis. ♂♀.

Hab. in arenosis praesertim ad ripas fluminum, in Lapponia passim, scilicet ad Pello, Kengis et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, 4 Jun. — 1 Jul., nec non ad Lycksele Lapponiae Umensis mens. Junio passim. (Lapponia; Bottnia borealis, ex. gr. ad Ersnaes et Calix in arenosis jam d. 9—16 Maj. frequenter visa).

*Mas* et *Fem.* 3—4¼ lin. long., angustata, pubescens et distincte setosa, tota opaca, ♂ cinereus, ♀ grisea. Frons distincte prominula nitida, linea frontali nigra. Antennae breves, validae, oculo armato breviter hirtae, seta pubescente. Oculi brunnei, in ♀ non late distantes, in ♂ adhuc propiores. Thoracis lineae 3 obsoletae, angustissimae fuscae seu brunneae, in ♀ interdum latiores. Abdomen linea unica dorsali distincta, in ♂ nigra, in ♀ brunnea. Alae albido-hyalinae aut pallescentes, squama parva, alba. Halteres nudi testacei.

Var. b. ♂. fronte nigra, argenteo-micante, thorace abdomineque schistaceis, hoc linea media nigra. Simillima var. a, colore obscuriori tantum diversa. Ad Lycksele specimen unicum captum.

Var. ♀ nervis alarum subinfuscatis, transverso ordinario minus flexo.

*Obs.* Individua paullo minora, alias simillima, in terra ad sepes locis soli expositis ad Lund Scaniae mens. Majo et Junio saepe leguntur, hujus omnino videntur.

**64. A. Histrio:** antennis longiusculis nudis albo-cinerea, fronte prominula argentea, thoracis vittis interruptis abdominisque linea dorsali et incisuris nigris, alis immaculatis, nervo transv. ord. inflexo, squama alba; oculis ♂ subcohaerentibus. ♂♀.

Hab. in ligno recenti et in truncis arborum viventium Pini, ad Stensele et Umenaes Lapponiae Umensis, d. 3—9 Jul. rar.; ♀ ova depositura in trunco Pini recentis ad Bossekop Finmarkiae d. 7 Aug. visa (Lapponia; Ostrogothia rarissime).

*Mas* et *Fem.* Long. 4—5 lin. Elongata, setosa, pulchra, fere ut in *Anth. pluviali* (infra No. 85) picta. Cinereo-albida. Caput argenteum linea frontali nigra. Antennae elongatae, lineares, nigrae, nudae, seta brevissime pubescente. Oculi in ♀ mediocriter remoti, in ♂ cohaerentes. Thoracis vittae 3 interruptae nigrae, media postica, laterales latiores. Abdomen linea dorsali distincta et incisuris tenuiter, nigris. Alae albo-hyalinae, nervo transverso ordinario distincte flexo. Squama parva, alba. Halteres nudi, testacei. Pedes cinereo-nigricantes, ut in prioribus simplices.

**65. A. latipennis:** antennis longioribus validis griseo-cinerea, fronte subprominula; thoracis vittis 2 obsoletis brunneis, alis latis flavo-nervosis, nervo transv. ord. recto, costa ciliata, squama halteribusque flavescentibus; oculis ♀ mediocriter remotis. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime, duo tantum specimina inveni, unum scilicet ad Wilhelmina Lapponiae Umensis 15. Jul. 1832, et alterum ad Bossekop Finmarkiae occidentalis in Pinu sylvestri d. 5 Aug. 1821. (Lapponia)

*Fem.* Long. fere 4 lin. Similis *A. unilineatae*, a qua vero differt hypostomate retuso, apice reflexo, fronte minus prominula, oculis paullo magis distantibus, antennis paullo longioribus et validioribus, thoracis vittis 2 remotis brunneis, abdomine subimmaculato, magis forte ovato, alis latioribus, nervis et basi distincte flavis, costa ciliata, ut et squama magis flavicante. Caput subarcuatum, vitta frontali tota nigra immaculata. Antennae apice brevissime hirsutae. Seta brevissime pubescens. Squama parva. Halteres nudi. Pedes nigri, nec cinerascentes.

**66. A. pallipennis:** antennis mediocribus laete cinerea, fronte prominula, thoracis vitta media obsoleta brunnea, alis, squama halteribusque albidis, nervo transverso ord. recto, oculis ♀ mediocriter remotis, macula supra antennas angusta, fulva aut nigra. ♀.

Hab. in Lapponia boreali et meridionali rarissime; ad Karesuando Lapp. Tornensis d. 15 Aug. et ad Asele Lapp. Umensis d. 25 Jul. inveni. (Lappon.)

*Fem.* 2—2¾ lin. long. *Anthom. antiquae* et *aestivae* Meig. similis videtur, vix tamen harum una. Similis quoque *A. florali* (infra No. 102), colore lactiori, macula frontali rufa, alis albidioribus abdomineque immaculato distincta. Caput cinereum, vitta frontali aut tota nigra, aut antice lutea, in medio fusca, vertice cinereo. Antennae fusco-nigrae. Seta brevissime pubescens. Thoracis linea media interdum vix observanda. Abdomen elongato-conicum, immaculatum. Alae albidae, nervis pallidis, costa ciliata. Squama parva albida. Halteres nudi, pallide flavi. Pedes cinereo-nigri.

**67. A. canescens:** antennis mediocribus laete cinerea, fronte subprominula, vitta media latiori nigra, antice fulva, thoracis linea media obsoleta brunnea, alis squama halteribusque albidis, nervo transv. ord. recto; oculis ♀ mediocriter remotis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, in ripa arenosa ad Juckasjervi d. 20 Jun. unicum specimen inveni; forte etiam ad Lycksele capta (Lappon.; Botnia occidentalis d. 7 Sept. rarissime).

*Fem.* Long. 2⅜ lin. *A. pallipenni* simillima, differt autem fronte paullo minus prominula, oculis forte nonnihil majoribus, hypostomate breviori, minus scilicet late descendente, macula fulva supra antennas latiori et linea thoracis dorsali angustiori. Vitta frontalis fere tota fulva, postice nigricante, macula verticis cordata cinerea. Orbita oculorum facialis et frontalis sat lata cinerea. Seta antennarum plus minus distincte pubescens. Costa alarum distincte setulosa.

**68. A. marginalis:** antennis mediocribus laete cinerea, vertice, thoracis disco, scutello abdominisque maculis trigonis magnis, brunneis, alis hyalinis, nervis transv. rectis infuscatis, squama alba. ♂♀.

*Mas:* caput argenteum, oculis approximatis, linea frontali angusta nigra, albo-utrinque cincta; thoracis discus parum infuscatus, vitta media latiori obsoleta brunnea; abdomen oblongo-cylindricum.

*Fem.:* caput cinereum, oculis remotis, vitta media fusca, vertice brunneo; thoracis discus subfuscus, lineis 3 distinctioribus brunneis; abdomen subovatum.

MEIG. Dipt. 5. 196. 198. (secund. FALL. descript. transscripta) *Musca marginalis* FALL. Dipt. Sv. Musc. 66. 67. ♂♀.
Hab. prope Karesuando Lapponiae Tornensis, ibique in arenosis d. 15 Aug. sat frequenter visa, nec alibi in Lapponia a me visa. Mores *Lispae*. (Lapponia; Westrogothia D. GYLLENHAL rarius.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ usque ad fere 3 lin. Species pulchra et distincta. Color fere *A. ripariae*. Frons subprominula. Antennae breviusculae, seta nuda capillari, basi tantum incrassata. Scutellum obscurum. Abdomen albido-cinereum, macula in singulo segmentorum magna triangulari brunnea per lineam mediam cineream interdum divisa. Squama alba. Halteres fusci. Pedes simplices.

**69. A. scatophagina**: antennis breviusculis cinerascens, fronte distincte prominula, macula supra antennas flava, alis albo-hyalinis, nervo transv. ord. recto, squama alba; oculis ♂ approximatis. ♂♀.

*Mas*: cylindricus, obscure cinereus, capite argenteo, oculis ovalibus approximatis, linea media angusta nigra albo-cincta, disjunctis, abdomine cylindrico, incisuris sordide albidis.

*Fem.*: oblonga, flavicauti grisescens, capite cinereo, vertice subbrunnescente, oculis parvis rotundis, mediocriter remotis, abdomine oblongo-ovato; in copula.

Hab. in Lapponia septentrionali passim; in silva Wittangi et in arenosis ad ripam fluminis Tornensis prope Pello et Juckasjervi, d. 4—30. Jun. a me lecta; inter Alten et Kautokeino Finmarkiae ♀ rarissime quoque capta, 10—13. Aug. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—$2^{1}$ lin. Cylindrica setulosa, sed parum pubescens, opaca, obscure cinerea; femina magis cana. Caput buccatum. Antennae breves, nigro-fuscae, articulo ultimo 2do vix dimidio longiori, seta nuda, basi incrassata. Thorax vix lineatus. Alae albo-hyalinae. Squama parva, alba. Halteres nudi, albidi. Pedes simplices, cinerascentes.

Var. b. ♀. alis albis, nervis subinfuscatis, alias var. a. simillima; inter Alten et Kautokeino Finmarkiae d. 10—13. Aug. rarissime visa.

**70. A. myopina**: antennis magnis cinerea aut grisea, fronte subprominula albida, macula supra antennas fulva, thoracis vitta brunnea, alis hyalinis, nervo transv. ord. recto, abdomine pedibusque nigris, oculis in utroque sexu late distantibus. ♂♀.
*Musca myopina* FALL. Dipt. Sv. Musc. 65. 66. ♂♀. *Coenosia myopina* MEIG. Dipt. 5. 222. 28. ♂♀.
Hab. in Lapponia meridionali rarius, non nisi in ripa lacus Wojmsjoen et ad Tresunda atque Wilhelmina, Lapponiae Umensis, d. 10—12. Jul. in copula capta; ad Lycksele d. 2 Aug. unicum specimen femineum visum. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Caput albo-corneum, vertice obscuriori, macula supra antennas magna lata fulva. Antennae subobliquae porrectae, longiusculae, latae, fusco-nigrae, basi rufescentes, seta nuda, ad medium incrassata. Oculi parvi rotundati, late remoti. Thoracis vitta media brunnea, in ♀ subternaria. Abdomen pubescens nigrum nitidum, in ♂ cylindricum, ano incurvo; in ♀ subovatum. Alae subhyalinae, basi pallidiores, nervis transversis interdum subinfuscatis, squama parva sordide albida. Halteres nudi fusci. Pedes simplices, validi, nigri.

**71. A. unistriata**: antennis mediocribus laete cinerea, fronte distincte prominula, albida, thoracis abdominisque dorso linea media brunnea, alis albo-hyalinis, nervo transverso ordinario subrecto; oculis ♂ subcohaerentibus. ♂.
Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; locis arenosis ad Pello et Wittangi d. 4—10. Jun. tantum lecta. (Lapponia septentrionalis.)

*Mas.* Long. $2\frac{1}{4}$ lin. Statura *A. scatophaginae* (No. 69), linea corporis media laete brunnea perspicua et frontis macula flava nulla etc. dignota. Tota cana, cylindrica. Frons distincte prominula, subargentea, vitta supra antennas angusta atra. Antennae nigrae, seta brevissime pubescente. Oculi subcohaerentes, linea angustata alba disjuncti. Linea thoracis brunnea obsoleta, subabbreviata, scutellum non transiens, at eadem in abdomine continuata ibique distincta, integra. Alae albo-hyalinae, nervo transverso ordinario non exacte recto. Squama alba. Halteres testacei. Pedes cinerei, tarsis nigris, pulvillis magnis albidis.

**72. A. solitaria**: antennis longiusculis cinerea, fronte parum prominente argentea, vitta media atra, abdominis maculis 6 brunneis, alis albo-hyalinis, nervo transverso ordinario recto, oculis ♂ non late remotis. ♂.
Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad novaccolum Naestansjö d. 13. Jul. semel capta. (Lapp. meridional.)

*Mas.* Parva, circiter $1\frac{1}{4}$ lin. longa. Tota cinerea, opaca. Caput argenteo-micans, fronte vix prominula. Hypostoma infra oculos parum descendens, nec apice reflexum. Antennae elongatae, hypostomate tamen paullo breviores, lineares, nigrae, seta brevissime pubescente. Vitta frontalis angusta atra. Oculi magni non late remoti. Abdomen cylindricum subcurvum, cinereum, maculis 3 paribus brunneis obsoletis. Alae albo-hyalinae. Squama alba. Halteres flavo-albidi. Pedes nigri. — Statura et similitudo *A. 8-punctatae*, 6-*notatae* earumque affinium (in Divisione 2da), sed pedibus totis nigris immaculatis ab illis mox dignota. — In collect. D. FABRICI jam conservatur.

*Obs.* *Musca buccata* FALL., huic subdivisioni subdida, in Ostrogothia et Scania passim lecta, in Lapponia non visa. — *Musca erinacea* FALL. pertinet ad genus *Dialytam*, Faunae nostrae ignotum. *A. trianguligera* ♂ abdom. subcylindrico, sub No. 82 invenitur.

b) Corpore subovato.

† Majores.

(*Anth. litorea*: antennis subnudis, antea in Subdivisione B. exstat. — *A. latipennem*: abdomine subcylindrico, vide antea sub No. 65. — *A. marginalis*: abdomine ovato-cylindrico, sub No. 68 describitur.)

**73. A. silvestris**: antennis mediocribus nigricans, maculatim cinereo-micans, fronte subporrecta, alis hyalinis, basi squamaque flavicantibus, nervo transv. ord. subrecto; oculis ♂ approximatis. ♂♀.
MEIG. Dipt. 5. 198. 202. *Musca silvestris* FALL. Dipt. Sv. Musc. 70. 74. ♂♀.
Hab. in Lapponia meridionali rarius; in silvis et pratis ad Lycksele, Stensele et Åsele d. 1. Jun. — 27. Jul. a me passim visa; ♀ rarissime obvia. (Lapp.-Scan. ♂ freq., ♀ rar.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 5 lin. long., angustata. *Anth. conicae* (infra) valde similis, illa vero seta antennarum distincte plumata tibiisque testaceis gaudet. Caput albido-cinereum, vitta frontali nigra, raro antice fulvo-maculata. Seta antennarum pubescens, basi incrassata et articulata. Thorax cinereus, dorso vittis nigricantibus latis haud determinatis. Abdomen nigricans, cinereo-micans. Alae basi et squama mediocris flavicantia. Halteres nudi, flavescentes. Pedes nigri.

*Obs.* Specimina lapponica oculis ♂ saepe paullo magis remotis et alis magis hyalinis, quam in Suecia vulgaria gaudent, vix vero diversa.

Var. b. ♂ paullo minor et obscurior; in Lappon. Tornensi, D. FRIGELIUS.

**74. A. longicornis**: antennis elongatis oblonga nigricans obscure cinereo-micans, fronte convexa, thoracis lineis 2 nigris, alarum basi squamaque flavescentibus, nervis transversis infuscatis, ordinario subinflexo; oculis ♂ appropinquantibus. ♂♀.
Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in silva Wittangi d. 17. Jun. unicum par inveni. (Lappon.)

*Mas* et *Fem.* 4 lin. long. Priori similis et affinis, toto corpore obscuriori, antennis longioribus, oculis paullo magis distantibus, seta vix nisi nuda, ut et nervis alar. transversis infuscatis, et horum ordinario paullo inflexo, satis differt. Antennae longitudine fere hypostomatis, lineares. Thoracis lineae 2 angustae approximatae nigrae. Abdomen conicum nigrum, aequaliter cinereo-micans, nitidum. Halteres nudi, testacei, capitulo fusco. Pedes nigri, simplices.

**75. A. Billbergi**: antennis mediocribus nigra nitida, thorace antice cinereo-micante, fronte convexa obscure argentea, alis fusco-hyalinis, basi et halteribus subflavicantibus, squama albicante, nervo transv. ord. recto, oculis ♂ paullo appropinquantibus. ♂♀.
Var. a. ♂♀. alis basi flavicantibus.
Var. b. ♀. alis basi vix flavicantibus.
Hab. in Lapponia rarius; var. a. in floribus Salicis ad Juckasjervi et ad Lycksele d. 1—21. Jun. in copula capta; var. b. in ripa arenosa ad Juckasjervi d. 3. Jul. rarissime visa. (Lappon.)

*Mas.* et *Fem.* 3—$3\frac{1}{4}$ lin. long. Oblongo-ovata nitida nigra. Caput argenteum, fronte subprominula, vitta media nigra. Antennarum articuli ultimus et secundus subaequales, seta nuda, basi incrassata. Oculi in ♂ paullo propiores, quam in ♀. Thorax antice humeris subalbo-micans. Abdomen ovatum, vix cinereo-micat. Alae basi subflavicantes, interdum in ♀ albicantes. Squama parva subalbida. Halteres nudi pallidi. Pedes nigri aut nigro-picei, simplices.

Nomen Cel. GUST. JOH. BILLBERG, Reg. Suec. Judicii dicasterii cameralis Consiliarii, Reg. Ord. de stella polari Equitis, Acadd. et Societt. plur. Suec. et extern. Sodalis, Hist. Nat. et inprimis Entom. cultoris feliciss., Amici honoratiss., in hoc insecto septentrionali conservare voluit, debuit Faunae auctor.

**76. A. armillata**: antennis mediocribus ovata nigra nitida, subimmaculata, capite cinerascente, fronte prominula vitta media atra, alis hyalinis nervo transv. ord. inflexo; halteribus, squama, tibiarumque anticarum basi albido-flavis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in fenestra ad Lycksele 3. Jun. semel capta. (Lapponia.)

*Fem.* Long. 3 lin. Tota nitida nigra, levissime cinereo-micans, maculis humeralibus obscure cinerascentibus. Caput obscure cinerascens, vitta frontali atra. Antennae mediocriter longae, validae, seta longa, nuda. Frons minime prominula. Hypostoma infra oculos non descendens, apice non reflexo. Oculi sat late distantes. Alae pure hyalinae, basi vix infuscatae, nervo transv. ord. in medio inflexo. Squama parva et halteres nudi, flavo-albida. Pedes nigri, tibiis anticis basi testaceis.

**77. A. hirticeps**: oculis hirtis ovata nigricans subimmaculata, fronte convexa, alis hyalinis, basi et squama infuscatis, nervo transv. ord. recto; oculis ♂ approximatis. ♂.

*Mas:* oculis approximatis, vitta atra disjunctis, corpore obscuriore, alis fuscanis, basi obscurioribus, squama infuscata (specimina Lapponica).

*Fem.:* oculis remotis, vitta lata atra, lateribus albo-lineata disjunctis, alis hyalinis, basi pallidioribus, squama albida (specimen Scanicum).

*Musca hirticeps* FALL. Dipt. Sv. Musc. 67. 69. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in ipso alpium Tornensium jugo die 12. Jul., 3 specimina mascula collegi. (♂ in Lapponia — ♀ unica in Scania a me olim inventa, a D. FALL. l. c. descripta, in museo meo adest.)

*Mas.* 4 lin. long. Nigricans, thorace parum cinereo-vittato. Antennarum articuli 2 et 3 aequaliter fere longi. Seta capillaris, nuda, basi incrassata. Frons subprominula, nigra, argenteo-micans. Oculi distincte hirti. Squama alarum parva, fusca. Halteres nudi, fusci. Pedes nigri, simplices.

**78. A. lineatocollis**: antennis mediocribus ovata nigra, fronte subprominula, thoraceque antico lineis 4 albidis, abdomine cinereo, linea media incisurisque nigris, alis hyalinis, nervo transv. ord. subinflexo, squama albida; oculis ♂ approximatis. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele unicum specimen inveni. (Lappon.)

*Mas.* $3\frac{1}{2}$ lin. long. Similis *A. irritanti* (No 30). Antennae validae, articulo ultimo 2do fere duplo longiori. Seta pubescens, basi incrassata et articulata. Oculi approximati, vitta atra disjuncti. Alae hyalinae, basi subbrunnescentes. Squama parva albida. Halteres nudi flavi. Pedes nigri simplices.

**79. A. incisurata**: antennis mediocribus oblonga obscure cinerea, fronte convexa non prominula alba, thoracis lineis 2 abdominisque vitta media incisurisque nigricantibus, alis fusco-hyalinis, nervo transv. ord. subrecto; oculis ♂ subapproximatis. ♂.

Hab. in arenosis Lapponiae Tornensis rarissime; in arena ad Pello in societate cum *A. denticauda* (No. 61) d. 4. Jun. semel inventa. (Lapponia; Botnia borealis rariss.)

*Mas.* Long. $2^1$ lin. Affinis et similis *A. lineatocolli*, oculis majoribus magis oblongis, fronte convexa, minime prominente, subargentea, alarum nervis transversis subapproximatis, ordinario minus incurvo etc. distincta. Caput argenteum, hypostomate infra oculos valde oblongos non descendente. Vitta frontalis angusta nigra. Palpi et antennae nigra, seta nuda. Thoracis lineae 2 fuscae. Scutellum cinereum immaculatum. Alae infima basi macula pallida. Squama sordide albida. Halteres flavi. Pedes nigri.

**80. A. borealis**: antennis mediocribus ovata cinerascens, fronte convexa argentea, vitta media, thoracis lineis 2 approximatis, abdominisque maculis 4, nigris alis basi et nervis transversis infuscatis, ordinario inflexo, squama albida; oculis ♂ appropinquantibus. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Lycksele d. 1—2. Jun. capta. (Lapp. meridional.)

*Mas.* $3\frac{1}{2}$ lin. long. *A. 4-maculatae* (No. 39) valde affinis et simillima, differt: antennis seta subnuda, oculis paullo magis distantibus, vitta scilicet media atra, linea argentea cincta disjunctis, nervoque alarum transverso ord. magis inflexo. Antennarum articulus ultimus 2do paulo longior. Abdominis maculae 2 et 2 (in segmento 2 et 3) trigonae nigrae. Squama non parva, albida. Halteres pallidi. Pedes nigri, simplices.

**81. A. decolor**: antennis brevibus validis ovata obscure cinerascens, fronte parum prominula, thorace sub-4-vittato, abdomine immaculato, alis hyalinis, basi et squama subflavicantibus, nervo transverso ordinario recto. ♀.

MEIG. Dipt. 5. 198. 201. *Musca decolor* FALL. Dipt. Sv. Musc. 68. 70. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; homines persequens, infestans. (Lapp.-Scan. rar.)

*Fem.* Long. 3—4 lin. Statura *Musc. domesticae*, saepe paullo minor. Caput nigricans, parum cinereo-micans. Antennae breviusculae, latae, apice obtusae, seta nuda, basi crassiori. Oculi late remoti, vitta media frontali latissima, atra; oculo acutissime armato tenuissime hirtuli. Thoracis lineae 2 mediae angustae approximatae, et 2 laterales paullo latiores, interruptae, nigrae. Abdomen ovatum, obscure cinereum, omnino immaculatum. Alae hyalinae, basi sublividae, nervo transverso ord. fere recto. Squama non magna, albida. Halteres fusci. Pedes nigri.

**82. A. trianguligera**: antennis mediocribus ovata obscure grisea, fronte parum prominula, thorace subtrivittato, abdomine maculis 4 triangularibus brunneis, alis subinfuscatis, nervo transv. ord. recto, squama subflavicante; oculis ♂ appropinquantibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; unicum individuum femineum supra aquam lacus Skirtraesk in paroecia Stensele Lapponiae Umensis natans d. 1. Jul. 1832 inveni; in Lapponia Norvegica uterque sexus in copula a D. BOHEMAN etiam captus. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Ovata, ♂ nigricans, ♀ fusco-grisea, uterque sexus setosus, sed parum pubescens. Valde affinis et similis *A litoreae* (No. 38), differt: antennarum seta subnuda s. tenuissime tantum pubescente, thoracis lineis subtribus obsoletis, alis hyalinis, nervis transversis non infuscatis et squama flavo-marginata. Caput griseum. Frons vix prominula, vitta media, in ♂ angusta, in ♀ lata, nigra. Oculi brunnei. Abdomen griseum, in ♂ subcylindricum, in ♀ ovatum, maculis in utroque sexu brunneis, scilicet in segmentis, 1mo 2 obsoletis, in 2do 2 triangularibus, distinctis, et in 3tio 2 ovatis, omnibus in ♂ nigro-brunneis. Alae basi vix maculatae. Halteres nudi, flavi. Pedes nigri, parum setosi. Alae et thorax in ♂ magis nigrescunt, quam in ♀.

**83. A. triangulifera**: antennis breviusculis oblongo-ovata nigricans, fronte parum prominula, abdomine cinereo, maculis triangularibus magnis nigris, alis hyalinis, nervo transv. ord. omnino recto, squama albida; oculis ♂ cohaerentibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rar.; duo tantum individua feminea ad Umenaes et ad Naestansjö d. 9—13. Jul. inveni; etiam in Alten et Kautokeino Finmarkiae occidentalis d. 12. Aug. 1821 unicum par in copula deprehendi. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2^1$ lin. Antennae breviusculae validae fuscae, seta subnuda, basi articulata, ad medium fere incrassata. Hypostoma apice reflexum. Oculi in viva ferruginei. Alae hyalinae, immaculatae. Squama parva, alba. Pedes simplices, nigri. *Mas:* frons non prominula, argentea, macula supra antennas triangulari nigra. Oculi fere cohaerentes. Thorax niger. Abdomen subcylindricum, canum, maculis triangularibus 6 atris. Halteres fusci. *Femina:* obscure griseseeus. Frons subprominula. Oculi sat late remoti. Vitta frontalis duplicata, nigra. Thorax fusco-sublineatus. Abdomen ovatum cinereum, maculis 6 magnis dilatatis triangularibus brunneis.

**84. A. trigonata**: antennis mediocribus ovata cinerea, fronte non prominula argentea, thorace fusco-vittato, abdomine maculis 6 triangularibus nigris, alis hyalinis, nervis subinfuscatis, transv. ord. recto, squama alba; oculis ♂ cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, in palude ad Pello d. 4. Jun. semel capta; in Dowre a D. BOHEMAN etiam lecta. (Lappon.)

*Mas.* Longit. fere 3 lin. Affinis et similis proxime praecedentibus, sed abdominis maculis trigonis nigris 3 per lineam mediam fuscam interdum subinterruptam in 6 divisis, ut et variis aliis notis dignoscenda. Antennae mediocres nigrae, seta nuda, basi articulata. Hypostoma nigrum albo-micans, apice non reflexo. Frons vix prominula argentea, macula parva triangulari atra supra antennas. Oculi sat arcte cohaerentes, linea frontali alba sat tenui tantum disjuncti. Thorax cinereus, vittis 3 (seu 5, quarum lateralib. fere evanescentibus) dorsalibus obscuris. Abdomen ovato-cylindricum, canum, maculis 6 triangularibus atris; harum primum par segmentum primum fere totum occupat; 2 reliqua per lineam fuscam separata. In segmento 4to puncta 2 fusca etiam observantur. Alae hyalinae, nervis omnibus fuscedine subcinctis. Squama alba. Halteres pallidi. Pedes nigro-picei.

**85. A. pluvialis**: antennis longiusculis oblonga hirsuta cana, fronte vix prominula concolore, thoracis punctis 5, segmentorum baseos 3, scutellique limbo antico, atris, alis hyalinis, nervo transv. ord. recto, squama albicante; oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 163. 141. ♂♀. *Musca pluvialis* LINN. Fn. Sv. 1844. FABR. Antl. 304. 28. FALL. Dipt. Sv. Muscid. 68. 71. ♂♀.

Hab. ad domos, in Lapponia passim; ad Kengis, Wittangi et Lycksele 1. Jun. — 7. Aug. visa; in alpe Dowre a D. BOHEMAN quoque capta. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—3 lin. Tota cana. Antennae nigro-fuscae, seta subnuda, basi crassiori. Oculi in ♂ arcte cohaerentes, in ♀ mediocriter remoti macula supra antennas quadrata nigra aut flavicanti. Thoracis maculae 5 atrae. Scutellum, in ♂ atrum puncto apicis cano, in ♀ canum punctis lateralibus atris. Abdomen trifariam atro-punctatum, in ♂ coarctatum, in ♀ ovatum. Alae basi subalbicantes. Squama parva albida. Halteres nudi albidi aut flavi. Pedes simplices nigri.

**86. A. canicularis:** antennis longiusculis oblongo-ovata griseo-nigricans, fronte vix prominula cinerea, thorace sublineato, abdomine in ♂ maculis anticis flavo-diaphanis, in ♀ cinereo immaculato, alis hyalinis, nervo transv. ord. recto, squama albida, oculis ♂ cohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 143. 104. ♂♀. *Musca canicularis* LINN. Fn. Sv. 1841. ♂. FABR. Antl. 303. 97. ♂. FALL. Dipt. Sv. Musc. 69. 72. ♂♀.

Hab. in Lapponiis omnibus per partem sylvaticam vulgaris, in Nordlandiae et Finmarkiae lucis umbrosis etiam frequens; mas mense caniculari sub coma Betulae arborum meridie et vespere choreas ducens, 2 vel 3 generationes anno exstant. Larvae in vegetabilibus putridis etiam in caseo antiquo vivunt. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* $1^1$—2 lin. long. Seta antennarum subpubescens, basi crassiori et articulata. Alae basi subalbicantes. Squama parva albida. Halteres nudi pallidi. Pedes nigri. *Mas:* frons subargentea. Oculi non arcte cohaerentes. Thoracis lineae 3 sat perspicuae. Abdomen depressum, basi macularum flavarum 2 l. 3 paribus. *Femina:* Caput et frons cinerea, vitta media non lata nigro-fusca. Oculi mediocriter remoti. Thoracis lineae obsoletae. Abdomen oblongo-ovatum, griseum, immaculatum, basi interdum subtestaceum. Alae magis hyalinae, quam in ♂.

Var. b. ♀. abdomine basi testaceo; in Hammvigen Nordlandiae d. 21. Jul. semel a me capta; etiam in graminosis ad Drivstuen in Dowre a D. BOHEMAN Julio lecta.

**87. A. scalaris:** antennis longiusculis oblonga griseo-nigricans, fronte vix prominula cinerea, thorace nigro-bivittato, abdomine ♂ glauco, linea dorsali incisurisque obscurioribus, ♀ unicolore; alis hyalinis, nervo transv. ord. recto, squama albida; oculis ♂ subcohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 141. 102. ♂♀. *Musca scalaris* FABR. Antl. 305. 106. ♂. FALL. Dipt. Sv. Muscid. 69. 73. ♂♀. (sub qua vero plures species latent.)

Hab. in foliis fruticum in Lapponia Tornensi, Kemensi et Umensi frequenter, in Nordlandiae Finmarkiaeque inferalpinis passim; a 28 Maj. ad 24. Jul. visa; in copula capta; ♀ in ligno recenti Pini, et in fenestris saepe lecta; ♂ choreas sub arborum umbra instituens. Larvae in stercore praecipue humano degunt. Plures generationes, saltem 2 l. 3 anno observantur. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin. Affinis et similis priori, plerumque paullo major, antennarum seta magis nuda, oculis in ♂ paullo minus cohaerentibus, ut et abdominis pictura, in ♂ alia, differt.

**88. A. moerens:** antennis mediocribus oblonga subcylindrica nitida nigra, fronte prominula thoracisque maculis humeralibus albicantibus hyalinis, nervo transv. ord. recto, squama albicante; oculis ♂. cohaerentibus. ♂♀?

Hab. ♂ in Lapponia Umensi rarissime, in Tornensi passim, ex. gr. in silva Wittangi et ad Tornetrask, 15. Jun. — 10. Jul. capta. (Lapponia.)

*Mas.* Long. 3—$3\frac{3}{4}$ lin. Undique sat dense pilosa nigra nitida. Antennarum articulus ultimus sat magnus, latus, secundo parum longior, seta capillari nuda, basi articulata, non ad medium incrassata. Oculi non arcte cohaerentes, linea angusta nigra disjuncti. Abdomen conico-cylindricum, ano subcurvo, appendiculato. Alae hyalinae, basi submaculatae, squama parva et halteribus nudis, sordide albicantibus. Pedes simplices.

*Fem.* Oculi non late remoti, vitta frontali atra, utrinque albo-marginata; alias mari descripto similis; sine dubio hujus. Ad Giebostad Nordlandiae d. 22. Jul. et in ripa arenosa fluminis Tornensis ad Juckasjervi d. 22. Jun., a me rarissime capta.

Var. b. ♂. oculis paullo magis distantibus, vitta atra angusta disjunctis, thorace abdomineque certo situ levissime cinereo-micantibus, squama alba; in ceteris var. a similis, an diversa? Ad Kengis et Lycksele 7—10 Jun. capta.

Var. c. ♂♀. ♂. oculis arcte cohaerentibus, ♀ griseo-nigricans, oculis mediocriter remotis, in ceteris var. a similis, forte hujus. Long. 3 lin. ♂. in Salice ad Juckasjervi d. 21 Jun. et ♂♀. in copula ad Calix Botniae borealis mens. Aug., capta.

**89. A. angulicornis:** antennis longissimis apicis angulo exteriori acuto, oblonga, nigricans nitida, fronte distincte porrecta argenteo-micante, alis basi flavicantibus, nervis transversis infuscatis, ordinario recto, squama albida, oculis mediocriter remotis. ♂?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Asele d. 27. Jul. semel capta. (Lappon. meridion.)

*Mas?* Long. fere 4 lin. Subnitida. Antennae longitudine hypostomatis, lineares. Seta longa, pubescens, crassitie basali ad medium fere sensim decrescente. Oculi mediocriter remoti, vitta media lata nigra, linea utrinque argentea. Abdomen et thorax levissime cinereo-micantia. Alae latae, nervis flavicantibus, costa ciliata. Squama mediocris albida. Halteres fusci. Pedes nigri, simplices.

**90. A. cuneicornis:** antennis cuneatis oblonga grisea, fronte prominula concolore, thoracis lineis subtribus obsoletis abdominisque nitidi segmentorum maculis basalibus fuscis, alis subflavicantibus, nervo transverso ord. recto, squama sordide albida. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in palude sylvatica ad Juckasjervi d. 21. Jun. 1821 unicum specimen inveni. (Lappon. septentrionalis.)

*Fem.* Long. $3\frac{1}{2}$ lin. Frons porrecta nitida, cinereo-argentea. Antennarum articulus ultimus elongatus, apice dilatatus, seta nuda, basi articulata, ad medium fere incrassata. Hypostomatis apex distincte reflexus. Oculi mediocriter remoti, vitta frontali nigra cinereo-marginata disjuncti. Alae praesertim basi flavicantes, nervo transv. ord. omnino recto. Squama parva pallida. Halteres nudi flavi. Pedes nigri, tarsorum anticorum articulo ultimo elongato, incrassato.

**91. A. murina:** antennis mediocribus oblonga grisea, fronte parum prominula, abdominis linea dorsali fusca, alis hyalinis, infima basi, squama parva, halteribusque nudis, pallide flavis, nervo transverso ordinario recto; oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele semel capta. (Lappon. meridional.)

*Mas.* Long. $3^1$ lin. Grisescens. Antennarum articulus ultimus 2do duplo longior, seta subnuda, basi incrassata. Thorax certo situ subfusco-maculatus. Abdomen conicum. Pedes nigri.

**92. A. anilis:** antennis longioribus sublinearibus, oblonga grisea, fronte prominula cinerea, thoracis lineis subtribus fuscis, alis hyalinis, basi et squama sordide albidis, nervo transverso ordinario recto; oculis non late remotis. ♂?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele semel inventa. (Lappon.)

*Mas?* Long. $3^1$ lin. Valde affinis et similis *A. cuneicorni*, an ejus ♂? Differt tantum antennis apice oblique subtruncatis, nec ita dilatatis, oculis paullo propioribus, abdomine minus nitido, alis infima tantum basi nervis albicantibus, ut et squama halteribusque magis albescentibus. Hypostomatis apex valde reflexus et reliqua ut in *A. cuneicorni*.

**93. A. vetula:** antennis brevibus oblonga ovata opaca grisea, fronte prominula concolore, thoracis lineis subquinis abdominisque unica dorsali brunneis, alis hyalinis, nervo transv. ord. recto, squama albida; oculis parvis late remotis ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in stercore ad Wittangi unicum specimen die 10. Jun. inveni. (Lapponia; Botnia borealis rar.; ex. gr. in fenestra ad Råneå et ad Johannis Ro, d. 10—12. Maj., capta.)

*Fem.* $3\frac{3}{4}$ lin. long. Antennae breves apice rotundatae, seta nuda basi incrassata. Hypostoma brevissimum apice reflexum. Oculi parvi rotundati, longe remoti, interstitio vitta frontali lata nigra cinereo-marginata. Abdomen subovatum, opacum. Alae hyalinae, infima basi flavo-albidae. Squama parva albida. Halteres nudi fusci. Pedes nigri.

**94. A. senilis:** antennis brevibus oblongo-ovata cinerea, fronte subprominula concolore nitida, thorace abdomineque immaculatis, alis hyalinis, nervo transv. ord. recto, squama alba; oculis non late remotis. ♀?

Hab. in Lapponia Umensi; ad Lycksele unicum specimen captum. (Lappon.)

*Fem.?* Long. $3\frac{3}{4}$ lin. Affinis proxime praecedentibus sed distincta. Antennae breves, articulo ultimo 2do duplo longiori. Seta nuda, infima basi tantum incrassata. Hypostoma infra oculos descendens, nitidum, apice subreflexo. Vitta frontalis angusta nigra, griseo-marginata. Thorax et abdomen ovatum, subnitida cinerea unicolora. Alae infima basi sordide albidae. Squama parva alba. Halteres nudi, pulchre pallide flavi. Pedes cinerascentes.

Var. b. ♀ paullo minor, thorace lineis 5 obsoletissimis brunneis, abdomine opaco; in reliquis var. a similis; in Salice ad Torneå d. 8 Maj. semel capta.

**95. A. obtusa:** antennis brevibus oblongo-ovata obtusa cinereo-grisea, fronte distincte porrecta argenteo-cinerea nitida, thoracis lineis abdominisque maculis fuscis obsoletis,

alis hyalinis, nervo transv. ord. subrecto, squama albida, halteribus flavis; oculis ♂ sat approximatis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi; ad Lycksele unicum individuum inveni, (Lappon.)

*Mas.* Long. fere 3 lin. Ovalis obtusa parum pubescens opaca. Caput magnum argenteum, linea frontali nigra angustissima, linea albida utrinque marginata. Antennae breviusculae validae fuscae. Seta breviuscula subnuda, basi incrassata. Thorax supra griseus, lineis 3 obsoletis fuscis. Abdominis dorsum maculis certo situ fusco-micantibus. — Alarum nervus transversus ordinarius inflexus. Squama parva sordide albida. Halteres nudi flavi. Pedes cinerascentes.

**96. A. impura:** antennis longiusculis oblongo-ovata cinerascens, fronte non prominula grisea, thorace vittis 3 obsoletis brunneis, alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto; squama albida. ♀.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae; in fenestra domi ad Tromsoe d. 28. Jul. 1821 unicum specimen inveni. (Lapponia Norvegica.)

*Fem.* Long. fere 3 linear. Caput griseum. Antennae elongatae fuscae. Caput griseum. Antennae elongatae fuscae, utrinque late cinereo-marginatae Abdomen ovatum immaculatum. Squama parva. Halteres nudi flavi. Pedes nigri.

**97. A. contractifrons:** antennis breviusculis oblongo-ovata cinerea, fronte parum prominula concolore, thoracis lineis 3, abdominisque maculis subtriangularibus 4, brunneis obsoletis, alis hyalinis, nervo transv. ord. omnino recto, squama albida, oculis ♀ non late remotis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in Betula ad Muonioniska d. 17. Aug. semel capta; in monte subalpino Skaaddavaara Finmarkiae occidentalis unicum quoque individuum d. 7. Aug. inveni. (Lappon.; Botnia borealis ad Johannis Ro 2. Sept. rariss.)

*Fem.* Long. $2^1$ lin. Similis *A. trianguliferae* (No. 83), paullo minor, fronte angustiore, abdominis maculis obsoletioribus etc. distincta. Seta antennarum subnuda. Vitta frontalis nigra didyma. Alae pallidae nervosae. Squama parva alba, flavo-marginata. Halteres nudi flavi. Pedes nigricantes.

**98. A. aethiops:** antennis mediocribus oblonga nitida nigra, fronte subprominula maculisque humeralibus, albo-micantibus, alis basi et ad costam fuscanis, nervo transv. ord. recto, squama albida; oculis subapproximatis. ♂?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in amentis Salicis glaucae ad Lycksele d. 14. Jun. 1832 unicum individuum inveni. (Lappon. meridionalis.)

*Mas?* Long. $2\frac{1}{4}$ lin. Nigra nitida. Seta antennarum nuda, basi articulata et incrassata. Vitta frontalis atra totum interstitium inter oculos non latum fere implet. Abdomen ovatum, apice acutum. Squama alarum parva albida. Halteres nudi flavi.

†† Minores.

**99. A. brevicornis:** antennis brevissimis nigra aut cinerea, ore fronteque porrectis, alarum nervo transv. ord. recto, squama albida, halteribus testaceis. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele et Åsele 27. Jul. — 2. Aug. capta. (Lappon.-Botnia borealis in Salice ad Haparanda 21. Maj. freq.-Scan. in copula rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 — 3 lin. Affinis *A. florali* antennarum brevitate etc. distincta. Caput subdepressum. Hypostoma longe exsertum brevissimum, apice reflexum. Antennae brevissimae, articulo 2 et 3 subaequalibus. Seta nuda, ad medium fere incrassata. Palpi longi exserti. Alarum squama parva, albida. Halteres nudi. Pedes simplices, nigri. Oculi in ♂ arcte cohaerentes.

**100. A. didyma:** antennis breviusculis oblongo-ovata cinerea, fronte parum prominula concolore, vitta frontali in ♀ didyma; thoracis lineis obsoletis abdominisque maculis in utroque sexu nigris, alis hyalinis, nervo transv. ord. omnino recto; squama halteribusque albidis; oculis ♂ cohaerentibus. ♂♀.

Hab. in arenosis et floribus Salicum, in Lapponia haud infrequenter; scilicet ad Åsele, Stensele et Tresunda, Lapponiae Umensis, ut et ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis capta; deprehenditur etiam in inferalpinis Nordlandiae et ad Giebostad et Hacksten passim lecta; in alpe Dowre a D. Boheman et in alpe Brattiksfjell Lapponiae Umensis in nive ambulans a me, visa. — Mensib. Junio et Julio floret, et in fine mens. Junii haud raro in copula inventa. Die 4. Aug. ad Bossekop Finmarkiae semel quoque copulatam deprehendi. (Lapponia.)

*Mas.* et *Fem.* Long. circiter $1\frac{1}{2}$—2 lin. Affinis *A. contractifronti* (No. 97) variis notis tamen diversa. Caput cinereum, in ♀ lineis frontalibus 2 antice coëuntibus nigris. Seta antennarum nuda, basi incrassata. Oculi in ♂ cohaerentes, in ♀ mediocriter remoti. Thoracis lineae anticae 3 fuscae, obsoletae. Abdomen ovatum, aut fusco-nigrum, segmentorum basi praesertim ad latera cinerascenti, aut saepius cinereum, maculis 4 fuscis. Alae subaqueae s. pure hyalinae, infima basi albida. Squama parva albida. Halteres nudi, pallide flavi. Pedes nigricantes.

Var. b. ♂. corpore magis nigricante.

**101. A. strigilata:** antennis mediocribus ovata cinerea; fronte vix prominula concolore, vitta frontali atra lata, thoracis lineis 3 laete brunneis, abdominis maculis strigiformibus triplici serie dispositis fuscis, alis hyalinis, nervo transv. ord. recto, squama albida, halteribus flavis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele semel capta. (Lappon. meridion.)

*Fem.* Long. $2\frac{1}{4}$ lin. Ovata, opaca, cana. Antennae nigrae, seta subnuda, basi articulata, at parum incrassata. Oculi mediocriter remoti. Alarum squama parva albida. Halteres nudi flavi. Pedes nigricantes. — Affinis priori, sed certe distincta.

**102. A. floralis:** antennis mediocribus elongata nigricans aut grisea, fronte subprominula cinerea, alis pallide nervosis, nervo transv. ord. subrecto, squama sordide albida. ♂♀.

*Mas:* oculis approximatis, thorace supra nigricante, vittis 2, et lateribus griseis, abdomine angusto lineari depresso cinereo; linea dorsali incisurisque nigris.

*Fem.:* oculis mediocriter remotis, tota grisea, immaculata, abdomine ovato, acuminato.

Meig. Dipt. 5. 165. 143? *Musca floralis* Fall. Dipt. Sv. Musc. 71. 76. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali passim, ex. gr. ad Lycksele capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2^1$—3 lin. Antennae lineares, seta subpubescente. Oculi, in ♀ mediocriter remoti, vitta media frontali atra sat late cinereo - l. griseo-marginata disjuncti; in ♂ propiores, minime tamen cohaerentes, vitta atra angusta vix cinereo - marginata disjuncti. Squama alarum parva sordide albida. Halteres nudi flavi.

*Obs.* Variant specimina lapponica oculis ♂ paullo propioribus et alis parum pallide nervosis, ut et ♀ interdum corpore griseo-flavicante.

**103. A. striolata:** antennis mediocribus elongata obscure grisea, fronte parum prominula cinerea, thoracis vittis obsoletis abdominisque linea dorsali interrupta, fuscis, alis hyalinis, nervo transv. ord. recto, squama sordide alba; macula frontali in ♀ flava; oculis ♂ cohaerentibus. ♂♀.

Meig. Dipt. 5. 173. 156? *Musca striolata* Fall. Dipt. Sv. Musc. 71. 77. ♂.

Hab. in paludosis Lapponiae et meridionalis et borealis passim; scilicet ad Lycksele, Kengis nec non in arenosis ad Juckasjervi saepe in societate cum *Anthom. scatophagina* capta, d. 4. Jun. — 22. Aug. visa; deprehenditur etiam in inferalpinis maritimis Nordlandiae Norvegicae et ad Evenäs raro lecta; e pupa cylindrica, nuda, rufa, ad Lyngen capta individuum masculum die 28. Jul. exclusum. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo prioris, eique similis, abdomine paullo robustiore, oculis in ♂ cohaerentibus, ut et macula frontali flava in ♀, differt. *Mas* schistaceus, thoracis vittis 3, abdominisque unica dorsali, fuscis. *Femina* cinerea, thoracis vittis 3, abdominisque ovati linea dorsali interrupta strigaque utrinque laterali brevi, fuscis.

*Obs.* Specimina mascula lapponica thoracis dorso plerumque obscuriori gaudent.

**104. A. radicum:** antennis breviusculis oblonga brevior, fronte subprominula, macula ante antennas flava, alis subhyalinis, nervo transv. ord. subrecto. ♂♀.

*Mas:* oculis cohaerentibus nigricans, thoracis vittis obsoletis cinereis, abdomine oblongo-ovato cinereo, linea dorsali incisurisque nigris;

*Fem.:* oculis mediocriter distantibus, tota obscure cinerea, thoracis vitta media brunnea obsoleta.

Meig. Dipt. 5. 168. 148. *Musca radicum* Linn. Fn. Sv. 1840. ♂. Fall. Dipt. Sv. Musc. 72. 78. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rar., in ripa ad lacum Wojmsjoen et ad Tresunda d. 12 Jul. 1832 capta; in ipso alpium Tornensium jugo d. 12 Jul. 1821 femina quoque a me lecta (Lappon.-Scania freq. Larvae in stercore degunt praesertim humano. Etiam in fungis putridis, teste D. Dahlbom. Plures generationes anno procreantur; seriores in pupae statu hybernant.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 2 lin. long. *A. striolatae* simillima, paullo brevior et latior praesertim abdomine, et differt fronte paullo magis exserta, in utroque sexu ante antennas flavo-maculata, abdominis maris pictura nigra distinctiore, feminae vitta thoracis unice obsoleta et abdomine obscuriore subimmaculato. Ab *A. florali*

differt brevitate corporis, antennis forte paullo brevioribus, macula frontali flava ut et colore corporis feminae paullo obscuriore.

*Obs.* Alae praesertim maris in speciminibus suecicis plerumque infuscatae, in lapponicis saepius fere hyalinae occurrunt. Mares etiam lapponici abdomine interdum nigricante subimmaculato gaudent. An diversae speciei? Tales in silva Saugits prope Tornea et in Ångermannia d. 2 — 15. Sept. vidi frequenter.

*Obs.* Species Fallenianae: *Musca longula* et *armipes*, ad hanc subdivisionem referendae, in Lapponia a me non observatae.

††† Minutae aut minutissimae; corpore oblongo, nervo alarum transverso ordinario semper recto. (*Anth. didyma*, corpore parvo, sub No. 100.)

**105. A. triquetra:** antennis mediocribus, fronte non prominente, abdomine cinereo, singulo segmento punctis 3 nigris, halteribus flavis. ♂♀.

*Mas:* oculis arcte cohaerentibus, thorace atro opaco, postice griseo, alis squamaque subinfuscatis.

*Fem.:* oculis remotis, vitta frontali nigra, thorace cinereo, alis hyalinis, squama vix infuscata; in copula.

MEIG. Dipt. 5. 162. 139. ♂♀. *Musca triquetra* FALL. Dipt. Sv. Musc. 73. 80. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi ad Wilhelmina 15. Jul. rarissime. (Lappon. - Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Antennae breviusculae, seta brevissime pubescente. Oculi (in ♂) miniati. Abdomen in ♂ depresso-cylindricum, in ♀ oblongo-ovatum ano acuminato, in utroque sexu punctis in singulo segmento 3 nigris discretis, fere in triangulum dispositis, interdum confluentibus, raro obsoletis. Pedes nigro-picei simplices.

**106. A. albicincta:** antennis breviusculis, fronte non prominula; abdomine cinereo, fasciis 4 tridentatis atris, alis hyalinis, squama albida, halteribus flavis. ♂♀.

*Mas:* oculis arcte cohaerentibus, thorace atro postice maculis 2 albidis, abdominis segmentis fasciis basalibus nigris tridentatis cohaerentibus.

*Fem.:* oculis remotis, vitta frontali nigra, thorace cinereo, antice fusco-lineato, abdominis segmentis fasciarum basalium singula e punctis 3 nigris constante; in copula.

MEIG. Dipt. 5. 161. 138. ♂♀. *Musca albicincta* FALL. Dipt. Sv. Musc. 73. 81. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius, ad Lycksele capta. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1^{1}$ — 2 lin. Similis priori, paullo major, pictura distincta. Seta antennarum subnuda. Metathorax in ♂ bimaculatus, in ♀ cinereus. Pedes nigri simplices.

Var. b. ♀ macula supra antennas flava.

**107. A. triangula:** antennis longiusculis cinerea, thoracis disco abdominisque maculis 4 triangularibus brunneo-fuscis, alis hyalinis, squama albida, halteribus flavis, fronte non prominente; oculis in utroque sexu remotis. ♂♀.

*Musca triangula* FALL. Dipt. Sv. Musc. 74. 82. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scania passim in copula.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo *A. triquetrae*, paullo tamen robustior. Uterque sexus subsimilis, abdomine tantum in ♂ paullo breviore fere rotundato, et oculis paullo propioribus, quam in ♀. Tota cinerea. Antennae nigrae, paullo longiores quam in 2 proxime praecedentibus, vitta frontali didyma nigra. Thoracis discus et abdominis macula triangulares, fusca. Pedes nigri simplices. Affinis *A. riporiae* FALL., at multoties minor. Ab *A. triangulifera* (No. 83) squama alarum alba, nec flavo-marginata, et ab *A. contractifronte* (No. 97) et *didyma* (No. 100) thoracis dorso toto fusco etc. differt haec nostra species.

**108. A. serena:** antennis breviusculis nigra nitida, fronte convexa non prominula; alis hyalinis basi albidis, squama alba, halteribus pallidis, pedibus simplicibus. ♂♀.

*Mas:* oculis cohaerentibus, abdomine oblongo, depresso.

*Femina:* oculis remotis, vitta frontali nigra, utrinque albicante, abdomine ovato.

MEIG. Dipt. 5. 200. 206. *Musca serena* FALL. Dipt. Sv. Musc. 76. 88. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rar.; ad novaccolum Umenaes d. 9. Jul. capta; in inferalpinis Nordlandiae paullo frequentius deprehenditur, et ad Björkvik et Giebostad 14—22. Jul. lecta, in alpe Dowre a D. BOHEMAN etiam visa. (Lapp.-Ångermannia ad Hernösand.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ -2 lin. Tota nigra nitida. Seta antennarum breviter subpubescens. *Mas:* Oculi magni cohaerentes, non tamen arctissime. Orbita oculorum albissima. Alae subinfuscatae, plerumque vero albo-hyalinae, basi praesertim albo-nervosae. Abdomen nigrum, in mortuo subcorrugatum, interdum brunneo-subpellucidum. *Femina:* Frons sat lata, nigra, subnitida, orbita oculorum faciali sat late albida. Alae albo-hyalinae, nervis albis. Abdomen ovatum.

**109. A. aërea:** antennis breviusculis atra opaca (♂), aut obscure cinerea (♀), fronte non prominente; pedibus simplicibus. ♂♀.

*Mas:* corpore atro opaco, oculis arcte cohaerentibus, alis subinfuscatis, squama halteribusque nigricantibus.

*Fem.:* corpore obscure cinereo, abdomine subnitido, oculis remotis, vitta frontali atra opaca, macula triangulari nigra nitidissima inscripta, alis hyalinis, squama halteribusque pallidis.

MEIG. Dipt. 5. 157. 131. ♂. *Musca aerea* FALL. Dipt. Sv. Muscid. 76. 89. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, ad Lycksele paullo frequentius lecta. (Lappon.-Scan. in copula passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 — $1\frac{1}{2}$ lin. Seta antennarum brevissime pubescens. Pedes nigri. *Mas:* ater opacus. Caput nigrum. Oculi magni, arcte cohaerentes, orbita alba nulla. Alae saepe fuscedine subcinctae, interdum hyalinae. Abdomen oblongum, parum depressum, incisuris interdum leviter cinereis. *Femina:* obscure grisea, abdomine ovato nitido. Reliqua ut in diagnosi.

**110. A. lepida:** antennis breviusculis, fronte non prominula, alis hyalinis, squama halteribusque pallidis; pedibus simplicibus; ♂ nigricans, oculis cohaerentibus, abdomine depresso lineari griseo-micante, linea media incisurisque nigris; ♀ fusco-grisea, oculis remotis, vitta frontali lata nigra opaca, macula verticina cordata grisea, abdomine ovato nitido. ♂♀.

*Musca lepida* FALL. Dipt. Sv. Musc. 76. 90. certe. ♂♀. (Vix *Anthom. lepida* MEIG. Dipt. 5. 140. 101. quae 3 lin. long. describitur.)

Hab. in Lapponia meridionali rar.; feminae in Pino sylvestri ad Barsele et Lycksele Lapponiae Umensis 1. Jul.— 14. Aug. passim. (Lapponia; Botnia borealis in floribus Salicis ad Haparanda jam d. 20. Maj. in copula; — Scania freq. in copula.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ $1^{1}$ — ♀ 1—2 lin. Similis *A. florali* (No. 102), at minor. Seta antennarum breviter pubescens. *Mas:* oculi magni cohaerentes, non tamen arctissime, orbita juxta antennas alba. Alae interdum fuscedine subtinctae. *Femina:* Oculi sat late remoti, vitta frontali nigra opaca, macula verticis triangulari grisea. Orbita oculorum cinerea. Thorax griseus fusco-sublineatus. Abdomen ovatum griseum subnitidum, interdum punctis utrinque 3 minutis fuscis.

Var. b. ♂♀. duplo minor, cinerea immaculata; in flor. Salicis ad Lycksele et Råneå Botn. borealis meus. Majo freq.

**111. A. cinerella:** antennis breviusculis fronte prominula, corpore obscure cinereo, alis hyalinis squama alba halteribus flavis; ♂ oculis in uno puncto frontali cohaerentibus, abdomine subcylindrico; ♀ oculis remotis, macula supra antennas fulva, abdomine conico. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 100. 30. forte. ♂♀. (Alae in nostris speciminibus non flavicantes). *Musca cinerella* FALL. Dipt. Sv. Musc. 77. 91. certe. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rar.; in foliis Betulae ad Lycksele et Stensele in copula 16. Jun. — 3. Jul. capta. (Lapponia; Botnia borealis in floribus Salicis ad Haparanda jam d. 20. Maj. lecta.-Scania in copula freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 $1\frac{1}{2}$ lin. A prioribus conspeciebus differt, ♂: corpore griseo, abdomine subcylindrico; ♀: macula frontali fulva. Pedes in utroque sexu simplices nigri. Antennarum seta subpubescens. *Mas:* Oculi in vertice uno puncto tantum cohaerentes. Orbita alba. Abdomen subcylindricum, subnitidum griseum, aut immaculatum, aut linea media interrupta punctiformi nigra. *Femina:* Oculi remoti, orbita et macula verticina triangulari cinereis. Macula supra antennas fulva fusco-terminata. Thorax et abdomen conicum magis vel minus obscura cinerea, subimmaculata.

**112. A. inermella:** antennis brevissimis, fronte non prominula, corpore obscure cinereo, alis albo-hyalinis, squama alba, halteribus flavis, costa inermi; oculis in ♀ remotis, macula supra antennas fulva; abdomine ovato. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, a D. DEUTSCH communicata. (Lappon.)

*Fem.* Long. $1^{1}$ lin. Affinis et similis priori, sed differt, antennis adhuc brevioribus, seta nuda, fronte minime prominente, abdomine ovato et alis magis albo-hyalinis. A ceteris affinibus differt: costa alarum omnino nuda nec ciliata. Abdomen subnitidum.

**113. A. humerella:** antennis brevibus, fronte subprominula, thoracis linea utrinque cinerea, alis hyalinis, squama albida, halteribus flavis; ♂: nigricans oculis cohaerentibus, abdomine oblongo subdepresso; ♀: cinerascens, oculis remotis, vitta frontali atra opaca, abdomine ovato nigro-aeneo nitidissimo. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali passim; in Salicetis ad Lycksele et Umenaes d. 3. Jun. — 7. Jul. capta; in Björkvik Nordlandiae quoque 14. Jul. ♀ rarius visa. (Lappon.-Scan. passim, in copula.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 — 2lin. Similis proxime praecedentibus, fronte subprominente, thoracis humeris et lateribus cinerascentibus, ut et abdomine in ½ subaeneo nitidissimo, distincta. Antennae breves pedesque simplices, nigra, seta subpubescente. *Mas:* Oculi magni sat arcte cohaerentes, orbita faciali argentea. Thorax nigricans, lateribus magis cinerasceus. Abdomen parum nigrum nitidum, oblongum, depressum, apice subclavatum. Alae nigro-nervosae. *Femina:* vitta frontalis nigra opaca, macula supra antennas interdum parva fulva. Orbita oculorum cinerea.

Var. b. ♂. oculis non arcte cohaerentibus, per lineam angustam atram in fronte disjunctis. In floribus pratensibus ad Lycksele d. 17. Jun. rar. (Lapp.-Ostrogoth. rar.)

**114. A. morionella**: antennis mediocribus tota atra subnitida, fronte parum prominula, alis fuscedine tinctis, squama fusca, halteribus pallidis, pedibus simplicibus, abdomine oblongo subdepresso; oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, in monte alpino Brattiksfjellet d. 8. Jul. unicum specimen inveni; in Dyroen Nordlandiae 21. Jul. quoque lecta. (Lappon.)

*Mas.* Long. 1¾ fere 2 lin. Affinis priori, fronte minus prominente, corpore toto nigriore immaculato, alisque, basi saltem, nigricantibus, distincta. Tota atra subnitida pilosa. Caput nigrum. Antennae breviusculae, seta nuda, basi articulata et incrassata. Oculi magni, in fronte arctissime omnium cohaerentes. Orbita oculorum infra antennas certo situ albo-micans. Abdomen ut in priori constructum; atrum nitidum. Squama parva nigricans. Pedes atri simplices.

**115. A. lugubrina**: antennis breviusculis tota atra subnitida, fronte parum prominula, alis hyalinis, squama alba, halteribus fuscis, pedibus simplicibus, abdomine ovato-oblongo subdepresso; oculis ♂ cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in floribus Salicis ad Juckasjervi die 30. Jun. semel capta, et altera vice ad Björkvik Nordlandiae 14. Jul. lecta. (Lappon.)

*Mas.* Long. fere 2 lin. Valde affinis et similis priori, at alae magis hyalinae, squama major non infuscata, abdomen fere paullo latius, et oculi non arctissime cohaerentes. Antennae seta subnuda, basi minus incrassata, quam in priori. Abdomen oblongum depressum nitidum nigrum, in mortua supra inaequale. Alae vix infuscatae, basi subalbescentes. Halteres uno latere fusci. An variet. *A. serenae* (No. 108)?

**116. A. frontella**: antennis breviusculis opaca, fronte subprominula, alis hyalinis, pedibus simplicibus; ♂ totus ater, oculis arcte cohaerentibus, alarum squama parva halteribusque nigricantibus; ♀ tota cinerea, oculis distantibus, vitta frontali atra, alarum squama alba, halteribus pallidis. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim rarius: scilicet in floribus Salicis ad aquas in Lapponia Umensi in copula capta. ♀ e Tornoa a D. DEUTSCH missa; etiam in arena ad Juckasjervi d. 24. Jun. a me lecta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¼ lin. Similis *A. humerellae*, corpore unicolore etc. distincta. Opaca. Seta antennarum nuda, basi articulata, subincrassata. Pedes nigri. *Mas:* ater. Oculi magni in fronte prope verticem cohaerentes. Frons distincte prominula, nigra, certo situ albo-micans. Abdomen ut in *A. humerella*. Alae fuscedine subtinctae. *Femina:* cinerea subimmaculata. Frons minus prominula, vitta media nigro-brunnea. Orbita oculorum grisea. Abdomen conicum, vix nitidum, linea media obsoleta fusca. Alae hyalinae, costa ciliata.

**117. A. glabricula**: antennis breviusculis ovata, tota nitidissima atra, fronte minime prominula; ♂ oculis arcte cohaerentibus, alis hyalinis, squama alba, halteribus nigris, femoribus anticis apice subtus unispinosis; ♀ oculis late remotis, alis, squama halteribusque pallidis, pedibus simplicibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 155. 126. ♂. (♀ ob frontem obscure cineream ad aliam speciem forte referenda). *Musca glabricula* FALL. Dipt. Sv. Musc. 75. 87. certiss. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Wilhelmina d. 22. Jul. lecta; feminae quoque in inferalpinis Nordlandiae ad Björkvik d. 14. Jul. et ad Bossekop Finmarkiae d. 3. Aug, parce captae. (Lappon.-Scan. pass. in copula.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1½ lin. Ovata, tota nitidissima atra. Antennarum seta nuda capillaris. *Mas:* Oculi maximi, in fronte longe et arctissime cohaerentes, puncto supra antennas niveo. *Femina:* Oculi mediocriter remoti, interstitio frontali glabro, toto nitidissimo atro.

Var. b. ♀. paullo major, alis flavo-albidis, alias var. a. similis, an distincta? In Lapponia Umensi ad Wilhelmina et in monte subalpino Stoettingsfjellet 20. Jul. — 1. Aug. 1832 capta, etiam ad Gièbostad in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae d. 22. Jul. 1821 lecta. (Lapponia; Smolandia D. BOHEMAN.)

Var. c. ♀. similis var. b., alis ut in var. a., halteribus nigris, an hujus? vel ♀ *A. lugubrinae* (No. 115)? In Stoettingsfjellet d. 1. Aug. semel inventa.

*Obs.* Species Fallenianae: *Musca albula*, *agromyzina* et *parvula*, sub hac subdivisione militantes, in Lapponia a me frustra quaesitae.

## Divisio Secunda. Pedes aut ex parte, aut toti rufi seu pallidi.

### A) Species nigricantes s. grisescentes.

### *Sect. 1. Corpus ovatum aut oblongum (nec cylindricum). Oculi masculorum in fronte conniventes.*

* **Femoribus, saltem anticis, nigris, tibiis testaceis.**

*α) Seta antennarum plumata.*

† Oculi hirti (in ♀ saepe vix nisi microscopice pubescentes).

**118. A. vagans**: ovata, obscure cinerascens, antennis, thoracis vittis 4, abdominis linea media obsoleta, femoribus anticis basi tarsisque omnibus nigris, tibiis omnibus femoribusque posterioribus testaceis, alis basi squamaque lutescentibus, nervo transverso ordinario subcurvato subinfuscato; oculis ♂ approximatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 112. 51. forte (ob oculorum connexionem dubia). *Musca vagans* FALL. Dipt. Sv. Musc. 78. 93. certiss. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in paroecia Fredrica et in alpe Stoettingsfjellet 29—31. Jul. lecta; in silva vero betulina ad Evenas Nordlandiae Norvegicae d. 17—18. Jul. frequentius capta. (Lapp.-Dalekarlia-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4½ — 5 lin. Frons parum prominula, cinereo-argentea, vitta media atra, in ♀ lata, in ♂ angustiore. Oculi tenuiter pubescentes, in ♂ approximati, non vero cohaerentes. Palpi nigri. Abdomen ovatum griseum, linea media fusca obsoletissima. Scutellum nigricans. In minoribus individuis alar. nervus transv. ord. fere rectus.

**119. A. errans**: ovata cinerea, antennis, thoracis vittis 4, abdominis maculis micantibus, femoribus anticis tarsisque omnibus, nigricantibus, pedibus scutellique apice rufis, alis hyalinis, nervis transversis infuscatis, ordinario incurvato, squama sordide pallida; oculis ♂ subcohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 112. 50. ♀. *Musca erratica* FALL. Dipt. Sv. Musc. 77. 92. var. *β*. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rar., in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 1. Aug. capta. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 4 — 4½ lin. Similis *Muscae erraticae* FALL. l. c. var. a., sed fere duplo minor et antennis totis nigris, nec basi rufis, distincta. Oculi distincte hirti, in ♂ cohaerentes in ♀ remoti, vitta frontali nigra subdidyma. Thoracis lineae mediae nigrae tenuiores. Abdomen sat late ovatum griseum, maculis irregularibus fuscis micantibus. Squama alarum albida flavo-marginata. Halteres testacei.

*Obs.* *Musca erratica* FALL. var. *α*., in Lapponia a me non visa. *Anthomyza laeta*, tibiis fuscis, in Divisione 1ma sub No. 14 quaerenda.

†† Oculi nudi (in utroque sexu).

**120. A. Angelicae**: ovata cinerascens, antennis, thoracis vittis 4, abdominis linea media obsoleta, femoribus anticis (in ♂) tarsisque omnibus nigris, tibiis omnibus femoribusque posterioribus testaceis, alis basi squamaque pallidis, nervo transverso ordinario subrecto, non infuscato; oculis ♂ conniventibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 117. 59. ♂♀. (scutell. non ferrug.) AHRENS Fn. 10. T. 25. *Musca Angel.* FALL. Dipt. Sv. Musc. 78. 94. ♂♀.

Hab. in Lapponia rariss., ad Muonioniska d. 17. Aug. capta. (Lapp.-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Similis *A. vaganti*, paullo minor et differt colore minus obscuro, alis basi et squama minus flavescentibus, nervo transv. ord. magis recto, vix infuscato, oculis nudis, in ♂ propioribus, ut et pedibus omnibus in ♀ plerumque testaceis. Oculi ♂ sat approximati, non vero cohaerentes, linea angustissima nigra, albo-utrinque anguste cincta, disjuncti.

**121. A. Quadrum**: oblonga cinerea, antennis, thoracis lineis 4 obsoletis, abdominis punctis 2 vel 4, femoribus tarsisque nigris, tibiis testaceis, alis pallide hyalinis, basi concoloribus, nervo transv. ord. recto, non infuscato, squama pallida; oculis ♂ sat approximatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 93. 18. ♂♀. *Musca quadrum* FABR. Antl. 297. 67. *Musc. subpuncta* FALL. Dipt. Sv. Musc. 80. 97. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long $3\frac{1}{2}$ lin. Ab *A. Angelicae*, cui subsimilis, differt colore paullo dilutiori, thoracis lineis nigris obsoletioribus, alis basi vix flavicantibus, femoribus omnibus et punctis abdominis nigricantibus, et quod paullo minor. Abdomen oblongum plerumque in ♂ maculis 2 subtriangularibus nigris, ♀ punctis 4 minutis rotundis brunneis. Vitta frontalis nigra in ♀ didyma.

Var. b. ♀. Vitta frontali atra integra (nec didyma), et abdomen impunctatum; alias var. a. simillima; in sylva betulina ad Alteidet Finmarkiae d. 31 Jul. semel capta.

**122. A. depuncta**: oblonga cinerea, antennis, thoracis lineis 4 obsoletis, abdominis punctis 2 vel 4, femoribus anticis tarsisque omnibus femoribusque posterioribus testaceis, alis squamaque pallidis, nervis transv. ord. recto, subinfuscato; oculis ♂ approximatis. ♂♀.

*Musca depuncta* FALL. Dipt. Sv. Musc. 80. 98. ♂♀.

Hab. in Lapponia rar. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Priori paullo minor, alias subsimilis, differt femoribus posterioribus testaceis et alarum nervo transv. ord. infuscato. Seta antennarum distincte plumata. Varietates Fallenianae seta pubescente et oculis masculorum arcte cohaerentibus ad aliam speciem referendae.

**123. A. anceps**: oblonga cinerea, antennis, thoracis lineis 4, abdominis punctis 2 vel 4, femoribus tarsisque nigris, tibiis testaceis, alis hyalinis, nervo transv. ord. subcurvato, subinfuscato, squama pallida; oculis ♂ approximatis. ♂♀.

*Musca quadrum* FALL. Dipt. Sv. Musc. 80. 99. ♂♀. (an exclus. syn. FABR.?) *Musca meditata* FALL. Dipt. Sv. Musc. 87. 114. var. $\beta$. ♂♀. *Musc. tigrina* FABR. Antl. 297. 66. var. ♀. An *Coenosia tigrina* MEIG. Dipt. 5. 212. 2.?

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$ lin. Duabus proxime praecedentibus similis et affinis, sed ab *A. Quadrum* magnitudine minori, nervoque transv. ord. magis incurvato et infuscato, et ab *A. depuncta* pedum colore differt. — Species dubia.

**124. A. conica**: oblonga flavo-cinerascens, antennis, thoracis lineis 4, lateralibus latioribus, abdominis linea media pedibusque nigris, tibiis obscure testaceis, alis squamaque flavicantibus, nervo transverso ordinario sursum flexo, non infuscato; oculis ♂ sat approximatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 97. 25. (ad *Anthomyias* pedibus nigris immerito relata). AHRENS. Fn. 10. T. 23. *Musca conica* FALL. Dipt. Sv. Musc. 83. 107. var. a. ♂♀. *Musca silvestris* FALL. olim. ♀.)

Hab. in Lapponia passim; ad Wittangi et Torneträsk, Lapponiae Tornensis 16. Jun. — 8. Jul. et ad Lycksele Lapp. Umensis d. 5. Aug. capta; feminae frequentiores. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Long 4 lin. Statura oblonga, thoracis lineis 4 nigris, quarum lateralibus latioribus, alis elongatis, angustatis, subflavicantibus, ut et nervo transv. ordin. sursum flexo, ab affinibus distinguitur. Seta distincte plumata. *Mas*: oculis fere cohaerentibus, abdomine conico griseo-flavo, linea dorsali nigra; *femina*: oculis remotis, vitta frontali nigra cinereo-utrinque cincta disjunctis, abdomine oblongo-conico, flavo-griseo, maculis micantibus fuscis.

Var. b. ♂♀. paullo minor, abdomine in utroque sexu immaculato; in alpium Tornensium jugo, in ipsa nive d. 12 Jul. in copula semel capta.

Var. c. ♀. similis var. a, antennarum seta pubescente; femoribús tibiisque testaceis; in Lapponia Umensi unicum specimen inveni.

**125. A. strigosa**: oblonga cinerea, antennis, thoracis lineis 3 obsoletioribus, abdominis linea dorsali pedibusque nigris, femoribus et macula supra antennas in ♀ tibiisque in utroque sexu, flavis, alis hyalinis, basi infima squamaque pallescentibus, nervo transv. ord. sursum flexo, non infuscato; oculis ♂ arctissime cohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 131. 87. ♂♀. *Musca strigosa* FABR. Antl. 296. 61. *Musca vagans* PANZ. Fn. 59. f. 18. ♀. var.? *Musca conica* FALL. Dipt. Sv Musc. 83. 107. var. $\beta$. ♂♀.

Hab. in Lapponia rar.; e Tornoa a D. DEUTSCH missa; in Dowre a D. BOHEMAN capta. Larvae mens. Septembr. in stercore bovino inveniuntur. In statu pupae hybernant, et mens. Majo in imagines declarantur. (Lapponia; Botn. boreal. rar., ex. gr. ad Haparanda 1. Sept. lecta; Uplandia Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $3\frac{1}{2}-3\frac{3}{4}$ lin. Simillima priori, paullo minor, et thoracis lineis 3, alis minus flavicantibus, oculis in ♂ arctius cohaerentibus, ut et femoribus in ♀ maculaque supra antenn s flavis, distincta. Abdomen in ♂ anguste conicum, cinereum, linea media incisurisque nigris, in ♀ oblongo-conicum, flavo-griseum, maculis micantibus fuscis.

**126. A. brunneifrons**: oblonga fusco-cinerea, antennis, thoracis vittis latis, abdominis maculis micantibus pedibusque nigricantibus, tibiis testaceis, fronte et vertice (in ♀) brunneis, alis hyalinis, basi infima et squama flavicantibus, nervo transverso ord. sursum flexo, non infuscato. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in silva ad Wittangi 2 tantum specimina d. 16—17. Jun. 1821 inveni. (Lappon. boreal.)

*Fem.* Long. 4 lin. Affinis priori; distincta. Similis etiam *A. verticinae* (No. 19) paullo minor, fronte forte minus prominula et tibiis testaceis diversa. Oculi late remoti. Caput brunneum, vitta frontali nigra. Hypostoma breve, apice reflexum. Genae cinereae. Palpi nigri. Abdomen ovatum cinereum, maculis irregularibus fuscis. Squama alarum alba, flavo-marginata. Halteres flavi.

**127. A. coarctata**: oblonga flavescenti cinerea, antennis pedibusque nigricantibus, tibiis omnibus in utroque sexu, et femoribus posterioribus maculaque supra antennas in ♀ flavis, alis flavicantibus, nervo transv. ordin. recto; oculis ♂. subcohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 130. 85. ♂♀. *Musca coarctata* FALL. Dipt. Sv. Musc. 84. 108. ♂♀.

Hab. in Lapponia rar.; ad Lycksele et Karesuando d. 10. —15. Aug. capta. (Lapponia; Botn. boreal. ad Haparanda 1. Sept. rar.; Uplandia-Scan. freq. in copula.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{4}-3$ lin. Tota pallide cinerea seu griseo-flavescens subimmaculata. Nervus alar. transv. ord. omnino rectus, non infuscatus. Squama parva et halteres flava. *Mas*: Oculi fere cohaerentes, linea angusta atra utrinque albo-cincta disjuncti. Abdomen angustum, lineare, depressum, linea media fusca. *Femina*: Oculi remoti, vitta frontali nigra, macula ante antennas fulva. Abdomen oblongo-conicum, immaculatum.

**128. A. incerta**: oblonga, tota nigra subnitida, tibiis testaceis, hypostomate albo-corneo, alis pallide hyalinis, nervo transv. ord. omnino recto, non infuscato, squama parva halteribusque fusco-flavicantibus. (♂♀).

Hab. in alpium Tornensium jugo, ubi in ipsa nive d. 12. Jul. unicum specimen inveni. (Lapponia.)

*Fem.* Long. $3\frac{1}{4}$ lin. Similis *Musc. dubitatae* FALL., colore non atro, sed nigro, certo tantum situ levissime albo-micante, fronte minus prominula, et nervo transv. ord. non incurvo distincta. Oculi non late remoti, interstitio frontali piceo, orbita albida. Palpi simplices nigri. Hypostoma albo-corneum. Alae pallescentes, nervis pallidis. Squama sordide albido-flava. An *Cordilurae* generis? Sed oculi suboblongi.

*Mas.* Long. 3 lin. Oculi remoti, paullo tamen propiores, quam in ♀. Abdomen cylindricum, ventre in medio appendice pilosa erecta armato; de cetero feminae descriptae simillimus, forte hujus? In Betula ad Umenaes Lapponiae Umensis d. 7 Jul. 1832 et ad Giebostad Nordlandiae d. 22 Jul. 1821, 2 specimina a me capta.

*Obs.* *Musca dubitata* FALL. in Lapponia hactenus non inventa.

$\beta$) *Seta antennarum pubescens aut nudiuscula.*

**129. A. consimilis**: oblonga cinerea, antennis seta pubescente, thoracis lineis 2 dorsalibus tenuibus, abdominis punctis 4, femoribus tarsisque nigricantibus, tibiis rufis, alis pallide hyalinis, nervis transversis subrectis, infuscatis, squama alba; fronte prominula. ♀.

MEIG. Dipt. 5. 201. 209. Vix *A. compuncta* MEIG. Dipt. 5. 147. 111.? ♂♀., ubi *Musc. consimilis* FALL. ut synon. refertur. *Musc. consimilis* FALL. Dipt. Sv. Musc. 85. 110., ubi ♂ tantum describitur.

Hab. in Lapponia rarissime; inter Alten et Kautokeino Finmarkiae d. 13. Aug. unicum specimen femineum hujus certe speciei legi. (Lapponia; Goetheborgs Skärgård, ex. gr. in Braennoe, Winge etc. 14—15. Jul. D. B. F. FRIES. ♂.)

*Fem.* Long. $3\frac{1}{2}$ lin. Tota cinerea. Affinis et similis *A. quadrum* (No. 121), antennarum seta pubescenti, nec plumata, distincta. Caput magnum cinereum, fronte subprominula, vitta media fusca, subdidyma. Thoracis lineae 2 dorsales tenues, vix vestigio macularum lateralium fuscarum. Abdominis ovati puncta 4 in segmentis 2 et 3 subrotunda brunnea. Nervi transversi alarum leviter infuscati. Halteres testacei.

*Obs.* *Mas*, oblongus canescens, abdomine maculis 2 et 2 nigris, tibiis rufis, alarum nervis transversis infuscatis, a FALL l. c. describitur, in Lapponia a me non visus. Oculi approximati, non cohaerentes, alar. nervis transversis distincte infuscatis, punct

abdominis 6 (2 in segmento 1mo), et color magis canescens in speciminibus originariis, quae in museo meo asservantur, obtinent, alias feminae similibus.

**130. A. verticella**: oblonga nigricans s. obscure cinerea, antennis subnudis nigris, macula frontali fulva, pedibus nigricantibus, tibiis obscure testaceis, alis hyalinis, basi, squama halteribusque albidis, nervo transverso ordinario recto non infuscato. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, semel capta. (Lappon.-Scan. in Esperöd rarissime.)

*Fem.* Parva, long. 1¼ lin. Tota cinerascens, antennis mediocribus, palpis et vitta frontali sat lata et utrinque cinereo-cincta, nigris. Macula supra antennas fulva. Abdomen conicum. Pedes piceo-nigri, tibiis dilutioribus.

*Obs.* Specimen scanicum paullo majus, et pedibus fere totis lividis distinguitur, alias simillimum.

**131. A. troglodytes**: oblongo-ovata nigricans s. obscure cinerea, antennis subpubescentibus, punctis abdominis 4 pedibusque nigris, geniculis tibiisque rufis, alis basi et squama distincta albis, halteribus flavis, antennis basi testaceis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; non nisi in Abiete ad Karungi 29. Maj. et in paludosis ad Juckasjervi d. 25. Jun. inveni. (Lapponia borealis.)

*Fem.* Long. 4¼ lin. Tota obscure cinerea. Antennae mediocres. Palpi nigri. Oculi mediocriter lati, fronte grisea, macula supra antennas didyma atra parva. Abdominis puncta 4 nigra late distantia. Alae albo-hyalinae. Affinis *A. didymae* (No. 100).

*Obs.* Falleni *Musca atricolor, socia* et *fuscula* in Lapponia a me non visae. *Anth. Salicis*, femoribus anticis nigris, vide No. 135. *Anth. armillata*, tibiis anticis, basi flavis, sub No. 76 est descripta. *A. haemorrhoum*, femoribus tantum anticis nigris, vide No 138.

°° pedibus totis testaceis, tarsis tantum nigricantibus.

α) *Seta antennarum plumata (Anthomyza Angelicae et strigosae feminas pedibus totis flavis vide sub* No. 120 *et* 125).

**132. A. pagana**: oculis nudis ovata flavescenti cinerea, antennis, thoracis vittis 4, abdominis linea dorsali antica obsoleta, tarsisque, nigris, pedibus, scutello, alarum basi squamaque flavis, nervo transverso ordin. parum incurvato, non infuscato, oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂♀.

Meig. Dipt. 5. 116. 58. ♂♀. *Musca pagana* Fabr. Antl. 288. 23. Fall. Dipt. Sv. Musc. 79. 95. ♂♀.

Hab. in Lapponia Suecica rariss.; in Finmarkia ad Bossekop d. 8. Aug. etiam rarius capta. (Lappon.-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Scutello toto flavo subpellucido ab affinibus mox distincta. Palpi nigri. Vittae thoracis nigrae latae distinctae. Maculae abdominis fuscae micantes vix nisi certo luminis situ perspicuae. Nervus transv. ord. alar. interdum paullo subinflexus.

**133. A. impuncta**: oculis nudis ovata flavescenti cinerea, antennis, thoracis vittis 4 obsoletis tarsisque, nigris, antennarum palporumque basi pedibusque flavis, alarum nervis transversis infuscatis subrectis, alarum basi squamaque pallide flavis; oculis ♂ cohaerentibus. ♂♀.

Var. a. ♂♀. antennis distincte plumatis.

Meig. Dipt. 5. 118. 61. ♂♀. *Musca impuncta* Fall. Dipt. Sv. Musc. 79. 96. ♂♀.

Var. b. ♂♀. antennis subplumatis s. pubescentibus, oculis semper ferrugineis; saepe paullo minor et angustior.

Hab., var. a. in Lapponia passim, scilicet in Betula et in silvaticis ad Stensele et Asele Lapponiae Umensis et ad Muonioniska Lapponiae Tornensis, nec non ad Bossekop d. 3. Jul. — 17. Aug. lecta; var. b. in Lapponia frequentius occurrit, et in Nordlandia ad Häcksten et Tromsoe, nec non ad Bossekop Finmarkiae 26. Jul. — 8. Aug. etiam in copula capta. (Lappon.-Scan. var. a. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3½ fere 4 lin. Antennarum palporumque basi saepe, pedibusque semper, flavis, abdomine immaculato etc. ab affinibus distincta. Oculi ♂ non arctissime cohaerentes; ♀ distantes, vitta didyma nigra. Thoracis lineae fuscae obsoletae tenues praesertim in ♀.

**134. A. basalis**: oculis hirtis ovata flavescenti cinerea, antennis, thoracis vittis 4, tarsisque, nigris, pedibus, alarum basi squamaque flavescentibus, nervo transv. ord. subcurvo, vix infuscato; oculis ♂ cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia rarius; in Dowre D. Boheman. (Lappon.-Scan. ♂♀. freq.)

*Mas.* Long. 4½ lin. Valde affinis et similis *A. vaganti* (No. 118) cum qua a Cel. Fall. etiam confusa fuit, oculis arctius cohaerentibus, nervo transv. ord. magis curvato, parum infuscato, et femoribus omnibus flavis, mox dignota. Antennarum seta longe plumata. Oculi distincte hirti. Thoracis lineae 2 mediae tenues, laterales latiores. Abdomen ovatum, linea media antica obsoleta fusca. Alarum basis, squama halteresque flava.

*Obs.* Femina mari simillima, oculis tenuissime hirtis, vitta frontali atra lata remotis, ab illo dignota, in Suecia inferiori passim, in Lapponia a me non inventa.

**135. A. Salicis**: oblonga grisea, antennis, femoribus anticis tarsisque omnibus nigris, pedibus flavis, alis squamaque flavo-pallidis, nervo transv. ord. subinflexo, non infuscato; maris abdomine subcylindrico, oculis arcte cohaerentibus. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in floribus Saliceti ad Juckasjervi d. 30. Jun. 1821 duo specimina inveni. (Lappon. borealis.)

*Mas.* Long. 3 lin. Hypostoma nigro-columeum, albo-micans. Orbita oculorum infra antennas argentea. Frons acute, sed parum prominula. Oculi arcte et longe cohaerentes. Antennae oblique exsertae, mediocres, fusco-nigrae. Seta subnuda. Thorax obsolete vittatus. Abdomen subcylindricum, linea interrupta obsoleta fusca interdum praesente. Alae praesertim basi flavicantes, squama halteribusque pallidis. Palpi nigri.

**136. A. rufipes**: oblonga nigricans, antennis, palpis, tarsisque nigris, alarum basi, squama pedibusque obscure flavescentibus, nervo transv. ord. subrecto, non infuscato; maris abdomine lineari, subpellucido, oculis arcte cohaerentibus. ♂.

Meig. Dipt. 5. 186. 178. ♂. *Musca rufipes* Fall. Dipt. Sv. Musc. 85. 111. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi rarissime; ad Novaccolum Naestansjö d. 13. Jul. capta; in Dowre Norveg. a D. Boheman quoque lecta. (Lapp.Scan. rar.)

*Mas.* Longitudo fere prioris eique similis, sed differt: hypostomate magis albo-corneo, colore corporis obscuriore, palpis basi pallidis, abdomine depresso lineari, in medio rufo-subpellucido, ano clavato, alis, squama pedibusque fuscioribus, femoribus anticis saepe nigricantibus, oculisque rufis. — Femina oculis remotis et femoribus flavis, a D. Fall. descripta, in Lapponia a me non visa.

**137. A. flavipes**: oblonga nigricans, antennis tarsisque nigris, illarum basi, palpis pedibusque flavescentibus, alis et squama infuscatis, nervo transv. ord. recto; maris abdomine lineari depresso rufo-subpellucido. ♂.

*Musca flavipes* Fall. Dipt. Sv. Musc. 90. 125. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; in silva ad Wilhelmina et in Stoettingsfjellet d. 15—31. Jul. lecta. (Lapp. meridional.-Scan. in copula rar.)

*Mas.* Magnitudo fere et summa praecedentis similitudo, differt vero antennarum basi, palpis pedibusque purius flavis, alis et squama magis infuscatis nervoque transv. ord. magis recto. Alae non latae. Oculi brunnei. Halteres flavi. — In speciminibus lapponicis femora antica nigra et abdomen parum pellucidum.

*Obs.* Species Fallenianae: *Musca uliginosa, nigricolor, praepotens* et *fuscata*, huic subdivisioni inserendae, a me in Lapponia non observatae.

β) *Seta antennarum pubescens aut nudiuscula. Oculi nudi.*

**138. A. haemorrhoum**: nigro-cinerea, capite rufo, alarum basi, ano pedibusque flavis, antennis, femoribus anticis tarsisque omnibus nigris; nervis transversis rectis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi s. meridionali rarissime, cfr. collect. D. Fåhraei. (Lapponia-Delekarlia, D. Boheman. In graminosis uliginosis ad Abusa Scaniae d. 22. Maj. rarissime, ipse.)

*Fem.* Magnitudo *A. Salicis* (No. 135) seu longit. fere 3 lin. Oblongo-ovata. Caput rufescens, subtumidum. Antennae mediocres nigrae, basi rufescentes. Seta pubescens. Palpi summo apice nigri. Thorax et scutellum cinerea. Abdomen opacum cinereum, articulo ultimo flavo. Alae basi, squama et halteres flavescentia. Pedes flavi, femoribus anticis nigro-fuscis. Tibiae totae atrae.

(*Anth. conica* var. c. sub No. 124, *A. impuncta* var. b. ♂♀. sub No. 133, *A. Salicis, rufipes* et *flaviceps* sub numeris 135, 136 et 137 inveniuntur. *Muscas conformem* et *laticornem* Fall. in Lapponia frustra quaesivi.)

*Sect. 2. Corpus cylindricum. Oculi nudi, in utroque sexu remoti. Nervus alarum transversus ordinar. omnino rectus et saepissime non infuscatus. Minores. Coenosia* Meig.

**139. A. meditata**: cinerea, antennis subplumatis, abdominis punctis 2 paribus pedibusque nigris, femorum apice tibiisque testaceis, squama alarum alba. ♂♀.

*Musca meditata* FALL. Dipt. Sv. Musc. 87. 114. ♂♀. (excl. syn. *M. meditabunda* FABR. teste MEIG.) *Coenosia meditata* MEIG. Dipt. 5. 219. 19. ♂.

Hab. in Lapponia Suecica rar.; in silva betulina ad Evenäs Nordlandiae paullo frequentius, praesertim ♂; mense Julio capta; in Dowre D. BOHEMAN. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* ♂ 1½—2, ♀ 2¼ lin. long. Femina valde affinis videtur *A. consimili* (No. 129.) Oculi in utroque sexu non late, sed aequaliter fere remoti, vitta frontali didyma nigra. Palpi nigri. Seta antennarum in ♂ subplumata, in ♀ saepe pubescens. Abdomen in ♂ cylindricum, subincurvum, in ♀ magis ovatum. Alae albo-hyalinae immaculatae. Halteres testacei. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* In speciminibus lapponicis ♂ femora basi anguste testacea saepe habet, vix vero diversus.

**140. A. intermedia:** cinerea aut flavo-cinerascens, antennis pubescentibus femoribus anticis tarsisque omnibus nigris, pedibus testaceis, squama alar. sordide albida. ♂♀.

Var. a. ♂♀. femoribus anticis nigris.

*Musca intermedia* FALL. Dipt. Sv. Musc. 87. 115. ♂♀. *Coenosia intermedia* MEIG. Dipt. 5. 214. 7. ♂♀.

Var. b. ♀. femoribus omnibus flavis.

Hab. in Lapponia cum priori rarius; var. a. ad Lycksele 24. Jun. et var. b. ad Wilhelmina, Lappon. Umensis, d. 15. Jul. inventa. (Lappon.—Scan. in copula freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¾—2½ lin. Similis priori, paullo angustior, magis cylindrica, antennarum seta in utroque sexu pubescente, abdomine impunctato, femoribus posterioribus totis flavis, distincta.

**141. A. 8-punctata:** cinerea, antennis subnudis, abdominis punctis 4 paribus pedibusque nigris, femoribus posterioribus basi late, tibiisque omnibus flavis, alis albo-hyalinis, basi squamaque albidis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in Salice ad Wojmsjoen d. 11. Jul. unicum specimen inveni. (Lapp. meridion.)

*Mas.* Long. fere 2 lin. Similis *A. geniculatae* (No. 145 duplo major. Statura prioris. Tota cana. Antennae, palpi et vitta frontalis nigra. Thoracis discus lineis 2 abruptis brunneis obsoletis. Abdomen punctis 8 nigris. Alae immaculatae, nervis basi, squama halteribusque albis. Pedes flavi, femoribus anticis totis, posterioribus apice, tarsisque omnibus, nigris.

**142. A. spuria:** cinerea, antennis tenuiter pubescentibus pedibusque nigris, illis basi testaceis, palpis, alis basi squamaque albis, femoribus apice tibiisque flavis, abdomine punctis tribus paribus lineaque antica fuscis, basi albo-diaphana, alarum nervis transversis rectissimis infuscatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi ad Lycksele d. 2. Jun. rar. (Lapp.-Scan. ♂♀. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 1¼ lin. Pictura abdominis *Muscae uliginosae* FALL. valde similis, et forte var. ejus b. *minuta* eadem. Ab illa tamen differt: praeter magnitudinem multo minorem, antennarum seta fere nuda et pedum colore alio, praesertim vero statura corporis magis cylindrica et oculis in ♂ remotis. Cana, vitta frontali nigra didyma. Alae basi, squama halteresque alba. Femora posteriora summa basi saepius flava. Pedum geniculi flavi Femina mari simillima, abdomine paullo magis ovato, in Suecia inferiori passim, in Lapponia rarius inventa.

Var. b. ♀. oculis in viva obscure brunneis, abdominis basi vix diaphana, fronte lata, alias var. a simillima, an spec. distincta? In ligno Pini recenti ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 14—15 Jun., nec non ad Bjoerkvik Nordlandiae Norvegicae d. 15 Jul. rarius capta.

Var. c. ♀. duplo minor, alarum nervis transversis non infuscatis, alias var. b. simillima, an diversa? In arenosis ad Wittangi d. 15. Jun., ad Kengis Lapp. Tornensis 22 Aug. et ad Johannis Ro Botniae borealis d. 2 Sept. capta.

**143. A. verna:** cinerea, punctis abdominis tribus paribus, pedibus antennisque nigris, his basi testaceis, seta pubescente, palpis, alis basi squamaque albis, pedum geniculis tibiisque flavis. ♂♀.

*Musca verna* FABR. Antl. 304. 101. FALL. Dipt. Sv. Musc. 87. 116. ♂♀. *Coenosia verna* MEIG. Dipt. 5. 214. 6.

Hab. in Lapponia rarius, praesertim ♂; ♀ in florib. Salicis ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, et ad Björkvik Nordlandiae d. 25. Jun. — 18. Jul. capta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long 1½ lin. Similis priori, minor, abdominis basi non diaphana. Cinerea, vitta frontali nigra didyma. Tarsi antici quoque flavi. Puncta abdominis in ♂ saepe obsoleta.

**144. A. pedella:** antennis nudiusculis fusco-cinerea, pedum geniculis, tibiis omnibus femorumque posteriorum basi flavis, alis basi squamaque albidis. ♂♀.

*Musca pedella* FALL. Dipt. Sv. Musc. 88. 118. ♂♀. *Coenosia pedella* MEIG. Dipt. 5. 216. 11.

Hab. in Lapponia, ♂ rarius, ♀ passim; in graminosis ad Kengis Lapponiae Tornensis et ad Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 17. Jul. — 22. Aug. capta; in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Lyngen d. 26. Jul. ♀ quoque lecta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, vix 1 lin. long. Obscure cinerea immaculata. Antennae elongatae nigrae, seta breviter pubescente. Vitta frontalis nigra. Alae immaculatae. Femora posteriora in ♀ basi parum flava.

**145. A. geniculata:** antennis subpubescentibus cinerea, antennis, abdominis punctis tribus paribus pedibusque nigris, femoribus posterioribus flavis, apice fuscis, tibiis omnibus ferrugineis, alis hyalinis, basi, squama halteribusque albis. ♂♀.

*Musca geniculata* FALL. Dipt. Sv. Musc. 89. 120. ♂♀. *Coenosia geniculata* MEIG. Dipt. 5. 219. 20. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali, ex. gr. ad Lycksele rarius. (Lapp.-Scan. freq. praesertim ♂.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Simillima *A. 8-punctatae* (No. 140) séd praeter magnitudinem duplo et ultra minorem, differt etiam abdominis punctis 6 (nec 8) nigris. Femora omnia habet flava, antica tantum linea superna, et postica macula apicali, fuscis, notata.

**146. A. sexnotata:** cinerea, antennis subnudis, abdominis punctis 3 paribus tarsisque nigris, pedibus flavis, alis hyalinis, basi, squama halteribusque albis. ♂.

*Coenosia sexnotata* MEIG. Dipt. 5. 213. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Lycksele et Åsele mense Julio capta, in inferalpinis Nordlandiae ad Hacksten d. 28. Jul. quoque lecta. (Lappon.-Gottland. Ostrog. rar.)

*Mas* Long 1¼ lin. Simillima praecedenti, paullo major, femoribus totis flavis, posticis apice tantum levissime supra fusconotatis distincta. Antennae elongatae, nigro-cinereae. Palpi nigri. Caput cinereo-albidum, vitta frontali ordinaria ut in plerisque nigricante. Thorax lineis 3 tenuibus obsoletissimis brunneis. Alae albo-hyalinae. Tarsi praesertim posteriores atri. — Puncta abdominis 8 in uno specimine ad Wilhelmina Lapp. Umensis d. 18 Jul. capto vidi.

*Obs.* Quae in Suecia inferiori collegi individua hujus speciei et mascula et feminea paullo majora, circiter scilicet 2 lin. longa sunt, qualia a D. MEIGEN l. c. ejus describuntur.

**147. A. pumila:** cinerea, dorso grisea, antennis subpubescentibus, punctis abdominis tribus paribus, saepe obsoletis, tarsisque nigris, pedibus flavis, alis hyalinis, basi, squama halteribusque albis. ♂♀.

*Musca pumila* FALL. Dipt. Sv. Musc. 88. 119. ♂♀. *Coenosia pumila* MEIG. Dipt. 5. 221. 25.

Hab. in Lapponia passim frequenter; scilicet ad Kengis et Wittangi Lapponiae Tornensis, ad Wilhelmina et in monte Stoettingsfjellet, mensib. Jul. Aug. capta, ad Lycksele d. 16. Aug. in copula visa; in inferalpinis Nordlandiae ad Björkvik ♂ d. 14. Jul. raro lectus. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. *A. sexnotatae* valde similis et vix differt nisi magnitudine minori, punctis abdominis saepe (praesertim in ♀) obsoletis, ut et abdominis basi et ventre in ♀ plerumque pallidis. Oculi ♂ in vivo aenei. Tarsi antici ♂ fusco-testacei. Palpi nigri. Costa alarum in ♂ distincte ciliata.

Var. b. ♂. abdomine immaculato, femoribus posticis ante apicem annulo fusco notatis, tarsis omnibus nigris. Vix 1 lin. longa. Ad Umenaes Lapp. Umensis d. 7 Jul. semel capta.

Var. c. ♀. Similis var. a, et femora antica nigra, in copula cum ♂ var. a, ad Muonioniska d. 17 Aug. inventa.

Var. d. ♀. Similis var. a, paullo major 1½ lin. longa, et abdomine immaculato distincta; in graminosis ad Wilhelmina Lapp. Umensis d. 17 Jul. semel inventa.

**148. A. tarsella:** cinerea immaculata, antennis elongatis subpubescentibus nigris, pedibus flavis, tarsis omnibus atris, femoribus anticis in ♀ obscuris; alis basi, squama halteribusque albis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, in foliis Betulae ad Badstutraesk d. 30. Jul. unicum par in copula inveni; ♂, in Pinu ad Bossekop Finmarkiae occidentalis die 6. Aug. rarissime quoque captus. (Lapp.-Suecica et Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1½—1¾ lin. Priori valde similis, differt magnitudine dimidio majori et ultra, corpore cinereo immaculato, antennis paullo longioribus, tarsis omnibus etiam in ♂ atris, et femoribus anticis ♀ nigris. Ab *A. intermedia* (No. 140), cui quoque similis, differt magnitudine minori, colore corporis cinereo, nec flavescenti griseo, ut et tarsis anticis etiam in ♂ nigris.

**149. A. bilineella:** cinereo-grisea, antennis elongatis subpubescentibus nigris, pedibus flavis, tarsis omnibus atris

femoribus anticis in ♀ obscuris, thoracis lineis 2 dorsalibus in ♀ abdominisque maculis in ♂ tribus paribus, fusco-brunneis, alis basi, squama halteribusque albis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Lycksele et Barrsele d. 22. Jun. et 1. Jul. 2 paria in copula capta. (Lapponia meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1½—1¾ lin. *A. tarsellae* iterum simillima, sed differt colore utriusque sexus grisescente, nec cinereo, lineis thoracis ♀ 2 fuscis, ut et abdomine ♂ sexpunctato.

**150. A. means:** cinerea, antennis elongatis pubescentibus pedibusque nigris, geniculis rufis, alarum basi, squama halteribusque albis, thorace in ♀ bilineato. ♂♀.

*Coenosia means* MEIG. Dipt. 5. 216 10. ♂♀. (♂ in nostris apicem ani vix nigrum nitidum habet.)

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in graminosis ad aquam in pratis ad Lycksele et Barrsele d. 24. Jun. — 1. Jul. in copula capta. In Dowre D. BOHEMAN. (Lappon.-Smoland. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¾ lin. A prioribus affinibus mox differt pedibus totis nigris, geniculis et femorum infima basi rufis. Antennae elongatae, seta pubescente. Corpus supra grisescens, thoracis lineis dorsalibus 2 fuscis, in ♂ vix perspicuis. Oculi in viva obscure brunnei. Anus maris grisescens.

**151. A. trilineella:** laete cinerea, antennis elongatis, subplumatis tarsisque nigris, pedibus flavis, thorace dorso trilineato, alis basi, squama halteribusque albis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in silva ad Stensele 3. Jul. semel capta. (Lappon.)

*Fem.* Long. 2 lin. Similis *A. intermediae* (No. 140), colore corporis laetius cinereo, thoracis lineis 3 angustis brunneis et femoribus omnibus flavis distincta. Antennae angustae, seta subplumata s. distincte pubescente. Palpi nigri. Abdomen conicum griseum immaculatum. Tarsi omnes atri. Femora antica superne macula longitudinali fusca notata.

**152. A. strigella:** grisea, antennis elongatis subpubescentibus pedibusque nigris, femoribus posterioribus basi late, tibiisque omnibus testaceis, thoracis lineis dorsalibus 2, abdominisque maculis elongatis 6, fuscis, alis basi, squama halteribusque albidis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; inter Tresunda et Naestansjö d. 13. Jul. unicum individuum invenit D. DAHLBOM. (Lapponia meridionalis.)

*Fem.* Long. 2 lin. Palpi nigri. Lineae thoracis brunneae utrinque abruptae, distinctae. Abdomen elongatum, maculis tribus paribus brunneis subelongatis. Alae albo-hyalinae. Halteres pallidi. Femora posteriora a basi ad medium rufa.

**153. A. genarum:** fusco-grisea immaculata subnitida, antennis elongatis pubescentibus pedibusque nigris, tibiis testaceis, hypostomate sordide albo-corneo descendente, alis basi squamaque pallescentibus. ♀.

Hab. in alpibus rarissime; in summo alpium Tornensium jugo in nive ambulans d. 12. Jul. unicum specimen inveni. (Lappon. borealis )

*Fem.* Long. 2½ lin. Forte hujus subdivisionis; antennis angustis elongatis tarsisque atris, ut et oculis parvis non late remotis. Seta antennar. pubescens. Frons subprominula et hypostoma sat longe descendens, flavo-albo-cornea fere ut in *Musca myopina* FALL. Apertura oris magna. Alae hyalinae, basi, squama halteribusque pallidis. Abdomen oblongo-ovatum, flavo-griseum subnitidum immaculatum, ano acuto. Pedes nigri, tibiis lividis.

**154. A. dealbata:** tota cana immaculata, antennis nudis pedibusque nigricantibus, tibiis pallidis, alis, squama parva halteribusque albidis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Almsele d. 24. Jul. semel capta. (Lapponia; Scan. ad Esperöd ♂ rariss.)

*Fem.* Long. ¾ lin. Proportione longitudine reliquis latior, forte tamen hujus subdivisionis, nam ♂, qui huic speciei competere videtur, in Scania captus, abdomine subcylindrico gaudet. Oculi in viva virides. Antennae brevinsculae seta nuda. Palpi nigri. Oculi non late distantes, vitta frontali picea albo-utrinque cincta disjuncti. Abdomen oblongo-ovatum. Squama alarum parva. Reliqua ut in diagnosi.

**155. A. metallipennis:** obscura, immaculata, subnitida, antennis mediocribus subnudis pedibusque nigris, geniculis testaceis, hypostomate argenteo-micante, alis metallice nitentibus, basi, squama halteribusque albidis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, a D. DEUTSCH communicata. (Lapponia.)

*Fem* Long. 1 lin. Affinis *A. meanti*, paullo minor et magis obscura. Nigricans tota; geniculis summis pallidis. Hypostoma minime descendens, argentea. Frons non prominula cinerea, vitta fusca. Seta antennarum brevissime pubescens. Oculi oblongi, sat late distantes. Abdomen oblongum subnitidum. Alae distincte metallice nitent, basi, squama parva halteribusque albidis. Similis quoque *A. genarum.*

*Obs.* *Musca flavicornis* FALL. in Lapponia hactenus non est inventa.

B) Species pallescentes, saltem abdomine rufo aut testaceo, thorace saepe vel toto, vel ad partem obscuro.

* Seta antennarum plumata.

a) Oculi in utroque sexu distantes. (*Coenosia* MEIG.)

**156. A. Fungorum:** oblonga testacea, thorace cinereo obsolete fusco-quadrilineato, macula humerali scutellique apice rufis, antennis, palpis tarsisque nigris, macula frontali fulva, alis hyalinis, nervo transv. ord. sursum flexo, non infuscato, squama albida. ♂♀.

*Musca fungorum* DE GEER Ins. 6. 89. 18. Tab. 5. f. 5. 6. FALL. Dipt. Sv. Musc. 89. 121. ♂♀. *Coenosia fungorum* MEIG. Dipt. 5. 211. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; larva in fungis, pupa in terra degit. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Caput albo-micans, vitta frontali nigra, utrinque ex orbita oculorum albo-cincta, macula supra antennas fulva. Antennae magis vel minus distincte plumatae. Oculi nudi, in utroque sexu remoti, in ♂ tamen propiores. Nuper exclusa tota pubescens.

*Obs.* *Cordyluram pallidam* olim ut *Anthomyzam* consideravi et ad hanc subdivisionem retuli, nunc generi *Cordylurae* forte rectius associandam putavi.

b) Oculi in ♂ cohaerentes.

*Obs.* *Musca pallida* et *scutellaris* FALL. ut et *Anthomyza Populi* MEIG. in Suecia inferiori passim, in Lapponia non observatae.

** Seta antennarum subplumata s. pubescens

**157. A. mollicula:** oculis nudis in utroque sexu remotis cinerea, abdomine vel toto vel basi, alis, squama pedibusque albidis, nervo alarum transverso ordinario recto non infuscato. ♂♀.

*Musca mollicula* FALL. Dipt. Sv. Musc. 90. 126. ♂♀. (Haec species distincta inter *Coenosias* apud MEIGEN omnino desideratur.)

Hab. in Lapponia rarius; in adjacenti Botnia et Angermannia, ex. gr. ad Hernösand mens. Aug. frequentius, saltem femina. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Parva, circiter 1—1¼ lin. long. angusta, subcylindrica. Caput et thorax cinerea. Palpi et pedes alba, tarsis nigris. Oculi non late remoti, vitta frontali fusca. *Mas:* antennae elongatae, albidae. Abdomen subcylindricum albo-subpellucidum. *Femina:* Antennae minus elongatae, nigricantes. Abdomen oblongum albidum, apice saepe fuscum.

*Obs.* *Musca curvipes* FALL. in Lapponia vix occurrit. — *Anthom. flavipes* FALL. et mihi sub No. 137 inveniunda.

*** Seta antennarum nudiuscula aut nuda.

**158. A. bicolor:** oblonga cinerea, abdomine immaculato pedibusque testaceis, antennis tarsisque nigris, palpis flavis, alarum nervo transverso ord. recto, fronte subprominula; oculis ♂ non arcte cohaerentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 185. 177. (forte, sed Cl. auctoris *A. bicolorem*, *mitem* aliasque affines, ob notas insufficientes inter se certe distinguere non valeo). *Musca bicolor* FALL. Dipt. Sv. Musc. 91. 128. certissime. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; ♀ ad Barrsele Lappon. Umensis, et ad Björkvik Nordlandiae, 1—14. Jul. vidi. (Lappon-Scan. tota aestate freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½—3 lin. Caput albo-cinereum, vitta frontali atra. Oculi nudi, in ♂ sat approximati, non vero cohaerentes; in ♀ mediocriter remoti. Antennae sat latae, fusco-nigrae, basi fusco-rufescentes, seta nuda. Palpi flavi. Thorax caesius, lineis tenuissimis obsoletis fuscis. Abdomen testaceum, in ♂ lineare subdepressum, ano appendicibus 2 testaceis suffulto; in ♀ oblongo-conicum. Alae hyalinae, basi pallidiores, squama parva albida. Halteres testacei. Pedes flavo-testacei, tarsis nigris. Femora antica in ♂ saepe extus nigricantes.

**159. A. nigritarsis:** oblonga cinerea, abdomine immaculato pedibusque testaceis, antennis atris, basi rufis, palpis tarsisque nigris, alarum nervo transv. ord. recto, fronte subprominula; oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; in silva ad Wilhelmina Lapponiae Umensis ut et in alpium Tornensium jugo, 12—15. Jul. inventa. (Lapponia; Westrogoth., Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—2½ lin. Similis *A. rufipedi* et *flavipedi* (No. 136 et 137), ab illa antennarum basi rufa, ab hac palpis nigris, et ab utraque colore thoracis cinereo, nec nigricante, et abdomine pedibusque laetius testaceis differt. A priori, cui adhuc magis similis, distinguitur antennarum palporumque colore ut et antennis paullo brevioribus et latioribus. Caput subtestaceum, albo-corneum, hypostomate brevi, apice reflexo, fronte acute, sed non longe prominula. Seta nuda. Oculi rufi nudi. Palpi nigri, basi testacei. Thorax vix fusco-lineatus. Abdomen, alae, squama, halteres et pedes omnino ut in praecedente.

**160. A. ochreata**: oblonga grisea, abdomine ovato immaculato pedibusque testaceis, antennis totis, palpis tarsisque nigris; alarum nervo transv. ord. recto. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele semel capta. (Lappon.)

*Fem.* Long. 2¼ lin. Simillima priori, nec differt nisi antennis totis nigris, capite thoraceque griseis, abdomine magis ovato, et fronte minime prominula. Vitta frontalis fusca.

**161. A. limbatella**: oblonga sordide testacea, antennarum articulo ultimo, palporum apice tarsisque nigris, thoracis disco fusco, alarum nervo transv. ord. recto; maris oculis arcte cohaerentibus abdomineque depresso lineari. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi haud frequens, in paludosis ad Stensele et Wilhelmina 3—14. Jul. capta; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae et in silva betulina ad Evenäs et Hacksten 15—22. Jul. lecta. (Lapponia; Gottland. ♂ rariss.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et summa *A. nigritarsis* similitudo, sed differt antennis paullo longioribus scutelloque in utroque sexu et thoracis limbo in ♀ testaceis. Caput ut in priori constructum, rufo-testaceo-corneum, macula verticis in ♀ fusca. Oculi nudi, in ♂ arctissime cohaerentes. Antennae mediocres nigrae, basi praesertim in ♀ rufae; seta nuda. Thorax in ♂ totus obscure griseus, in ♀ testaceus, disco supra tantum griseo. Scutellum testaceum. Abdomen testaceum, in ♀ oblongo-ovatum immaculatum, in ♂ lineare, apice subinfuscatum. Alae, squama, halteres et pedes ut in *A. nigritarsi*; femoribus apice saepe infuscatis.

**162. A. flavo-scutellata**: oblonga nigro-fusca, antennarum basi, palpis, scutello pedibusque sordide flavis, tarsis nigris, nervo transv. ord. recto; oculis ♂ arcte cohaerentibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rar.; ad Juckasjervi et lacum Torneträsk 29. Jun. — 8. Jul. capta. (Lappon. boreal.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo prioris eique simillima, colore corporis obscuriore, thorace in ♀ toto concolore, ut et palpis in utroque sexu flavis distincta. Caput ut in priori omnino. Antennae fuscae, basi rufae.

**163. A. zonata**: oblonga testacea, antennarum articulo ultimo, palporum apice, abdominis incisuris tarsisque nigris, thoracis disco fusco; nervo transv. ord. recto. ♀.

Hab. in Lappon. Umensi rarissime; in umbrosis ad Wilhelmina 21. Jul. lecta. (Lappon.)

*Fem.* Magnitudo et similitudo *A. limbatellae* omnino, nec differt ab illa nisi incisuris abdominis nigris. Oculi laete ferruginei.

**164. A. vittigera**: oblonga testacea, antennarum articulo ultimo, thoracis vitta media, abdominis incisuris tarsisque nigris, alarum nervo transv. ord. recto. ♀.

Hab. in Lapponia passim, scilicet ad Åsele Lappon. Umensis 26. Jul., ad Kihlangi Lappon. Tornensis 24. Aug., ut et inter Alten et Kautokeino Finmarkiae 10—13. Jul. (Lapp.-Ostrog. Scan. pass.)

*Fem.* A priori, cui simillima, non differt nisi palpis totis flavis, et thoracis vitta angustiori nigricante. Antennarum articulus ultimus fuscus. Alarum squama et halteres pallida. *Mas:* oculis cohaerentibus, abdomine depresso, lineari, a D. Fåhraeo missus. Var. b. ♀. thoracis vitta abdominisque incisuris tenuissimis, fuscis obsoletis. E Lapp. Torneus. D. Deutsch.

**165. A. tenera**: oblonga fusca, antennis, palporum summo apice, abdominis incisuris, femorum apice tarsisque nigricantibus, abdomine obscure testaceo, pedibus flavicantibus, nervo transv. ord. recto; maris abdomine depresso lineari, oculis arcte cohaerentibus. ♂♀.

Hab. in Lappon. Umensi rarissime; ♂ ad Novaccolum Naestansjö d. 13. Jul. et ♀ in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 1. Aug. capti. (Lappon. meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Angusta et mollis. Tota fusca, abdomine parum dilutiori. Oculi nudi. Antennae mediocres, seta nuda. Hypostoma rufescens. Palpi flavi, apice nigri. Alae et squama parva, infuscatae. Halteres flavi. Pedes testacei, femoribus apice fuscis. Tarsi nigri. *Mas:* Oculi magni, arctissime cohaerentes. Antennae fusco-nigrae. *Femina:* Oculi remoti, vitta frontali nigra. Antennae nigrae, earum basi et regione media late, fulvescentibus.

**166. A. ruficeps**: oblonga grisea, capite rufo, abdomine pedibusque rufo-testaceis, antennis, palpis, incisuris, tarsisque, nigris; alarum nervo transv. ord. recto. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad lacum Wojmsjoen d. 11. Jul. semel capta. (Lapp. merid.)

*Fem.* Long. 3 lin. Caput rotundatum, rufo-ferrugineum, fronte non prominula. Antennae mediocriter longae, sat latae. Vertex et palpi, nigri. Seta nuda. Oculi remoti, nudi. Thorax lineis 3 angustis obsoletis laete brunneis. Abdomen ovatum acutum ferrugineum, incisuris nigris. Alae et squama subinfuscatae. Halteres flavi. Pedes rufi, tarsis nigris.

**167. A. hians**: oblonga nigro-fusca, abdomine pedibusque rufo-ferrugineis, antennis, palpis, abdominis incisuris tarsisque nigris, alarum nervo transv. ord. subrecto. ♀.

Hab. in Lapponia Kemensi et ad Muonioniska Lappon. Tornensis d. 17—30. Aug. rarius. (Lappon.)

*Fem.* Long. 3 lin. Tota fusca obscura. Caput nigricans, fronte et hypostomate minime descendente, oreque lato, concoloribus, apertura magna. Antennae mediocres, seta nuda. Oculi mediocriter remoti, nudi. Macula supra antennas interdum parva rufescens. Palpi retracti. Abdomen ovatum acutum. Alae subinfuscatae. Squama sordide albida. Halteres flavi.

**168. A. varians**: oblonga flava, thoracis dorso testaceo, antennarum articulo ultimo tarsisque nigris, alarum nervo transv. ord. recto. ♀.

Var. a. ♀. tota flava, fronte thoracisque disco testaceis, antennarum articulo ultimo tarsisque nigris. Long. 3—3¼ lin.

Var. b. ♀. flava, thoracis dorso testaceo, antennarum articulo ultimo, vitta frontali lata tarsisque nigris, abdominis apice subinfuscato. Long. 4 lin.

Var. c. ♀. similis var. b., abdomine toto nigro, basi tantum flavo. Long. 4¼ lin.

Hab. in Lapponia passim; var. a. in silva ad Stensele Lapp. Umensis d. 4. Jul., nec non in silva betulina ad Evenäs Nordlandiae d. 15. Jul. capta; var. b. tantum ad Haparanda prope Tornoam, 1. Sept.; et var. c. in Paroecia Fredrica Lapponiae Umensis d. 29. Jul., lectae. (Lapponia.)

*Fem.* Colore et magnitudine varians ut in diagnosibus indicatum. Oblonga. Caput dense et rigide setosum flavicans, albo-micans. Oculi mediocriter remoti, nudi brunnei, orbita faciali albida. Antennae elongatae nigrae, basi testaceae. Seta subpubescens. Palpi flavi. Thoracis dorsum certo situ lineis albomicantibus. Alae hyalinae, basi squama halteribusque flavicantibus. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* Species Fallenianae: *Musca inanis*, *flaveola*, *diaphana*, *transversa* et *mutata* in Suecia inferiori plus minus frequenter obviae, in Lapponia a me non observatae.

## 84. Leptopa. Zett.

*Corpus* parvum, valde angustatum tenerum setulosum. Antennae deflexae brevissimae, apice rotundatae, seta dorsali capillari subnuda biarticulata, articulis 1mo brevissimo, 2do infima basi tantum incrassato. Oculi unicolores, oblongi nudi, in utroque sexu remoti. Frons parum prominula. Hypostoma vix infra oculos descendens. Setae oris mystacinae, plures in angulo exserto foliaceo quasi ciliatim locatae. Palpi retracti parvi simplices. Alae ut in *Anthomyza*, at nervi transversus ordinarius paullo propius ad marginem alae retractus, et auxiliaris non ad medium costae extensus, paullo ante nervum transversum medium cessans. Abdomen ut mihi videtur 4-annulatum. Pedes tenues simplices spinulosi. *Color* pallidus. *Motus Anthomyzae. Habitatio* in betuletis, per partem inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas:* oculis in fronte paullo propioribus, abdomine angustissimo filiformi, ano obtuso; *femina:* oculis mediocriter remotis, abdomine lanceolato, ano acutiori. (Spec. Scand. 1 nostra, *Anthomyzae* et imprimis *Coenosiae* Meig. affinis, structura antennarum setae, lamina in qua mystaces sunt locatae, ut et pedibus gracilioribus corporeque angustato, praesertim distincta. A *Lispa* palpis minoribus simplicibus, et a *Cordylura* oculis oblongis, mox differt.)

**1. L. filiformis**: tota pallide flava, oculis, puncto stemmatum, tarsisque nigricantibus. ♂♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae passim; in silva betulina ad Evenäs et Björkvik d. 14—15. Jul. in copula capta. (Lapponiae Norvegicae forte propria.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Angusta subcylindrica, tota flava, setis mystaciuis et corporis atris. Caput rotundatum s. fere paullo longius quam latum, albido-corneum. Setae in sinu oris inferiori paucae. Vibrissae nullae. Antennae hypostomate multo breviores, albidae, seta basi pallida. Oculi oblongi, in viva brunnei. Vertex puncto stemmatum fusco. Abdomen in ♂ saepe dorso subinfuscatum. Alae, squama parva halteresque, pallida. Pedes elongati pallidi, tarsis fuscioribus. Frons in ♂ angusta.

---

†† (Muscidum.) Palpi dilatati, cochleariformes.

## 85. Lispa. Latr.

Fall. *Lispe* Meig. Dipt. Eur. gen. 162. *Musca* de Geer.

*Corpus* medium oblongum pubescens et setosum. Antennae deflexae, articulo ultimo elongato, apice subobtuso, seta dorsali plumata. Oculi exserti, in utroque sexu remoti, nudi, juxta antennas angulati. Palpi exserti, basi tenues, apice dilatati, cochleariformes. Abdomen 4-annulatum. Alae ut in *Anthomyza* etiam quoad directionem nervorum. Pedes simplices. *Color* niger. *Motus* celer; lateraliter currit, interdum retrograda. *Habitatio* ad aquas, ad littora et ripas lacuum stagnorumque, lapidibus saepe insidens; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Larvae* aquaticae. *Differentia sexus* a structura ani aegre investigatur, ea enim in utroque sexu externe fere similis; per comparationem autem *mares* abdomine angustiore ut et oculis propioribus etc. a *feminis* discrepant. (Spec. Scand. 5, palpis dilatatis, antennis plumatis, oculis exsertis, remotis oblongis, in facie angulatis, et squama sub alis magna, distinctae.)

**1. L. tentaculata:** nigricans opaca, abdomine supra maculis subtrigonis albis, palpis flavis albo-micantibus. ♂♀.

*Mas*: maculis abdominis albidioribus distinctis, articulis tarsorum anticorum 2, 3 et 4 testaceis, primo secundo breviori, apice spina terminato.

*Fem.*: maculis abdominis cinereis obsoletioribus, tarsis anticis nigris, articulo primo secundo longiori; in copula.

Hab. ad ripas fluminum Lapponiae passim; ad ÖfverTorneå, Wittangi et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, ut et ad lacum Wojmsjoen Lapponiae Umensis d. 10. Maj. — 12. Jul. frequentiorem vidi; in Nordlandiae inferalpinis maritimis, ex. gr. ad Björkvik d. 14. Jul. quoque capta. Larvae in stagnis, etiam in stercore humano degunt, teste Bouché. Status nymphae 3 hebdomad. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—3½ lin. Nigricans. Hypostoma nigrum flavicanti sericeum. Vibrissae nullae. Alae hyalinae, nervo transverso ordinario recto. Squama alba. Halteres parvi, tecti, sordide testacei.

*Obs.* Species Fallenianae: *Lispa uliginosa, litorea, hydromyzina*, et *pygmaea* in Sueciae meridionalis littoribus marinis rarius versantur, in Lapponia frustra quaeruntur.

---

b) (Proboscideorum). Oculi rotundi (in *Dolichopodibus* oblongi, at os mystacibus in his destitutum). Squama sub alis parva.

° Palpi dilatati.

## FAM. 22. DOLICHOPODES. Fall. Meig. (*Dolichopodii* Wied.).

Antennae porrectae, seta nudiuscula. Palpi dilatati. Oculi oblongi, maximi, virides aut purpurei. Ocelli in vertice. Corpus cylindricum. Abdomen 6-annulatum. Alarum nervi, transversus medius ad basin alae retractus, secundarius ad basin costae nullus. Pedes tenues elongati. Corpus colore metallico pulchre saepe resplendens, pube tenuissima interdum vestitum pro natatione idonea. Larvae terrestres.

---

## 86. Hydrophorus.*) Fall.

Fall. Dolichopodes Diss. Acad. 1823. p. 2. Latr. Macq. *Dolichopus* Fabr. Wied. *Musca* Panz. *Medeterus* Meig. Dipt. Eur. gen. 128. Fisch. Macq.

*Corpus* mediae magnitudinis aut parvum. Antennae breves, articulo ultimo brevi subovato compresso, seta dorsali aut subapicali, nuda deflexa. Oculi remoti, pube brevissima saepe vestiti. Abdomen rectum, maris apice bifilatum. Alarum nervi longitudinales simplices, 4tus paullo curvatus, in summo fere apice alae cum nervo costali conjunctus. Nervus transv. ord. propius ad marginem interiorem alae retractus. *Color* aenescens. *Motu* agilis. *Habitatio* aut ad aquas, supra quas saepe celeriter currit (unde nomen generis a Fall. datum, ut ipsum dicere audivi), aut in parietibus et truncis, in quibus corpore erecto tranquillus sedet; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas*: ano filis 2 appendiculato, et hypostomate angustiore; *femina*: ano simplici mox detegitur. (Spec. Scand. 14, antennis brevibus, seta dorsali, in minoribus subterminali, alarum nervo transvers. ord. fere ad marginem alae retracto, et ano ♂ bifilato aut bicorniculato, facile a sequentibus dignotae.)

* Seta antennarum distincte dorsalis (Majores). *Medeterus* Macq.

**1. H. regius:** pallide virescens, thoracis lineis 4, abdominisque incisuris purpureo-nigris, alis hyalinis, puncto discoidali fusco. ♂♀.

*Mas:* puncto in apice alarum albissimo, fusco-cincto;

*Femina:* alis praeter punctum discoidale ad nervum 4tum, immaculatis.

Fall. Dolichop. 2. 1. ♂♀. *Dolichopus regius* Fabr. Antl. 267. 5. ♀. *Medeterus regius* Meig. Dipt. 4. 60. 1. ♂♀. *Musca virens* Panz. Fn. 54. t. 16.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lapponia; in parietibus ad Mo-Myskie Helsingiae, D. Boheman; Ostrogothia, Scania, passim frequenter, d. 24. Apr. — 15. Sept. ut videtur duas generationes quotannis proferens.)

*Mas* et *Fem.* Maximus nostratum hujus generis, fere familiae, 3—4 lin. longus. Antennae nigrae. Hypostoma virescens, inferne canescens. Thoracis lineae 2 mediae approximatae integrae, et 2 laterales interruptae. Abdominis latera maculis albo-micantibus. Halteres testacei. Genitale maris breve inflexum, filis 2 longis appendiculatum.

**2. H. bipunctatus:** cinerascens, supra olivaceo-viridis, pedibus virescentibus, antennis nigris, alis cinereo-hyalinis, punctis 2 fuscis. ♂♀.

*Mas:* hypostomate flavo aut cinereo, sub antennis viridi, ano subtus corniculato, abdominis segmento ventrali 4to apice subelevato;

*Fem.*: hypostomate flavo-grisescente, abdomine simplici; in copula.

*Dolichopus bipunctatus* Lehmann Dissert. 41. *Medeterus bipunctatus* Meig. Dipt. 4. 63. 7. ♂♀. *Hydrophor. binotatus* Fall. Dolich. 3. 2. ♂♀. (exclus. syn. Fabr. teste D. Meig.)

Hab. ad ripas fluminum Lapponiae frequenter, ex. gr. ad Wittangi et Juckasjervi, Lappon. Tornensis, et ad Lycksele et Åsele, Lappon. Umensis, d. 12. Maj. — 7. Aug. et d. 1. Jun. in copula, visa; adscendit quoque in alpes et in alpibus ad lacum insignem Torneträsk d. 16. Jul. lecta; descendit iterum in inferalpinas maritimas Nordlandiae et Finmarkiae, et in paludosis ad Giebostad, Bossekop et Skaaddavaara mense Aug. haud infrequenter obvia; in alpe Dowre a D. Boheman quoque capta. (Lapp.-Botnia-Scania frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—2½ lin. Cinerascens. Supra obscure olivaceus, thorace subvittato. Antennarum articulus ultimus breviter ovatus. Alae vix infuscatae. Punctum nigricans in nervo 4to longitud., et ante hoc punctum, alterum in nervo transverso ordinario. Halteres lividi. Pedes obscure aenescentes. Specimina lapponica a suecicis colore paullo discrepant, ut ex comparatione patet.

Var. b. ♂ pectore, abdomine pedibusque virescentibus, alias var. a similis. Ad Torneå meos. Majo, et iterum inter Karesuando et Kautokeino d. 13—15 Aug. lectus.

**3 H. litoreus**: cinerascens, supra olivaceo-viridis, pedibus virescentibus, antennis nigris, alis cinereo-hyalinis impunctatis. ♂♀.

*Mas*: hypostomate aureo-viridi, inferne subflavescente aut cano, ano et abdomine ut in *H. bipunctato*;

---

* Nomen *Hydroporus*, quo D. Latr. genus in Hydrocantharum Familia inter Coleoptera designavit, non impedit, quominus nomen receptum *Hydrophorum* pro genere quodam Dolichopodum retinere etiam possis.

*Fem.*: paullo major, hypostomate cano aut griseo, ano simplici; in copula.

Fall. Dipt. Sv. Dolich. 3. 3. ♂♀. *Medeter. balticus* Meig. Dipt. 4. 66. 12. ♂. *Medeter. aquaticus* Meig. Dipt. 4. 66. 13. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi passim; in floribus Salicis ad Karungi jam d. 27. Maj. in copula captus; etiam in littore maris ad Schiervoe Nordlandiae d. 27. Jul. haud infrequenter. (Lapponia; Botnia ad Luleå ♀ d. 8. Maj. - Dalekarlia-Scania tota aestate freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ 2 lin. Priori simillimus, nec differt ab illo praeter alas immaculatas.

**4. H. notatus**: obscurus aeneus, thorace lineato, alis cinereo-hyalinis, juxta nervos infuscatis, basi albescentibus, disco fusco-bipunctatis, antennis nigris, pedibus anticis spinulosis. ♂♀.

*Mas.* Hypostoma flavescens. Pedes antici breves, femoribus crassis subtus spinosis, tibiis inaequalibus intus spinulosis et apice dente valido armatis; intermedii elongati, tibiis intus longe spinulosis et fasciculo pilorum contortorum ante apicem; anus appendicibus 2 membranaceis, curvatis albo-flavis, intus fimbriatis.

*Femina.* Hypostoma canescens. Pedes antici ut in ♂, at tibiae ante apicem dente nullo; intermedii elongati, at spinulis longioribus et fasciculo pilorum ante apicem nullis. Anus simplex.

*Dolichopus notatus* Fabr. Antl. 269. 10. (teste Meig.). *Medeterus notatus* Meig. Dipt. 4. 62 6. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. Dolichop. 43. 3. ♂♀. *Hydrophorus armiger* Fall. Dipt. Sv. Dolichop. 4. 5. certiss. ♂.

Hab. in Lapponia passim; scilicet in paludosis graminosis, in Comaro palustri, in Equisetis etc. ad Palojoensuu et Karesuando, Lapponiae Tornensis, ad Stensele et Lycksele, Lapp. Umensis, ut et in inferalpinis Nordlandiae Finmarkiaeque, ex. gr. ad Giebostad, Talvig et Bossekop, dieb. 1. Jun. — 17. Aug. a me capta. In alpe Dowre utrumque sexum etiam legit D. Boheman. (Lapp.-Ostrogoth.; Gottland., Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2^{1}$ lin. Antennarum articulus primus longitudine reliquorum. Thoracis lineae 2 mediae approximatae tenuissimae nigrae. Pectus cinerascens. Abdomen laeviusculum nitidum aenescens, interdum cupreum. Alarum puncta ut in *Hydrophor. bipunctato*. Oculi ♂ in vivo pulchre virides, macula purpurea in cantho superiori. — Species valde singularis.

*Obs.* Specimina lapponica magnitudine paullo minori, alis fere totis nigricantibus, basi et margine interiori albidis, ut et squamis analibus ♂ tenuioribus albidioribus differunt ab Ostrogothicis et Scanensibus, quae paullo majora (fere 3 lin. long.), alis albidis, nervis tantum et fere usque ad basin nigro-obumbratis, ut et squamis analibus in ♂ paullo latioribus flavicantibus, intus vix fimbriatis, gaudent; in ceteris vero omnibus simillima, vix diversa.

**5. H. nebulosus**: obscure aeneus, antennis nigris, alis fusco-multipunctatis. ♂♀.

*Mas:* abdomine brevi, ano subtus corniculis 2.

*Fem.:* abdomine paullo longiori, ano simplici; in copula.

Fall. Dipt. Sv. Dolich. 3. 4. ♂♀. Macq. Ins. Dipt. Gall. Dolich. 38. 3. ♂. *Medeter. nebulos.* Meig. Dipt. 4. 68. 19.

Hab. in ripis ad aquas stagnantes, supra quas etiam natat, ad Wittangi et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, d. 14 - 25. Jun. passim, in copula captus. In Dowre a D. Boheman lectus. (Lappon.; Botnia occid. ad Loefanger d. 4. Maj.; Dalekarlia; Ostrog. Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Parvus, $1 - 1\frac{1}{4}$ lin. long. Fuscus. Antennae breviusculae, seta brevi. Hypostoma in ♂ flavescens, in ♀ cinerascens aut grisescens. Thorax obsolete subvittatus. Pectus cinerascens. Alae nigro-nervosae, punctis interstitiorum praesertim ad costam plurimis fuscis subquadratis. Nervus transv. ord. paullo a margine alae distat. Halteres lividi. Femora antica incrassata, subtus spinulosa.

** Seta antennarum subapicalis. Anus masculorum saepe longe inflexus (appendice 4-filato, secund. Macq.). Minores. *Hydrophorus* Macq.

**6. H. obscurus**: cinerascens, thorace fusco-vittato, antennarum basi testacea, capite pedibusque nigris, hypostomate inferne macula cyanea nitidissima, abdomine obscure aeneo, alis hyalinis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi et ad Bossekop Finmarkiae, mens. Aug. rarissime lectus. (Lapponia; Dalekarlia; Ostrogothia, Scania rar.)

*Fem.* Long. 2 lin. Similis *H. rostrato* Fall., sed paullo robustior, obscurior, antennarum articulo 1mo testaceo et pedibus totis nigris praesertim distinctus. Caput nigrum, ore magno saccato. Antennae brevissimae, articulo ultimo rotundato, seta terminali capillari. Oculi in vivo aenescentes, macula in cantho superiori violacea. Thorax cinereus, vittis 3 laete brunneis obsoletis. Abdomen nigro-aeneum nitidum. Alae hyalinae immaculatae. Halteres pallidi. Pedes simplices.

**7. H. jaculus**: dilute cinereus, hypostomate albido, thorace vittis 3 virescentibus, antennis pedibusque nigris, geniculis pallidis, alis hyalinis. ♂♀.

*Mas:* ano longe inflexo nigro, filis nigris.

*Fem.:* ano acuto simplici; in copula.

Fall. Dipt. Sv. Dolichop. 5. 7. var. a. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. Dolich. 37. 1. ♂♀. T. 1. f. 6. *Medeterus* Meig. Dipt. 4. 66. 14.

Hab. in Lapponiae sepibus et truncis rar. (Lapp.-Ostrog. freq. Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. vix ultra 1 lin. Affinis priori, minor. Antennae breves. Os saccatum. Hypostoma in fundo pallide virescens, albo micans. Alae albo-hyalinae immaculatae. Halteres pallidi. Pedes simplices nigri, geniculis summis flavis.

Var. b. ♀. duplo minor, pedibus lividis, femoribus fere ad apicem infuscatis. Johannis Ro 2. Sept.

**8. H. truncorum**: cinereus, hypostomate concolore, inferne viridi, thorace vittis 3 virescentibus, antennis pedibusque nigris, geniculis pallidis, alis hyalinis. ♂♀.

*Medeterus truncorum* Meig. Dipt. 4. 67. 15. Sub *Hydrophori jaculi* varietate Fall. latet etiam.

Hab. in truncis arborum Lapponiae Umensis, ex. gr. ad Lycksele rar.; in Angermannia ad Hernösand d. 30. Aug. frequentiorem vidi. (Lappon.-Suecia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Priori simillimus, nec ab illo distinguere possum nisi nota levissima, hypostomate scilicet inferne magis viridi. In ceteris similis.

**9. H. tristis**: obscure cinerascens, hypostomate virescente, antennis pedibusque totis nigris, alis hyalinis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in truncis cariosis arborum Pini ad Lycksele, Umenaes et in Stoettingsfjellet d. 2. Jun. — 1. Aug., in copula captus. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Similis *H. jaculo*, hypostomate viridi et pedibus totis nigricantibus fere unice distinctus. Oculi in vivo aeneo-virides. Thorax obsolete viridi-vittatus. — A *Medet. nigricante* Meig. 4. 67. 16. pedibus nigris diversus etiam videtur.

**10. H. muralis**: canus, hypostomate, antennis pedibusque totis nigris aut fuscis, abdomine obscure aeneo, alis hyalinis. ♂♀.

*Medeterus muralis* Meig. Dipt. 4. 62. 5.

Hab. in Lapponia passim; in paludosis et in truncis exsiccatis Pini ad Lycksele, Umenaes et Fredrica, Lapponiae Umensis, nec non ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, d. 1. Jun. — 30. Jul. haud infrequenter captus; ad Björkvik Nordlandiae quoque rarius lectus. (Lapponia Suecia.)

*Mas* et *Fem.* Minutus, circiter $\frac{3}{4}$ lin. long. Simillimus *H. tristi*, paullo minor, capite toto cum hypostomate nigro, et thorace cano immaculato, distinctus. Oculi in vivo brunnei. Pedes subnudi, fusco-nigricantes.

Var. b. ♀. Oculi rufo-brunnei. Thorax et abdomen glauco-viridia, alias var. a. simillimus. Ad Bossekop Finmarkiae 2 specimina supra petra currentia 4. Aug. capta.

*Obs.* *Hydrophorus rostratus* Fall. Dolich. 4. 6. ♂♀. griseo-aenescens, hypostomate viridi, pedibus pallidis, 2 lineas longus et *H. jaculo* affinis, in Suecia frequens, in Lapponia forte etiam occurrit, mihi vero ibi non obvius. — *Dolichopus scambus* et *curvipes* Fall. ad genus *Medeterum* a D. Meigen relati, in *Dolichopode*, ob directionem nervi transv. ordin., qui fere in disco alae est situs, rectius sunt quaerendi.

## 87. Rhaphium. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 123. Macq. *Hydrochus**) Fall. *Porphyropis* species Meig.

*Corpus* minoris magnitudinis, nitidum. Antennae elongatae, articulo ultimo aut longissimo aut oblongo-conico, in feminis rarius brevi ovato, seta semper terminali deflexa. Oculi pube brevissima vestiti, in fronte infra antennas in ♂ plerumque fuscanae, nervis longitudinaliter simplicibus, 4to interdum curvato in summo apice alae desinente. Nervus transv. ord. fere in medio disci situs. Pedes (in nostris) simplices. *Color* aenescens. *Motu* agilis, inquietus. *Habitatio*

*) *Hydrochus* est etiam Coleopterorum genus apud Germar. Cfr. Dej. Catalogus p. 50, ergo in Dipterologia rejiciendum.

in graminosis et foliis fruticum, saepe in vicinitate aquae; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus*; *mas:* abdomine apice subtus bifilato, ore non descendente; a *femina:* abdomine simplici, ore saepe descendente facile dignoscitur. Spec. Scand. 13, antennis elongatis, seta terminali, oculis disjunctis, nervo alar. transv. ord. in medio alae sito, ut et ano maris bifilato oreque feminae longe descendente, dignoscendae.)

° Antennae longissimae, saltem in masculis. *Rhaphium* Meig. Macq.

**1. R. longicorne:** aeneum nitidum, hypostomate albo, fronte cyanea, alis fuscanis, antennis pedibusque nigris. ♂♀.

*Mas:* antennis longitudine fere abdominis, hypostomate angustato, infra oculos non descendente, nervo transverso ordinario non infuscato.

*Fem.:* antennis abdomine paullo brevioribus, hypostomate latiore, infra oculos distincte descendente, nervo transverso ordinario fuscedine cincto.

Meig. Dipt. 4. 28. 1. Macq. Dipt. Gall. Dolich. 51. 1. ♂♀. *Hydrochus longicornis* Fall. Dipt. Sv. 5. 1. ♂. (♀ antennis mutilatis.)

Hab. in Lapponia rar.; ad Giebostad et Schiervoe Nordlandiae utrumque sexum d. 22—28. Jul. et in paludosis in Stoettingsfjellet Lapp. Umensis ♀. d. 1. Aug. legi. (Lappon.-Dalekarlia-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Oculi in vivo aenei. Supra aeneum nitidum, subtus cinerasceus. Antennae pedesque atra. Alarum nervi tenues, 4tus longitudinalis parum curvatus. Halteres flavi.

**2. R. caliginosum:** olivaceum, hypostomate albicante, fronte cyanea, alis fuscanis, antennis atris, pedibus flavis, posticorum femorum apice tibiisque, tarsisq. omnibus nigris. ♂♀.

*Mas:* antennar. articulo ultimo longitudine fere thoracis, sat crasso compresso, stylo apicali brevi. Os non descendens. Anus filis 2 brevibus nigris;

*Fem.:* antennarum articulo ultimo longitudine dimidii thoracis, conico, stylo elongato. Os infra oculos descendens. Anus muticus. In copula.

Meig. Dipt. 4. 29. 4. ♂. *Hydrochus laticornis* Fall. Dolichop. 6. 3. var. c. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; in paludosis ad Umenaes Lappon. Umensis, nec non in Gamsttind et Schiervoe Nordlandiae, 9 Jul. — 1 Aug., in copula captum. (Lapp.-Dalekarlia-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Parvum, vix ultra 1 lin. long. Obscure aenescens. Hypostoma canum. Pectus cinerasceus. Abdomen aeneum nitidum. Nervus alar. 4tus parum curvatus. Halteres flavi. Pedum pictura nigra in ♀ saepe minus determinata, quam in ♂. Oculi in ♀ viva brunnei.

**3. R. fasciatum:** obscure aeneum nitidum, hypostomate albicante, fronte cyanea, antennis atris, alis fuscanis, abdominis segmento 2do 3tioque pedibusque flavis, tarsis fuscis. ♂.

Macq. Dipt. 4. 31. 9. T. 34. f. 5. ♂.

Hab. in graminosis loco paludoso inter Hammer et Vordahl Norvegiae, a D. Boheman d. 10. Jun. 1832 inventum. (Lappon. Norvegica.)

*Mas.* Minutum, vix 1 lin. long. Tenerum. Caput, thorax et alae omnino ut in priori. Abdominis segmenta 2 et 3 flavo-pellucido-fasciata. Appendices ani breves. Halteres et pedes toti flavi, tarsis solum leviter infuscatis.

*Obs. Hydrochus laticornis* var. a Fall. nec non *Rhaph. macrocerum* Meig. (Hydr. laticornis v. b. Fall.) in Lapponia a me non sunt observati. — *Hydr. tarsatus* Fall. antennar. articulo ultimo elongato, seta dorsali, sed mox ante apicem inserta, in *Dolichopode* quaerendus.

°° Antennae elongatae, articulo ultimo in utroque sexu conico, in ♀ interdum subovato brevi, seta brevissime subpubescente. *Porphyrops* Meig. Macq.

**4. R. elegantulum:** viridi-aureum nitidum, fronte aenea, hypostomate albicante, antennis atris, pedibus flavis, tibiis posticis apice tarsisque omnibus nigris, segmento ultimo abdominis in ♂ chalybeo. ♂♀.

*Mas:* Os non descendens. Abdomen segmento 6to toto cyaneo, ano inflexo, stylis 2 apicalibus nigris, et filis 2 flavis pilosis in medio latioribus armato. Femora postica apice nigra.

*Fem.:* Os descendens. Abdomen paullo brevius et latius, cupreo-maculatum, segmento ultimo concolore, nec cyaneo, ano obtuso depresso simplici. Femora postica tota flava.

*Porphyrops elegantulus* Meig. Dipt. 4. 51. 12. ♂. Macq. Dipt. Gall. Dolich. 34. 13. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi rarius; in foliis Betulae juxta flumen Umense prope Lycksele-Avan et ad Stensele, nec non ad Åsele d. 20 Jun. — 25 Jul. pauca individua mascula inveni; ♀ rarissima. (Lapp.-Dalekarlia, Wermland., Ostrog., Smoland. Bohem., Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin., ♂ paullo longior. Totum viride, fulgidum, abdomine cupreo-fasciato. Antennae nigrae late conicae, seta elongata; in utroque sexu aequales. Oculi aeneo-virides unicolores, hirsutuli. Barba alba. Alae hyalinae, nervo 4to parum curvato. Halteres flavi. Pedes simplices. Sternum et coxae pedum cinerea.

**5. R. rufipes:** nitidum, thorace viridi, abdomine aeneo, fronte virescente, hypostomate albicante, antennis nigris, alis fuscanis, pedibus discoloribus. ♂♀.

*Mas.* Os non descendens. Antennar. articulus ultimus elongatus conicus. Anus inflexus, appendicibus 4 nigris, quarum 2 subsquamaeformes curvatae ciliatae et 2 filiformes breves; pedes nigri, antici tibiis tarsisque, et intermedii toti, flavi, articulo tarsorum ultimo dilatato atro;

*Fem.* Os descendens. Antennar. articulus ultimus brevis ovatus. Anus simplex. Pedes toti flavi, postici femoribus apice tarsisque nigricantibus; in copula.

*Porphyrops rufipes* Meig. Dipt. 4. 52. 14. ♀. *Porphyrops communis* Meig. l. c. 52. 13 vix hujus ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; inter Novaccula Tresunda et Naestansjö in paroecia Wilhelmina d. 13. Jul. 1832 in copula inventum; et altera vice unicum par ad Björkvik Nordlandiae d. 14. Jul. 1821 in copula junctum legi. (Lapponia —?)

*Mas* et *Fem.* Long 2—2½ lin. Simile priori, a quo ♂ colore pedum segmentique ultimi abdominis, ut et appendicibus analibus aliter constructis, et ♀ antennis brevioribus, differunt. Oculi in vivo cupreo-virides.

Var. b. ♂. Appendices caudales 2 elongatae flavescentes, apice furcatae ramo altero breviori. Femora anteriora apice flava. In ceteris var. a similis. Darlekarlia rar. Ad Naestansjoe et Lycksele, Lappon. Umensis, ut et in Gamsttind Nordlandiae, 23 Jun. —30 Jul. captum

**6. R. commune:** viridi-aeneum obscurum (♂) aut olivaceum (♀); fronte virescente, hypostomate albido, antennis nigris, alis fuscanis, pedibus discoloribus, filis analibus ♂ furcatis. ♂♀.

*Mas:* aureo-viridis. Antennae oblongae conicae. Fila analia fusca, apice furcata, ramo altero breviori. Tibiae fusco-testaceae;

*Fem:* aenea aut olivacea. Antennae breves ovatae. Pedes nigri, tibiis omnibus genubus anterioribus femorumque posticorum basi flavis; in copula.

*Porphyrops communis* Meig. Dipt. 4. 52. 13. ♂. *Porphyrops nasutus* Meig. Dipt. 6. Add. 364. 32. ♀. *Hydrochus nasutus* Fall. Dipt. Sv. Dolich. 6. 2. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in uliginosis ad Lycksele et Wilhelmina d. 17. Jul. — 4. Aug. in copula captum. (Lappon.-Dalekarlia-Scan. pass..)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½ lin. Simile priori, a quo mas pedum colore et appendicum analium structura, et femina colore pedum, differunt, ut in diagnosibus indicatum. Oculi in vivo subaeneo-brunnei. Hypostoma in ♂ angustissimum.

**7. R. fascipes:** viridi aeneum (♂), aut olivaceum (♀); fronte virescente, hypostomate albido, antennis nigris, alis fuscanis, pedibus discoloribus; filis analibus in ♂ simplicibus. ♂♀.

*Mas:* viridi-aeneus. Os non descendens. Antennae conicae. Fila analia fusca, simplicia, basi latiora. Pedes nigri, tibiis anterioribus totis, et posticis basi albis.

*Fem.:* obscurior, olivaceo-aenea. Os descendens. Antennae ovatae. Anus simplex. Pedes lividi, postici femorum tibiarumque apice tarsisque nigris; in copula.

*Porphyrops fascipes* Meig. Dipt. 4. 54. 20. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Åsele d. 26. Jul. in copula captum. (Lapponia —?)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—2¼ lin. Simillimum priori, appendicibus caudalibus in mare, et pedum colore in utroque sexu, ut in diagnosibus indicatis, distinctum.

Var. b. ♂♀. Cyanescens aut aenescens, pedibusque in utroque sexu nigris, tibiis anterioribus tantum testaceis, in ceteris var. a. simile, vix diversum. Mascula in Lapponia Torneusi et in alpe Dowre legerunt DD. Frigelius et Boheman, et utrumque sexum in paludosis ad Alteidet Finmarkiae d. 31. Jul. ipse inveni.

Var. c. ♂♀. Simile var. a,? at ab illo differt: *mas* hypostomate valde augusto nigro, tibiis omnibus testaceis, et *femina* femoribus tibiisque omnibus testaceis, tibiis tantum posticis apice nigris; forte hujus. In Lapponia Norvegica a D. Boheman in copula lectum.

**8. R. discolor:** aenescenti cinerascens subopacum, fronte concolore, hypostomate albido, thorace sublineato, pedibus testaceis, antennis tarsisque nigris, alis hyalinis, nervo transverso ordinario fuscedine cincto. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in ripa lacus Borgsjoe et ad Äsele duo tantum specimina, d. 26. 25. Jul. invenire mihi contigit. (Lappon. meridionalis.)

*Fem.* Long. fere 2 lin. Robustum. ***Hydrophoro rostrato*** statura et colore sat simile, antennis longioribus, hypostomate canescente, nec viridi, oculis minus exsertis, nervo transv. ord. in medio alae, nec propius ad marginem, sito, infuscato, etc. aperte distinctum. Oculi (in vivo) virides. Os descendens, proboscide cinerea. Antennarum articulus ultimus conicus, seta elongata. Barba alba. Thoracis lineae 2 dorsales, fusco-virides. Abdomen depressum cinereo-aeneum. Pedes testacei, tarsis nigris, coxis cinereis, femorum anticorum basi concolore.

*Obs.* ***Rhaphium cylindricum*** mihi (vide Fall. Not. sub ***Hydroph. nasuto*** Dolichopod. 6. 2. „individuum masculum") in Lapponia non vidi. ***Chrysotus Rhaphioides*** mihi, nervo transv. ord. in medio alae sito, in proximo genere inveniendus.

## 88. Chrysotus. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 106. Macq. *Dolichopus* Fabr. Wied. Fall. *Musca* Fabr.

*Corpus* parvum aut minutum; nitidum. Antennae in utroque sexu breves, articulo ultimo rotundato patelliformi, seta terminali deflexa. Oculi infra antennas anguste disjuncti. Hypostoma albidum. Frons virescens, raro cyanea. Abdomen ♂ apice subtus bifilatum. Alae hyalinae immaculatae, metallice nitentes, nervis simplicibus, 4to longitudinali parum curvato, in summum apicem alae descendente. Nervus transv. ord. fere ante medium disci situs. Pedes simplices. *Color* viridi-aureus, pectoris cinerascens. *Motu* agilis, inquietus. *Habitatio* in foliis fruticum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* oculis infra antennas fere cohaerentibus seu hypostomate valde angusto, ano subinflexo, filis 2 brevissimis armato; *femina:* hypostomate paullo latiori, ano acuto inermi. (Spec. Scand. 9, quae antennis in utroque sexu parvis brevibus, articulo ultimo orbiculari, seta terminali, oculis disjunctis, nervulo alar. transverso ord. fere ante medium sito, ano ♂ bifilato oreque ♀ vix descendente, a ceteris familiae dignoscuntur.)

**1. C. neglectus**: viridi-aureus, pedibus flavis, femorum medio in ♀, tarsisque apice in utroque sexu nigricantib. ♂♀.

Meig. Dipt. 4. 41. 1. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. Dolich. 19. 1. ♂♀. *Dolichop. viridulus* Fall. Dipt. Sv. Dolich. 18. 23. ♂♀.

Hab. in Lapponiae fruticibus rar.; ad Kengis 22. Aug. frequentius visus. (Lapp.-Ångermannia, ex. gr. ad Hernösand 30. Aug. freq. - Scan. vulgaris)

***Mas*** et ***Fem.*** Long. 1 lin. et ultra. Viridi-aureus, antennis nigris. Pedes flavi, in ♀ femoribus annulo medio plus minus lato, aeneo. Tarsi apice fusci. Halteres flavi.

**2. C. gramineus**: viridi-aureus, femoribus aeneis, tibiis testaceis, tarsis fuscis. ♂♀.

*Dolichopus gramineus* Fall. Dipt. Sv. Dolich. 19. 24. ♂♀. *Dolich. nigripes* Fabr. Antl. 269. 12? *Chrysotus copiosus* Meig. Dipt. 4. 41. 2. ♂♀. *Chrys. nigripes* Meig. l. c. 42. 6. sine dubio ejusdem varietas paullo obscurior *).

Hab. in Lappon. meridionali, ex. gr. ad Lycksele mens. Aug. in foliis fruticum Betulae albae frequenter; inter Lapponiae Tornensis lacum Kilpisjaur et urbem Tromsoe Nordlandiae, D. Frigelius. (Lappon.-Hernösand 30. Aug.- Scan. freq.)

***Mas*** et ***Fem.*** Long. 1 - $1\frac{1}{4}$ lin. Simillimus priori, pedum colore tantum differens. Oculi in vivo virides, unicolores. Pedes postici maris saepe toti testacei.

**3. C. Rhaphioides:** obscure aeneus, pedibus lividis, tarsis obscurioribus, alis fuscanis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Äsele 26. Jul. semel captus. (Lapponia; Hernösand 30. Aug. semel.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. A priori differt: colore corporis obscuriore, pedibus totis testaceis, tarsis tantum nigricantibus, et alis fuscanis, certo luminis situ metallice distincte splendentibus. Pectus et coxae cinerascentia. Halteres flavi Nervus transv. ord. in medio (nec ante medium) alae, omnino ut in *Rhaphio*, situs; at antennae rotundatae et os non descendens speciem *Chrysoti* potius indicant.

**4. C. obscuripes:** obscure viridis, pedibus totis nigricantibus. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in paroecia Fredrica d. 29. Jul. semel captus. (Lapponia )

*Fem.* Long. 1 lin. Totus obscure viridis. Antennae et pedes cum coxis nigricantia. Pectus cinerascens. Halteres pallidi. Alae fusco-hyalinae, metallice certo situ perspicue splendentes. — Similis ***Hydrophoro tristi***, at color magis virescens, os non descendens, alae coloribus diversis magis resplendentes, et inprimis nervus transv. ord. fere paullo ante medium alae situs omnino rectus.

**5. C. cinerellus**: opacus cinerascens parum viridi-micans, pedibus lividis, femorum anticorum medio late, posticorum apice tarsisque omnibus nigricantibus. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in monte Stoettingsfjellet 1. Aug. semel captus. (Lappon.)

*Fem.* Long. 1 lin. ***Hydrophoro murali*** habitu similis, colore pedum et situ nervi transv. ord distinctus. Antennae parvae nigrae. Os subdescendens. Alae metallice splendentes. Halteres flavi. Pedes testacei. Coxae saltem basi cinereae. Femora antica basi et in medio late, postica apice, tarsique omnes, nigrescunt.

*Obs.* ***Dolichopus laesus*** et ***pulicarius*** Fall., huic generi inserendi, in Lapponia vix obvii. ***Dolichop. scambus*** et ***curvipes*** Fall., in genere ***Dolichopode*** mihi, quaerendi.

## 89. Diaphorus. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 124. Macq. *Dolichopus* Fall.

*Corpus* parvum. Antennae breves, articulo ultimo patelliformi, seta dorsali. Oculi maris in fronte longe et arctissime cohaerentes; feminae (in nostris) remoti. Hypostoma in utroque sexu dilatatum. Abdomen ♂ apice subtus appendicibus filatis. Alarum nervi, transversus ord. in medio alae situs, longitudinales simplices, quorum 4tus rectus in apicem alae descendit; auxiliaris ad medium costae extensus, desinens in costa praecise ubi transversus ordinarius ei opponitur. Pedes simplices. *Color* aeneus aut niger, parum vividus. *Motu* agilis; a puncto, ubi sedit, celerrime at breviter avolat, mox ad idem revertens; quem lusum saepius, sole urente, repetunt mares. *Habitatio* in fruticum foliis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte arcte cohaerentibus, ano filatim appendiculato; *femina:* oculis disjunctis, ano simplici. (Spec. Scand. 2 nostrae, antennis brevibus, articulo ultimo orbiculari, seta dorsali, oculis maris in fronte arcte cohaerentibus at abdominis apice subtus 4 filis appendiculato, ut et in utroque sexu nervis alarum, transv. ord. in medio alae sito, longitudinali 4to recto, et auxiliari in medio costae extenso distinctae). Typus generis *Diaph. oculatus*

**1. D. oculatus**: aeneus, antennis pedibusque nigris, femorum anteriorum apice lato, tibiisque omnibus flavis, alis fuscanis; abdomine in ♂ basi fascia pallide hyalina. ♂♀.

***Mas***: oculis in fronte longe et arctissime coadunatis, ano inflexo, appendicibus 4 brevibus, quarum 2 latioribus inflexis pallidis, et 2 filiformibus magis exsertis, nigris, armato; abdomine cylindrico, basi flavo-fasciato;

***Fem***: oculis in fronte modice remotis, ano simplici, abdomine immaculato; in copula.

*Dolichopus oculatus* Fall. Dipt. Sv. Dolich. 28. 22. certe. *Diaphorus flavocinctus* Meig. Dipt. 4. 33. 1. ♂. (exclus. citat. Hoffmannseggii. Cfr. Meig. 6. Add. p. 360.) Macq. Dipt. Gall. Dolich. 22. 1. ♂. T. 1. f. 3. ala.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in alpe Dowre etiam a D. Boheman captus (Lappon.-Ostrogoth. et Scan. in fruticibus freq., at ♀ rarissima.)

***Mas*** et ***Fem.*** Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Hypostoma cinereum. Oculi fere nudi, in masculis disco pulchre caeruleo-violaceo, limbo aeneo. Os parum exsertum, in ♀ tamen paullo descendens. Seta antennarum subpubescens. Thorax virescens, leviter albo-submicans. Pectus cinerascens. Abdomen obscure aeneum. Alae subhyalinae. Halteres pallide flavi. Pedes flavescentes, femoribus anterioribus basi late, posticis totis, tarsisque omnibus, nigricantibus. Tarsi antici in ♂ unguibus paullo elongatis.

**2. D. obscurellus**: nigro-aeneus, antennis, hypostomate, halteribus pedibusque nigris. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Almsele d. 24. Jul. semel inventus. (Lappon. meridionalis; Suecia media in Ostrogothia ad Laerketorp rarissime.)

***Mas.*** Long. 1 lin. Affinis videtur *Diaph. nigricanti* Meig., at hic: „totus niger, tibiis tarsisque testaceis", describitur. — Niger opacus, thorace certo situ obscure aeneus, praesertim postice. Abdomen conicum, parum aenescens. Anus obtuse inflexus pilo

*) Inter *Chrysotum copiosum* Meig. l. c. „viridiaureum, pedibus nigris, tibiis rufis; $1\frac{1}{4}$ lin.", et *Chrys. nigripedem* Meig. l. c. „viridiaeneum, pedibus nigricantibus, tibiis testaceis; 1 lin. long.", non talem invenio differentiam, ut ea nixus has duas varietates ut species totidem distinctas proponere vellem.

sus, appendicibus parum exsertis. Alae nigredine subtinctae. Halteres nigri. Pectus cinereo-nigricans. Pedes fusco-nigri, unguibus in tarsis anticis paullo majoribus, quam in tarsis reliquis.

## 90. Dolichopus. Latr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 130. Latr. Fabr. Wied. Fall. Macq. *Nemotelus* Deg. *Musca* Linn. Panz.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis. Antennae breves aut elongatae, articulo ultimo ovato s. subtriangulari, apice subacuto; seta dorsali uniarticulata (nec ut in *Sybistroma* biarticulata). Oculi remoti. Vertex et tibiae spinulosa. Abdomen maris apice incurvatum, subtus appendicibus, aut bifilatis aut saepius e lamellis 2 membranaceis ciliatis constantibus, armatum. Alarum nervi, longitudinales simplices; 4tus plerumque subcurvatus; transversus ord. in medio alae situs auxiliaris brevis saepissime ad tertiam tantum partem costae extensus. Nervus costalis plerumque est incrassatus, ubi nervus auxiliaris in costam excurrit, praesertim in masculis. Pedes non semper simplices. *Color* viridis, aenescens, niger aut pallidus. *Motu* valde agilis, inquietus. *Habitatio* in foliis fruticum, in graminosis, in ripis fluminum, in littoribus etc.; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Larvae* plurium verisimiliter in aquis degunt. Imagines aliis insectis minoribus victitant, flores raro visitantes. *Differentia sexus*; *mas:* hypostomate angustiori, antennis saepius paullo longioribus, tarsis interdum varie dilatatis aut plumatis, ut et ano semper squamis aut filis appendiculato; *femina:* hypostomate latiori, ore subdescendente, pedibusque et ano acutiori simplicibus. (Spec. Scand. 62, antennarum articulo ultimo breviter trigono, seta dorsali deflexa, oculis in utroque sexu disjunctis, alar. nervo transv. ord. in medio aut parum pone medium alae sito, ut et appendicibus analibus in masculis aut squamaeformibus sive lamelliformibus, aut filatis, notis simul sumtis, a reliquis hujus familiae generibus distinguuntur.)

### *Sect.* 1. *Virescentes aut aenescentes, raro nigricantes.* °)

a) Masculi ano lamellato sive squamifero.

* Marium squamae caudales albae.

**1. D. Mannerheimi:** virescens, antennis articulo ultimo breviter ovato pedibusque nigris, tibiis testaceis, intermediis albis, alis macula apicis fusca. ♂♀.

Hab. in foliis majoribus plantarum, ex. gr. Aconiti septentrionalis, Sonchi alpini etc., ubi ad rivulos haec vegetabilia laetius crescunt, in Lapponia Umensi, ad Stensele 3. Jul. rarius; sed inter Tresunda et Naestansjö in paroecia Wilhelmina d. 13. Jul. plura specimina utriusque sexus legimus Cl. Mag. Docens Dahlbom et ipse; ♀ tamen parcius obvia. (Lapponia meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4–4½ lin. Maximus nostratum hujus generis, pulcher et distinctus, nomine Generosissimi Comitis Dom. C. G. a Mannerheim, jam Gubernatoris in Wiborg Finlandiae, Ord. Imp. de S. Wladimiri in Quarta Classe Equitis, Entomologi in Europa clarissimi, Amici nostri suavissimi, condecoratus. Opacus pallide virescens. Antennae ut in *Dolich. ungulato* (No 2) omnino constructae, totae nigrae. Frons virescens. Hypostoma in utroque sexu fere aequaliter et modice latum albescens. Proboscis nigra, parum exserta. Thorax lineis 2 fuscis. Abdominis incisurae nigricantes. Anus ♂ longe inflexus niger, squamis albis, uno latere nigro-marginatis et ciliatis. Alae in utroque sexu hyalinae, macula apicali fusca. Nervus longitud. 4tus paullo curvatus seu pone medium geniculatus, genu non rectangulari, sed curvilineari; mox ante summum apicem alae in marginem excurrens. Nervus transv. ord. infuscatus. Nervus auxiliaris brevis, ad tertiam partem costae extensus. Halteres flavi. Pedes nigri, geniculis summis tibiisque testaceis. Tibiae autem intermediae albae et posticae, apice nigricantes. Metatarsus anticus testaceus.

°) Cl. Meigen, qui 52 hujus generis descripsit species, et D. Macq qui 32 species affert, nullas pro illarum examine facilitando adhibuerunt sectiones. Cel. Fall. suas 35 species sub pluribus bonis subdivisionibus distribuit, quas utpote pro inventione specierum faciles et idoneas sub descriptione hujus generis praecipue etiam secutus sum, 5 harum speciebus remotis et in alia genera introductis.

**2. D. ungulatus:** aeneo-viridis, pedibus flavis, coxis cinereis, tarsis omnibus tibiarumque posticarum apice, antennisque breviusculis basi coarctatis totis, nigris, alis hyalinis immaculatis; geniculo nervi alarum 4ti curvilineari. ♂♀.

Fabr. Antl. 266. 3. ♂. Fall. Dipt. Sv. Dolich. 9. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 80. 13. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. Dolich. 62. 8. ♂♀. T. 1. f. 7. ala. *Musca ungulata* Linn. Fn. Sv. 1858. ♂. Panz. Fn. 20. 21. *Nemotelus aeneus* de Geer Ins. 6. 104. 15. Tab. 11. f. 19. 20.

Hab. in fruticibus et graminosis Lapponiae passim; ad Wilhelmina, Almsele et Fredrica, Lapponiae Umensis, ut et ad Gebostad Nordlandiae, d. 14—29. Jul. frequenter vidi; d. 17. Jul. in copula captus; e Tornoa a D. Deutsch missus. Larvas albas cylindricas, 12-articulatas, extrorsum conicas, in terra degentes, ineunte mense Junio in pupas, et exeunte eodem mense in imagines sese transformantes, descripsit ill. de Geer l. c. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3–4 lin. Statura corporis et structura partium omnino ut in praecedente, a quo colore corporis magis aureo-viridi nitido, pedibus flavis, et alis hyalinis immaculatis, ut et magnitudine minori differt. Caput ut in priori. Antennae scilicet nigrae, articulo 1mo, longitudine ultimi, basi angusto, cyathiformi, 2do brevissimo latiori; 3tio ovato trigono, seta dorsali. Oculi in vivo laete virides. Thorax in ♀ saepe cupreo-lineatus. Pectus et coxae pedum cinerascentia, coxis anticis subtus apice flavo-maculatis. Tarsi simplices. Alae pure hyalinae.

**3. D. agilis:** aeneo-viridis, pedibus flavis, coxis anticis concoloribus, posterioribus cinereis; tarsis atris, antennis mediocribus nigris, basi coarctatis testaceis, alis subhyalinis immaculatis, geniculo nervi 4ti curvi-lineari. ♂♀.

Meig. Dipt. 4. 97. 41. ♂. *Dol. simplex* Meig. Dipt. 4. 85. 20. ♂♀. ejusdem speciei; cfr. Meig. 6. Add. 365.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Wilhelmina d. 17. Jul. 1832 unicum par in copula captum; in Nordlandia ad Tromsoe et Lyngen d. 24—26. Jul. 1821 utrumque sexum quoque legi. Lapponia —?)

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 2 lin. Similis *Dol. nitido* Fall., alarum geniculo nervi 4ti curvilineari, nec geniculato, distinctus. A priori, cui etiam similis, differt: magnitudine minori, antennis fere longioribus seu longitudine capitis transversi, articulis basalibus flavis, hypostomate in ♂ flavicante s. aureo-albo, palpis pallidis, alarum nervo 4to fere in ipso apice alae excurrente, alis non pure hyalinis, coxis anticis totis flavis, tibiis posticis apice tantum summo nigris, et squama anali in ♂ tota alba, margine angustissime et ciliis tantum nigra. Articulus 1mus tarsorum anticorum flavus. Oculi in vivo virides. Pectus cinerascens.

**4. D. acuticornis:** virescens, pedibus flavis, coxis anticis concoloribus, posterioribus cinereis apice testaceis, tibiarum posticarum summo apice tarsisque omnibus atris, antennis elongatis flavis, articulo ultimo apice acuto nigro, alis subhyalinis, geniculo nervi 4ti curvi lineari. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Dolich. 12. 10. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 94. 34. ♂. Macq. Dipt. Gall. Dolich. 72. 27. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in graminosis paludosis ad Fredrica, Lycksele et Wilhelmina d. 17. Jul. — 10. Aug. frequenter visus; in Lapponia Tornensi ad Kengis et Muonioniska 22. Aug. rarius obvius. (Lappon.-Hernösand ♀. 29. Aug.-Scania passim.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et summa praecedentis similitudo, sed differt colore corporis minus nitido et vivo, coxis posterioribus apice flavis, nec totis cinereis, alis minus infuscatis, ut et praesertim antennarum structura et colore. Antennae scilicet in ♂ capite transverso paullo longiores, articulo 1mo basi coarctato, ultimo longe acuminato, seta in medio dorsi inserta; totae subtus et lateribus flavae, supra anguste, versus apicem latius, nigrae; in ♀ longitudine capitis transversi, forma et colore ut in ♂, articulo ultimo paullo crassiori, apice late nigro. Oculi ♂ aureo-virides, ♀ virides. Hypostoma ♂ flavescens. Tibiae posticae saepe etiam totae flavae. Nervus costalis, ubi nervus auxiliaris in costam excurrit, in ♂ crassior est et ater.

Var. b. ♂ antennis paullo brevioribus; alias var. a. similis, vix diversus. Oculi in vivo aureo-virides. Ad Novacculum Naestansjoe Lappon. Umensis d. 13. Jul. rariss.

**5. D. festinans:** obscure aeneo-viridis, pedibus flavis, coxis cinereis, tibiarum posticarum apice tarsisque omnibus atris, femorum posticorum apice macula fusca, antennis mediocribus, basi coarctatis, totis, palpisque, nigris, alis hyalinis, geniculo nervi 4ti curvilineari. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Stensele, Åsele, Fredrica et Lycksele, d. 3. Jul. — 17. Aug. captus; ♀ frequentius visa. (Lappon. meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 2 lin. *D lich. agili* similis, forte paullo robustior; differt colore paullo obscuriore, antennis palpisque nigris, coxis totis et apophysibus pedum cinereis, femorum posticorum apice macula nigra notato, ut et squama anali distincta in utroque sexu, in ♂ paullo latius nigro-marginata. Linea costalis alarum ad nervum auxiliarem distincta.

**6. D. obscurellus:** obscure aeneus nitidus, fronte chalybaea, antennis brevibus nigris, pedibus coxisque flavis, tarsis fuscis alis fuscanis, nervo 4to longitudinali subrecto, ventre pallido. ♀.

FALL. Dipt. Sv. Dolich. 13. 11. certe. ♂♀. MEIG. Dipt. 4. 101. 49. forte etiam *D. gratiosus* MEIG. Dipt. 4. 100. 47. ♀ var.

Hab. in Lapponia Umensi rar., ad Tresunda in paludosis 12. Jul. capta. (Lapp.-Scan in copula rar.)

*Fem.* Parvus, circiter 1 lin. long. Aeneus. Antennae parvae, breves, nigrae. Frons violacea. Hypostoma latum, albidum, in medio elevatum. Pectus cinerascens. Abdomen cupreum, ventre pallido. Alae fuscanae, nervis, transverso ord. fere paullo pone medium alae sito, 4to longitudinali recto in summum apicem alae excurrente. Pedes toti cum coxis pallidi, tarsis fuscis.

*Mas:* fronte albescente. Hypostomate paullo angustiori, antennis paullo longioribus, ano inflexo pallido, squamis albidis, alias feminae descriptae simillimus, forte hujus; a D. FALL. l. c. allatus, in Lapponia a me non visus.

**7. D. confusus:** aeneo-virescens, pedibus flavis, coxis anticis concoloribus, posterioribus fere ad apicem cinereis, tarsis anticis in ♂ articulo ultimo patelliformi, intermediis apice, posticisque totis, in ♀ anticis apice et posterioribus totis, atris; antennis in utroque sexu longiusculis nigris, articulo primo subtus testaceo, alis hyalinis, geniculo nervi 4ti curvi-lineari. ♂♀.

*Dolich. patellatus* MEIG. Dipt. 4. 86. 22. verus. ♂. (excl. syn. FALL. *Dol. patellatus*, qui certe aliud est insectum). MACQ. Dipt. Gall. Dolich. 67. 19. ♂. (excl. quoque syn. FALL.)

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Barsele, ad lacum StorUman, in monte Stoettingsfjellet, ad novaccolum Umenaes, ut et ad Lycksele, d. 1. Jul. - 1. Aug., uterque sexus lectus; ad Bossekop Finmarkiae d. 7. Aug. quoque rar. visus. (Lapp.-Dalekarlia-Gottland.; Smolandia D. BOHEMAN; Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin et ultra. Descriptio Cl. MEIG. l. c. optime quadrat. Antennae elongatae latae nigrae, articulo basali angustato, subtus determinate flavo, in ♀ paullo breviore. Frons viridis. Hypostoma albidum. Palpi pallidi. Anus in ♂ inflexus niger, squama alba, uno latere nigro-marginata et ciliata. Alae in utroque sexu hyalinae. Tarsi antici in ♂ toti flavi, articulo tantum ultimo patelliformi atro, basi albo. Reliqua ut in diagnosi. — A *Dol. patellato* FALL. genuino et prototypo aperte differt. Ille enim colore minus viridi, corpore graciliore, abdomine angustiore, antennis basi crassioribus, apice fusco acutioribus, hypostomate angustiore, alarum nervo 4to geniculato, levissime tantum curvato, ventre pallescente, ano inflexo flavo, squamis minus dilatatis et coxis etiam posterioribus pallidis, a nostro *D. confuso* abunde est distinctus, nec nisi in Scania hactenus parce visus. Huic quoque nomen FALL.: *D. patellatus*, reservavi.

**8. D. brevipennis:** aeneo-virescens, pedibus flavis, coxis anticis concoloribus, posterioribus cinereis, antennis mediocribus nigris, alis hyalinis, geniculo nervi 4ti curvi-lineari; ♂ tarsis anticis articulis 2 ultimis dilatatis, posterioribus totis tibiarumque posticarum apice atris; tibiarum posticarum apice tarsisque omnibus atris. ♂♀.

MEIG. Dipt. 4. 89. 27. ♂. *D. plumitarsis* FALL. Dipt Sv. Dolich. 10. 4. var. β.

Hab. in Lapponia passim; ad pagos Lapponiae Umensis Badstutraesk, Umenaes et Wilhelmina; ad Kengis Lapponiae Tornensis, ut et in alpe Dowre Norvegiae, d. 30. Jun. — 22 Aug. — In copula. — ♀ rarius obvia. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. et ultra. Similis *D. confuso*, antennis paullo brevioribus, basi minus coarctatis, totis nigris, alis paullo brevioribus; coxis anticis basi, posterioribusque totis, cinereis, tarsis anticis in ♂ articulis 2 ultimis plumatis, ultimo patelliformi, tibiarum posticarum apice latius nigro, et squama anali latius nigro-marginata, differt. In ceteris conveniunt. Oculi virides. Hypostoma ♂ flavescens, ♀ paullo latius, albescens. Linea ad apicem nervi auxiliaris atra, in ♂ praesertim distincta.

**9. D. pennitarsis:** aeneo-viridis nitidus, antennis longiusculis testaceis, apice nigris, pedibus flavis, coxis anticis concoloribus, posterioribus cinereis, tibiis posticis apice, tarsisque omnibus atris, alis hyalinis, geniculo nervi 4ti subrecti-lineari; ♂ hypostomate angusto aureo-nitido, metatarso pedum intermediorum pennatis; ♀ hypostomate latiore, cinereo-albido, metatarsis pedum simplicibus. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Dolich. 11. 6. ♂♀ MEIG. Dipt. 4. 90. 29. ♂♀. MACQ. Dipt. Gall. Dolich. 69 23. ♂♀.

Hab in Lapponiis omnibus passim; ad Lycksele, Asele, Wilhelmina, Naestansjo, Karesuando etc., nec non in interalpinis maritimis Nordlandiae Finmarkiaeque, ex. gr. in paludosis ad Lyngen, Tromsoe, Alteidet et Bossekop, d. 15. Jul. — 17. Aug. frequenter vidi; d. 3. Aug. in copula. In Lapponia Tornensi usque ad lacum insignem Kilpisjaur legit D. FRIGELIUS. (Lapp.-Scan. in frutetis et graminosis frequentiss.

*Mas* et *Fem.* Long. $2^{1}-2\frac{3}{4}$ lin. Similis *D. ungulato* (No. 2), minor, pennatura metatarsi pedum intermediorum in ♂, distinctus; femina ab affinibus vix nisi geniculo nervi 4ti oblique lineali, seu nec distincte rectangulari, nec exacte curvi-lineali, differt. Antennae elongatae testaceae, articulo ultimo in ♂ paullo longiori, in ♀ ovato, breviori, in utroque sexu acuto, apice latius vel angustius nigro. Oculi aureo-virides unicolores. Nervus 4tus long. paullo ante apicem alae in marginem excurrit.

**10. D atratus:** obscure aeneus, antennis mediocribus pedibusque nigris, alis juxta marginem apicalem (in ♂) infuscatis; geniculo nervi 4ti curvi-lineali ♂♀.

MEIG. Dipt. 4. 76. 3. ♂♀. (forte idem, licet hypostoma in nostro masculo modice latum et fuscum sit, in MEIGENI autem angustum et album), MACQ. Dipt. Gall. Dol. 60. 3? ♂♀.

Hab. in interalpinis maritimis Nordlandiae; in Betula ad Björkvik, Giebostad, Hacksten, Schiervoe etc., d. 15—28. Jul. passim visus, in Lapponiis suecicis et russica mihi non obvius. (Lapponia Norvegica-Dalekarlia ?)

*Mas* et *Fem.* Long. $2^{1}$ lin. Totus nigro-aeneus, obscurus, parum nitidus. Antennae mediocriter longae, articulo ultimo breviter ovato, seta subnuda. Vertex nigro-aeneus. Hypostoma fusco-grisescens, in ♀ latum. Oculi in ♀ brunnei. Squamae anales in ♂ albidae, sordidae, margine nigro et nigro-ciliato. Alae hyalinae, macula intra apicem juxta costam, in ♂ distincta interdum fasciformi, in ♀ obsoleta; fusca. Nervus 4tus geniculo parum curvilineali in marginem alae mox ante apicem excurrit. Nervus transv. ord fuscedine cinctus. Halteres flavi. Pedes toti nigri, geniculis summis testaceis; tibiis praesertim posticis distincte spinulosis.

Var. b. ♂. pedibus piceis, abdomine aeneo, alis parum maculatis; hab. cum var. a., forte junior. An *D. picipes* MEIG Dipt. 4. 76. 4?

**11. D plebejus:** aeneus nitidus, antennis mediocribus pedibusque nigris, alis hyalinis, juxta costam leviter infuscatis, nervo 4to subcurvato. ♂♀.

Vix *D. rusticus* MEIG. Dipt 4. 77. 5., qui minor et magis viridis videtur.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Badstutraesk et Naestansjö d. 30. Jun. — 13. Jul. 1832 captus; ad Björkvik Nordlandiae ♂ d. 15. Jul. 1821 quoque lectus rariss. (Lapponia-Dalekarlia-Westrog. D. BOHEMAN; Scania in copula rarius, ipse.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$ lin. Similis priori, colore magis viridi-aeneo nitido, hypostomate maris angustiori albido, et alis ad costam subfuscis, maculis 2, una ad basin, altera ad apicem alarumque perspicuioribus ornatis, distinctus. Nervus 4tus quoque minus curvatus et transversus ord. parum infuscatus. Vertex viridis. Oculi cupreo-virides. Pectus schistaceum. Squamae anales longe nigro-ciliatae. Pedes nigri, geniculis summis pallidis Tibiae spinulosae. *Femina* mari similis, hypostomate latiori, ano simplici, alis minus infuscatis; in Scania ad Esperoed etiam inventa.

**12. D. annulipes:** viridi-aeneus, antennis mediocribus pedibusque nigris, horum intermediorum tibiis annulo, metatarsoque, albis; alis aqueis, nervo 4to long. subcurvato. ♂♀.

Hab. in Lappon. Umensi rarissime; in paludosis ad Lycksele d. 21. Jun. semel captus. (Lappon. Dalekarlia.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et similitudo prioris, differt antennarum articulo ultimo forte paullo longiori, hypostomate paullo latiori magis fusco, alis purius hyalinis, nervo transverso ordinario recto, tantum leviter infuscato lineaque costali ad basin alae atra crassiori, ut et tibiis intermediis in medio annulo metatarsoque, albis. Oculi cuprei. Obscurior.

**13. D. tibialis:** aeneo virescens, antennis mediocribus pedibusque nigris, tibiis testaceis, alis hyalinis, nervis leviter infuscatis, longitudinali 4to subcurvato. ♂♀.

Hab. in Lapponiae paludosis passim; scilicet ad Stensele et Tresunda, Lapponiae Umensis, ad Kengis Lapponiae Tornensis, nec non in Lapponia Kemensi, d. 2. Jul. — 30. Aug. haud infrequenter, ad Bossekop Finmarkiae ♂♀. 5. Aug. lecti. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{3}{4}-3$ lin. Similis priori. Supra virescens, subtus cinerascens. Hypostoma non latum, albidum. Vertex

viridis. Thorax fusco-bilineatus. Alae hyalinae, nervis, transversis subinfuscatis, longitudinali 4to parum curvato mox ante apicem in marginem costalem excurrente. Pedes nigri, coxis schistaceis. Tibiae pallidae spinulosae, posticae apice nigrae. Metatarsi anteriores pallidi.

Variat nervo transv. ord. recto aut saepius curvato. Variat etiam tibiis anterioribus apice posticisque totis nigricantibus. Oculi aeneo-virides vel cuprei. Tibiae post mortem fuscescunt. Alae ad costam subfuscae videntur. — In Lapp. paroecia Fredrica.

Var. b. ♂. femoribus anticis apice, intermediis fere totis, flavis, nervis parum infuscatis, transverso ord. recto, alias var. a. simillimus, in Groenlandia captus, a D. Westermann communicatus, vix distinctus.

*Obs.* Species Fallenianae: *Dolich. latipennis*, *nigripes*, *plumitarsis* var. a., *patellatus*, *popularis*, *planitarsis* et *nitidus*, in Lapponia a me frustra quaesiti.

°° Marium squamae caudales nigrae.

**14. D. Sahlbergi:** pallide virescens, antennis mediocribus pedibusque nigris, tibiis testaceis, alis nigricantibus, nervo 4to long. parum curvato. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in umbrosis ad Wilhelmina et Asele d. 15—25. Jul., in copula captus. In Dowre a D. Boheman etiam lectus. (Lapponia Dalekarlia)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{3}{4}$—3 lin. Affinis *D. tibiali*, saepe paullo minor. Antennae longitudine capitis transversi, nigrae, articulo ultimo breviter ovato; basi in ♂ paullo latiores quam in ♀. Hypostoma modice et in utroque sexu aequaliter latum, albidum. Vertex virescens. Oculi in ♂ et ♀ pulchre laete virides, toti unicolores. Thorax virescens opacus, lineis 2 angustis fuscis obsoletis. Pectus schistaceum. Abdomen obscure virescens nitidum. Anus in ♂ niger, squamis totis concoloribus. Alae totae fuscanae fere nigricantes, nervo longitud. 4to parum curvato, fere in summum apicem alae excurrente. Halteres flavi. Coxae schistaceae. Femora viresceuti-nigra. Tibiae pallidae, spinulosae, posticae apice nigrae. Tarsi nigri, metatarsis anterioribus pallidis. *D. cupreus* Fall. antennis brevioribus, femoribus basi, et geniculis pallidis etc.; *D. nigripennis* Fall. magnitudine minori; et uterque loco, a D. *Sahlbergi* differunt.

Amico suo Cel. C. R. Sahlberg, Zoolog. et Bot. Prof Helsingforsiensi Finlandiae, Ord. Imp. de S. Wolodimiro in quarta Class. Equiti, etc. etc. Faunae Insectorum Fennicae Auctori laudatiss., pulchrum hoc insectum septentrionale gratiosissime dicavit Zetterstedt.

*Obs.* Individuum femineum speciei descriptae quidem simile, in palude ad Lycksele inveni d. 21. Jun., fronte cyanea nitida, hypostomate argenteo, ore paullo descendente, et pedibus totis nigris, geniculis solum pallidis, distinctum; sed cum antennae sint mutilatae, articulo basali nigro tantum restante, speciem ulterius determinare non possum. Oculi aenei.

**15. D. plumipes:** ferrugineo-aenescens, antennis brevibus nigris, articulo 1mo flavo, pedibus nigricantibus, geniculis et tibiis testaceis, alis hyalinis, nervo 4to subcurvato; articulis 4 ultimis tarsorum anticorum in ♂ nigro-plumatis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Dolich. 14. 13. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 87. 23. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime, mihi ibi non obvius, at uterque sexus e Lapponia Tornensi a D. Deutsch communicatus. (Lapp.-Suec. media, Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ fere 3 lin. long. Hypostoma modice latum, in ♂ album, in ♀ canum. Vertex et thorax aeneo-ferruginantes. Abdomen olivaceum nitidum, incisuris tenuissime nigris; lateribus certo situ albo-micans; ano in ♂ squamis totis nigris; in ♀ simplici. Alae hyalinae, nervis, transversis infuscatis, longitudinali 4to paullo curvatim ante apicem alae in marginem costalem excurrente; in ipsa curvatura punctum fuscum in ♀ saltem perspicuum. Halteres pallidi. Pedes cum coxis nigri, cinereo-micantes, geniculis et tibiis fere ad apicem, testaceis. Metatarsus etiam saepe testaceus. Articuli 4 ultimi tarsorum anticorum breves atri, et in ♂ dilatati s. extus plumati.

**16. D. aerosus:** obscure aeneo-viridis, pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis, antennis brevibus tarsisque nigris, alis fusco-hyalinis, nervo 4to longit. recto. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Dolich. 15. 17. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 98. 43. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali mens. Aug. rariss. (Lapp.-Hernösand.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Parvus, $1\frac{1}{2}$ lin. long. Antennae parvae breves nigrae. Vertex virescens. Hypostoma in ♂ angustum obscurum, in ♀ latius, albidum. Squamae anales parvae nigrae. Alae parum infuscatae, nervis 3 et 4 subparallelis, hoc in summo apice alae exeunte. Halteres pallidi. Pedes flavi. Coxae cinereae, anticae fere totae, posteriores apice, flava. Tarsi nigri, metatarsis anterioribus pallidis

*Obs.* Species Sueciae a Fall. descriptae, scilicet: *Dolich. nobilitatus* *germanus*, *cupreus*, *nigripennis* et *fulgidus* in Lapponia a me non observatae.

b) Masculi ano bifilato; anus scilicet breviter inflexus, filis 2 brevibus appendiculatus (in *D. vestito* (No. 20) subsquamaeformibus).

° Abdomen marium saepius albo-sericeo micans et maculatim diaphanum. Feminae antennis brevibus et ore subdescendente. Oculi in utroque sexu maximi purpureo-rufi. Pedes simplices. Volatu celerrimo ad idem punctum, a quo exierunt, revertunt. *Porphyrops* Meig. Macq.

**17. D. diaphanus:** thorace aureo-viridi, capite, maculis humeralibus pectoreque albo-micantibus, pedibus flavis, coxis posterioribus fere ad apicem cinereis, antennis tarsisque nigris; alarum nervo 4to parum curvato, abdominis argenteo aut aeneo, basi flavo-maculato. (minor). ♂♀.

*Mas:* antennis capite transverso (e latere inspecto) paullo longioribus, articulo ultimo magno oblongo-triangulari compresso, hypostomate modice angustato, abdomine cylindrico argenteo-micante, segmentis 2, 3 saepe etiam 4 macula utrinque flavo-pellucida.

*Fem.:* antennis longitudine vix capitis transversi, articulo ultimo brevissime ovato, fere rotundato; hypostomate paullo latiori, abdomine conico aeneo, segmento 2do macula utrinque flava; in copula.

Fabr. Antl. 270. 18. forte? ♂. Fall. Dipt. Sv. Dolich. 16. 19. certissime, ♂♀. *Porphyrops diaphanus* Meig. Dipt. 4. 46. 1? ♂. *Porphyrops leucocephalus* Meig. Dipt. 4. 49. 8. ♀.? Cfr. Meig. 6. Add. p. 362.

Hab. in Lapponiae uliginosis rarissime. (Lappon.-Ostrog., Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—$2\frac{1}{2}$ lin. Oculi brevissime sericei. Frons, hypostoma et palpi argentea. Antennae apice fuscae, seta elongata deflexa nuda, mox infra apicem inserta. Thorax pulchre aureo-viridis nitidus, in ♂ antice fere totus, in ♀ humeris albo-micans. Pectus canum. Alae hyalinae, nervo 4to longitud. in summum apicem alae fere recta excurrente. Halteres flavi. Coxae anticae flavae, posteriores cinereae, apice pallidae. Tibiae anteriores fuscae, posteriores totae nigrae.

*Obs.* An nostra species ad Meigeni *Porphyr. diaphanum*, *argyrium*, *argentinum*, *leucocephalum* vel *versicolorem*, qui apud Cl. auctorem quodammodo confusi videntur, ut synonymon rectius est afferenda, pro certo dicere non audeo. Synonymon vero Fall. certum et confidens est.

**18. D. pellucens:** thorace aeneo-viridi, maculis humeralibus pectoreque albo-micantibus, pedibus flavis, coxis cinereis, antennis, femoribus posticis apice tarsisque omnibus nigris; alarum nervo 4to subcurvato; abdomine capiteque discoloribus (major). ♂♀.

*Mas:* capite nigro, hypostomate angusto, abdomine argenteo-micante, segmentis 2, 3 saepe etiam 4 macula utrinque flavo-pellucida.

*Femina:* capite albido, hypostomate lato, abdomine aeneo immaculato; in copula.

Fall. Dipt Sv. Dolich. 17. 20. certiss. ♂♀. Forte *Porphyrops diaphanus* Meig. Dipt. 4. 46. 1? ♂.

Hab. cum priori aeque rarus in Lapponia. (Lapp.-Ostrog. Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—$3\frac{1}{2}$ lin. Similis priori, major, antennis longitudine capitis transversi, et in utroque sexu aequaliter longis, fronte et hypostomate angustato in ♂ nigris, abdomine in ♀ immaculato, coxis omnibus in utroque sexu cinerascentibus ut et femorum posticorum apice nigro, abunde distinctus. Nervus 4tus longitudinalis in ala feminae magis curvatim flectitur, quam in maris, ut recte etiam observavit oculatissimus Fall. l. c. Tibiae posticae summo apice nigrescunt.

**19. D. magnicornis:** thorace aureo-viridi, capite pectoreque albicantibus, pedibus flavis, coxis cinereis, antennis magnis, femorum posticorum apice tarsisque omnibus nigris; alis hyalinis nervo 4to curvato; abdomine in ♂ violaceo, segmentis 2 et 3 macula laterali flava. ♂.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae; ad Tromsoe d. 24. Jul. semel captus. (Lappon. Norveg.)

*Mas.* Long. $3\frac{1}{4}$ lin. Similis *D. diaphano* et *pellucenti*, ab illo autem magnitudine paullo majori, antennis paullo longioribus et adhuc fere majoribus, coxis omnibus totisque cinereis, femorumque posticorum apice nigro; ab illo, cui magnitudine aequat, capite albido, nec nigro, hypostomate latiori, antennisque multo majoribus et ab utroque abdominis colore cyaneo, segmentis tantum 2 et 3 flavo-maculatis, differt.

**20. D. vestitus**: thorace aureo-viridi, capite, maculis humeralibus pectoreque albo-micantibus, pedibus flavis, coxis cinereis, antennis, femorum posticorum apice tarsisque omnibus fusco-nigricantibus, alis hyalinis, nervo 4to parum curvato; abdomine aut argenteo aut aeneo, immaculato. ♂♀.

*Mas:* antennis capite transverso longioribus, articulo ultimo maximo triangulariter conico, hypostomate parum angustato, abdomine cylindrico toto argenteo, immaculato, incisuris tantum albis, ano breviter inflexo nigro, filis parvis parum exsertis, subsquamaeformibus.

*Fem.:* antennis longitudine vix capitis transversi, articulo ultimo brevi rotundato; hypostomate paullo latiori, abdomine conico cupreo-aeneo-maculato.

Fall. Dipt. Sv. Dolich. 17. 21. certe. ♂♀. *Porphyrops vestitus* Meig. Dipt. 4. 48. 5. (abdomen argenteum descriptum, *marem*, antennae vero *feminam* produnt.)

Hab. in Lapponia rarius; in Dowre etiam ♀ a D. Boheman capta. (Lappon.-Gottlandia, Smoland., Scania, passim rar.)

*Mas.* et *Fem.* Parvus, $1\frac{1}{2}$—$1\frac{2}{3}$ lin. long., sed variat etiam rarius paullo major. Affinis et similis *Dol. diaphano*. Frons virescens albo-micans. Hypostoma albidum. Antennae nigro-fuscae, in ♂ magnae, in ♀ parvae. Coxae anticae in ♀ saepe pallescunt. Femora anteriora in ♂ plerumque basi fusca. Reliqua ut in diagnosi aut in *D. diaphano*.

°° Corpus in utroque sexu obscurum, abdomine oblongo subdepresso immaculato. Antennae breviusculae, articulo ultimo ovato, seta capillari, distincte dorsali. Nervus alar. longit. 4tus rectus fere pone apicem alae in marginem excurrens; ordinar. transversus paullo pone medium, sed tamen longe ante marginem alae situs, qua nota a *Hydrophoro* distinguuntur species. *Masculi:* ano breviter inflexo filis brevissimis, ut et tibiis intermediis varie curvatis dignoscuntur.

Hospit. ad aquas; tardiores. *Medeterus* Meig.

**21. D. scambus**: obscure aeneus s. olivaceus, pectore coxisque posterioribus cinereis, alis fusco-hyalinis, pedibus testaceis, antennis tarsisque nigris; tibiis intermediis in ♂ incurvis dilatatis atris, extus longe setosis ♂.

Fall. Dipt. Sv. Dolich. 19. 26. certe. ♂♀. *Medeterus scambus* Meig. Dipt. 4. 68. 18. ♂. *Medeterus prodromus* Meig. Dipt. 4. 64. 9. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi passim frequenter; in ripis fluminum et supra aquas stagnantes ad Wittangi et Juckasjervi d. 29—30. Jun. haud raro visus, in copula captus; in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Björkvik, Hacksten et Schiervoe d. 14—28. Jul. ♀ haud infrequenter quoque vidi. (Lappon.-Botn. borealis, ex. gr. ad Luleå 8. Maj., et Joh. Ro 1. Sept.-Scania copiose.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin. Statura corporis angusta. Affinitas *Hydroph. bipunctati* et *litorei*, sed multo minor et diversus. Nitidus. Frons triangularis cyanea nitida. Hypostoma grisescens, in ♂ angustissimum, in ♀ angustatum. Alae abdomine multo longiores, fusco-hyalinae, puncto in nervo 4to longitudinali, obsoleto fusco. Pedes tenues. Reliqua ut in diagnosi.

**22. D. curvipes**: obscure aeneus s. olivaceus, pectore coxisque omnibus cinereis, alis fusco-hyalinis, pedibus testaceis, antennis acutis tarsisque nigris, metatarso intermediorum in ♂ brevissimo. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Dolich. 20. 27. ♂♀. *Medeterus curvipes* Meig. Dipt. 4. 65. 10. ♂.

Hab. ad ripas fluminis Tornensis passim; ad Karungi et Wittangi d. 27. Maj. — 14. Jun. inprimis vidi. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. vix 1 lin. Simillimus praecedenti, a quo tamen magnitudine minori, antennis (saltem in ♂) acutioribus; coxis omnibus cinereis, et praesertim tibiis pedum intermediorum in ♂ simplicibus testaceis apice tantum nigris, at metatarso ejusdem pedum paris brevissimo, subarcuato, certe differt. Reliqua ut in priori.

°°° Corpus obscurum abdomine cylindrico. Directio nervorum in alis omnino ut in subdivisione proxime praecedenti. Masculi tarsis apice dilatatis, fere ut in *D. brevipenni* ejusque affinibus.

**23. D. tarsatus**: obscure aeneus, pectore cinereo, alis fusco-hyalinis, pedibus cum coxis flavis, antennis longissimis nigris; apice tarsorum intermediorum dilatato, in ♂ apice tibiarum posticarum incrassato, atris. ♂.

*Hydrophor. tarsatus* Fall. Dipt. Sv. Dolich. 7. 4. ♂. (♀ vero a Cl. auctore descripta certissime ad aliam pertinet speciem, cujus ♂ etiam in Museo meo sub nomine *Hydrophor. hamatus* adest.)

Hab. in Lapponia Umensi passim; in paludosis ad Wilhelmina et pagum Tresunda d. 12—22. Jul. lectus; in Dowre a D. Boheman quoque captus. (Lappon.-Ostrog. Scan. rar.)

*Mas.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Angustus cylindricus, supra aeneus. Antennae ut in *Hydrophoro laticorni* constructae, articulo ultimo longissimo lineari, apice acuto, seta mox juxta apicem; tota nigra. Frons cyanea. Hypostoma angustum obscurum. Venter pallidus. Alae fuscanae, metallice splendentes, nervis omnino ut in *Dol. scambo* et *curvipede* directis. Anus obtusus; genitali parum inflexo, filis brevissimis vix exsertis. Halteres et pedes toti pallide flavi, intermediorum tarsis articulis 3 ultimis dilatatis atris, posticorumque tibiis apice incrassato atro; tarsi ejusdem parvi fusci, extus argenteo-breviter sericei. Femina ignota.

*Sect. 2. Pallescentes, aut corpore toto, aut saltem abdomine maxima ex parte, pallido. Corpus subcylindricum, angustatum gracile, molle. Hospitium in fruticibus nunquam, ad aquas. Motu agiles, inquieti. Volatus celer. Oculi virides.*

**24. D. pallidus**: antennis brevissimis, thorace abdomineque testaceis, pedibus totis pallide flavis, ano maris nigro. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Dolich. 21. 29. ♂♀.

Hab. . . . ut Lapponiae incola mecum communicatus, mihi nec ibi, nec in provinciis adjacentibus obvius. (Lapponia; Ostrogothia freq.; Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Angustus. Frons et hypostoma in ♂ praesertim angustatum, albida. Palpi pallidi. Antennae parvae brevissimae flavae, seta nuda nigra. Scutellum flavissimum. Abdomen supra macula una vel altera fusca. Anus feminae acutus, maris clavatus niger. Alae flavo-hyalinae, nervo 4to longit. subarcuato in summum apicem alae excurrente. Macula sterni nigra. Pectus albo-micans. Metathorax obscurus. Pedes toti pallide flavi. *Obs.* Species Sueciae a D. Fall. descriptas, scilicet: *Dol. abdominalem, ventralem, suturalem, quadrifasciatum, tenellum* et *molliculum* in Lapponia frustra quaesivi.

## 91. Psilopus. Megerl.

Meig. Dipt. Eur. gen. 125. Macq. *Leptopus* °) Fall. *Dolichopus* Fabr.

*Corpus* minoris magnitudinis valde angustum, omnibus partibus teneris et gracilibus. Antennae brevissimae, articulo ultimo parvo patelliformi, seta mox ante apicem inserta, deflexa. Oculi in utroque sexu distincte remoti, nudi. Abdomen ♂ angustissimum subfiliforme, ano inflexo clavato, filis 2 elongatis appendiculato. Alarum nervus 4tus longitud. ante apicem angulum format et deinde arcuatim flectitur: nervo tamen infra angulum fere usque ad marginem interiorem alae continuato. *Color* corporis pallide virescens, pedum pallidus. *Motu* agilis. *Habitatio* in foliis fruticum et sepibus, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas:* major, hypostomate valde angusto, abdomine angustato, ano clavato, bifilato etc. a *femina* hypostomate duplo latiori et ano simplici, mox dignoscitur. (Spec. Scand. 4, antennis brevibus, corpore angusto, oculis disjunctis, alarum nervo 4to furcato, ut et ano maris bifilato dignotae.)

**1. Ps. tipularius**: pallide virescens, capite albicante, antennis flavis, apice fusco, pedibus cum coxis pallidis, nervo 4to in summo alae apice terminato. ♂♀.

*Mas:* alis amplis, tarsis intermediis apice albo atroque.

*Fem.:* alis tarsisque simplicibus.

*Leptopus tipular.* Fall. Dipt. Sv. Dolich. anno 1823. p. 23. 1. ♂♀. *Psil. platypterus* Meig. Dipt. 1824. 4. 36. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. Dolich. 24. 1. ♂♀. T. 1. f. 4. ala. *Dolich. platypterus* Fabr. Antl. 270. 20. sexus tantum femin.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin. Antennae flavae, apice brunneae. Alae hyalinae. Halteres flavi. *Mas:* frons et hypostoma valde angustatum, alba. Abdominis incisurae nigricantes. Anus inflexus viridis, filis nigris. Tarsi intermedii articulis, 3tio toto albo, 4to basi albo, apice atro, 5to atro. *Fem.:* frons virescens. Hypostoma latum cinereum. Abdomen viride immaculatum, apice acutum.

°) *Leptopus* est etiam Hemipteri genus; vide Annales de la Soc. Ent. d. France 1832 Premier Trimestre p. 114 et Planche VI

*Obs.* Species Fallenianae: *Leptop. Wiedemanni* (nervosus MEIG.), *contristans* et *longulus* in Lapponia a me non observatae sunt.

## FAM. 23. EPHYDRINAE. ZETT. (*Hydromyzides*. FALL.

Antennae deflexae. Oculi rotundi exserti (ut in insectis aquaticis plerumque) nudi, distantes. Hypostoma convexum. Setae mystacinae nullae. Directio nervorum in alis fere ut in *Anthomyza* Muscidum, at nervus auxiliaris simplex Larvae in aquis, imagines ad aquas degunt. (*Hydromyzam* FALL. ab hac Familia separavi et ob majorem affinitatem Scatomyzidibus associavi, praeeunte D. MEIGEN.)

### 92. Ochtera. LATR.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 206. FALL. *Musca* DEG. *Tephritis* FABR.

*Corpus* medium; nudum. Antennae incumbentes breves, articulo ultimo ovali compresso, seta basali pectinata, radiis 3—4. Caput nudum. Hypostoma descendens, apice coarctatum, emarginatum. Frons lata impressa. Abdomen ovale depressum, 5-annulatum*). Nervus alar. 4tus longitudine paullo recurvus, mox pone apicem alae in marginem excurrens. Nervus transv. ord. ad marginem alae propius retractus. Pedes antici coxis elongatis, femoribus crassissimis, subtus spinulosis. *Color* nigricans. *Motus:* aegre reptat, tardeque volat. *Habitatio* in plantis aquaticis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* abdomine nonnihil angustiori, ano obtusiore, et genitali parvo inflexo, a *femina* distinguitur. (Spec. Scand. 1, nostra, antennar. radiis paucis femoribusque anticis maximis tumidis, facile dignota.)

**1. O. Mantis**: aeneo-nigricans, hypostomate cinerascente, abdominis lateribus albo-maculatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. 78. 1. *Musca Mantis* DEG. Ins. 6. 143. (at directio nervorum in alis male delineata). *Tephrit. manicata* FABR. Antl. 323. 36. *Ochtera manicata* FALL. Dipt. Sv. Hydromyzides 2. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi et Tornensi mense Jul. pass., ex. gr. ad Lycksele et Juckasjervi; ad Karungi juxta Torneå jam d. 27. Maj. utrumque sexum copiosius legi. (Lappon.-Bottn.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Caput thorace fere latius, oculis scilicet longe exsertis. Hypostoma antice inspectum triangulare Alae incumbentes, hyalinae, ad costam subinfuscatae. Halteres flavi. Squama alba.

### 93. Ephydra. FALL.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 213. FALL.

*Corpus* minoris magnitudinis, parce pilosum subopacum. Antennae deflexae, breves, articulo ultimo oblongo compresso obtuso, seta basali aut plumata aut nudiuscula. Hypostoma fornicatum, saepius pubescens, apice integrum; apertura oris maxima, circularis. Oculi parvi. Frons lata setosa. Abdomen oblongo-ovale depressum, 5-annulatum. Alae elongatae. Directio nervorum in alis ut in Anthomyza, at nervus transversus ordinarius propius plerumque ad marginem alae retractus. Pedes simplices. *Color* nigricans, aenescens. *Motus* haud agilis, at volatus brevis, sat celer. *Habitatio* in uliginosis, imagines supra aquam saepe versantes; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* ut in *Ochtera.* (Spec. Scand. 9, hypostomate fornicato amplo pubescente, et apertura oris inde maxima, circulari, mox dignotae.)

a) Antennar. seta subplumata. Alar. nervi longitudinales omnes recti, transversus ordinar. propius ad marginem alae situs.

**1. E. riparia**: supra olivacea, subtus cum pedibus cinerascentibus, hypostomate pubescente albido, abdomine aeneovirescente, alis fusco-hyalinis ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus obscuris, geniculis testaceis.

Var. b. ♂♀. femoribus obscuris, geniculis, tibiarum tarsorumque basi testaceis.

FALL. Dipt. Sv. Hydromyz. 3. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 117. 9.

Hab in Bossekop Finmarkiae, 4. Aug. frequenter visa, ad Schiervoe Nordlandiae d. 27. Jul. in copula capta, mihi in Lapponia Suecica non obvia. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Supra fusco-aenea, abdomine laetius virescenti. Antennarum seta magis l. minus distincte plumata. Hypostoma in speciminibus lapponicis semper albidum, in Suecicis masculis interdum flavescens. Pectus grisescens. Halteres flavi. Pedes cinerascentes, ut in diagnosi picti.

**2. E. palustris**: tota aeneo-nigricans, pedibus nigris, hypostomate fusco-nigro. setoso; alis hyalinis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Hydromyz. 4. 2. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 115 2.

Hab. in paludosis Lapponiae rarissime, etiam in Dowre a D. BOHEMAN capta. (Lapp.-Dalekarlia Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Parva, long. 1 lin. Tota olivaceo-nigricans, abdomine aeneo nitido nudo. Antennarum seta uno latere (superiori) tantum plumosa. Hypostoma obscurum setosum. Alae hyalinae, nervis transversis fuscedine leviter tinctis. Halteres flavi. Pedes nigri.

b) Seta antennarum pubescens aut nuda.

**3. E. aquila**: tota aeneo-fusca subnitida glabra, hypostomate caerulescenti-aeneo, inferne flavescenti-pollinoso, tibiis basi apiceque extus albo-micantibus; alis hyalinis, nervis transversis fuscedine tinctis; seta antennar. nuda. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Hydrom. 4. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 6 117. 10.

Hab. in Lapponia rarius; in Dowre ad Tofte locis uliginosis d. 31. Jul. a D. BOHEMAN capta. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Long. ♂ 1¹, ♀ fere 2 lin. long. Tota fusco-aenea nitida glabra. Seta nuda. Alae fusco-hyalinae, nervis transversis, fuscedine tinctis, ordinario propius ad marginem alae retracto. Nervus longit. 2dus juxta costam paullo curvatim flexus.

**4. E. stagnalis**: aeneo-fusca aut cinerascens, hypostomate setuloso, griseo aut albido; alis fuscanis, guttis 4—5 albis; seta antennar. pubescente. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Hydrom. 5. 5. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 118. 12. ♂♀.

Hab. in Lapponiae paludosis et ad aquas stagnantes frequenter; scilicet ad Wittangi et Muonioniska, Lappon. Tornensis, et ad Wilhelmina et in Stoettingsfjellet, Lapponiae Umensis, d. 13. Jun. — 17. Aug. sat copiose obvia; in Giebostad Nordlandiae d. 22. Jul. lecta; et in Groenlandia quoque capta, a D. WESTERMANN mecum communicata. (Lappon.-Scan. ubique vulg.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, vix 1 lin. long. Opaca setulosa. *Mas:* totus aeneo-niger, hypostomate griseo-pollinoso, oculis (in viva) aeneis, alis nigricantibus, guttis 4—5 pers,icuis. *Femina:* tota cinerascens subaenescenti micans, hypostomate albido, alis fuscohyalinis, guttis obsoletis. Directio nervorum ut in specie praecedenti, at nerv. transv. ordin. a margine paullo remotior videtur.

Var. b. ♀. alis hyalinis immaculatis, saepe minor, alias v. a. simillima, vix spec. distincta; ad Kengis et Wittangi, Lapp. Tornensis, ad Wilhelmina Lapp. Umensis, nec non in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Andeness, d. 14. Jun. — 22. Aug. visa. Oculi aeneo-virides. (Lappon )

Var. c. ♂. Similis var. a., minor, tarsis posticis flavis; ad Joh. Ro prope Torneå 2. Sept. rar.)

**5. E. quadrata**: nigra, capite obscure griseo, thorace cinerascente, fusco-bivittato, metatarsis flavis; alis cinereis, punctis nigricantibus quadratis ad costam. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Hydrom. 5. 6. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 119. 15.

Hab. in Lapponia Tornensi pass.; ad ripam fluminis Tornensis ad Wittangi d. 13. Jul. inprimis vidi. (Lappon.-Scania vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Minuta vix 1 lin. long. Caput cinereum, fronte et hypostomate setulosis. Apertura oris maxima. Thorax cinerascens. Abdomen nigrum nitidum. Alarum nervi, longitudinalis 2dus elongatus rectus, transversi infuscati. Reliqua ut in diagnosi.

**6. E. furcata**: obscure aenea nitida, ferrugineo-griseopollinosa, metatarsis lividis; alis fumato-hyalinis, nervo secundo longitudinali apice furcato transversisque ordinariis fuscedine late cinctis, fuscedine gutta alba utrinque terminata. ♂♀.

Hab. in humidis Dalekarliae D. BOHEMAN. Long. ♂ 1, ♀ 2 lin. (Lappon. meridion. - in graminosis humidis umbrosis Ostrogothiae et Scaniae Jul. — Sept. pass. freq.)

*) C. MEIGEN l. c. abdomen 5-annulatum describit, mihi autem 6-annulatum in utroque sexu videtur, licet segmentum ultimum parvum.

*Obs. Ephydr. coarctata* FALL., in Ostrogoth. et Scan. passim, in Lapponia hactenus non, visa.

## 94. Notiphila. FALL.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 204. FALL.

*Corpus* parvum l. minutum. Antennae breves deflexae subremotae, articulo ultimo oblongo aut rotundato, seta basali pectinata aut subnuda. Hypostoma parum descendens, nudiusculum subangustatum bisulcatum, in medio convexum, apice inflexum, apertura oris parva. Frons lata setosa. Oculi parvi. Abdomen subdepressum ovatum aut oblongum. Alae incumbentes, abdomine longiores, nervis ut in *Ephydra* directis, transversis saepe longe remotis. Pedes simplices. *Color* cinereus, niger. *Motus* sat celer; volatus brevis. *Habitatio* ad aquas, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas*: a *femina* ut in genere praecedente dignoscitur. (Spec. Scand. 19 hypostomate angustiori bisulcato, in medio elevato, apice inflexo, fronte lata, setosa, alisque abdomine longioribus, nervis transv. interdum longe remotis, dignotae.)

a) Seta antennarum pectinata seu uno latere plumata.

* Alar. nervus costalis cum 3tio longitudinali in apice alae connexus.

**1. N. cinerea:** fulvescenti grisea, abdomine cinereo fuscomaculato, antennar. medio, geniculis, tibiis tarsisque testaceis; alis griseo-hyalinis, immaculatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Hydrom. 8. 2. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 64. 1.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ — $1^1$ lin. Tota fulvescenti grisea, parce setulosa, supra subfuscior. Antennar. articulus ultimus basi testaceus. Seta uno latere longe plumosa. Alae longae, cinereo hyalinae, nervo transverso medio ad basin retracto, apici nervi auxiliaris brevis praeciso opposito. Halteres et palpi flavi. Reliqua ut in diagnosi.

Var. b. ♀. Similis var. a, paullo major et pedibus nigricantibus, geniculis omnibus et metatarsis posticis flavis. Ad Karesuando Lapp. Tornensis d. 15. Aug. semel capta.

**2. N. caudata:** nigricans s. obscure olivacea, tarsis testaceis; alis hyalinis; setis supra anum in ♂ elongatis, una serie tansversim dispositis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Hydromyz. 8. 1. ♂♀. *Dichaeta caudata* MEIG. 6. 62. 1.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lappon.-Botnia borealis ad Johannis Ro unicum exemplar d. 2. Sept. captum. Scania pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1^1$ lin. et ultra. Crassa robusta opaca, olivaceo nigra. Statura prioris. Tarsi inprimis postici lutescentes. Alae fusco-hyalinae immaculatae. Abdominis segmentum anale ♂ supra setis circiter 10 longis una serie dispositis, et praeterea setis 2 approximatis ab apice ani sursum flexis, instructum. Apex abdominis in ♀ pilosus.

*Obs. Not. annulata* FALL. in Lapponia vix obvia.

** Nervus costalis cum 4to longitudin. pone apicem alae conjunctus.

**3. N. griseola:** aenescenti grisea, antennis nigris, hypostomate aureo aut flavescenti, puncto supra antennas albo, metatarso postico testaceo, alis cinereo-hyalinis immaculatis. ♂♀.

*Mas*: hypostomate flavo-aureo.

*Fem.*: hypostomate flavescenti.

FALL. Dipt. Sv. Hydrom. 9. 5. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 66. 6. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, vix 1 lin. long. Grisea setulosa. Hypostoma setulis paucis, brevissimis. Alae ut in priori. Halteres flavi. Pedes obscure cinerascentes, metatarso posticorum flavo.

**4. N. nigripes:** cinerea, pedibus concoloribus immaculatis, hypostomate antennisque flavescentibus, puncto supra antennas albo; alis hyalinis immaculatis.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in graminosis ad Wilhelmina d. 18 Jul. semel capta. (Lapponia.)

*Mas.* [M]inuta, vix $\frac{3}{4}$ lin. long. Tota cinerea setulosa. A *N. griseola* differt: antennis flavis, et pedibus cinereis immaculatis. Antennae breves, basi nigrae, articulo ultimo rotundato flavo. Hypostoma flavescens, setis mystacinis paucis. Oculi virescentes. Abdomen certo situ aenescenti micans. Halteres citrini.

*Obs.* Species Sueciae a FALL. descriptae scilicet: *Notiph. plumosa, albifrons, glabricula, obscurella, flavicornis* et *pullula* in Lapponia huc usque non observatae.

b) Seta antennarum subnuda. Nervus costal. pone apicem alae cum 4to longitudinali connexus.

**5. N. aenea:** aeneo-nitens glabra, hypostomate griseo, antennis nigris, tarsis posticis basi flavis; alis cinereo-hyalinis immaculatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv Hydrom. 11. 11. ♂♀.

Hab. in Nordlandia rarissime, ad Bjorkvik d. 14. Jul. capta (Lappon-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Tota obscure aenea nitida nuda, fronte setulosa. Alae ut in *N. griseola.* Halteres flavi.

*Obs.* Specimina, quae in Scania leguntur, corpore punctulato et thorace subvittato dignoscuntur a lapponicis, corpore laeviori et thorace immaculato; an specie distincta?

**6. N. vittipennis:** cinereo-grisea, thorace subvittato, abdomine postice nigro, antennis subtus tarsisque flavis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis vittaque longitudinali intra costam fuscis. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; in graminosis ad Karesuando Lapponiae Tornensis et ad Lycksele Lapponiae Umensis, d. 12-15. Aug. inventa. (Lappon. Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Long. $\frac{3}{4}$ lin. *Ephydrae posticae* MEIG. valde affinis et similis videtur, hypostomate griseo nec flavo, antennis subtus flavis, nec totis brunneis, ut et thorace alisque fusco-vittatis, nec immaculatis, distincta. Frons et corpus parce setulosa. Alar. nervi transversi subapproximati, ordinarius scilicet paullo longius solito a margine remotus. Vitta fusca inter nervum longit. 2 et 3. Halteres flavi. Pedes nigricantes, tarsis flavis, articulo ultimo nigro.

**7. N. guttata:** nigra nitida, hypostomate albido, antennis subtus pedibusque testaceis; alis hyalinis, albo-biguttatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Hydrom. 11. 12. ♂♀. *Ephydra guttata* MEIG. Dipt. 6. 125. 31. (secundum descript. FALL. transscripta.)

Hab. in Lapponia rarissime; secundum meas annotationes sub itinere Lapponico 1821, factas, specimina 2, unum ad Luleå Botniae borealis d. 9. Maj., et alterum ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 14. Jun. inveni; in collectione insectorum Lapponicorum, quam separatam ordinavi et conservavi, non diutius praesentia, deperdita. (Lapponia; Botnia; Scania passim.)

*Mas* et *Fem.* Minutissima, circiter $^1$ lin. longa. Subglabra, tota nigra nitida. Hypostoma albidum, pubescens. Frons setulosa. Abdomen ut in *Psilopa* constructum. Alae hyalinae, guttis 2 albis, certo situ tantum perspicuis. Nervi longitudinales, 2dus brevis juxta costam inflexus, 5tus etiam curvatus; transversi sat approximati. Halteres flavi. Pedes breviusculi lutei. — (Descriptio secundum specimen Scanicum facta.)

*Obs.* Species Fallenianas: *N. pictum*, *punctato-nervosam*, *flavipedem* et *interstinctam* nec in Lapponia nec in provinciis borealibus adjacentibus vidi.

## 95. Psilopa.*) FALL.

FALL. Hydromyzides Suec. Ann. 1823. p. 6. *Notiphilae* species MEIG.

*Corpus* minutissimum. Antennae parvae deflexae; articulo ultimo subangulato, basi seta dorsali pectinata. Caput antice convexum, hypostomate subaequali. Oculi maximi remotiores. Alae ut in *Notiphila*, nervo auxiliari paullo breviori et transverso medio ad basin alae plerumque longius retracto. Abdomen deflexum depressum. Pedes breviusculi. *Color* niger; viridis. *Motus* Notiphilae. *Habitatio* in graminosis, vix ad aquas: per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in *Notiphila*. (Spec. Scand. 6, capite antice magis aequali, antennis apice subangulatis, seta semper plumata, oculis majoribus, alis saepe brevioribus, nervo transv. medio ad basin alae magis retracto, auxiliari breviori, abdomine subdeflexo et pedibus breviusculis a *Notiphilis* distinctae.)

**1. Ps. madizans:** nigra glabra, antennis basi pedibusque luteis, alis abdomine plano brevioribus hyalinis; nervis transversis subinfuscatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Hydrom. 7. 2. ♂♀. *Notiphila madizans* MEIG. Dipt. 6. 74. 32. (secund. FALL. exscripta.)

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Karungi d. 27. Maj. lecta. (Lapp.-Botn.-Scan. pass.)

*) Nomen recentius *Psilopus* pro genere Dolichopodum a Clar. MEIGEN usurpatum, non impedit, me putante, quo minus hoc (*Psilopa*) vetustius et consonans, aliaque terminatione gaudens, retinere possim.

*Mas* et *Fem.* Long. $\frac{2}{3}$ lin. Tota nigra parum nitida, nuda. Seta mystacina brevis, unica utrinque. Hypostoma non latum, cinereum. Frons lata nigra setulosa. Antennae fuscae, basi flavae. Alae abdomine fere breviores. Halteres albi. Pedes validi cum coxis totis lutei.

**2. Ps. nitidula**: aeneo-viridis nitida, antennis basi, tibiis tarsisque posterioribus flavis; alis abdomine paullo longioribus hyalinis immaculatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Hydrom. 7. 4. ♂♀. *Notiphila nitida* MEIG. Dipt. 6. 75. 34. (secund. FALL. exscripta, MEIGENO ignota.)

Hab. in Lapponiae graminosis rar. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo prioris. Viridis, interdum subcaerulescens. Seta mystacina utrinque distincta. Frons viridis setulosa. Hypostoma aenescens. Antennae fuscae, basi flavae. Abdomen subconicum. Alae hyalinae. Nervi tenues, auxiliari brevissimo, transverso medio in basi alae sito. Pedes aenei, posteriorum geniculis, tibiis tarsisque flavis. — Affinis *Drosophilae glabrae*.

*Obs. Psilopa marginella* FALL. ut et *Psil. incurva* FALL. (seu *Discomyza* MEIG.) in Lapponia a me non observatae fuerunt.

°° Palpi filiformes.

## FAM. 24. OCHTIPHILINAE. ZETT. (*Ochtidiae* FALL.)

Antennae subporrectae longiusculae, apice angulatae, seta nuda. Oculi rotundi exserti nudi distantes. Hypostoma subimpressum. Alarum nervi ut in *Notiphila*. Habitat saepius in scirpinis.

### 96. Ochtiphila. FALL.

FALL. Dipt. Sv. Ochtidiae p. 9. MEIG. Dipt. Eur. gen. 210. *Chamaemyia* PANZ.

*Corpus* minutum oblongum. Antennae subporrectae, articulo ultimo subtus rotundato, apice supra angulato, basi seta dorsali nuda. Hypostoma subimpressum, nudum aut mystacinum. Frons lata setosa. Oculi brunnei interdum virescentes. Abdomen 5-annulatum. Alae incumbentes, nervo transverso ordinario non longe a margine alae sito. Squama parva, at distincta. Pedes simplices. *Color* cinereus. *Motus* haud celer. *Habitatio* in graminosis, juncetis, praeprimis ad littora et ripas; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* ut in *Notiphila*. (Spec. Scand. 4, structura antennarum, seta nuda, et fronte setosa praeprimis distincte.)

**1. O. Juncorum**: cana, capite concolore, antennis femoribusque nigricantibus, tibiis tarsisque flavis, abdomine griseo, bifariam nigro-punctato; alis hyalinis; seta mystacina nulla. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ochtid. 9. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 92. 3.

Hab. in paludosis Lapponiae passim; ad Novacculum Umenaes et ad lacum Wojmsjoen, Lapponiae Umensis, d. 7—11. Jul. frequenter visa; e Lapponia Tornensi a D. DEUTSCH communicata, et in inferalpinis maritimis Nordlandiae ad Andeness d. 23. Jul. rarius capta. (Lappon.-Scan. passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Tota cinerea. Antennae nigricantes. Frons setosa. Oculi ferruginei. Abdomen griseum, punctis duplici serie minutis nigris, ano in ♀ acuto, in ♂ obtuso. Alae pallide nervosae. Halteres flavi. Femora cinerea, geniculis, tibiis tarsorumque basi testaceis, his apice fuscis.

*Obs.* Feminam oviparam, ova elongata alba, parientem vidi.

**2. O. littorella**: cinerea, hypostomate aut fulvo in ♂, aut argenteo in ♀, maculis supra antennas in utroque sexu albissimis; alis hyalinis, ore seta utrinque mystacina. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ochtid. 10. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 93. 6. ♂♀.

Hab. in paludosis Lapponiae haud infrequenter; scilicet ad Umenaes, Tresunda et Åsele, Lapponiae Umensis; Kengis et Karesuando, Lapponiae Tornensis, nec non ad Björkvik, Dyroen, Finkrog et Bossekop, Nordlandiae Finmarkiaeque, vulgaris, d. 7. Jul. — 22. Aug. capta. (Lappon.-Scan. ad littora maris freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Tota cinerea setulosa opaca. Antennae subtus, palpi filiformes et proboscis, nigra. Vertex et thoracis dorsum, grisea. Alae cinereo-hyalinae. Nervus transv. medius parvus infuscatus, fere in medio alae situs. Nervus secundarius ad costam adest. Squama et halteres sordide albida. Tibiae et tarsi albicantes. Alarum costa setosa. Incisurae abdominis in ♀ saepe nigrae lucidae. Reliqua ut in diagnosi.

**3. O. geniculata**: obscure cinerea, capite toto cano, antennis subtus pedibusque nigricantibus, geniculis et proboscide flavis; alis hyalinis; seta mystacina nulla. ♂♀.

Hab. in Nordlandia rarissime; ad Bjorkvik d. 15. Jul. semel capta. (Lappon.-Norveg. Dalekarlia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Similis priori, differt: capite toto cano, proboscide flava, setulis oris brevibus, at seta mystacina distincta nulla, alis immaculatis, corpore obscuriori, et pedibus nigricantibus, geniculis testaceis; de cetero similis.

**4. O. aridella**: cana, capite concolore, antennis femoribusque nigricantibus, geniculis, tibiis tarsisque flavis, abdomine immaculato; alis albo-hyalinis; seta mystacina nulla. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ochtid. 10. 2. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 92. 1.

Hab. in Lapponia Finmarkica rarissime; in Pinu sylvestri ad Bossekop d. 6. Aug. capta, in Lapponia Suecica mihi non obvia. (Lappon.-Scan. in agris et pascuis aridis freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 1 lin. Simillima *Ocht. Juncorum*, a qua non differt nisi magnitudine paullo minori, colore corporis nonnihil laetiori, alis albidioribus, ut et abdomine omnino immaculato.

*Obs. Phyllomyza securiformis* FALL. (*Agromyza* eadem MEIG. 6. 171. 13. Add. 6. 384.), genus et species Faunae nostrae ignota.

## FAM. 25. SCATOMYZIDES. FALL.

Antennae deflexae, apice truncatae. Palpi extus saepissime latiores, clavati. Caput globosum. Oculi distantes. Hypostoma mystaceum. Alae incumbentes. Nervi ut in *Anthomyza* Muscidum directi.

### 97. Scatomyza. FALL.

FALL. Dipt. Sv. Scatomyzid. p. 2. *Musca* LINN. DE GEER. FABR. *Scatophaga* LATR. MEIG.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, raro minoris; oblongum crebro pilosum. Antennae articulo ultimo obtuso, basi seta dorsali plumata aut nuda. Hypostoma descendens. Abdomen 5-annulatum. Alae abdomen longe superantes. Nervus auxiliaris ad medium costae extensus. Pedes validi, tibiis spinulosis. *Color* niger, subpubescentia saepe lutea. *Motus* sat celer. *Habitatio* in fimetis et uliginosis; per partem sylvaticam Lapponiae, alpinam et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larvae* in stercoratis degunt. Status pupae 10—14 diebus. Victus imaginum: praeda ex aliis insectis. *Differentia sexus*; *mas*: corpore densius hirsuto, abdomine lineari, apice crassiori; *femina*: corpore pube rariori vestito, abdomine oblongo, apice acuto. (Spec. Scand. 19, hypostomate subdescendente, palpis vix dilatatis, antennis apice obtuso, et alis abdomine longioribus, a Cordylura, alias affini, distinctae.

° Seta antennarum distincte plumata.

**1. S. scybalaria**: griseo-lutescens, capite, antennis, palpis pedibusque luteis, alis flavis, nervo transverso ordinario subarcuato. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Scat. 3. 1. ♂♀. *Musca scybalaria* LINN. Fn. Sv. 1860. FABR. Antl. 307. 18. *Scatophaga scybalaria* MEIG. Dipt. 5. 247. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia boreali rarius, in meridionali, ex. gr. ad Lycksele frequentius, mense Julio et Aug. vigens. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5 lin. Tota rufa, thoracis dorso obscuriori, griseo. Setae mystacinae plures nigrae. Palpi clavati. ♂ abdomine lineari angusto, dense hirsuto luteo; ♀ abdomine oblongo depresso pubescente griseo-maculato.

**2. S. suilla**: griseo-lutescens, capite, antennis, palpis pedibusque luteis, alis flavo-hyalinis, nervo transverso ordinario recto. ♂♀.

Var. ♂♀. alis immaculatis.

FALL. Dipt. Sv. Scat. 5. 2. var. α. et β. vera. ♂♀. An etiam *Scatophaga lutaria* MEIG. Dipt. 5. 249. 4? et FABR. Antl. 306. 115? ♀. (obstat tamen linea dorsalis abdominis in nostris speciminibus, iisque pluribus, nulla.)

Var. b. ♂. alarum nervis transversis infuscatis.

FALL. l. c. var. γ. *Scatophaga suilla* FABR. Antl. 206. 14.

Var. c. ♀. paullo minor, vix 3 lin. long. antennar. articulo ultimo fusco-testaceo, alar. nervis transversis abdominisque segmentorum basi fasciis in medio latioribus, fuscis.

Hab. cum priori in Lapponia frequentius; scilicet var. a. ad Juckasjervi et Lycksele, ut et ad Giebostad et Lyngen Nordlandiae; var. b. ad Wojmsjoen, Juckasjervi et Lyngen, 20. Jun. — 30 Aug. frequenter visa; sed var. c. tantum ad Lycksele et Fredrica, Lapponiae Umensis, d. 24. Jun. et 31. Jul. parcissime capta. (Lapp.-Scan. v. a et b. vulgatiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin. Simillima priori, magnitudine minori, thoracis dorso magis fuscescente, alis minus flavis et praesertim nervo transv. ord. omnino recto differt. Variat praeterea corpore magis vel minus fusco-maculato.

**3. S. stercoraria**: grisea, capite, palpis, tibiis tarsisque testaceis, antennis femoribusque nigris, alis flavo-hyalinis; nervis, transversis rectis, medio nigredine cincto. ♂♀.

*Mas*: abdomine pedibusque dense luteo-hirsutis.

*Fem.*: abdomine non dense griseo- irsutis; in copula.

FALL. Dipt. Sv. Scatom. 4. 3. ♂♀. *Musca stercoraria* LINN. Fn. Sv. 1861. FABR. Antl. 307. 19. ♂. *Scatophaga stercoraria* MEIG. Dipt. 5. 248. 2. ♂♀. An etiam *Musca merdaria* FABR. Antl. 306. 114 ? ♀.

Hab. in stercore animantium praesertim humano, in Lapponia passim; in Lapponia Tornensi seu boreali rarius occurrit; in Lapponia vero meridionali, ex. gr. ad Lycksele et Tresunda, nec non in inferalpinis Nordlandiae ut ad Lyngen, frequentiorem vidi; in tota reliqua Suecia vulgaris, a mens. Majo usque ad Octobr. Ova oblonga alba, apice corniculis 2 instructa, in stercore deponuntur. Femina, e pupa oblonga nuda brunnea ad aquam prope Juckasjervi capta, die 28. Jun. exclusa. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)

*Mas.* et *Fem.* Long. ♂ 4—4½. ♀ 3—4 lin. long. A prioribus mox dignoscitur antennis nigris. Seta tenuiter plumata. Mas femina major, magis coloratus et hirsutior.

**4. S. borealis**: cinereo-nigricans, capite, antennis pedibusque concoloribus, palpis sordide albidis, alis fusco-hyalinis. ♂♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae passim; ad Bjorkvik et Giebostad utrumque sexum d. 14—22. Jul. haud infrequenter legi; in districtu Trondhjems Amt Norvegiae ad Naes, mas mense Junio a D. BOHEMAN etiam lectus mihique communicatus. (Lapponia Norvegica in littore Oceani.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3½ lin. *Scat. litoreae* (No. 8) valde affinis et similis, sed corpore cum capite et pedibus nigricante, alis basi vix albidis et antennarum seta subplumata differt. Palpi longi simplices albi, nigro-setosi. Vitta frontalis atra. Oculi in viva brunnei. Thorax cinereo- et fusco-alternatim vittatus. Abdomen et pedes nigro-cinerascentia, tarsis subtus ferrugineo-hirtis. Halteres flavi.

*Obs.* *Cordyl. Scatomyzoides* mihi, Scatomyzae generi habitu similis, notis essentialibus *Cordylurae* magis proxima, ibique melius invenienda. Vide *Cordylur.* No. 10.

** Seta antennarum subplumata s. pubescens.

**5. S. glabrata**: testacea, occipite, thoracis dorso abdominisque incisuris nigricantibus, capite albido, antennis, fronte pedibusque flavis, alis pallide hyalinis, nervis transversis rectis subinfuscatis. ♀.

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime; ad Bossekop prope Alten non longe a capite septentrionali (Nordcap) die 8. Aug. unicum exemplar legi. (Lapponia Norvegica borealis-Dalekarlia Sueciae rarissime.)

*Fem.* Long. 3 lin. Affinis et similis *Scat. suillae*, at certe distincta. Corpus minus hirsutum, quam in prioribus. Antennae flavae, seta nigra, tenuiter et breviter plumata. Oculi in viva brunnei. Hypostoma albo-corneum, setis mystacinis paucis nigris. Frons lutea, puncto ante antennas fusco. Vertex inaequaliter niger. Thorax dorso nigricans, subtus et maculis humeralibus testaceis. Scutelli apex testaceus, bisetosus. Abdomen oblongum, depressum nitidum nudum testaceum incisuris nigris. Alae abdomine longiores, pallidae, nervis transversis infuscatis. Halteres et pedes pallide flavi, hi pubescentes et leviter spinulosi. — Vix femina *Cordylurae pallidae* FALL.

*** Seta antennarum nuda.

(*Anthomyza canescens* et *scatophagina* mihi, huic generi affines, in Muscidum Familia inter *Anthomyzam* sub speciebus 67 et 69 quaerendae.)

**6. S. squalida**: griseo-flavescens, capite testaceo, vitta frontali fulva, palpis pallidis, antennis, abdominis apice pedibusque ferrugineis, metathorace cinereo; alis flavescentibus, nervis transversis rectis fuscis. ♂♀.

*Scatophaga squalida* MEIG. Dipt. 5. 252. 10. ♂♀.

Hab. in ripis fluminis Tornensis passim rar.; ad Wittangi et Juckasjervi ipse inveni, ut etiam a D. FRIGELIO capta; ad Lycksele rarissime; ad Giebostad Nordlandiae quoque parce legi; d. 16. Jun. — 22. Jul. mihi obvia. E Groenlandia a D. WESTERMANN olim missam in collectione mea nomine: *Scat. nudiseta* ZETT., impositam asservavi. (Lappon.-Scan. in copula rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Affinis et similis iterum *Scat. suillae*, seta antennarum rufa et nuda mox distincta. Vitta frontalis apice postico emarginata, fulva. Vertex griseus. Thorax grisescens. Abdomen griseum, posterius plerumque dilutius; incisuris saepe nigricantibus. Halteres pallidi. Pedes toti ferruginei et villosi, femoribus anticis basi plus minus late cinerascentibus, tibiis omnibus nigro-spinosis.

**7. S. fuscinervis**: cinereo-grisea, hypostomate albido, vitta frontali crocea, palpis pallidis, antennis fuscis, pedibus ferrugineis, femoribus anticis late cinereis; alis pallidis, nervis transversis rectis, fuscedine late cinctis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi passim; in ligno recenti et in paludosis ad Wittangi, Juckasjervi et usque ad regionem subalpinam circa lacum insignem Tornetråsk d. 14. Jun. — 10. Jul. inveni. Mares 2, unum in Dowre mense Julio et alterum in stercore equino juxta ipsam nivem in Kloeffjoeffjellet in Herjeådalen d. 16. Maj. quoque legit mihique misit D. BOHEMAN. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½—3 lin. Caput albo-corneum, vitta frontali antice crocea, posterius fulva, vertice et occipite griseis. Palpi albi extus clavati. Thorax cinerascens, dorso griseo. Alarum nervi transversi distincte infuscati, longitudinales apice etiam fuscedine cincti. Abdomen cinereum, in ♂ posterius supra rufo-maculatum, in ♀ ano rufescenti. Pedes cum coxis rufi, femoribus anticis late cinereis. A *Scatophaga rufipede* MEIG., cui similis videtur differt: magnitudine paullo majori, corporis colore paullo dilutiori, pedibus rufis, nec testaceis femoribus anticis cinereis, ut et nervis transversis infuscatis.

**8. S. litorea**: obscure grisea, hypostomate albido, vitta frontali fulva, palpis pallide flavis, antennis nigris, tibiis testaceis, alis immaculatis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. femoribus nigricantibus, geniculis, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

FALL. Dipt. Sv. Scatom. 4. 4. ♂♀. *Scatophaga litorea* MEIG. Dipt. 5. 254. 15. ♂♀.

Var. b. ♂ (saepe in copula c. var. a. ♀), tibiis totis nigro-cinereis, tibiis vix piceis.

Hab. utraque varietas in litoribus maris borealis et glacialis Nordlandiae et Finmarkiae passim; ad Björkvik, Evenäs, Lyngen, Raschstind et Bossekop, frequenter, d. 14. Jul. — 18. Aug. visa; var. b. ♂ in Dowre a D. BOHEMAN quoque lecta; sed nec in interiori Lapponiae Norvegicae, nec in Lapponiis Suecicis haec species a me unquam inventa. (Lappon.-Gottlandia, Bahusia, Scania, semper ad littora maris, frequenter.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Tota obscure cinerea, villosa. Caput sordide albo-corneum, macula frontali fulva, vertice nigricante. Seta antennar. nuda. Setae mystacinae et frontales nigrae. Thorax sublineatus. Alae griseo-hyalinae immaculatae, basi pallidiores, nervis transversis rectis. Halteres flavi. Femora nigro-cinerea, summa basi, geniculis tibiisque rufis. Tarsi nigricantes, saepe rufi. Var. b. pedibus fere totis nigricantibus.

**9. S. Fucorum**: cinereo-nigra, capite, antennis, palpis pedibusque concoloribus, alis immaculatis. ♂♀.

*Mas*: ano inflexo, femoribus posticis basi fasciculo pilorum;

*Fem.*: ano simplici, femoribus posticis fasciculo pilorum nullo.

FALL. Dipt. Sv. Scatom. 5. 5. ♂♀. *Scatophaga Fucorum* MEIG. Dipt. 5. 253. 14. ♂♀.

Hab. in littoribus ad mare boreale et glaciale passim; scilicet in sinubus interioribus ad Ofotenfjord, Langfjord et Altenfjord, d. 15. Jul. — 5. Aug. frequenter visa. (Lappon.-Gottland. Bahusia, Scania, ad littora maris vulgaris; sed etiam in interiore parte Sueciae mediae, ex. gr. in litore lacus Wettern Ostrogothiae passim.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 3 lin. Similis priori, differt: colore obscuriore, palpis brevioribus pedibusque totis, nigris. Subopaca setosa, sed parum pubescens. Hypostoma saepe grisescens. Thorax sublineatus. Abdomen in utroque sexu simile, genitali maris sub ano breviter inflexo. Fasciculus pilorum brevium in basi femorum posticorum subtus in ♂ adest. Alae hyalinae immaculatae, nervis transversis rectissimis. Costa distincte ciliata. Nervus transv. ord. ad marginem alae retractus; hinc a sequente dignoscitur species. Halteres flavi.

**10. S. affinis**: obscure grisea opaca, capite cinerascente, antennis, palpis filiformibus pedibusque nigricantibus, alis immaculatis; hypostomate descendente. ♂♀.

*Mas:* abdomine cylindrico, linea dorsali subinterrupta obsoleta fusca, genitali sub ano lamellis 2 cincto, oculis in fronte approximatis.
*Fem.:* abdomine conico cinereo immaculato, oculis late remotis, vitta frontali nigra.

Hab. in ripa fluminis Tornensis, ex. gr. ad Juckasjervi d. 3. Jul. rar., ad litus maris borealis ad Bjorkvik Nordlandiae et ad flumen Altense Finmarkiae d. 14. Jul. — 3. Aug. quoque capta. (Lapponia septentrionalis.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½ lin. Simillima priori, plerumque paullo minor, tota opaca, et differt certe: colore corporis magis grisescente, fronte magis prominula, hypostomate infra oculos longius descendente et cinereo, alarum costa minus setosa, nervo transverso ordinar. paullo longius a margine alae remoto etc. De cetero similes, praeter differentiam sexus in singula specie quoque diversa. Oculi parvi remoti.

**11. S. muscaria:** thorace obscure griseo, capite ferrugineo, vertice, antennis, palpis, abdomine, halteribus pedibusque nigricantibus, alis hyalinis immaculatis; fronte prominente. ♀.

Hab. in Lapponia Tonensi rarissime, in ripa fluminis ad Juckasjervi d. 23. Jun. 1821 unicum specimen inveni. (Lapponia.)

*Fem.* Long. 2¼ lin. Caput totum ferrugineum, vertice et occipite nigricantibus, setosis. Antennae oblique porrectae elongatae fusco-nigrae, basi ferrugineae, seta nuda ad medium incrassata. Frons prominula, inter oculos lata. Oculi ovati. Hypostoma descendens subexcavatum, setis mystacinis pluribus. Palpi clavati nigri, basi albidi. Thorax fusco-griseus opacus. Abdomen ovatum depressum acutum nigrum nitidum. Alae hyalinae, basi pallidiores, nervis transversis rectis non infuscatis. Squama parva ciliata alba. Halteres et pedes nigri.

**12. S. muscaeformis:** obscure cinerea setosa opaca, thorace fusco-vittato, capite griseo, antennis palpisque nigris; alis albo-hyalinis, halteribus flavis; oculis rotundis. ♀.

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime; ad Bossekop 3. Aug. semel capta. (Lapp. borealis.)

*Fem.* Long. 2¼ lin. A. *S. affini* (No. 10) vix nisi abdomine magis setuloso differt. Tota obscure cinerea opaca, undique distincte setosa. Habitus omnino Anthomyzae vel Muscae, et oculis rotundis et squama sub alis parva dignota. Hypostoma descendens albo-griseum, setis utrinque mystacinis pluribus. Frons subprominula, supra brunnea vel fusco-picea. Orbita oculorum cinerea. Antennae breviusculae nigrae, apice obtusae, rotundatae, seta nuda, basi incrassata. Thorax cinereus, vittis 3 latis fuscis. Abdomen oblongum depressum, obscure cinereum. Alae hyalinae, costa ciliata, nervo transv. ord. paullo a margine alae remoto. Pedes mediocres, toti cinerascentes et setulosi.

**13. S. muscina:** cinerea opaca setosa, capite rufo-flavo, fronte fulva, antennis nigris, palpis albis, apice fuscis; alis, halteribus, ano pedibusque flavis, horum anticis tarsisque omnibus obscuris. ♀.

Hab. cum praecedente; d. 10. Aug. 1821 unicum specimen deprehendi. (Lapp. borealis.)

*Fem.* Long. 2 lin. Statura *S. muscaeformis*. Tota cinerea opaca, undique distincte setosa. Caput rufo-flavum albo-micans. Hypostoma breve, apice prominulo. Antennae breviusculae validae atrae, basi macula rufa; apice rotundatae. Seta nuda s. oculo armato brevissime pubescens, capillaris fusca, basi incrassata nigra articulata (ad basin articuli ultimi in una antenna (monstrosa?) seta nuda elongata distincta adparet). Oculi rotundi. Frons vitta fulva. Vertex macula triangulari cinerea. Orbita oculorum albida. Palpi breves subfiliformes albidi, apice fusci. Thorax, scutellum et abdomen ovatum depressum, cinerea immaculata distincte setosa. Abdominis segmentum ultimum rufo-flavum. Alae hyalinae basi flavae, nervis pallidis; costa ciliata. Nervus transv. ord. paullo a margine alae remotus. Halteres pallidi. Pedes spinulosi flavi, antici cinereo-picei, tibiis dilutioribus; postici tarsis nigris.

**14. S. heteromyzina:** cana opaca setulosa, thorace lineato, capite rufo-flavo, fronte fulva, antennis nigris, palpis albis, abdominis limbo late, pedibusque flavis; alis albo-hyalinis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 4. Jun. unicum specimen inveni. (Lapponia.)

*Fem.* Long. 1¾ lin. Affinis *Heteromyzae*, antennarum articulo longiori distincta. Hypostoma parum descendens, flavum, albo-micans, setis mystacinis paucis pallidis. Palpi extrorsum latiores, albi. Proboscis nigra. Frons non prominula, vitta fulva. Orbita oculorum, macula verticis triangularis ut et capitis posticum, laete cinerea. Antennae hypostomate breviores, oblique deflexae, nigrae, apice obtusae, seta nuda fusca. Thorax laete canus, lineis 2 anticis angustis nigris. Scutellum canum. Abdomen oblongo-ovatum depressum pubescens flavum, disco antico fusco. Alae albo-hyalinae, nervis ut in proxime praecedentibus directis, at transverso ordinario paullo propius ad marginem alae retracto. Squama parva et halteres pallidi. Pedes validi, toti flavi, setulis aliquot nigris.

**15. S. frontata:** thorace obscure griseo- et fusco-vittato, capite rufescente, vertice, abdomine pedibusque fuscis, antennis nigris, palpis sordide albis, alis hyalinis, immaculatis; fronte valde prominula. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in ripa fluminis ad Juckasjervi d. 20. Jun. unicum exemplar inveni. (Lapponia borealis.)

*Fem.* Long. 2 lin. Similis priori, antennis brevioribus totis atris, seta basi tantum incrassata, fronte distinctius prominente, palpis dilutioribus, abdomine fusco opaco, halteribus albidis, ut et pedibus nigro-piceis, abunde distincta. Hypostoma flavum, albo-maculatum. Reliqua ut in diagnosi.

**16. S. Argus:** griseo-fusca, hypostomate palpisque albidis, antennarum medio pedibusque fusco-rufescentibus, alis brunneo-ocellatis, pupilla nigra. ♂♀.

Hab. in ripis arenosis fluminis Tornensis passim; ad Wittangi, Juckasjervi et ad lacum Tornensem, d. 15. Jun. — 8. Jul. frequentiorem vidi. In superficie aquarum stagnantium alis vibrantibus quasi volitando saepe currit. In alpe Dowre a D. BOHEMAN quoque lecta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Angusta, tota fusco-brunnea parum nitida, pubescens, *Cordyluram* mentiens, ob alas abdomine longiores ad *Scatomyzam* relata. Frons vix exserta. Antennae breves fuscae, medio rufae. Seta nuda, basi incrassata. Macula supra antennas ferruginea. Vertex setosus. Hypostoma nigrum albo-micans. Genae argenteae. Oculi rotundi, mediocriter distantes. Thorax subvittatus. Alae hyalinae, maculis articularibus ad costam crebrioribus, seu inter nervum 2 et 3 longitudinalem 5 vel 6 locatis, brunneis nigro-pupillatis, in viva distinctis, in mortua obsoletis. Femora aut nigro-cinerea aut livida, geniculis, tibiis tarsisque lividis s. obscure rufis.

**17. S. signata:** tota cinerea, macula frontali lutea, antennis, palpis pedibusque cinereo-nigricantibus, alis hyalinis, costa maculisque tribus inferioribus fusco-brunneis. ♂♀.

Hab. in ripa arenosa fluminis Tornensis; die 3. Jul. ad Juckasjervi plura specimina legi; nec alibi mihi obvia. (Lapponia Tornensis.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1½ lin. Pulchra et distincta, tota cinerea immaculata opaca, setulosa. Caput flavescenti-griseum, macula supra antennas testacea. Antennae cinereo-micantes, seta breviuscula nuda. Palpi subclavati cinerascentes. Oculi parvi rotundi, late remoti. Alae abdomine longiores, albo-hyalinae, costa inter nervum longitudinalem 1 et 2 tota, maculis 3, scilicet basali ad marginem interiorem extensa, discoidali magna in regione nervorum transversorum sita, et apicali minori in apice nervi 4ti longitudinalis, fusco-brunneis distinctis. Halteres et squama, parva, albida. Pedes cinerascentes.

**18. S. antennata:** grisea, opaca, valde setosa, macula frontis pedibusque fulvis, tarsis fuscis, antennis magnis valde dilatatis, angulo superiori acuto, totis nigris, seta basi subfracta crassa concolore; palpis apice subcrassioribus halteribusque albidis, alis sordide albo-hyalinis, nervis transversis subapproximatis, subinfuscatis. ♂♀.

Hab. in Dalekarlia rariss. D. BOHEMAN 1836. (Lapponia maxime meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2¼ lin. Affinis *S. muscinae*, antennis majoribus, seta crassiori, fronte magis exserta, ano immaculato etc. distincta, affinis etiam *C. flavipedi*, sed major, magis setosa.

---

## 98. Cordylura. FALL.

FALL. Dipt. Sv. Scatomyz. p. 6. MEIG. Dipt. Eur. gen. 163. *Musca* LINN. *Ocyptera* FABR.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, elongatum, subcylindricum pubescens et pilosum. Antennarum articulus ultimus oblongus compressus, apice truncatus, basi seta dorsali plumata aut nuda. Hypostoma parum descendens. Setae mystacinae pauciores. Palpi clavati, interdum dilatati. Abdomen 5—6-annulatum, maris lineare, apice clavatum. Alae longitudine abdominis aut illo breviores. Nervus auxiliaris vix ad medium costae extensus. Pedes validi, tibiis spinulosis. *Color* niger, grisescens, testaceus. *Motus* celer. *Habitatio* larvarum in aquis et terra uliginosa, imaginum in gramine et in foliis fruticum; per partem sylvaticam Lapponiae, et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque, frequenter; in regione alpina individua etiam occurrunt. *Differentia sexus*; *mas:* abdomine longiori angustiori filiformi, ano cla-

vato et varie appendiculato, alis brevioribus; *femina:* abdomine lanceolato, apice acuto, alis longitudine abdominis aut illis nonnihil excedentibus. (Spec. Scand. 50, *Scatomyzis* valde affines, sed corpore saepe minus villoso, antennarum articulo ultimo apice truncato, hypostomate breviori, mystacibus paucioribus, abdomine praesertim maris angustiori, apice distinctius clavato, alisque brevioribus, nervo auxiliari saepius breviori, dignotae.) Typus generis: *Cordylura pubera.*

* Seta antennarum distincte plumata.

a) Corpore nigricante.

**1. C. pubera:** nigra, thorace antice albo-vittato, capite argenteo, vitta frontali rufescente, antennis, palpis femoribusque nigris, tibiis tarsisque testaceis, alis flavo-hyalinis pallide nervosis. ♂♀.

*Mas:* ano simpliciter inflexo clavato, ventre bilamellato, oculis ad antennas subapproximatis, tarsis nigro-punctatis.

*Fem:* abdomine lanceolato depresso apice acuto simplici, oculis minus approximatis; in copula.

FALL. Dipt. Sv. Scatomyzid. 6. 1. MEIG. Dipt. 5. 230. 1. ♂♀. *Musca pubera* LINN. Fn. Sv. 1855. ♂. *Ocyptera pubera* FABR. Antl. 315. 10. ♂

Hab. in graminosis et foliis fruticum Betulae praesertim in vicinitate rivulorum et lacuum Lapponiae, passim; scilicet in Lapponia Tornensi rarius a D. FRIGELIO, et ad Palojoensun a me capta; in Lapponia vero Umensi, ex. gr. ad Gajtikån et Lycksele frequenter visa, etiam in copula; in inferalpinis maritimis Björkvik et Giebostad Nordlandiae, nec non in Skaaddavaara Finmarkiae haud raro occurrit, ibique in copula mense Julio frequenter lecta; in Dowre a D. BOHEMAN etiam inventa; a d. 4. Jun. ad 17. Aug. mihi obvia. (Lapp.-Scan. vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. et ultra. Caput album. Antennae hypostomate breviores, oblique deflexae nigrae. Setae mystacinae utrinque subbinae. Frons setosa. Oculi non late remoti, vitta frontali aut nigra, macula rufescente, aut fere tota lutea, linea alba ad oculos utrinque cincta, h. e. orbita oculorum faciali et frontali alba. Thorax niger nitidus, antice vittis, 1 media et 2 lateralibus, pectoreque, albido-micantibus. Alae pallescentes, nervis, longitudinalibus et transversis rectis, auxiliari vix ad medium costae extenso, scilicet ante nervum transv. medium cessante. Squama parva ciliata, et halteres, alba. Pedes simplices setosi. Reliqua ut in diagnosi.

Var. b. ♂. pedibus fere totis pallidis, thorace livido, junior nuper exclusa; an *Cord. picipes* MEIG.! Ad Palojoensun d. 17. Aug. capta. — Variat etiam ♂♀ frequenter: alis fere hyalinis. Tarsi postici in ♂ saepe toti nigricantes.

Var. c. ♀. alis distincte flavicantibus, nervis longitudinalibus 3 et 4 latius distantibus, interstitio frontali paullo latiori, hypostomate nigricante albo-micante, setis mystacinis utrinque pluribus, geniculisque tibiis tarsisque testaceis; alias varietati a simillima, vix specie diversa. An *Cordyl. pudica* MEIG.! Ad Stensele et Umenaes Lapp. Umensis, d. 4—7. Jul rarius. (Lapp.-Scan. pass.)

**2. C. ciliata:** nigra nitidissima, thorace antice albo-vittato, capite argenteo, vitta frontali atra, antice saepe rufa, antennis palpisque nigris, pedibus nigro-piceis, anterioribus in ♂ albo-villosis; alis hyalinis, basi pallidis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 231. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in Betula alba juxta rivulos et ad Lycksele et ad Gajtikån, 10. Jun. — 10. Jul. capta. (Lapponia; Westrogothia ♀ GYLLENH.; Smolandia ♂ BOHEM.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Similis *C. puberae*, paullo minor, magis atra nitida, abdomine minus angusto, et pedibus totis piceo-nigris unicoloribus, anticis in ♂ magis albo-villosis, distincta. Caput ut in priori, frontis macula antica rufa minori, interdum obsoleta. Abdomen atrum nitidissimum. Pedes in ♂ piceo-nigri, in ♀ nigri, tibiis tarsisque concoloribus, his subtus testaceis immaculatis. Femora et tarsi antici in ♂ paullo magis albo-villosi, quam in *C. pubera*, cui in ceteris similis.

**3. C. tibialis:** nigra subnitida, thorace antice albo-vittato, capite argenteo, vitta frontali rufescente, antennis, palpis pedibusque nigris, anteriorum tibiis tarsisque testaceis; alis fusco-hyalinis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Lycksele et Åsele d. 26. Jul. — 2. Aug. parce capta. Feminam oviparam, et ova oblonga cylindrica nuda alba vidi. (Lappon. — ?)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—3¾ lin. Simillima *C. puberae*, plerumque paullo minor, tibiis posticis nigris imprimis distincta. Tibiae intermediae in ♀ etiam interdum nigrescunt.

**4. C. rufimana:** nigra nitida, thorace antice albo-vittato, capite argenteo, vitta frontali rufescente; antennis, palpis pedibusque nigris, anticorum tibiis tarsisque, in ♂ fusco-testaceis, in ♀ rufescentibus; alis fusco-hyalinis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 232 6. ♂.

Hab. in foliis Betulae albae et Salicum ad ripas lacuum et fluminum, in Lapponia Umensi, frequenter; scilicet ad Lycksele, Stensele, Umenaes, Badstutraesk, Tresunda, Naestansjö, Åsele etc. d. 12. Jun. — 26. Jul. visa; in alpe Brattiksfjell d. 8. Jul. in copula capta; in Nordlandia non nisi ad Giebostad rarius lecta. (Lapponia; Smoland. BOHEMAN rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—3¾ lin. Priori iterum, ut ovum ovo, simillima, differt tantum tibiis tarsisque anticis in ♂ pallidis, in ♀ piceis.

**5. C. albipes:** nigra, nitida, capite, antennis, palpis, pleuris pedibusque totis albis; alis pallescentibus. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Scatomyzid. 9. 8. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 233. 8. ♂♀.

Hab. in pratis sylvestribus Lapponiae Umensis passim; ad Barrsele, Lycksele et Wilhelmina, d. 22. Jun. — 17. Jul. haud infrequenter vidi; in Nordlandia ad Björkvik quoque lecta, sed in Lapponia septentrionali haud obvia. (Lappon.-Dalekarlia-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—3 lin. Valde angusta nigra nitida setosa. Caput totum album, occipite tantum nigro. Oculi (in viva) rufo-brunnei. Frons flava. Seta antennarum nigra. Palporum apex longe setosus. Setae mystacinae paucae. Alae breves pallescentes, costa ciliata. Squama, halteres, pectus et pedes toti cum coxis, alba.

Var. b. ♂. thorace pallido, oculis ferrugineis, junior. FALL. l. c. var. b. — In silva Naestansjoe Lappon. Umensis d. 13. Jul. rarissime lecta.

**6. C. fuscipes:** nigricans, hypostomate palpisque albis, antennarum basi, fronte antice, pedibusque testaceis, femoribus in medio late fuscis; alis fusco-hyalinis, immaculatis. ♂.

Var. a. ♂. femoribus in medio fuscis.

Var. b. ♂. femoribus flavis immaculatis.

Hab. rarissime, var. a. in Lapponia Tornensi a D. FRIGELIO capta, et var. b. ad Stensele d. 3. Jul. a me inventa. (Lappon. Suecica-Dalekarlia var. b.)

*Mas.* Long. 2 lin. Angusta nigricans pubescens, parum setulosa et haud nitida. Frons non prominula, testacea, postice nigro-lineata. Antennae breviusculae testaceae, articulo ultimo nigro, seta breviter plumata. Setae mystacinae paucae. Palpi filiformes. Proboscis testacea. Abdomen lineare, apice clavatum, corniculis 2 ventralibus fuscis. Pedes simplices testacei, femoribus in medio late supra infuscatis, coxis anticis albidis, posterioribus basi cinereis.

b) Corpore pallescente.

**7. C. spinimana:** flavo-ferruginea, capite, antennis, palpis pedibusque pallidioribus, thoracis lineis 2, abdomine femorumque posticorum apice, cinereo-fuscis, alis pallescentibus; pedibus anticis subtus duplici serie nigro-spinosis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Scatomyz. 7. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 235. 13. ♂♀. *Musca semiflava* PANZ. Fn. 59. t. 19. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; ad Lycksele et in monte subalpino Brattiksfjell, 1—8. Jul. lecta; in Gamsttind Finmarkiae d. 30. Jul. in copula quoque capta. (Lappon.-Angermannia ad Hernosand 29. Aug. — Scania, vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Tota aut testacea aut flavo-ferruginea, nigro-setulosa, parum nitida. Antennae flavae, seta fusca breviter plumata. Frons lutea. Hypostoma albidum, seta mystacina utrinque unica. Thorax lineis 2 dorsalibus nigricantibus. Scutellum flavum. Abdomen cinereum; in ♂ subopacum, in ♀ nitidum, ano in utroque sexu testaceo. Alae, squama, halteres pedesque, pallida, femoribus tibiisque anticis subtus nigro-spinosis.

**8. C. pallida:** flava, parce nigro-setulosa, hypostomate palpisque subfiliformibus, albis, antennis subelongatis, apice, thoracis vittis dorsalibus abdominisque incisuris, fuscis, alis subhyalinis, nervis transversis subapproximatis, oculis ovato-rotundatis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. thorace vittis longitudinalibus 4, palpis apice subnudis s. breviter pilosis.

*C. pallida* FALL. Dipt. Sv. Scatom. 8. 4. certe. ♂.

Var. b. ♂. thorace rufo-testaceo aut fusco-bilineato, palpis apice seta elongata nigra, abdomine fusco.

Var. c. ♂♀. antennis totis flavis, alias var. b. similis; nuper exclusa.

Hab. in silvaticis Lapponiae passim; scilicet capta: var. a. ad Lycksele et Barrsele Lapponiae Umensis, nec non ad Björkvik et Schiervoe Nordlandiae, d. 1. Jul — 2. Aug.

ipse, ut et in Dowre, D. BOHEMAN; var. b. etiam in Nordlandia cum var. a.; et var. c. tantum ad Lycksele d. 22. Jun. lecta. (Lapponia; Westrogoth. var. a. rariss.)

*Fem.* Long. 2—2¾ lin. Flava aut testacea parum nitida. Antennae mediocres, interdum longiores, flavae, articulo ultimo fusco, seta breviter sed distincte plumata (qualis etiam seta in specimine originario Falleniano, quod jam ante oculos habeo, deprehendatur, licet a Cel. Viro haec seta oculis fugitivis visa, „subnuda" describatur), tota nigra. Oculi oblongo-rotundati magni, mediocriter distantes. Seta mystacina utrinque distincte unica, nigra. Palpi albi, extus parum dilatati. Proboscis testacea, apice fusca. Frons albo-micans. Thorax testaceus, setis nigris paucis sparsis, vittis 4 dorsalibus fuscis, mediis 2 integris, lateralibus utrinque abbreviatis, raro omnibus confluentibus. Scutellum flavum. Abdomen elongatum, apice acutum, aut testaceum immaculatum, aut fuscum, incisuris nigricantibus. Alae sat elongatae pallidae hyalinae, nervis transversis non longe remotis. Pedes simplices toti pallide flavi.
*Mas*, feminae descriptae simillimus, abdomine lineari testaceo, incisuris nigris, apice clavato, lamellis 2 ventralibus albidis, a D. FALL. l. c. recensetur, in Westrogothia captus, etiam in Dowre Lapponiae Norveg. a D. BOHEMAN inventus.
*Obs.* Species haec *Anthomyzis* quibusdam affinis est, sed ob staturam corporis etc. *Cordyluris* potius associanda.

**9. C. unilineata**: flava, nigro-setulosa, hypostomate, palpis extus dilatatis albidis, antennis, elongatis apice, thoracisque linea dorsali unica fuscis, abdominis incisuris tarsisque nigris, alis subpallidis, nervis transversis remotis; oculis rotundis. ♀.

Hab. in Nordlandia rarissime; ad Björkvik d. 14. Jul. semel capta. (Lappon. Norveg.)

*Fem.* Long. 2½ lin. Similis priori, paullo major et differt: oculis parvis rotundis, antennis nonnihil forte longioribus, seta minus longe plumata, setis mystacinis utrinque binis, palpis extrorsum latioribus, thorace linea tantum unica, alarum nervis transversis magis remotis, tarsis nigris, ut et pedibus forte crebrius setulosis. *Anthomyzae* etiam affinis; oculi rotundi, palpi extus dilatati etc. *Cordylurae*.

**10. C. Scatomyzoides**: grisea, hypostomate palpisque albidis, fronte fulva, antennis fuscis, abdomine basi nigricante, apice, callo humerali pedibusque flavis, alis hyalinis, nervis transversis infuscatis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in frutice ad Wilhelmina unicum individuum d. 21. Jul. 1832 inveni. (Lappon.-meridional.)

*Mas.* 2¹ lineas long. Angusta cylindrica undique pubescens et setulosa subopaca. Caput albidum, setis mystacinis pluribus, nigris. Oculi rufi. Antennae mediocriter longae fuscae, basi rufescentes, apice obtusae, seta plumata fusca. Frons vitta fulva, orbita oculorum angusta et occiput, grisea. Palpi filiformes albi. Proboscis fusca. Thorax griseus fusco-subvittatus, callo humerali rufescente. Abdomen cylindricum villosum, nitidum nigrum, maculis lateralibus et apice flavis. Anus rotundatus, inflexus. Alae abdomine fere longiores hyalinae, nervis transversis fuscis. Halteres pallidi. Pedes elongati simplices flavi, villosi, tibiis setulosis. An *Scatomyza*?

°° Seta antennarum pubescens aut nuda.

a) Corpore nigricante.

**11. C. ustulata**: nigra nitida, hypostomate, palpis, tibiis tarsisque albis, alis hyalinis, apice fuscis, nervis flavedine cinctis. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Betulae albae, floribus Salicum, etiam in graminosis, locis paludosis, juxta rivulos etc., in Lapponia passim; scilicet ad Lycksele et lacum Wojmsjoen, Lapponiae Umensis; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, nec non ad Bjorkvik et Giebostad Nordlandiae, d. 4. Jun.—22. Jul. haud infrequenter a me capta; feminam oviparam, ovaque elongata nuda alba ad Lycksele d. 12. Jun. vidi. (Lapponia; ♀ Smolandia BOHEMAN.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Statura corporis omnino ut in *Cord. pubera* (No. 1). Tota nigra nitida, corpore praesertim in ♂ albo-subvilloso. Antennae breviusculae fuscae, seta nuda. Oculi brunnei, in ♂ propiores quam in ♀. Frons nigra, macula antica interdum flava. Hypostoma argenteum. Setae mystacinae paucae. Palpi elongati albi. Anus ♂ ut in *C. pubera*. Alae hyalinae, apice macula distincta fusca, nervis, imprimis in ♀ flavedine cinctis, 3 et 4 longitudinalibus in disco ante nervum transv. medium curvatis, transverso ordinario prope ad marginem alae retracto. Halteres albi. Pedes nigri simplices, tibiis sordide albidis, posticis raro nigris; tarsis albis.
Var. b. ♂. paullo minor, alis hyalinis immaculatis; ad Lycksele 4. Jun. rar.
Var. c. ♀. vix 2 lin. long., tibiis posticis nigris; ad Wojmsjoen d. 11. Jun. unica.

**12. C. proboscidea**: nigra nitida, hypostomate argenteo, alis sordide hyalinis immaculatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime, non nisi 2 specimina a me lecta, unum scilicet masculum ad Tromsoe Nordlandiae d. 24. Jul. et alterum femineum in ripa arenosa ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 14. Jun., captum. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Similis priori, paullo robustior et differt: antennar. seta pubescente, nec nuda, palpis tibiisque nigris, proboscide crassiori nitida, alis immaculatis, et praesertim nervis longitudinalibus 3 et 4 ante nervum transversum medium rectis, nec curvatis. Tarsi vix albescentes. Hypostoma in ♀ sordide album.

**13. C. Kunzei**: fusco-nigricans, thorace subvittato, macula frontali fulva, hypostomate argenteo, antennis pedibusque nigris, palpis, tibiis anticis tarsisque omnibus sordide albidis, alis infuscatis; femoribus posterioribus in ♂ incrassatis. ♂♀.

*Mas:* hypostomate albo, abdomine elongato lineari, apice obtuso subclavato, ano piloso, segmento 5to subtus bilamellato, femoribus posterioribus curvatis incrassatis, subtus dense ciliatis.
*Femina:* hypostomate rufescente vel flavicante, abdomine lanceolato depresso, apice acuto simplici, femoribus omnibus simplicibus, subtus non ciliatis, in copula.

ZETT. Iter Lapp. 1821 P. 1. pag. 263.

Hab. in Lapponia per partem sylvaticam passim; scilicet in ripa arenosa fluminis Tornensis ad Juckasjervi d. 21. Jun. — 3. Jul. 1821 in copula frequenter a me visa; et iterum in littore lacus Wojmsjoen ad Tresunda et denique ad Asele, Lapponiae Umensis, d. 12—26. Jul. 1832, in copula junctam quoque legi. (Lapponia Suecica, nec alibi.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—4½ lin., magnitudine valde varians. Elongata angusta nigro-fusca parum nitida. Frons prominula. Antennae subporrectae breviusculae, seta nuda, basi incrassata articulata. Setae mystacinae plures. Palpi extus dilatati albi. Thorax nigro-brunneus, vittis 2 dorsalibus obscurioribus. Alae hyalinae, nervis omnibus distincte fuscedine cinctis, costa ciliata, non setulosa. Squama parva et halteres, albida. Sternum villosum. Reliqua ut in diagnosi. — Ova elongata cylindrica nuda alba vidi. Nomen Clarissimi Viri, D. Professoris Lipsiensis Doct. GUST. KUNZE, Entomologi Germanorum Celeberrimi, in hac singulari et distincta specie, quae sub denominatione: *Kunzea lapponica* ut novum genus olim forte prodibit, conservare, mihi gratum et debitum fuit.

**14. C. albitarsis**: nigricans, thorace subvittato, macula frontali flava, hypostomate argenteo, antennis pedibusque nigris, palpis, halteribus tarsisque albidis, alis hyalinis, femoribus validis simplicibus. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Degerfors et Lycksele inventa. (Lapp. Suec.)

*Mas.* Long. 2½ fere 3 lin. Parum nitida. Caput ut in *Cord. Kunzei*, fronte paullo minus prominula, antennarum apice, angulo superne magis acuto, et orbita oculorum paullo latius cinerea. Thorax cinerascenti niger, vittis dorsalibus fuscis. Abdomen cinerascenti nigrum, oblongo-cylindricum, simpliciter clavatum, ano absque appendicibus. Alae obscure hyalinae, nervis nigris. Halteres sordide albi. Pedes nigricantes parum pilosis, geniculis summis, tibiarum apice tarsisque sordide albis. Femora valida, basi subalbescentia.

**15. C. strigifrons**: fusco-nigricans opaca, thorace bilineato, hypostomate rufo-flavo, antennis palpisque nigris, pedibus cinereis, tibiis anticis tarsisque omnibus halteribusque, sordide albis, alis hyalinis; fronte striata. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in littore lacus Wojmsjoen ad novaculum Tresunda d. 12. Jul. unicum individuum legit D. DAHLBOM. (Lapponia.)

*Fem.* Long. 2½ lin. Valde affinis *Scatomyzae frontatae*, fronte vero paullo minus prominula, mystacibus paucioribus, palpis nonnihil latioribus nigris, nec albis, etc. distincta, et a *Cordyl. albitarsi*, cui etiam similis differt: fronte magis promineute superne immaculata, distinctiusque strigosa, antennis apice obtuse rotundatis, nec angulatis, ut et palpis nigris, etc. Tota griseo-fusca opaca parum setulosa. Frons supra nigricans, immaculata. Antennae breviusculae nigrae, seta capillari nuda, basi incrassata et articulata. Hypostoma rufo-flavum, albo-submicans, setis mystacinis utrinque 2 vel 3. Thorax lineis 2 angustis nigris. Abdomen cinerascens immaculatum. Alae hyalinae, nervis transversis infuscatis. Halteres albi. Pedes cinerei nudi, tibiis anticis totis, posterioribus basi, tarsisque omnibus, sordide albis.

**16. C. nigrita**: nigra nitida, hypostomate argenteo, macula frontali fulva, antennis, palpis pedibusque nigris, geni-

culis, tibiis tarsisque flavis, alis pallescentibus, halteribus citrinis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Scat. 10. 9. MEIG. Dipt. 5. 240. 23. ♂♀.

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime; in insula Hacksten prope Schervoe d. 28. Jul. semel a me lecta; at in convallibus ad rivulos prope Drivstuen in alpe Dowre D. BOHEMAN mens. Julio utrumque sexum legit. (Lapponia; Ostrog. ipse; Smoland. BOHEMAN, rariss.; in Scania mihi nunquam obvia.)

*Mas* et *Fem.* Parva, vix $1\frac{1}{2}$ lin. long. Nigra nitida, vix pubescens, sed setulosa. Hypostoma argenteum, seta utrinque mystacina. Frons augustata. Vertex niger. Oculi non late distantes. Antennae deflexae fusco-nigrae breviusculae, seta nuda, basi parum incrassata. Alae pallescentes, nervis transversis modice remotis. Abdomen ♂ apice simpliciter clavatum absque appendicibus ventralibus elongatis.

**17. C. albipennis**: nigricans, hypostomate argenteo, macula frontali flava, antennis brevibus atris, palpis albis, pedibus nigris, tibiis tarsisque pallidis, alis albis, nervis transversis in disco subapproximatis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in insula illa parva Dolpatie in lacu Stor-Uman, in littore inter gramina d. 5. Jul. unicum individuum inveni. (Lappon.)

*Mas.* Parva, circiter 1 lin. long. Affinis priori, a qua differt: corpore toto magis cinerascente, seu colore nigro-albo submicante, antennis brevibus, palpis parvis, filiformibus albis, alis albis, nervis transversis in disco alae paullo magis approximatis, ordinario scilicet longius a margine alae remoto, et corniculis ventralibus in abdomine ♂ distinctis etc. Tibiae et tarsi, alba. Halteres flavi.

**18. C. longifrons**: atra nitidissima, hypostomate argenteo, fronte longe prominula, pedibusque, flavis, antennis elongatis palpisque nigro fuscis, pedum posticorum femorum apice, tibiisque totis, tarsisque omnibus, nigris, alis subflavicantibus. ♀.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rarissime; ad Björkvik d. 15. Jul. semel capta. (Lappon.)

*Fem.* Long. 2 lin. Affinis *Cordyl. loxoceratae* FALL. Atra nitida setulosa, sed non pubescens. Frons supra depressa, ante oculos rotundos longe prominula, flava, hypostomate declivi albo. Setae mystacinae paucae. Antennae nigro-fuscae, articulo ultimo longissime lineari hirsutulo, seta nuda. Palpi elongati fusci, extrorsum nonnihil crassiores. Abdomen subfiliforme. Alae hyalinae, nervis flavedine tinctis, transversis modice remotis, secundario tenuissimo. Squama parva halteresque alba. Pedes simplices.

**19. C. brevifrons**: atra nitida, thorace leviter albo-pollinoso, hypostomate argenteo, macula frontali fulva, palpis pedibusque flavis, antennis elongatis tarsisque nigris, alis hyalinis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in Salice ad Lycksele d. 17. Jun. semel lecta. (Lappon.-Dalekarlia.)

*Fem.* Magnitudo fere, statura et similitudo prioris, a qua fronte parum ante oculos prominula, antennis nudis, non hirsutis, seta validiori, palpis brevioribus albis, alis magis hyalinis, nervis transversis paullo magis approximatis, et pedibus totis praeter tarsos nigros, flavis, praeprimis et sufficienter differt. Frons lata atra, ante antennas anguste fulva aut alba. Coxae anticae flavae, albo-submicantes, posteriores nigricantes. Reliqua ut in diagnosi.

**20. C. vittata**: nigra nitida, capite, antennis, palpis, pleuris pedibusque albis, vitta sub alis, femorum posticorum apice tarsisque omnibus fuscis, alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis. ♂.

MEIG. Dipt. 5. 236. 14. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Stensele d. 4. Jul. unicum exemplar inveni. (Lapponia meridionalis; Suecia inferior rarissime.)

*Mas.* Magnitudo, statura corporis, color et omnia ut in *Cord. albipede* (No. 5), a qua tamen antennar. seta subnuda s. pubescente, nec plumosa, vitta longitudinali in pectore utrinque mox sub alis sita nigra, ut et femorum posticorum apice, tarsisque omnibus nigricantibus, aperte differt.

*Obs. Cordyl. loxocerata* FALL. nec non *Cord. flavicauda* MEIG. in Suecia inferiori rarissime, in Lapponia vix, occurrunt. — *Scatomyz. frontata* et *Argus*, *Cordylurae* affines, in genere *Scatomyza* sub specierum numeris 15 et 16 quaerendae.

b) Corpore cinerascente seu grisescente.

**21. C. Friesi**: cinerea, hypostomate palpisque apice subdilatatis, albis, macula frontali fulva, antennis elongatis fuscis, seta valida subgeniculata, pedibus flavis, ano ferrugineo, alis albidis, costa nervisque transversis fuscis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; in ripa arenosa ad Juckasjervi d. 25. Jun. pauca specimina legimus D. FRIES et ipse; nec alibi. Ova oblonga, cylindrica nuda alba. (Lappon. borealis - Dalekarlia.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. et ultra. Tota griseo-cinerea immaculata, setulosa, parum nitida. Antennae elongatae dilatatae fuscae, intus macula rufa, seta valida nuda, infra medium articulata, et in articulo subgeniculata. Frons subprominula nigricans, vitta media fulva, postice a macula verticali nigricante emarginata. Hypostoma breve albo-corneum, setis mystacinis pluribus. Palpi elongati extus dilatati, toti albi. Proboscis nigra nitida. Abdomen oblongum depressum, 5 annulatum, segmento ultimo acuto ferrugineo. Alae albidae, costa tota et nervis praesertim transversis modice remotis, infuscatis. Squama parva alba. Halteres testacei. Pedes simplices setulosi, sed non spinosi, toti flavi, macula superna in femoribus anticis et coxis posterioribus totis, cinerascentibus. In gratam memoriam D. Doct. et Professoris B. F. FRIES, jam Reg. Acad. Scient. Holmiens Musaei Zoologici Praefecti, Discipuli quondam dilecti, in itineribus meis Gottlandico 1819, et Lapponico Tornensi atque capensi boreali 1821, comitis suavissimi, hodie amici multis nominibus colendi et cari, hoc insectum Lapponicum, nomine Viri Celeb. condecoratum, Sibi Ipsi et Entomologis offero.

**22. C. dentimana**: griseo cinerascens, thorace subvittato, opaco, abdomine nigro nitido, capite, antennis, halteribus pedibusque flavis, vertice obscuro, palpis nigris, alis hyalinis; femoribus anticis subtus dentatis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele mens. Junio lecta. (Lapponia - Dalekarlia.)

*Mas.* Long. circiter 3 lin. Affinis videtur *Cord. armipedi* MEIG., antennarum seta capillari, basi subincrassata, tota omnino nuda, palpis nigris etc. mox dignota. Caput albo-flavum. Frons antice late fulva. Vertex griseus. Antennae breves flavae, apice subobtusae. Setae mystacinae utrinque binae. Palpi longissimi nigri compressi, extus subdilatati. Proboscis atra. Thorax cinereo-griseus, vittis 2 lateralibus fuscis. Abdomen thorace fere duplo longius, angustum lineare nigrum nitidum, parum pubescens, ano clavato, subtus appendiculato. Alae pallide hyalinae, nervis transversis subremotis. Squama et halteres albida. Pedes toti cum coxis anticis flavi, parce setulosi, postici tenues elongati, femoribus anticis validis, subtus in medio bidentatis. Tibiae antice sinuatae.

**23. C. obscura**: griseo cinerea immaculata opaca, hypostomate albo-cinereo, palpis filiformibus albis, macula frontali fulva, antennis mediocribus nigricantibus, tibiis tarsisque testaceis, alis griseo-hyalinis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Scatom. 9. 6. ♂♀. vera; at *Cordylura obscura* MACQ. Dipt. 5. 240. 24. (corpore nigricante etc.) vix hujus est speciei.

Hab. in graminosis Lapponiae passim rar.; scilicet ad Wittangi et Palojoensuu, Lapponiae Tornensis, et in monte subalpino Stoettingsfjellet Lapponiae Tornensis, d. 16. Jun. — 18. Aug. capta. (Lappon. - Smol. BOHEM. - Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin. Tota griseo-cinerea opaca. Antennae parum elongatae, nigricantes, seta nuda, basi articulata. Macula frontalis fulva postice emarginata, antice flava. Hypostoma breve, sordide albidum, setis mystacinis 2 vel 3 utrinque. Palpi elongati filiformes albi. Vertex setulosus. Thorax vix fusco-bivittatus, setulosus. Abdomen puberulum non setulosum, ano maris obtuso simpliciter inflexo, corniculis 2 ventralibus nigris. Alae griseo-hyalinae immaculatae, nervis transversis mediocriter remotis, medio in medio alae sito. Squama minutissima et halteres, albida. Pedes validi simplices, femoribus cum coxis, cinereis pubescentibus non setulosis, geniculis summis, tibiis parce spinulosis, tarsisque, testaceis.

**24. C. flavipes**: nigro-cinerea, hypostomate argenteo, palpis filiformibus albis, macula frontali fulva, antennis elongatis, abdomine tarsisque nigris, pedibus flavis, alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Scat. 9. 7. ♂♀. certissime; sed MEIGENI *Cord. flavipes* 5. 239. 21. ♀. (ubi palpi subdilatati, antennae fuscae et pedes toti ferruginei describuntur) vix ad nostram speciem, sed potius ad sequentem pertinet.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; sed in graminosis et in fruticibus Salicis medio mensis Junii ad Lycksele paullo frequentiorem vidi, feminamque eodem tempore oviparam, ova elongata nuda alba observavi. (Lapp.-Smol. BOHEM. pass.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Antennae elongatae et dilatatae atrae, apice acutae, seta nuda valida, basi geniculata. Hypostoma argenteum. Frons et palpi ut in priori. Thorax nigro-cinereus setosus. Abdomen pubescens nigrum nitidum lineare. Anus maris inflexus, corniculis s. laminis 2 ventralibus. Alae albo-hyalinae, in ♀ paullo fusciores. Nervi transversi subapproximati, ordi-

narius scilicet paullo magis a margine alae remotus. Halteres albi. Pedes simplices, pilosi flavi, tarsis nigris, coxis posterioribus cinereis, femoribus anticis supra macula nigra, genubus posticis saepe fuscis.

**25. C. tibiella**: cinerascens opaca, abdomine nigricante nitido, hypostomate palpisque filiformibus, albis, fronte macula fulva, antennis elongatis, femoribus tarsisque atris, tibiis albidis; alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis. ♂♀.

An *Cordylura obscura* MEIG. Dipt. 5. 240. 24? (exclus. syn. FALL.)

Hab. in Lapponia passim; in ripa arenosa ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ad Lycksele Lappon. Umensis, ut et ad Bjorkvik Nordlandiae, d. 21. Jun. — 15. Jul. a me capta; in Dowre a D. BOHEMAN quoque lecta. (Lappon.-♂ Uplandia ad Nacka prope Stockholmiam mens. Majo 1834 D. B. F. FRIES.-Smoland. BOHEMAN; rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Simillima *Cord. flavipedi*, nonnihil minor, antennis paullo latioribus, apice magis truncatis, thorace cinereo opaco, alis magis hyalinis et femoribus nigris, certe distincta. Corpus etiam forte paullo magis setosum. Frons macula antica fulva. Pedes toti nigri, geniculis solum anticis tibiisque omnibus sordide albidis. Lamellae ventrales in abdomine ♂ 2 distinctae. Reliqua ut in *C. flavipede*.

**26. C. punctipes**: cinerea l. murina, hypostomate palpisque brevioribus extus subcrassioribus, albis, antennis brevibus, in ♂ pallidis, in ♀ fuscis, macula frontali in utroque sexu fulva, pedibus flavis, genubus posterioribus nigris; alis hyalinis, nervis transversis subremotis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 239. 20. ♂. *Cord. flavipes* MEIG. Dipt. 5. 239. 21. (exclus. syn. FALL.) hujus femina videtur.

Hab. in Lapponia passim; ♂ scilicet ad Lycksele Lapp. Umensis in graminosis mense Junio frequenter, ♀ in paludosis ad Gamsttind Finmarkiae d. 30. Jul. et uterque sexus in copula in Pino ad Svartberget in regione subsylvatica Lapponiae Tornensis d. 5. Jul., a me capti; etiam in Dowre a D. BOHEMAN lecta. (Lapponia; ♂♀ in copula Westrogoth. BOHEMAN; Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Parva, long. vix $1^1$ lin. Tota cinerea setulosa. Antennae breves, seta nuda, basi articulata, parum incrassata. Frons non lata, macula antica fulva, postica quadrata atra. Abdomen subcylindricum pubescens subnitidum nigricans, ano maris inflexo, corniculis ventralibus apice pallidis. Pedes flavi, posteriorum coxis cinereis et geniculis summis nigris l. puncto nigro notatis. Tarsi omnes fusci.

**27. C. haemorrhoidalis**: nigra, cinereo-pollinosa, hypostomate palpisque extus subdilatatis, albis, antennis brevibus atris, macula frontali fulva, pedibus flavis; alis hyalinis, nervis transversis subremotis; ano rufo. ♂♀.

*Mas*: hypostomate saepissime nigro.

*Femina*: hypostomate semper albo; in copula.

MEIG. Dipt. 5. 237. 17. ♀.

Hab. in Betuletis et in paludosis per omnes Lapponias, vulgaris, in fenestris quoque frequenter obvia; scilicet ad Lycksele, Umenaes, et in alpe Brattiksfjellet, Lapponiae Umensis; ad Turtola, Kengis et Karesuando, Lapponiae Tornensis; ad Giebostad et Alteidet, Nordlandiae, nec non ad Bossekop et inter Alten et Kautokeino, Finmarkiae, a d. 12. Jun. usque ad 25. Aug. ubique frequenter visa, medio mensis Augusti in copula saepissime capta; in Dowre a D. BOHEMAN quoque lecta. (Lappon.-Smoland. BOHEM.-Scania ipse rar.)

*Mas.* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin. Tota cinereo-fusca subnuda glabriuscula. Antennae brevissimae nigrae, basi saepe flavae vel rufae, seta capillari nuda. Frons lata fulva, vertice cinereo setoso. Hypostoma latum breve album, in ♂ saepe nigrum; setis mystacinis paucis. Palpi breviusculi albi, extus dilatati. Oculi in ♀ viva ferruginei l brunneo-rufi, et in ♂ etiam ferruginei, at simul aeneo-magis micantes. Thorax et scutellum cinerea opaca immaculata. Abdomen 5-annulatum nigricans subnitidum, apice (segmento ultimo) ferrugineo. Alae hyalinae. Pedes validi subnudi flavo-ferruginei, coxis posterioribus cinereis; femoribus anticis ♂ incrassatis. Anus maris inflexus ferrugineus, corniculis ventralibus nigris.

Var. b. ♂. hypostomate et orbita oculorum inferne atris; ad Lycksele, Kengis et Bossekop capta, ibique etiam var. a ♂ in copula cum var. b. ♀ inventa.

**28. C. melanura**: nigra nitida, leviter cinereo-pollinosa, hypostomate, palpis extus subdilatatis, pedibusque, flavis, antennis brevibus atris, macula frontali fulva; alis hyalinis, nervis transversis remotis; ano nigro. ♂♀.

Hab. in Lapponiis suecicis passim; ♀ ad Kengis Lapponiae Tornensis d. 22. Aug. rarius; at in graminosis ad Stensele, Umenaes, Wilhelmina et Åsele, Lapponiae Umensis, d. 3 21. Jul. uterque sexus haud infrequenter a me visus. (Lappon. sylvatica.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, statura, structura partium, color et omnia ut in priori omnino, nec differt ab illa, nisi fronte paullo minus lata, hypostomate subflavicante, colore corporis magis nitido parum cinereo-pollinoso, et praecipue ano abdomini concolore, minimeque rufo. — Oculi in viva brunnei.

**29. C. pallipes**: griseo-cinerea opaca, hypostomate, palpisque extus dilatatis, albis, macula frontali fulva, antennis brevibus nigris, pedibus totis flavis; alis hyalinis, nervis transversis modice distantibus. ♂♀.

*Cordylura flavipes* MEIG. Dipt. 5. 239. 21. ♀. forte genuina.

Hab. in Lapponia passim; inter Tresunda et Naestansjö ut et ad Lycksele, Lapponiae Umensis, rar., nec non in ripa arenosa ad Juckasjervi, Lapponiae Tornensis frequenter, d. 24. Jun. — 13. Jul. a me capta. (Lapponia; Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et color corporis omnino ut in *Cord. obscura*. Antennae breves nigrae, seta nuda. Frons lata fulva, vertice cinereo setoso. Palpi albi, extus dilatati. Oculi in viva ferruginei, aeneo-micantes. Abdomen pubescens, non setulosum. Pedes validi toti flavi pubescentes, parum setulosi, coxis posterioribus cinereis. Abdomen ♀ oblongo-ovatum subdepressum. Antennae in ♀ basi saepe pallidae.

**30. C. planiceps**: cinerea, hypostomate argenteo, fronte plana ante oculos prominula, macula antica fulva, palpis subfiliformibus albis, antennis elongatis fuscis, seta valida subgeniculata, pedibus flavis; alis hyalinis, nervis transversis approximatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Suppl. 2. pag. 12. 11. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rar.; in ripa arenosa ad Juckasjervi d. 24. Jun. — 3. Jul. cum praecedente, rarius capta. (Lapponia; Westrogothia DALMAN.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Augusta, tota setulosa. Valde affinis et similis *Cord. Friesi*, paullo minor angustior, et alis hyalinis immaculatis, mox ab illa differt. Caput ut in *Cordyl. Friesi*, fronte paullo magis prominula, antennis jam nigris, jam fuscis, apice supra magis acutis et palpis extus minus dilatatis. Anus ♂ inflexus, corniculis s. laminis 2 ventralibus nigris. Alae hyalinae, nervis transversis subapproximatis, fuscedine interdum subcinctis. Pedes simplices setulosi flavi, interdum fusciores, coxis posterioribus cinereis. — A *Cord. flavipede* vix differt nisi antennas fuscas, nec nigras, setam subgeniculatam, nervos transversos saepe subinfuscatos, ut et pedes rufescentes, nec flavos, dicere velis.

**31. C. lineata**: cinerea, thorace lineis 2 nitidis nigris, hypostomate palpisque extus subdilatatis albis, macula frontali fulva, antennis brevissimis atris, basi rufis, pedibus ferrugineis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis subapproximatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; in ripa arenosa fluminis Tornensis ad Juckasjervi d. 24. Jun. aliquot individua utriusque sexus legi. (Lappon. Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo *C. pallipedis*, eique simillima, differt tantum antennis basi rufis, thoracis dorso lineis 2 angustis nitidis atris, abdomine subnitido, pedibus ferrugineis nec flavis, femoribus posticis paullo obscurioribus, alis magis cinerascentibus, ut et nervis transversis paullo propioribus subinfuscatis. Species certe distincta. Affinis etiam *C. macrocerae* et *latipalpi* MEIG. videtur, ab illis vero etiam variis notis satis diversa.

**32. C. fulvipes**: cinereo-grisea opaca, abdomine nigricante nitido, hypostomate flavo-albido, antennis brevissimis testaceis, apice nigricantibus, palpis filiformibus pallidis, apice fuscis, fronte fulva, pedibus luteis; alis subhyalinis, nervis transversis subremotis ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in Stoettingsfjellet d. 31. Jul. lecta. (Lappon.)

*Fem.* Long. fere 2 lin. Similis *C. lineatae*, thorace subimmaculato, palpis filiformibus, alarum nervis transversis paullo magis remotis etc. distincta. Antennae breves testaceae, articulo ultimo apice fusco. Seta nuda pallida, apice capillari fusco. Hypostoma et orbita oculorum, flavo-alba. Frons lata fulva. Vertex nigromaculatus. Occiput griseum. Setae mystacinae paucae pallidae. Palpi elongati filiformes albi, extrorsum parum crassiores, apice nigricantes. Proboscis nigra. Thorax cinereo-griseus, lineis 2 angustis obsoletissimis fuscis. Abdomen nigrum, parum cinereo-micans, nitidum. Alae cinereo-hyalinae, basi pallidiores, nervis transversis subremotis. Halteres flavi. Pedes simplices elongati, toti lutei, coxis posterioribus cinereis.

**33. C. pilosa**: tota griseo-cinerea, undique distincte pilosa, hypostomate palpisque extus subdilatatis, albis, macula frontali fulva, antennis longis atris, pedibus flavis, tarsis obscuris; alis subflavicantibus, nervis transversis remotis. ♂♀

Var. a. ♂. palpis extus subdilatatis, et thorace antice subbilineato.

Var. b. ♂. palpis filiformibus, thorace immaculato, antennis forte nonnihil brevioribus, quam in a.

Hab. var. a. ad Lycksele mense Junio rar.; var. b. ad Naestansjo d. 13. Jul. rarissime. (Lappon. Umensis; ♀ Westrogoth. BOHEMAN.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere $2^1$ lin. Valde similis *C. flavipedi* sed major, antennarum seta pubescente, thorace abdomineque cinereis opacis, nec nigricantibus, nervis transversis magis remotis, ut et corpore toto cum pedibus sat longe et dense pilosis, distincta. Antennae longitudine fere hypostomatis, atrae, apice subacutae, puncto ante setam flavo. Seta nigra pubescens, basi articulata. Frons prominula flava albo-micans. Seta mystacina utrinque unica valida nigra, oris plures. Anus inflexus appendiculatus. Halteres pallidi. Pedes flavi, tarsis obscurioribus.

**34. C. spinigera:** thorace cinereo, abdomine nigricante, capite toto pedibusque flavis, femoribus tibiisque anticis subtus spinosis; alis pallescentibus, nervis transversis remotis. ♀.

Hab. in Nordlandiae interalpinis rarissime; in insula Hacksten prope Schervoe d. 28. Jul. 1821 unicum specimen inveni. (Lappon. Norveg.)

*Fem.* Long. vix $1^1$ lin. Affinis videtur *Cord. lituratae* et *flavicorni* MEIG., sed distincta. Antennae breviusculae flavae. Seta nigra subpubescens. Frons non prominula, supra tota flava setulosa, puncto stemmatum nigro. Partes oris magnae nitidae flavae. Palpi extrorsum subcrassiores incumbentes, albi. Thorax cinereus immaculatus opacus setulosus. Abdomen oblongum acutum nigricans nitidum, parum pubescens. Alae pallide nervosae. Halteres et pedes toti cum coxis flavi, femoribus tibiisque anticis subtus duplici serie nigro-spinosis.

**35. C. ruficauda:** cinerea, opaca, capite toto, scutello, pleuris, pedibusque flavis, femoribus tibiisque anticis subtus spinosis, alis pallidis, nervis transversis mediocriter distantibus; cauda in ♂ ferruginea. ♂.

Hab. in Dowre D. BOHEMAN. (Lapponia.)

*Mas.* Long. 2 lin. Cinerea pubescens. Frons non prominula setulosa testaceo-flava, puncto stemmatum nigro. Antennae mediocres testaceae, seta distincte pubescente nigra. Hypostoma albidum, seta utrinque mystacina nigra. Thorax cinereus, scutello et pectore rufescentibus. Abdomen lineare incurvum cinereum pubescens, ano inflexo ferrugineo. Partes oris, alae et pedes omnino ut in *Cordyl. spinigera*; an ejus mas?

**36. C. pallidicauda:** griseo-cinerea opaca, hypostomate palpisque extrorsum subdilatatis albidis, antennis mediocribus atris, pedibus totis flavis, alis pallescentibus, nervis transversis subapproximatis; abdominis apice in ♂ pallido. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; duo tantum individua inveni, unum ad Lycksele Lapponiae Umensis, 4. Jun. 1832. et alterum ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 24. Jun. 1821. (Lapponia Suecica et sylvatica).

*Mas.* Long. vix $1^1$ lin. Griseo-opaca pubescens. Macula frontalis pallida. Antennae breviusculae, subdilatatae, apice subrotundatae, totae atrae, seta capillari nuda, summa basi subincrassata. Hypostoma albidum, setis mystacinis paucis; barba albida. Abdomen apice clavatum, segmentis ultimis 4 et 5, anoque inflexo pallide flavis. Alae hyalinae, nervis pallidis. Halteres et pedes validi inermes, toti flavi, tarsis leviter fusco-subannulatis; coxis posticis cinereis.

**37. C. immunda:** tota cinereo-grisea opaca, capite concolore, macula frontali fulva, palpis extus subdilatatis albis, antennis elongatis femoribusque nigris, geniculis, tibiis tarsisque flavicantibus; alis hyalinis, nervis transversis remotis. ♀.

Hab. in alpe Dowre a D. BOHEMAN inventa; rarissime. (Lappon. Norveg.)

*Fem.* Long. $1\frac{3}{4}$ lin. Statura *Cord. lineatae*. Tota grisea opaca. Caput albo-griseum. Antennae elongatae atrae. Frons macula quadrata fulva. Setae mystacinae plures nigrae. Proboscis nigra. Palpi albi, apice summo fusco. Alae cinereo-hyalinae, nervis transversis remotis. Halteres flavi. Pedes simplices pubescentes et setulosi, coxis femoribusque nigris, geniculis, tibiis tarsisque sordide flavis.

**38. C. fuscinervis:** griseo-cinerea opaca undique setosa, hypostomate palpisque filiformibus flavescentibus, macula frontali, antennis subelongatis, ano pedibusque ferrugineis, femoribus anticis vitta superna cinerea; alis hyalinis, nervis transversis subremotis infuscatis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in Betula alba ad Umenaes semel capta. (Lappon.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 2 lin. Grisea setosa. Frons subprominula. Antennae subelongatae dilatatae, apice acutae, totae rufescentes, seta subpubescente nigra, ad medium fere incrassata. Abdomen ovatum depressum griseum, segmento ultimo ferrugineo. Alarum nervi transversi remoti, fuscedine distincte cincti. Pedes validi spinulosi ferruginei, vitta in femoribus anticis superne grisea, coxis posterioribus parum cinerascentibus.

**39. C. pectoralis:** thoracis dorso cinerascente, abdomine nigro nitido, hypostomate, palpis extus subdilatatis albis, antennis, fronte, pleuris pedibusque flavis; alis albo-hyalinis, nervis transversis remotis. ♂♀.

Hab. in convallibus prope rivulos ad Drivstuen in Dowre Jul. BOHEMAN. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Parum setulosa. Antennae mediocres pulchre flavae, seta nigra nuda, basi incrassata. Frons flava, puncto stemmatum nigro. Partes oris flavae. Hypostoma et palpi alba. Seta mystacina utrinque unica. Thorax supra grisescens, subtus rufescens. Abdomen, in ♂ angustum cylindricum pubescens nigrum nitidum, apice simpliciter clavatum; in ♀ oblongo-ovatum nigrum depressum, apice acuto compresso. Alae albido-hyalinae, nervis validis obscuris. Pedes simplices inermes, toti cum coxis flavo-testacei. Variat femina abdomine fusco-brunneo.

**40. C. caudata:** cinereo-nigricans, vertice concolore, capite toto, pedibusque flavis, alis pallide hyalinis, nervis transversis remotis; ano in ♂ longe inflexo, apice lamina utrinque reflexa, longissime ferrugineo-ciliata. ♂.

Hab. in graminosis et in foliis Salicis glaucae juxta aquas in Lapponia passim; scilicet ad Kengis, Karesuando et Palojoensuu, Lapponiae Tornensis, in qua Lapponia etiam a D. FRIGELIO capta; ad lacum Stor-Uman et ad Wilhelmina, Lapponiae Umensis, nec non ad Bossekop Finmarkiae, d. 6. Jul. — 22. Aug. a me inventa; in Dowre a D. BOHEMAN quoque lecta. (Lapponia-Dalekarlia.)

*Mas.* Long. 1 - $1\frac{1}{4}$ lin. Ab omnibus prioribus mox distinguitur cauda singulariter constructa et armata. Forte cum sequentibus hujus subdivisionis speciebus proprium genus efficit, cui nomen *Okenia* animo venerabundo erga Virum magnum propono; sed cum femina, certe aliter formata, mihi sit ignota, insectum de cetero *Cordyluris* simile, in hoc genere interim reposui. Griseo-nigra subnitida parum setulosa. Antennae subelongatae, haud dilatatae flavae, seta nigra nuda, basi incrassata. Frons convexa, non lata, antice, et hypostoma, albo-flava. Oculi brunnei aeneo-submicantes. Setae mystacinae breves, plures, flavae. Palpi extrorsum subcrassiores albi. Proboscis tota nigra nitida. Abdomen cylindricum incurvum pubescens nigrum nitidum, ano longe inflexo, apice laminis 2 assurgentibus, ciliis densis longis fulvis nitidis, supra abdominis dorsum conniventibus, terminatis. Sub ventre praeterea appendices 2 filiformes distincte geniculatae fuscae conspiciuntur. Alarum costa, ubi nervus auxiliaris excurrit, distincte pilosa. Halteres pallidi. Pedes flavi parum spinulosi, femoribus anticis basi pellucido-incrassatis, subtus setulis brevibus nigris et flavis armatis. Coxae anticae flavae, posticae nigrae, posteriores excavatae cinerascentes, trochanteribus omnibus atris nitidis.

Okenia

**41. C. crassipes:** pilosa, cinereo-nigricans, thorace fusco-bivittato, capite flavo-albido, vertice griseo; antennis brevibus, proboscide abdomineque nitido, nigris; pedibus luteis, femoribus crassis inermibus; alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis; halteribus flavis; ano in ♂ inflexo, subtus utrinque lamina retracta, ferruginea-dense ciliata. ♂.

Hab. in Dalekarlia rarissime, D. BOHEMAN 1836. (Lapponia maxime meridionalis.)

*Mas.* Long. $2^1$ lin. et ultra. Affinis priori, major, antennis brevioribus nigris, thorace magis griseo, nervis transversis magis approximatis, pedibus crassioribus, laminis caudalibus non reflexis, etc. abunde distincta. Palpi albidi, apice subdilatati. Coxae anticae luteae, posteriores cinereae.

**42. C. barbata:** cinereo-grisea opaca, antennis elongatis fuscis, fronte, hypostomate, palpis extrorsum dilatatis, pedibusque, flavis; ano in ♂ inflato flavo, ciliis caudalibus barbaque menti densis ferrugineis nitidis; alarum nervis transversis 4. ♂.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime; mihi non obvia, a D. Assessore DEUTSCH pro solita benevolentia communicata. (Lappon. borealis.)

*Mas.* Long. $3\frac{1}{2}$ lin. Cylindrica grisea opaca. Antennae elongatae fuscae, intus pallidiores, seta elongata nigra omnino nuda. Frons parum prominula, setulosa, vitta antica ferruginea. Hypostoma flavum, setis mystacinis pluribus nigris. Palpi elongati flavi pilosi, extrorsum dilatati. Proboscis nigra. Mentum fasciculo utrinque barbae longae flavae, ferrugineo nitido. Thorax subnudus. Abdomen pubescens 6-annulatum, ano magno subinflato ferrugineo, apice inflexo, fasciculo ciliarum fulvo-nitidarum utrinque, ut in *C. caudata*. Alae elongatae angustae albo-hyalinae, nervis transversis

in singula ala 4, quorum ordinarius prope marginem interiorem incurvus, et 3 inter nervos 3 et 4 longitudinales siti, subrecti. Nervi quoque 5ti transversi rudimentum ad apicem nervi longitudinalis 2di adest. Squama parva ciliata. Halteres flavi. Pedes omnino ut in *C. caudata*.

**43. C. Hircus:** cinereo-grisea opaca, antennis elongatis fusco-lividis, fronte, hypostomate, palpis extrorsum dilatatis, pedibusque, flavis; mas: ano nigro ciliis caudalibus barbaque menti densis ferrugineis nitidis; alarum nervis transversis 4 ♂.

Hab. in Lapponia cum priori rarissime; mihi non obvia; a nunquam satis laudando naturae scrutatore D. DEUTSCH e Lapp. Tornensi mecum communicata. (Lapponia; Westrogoth. BOHEM.)

*Mas.* Magnitudo, structura partium, color et omnia ut in priori, a qua antennis dilutioribus et ano nigro tantum differt.

**44. C. sponsa:** cinereo-grisea opaca, antennis elongatis nigris, intus macula fulva notatis, fronte, hypostomate, palpis extrorsum dilatatis, pedibusque, flavis; alis albo-hyalinis, nervis transversis 2, ordinario ad marginem alae incurvo ♀.

Hab. cum proxime praecedentibus in Lapponia Tornensi rarissime; etiam in Lapponia Umensi ad Lycksele et Wilhelmina d. 17. Jul. — 2. Aug. duo specimina inveni. (Lapponia Suecica; Westrogothia BOHEMAN rar.)

*Fem.* Priori iterum magnitudine, structura partium et colore simillima, sed differt antennis forte brevioribus, nigris, meato imberbi vel tantum breviter piloso, ano simplici, breviter acuto, cauda ciliata nulla, alis simpliciter nervosis, ut et femoribus omnibus simplicibus, anticis tantum subtus brevissime nigro-ciliatis. Oculi brunnei. Sine dubio prioris femina, in copula tamen non capta. *Obs. Cord. hydromyzina* FALL. et *C. Fraterna* MEIG. in Suecia inferiori rarius leguntur, in Lapponia mihi nunquam obviae. — *Scatomyza antennata*, Cordyluris affinis, in genere *Scatomyza*, No. 18, quaerenda.

c) Corpore pallescente.

**45. C. flaveola:** tota pallide flava, parce nigro-setosa, alis flavescentibus, nervis transversis approximatis; abdomine subfiliformi; antennis breviusculis. ♂♀.

*Cordylura pallida* var. β minor. FALL. Dipt. Sv. Scatom. 8. 4. ♂.

Hab. in Nordlandiae inferalpinis rarius; in silva betulina ad Evenäs juxta Ofotenfjord d. 17 – 18. Jul. in copula inveni; feminam oviparam et ova oblonga cylindrica nuda alba eodem tempore etiam vidi. (Lapponia Norvegica; Laerketorp Ostrogothiae in Suecia media rarissime.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1½ fere 2 lin. Valde angusta tenera, tota pallide flava, parum nitida, undique setis nigris parce adspersa. Caput plerumque totum pallide flavum albo-micans, interdum testaceum, praesertim in ♀, puncto stemmatum nigro. Antennae breves, seta nuda seu brevissime pubescente, nigra, basi incrassata. Frons non prominula. Oculi non late distantes, rotundato-ovati. Setae mystacinae parum clavatae. Halteres et pedes simplices, albo-flavi. Alarum nervi transversi non longe remoti.

**46. C. dorsata:** croceo-flava, parce nigro-setosa, thorace testaceo dorso fusco, abdomine aut nigricante aut ferrugineo, incisuris nigris; alis subflavescentibus, nervis transversis subremotis, antennis mediocribus. ♀.

Var. a. ♀. abdomine ferrugineo, incisuris nigris, tarsis luteis immaculatis.

Var. b. ♀. abdomine nigro, tarsis fuscis.

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime; var. a. ad Giebostad Nordlandiae in betuletis, a me d. 22. Jul. 1821; et var. b. in Dowre, a D. BOHEMAN mens. Jul. 1832, capta. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo prioris, paullo robustior. Lutea. Caput alboflavum. Antennae mediocres, pulchre croceo-flavae, seta subnuda fusca, basi incrassata. Frons crocea, puncto stemmatum nigro. Oculi parvi rotundi, sat late remoti, in viva purpurei, viridi-micantes unicolores. Seta mystacina utrinque unica pallida. Palpi albi, retracti. Proboscis fusca. Thorax testaceus, linea ante alas obsoleta fusca, dorso nigricante, seu lineis 4 subconfluentibus discumque fuscum formantibus. Abdomen oblongum, apice acutum, totum ferrugineum subglabrum nitidum, incisuris auguste nigris. Pedes simplices subnudi, toti flavi. — Similis *Cord. pallidae* (No. 8), antennis brevioribus flavis, seta nuda, oculis rotundis minoribus, ut et alarum nervis transversis forte paullo magis remotis, distincta.

**47. C. tarsea:** tota flavo-ferruginea nitida, hypostomate palpisque setaeformibus albidis, pedibus flavis, antennarum mediocrium articulo ultimo tarsisque nigris, alis pallescentibus, nervis transversis mediocriter distantibus. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Scatomyz. 8. 5. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 242. 27. ♂♀.

Hab. in Lapponiae Umensis graminosis et paludosis passim rarius; ad Lycksele, Wilhelmina et Tresunda tamen paullo frequentiorem vidi, d. 24. Jun. — 21. Jul. capta. (Lapponia-Dalekarlia-Uplandia; Smolandia; Scania; passim.)

*Mas* et *Fem.* Longit. 2 lin. Subcylindrica flavo-ferruginea nitida glabra, capite thoraceque parce nigro-setosis. Antennae mediocres, basi rufae, articulo ultimo nigro, seta nigra nuda. Punctum ocellorum (stemmatum) nigrum. Seta mystacina utrinque unica nigra. Palpi filiformes albi. Proboscis nigra. Abdomen cylindricum rufum, ano incisurisque interdum, nigricantibus, praesertim in ♀. Anus in ♂ obtusus, inflexus, in ♀ acutus. Pedes simplices. Orbita oculorum albida. Oculi in viva brunnei unicolores.

---

## FAM. 26. SCIOMYZIDES. FALL.

Os nudum. Nervus alar. auxiliaris elongatus, a secundario distinctus. Oculi nudi, in utroque sexu late distantes. Vertex, thorax et scutellum parce sed longe setosa. Abdomen 5-annulatum (in *Ectinocera* 7-annulatum), pubescens. Pedes submutici. Alae incumbentes, abdomine longiores, nervis ut in *Anthomyza* Muscidum fere directis, at nervo transverso ordinario sat prope ad marginem alae interiorem sito. Costa ciliata, non setulosa.

---

### 99. Dryomyza. FALL.

FALL. Dipt. Sv. Sciomyzid. p. 15. MEIG. Dipt. Eur. gen. 165. *Musca* FABR.

*Corpus* majoris aut mediae magnitudinis, oblongum breviter pubescens, molle. Antennae deflexae, articulo ultimo ovato aut rotundato, seta plerumque subnuda. Hypostoma descendens, in medio valde retusum, apice elevato-porrecto, semicirculari. Oculi parvi globosi. Frons pubescens. Alae abdomen longe superantes, nervo auxiliari fere ultra medium costae, et ultra nervum transversum medium extenso. Pedes simplices. *Color* ferrugineus. *Motu* sat tarda. *Habitatio* in foliis et succo arborum locis occultis umbrosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque; ex ipsis alpibus fugit. *Differentia sexus* ab ano *maris* obtuso, feminae acutiori, et externe vix aliter, mox cognoscitur. (Spec. Scand. 4, hypostomate medio valde retuso, antennis deflexis brevibus, articulo ultimo rotundato, nervo auxiliari longissimo, ut et pedibus simplicibus, a reliquis hujus Familiae dignotae.)

**1. D. flaveola:** ferruginea, antennarum seta pubescente tarsisque nigricantibus, pedibus flavis, alis pallescentibus immaculatis; antennarum articulo ultimo rotundato. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 256. 1. *Musca flaveola* FABR. Antl. 306. 111. teste MEIG. *Dryomyza vetula* FALL. Dipt. Sv. Sciom. 16. 1 ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali seu Umensi passim; in silvaticis ad Wilhelmina d. 19 — 23. Jul. tamen frequentiorem vidi. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. et ultra. Tota ferruginea parum nitida, brevissime nigro-pubescens. Frons parum prominula. Seta antennarum distincte pubescens, nigra. Palpi apice pilosi. Alae pallescentes, immaculatae. Halteres et pedes toti flavi, tarsis nigricantibus. Oculi in viva rufi. — Specimina lapponica: colore ferrugineo, non flavescente, magnitudine paullo minori et antennarum articulo ultimo exacte orbiculari, a suecicis vulgaribus differunt; vix vero specie distinctae, nam in ceteris omnibus exacte conveniunt.

**2. D. anilis:** ferruginea nitida, antennarum seta pubescente tarsisque fuscis, pedibus flavis, alis pallescentibus, nervis transversis nigredine cinctis; antennarum articulo ultimo rotundato. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 16. 2. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 257. 2.

Hab. in Lapponia meridionali passim; ad Lycksele aliquoties lecta. (Lapponia; Hernösand Ångermanniae 30. Aug. Scan. frequenter.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Similis praecedenti, corpore magis nitido, colore magis rufo-ferrugineo, nunquam flavicante, antennarum seta subnuda seu breviter tantum pubescente, et nervis transversis distincte, at longitudinalibus apice obsolete, fuscedine cinctis, dignota. Alarum costa ciliata ut in priori. Incisurae abdominis saepe tenuissime nigrae. Thorax dorso saepe lineis 2 fuscis. — Specimina lapponica, suecicis plerumque minora.

**3. D. decrepita:** ferruginea, antennarum seta subplumata, abdominis dorso tarsisque fuscis, pedibus flavis, alis hyalinis, nervis transversis fuscedine leviter cinctis; antennarum articulo ultimo ovato. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Betulae albae et in umbrosis ad rivulos, in Lapponia passim; ad Stensele, Almsele et Asele Lapponiae Umensis, nec non ad Hacksten et Tromsoe Nordlandiae, ut et ad Talvig Finmarkiae, d. 3. Jul. — 2. Aug. haud infrequenter a me lecta, in ceteris Lapponiis a me non visa. (Lappon.-Scania rar.)

*Mas.* et *Fem.* Parva in hoc genere, 2 raro 3 lin. longa. Similis priori, minor, et differt fronte paullo magis prominula, antennis magis ovatis at minus deflexis, seta distinctius pubescente, fere plumata, abdominis dorso fusciori, et nervis transversis leviter tantum infuscatis, longitudinalibusque immaculatis. Antennae saepe fuscae. Frons plerumque flava, hypostomate pallido. Oculi in viva ferruginei unicolores. Lineae thoracis 2 obscurae, obsoletae. Alae hyalinae. Halteres flavi. Anus pallescens. Abdomen et pedes villosa. Corpus subnitidum. — Nuper exclusa tota pallidior.

## 100. Sciomyza. FALL.

FALL. Dipt. Sv. Sciomyz. p. 11. MEIG. Dipt. Eur. gen. 195. *Scatophaga* FABR.

*Corpus* mediae, raro minoris magnitudinis, elongatum saepius opacum durinsculum, breviter pubescens, vertice thoraceque parce setosis. Antennae breviusculae oblique deflexae, articulo ultimo oblongo-ovato obtuso, seta plumata pubescente aut nuda. Hypostoma pubescens seu reclinatum. Frons lata, brevissime pubescens. Abdomen planum. Alae ut in *Dryomyza*, at nonnihil breviores et nervus auxiliaris in costam excurrit, ubi nervus transversus medius illi opponitur. Nervi transversi remoti. Pedes validi simplices. *Color* obscure ferrugineus aut cinerascens. *Motus* haud agilis. *Habitatio* in graminosis, locis uliginosis umbrosis. *Differentia sexus* ut in priori. (Spec. Scand. 21, antennis breviusculis, articulis basalibus brevissimis, ultimo subovato; oblique deflexis, hypostomate subreclinato, fronte plerumque brevissime puberula, et nervo transverso ordinario semper recto dignotae.)

a) Seta antennarum plumata.

**1. S. simplex:** ferruginea subnitida, thoracis dorso fusco opaco, tarsis nigricantibus, alis subhyalinis immaculatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 12. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 10. 1.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele semel capta. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Tota ferruginea subglabra nitida, thoracis disco fusco aut griseo, pubescente opaco. Antennar. seta distincte plumata. Alarum nervi non infuscati. Squama parva ciliata halteresque, alba. Abdominis segmenta basi interdum fusca. Pedes flavi, nigro-pubescentes, tarsis nigris.

**2. S. fuscinervis:** ferruginea, hypostomate flavo-albo, abdomine fusco, incisuris ferrugineis, pedibus flavo-testaceis, alis griseo-hyalinis, nervis transversis fuscedine distincte cinctis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in umbrosis ad Wilhelmina unicum par d. 20. Jul. in copula junctum inveni. (Lappon. Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 3 lin. Similis priori, magis opaca, hypostomate albido, thoracis dorso parum obscuro, abdomine magis fusco, alarumque nervis nigredine cinctis, dignota. Antennae totae et frons, flava. Seta distincte plumata nigra. Oculi in viva rufi. Tarsi apice nigricantes.

**3. S. pallida:** testaceo-ferruginea, abdominis incisuris pedibusque flavis, antennarum apice tarsisque nigricantibus, alis pallescentibus, nervis transversis fuscedine cinctis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 12. 2. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 11. 2.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in palude ad Tresunda d. 12. Jul. detecta. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—$2\frac{1}{4}$ lin. Simillima *Sciom. fuscinervi*, differt vero antennarum apice tarsisque totis nigris, et alarum nervis transversis fuscedine, nec nigredine tinctis. Antennarum seta distincte plumata.

**4. S. obtusa:** testaceo-grisea, antennis, fronte, incisuris abdominis pedibusque pallidioribus, hypostomate albicante, tarsis nigricantibus, alis griseo-hyalinis, nervis transversis fuscedine cinctis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 13. 4. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 12. 6. forte. (licet antennae „fuscae" dicantur).

Hab. in Lapponia meridionali Umensi ad Lycksele rarissime. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$ lin. Similis iterum *Sc. fuscinervi*, colore corporis magis testaceo-grisescente, antennarum seta minus longe plumata, et tarsis nigricantibus distincta. Antennae totae flavae, nec fuscae, seta subplumata.

Var. b. ♂, abdomine toto nigricante, fronte fulva linea media nigra; in palude ad Novaculum Tresunda Lapponiae Umensis d. 12 Jul. unicum specimen captum.

Var. c. ♀. pedibus anticis nigricantibus, thoracis dorso lineis 4 fuscis. *Sciom. obtusa* var FALL. l. c (in descriptione. E Lappon. Tornensi a D. DEUTSCH missa. (Lapp.-Scan. rar.)

**5. S. albo-costata:** subtus pallida supra ferruginea, thoracis dorso obscuriori, hypostomate fronteque antice albidis, antennis pedibusque flavis, tarsis nigris, alis albis, vitta media nervisque transversis fuscis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 12. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 12. 5.

Hab. in Lapponia Umensi passim, ad Lycksele, Barrsele, Stensele et in silva ad Wilhelmina, 24. Jun. — 19. Jul. a me visa; deprehenditur etiam rarius in inferalpinis Nordlandiae, et ad Evenäs d. 17. Jul. capta; sed in Lapponia Tornensi et Kemensi vel in Finmarkia frustra quaesita. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. A *Sciom. obtusa*, cui alias sat similis, differt, colore pallidiore ut et vitta alarum fusca. Antennae fulvae, seta pubescente. Hypostoma et frons antice flavo-alba. Tarsi omnes, tibiae anticae, et interdum etiam femora antica, in ♀ nigra. ♂ oculis rufo ferrugineis, unicoloribus.

**6. S. griseola:** obscura, hypostomate albido, antennis fronteque testaceis, pedibus nigricantibus aut piceo-lividis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis infuscatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 14. 10. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 13. 8.

Hab. in Lapponia rarius; in paludosis ad Umenaes Lapponiae Umensis, et ad Björkvik Nordlandiae, d. 9—15. Jul. parce lecta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—$1^{1}$ lin. Obscura opaca. Affinis *S. obtusae*, et praesertim ejus varietati c. similis, sed minor obscurior, pedibusque omnibus aut piceis aut fuscis, anticis nigricantibus. Antennae fusco-testaceae unicolores, seta nigra pubescente seu breviter plumata. Frons obscure lutescens, cinereo-lineata. Thorax lineatus. Abdominis incisurae pallidae. Oculi ferruginei.

**7. S. glabricula:** nigra nitida, hypostomate subalbido, antennarum basi fronteque antice rufis, pedibus flavis, anticorum femoribus apice, tibiis totis tarsisque omnibus atris, alis immaculatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 15. 11. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 13. 7.

Hab. in Lapponiae paludosis et uliginosis passim rar.; ad Lycksele et Umenaes, Lapponiae Umensis, d. 9. Jul. — 4. Aug. a me lecta; in Dowre a D. BOHEMAN capta. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long 1—$1^{1}$ lin. Tota subaenescenti nigra nitida subglabra. Caput nigrum, genis albis, antennis basi et macula antica frontali magis vel minus lata, ferrugineis. Seta breviter plumata. Alae hyalinae, nervis rarissime subinfuscatis. Halteres albi. Pedes ut in diagnosi. Abdomen basi interdum testaceum. Oculi in viva brunnei.

*Obs.* In Suecia inferiori individua antennis fere totis testaceis saepe occurrunt, in Lapponia rarius. — *Sciomyz. analis* MEIG. in Suecia inferiori rarius a me inventa, in Lapponia vix occurrit.

b) Seta antennarum pubescens aut nuda.

**8. S. Schönherri:** cinerea, hypostomate albido, antennis, lineis frontis 2, pedibusque, luteis, alis albidis, interstitiis nervorum fusco-punctatis, punctis costalibus majoribus. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. Suppl. 2dum anno 1826 p. 13. 13. ♀. *Sciom. monilis* MEIG. Dipt. 6. 17. 18. anno 1830.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae rarissime; in silva betulina ad Evenäs prope Ofotenfjord d. 18. Jul. 1821 a me inventa. (Lapp.-Westrog. Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin. Cinerea aut grisea opaca. Antennae et vittae 2 frontales luteae; seta nuda seu brevissime pubescens. Thorax lineis 2 dorsalibus approximatis fuscis. Pectus fusco-lineatum. Incisurae abdominis parum pallidae. Alae albae, basi pallidae, interstitiis punctis fuscis, aut rotundatis aut transversis, ad costam 3 l. 4 majoribus oblongis, et sub nervo auxiliari 2 distinctis. Halteres pallidi. Pedes testacei, tarsis femorumque posticorum apice fuscioribus. — Nomen speciei vetustius omni jure manebit.

**9. S. dubia:** pallida, thoracis dorso cinereo, antennarum tarsorumque apice nigro, alis hyalinis, basi pallidis, nervis transversis infuscatis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Sciom. 13. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 21. 28. (secund. Fall. exscript.)

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Wilhelmina et Lycksele d. 20. Jul. — 4. Aug. pauca specimina inventa. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Parva, 1 — 1½ lin. long. Pallida opaca. Antennae testaceae, articulo ultimo apice rotundato, fere toto nigro. Seta brevissime pubescens. Frons flava. Thoracis dorsum cinereum, parum lineatum. Scutellum flavum. Abdomen supra subinfuscatum, ano semper pallido. Halteres et pedes flavi, anticorum femorum tibiarumque, tarsorumque omnium, apice nigro.

**10. S. cinerella**: obscure cinerascens, orbita oculorum et hypostomate albidis, fronte fulva cinereo-lineata, pedibus flavis, anticis, alarum costa et nervis transversis antennisque fuscis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Sciom. 14. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 16. 16.

Hab. in Lapponia Umensi rariss.; in paludos. ad Umenaes d. 9. Jul. capta. (Lappon.-Gottlandia, Scania passim.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 1½ lin. et ultra. Fusca opaca. Antennae nigrae, basi testaceae. Seta brevissime pubescens. Orbita oculorum ferrugineorum argentea. Frons fulva, linea media cinerea, quae pictura in ♀ praesertim perspicua. Thorax fusco-vittatus. Alae albidae, costa tenuiter et nervis transversis infuscatis. Reliqua ut in diagnosi.

**11. S. pusilla**: grisea seu obscure livida, thorace cinereo, orbita oculorum et hypostomate albidis, fronte flava, pedibus anticis fuscis, alis hyalinis subimmaculatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rar., in paludosis ad Umenaes et Naestansjoe, d. 7—13. Jul. pauca specimina inveni. (Lapponia Suecica et meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Pusilla, vix 1 lin. long. Opaca. Antennae ovatae breviusculae lividae, seta nudiuscula. Thorax cinereus, lineis 2 fuscis. Abdomen ovatum breve fusco-lividum aut griseum subnitidum. Alae hyalinae, nervis transversis levissime infuscatis. Halteres pallidi. Pedes fusco-lividi, antici obscuriores. Oculi in viva brunneo-ferruginei.

**12. S. coxata**: cana immaculata, antennis lineisque 2 frontalibus testaceis, hypostomate coxisque anticis, albidis, pedibus nigricantibus, alis hyalinis, nervis transversis infuscatis. ♀?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in paludosis ad Lycksele initio mensis Augusti semel capta. (Lapponia meridionalis.)

*Fem.?* Long. 1¼ lin. Tota cinerea opaca. Caput albidum, fronte testacea, lineis 3 cinereis. Antennae testaceae, seta subnuda fusca. Thorax immaculatus. Abdomen cinereum, incisuris tenuiter pallidis. Alae hyalinae, nervis costali et transversis nigricantibus. Pedes cinereo nigricantes, geniculis praesertim intermediorum testaceis, coxis anticis flavo-albidis subpellucidis.

**13. S. bicolor**: cinerea, capite pedibusque pallide flavis, alis albidis, costa nervisque transversis nigricantibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; tantum in silva ad Wilhelmina d. 15—20. Jul. inventa. In Norvegia a D. Boheman etiam lecta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¼ lin. et ultra. Laete cinerea immaculata opaca subpubescens. Caput totum pulchre flavum, puncto ocellorum fusco. Antennae breves rotundatae, seta subnuda fusca. Anus in ♂ inflexus rufescens, filo longo incurvo supra enascente, nigro. Alae albidae, costa et apice usque ad nervum longitud. 4tum, nervisque transversis, nigris; at in ♂ costa parum infuscata, nervi longitudinales tantum apice fuscedine cincti. Costa in utroque sexu nigro-ciliata. Halteres pallidi. Pedes simplices pallide flavi, coxis posterioribus cinereis, tarsis subinfuscatis. Oculi parvi rotundi, in viva rufi unicolores. — Antennis rotundatis et filo anali in ♂, a reliquis hujus generis discrepat haec species, quae *Pallopterae gangraenosae* pictura sat similis est, et *Heteromyzae*, *Scatophagaeque* quoque affinis. — An generis distincti?

*Obs.* Species Sueciae Fallenianae: *Sciom. nigripennis*, *pallidiventris*, *ventralis* et *nana*, in Lapponia et provinciis adjacentibus a me frustra quaesitae.

---

## 101. Tetanocera. Fall.

Fall. Dipt. Sv. Sciomyz. p. 3. Meig. Dipt. Eur. gen. 200. Latr. *Musca* Linn. Panz. *Scatophaga* Fabr.

*Corpus* majoris, mediae, raro minoris magnitudinis, oblongum opacum duriusculum pubescens, vertice thoraceque parce setosis. Antennae elongatae porrectae compressae, articulo 2do piloso, ultimo supra exciso seu sublunato trigono nudo, seta dorsali plumata aut nuda. Oculi globosi. Hypostoma descendens non reclinatum; apice subcoarctatum. Frons lata, praeter setas subnuda. Alae omnino ut in *Sciomyza*, at nervus transv. ordinar. saepissime valde incurvus. Pedes simplices. *Color* ferrugineus, cinerascens. *Motus* sat celer, volatu veloci. *Habitatio* in locis paludosis graminosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae; e regione alpina vero exsul videtur. In culmis Scirpi, Caricum aliorumque graminum saepe erecto capite quasi arroganter sedet. *Differentia sexus; mas:* abdomine teretiusculo, ano incurvo clavato, a *femina* abdominis depressi apice e segmentis 4 vaginantibus non erumpentibus constante, quorum ultimum continet 2 lacinias, mox dignoscitur. (Spec. Scand. 10. a *Dryomyza*, hypostomate in medio non retuso; a *Sciomyza* antennis longioribus, apice excisis, nervoque transv. ord. saepissime incurvo; et denique a *Sepedone* antennar. articulis 2 et 3 subaequaliter longis (nec secundo longissimo subcylindrico), ut et femoribus posticis ceteris aequaliter longis, inermibus (nec elongatis et subtus spinulosis) distinctae.

a) Seta antennarum plumata.

* Alae reticulatim pictae seu nebulosae.

**1. T. Chaerophylli**: griseo-pallida, fronte lutea punctis 3 nigris, thoracis punctis abdominisque linea dorsali interrupta fuscis, pedibus flavis; alis confertim fusco-reticulatis, nervo transverso ordinario recto. ♂♀.

Meig. Dipt. 6. 35. 4. *Scatophaga Chaerophylli* Fabr. Antl. 207. 16. *Tetanocera variegata* Fall. Dipt. Sv. Sciom. 4. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; (Lappon.-Ostrogoth. Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3½—4 lin. Frons subprominula. Antennar. articulus ultimus secundo parum longior. Seta alba distincte plumata. Hypostoma albidum. Vertex fusco-bipunctatus. Thorax et pectus punctis sparsis brunneis. Scutellum fusco-trimaculatum. Alae fusco-reticulatae, apice subfasciatae, maculis in costa distinctioribus. Halteres et pedes flavi. Tarsi fusci. Reliqua ut in diagnosi.

**2. T. reticulata**: griseo-pallida, fronte fulva, thorace lineis 4 testaceis, pedibus flavis; alis pallescentibus confertim fusco-reticulatis, punctis in costa discretis, nervo transverso ordinario incurvato. ♂♀.

Meig. Dipt. 6. 35. 5. ♂♀. *Scatophaga reticulata* Fabr. Antl. 206. 12. teste Meig. *Tetanocera obsoleta* Fall. Dipt. Sv. Sciom. 5. 2. vera. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi D. Deutsch. (Lapp.-Ostrogoth. Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Similis priori, antennarum apice acutiori, seta nigricante, thorace lineato, nec punctato, alis obsoletius reticulatis, maculis costalibus rotundatis, nec subquadratis, nervoque transv. ord. magis curvato, praecipue distincta.

**3. T. punctata**: obscure griseo-testacea, fronte fulva fusco-tristriata, thorace lineis 4 fuscis, antennis ferrugineis, apice acutis nudis, pedibus flavescentibus; alis albido-hyalinis, nervis longitudinalibus utrinque strigatis. ♀.

Meig. Dipt. 6. 38. 9. *Scatophaga punctata* Fabr. Antl. 207. 17.

Hab. in Lapponia Tornensi; D. Frigelius. (Lapponia; Scania ad Lund in copula rariss.)

*Fem.* Long. 2½—3 lin. Priori subsimilis, minor obscurior (praesertim specimina lapponica) et distincta. Frons parum prominens. Antennarum articulus ultimus 2do paullo longior, seta nigra. Hypostoma album immaculatum. Thorax grisescens, lineis 4 brunneis. Alae albo-hyalinae, seriatim fusco-punctatae, seu punctis ad nervos longitudinales utrinque fuscis obsoletis, et serie punctorum ordinaria in costa. Nervi transversi fuscedine cincti, ordinarius inflexus. Alae basi impunctatae. Halteres pallidi. Squama parva. Pedes flavi, tarsis fuscis.

**4. T. Pratorum**: griseo-testacea, thorace rufo-cinereo, vittis 3 flavis, fronte fulva, hypostomate albo immaculato, antennarum apice nudo nigricante, pedibus flavis, alis obsolete fusco-reticulatis, costa obscuriori. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Sciom. 6. 5. vera. ♂♀. (exclus. forte syn. Fabr. *Scatoph. rufifronte*). Meig. Dipt. 6. 37. 7. *Musca flavescens* Panz. Fn. 60. t. 28. ♂. (alis nimis obscuris). Etiam *Musca flavifrons* Panz. Fn. 60. t. 22. teste Meig. alis tamen non rite coloratis).

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon. — Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 interdum 3 lin. Frons prominula fulva, punctis atris et linea media fusca. Macula verticis atra, nigrocincta. Antennarum articuli 2 et 3 subaequaliter longi. Seta plumata alba. Oculi horizontaliter ovati. Alae sordide albae, obso-

lete fusco-reticulatae, costa obscuriori. Nervus transversus ordinarius parum incurvatus. Pedes flavi, tarsis fuscis.

**5. T. Umbrarum**: cinerea fusco-variegata, pedibus concoloribus, antennis apice subobtusis verticeque albo-griseis, hypostomate albo, puncto medio nigro; alis nigricantibus, confertim albo-guttatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 7. 7. vera. ♂♀. MEIG. Dipt. 39. 10. *Musca umbrarum* LINN. Fn. Sv. 1864. vera. *Scatophaga gemmata* AHRENS. Fn. 3. 21. ♀. (exclus. Syn. *Scatophag. Chaerophylli* FABR.)

Hab. in Lapponia passim; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, et in paludosis ad Umenaes Lapponiae Umensis, d. 3—9. Jul. frequenter. (Lapp.-Scan. vulgar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 - 2¼ lin. Prioribus obscurior, fusco-variegata. Antennae fusco-testaceae, articulo ultimo subobtuso, seta nigra. Puncta verticis 2 ad oculos, hypostomatis 1 centrale, minutum, et genarum 1 utrinque, atra. Oculi perpendiculariter ovati, purpurei. Alae nigro-fuscae, punctis confertis albis, costa nigriore, maculis quadratis albis. Nervus transv. ord. subrectus. Pedes nigricantes albo-annulati.

**6. T. Nemorum**: griseo-pallida fusco-maculata, antennis apice subobtusis, fronte pedibusque flavis, hypostomate albo immaculato, abdomine canescente nigro-punctato, alis fuscis confertim albo-guttatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 8. 8. vera. ♂♀. *Tetan. Hieracii* MEIG. Dipt. 6. 39. 11. *Tephritis Hieracii* FABR. Antl. 322. 29. teste MEIG. *Dictya Umbrarum* FABR. Antl. 325. 69. teste FALL. (excl. syn. LINN.) *Oscinis Argus* FABR. Antl. 216. 7. teste MEIG.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae passim; in betulinis ad Evenäs et in Dyroen, d. 14—21. Jul. lecta; in Lapponiis Suecicis a me haud visa, nisi rarissime ad Wilhelmina Lapponiae Umensis. (Lappon.-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Similis priori, pallidior, antennis apice minus obtusis, seta pallida, oculis transversim ovatis, puncto centrali hypostomatis nullo, abdominis punctis triplici serie dispositis nigris, et pedibus flavis, femorum posticorum apice interdum fusco, distincta. Oculi in viva ferruginei, lineis 2 transversis purpureis.

*Obs.* *Tetan. crinicornis* FALL. (*T. marginata* MEIG.), ut et *T. obliterata* FALL. in Lapponia vix occurrunt, mihi saltem ibi non obviae.

** Alae reticulatim non pictae. Nervus transv. ord. subrectus. Frons fulva. Hypostoma album.

**7. T. ferruginea**: ferruginea, antennis testaceis, articulo ultimo apice acuto secundoque subaequaliter longis, fronte subprominula fulva, pedibus flavis; alis sordide hyalinis, nervis transversis fuscedine cinctis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 9. 9. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 40. 12.

Hab. in Lapponiae paludosis rarius; ad Lycksele et Naestansjö, Lapponiae Umensis, d. 13. Jul. — 4. Aug. tamen paullo frequentiorem vidi. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 — 5 lin. Antennarum articulus ultimus apice acutus, 2do parum longior. Seta distincte plumata nigra. Oculi ferruginei unicolores. Lineae frontales in ♀ interdum perspicuae. Lineae thoracis brunneae in ♀ quoque adsunt. Abdomen saepe linea interrupta brunnea. Pedes flavi, tarsis fuscis.

**8. T. arrogans**: ferruginea, antennis testaceis, articulo ultimo apice obtuso secundoque subaequaliter longis, fronte subprominula fulva, pedibus flavis; alis flavescentibus, nervis transversis fuscedine cinctis, ordinario subincurvo. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. 41. 13. sine dubio eadem, licet „priori minor" dicatur, quod in nostra non obtinet. *Tet. ferruginea* FALL. l. c. cum priori specie commixta.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5 lin. Priori simillima, paullo major, et antennar. articulo ultimo apice obtusiori secundoque aequaliter longis, alis magis flavescentibus, ut et nervo transverso ordinar. nonnihil magis incurvato, differt.

**9. T. elata**: ferrugineo-testacea, antennarum articulo ultimo apice subobtuso secundo paullo longiori, pedibusque flavis, fronte parum prominula fulva, alis flavo-albidis, costa nervisque transversis fuscis, ordinario subrecto. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 9. 10. MEIG. Dipt. 6. 41. 14. *Musca elata* FABR. Antl. 297. 69.

Hab. in Lapponia rarius; in silva betulina ad Evenäs Nordlandiae d. 18. Jul. frequentiorem vidi; e Lappon. Tornensi a D. DEUTSCH communicata. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3½ — 4 lin. Similis *Tet. ferrugineae*, paullo minor pallidior et differt antennar. articulo ultimo apice paullo obtusiore, et longiori quam 2do brevi, fronte vix prominente, alis magis albidis, costa nigricante, ut et nervo transverso ordinario magis recto.

**10. T. silvatica**: ferrugineo-testacea, antennarum articulo ultimo apice obtuso, secundo brevissimo longiori, pedibusque flavis, fronte parum prominula fulva, abdominis medio subinfuscato, alis sordide hyalinis, costa concolore, nervis transversis fuscis, ordinario subrecto. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. 41. 15? Ut *Tet. affinis* ZETT. e museo meo olim divulgata.

Hab. in paludosis et betuletis Nordlandiae haud raro; ad Björkvik, Evenäs, Giebostad et Dyroen, d. 15—22. Jul. 1821 in copula frequenter visa; in Lapponia Umensi, ex. gr. inter Tresunda et Naestansjö d. 13. Jul. 1832 rarius quoque capta. (Lappon.-Ostrogoth. rar.; Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 — 3¹ lin. Simillima priori, saepe paullo minor, et differt costa alarum hyalina, minime nigricante. Abdomen ferrugineum, aut immaculatum aut saepius medio fuscum. Oculi ferruginei, certo situ aeneo-micantes; unicolores.

b) Seta antennarum subnuda. Nervus transversus ordinarius in litteram S flexus. Frons prominula.

**11. T. cucullaria**: ferruginea, thorace lineato, hypostomate albo-flavo, antennarum articulis 2 et 3 subaequaliter longis, seta apice nivea; alis flavescentibus, interstitiis ad apicem nervisque transversis infuscatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Sciom. 9. 11. vera. MEIG. Dipt. 6. 44. 19. *Musca cucullaria* LINN. Syst. Nat. 2. 995. 103? ♂. *Scatophaga cucullaria* FABR. Antl. 204. 2. ♂. *Musca rufa* PANZ. Fn. 54. 17.

Hab. . . . ut Lapponiae incola mecum communicata, mihi ipsi in Lapponia non obvia. (Lapp.-Ostrog.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 3, ♀ 4 lin. Frons fulva, lineis testaceis, fusco-maculatis. Antennae ferrugineae, apice acutae, articulis 2 et 3 subaequaliter longis; in ♀ tamen 2dus ultimo paullo longior videtur. Seta nivea, basi testacea. Hypostoma flavum albo-micans. Thorax ferrugineus, lineis 3 dorsalibus pallidioribus. Alae flavescentes, nervorum interstitiis apicalibus infuscatis, maculis 2, una ad apicem nervi longitud. 2di, et altera in apice nervi transversi ordin. juxta nervum 4tum longitudinalem, distinctioribus. Nervi quoque transversi perspicue infuscati. Halteres flavi. Pedes ferruginei, tarsis fuscis. Femora postica reliquis paullo longiora, subtus spinulis 3 vel 6 brevibus nigris armata.

**12. T. aratoria**: ferruginea, thorace lineato, hypostomate albido, antennarum articulis 2 et 3 subaequaliter longis, seta extrorsum nivea; alis flavescentibus, nervi 4ti longitudinalis punctis 4, nervisque transversis, fuscis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. 42. 16. (exclus. forte syn. PANZ. *Musca rufifronte*, quod potius ad sequentem pertinet.) *Musca aratoria* FABR. Antl. 306. 113. *Tetan. interstincta* FALL. Dipt. Sv. Sciom. 10. 12. vera. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime, mihi ibi non visa, ab alio Collectore e Lapponia communicata. (Lappon.; Suecia media-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4—4½ lin. Simillima priori, differt vero antennis nonnihil longioribus, hypostomate magis albido, alarum interstitiis non infuscatis, nervo longitudinali 4to punctis 3 vel 4 fuscis ornato, ut et femoribus pallidioribus, posticis subtus setulosis, non spinulosis.

**13. T. dorsalis**: ferruginea, thorace cinereo fusco-lineato, hypostomate albido, antennarum articulo ultimo 2do longiori, seta fusca; alis fusco-hyalinis, nervi 4ti longitudinal. punctis nervisque transversis fuscis, pectore pedibusque anticis subglaucescentibus. ♂♀.

Var. a. ♂♀ punctis nervi 4ti 4 vel 5, praeter nervum transversum medium, fuscis.

MEIG. Dipt. 6. 43. 17. certe. *Dictya dorsalis* FABR. Antl. 329. 14. *Tetan. punctipennis* FALL. Dipt. Sv. Sciom. 10. 13. ♂♀.

Var. b. ♂♀. similis var. a., punctis nervi longitud. 4ti tantum 3 fuscis.

Var. c. ♂♀. similis quoque var. a., punctis nervi 4ti tantummodo 2 fuscis.

Forte *Musca rufifrons* FABR. Antl. 205. 7. et PANZ. Fn. 44. t. 24? ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; ad Kengis d. 22. Aug. tamen frequentius visa. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Prioribus minor, circiter 2½ vel 3 lin. long. Similis *Tet. aratoriae*, praesertim varietas a., at praeter magnitudinem minorem differt etiam, antennis brevioribus, articulis ultimis inaequaliter longis (secundo breviori), ultimo apice magis obtuso, seta fusciori, alis minus flavescentibus, pleuris pedibusque anticis glaucescentibus, ut et thoracis dorso cinereo, lineis 4 fuscis, vit-

taque laterali albida. Abdomen ferrugineum, interdum linea media interrupta fusca.

*Obs.* *Tetan. lineata* FALL. in Suecia media et Scania passim obvia, in Lapponia non inventa.

## 102. Ectinocera. ZETT.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum nudum, vertice thoraceque parce setosis. Antennae elongatae (longitudine capitis transversi), extensae compressae, articulo 1mo brevissimo, 2do brevi piloso, ultimo longissimo sublunato trigono, basi seta dorsali valida nuda. Oculi globosi. Hypostoma descendens. Frons lata. Alae ut in *Sciomyza*, at nervus auxiliaris nonnihil pone nervum transv. medium in costam excurrens, et nervus secundarius ab auxiliari distincte remotus, obsoletus. Abdomen 7-annulatum (segmentis 2 analibus etiam computatis). Pedes simplices nudiusculi. *Color* niger. *Motus* . . . *Habitatio* in graminosis ad aquam; per partem alpinam Norvegiae. *Differentia sexus* ignota. (Spec. Scand. 1, nostra, a *Tetanocera*, cui affinis et similis, antennarum articulo ultimo longiori, angustiori, magis acuminato seu sublunato, conico, alarum nervo auxiliari paullo longius extensô, pedibus muticis, ut et abdomine 7- (nec 5-)annulato, distincta). Nomen generis ab ἐκτείνω, extendo, et κέρας, cornu, mutuatum.

**1. E. borealis**: nigra, antennarum basi, seta hypostomatisque lateribus pallidis, femoribus basi late flavis, halteribus albis; alis hyalinis, nervis obscuris ♀.

Hab. ad rivulos in convallibus ad Drivstuen in alpe Dowre, mens. Julio a D. BOHEMAN rarius lecta. (Lapponia Norvegica.)

*Fem.* Long. 1½ lin. Statura *Sepedonis* parvi, femoribus muticis etc. mox distincta. Nigra subnitida. Caput fere ut in *Tetanocera*. Antennae elongatae, articulis 1 et 2 flavis nigro-pilosis, 3 subconico nudo nigro, basi flavo, seta nuda valida pallida, apice niveo. Frons non prominula, lata nigra nitida nuda, vertice setoso, linea ante antennas flava. Hypostoma omnino ut in Tetanocera constructum, pallidum, in medio totum atrum nitidum. Proboscis apice nigra. Thorax nigricans, lineis 2 dorsalibus atris. Abdomen depresso-conicum nigrum nitidum parum pubescens. Alae hyalinae, nervis subinfuscatis, nervo transverso medio in altera ala monstrose duplicato, seu uno intus adjecto. Squama minuta halteresque alba. Pedes subpubescentes, non setulosi nigri, coxis femoribusque basi late, mediis totis, flavis.

## FAM. 27. ORTALIDES. FALL.

Os nudum. Nervus alar. auxiliaris et secundarius approximati, hic scilicet ab illo vix nisi ad apicem remotus. Oculi saepissime nudi rotundati, rarius oblongiusculi; late distantes. Corpus parum pubescens, parce setulosum. Vertex semper setulis instructus. Abdomen 4—6-annulatum. Pedes simplices plerumque mutici. Alae ut in *Sciomyzidibus*, praeter nervos auxiliarem et secundarium approximatos; plerumque vibrantes.

## 103. Tephritis. LATR.

LATR. Gen. Crust. et Ins. FABR. FALL. *Musca* LINN. DEG. PANZ. *Daci*, *Dictyae* et *Scatophagae* species FABR. *Trypeta* MEIG. *Trupanea* SCHRANK.

*Corpus* mediae, plerumque minoris magnitudinis subpubescens et setulosum duriusculum. Antennae incumbentes, longitudine hypostomatis dimidii, articulo ultimo oblongo lineari compresso, apice obtuso, seta nuda s. pubescente. Oculi subrotundi, pulchre colorati, saepissime aureo-virides. Hypostoma subdescendens, in medio leviter excavatum absque carina. Abdomen 5-annulatum. Alae fere ut in *Sciomyza*, at vibrantes. Nervi omnes longitudinales simplices recti. Nervi transversi subapproximati, recti. Pedes simplices mutici. *Color* testaceus, cinereus, nigricans. Alae saepius varie pictae et fasciatae. *Motus* sat celer. Volatus brevis. Quasi saltando saepe aufugit. *Habitatio* in graminosis et foliis fruticum; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. Individua rarius occurrunt. *Larvae* in receptaculo plantarum Syngenesistarum et Rosarum degunt, germina destruentes. *Differentia sexus* perspicua; *mas:* ano obtuso; *femina:* stylo anali longe exserto, mox dignoscitur. (Spec. Scand. 40 in museo meo adsunt, hypostomate perpendiculariter descendente plano, antennis incumbentibus, oculis rotundis, abdomine 5-annulato, vagina anali in ♀ longe exserta, ut et alis erectis in utroque sexu, nervis transversis subappropinquantibus, ab aliorum generum speciebus hujus Familiae, facile distinctae.)

**1. T. Artemisiae**: flavo-testacea, pedibus pallidioribus; alis hyalinis, fasciis 2 interruptis maculaque apicali fuscis. ♂♀.

FABR. Antl. 317. 5. *Trypeta Artemisiae* MEIG. Dipt. 5. 314. 4. *Tephrit. interrupta* FALL. Dipt. Sv. Ort. 5. 4. ♂♀.

Hab. in Nordlandia rarissime; in insula Hacksten prope Schiervoe 24. Jul. capta. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* 2 — 3 lin. long. Tota flavo-testacea subnitida, setis aliquot nigris obsita. Antennae breves, articulo ultimo apice subrotundato, seta pallida nuda. Oculi in viva pulchre virides. Alae albo-hyalinae. Ante medium fascia prima nervum transversum medium transit; interdum obsoleta et interrupta, relicta macula ad costam distinctiori. Pone hanc fasciam, altera nervum transversum ordinarium transit, in medio interrupta. Macula apicalis totum apicem cingit. Pedes flavi. Metathorax nigro-bimaculatus.

*Obs.* In silva betulina ad Evenaes Nordlandiae d. 18. Jun. individuum descriptae speciei colore corporis, pictura alarum et omnibus omnino simile inveni; sed os setis mystacinis rigidis nigris armatum videtur. Specimen vero laesum pro certo loco generis et speciei determinando dubium reliquit.

**2. T. Zoë**: flavo-testacea, capite, scutello pedibusque pallidioribus, metathorace atro; alis hyalinis, aut (in ♂) maculis 2 marginalibus nigris, extima apicali, aut (in ♀) fasciis 2 rectis maculaque apicali nigris. ♂♀.

*Trypeta Zoe* MEIG. Dipt. 5. 315. 7. certe. ♂♀.

Hab. ad latus boreale alpinum Dowre Norvegiae, ubi locis umbrosis a D. BOHEMAN mense Julio 1832 inventa. (Lapponia Norvegica; Smolandia rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¹ lin. Tota testacea, capite, linea utrinque thoracis, scutello pedibusque flavescentibus. Metathorax ater nitidus. *Mas:* Alae ad costam ante medium macula magna intus oblique ducta nigra, et alia apicali intus paullo acuta (nec ut in figura MEIGENI intus truncata) ejusdem coloris. In margine interiori punctum etiam minutum fuscum interdum observatur. *Fem.:* Alae fasciis 2 nigris, prima ad marginem interiorem abrupta, ultima, quae nervum transversum ordinarium transit, angustior, recta; et macula apicali ut in ♂, at intus rotundata, nigra.

**3. T. apicalis**: flavo-testacea, capite pedibusque pallidioribus, metathorace atro; alis hyalinis, fascia basali interrupta, puncto ad marginem interiorem, maculaque apicali magna ovata, intus acuminata, nigris. ♂.

Vix varietas *Trypet. Zoë* MACQ. Dipt. 5. 315. 7.

Hab. in Dowre, a D. BOHEMAN detecta. (Lapponia Smolandia BOHEMAN rar.)

*Mas.* Long. 1½ lin. A *Tephrit. Zoë*, cui similis, pictura alae paullo diversa. Flava nitida. Metathorax ater nitidus. Alae hyalinae. In costa, ubi exit nervus auxiliaris, macula sat magna subquadrata atra, e qua fascia excurrit ad marginem interiorem oblique versus basin angusta fusca, ipsum marginem interiorem non attingens. Deinde macula minor rotundata in medio nervi 5ti longitudinalis, et altera adhuc minor ad apicem ejusdem nervi in angulo nervi transversi ordinarii, fuscae. Macula illa media interdum deest. Macula apicalis maxima totum apicem occupat, ovata, intus producta acuta, tota atra. Pedes flavi.

*Obs.* Species Succiae Fallenianae: *Tephrit. cornuta*, *Arctii*, *lucida*, *alternata*, *solstitialis*, *Jacobeae*, *aprica*, *marginata*, *florescentiae*, *Lychnidis*, *Onopordinis*, *Centaureae* et *rotundiventris*, nec non *Trypeta Tussilaginis* MEIG., ubique in Lapponia, neque in aliis provinciis septentrionalibus adjacentibus a me observatae.

b) Alae punctato-nebulosae.

**4. T. Arnicae**: flava, alis obsolete nebulosis, maculis 4 distinctioribus fuscis. ♂♀.

FABR. Antl. 316. 1. FALL. Dipt. Sv. Ortal. 8. 10. ♂♀. *Musca Arnicae* LINN. Fn. Sv. 1872. DEJ. Ins. 6. 51. 20. *Trypeta Arnicae* MEIG. Dipt. 5. 333. 31. *Musca arcuata* PANZ. Fn. 98. 22. certiss. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime, mihi ibi non obvia, ut Lapponiae incola ab alio Collectore communicata. (Lapp.; Suecia media pass., Scania frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Tota flava opaca pallide pubescens. Antennae longiusculae. Seta subpubescens. Oculi suboblongi. Metathorax ater. Alae albidae, obsolete fusco-punctatae, punctis subreticulatis; maculis 4 majoribus nigris; una in medio costae, 2da

apicalis, 3tia nervum transv. ordin. cingit, et 4ta versus basin alae sita. Stylus analis ♀ ferrugineus, apice nigro.

**5. T. Hyoscyami:** cinerea immaculata, capite pedibusque rufo-flavescentibus, alis albo-hyalinis fusco-variegatis, maculis 2 costalibus majoribus erosis, punctisque 2 apicis discretis, nigricantibus. ♂♀.

Var a. ♂♀. stylo anali in ♀ nigro elongato; in copula.

Fall. Dipt. Sv. Ortal. 9. 12. ♂♀. *Musca Hyoscyami* Linn. Fn. Sv. 1873. *Trypeta Hyoscyami* Meig. Dipt. 5. 337. 38.

Var. b. ♀. stylo anali in ♀ ferrugineo.

Fall. l. c. var. *β*.

Hab. in Lapponia Umensi ad Åsele 2. Jul. passim; in Tornensi rarius, ad Kengis tamen d. 22. Aug. frequentiorem vidi. (Lapp. - Dalekarlia var. a. - Scan. freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. 2 lin. Cinerea opaca. Caput rufescenti-cinereum. Antennae breviusculae concolores, seta nuda. Alae albidae nigro-variegatae, maculis plerumque 3 distinctioribus, quarum 2 ad costam (singula punctum 1 vel 2 album includente), et 3tia nervum transv. ord. transit. Praeterea puncta 2 fusca discreta in apice alae, ubi excurrunt nervi longitudinales 3 et 4, fusca, quae speciem a sequente bene distinguunt. Basis alae subimmaculata. Pedes lutei.

**6. T. Leontodontis:** cinerea, capite pedibusque rufo-flavescentibus, alis albo-hyalinis, fusco-variegatis, maculis 2 costalibus majoribus erosis, maculisque 2 apicis inter se connexis nigricantibus; stylo anali in ♀ brevi atro. ♂♀.

Var. a. ♂♀. minor, cinerea immaculata, femoribus aut luteis aut basi nigricantibus, alis fusco--reticulatis, maculis 2 costalibus majoribus (singula aut punctum nullum aut 1, aut 2 alba includente), et maculis 2 apicalibus minoribus connexis punctum majus album includentibus nigricantibus; stylo anali ♀ brevi atro.

Fall. Dipt. Sv. Ortal. 9. 13. vera ♂♀. *Musca Leontodontis* Deg. Ins. 6. 46. 17. t. 2. f. 17. 18. *Trypeta* eadem Meig. Dipt. 5. 335. 35. certe. *Tephritis parietina* Fabr. Antl. 319. 13. teste Meig. at *Dacus scabiosae* Fabr. Antl. 278. 26. alia videtur species. *Musca stellata* Panz. Fn. 20. 23. certiss.

Var. b. ♂♀. in copula. Similis var. a., sed macula costali prima punctum unicum, et secunda nullum includente; inter has maculas ad costam guttae 3 (in var a. tantum 2) albae adsunt; fere totus apex alae nigrescit, maculis scilicet 2 illi connexis valde dilatatis, cum nigredine adjacenti confluentibus, relictis tantum puncto unico in ipso apice alae et paucis intra apicem, albis. Caput et antennae plerumque laetius flavae. Masculorum oculi virides purpureo-micantes seu linea media et cantho verticis violaceis. Stylus ♀ analis paullo longior, quam in a. Forte propriae speciei.

Fall. l. c. var. *β*.

Var. c. ♂♀. simillima var. b., thoracis lineis abdominisque punctis duplici serie dispositis fuscis. Paullo major.

Var. d. ♂♀. in copula. Simillima var. a., stylo anali ♀ ferrugineo. Oculi aeneo-virides.

Hab. in Lapponia passim; var. a. ad Lycksele 17. Aug. frequenter; var. b. in Salice ad lacum Wojmsjoen Lappon. Umensis, nec non in betuletis ad Björkvik Nordlandiae, dieb. 11—14. Jul. in copula capta; var. c. etiam ad Lycksele Lapponiae Umensis, ad Karesuando Lapponiae Tornensis, et ad Alten Finmarkiae, 6—16. Aug. haud raro; et var. d. iterum ad Lycksele d. 14. Jun. in copula capta. (Lappon.-Dalekarlia: Scan. var. a et b. freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin. Similis *T. Hyoscyami*, alarum pictura fere unice distincta. Maculae scilicet nigrae in apice alae nunquam discretae sunt, sed semper inter se connexae et plerumque etiam cum nigredine inferiori conjunctae. Alae quoque basi parum maculatae. Caput cum antennis magis l. minus flavescit. Pedes in omnibus varietatibus aut lutei immaculati, aut femoribus basi plus minus late nigri.

**7. T. flavicauda:** cinerea immaculata, capite pedibusque luteo-testaceis; alis fusco-variegatis, maculis 2 costalibus saturatioribus; stylo anali in ♀ ferrugineo. ♀.

Meig. Dipt. 5. 336. 36. Sub *Tephr. Leontodontis* var. Fall. l. c. latet.

Hab. in Dowre D. Boheman. (Lappon. - Scan. rar. in copula.)

*Mas* et *Fem*. Long. 2 lin. Simillima *T. Leontodontis var. a*, sed major, pedibus totis flavis, et vagina anali in ♀ rufa, nec nigra, distincta. Alarum fuscedo quoque saturatior, magis dilatata et connexa.

**8. T. pupillata:** cinerea, capite albo, antennis pedibusque flavis, annulo femorum fusco, abdomine quadrifariam nigro-punctato, scutello anoque atris, alis albidis, disco badiis, guttis 6—7 albis, costa et apice nigro-radiatis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Ort. 11. 17. ♂♀. *Tryp. pupill.* Meig. Dipt. 5. 341. 45. Vix *Tephr. Absynthii* Fabr.

Hab. in Nordlandiae inferalpinis rarissime, ad Finkrog d. 25. Jul. unicum marem inveni, ♀ e Lapponia Norvegica a D. Boheman missa. (Lapp.-Dalekarlia; Scan. rar.)

*Mas* et *Fem*. Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Cinerea opaca. Caput album, apertura oris magna. Antennae mediocres flavae, seta subnuda. Alae albae, disco brunneo, guttis 5—7 albis rotundis, quarum 3—4 in interstitio inter nervos 3 et 4 longitudinales sitae. E disco ad costam striae vel radii 8—9 exeunt, et in apice alae lineae 4—5 parallelae excurrunt, fuscae. Totus margo interior alae punctis rotundis albis pluribus sparsus. Puncta thoracis fusca obsoleta. Stylus analis ♀ niger.

*Obs.* Fallenii species: *Tephr. corniculata*, *pantherina*, *irrorata*, *guttata*, *capitata*, *discoidea*, *radiata*, *terminata* et *punctella*, in Lapponia a me frustra quaesitae. Variet. vero *T. corniculatae:* thorace abdomineque griseis immaculatis nuper in Dalekarlia a D. Boheman lecta.

C) Alae irregulariter maculatae et strigosae.

**9. T. Zetterstedti:** cinereo-nigricans, capite pedibusque flavis, pleuris scutelloque ferrugineis; alis hyalinis, macula magna basali erosa nigra, apice quadriradiata. ♀. Boheman in litteris.

Hab. in Lapponia Norvegica; ad Waage d. 3. Aug. 1832 specimen unicum a D. Boheman inventum mihique sub nomine allato ad describendum amicissime communicatum. (Lappon. Norvegica.)

*Fem*. Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Species valde distincta, pulcherrima. Obscura opaca. Caput flavum, hypostomate albo-micante. Antennae flavae, seta fusca. Vitta frontalis tota fulva, setis utrinque nigris. Thorax nigro-cinereus, pleuris ferrugineis nitidis. Scutellum ferrugineum. Metathorax ater nitidissimus. Abdomen nigricans subnitidum. Alae pure hyalinae, basi macula magna brunneo-nigra, quae costam attingit, sed vix ad medium alae extenditur, margine maculis 2 supra ad costam et unica infera subquadratis hyalinis quasi erosa. Ab apice hujus maculae in disco alae excurrunt radii 4 inaequaliter longi nigri, quorum 2 in costam, et 2 in marginem interiorem ducuntur. Horum 2 breviores cum macula cohaerent, 2 vero longiores (quorum alter subarcuatus costam usque ad apicem alae sequitur) basi interrupti. Halteres flavi. Pedes testacei.

d) Alae immaculatae.

**10. T. Sonchi:** cinerea, abdomine fusco, capite, ventre pedibusque flavis, alis albo-hyalinis, punctis in medio costae nigro. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Ortalid. 14. 23. ♂♀. *Trypeta Sonchi* Meig. Dipt. 5. 345. 50.

Hab. in Lapponia secundum collectiones boreales, mihi in septentrione non obvia. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem*. Parva, 1 lin. long. Caput subdepressum. Antennae breves flavae. Frons flava. Hypostoma subexsertum albidum. Oculi transverse subovati. Thorax cinereus, lateribus pallidus. Abdomen nigricans, incisuris tenuissime, et ventre, flavis. Alae albo-hyalinae, maculis aliquot fuscis obsoletissimis adspersae, punctoque distinctiori in medio costae obscuro. Pedes flavi.

---

## 104. Ortalis. Fall.

Meig. Dipt. Eur. gen. 167. Fall. *Musca* Linn. Panz. *Scatophaga* Fabr. *Tephritis* Latr.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis oblongo-ovatum, glabriusculum nudum, setis aliquot in vertice, thorace et scutello adspersum. Antennae oblique deflexae, articulo ultimo oblongo compresso, seta dorsali nuda. Frons hirsutula. Hypostoma descendens, in medio fornicatum. Oculi perpendiculariter ovales. Abdomen 5 annulatum. Alae ut in *Tephrit.*, at nervi transversi paullo magis remoti, et nervus auxiliaris transversum medium paullo excedens; erectae et vibrantes. Pedes simplices. *Color* niger nitidus, pictura alarum saepe fasciata. *Motu* agilis, alis vibrantibus serpit, tarde volans. *Habitatio* larvarum in colluviariis, in uliginosis et putridis; imaginum in paludosis, saepe in floribus et foliis fruticum; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Differentia sexus: mas:* ano obtuso; *femina:* ano acutiori, oviductu articulato, parum erumpente. (Spec. Scand. 8, corpore nudiusculo nigro, antennis elongatis, seta nuda, hypostomate carinato, fronte hirsutula, oculis oblongis, abdomine 5-annulato, ut et nervo alar. auxiliari medium costae superante, distinctae.)

a) Alae nigro-fasciatae.

**1. O. Urticae:** nigra, thorace leviter cinereo-micante, capite luteo, orbita oculorum alba, antennis fuscis, apice acutis, alis albidis, fasciis 3 discretis maculaque apice nigro-fuscis. ♂♀.

*Mas:* puncto anali albo;
*Fem.:* ano immaculato.

Fall. Dipt. Sv. Ortalid. 17. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 275. 4. *Musca Urticae* Linn. Fn. Sv. 1875. *Scatophaga Urticae* Fabr. Antl. 209. 25.

Hab. in Lapponia locis uliginosis ad domos rar. (Lapp.-Scania frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. et ultra. Tota nigra nitida, thorace subcinerascente. Caput ferrugineum, orbita oculorum alba. Antennae obscure ferrugineae longiusculae, apice acutae, seta longa capillari nuda nigra. Squama alarum parva et halteres, alba. Femora antica subtus setulosa. Reliqua ut in diagnosi.

**2. O. uliginosa:** atra nitida, capite aurantiaco, orbita oculorum, metatarso, alisque albis, his fasciis 4 fuscis, anterioribus postice, posterioribus antice connexis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Ortal. 19. 4. ♂♀. *Musca frondescentiae* Linn. Fn. Sv. 1881? *Musca Cerasi* Linn. Fn. Sv. 1878. certe. *Tephrit. Cerasi* Fabr. Antl. 320. 17. *Ortalis Cerasi* Meig. Dipt. 5. 282. 19. *Tephritis Mali* Fabr. Antl. 320 18. *Tephrit. Morio* Fabr. Antl. 322. 27. teste Meig.)

Hab. in uliginosis Lapponiae passim; ad Barrsele Lapponiae Umensis, et ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae, d. 1—14. Jul. frequenter; semper longe ab arbore Cerasorum. (Lappon.-Scan. in paludosis frequentissime.)

*Mas* et *Fem.* Parva, $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin. long. Tota atra nitida. Caput aurantiacum, orbita oculorum alba. Occiput cinereum. Oculi non late, sed aequaliter distantes, ferruginei, aeneo-micantes. Antennae mediocres, fusco-testaceae, basi saepe pallidiores, apice obtusae, seta nuda. Alae albae, nigro-fasciatae. Fascia 1ma e basi alae orta cum fascia 2da in margine interiori connexa. Fascia 3tia nervum transv. ord. transiens cum 4to in costa late cohaeret. Halteres albi. Articulus tarsorum primus pallidus.

*Obs.* Species Fallenianae: *Ortal. crassipennis*, *Zetterstedti*, *Friesi* et *Juncorum* in Ölandiae, Gottlandiae et Scaniae plantis raro colliguntur, in Lapponia mihi non obviae.

b) Alae fasciatim non pictae.

**3. O. vibrans:** atra nitida, capite fulvo, alis hyalinis, nervo auxiliari maculaque apicali nigris. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Ortal. 20. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 284. 21. *Musca vibrans* Linn. Fn. Sv. 1867. *Tephritis vibrans* Fabr. Antl. 324. 39.

Hab. in Lapponiae fruticibus rarissime. (Lappon.; Hernösand 30. Aug. - Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin. Tota atra nitida glabra. Caput aurantiacum, orbita oculorum alba. Antennae ferrugineae, apice rotundatae, seta nuda testacea. Alae albo-hyalinae, ut in diagnosi pictae. Halteres albi. Pedes nigri nudi, geniculis et metatarso fuscis.

**4. O. Paludum:** nigra nitida, capite concolore, antennis longissimis linearibus fuscis, basi pedibusque piceis, alis hyalinis, nervis transversis maculaque apicis fuscis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Ortalid. 20. 7. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 282. 18.

Hab. in Lapponia ut fertur, mihi ibi non obvia. (Lapp.-Ostrog.-Scan. certis annis frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Augusta, tota nigra. Antennae articulo ultimo longissimo augusti lineari fusco; basi ferrugineae. Seta nuda. Orbita oculorum anguste alba. Alae fusco-hyalinae, nervis transversis, macula apicis et saepe macula costali, fuscis. Pedes obscure ferruginei.

## 105. Sepsis. Fall.

Meig. Dipt. Eur. gen. 168. Fall. *Musca* Linn. Dej. Panz. *Tephritis* Fabr. *Calobata* Fabr. *Micropeza* Latr.

*Corpus* parvum cylindricum nitidum glabrum, setis verticis thoracisque paucis. Antennae incumbentes breviusculae, articulo ultimo oblongo obtuso compresso, seta nuda. Caput globosum, hypostomate plano. Oculi rotundi. Abdomen subcylindricum, petiolatum, 4-annulatum. Alae omnino ut in *Ortale*, at nervus auxiliaris in costam desinit, ubi nervus transv. medius opponitur. Pedes elongati non validi. *Color* niger, metallice saepe micans. *Motu* agilis, volatu brevis; alis vibrantibus currit. Odorem spirans citrinum. *Habitatio* larvarum in colluviariis et in aqua stagnante putridaque, ubi victitant; imaginum in graminosis, fimetis et putridis. *Differentia sexus; mas:* genitali exserto inflexo articulato, et cornibus 2 incurvis hamosis appendiculato; praeterea penicilli 2 laterales e segmento anali interdum erumpunt, femoribus anticis subtus saepe etiam excisis, aut spinulosis, aut dentatis; *femina:* abdomine magis oblongo, apice acutiori, vagina brevi, articulata recondita, femoribus semper simplicibus. (Spec. Scand. 9, corpore elongato subcylindrico glabro, capite globoso, oculis rotundis, hypostomate plano, antennis breviusculis, seta nuda, abdomine 4-annulato, et puncto in pectore supra coxas intermedio cinereo, distinctae.)

a) Alae immaculatae.

**1. S. putris:** nigra, antennis pedibusque concoloribus, alarum nervis longitudinalib. 3 et 4 parallelis; *mas:* femoribus anticis subtus excisis dentatis et ano setoso. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Ortal. 21. 1. vera. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 292. 15. ♂♀. *Musca putris* Linn. Fn. Sv. 1850. var. *α*. *Tephritis putris* Fabr. Antl. 323. 34.

Hab. in Lapponiae graminosis et fimetis rar. (Lappon.-Scan. vulgatiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin. Tota nigra nitida. Antennarum seta capillaris, basi incrassata. Apertura oris brevissime setulosa, at setae mystacinae (quas distinctas contendit Meigen) nullae. Alae hyalinae, nervo costali nigro. Squama et halteres alba. *Mas:* Abdominis apex utrinque fasciculo pilorum; femora antica subtus in medio sinuata dente instructa. Tibiae anticae in medio tuberculatae. *Femina:* ano mutico, femoribus anticis subincrassatis, subtus setulosis.

Var. b. ♂, triplo fere minor, alis magis pure hyalinis, nervis transversis magis approximatis, oculis brunneis, aeno-micantibus, in graminosis ad ripam fluminis Ångermanniae ad Almsele et Åsele d. 24—26. Jul. a D. Dahlbom inventa.

**2. S. Leachi:** aeneo-nigra, antennarum basi et hypostomate obscure ferrugineis, pedibus nigro-piceis, basi flavis, alarum nervis 3 et 4 longit. non parallelis; ♂ femoribus anticis subtus sinuatis, dentatis, ano vix setoso. ♂♀.

Meig. Dipt. 5. 291. 14? *Seps. cylindrica* Fall. Dipt. Sv. 22. certe. ♂♀. (exclus. Syn. Fabr.)

Hab. in Lapponia rar.; ad Björkvik Nordlandiae d. 15. Jul. a me lecta. Larvae in stercore praesertim humano degunt, teste D. Bouché. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Longit. prioris, a qua tantum differt: corpore paullo magis lineari, antennarum basi et hypostomate rufo-ferrugineis, pedibus basi flavescentibus et anticis in ♀ fere totis testaceis; alarum nervis 3 et 4 non exacte parallelis, sed in disco alae nonnihil remotioribus, ut et ano ♂ setarum rudimento. Femora antica subtus, in ♂ subsinuata denticulata, in ♀ setulis 5—6 parvis instructa. —

Var. ♀ pleuris antice ferrugineis.

**3. S. cylindrica:** aeneo-nigra, capite pleurisque ferrugineis, antennis pedibusque flavis, alarum nervis longitudinalibus 3 et 4 vix parallelis; ♂ femoribus anticis subtus muticis, ano non setoso. ♂♀.

Meig. Dipt. 5. 290. 12. *Calobata cylindrica* Fabr. Antl. 263. 11. *Sepsis nitidula* Fall. Dipt. Sv. Ortal. 21. 2. vera. ♂♀.

Hab. in Lapponia pass. haud frequenter; ad Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 17. Jul. et ad Kengis Lapponiae Tornensis in fungis terrestribus d. 22. Aug. in copula inveni. Larvae ut in priori vivunt. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et affinitas *Seps. putridis*; differt: capite et thoracis lateribus antice, piceo-ferrugineis, antennis pedibusque flavis, horum posteriorum femorum medio, tibiis tarsisque tantum obscurioribus, alar. nervis long. 3 et 4 non exacte parallelis, ut et femoribus anticis in ♂ subtus non excisis vel dentatis, sed tantum leviter setulosis, et ano non setoso, solummodo subpiloso.

**4. S. Coxarum:** aeneo-nigra, pedibus concoloribus, coxis femorumque summa basi flavis, antennis piceis, alarum nervis longitud. 3 et 4 subparallelis; ♂ femoribus anticis anoque, glaberrimis muticis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lappon.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Statura *S. Leachi*. Caput nigrum, antennis obscure testaceis. Abdomen violaceum, basi aenescens. Anus inflexus nudus. Alae hyalinae, nervis 3 et 4 longitud. fere parallelis. Halteres albi. Pedes simplices tenues, toti in utroque sexu glaberrimi mutici nigri, coxis omnibus, apophysi, femorum tibiarumque summa basi flavis.

b) Alae apice puncto laterali nigro notatae; nervis longitudinalibus 3 et 4 parallelis; transversis subapproximatis.

**5. S. Punctum:** nigra, hypostomate obscure ferrugineo, abdomine viridi-aureo, pedibus flavis, tarsis fuscis, femoribus anticis in ♂ subtus excisis, dentatis et spinulosis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Ortalid. 22. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 289. 10. *Tephritis punctum* Fabr. Antl. 351. 40. *Musca stigma* Panz. Fn. 60. t. 21. certe. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 2 lin. Subaenescenti nigra. Antennae fuscae. Hypostoma magis vel minus rufescens. Abdomen, in ♂ aureo-viride, 1mo segmento flavescenti viridi; ano mutico; in ♀ violaceo-aeneum, primo segmento concolore. Halteres flavi. Pedes cum coxis anticis flavi, tarsis fuscis. Femora antica in ♂ crassiora, subtus sinuata, dente versus apicem vergente et spinis 6—7 brevibus armata; in ♀ simplicia inermia.

**6. S. violacea:** nigra, hypostomate obscure ferrugineo, abdomine violaceo, pedibus flavescentibus, tarsis fuscis; femoribus anticis in ♂ subtus sinuatis, dentatis et spinulosis. ♂♀.

Meig. Dipt. 5. 289. 9. *Seps. punctum* Fall. Dipt. Sv. Ortal. 22. 4. descript.

Hab. in Lapponia rarius; ad Wilhelmina Lappon. Umensis d. 15. Jul. capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¹ lin. Simillima priori, paullo minor, colore pedum obscuriori, tibiis posticis saepe nigricantibus, et abdomine in utroque sexu violaceo, primoque segmento magis coarctato. A praecedente aegre dignoscitur, forte mera ejus varietas, sed auctoritate Cl. Meigeni ut distincta species heic proposita.

**7. S. cynipsea:** aeneo-nigra, capite fusco, abdomine obscure violaceo, coxis tibiisque anticis, geniculis omnibus anguste, femorumque posticorum basi, flavis; femoribus anticis in ♂ subtus denticulatis et spinulosis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Ortal. 23. 5. vera. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 287. 1. certe. *Musca cynipsea* Linn. Fn. Sv. 1668. certe. ♂. *Tephritis cynipsea* Fabr. Antl. 324. 41.

Hab. in paludosis, etiam in Pinus ligno recenter secato, in Lapponia passim; scilicet ad Wittangi et Muonioniska, Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele et Asele, Lapponiae Umensis, d. 17. Jun. — 17. Aug., haud infrequenter visa. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Parva, circiter 1 lin. long. Simillima priori, duplo minor, capite obscuriori, pedibus nigricantibus, coxis tibiisque anticis, geniculis summis omnibus, at femoribus posticis basi, flavis, distincta.

*Obs.* Variat in Suecia inferiori pedibus antennisque magis (in junioribus) vel minus rufescentibus, unde forte exstant species Meigenianae: *S. fulgens*, *hilaris*, *flavimanu* et *ruficornis*, a nostra *Sepsi cynipsea* vix separandae.

**8. S. cornuta:** nigra, coxis anticis fusco-testaceis, fronte antice cornu porrecta. ♀.

Meig. Dipt. 5. 288. 6. ♀.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae; ad Björkvik d. 14. Jul. semel inventa. (Lappon. — ?)

*Fem.* Long. 1½ lin. Similis *Seps. cynipseae*. Tota nigra nitida, abdomine vix aenescente, neque violaceo. Frons substriata. Halteres testacei. Pedes inermes nudi nigri, coxis tantum anticis obscure testaceis. A praecedentibus distinguitur cornu frontali rotundo porrecto, antennis paullo breviori, fusco.

---

## 106. Homalocephala. Zett.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum punctatum subpubescens, setis verticis thoracisque paucissimis. Antennae deflexae breves, articulo ultimo rotundato compresso, seta capillari nuda; sub margine frontis subporrecto insertae. Caput latum transversum, hypostomate brevissimo lato. Frons plana depressa. Oculi horizontaliter rotundato-ovati. Abdomen conicum sessile, 5-annulatum. Alae omnino ut in *Ortale*, at non fasciatae; an vibrantes? Nervus longitudinalis sextus usque ad marginem interiorem excurrit. Pedes breviusculi validi, tibiis posticis subincurvis. *Color* niger. *Motus* . . . *Habitatio* in sylvis, per partem sylvaticam Lapponiae, et in Norvegia ad Dowre. *Differentia sexus*; *mas:* apice abdominis obtuso, truncato; *femina:* vagina articulata erumpente. (Spec. Scand. 1, nostra, corpore punctato, capite lato, hypostomate brevi, antennis brevibus rotundatis, oculis transversim subovatis, abdomine conico, etc. distincta.)

**1. H. albitarsis:** nigra, fronte antice picea aut pallida, hypostomate, halteribus metatarsoque albis, alis hyalinis, macula costali ante apicem fusca. ♂♀.

Hab. in alpe Dowre D. Boheman; e pupis nudis cylindricis brunneis nitidis 10-annulatis, sub cortice Pini putrescentis ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis captis, plura specimina utriusque sexus die 28. Jun. exclusa, ipsi quoque colligere mihi contigit. (Lapponia Suecica et Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Elongata nigra parum nitida, punctata cinereo-subpubescens, setis paucis in vertice et thoracis postico instructa. Caput cum oculis exsertum thorace fere latius. Frons lata depressa plana nigra, medio picea et antice marginata, margine pallido. Hypostoma brevissimum latissimum album. Partes oris retractae. Antennae subexsertae breves rotundae, basi setulosae. Abdomen conicum, stylo anali basi latitudine segmenti ultimi, piceis, in medio canaliculato, apice acutiori. Alae hyalinae, linea costali, ubi exeunt nervi auxiliaris et secundarius nigra; et macula obsoleta fusca in apice nervi longitudinalis 2di. Pedes breviusculi inermes. Femora valida. Metatarsi albi. Affinis videtur *Actorae* Meig., ab ea vero hypostomatis, oculorum et aui structura certe distincta. Specimina Tornensia tarsis fuscis s. vix albidis gaudent, alias Dowreensibus simillima.

*Obs.* Genus *Lissa* Meig. seu *Chyliza Loxocerina* Fall. in Scania capta, in Lapponia certe non occurrit.

---

## 107. Palloptera. Fall.

Fall. Dipt. Sv. Ortalid. p. 23. *Musca* Panz. *Dacus* Fabr. *Sapromyza* Meig.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongo-ovatum pubescens setis ordinariis instructum. Antennae deflexae breves rotundatae compressae, seta nuda aut subpubescente. Caput rotundatum. Frons puberula. Oculi rotundi. Hypostoma breve subretusum, apice subreflexum. Abdomen 5-annulatum, vagina ♀ longe erumpente. Alae erectae vibrantes, nervo auxiliari non ad medium costae descendente, nervis transversis remotiusculis. Pedes simplices. *Color* cinereus, aut flavus. *Motu* sat tarda. *Habitatio* in floribus et foliis plantarum, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas:* ano obtuso; *femina:* vagina articulata longe erumpente. (Spec. Scand. 6, antennis brevioribus, hypostomate subimpresso, vagina ♀ longe erumpente, alis vibrantibus, ut et pedibus semper simplicibus, a *Sapromyzis* facile dignotae.)

**1. P. Umbellatarum:** cinerea opaca, hypostomate albido, antennis testaceis, pedibus flavis, alis albidis, costa nervisque transversis fuscis. ♂♀.

*Dacus Umbellatarum* Fabr. Antl. 277. 20. *Sapromyza Umbellatarum* Meig. Dipt. 5. 269. 26. ♂♀. *Musca gangraenosa* Panz. Fn. 59. t. 22. ♂. *Palloptera gangraenosa* Fall. Dipt. Sv. Ort. 24. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 2 lin. Cana. Hypostoma, et frons antice, alba. Antennae fusco-testaceae, seta concolore subnuda. Scutellum subtestaceum. Abdomen cinereum, basi, ano et ventre subtestaceis. Alae albidae. Nervus auxiliaris in costam extenditur usque ad nervum transversum medium. Nervi transversi non longe remoti, fuscedine late cinguntur. Costa tota a basi usque infra apicem alae fusca. Punctum fuscum ad basin alae in nervo 6to longit. saepe etiam observatur. Pedes toti cum coxis pallide flavi.

**2. P. usta:** cinerea opaca, hypostomate albido, fronte antice fulva, antennis, macula utrinque humerali, scutello anoque testaceis, pedibus flavis, nervis transversis apiceque fuscis. ♂♀.

*Sapromyza usta* Meig. Dipt. 5. 270. 28.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; in Lapponia vero Umensi, ex. gr. in Pinetis ad Lycksele d. 14 — 16. Aug. paullo frequentius vidi. (Lapponia; Hernösand in truncis Abietis d. 29. Aug.; — Ostrogothia-Scania passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¹ fere 2 lin. Similis priori. differt aperte fronte antice fulva nec alba, et alis aliter maculatis. Alae albae, macula costali in apice nervi auxiliaris, apice alae toto, et nervo transverso ord. late, fuscis. Nervus autem transversus medius (ante apicem nervi auxiliaris situs), et costa in medio immaculata. Nervi transversi quoque remotiores, quam in priori. Abdomen fuscum subnitidum.

**3. P. ambusta:** rufo-testacea nitida, pedibus flavis, occipite, thoracis vittis 4 abdominisque medio, nigris, alarum nervo transverso ord. apiceque fuscis. ♀.

*Sapromyza ambusta* Meig. Dipt. 5. 268. 8. 23. certe ♀.

Hab. in alpe Dowre, a D. Boheman mens. Jul. inventa. (Lappon. Norvegica.)

*Fem.* Long. fere 2 lin. Nitida. Caput flavum, fronte lutea, orbita oculorum anguste alba. Hypostoma breve, vix impressum

Antennae (in nostro specimine mutilatae; sed secundum Cl. MEIGEN) rufo-flavae, articulo ultimo rotundato, seta brevissime pubescente. Occiput et punctum ocellorum, nigra. Thorax rufo-testaceus, vittis dorsalibus subquatuor, quarum laterales abruptae et interruptae sunt, nigris. Metathorax nigro-bipunctatus. Abdomen nigrum, basi anguste, et apice ano longe erumpente flavum. Alae omnino ut in *P. usta*. Halteres albi. Pedes pallide flavi. Macula sterni nigra. — *Mas* a Cl. MEIGEN etiam descriptus l. c. mihi ignotus.

*Obs.* Species Suec. Fallenianae: *Pall. ustulata*, *arcuata* et *marginella* Faunae nostrae ignotae.

## 108. Sapromyza. FALL.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 156. FALL. AHRENS. *Musca* LINN. *Tephritis* FABR.

*Corpus* minoris magnitudinis aut parvum, oblongo-ovatum obtusum mollissimum, pubescens, setis ordinariis distinctioribus. Antennae ut in *Palloptera*, paullo forte longiores. Caput rotundatum. Frons vix puberula. Oculi rotundi. Hypostoma breve vix retusum, nec apice reflexum. Palpi subfiliformes. Abdomen 5-annulatum. Vagina ♀ erumpens. Alae incumbentes, non vibrantes, nervis ut in genere priori directis. Pedes aut simplices aut in ♂ incrassati. *Color* flavus. *Motu* sat tarda. *Habitatio* in foliis et succo plantarum. *Sexus differt* ut in priori. (Spec. Scand 32, *Pallopteris* valde affines, setis verticis thoracisque distinctioribus, fronte vix hirsutula, hypostomate non impresso, alis non vibrantibus, vagina ♀ vix tam longe erumpente, ut et femoribus ♂ interdum incrassatis, distinctae.)

a) Alae maculatae. Nervi transversi remoti. Pedes simplices.

**1. S. 10-punctata:** pallida, alis pallescentibus, nervis transversis apiceque trium nervorum longitudinalium fuscis, antennarum seta pubescente. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ortal. 30. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 270. 29.

Hab. in Lapponiae fruticibus rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. et ultra. Tota pallide flava, setis ordinariis nigris. Hypostoma albidum. Antennarum apex interdum fuscus. Ala singula maculis 5 fuscis notata speciem distinguit. Oculi in viva rufi, aeneo-micantes, unicolores.

**2. S. notata**: pallida, hypostomate pedibusque pallidioribus, alarum nervis transversis totis, longitudinalium 3tio punctis 3, et 4to apice nigricantibus; antennarum seta pubescente. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Wilhelmina d. 20. Jul. in copula semel capta. (Lappon. meridionalis; Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¹ lin. Similis priori, paullo minor. Flava immaculata, thorace flavo-testaceo. Singula ala maculis 7 fuscis.

**3. S. praeusta:** flavo-testacea, hypostomate padibusque pallidioribus, tarsis, et alarum antennarumque apice, fuscis, seta pubescente. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ortal. 31. 4. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 264. 14. ♂♀.

Hab. in Lapponia rar.; in Lapp. Tornensi D. DEUTSCH, in Umensi ad Lycksele ipse. (Lappon.-Ostrogoth. rar.; Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Tota flava. Similis priori. Antennarum apex et tarsi plerumque distincte nigri. Seta pubescens fusca. Alae pallidae, summo apice nigricante. Nervus transversus ordin. interdum etiam fuscus.

*Obs.* *Sapr. multipunctata* FALL. in Lapponia hactenus non observata.

b) Alae immaculatae.

* Nervi alar. transversi remoti. Pedes simplices.

**4. S. rorida:** oculis rufis aeneo-micantibus flavo-testacea, hypostomate pedibusque pallidioribus, alis flavescentibus, antennarum articulo ultimo oblongo-ovato, seta pubescente nigra. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ortal. 32. 7. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 259. 1.

Hab. in foliis fruticum per partem sylvaticam Lapponiae passim; feminae valde lascivae masculos cursim persequuntur et sub copula exigunt vaginam corniculaque 2 lateralia. (Lappon.-Hernösand. 29. Aug. rar. — Scan. frequenter.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 2 lin. Tota flava immaculata nitida, setis ordinariis nigris. Antennae suboblongae. Oculi rotundi unicolores, in viva rufi, aeneo-micantes, in mortua brunnei. Nervus alar. auxiliaris et secundarius minus approximati. Nervi transversi sat longe remoti.

**5. S. laeta:** oculis brunneis aeneo-micantibus flavo-testacea, hypostomate pedibusque pallidioribus; alis flavo-hyalinis, antennarum articulo ultimo ovato, seta subnuda, apice fusca. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in foliis fruticum ad Wilhelmina et Lycksele d. 19. Jul. — 3. Aug. capta; inter Alten et Kautokeino Finmarkiae ♀ quoque d. 13. Aug. visa. (Lappon.-Angermannia ad Hernösand 30. Aug. rarissime.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¼ lin. Similis priori, minor, et antennis paullo brevioribus, seta magis nuda alisque magis hyalinis, minus pallescentibus, distincta.

**6. S. hilarella:** oculis virescentibus pallide flava, capite pedibusque albidis; alis subhyalinis, antennarum articulo ultimo rotundato-ovato, seta subnuda, apice fusca. ♂♀.

Hab. in silvaticis, betuletis, alnetis et salicetis Lapponiae meridionalis Umensis frequenter; scilicet juxta rivulos ad Lycksele, Stensele, Naestansjö et Wilhelmina d. 4. Jul. — 16. Aug. in copula saepe capta; deprehenditur etiam in inferalpinis Nordlandiae et ad Björkvik et Giebostad mense Julio etiam in copula visa. In Dowre a D. BOHEMAN lecta. (Lapponia Dalekarlia.)

*Mas* et *Fem.* Parva. Long. circiter 1 lin. Similis priori, paullo minor pallidior, antennis nonnihil brevioribus, capite toto albidiori alisque paullo magis hyalinis, distincta. A *Sapr. flava* FALL., cui etiam similis, nervis transversis remotis, nec approximatis, et femoribus maris simplicibus, mox dignota. Oculi in viva virides unicolores, in mortua violacei. Frons saepe laete citrina, maculata. Antennae in ♂ subovatae, in ♀ magis rotundatae. Nervus alar. costalis brevissime nigro-ciliatus.

**7. S. chlorophthalma:** oculis viridibus testacea, hypostomate pedibusque flavis, alis subflavescentibus, antennar. articulo ultimo rotundato, apice, seta pubescente tarsisque nigro-fuscis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in silva ad Wilhelmina d. 20. Jul. detecta. (Lapponia.)

*Mas.* Long. 2 lin. Similis *S. hilarellae* et *obsoletae*, a priori magnitudine majori, colore magis testaceo, alis nonnihil flavicantibus, antennis apice nigris tarsisque fuscis, et a *S. obsoleta* oculis in viva unicoloribus, nec purpureo-lineatis, antennis apice magis rotundatis et seta subpubescente, bene dignota. Abdomen nitidum lividum seu obscure testaceum.

**8. S. obsoleta:** oculis aeneo-viridibus transversim purpureo-bilineatis ferruginea, hypostomate pedibusque flavis, antennarum apice tarsisque nigricantibus; alis flavicantibus, antennarum articulo ultimo oblongo, seta subnuda fusca. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ortal. 31. 6. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 260. 2. *Tephritis flava* FABR. Antl. 317. 6.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Simillima *T. roridae*, saepe paullo minor, antennarum apice nigro, seta minus distincte pubescente, oculis in viva aeneo-viridibus, lineis duabus transversis purpureis, ut et tarsis praesertim anticis fuscioribus, aperte distincta. Alae flavae, nervis transversis remotis.

**9. S. subfasciata:** oculis ferrugineis aeneo-micantibus unicoloribus ferrugineo-flava, hypostomate pedibusque pallidioribus, antennis rotundatis, apice nigris, seta subnuda fusca; alis pallide hyalinis, incisuris abdominis infuscatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lapponia; Angermannia 15. Sept. rar. - Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¹ lin. Similis praecedenti, paullo minor, pallidior, antennis nonnihil brevioribus subrotundatis, apice fuscis, nec determinate nigris, tarsis vix infuscatis, alis minus flavis, nervis transversis forte paullo magis approximatis, abdominis incisuris praesertim in ♀ subfuscis, ut et oculorum colore, perbene distincta.

**10. S. melanogaster:** oculis . . . . . ., pallide flava immaculata; alis pallescentibus, antennis magis rotundatis, seta pubescente fusca, abdomine nigro-fusco. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lapponia; Hernösand. d. 30. Aug. rar.)

*Fem.* Long. fere 2 lin. Affinis et similis *S. roridae*, antennis magis rotundatis. A prioribus mox differt abdomine toto nigricante s. fusco. Tarsi apice infuscati. Oculorum color in viva non annotatus.

*Obs.* Spec. Fall. *Saprom. pallidiventrem*, *pallidam*, *4-punctatam* et *plumicornem* in Lapponia invenire mihi non contigit.

** Nervi transversi in disco alae approximati. Nervus auxiliaris et secundarius parum remoti. Femora in masculis saepe incrassata. Species *Opomyzis* affines; an proprii generis?

**11. S. flava**: oculis viridi-aureis pallide flava, antennis rotundatis anoque immaculatis; femoribus anticis posticisque in ♂ crassissimis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ortalid. 38. 13. ♀. MEIG. Dipt. 5. 260. 4. ♀. HAGENBACH Symb. Fn. Ins. Helv. 47. f. 29. *Musca flava* LINN. Fn. Sv. 1869. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia; Ostrogothia et Scania in fenestris freq.)

*Mas* et *Fem*. Parva, circiter $1\frac{1}{4}$ lin. long. Tota citrina, abdomine ovato, in ♀ valde tumido. Oculi in viva pulchre aureo-virides, in mortua nigro-purpurei. Alae flavescentes.

**12. S. unguicella**: oculis viridibus flava, capite pedibusque simplicibus pallidioribus, antennis rotundis, articulo ultimo tarsorum nigro; alis subhyalinis, abdominis dorso in ♂ toto, in ♀ macula, fuscis. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae Umensis passim; ad Lycksele, Umenaes et Wilhelmina, d. 1—19. Jul. a me capta. Mas rariss. occurrit. (Lapponia meridionalis.)

*Mas* et *Fem*. Tenera, mollis et minuta, vix 1 lin. long. Caput pallidum. Antennae rotundae, seta nuda fusca. Oculi in viva virides, in mortua ferruginei. Thorax testaceus in ♂ vittis 3 obscurioribus. Abdomen oblongum, ventre pallido, supra in ♂ nigricans, in ♀ disco fuscum. Alae pallide hyalinae. Pedes flavi simplices in utroque sexu, articulo tarsorum tantum ultimo atro.

*Obs. Sapr. albiceps*, *interstincta*, *lutea* et *femorella*, a FALL. descriptae, in Lapponia mihi non obviae.

---

## 109. Lonchaea. FALL.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 171. FALL. *Musca* FABR.

*Corpus* parvum obtuse ovatum convexum undique villosum, vertice thoracisque postico setulosis; nitidum molle. Antennae deflexae saepe longitudine fere hypostomatis, lineares, articulo ultimo elongato, apice obtuso, basi seta dorsali nuda. Hypostoma perpendiculare breve, parum descendens. Frons pubescens angusta decliva. Oculi maximi, perpendiculariter oblongi. Abdomen 6-annulatum. Alae incumbentes, abdomine longiores, basi latae, non vibrantes; nervis ut in *Ortale* directis; immaculatae. Halteres nigri. Pedes simplices. *Color* ater. *Motu* tarda; lente procedit, magis vivaciter volat. *Habitatio* in foliis fruticum et plantarum; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus*: *mas*: fronte angusta, ano obtuso; *femina*: fronte paullo latiori, vagina articulata longe erumpente. (Spec. Scand. 12, corpore obtuse ovato villoso, antennis saepe longis linearibus, seta semper nuda, oculis maximis perpendiculariter oblongis, abdomine 6-annulato, alis non vibrantibus etc. distinctae.)

a) Corpore nigro aut caerulescenti atro.

**1. L. vaginalis**: caeruleo-atra nitida, antennarum articulo ultimo longitudine hypostomatis, lineari, pedibusque totis, nigris; alis hyalinis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ortal. 26. 2. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 307. 8. (secund. FALL. transscripta.)

Hab. in Lapponia Tornensi et Umensi rarius; ad Naestansjö d. 13. Jul. capta; in inferalpinis Norvegiae paullo frequentius occurrit, et ad Björkvik Nordlandiae, nec non in graminosis ad Bossekop et in Skaaddavaara Finmarkiae d. 14. Jul.—7. Aug. a me lecta. — Mas semper rarius occurrit. (Lappon.-Suecia media pass.-Scan. frequenter.)

*Mas* et *Fem*. Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Crassa, *Anthomyzam* vel *Muscam* minorem mentiens. Atro-caerulea nitida. Antennae longae. Oculi in viva obscure brunnei. Alae hyalinae. Squama parva alba. Stylus ♀ longe erumpens.

**2. L. Deutschi**: nigra subnitida, antennis mediocriter longis, articulo ultimo oblongo-ovali; alis fuscanis. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Betulae et Abietis, nec non in floribus Salicis, in Lapponia passim; scilicet ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis frequenter, 21—29. Jun., et ad Björkvik et Giebostad Nordlandiae, 17—22. Jul. a me inventa. (Lapponia; Botnia borealis, ex. gr. ad Pello 4. Jun. et ad Haparanda 20. Maj.)

*Mas* et *Fem*. Priori paullo minor, eique similis, differt corpore minus nitido, colore magis nigro, parum caerulescente, antennis paullo brevioribus et latioribus, nec linearibus, ut et alis magis fuscis, nec pure hyalinis. Abdomen rotundatum depressum opacum.

Nomen Clar. Dom. HENR. DEUTSCH, Medici Provincialis in urbe longe septentrionali Tornea, Mediciuae et Philosophiae Doctoris atque Assessoris, Viri qui e Lapponiis Tornensi et Kemensi, quas saepius visitavit, multa rariora insecta et plantas mihi communicavit, atque ante paucos annos (d. 1—2. Sept. 1834), considerabilem horum naturalium messem secum portavit, et Ipse in Lunda praesens mihi benigne donavit, inter quae haec *Lonchaeae* species etiam numeranda fuit, tale nomen eidem speciei imponere voluit gratus amicus.

**3. L. chorea**: nigra nitida, pedibus concoloribus, fronte opaca, antennis breviusculis; alis hyalino-albis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ortal. 26. 1. vera. ♂♀. An etiam MEIG. Dipt. 5. 304. 1? (quae longitudine 2 linear. et alis hyalinis describitur). *Musca chorea* FABR. Antl. 304. 99.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; tantum ad Lycksele et Tresunda pauca specimina d. 23. Jun. — 11. Jul. inveni. Larvae auctumno et hieme sub cortice putrescente arborum degunt, 3 lin. longae. Pupae $1\frac{1}{2}$ lin. long. In statu pupae 14 dieb. quiescunt, teste D. BOUCH. (in Naturgeschichte der Insekten, Berlin 1834. V. 1. p. 95.) (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem*. Long. 1 lin. seu magnitudine *L. vaginalis* fere dimidio minor. Tota nigra. Antennar. articulus ultimus ceteris non longior, subdilatatus. Alae albidae. Nervus auxiliaris parum ultra nervum transv. medium in costam extensus. Frons in ♀ sat angustata.

**4. L. albitarsis**: caeruleo-atra nitida, fronte opaca, antennis longitudine hypostomatis, linearibus magnis; metatarsis alisque albis. ♂♀.

Hab. in Lycksele rar. Pupae plures cylindricae nudae 8-annulatae brunneae, sub cortice Pini ad pagum Turtolam Lapponiae Tornensis d. 4. Jun. captae; ex his imagines utriusque sexus egressae d. 22—25. ejusdem mensis, et aliae d. sequentis 3. Julii. (Lapponia-Botnia borealis rar.)

*Mas* et *Fem*. In hoc genere magna, circiter 2 lin. long. Similis *L. vaginali*. Atro-caerulea. Antennae elongatae, parum dilatatae sublineares, nigrae. Frons in ♂ angusta, in ♀ latior; nigra opaca, vertice nitidiori. Alae totae albidae, nervo auxiliari ultra nervum transv. medium in costa distincte extenso. Halteres et pedes nigri, metatarsis praesertim posticorum albis.

**5. L. tarsata**: nigro-caeruleo nitida, fronte nigra subnitida, antennis longitudine hypostomatis; metatarsis alisque albidis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Ortal. 26. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 305. 4.

Hab. in Salicetis, ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 1. Jul. rarius. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem*. Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Simillima priori, fere duplo minor, corpore minus villoso, fronte subnitida, alis magis hyalinis, distincta. Reliqua omnia ut in praecedente.

**6. L. laticornis**: caeruleo-nigra cum fronte nitida, antennis hypostomate fere duplo brevioribus subdilatatis; metatarsis alisque albidis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 308. 13? ♀.

Hab. in Lapponia rarius; uterque sexus ad Lycksele, Lapponiae Umensis d. 10. Aug. captus; at ♀ e pupa nuda cylindrica 10-annulata brunnea ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis capta d. 24. Jun. exclusa. (Lapponia —?)

*Mas* et *Fem*. Longitudo prioris eique similis, differt: antennis brevioribus et paullo latioribus alisque minus albidis, subhyalinis. Halteres nigri. Frons mediocriter lata. Vagina ♀ longe erumpens.

**7. L. hirticeps**: tota atra subnitida, antennis longitudine hypostomatis; alis fuscanis, oculis hirtis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rariss.; ad Lycksele unicum individuum inveni. (Lapponia.)

*Mas*. Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Affinis videtur *L. dasyopi* MEIG. (quae in Scania rarissime lecta), sed differt: antennis longioribus et alis fuscanis. Tota atra antennis pedibusque concoloribus; minus nitida. Frons angusta opaca.

b) Corpore aenescente.

**8. L. aenea**: nigro-aenescens nitida, capite pedibusque immaculatis nigris, antennis mediocribus, alis subflavicantibus. ♀.

MEIG. Dipt. 5. 306. 6? ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rariss., unicum specimen tantum inveni. (Lapponia; Gottlandia et Scania rarissime.)

*Fem*. Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Tota aenescens nitida, capite pedibusque solum nigris. Alae flavicantes, nervis pallidis. Halteres nigri. Vagina ♀ erumpens acuta.

## 110. Lauxania. Latr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 170. Fabr. Panz. Fall. *Musca* Fabr.

*Corpus* ut in *Lonchaea*, sed minus villosum. Antennae oblique porrectae, articulo ultimo elongato compresso; apice subacutae, basi seta dorsali nudiuscula aut plumata. Hypostoma subdescendens, medio parum impressum, inaequale. Oculi perpendiculariter rotundati oblongi. Abdomen 5-annulatum. Alae et pedes ut in *Lonchaea*. *Color* niger, aeneus, cinereus. *Motus* et *Habitatio* ut in genere priori. *Differentia sexus* etiam ut in illo, at vagina feminae non erumpens. (Spec. Scand. 7, antennis magis porrectis, articulo ultimo saepe longiori, oculis minus oblongis subrotundatis, nervo auxiliari paullo breviori, abdomine 5-annulato, et genitali ♀ non erumpente, distincta.)

a) Seta antennarum nudiuscula.

**1. L. cylindricornis:** aenescenti nigra nitida, antennis porrectis, capite longioribus angustis, seta alba, tarsis basi, alisque totis, sordide albicantibus. ♂♀.

Fabr. Antl. 212. 1. Panz. Fn. 105. 11. certe. Fall. Dipt. Sv. Ortal. 27. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 296. 1.

Hab. in Lapponia rarius; ad Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 15. Jul. 1832, et ad Björkvik Nordlandiae d. 15. Jul. 1821, pauca specimina legi. (Lapp.-Dalekarlia-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Parva, vix ultra 1 lin. long. Nigra nitida, parum aeneo-micans subnuda. Antennae basi testaceae, articulo ultimo longissimo valde angusto et lineari, fusco, seta breviter pubescente alba. Alae flavo-albicantes. Squama minuta. Halteres nigri. Pedes nigri, metatarsis posterioribus sordide albis. Oculi in viva brunnei, lineis 3 transversis viridibus (vel si mavis: oculi virides, lineis 4 brunneis s. purpureis).

**2. L. aenea:** virescenti aenea nitida, pedibus nigris, antennis mediocriter longis, genubus tibiisque testaceis; alis flavo-albo-micantibus. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Ortal. 28. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 297. 3.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin.; robusta. Tota aenea, nitida. Antennae vix longitudine capitis transversi, testaceae, articulo ultimo elongato angustato, seta subnuda capillari testacea, apice fusca. Alae subflavicantes. Halteres flavi. Pedes nigri, genubus tibiisque testaceis.

*Obs.* *Laux. seticornis* Fall. Sueciae mediae et meridionalis, sed vix Lapponiae incola.

b) Seta antennarum plumata.

**3. A. lupulina:** cana, antennis mediocriter longis, abdomine, tibiis intermediis pedibusque posticis testaceis, fronte antice albo-fasciata; alis albo-flavicantibus. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Ortal. 29. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 301. 11. *Musca lupulina* Fabr. Antl. 298. 7.

Hab. in Lapponia Tornensi, D. Deutsch, et Kemensi, ipse; in utraque rarius; d. 15—30. Aug. capta. (Lappon.-Botnia, Uplandia rar., Ostrog. pass., Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Statura *L. aeneae*, at cinerea opaca. Antennae breviusculae (in hoc genere), testaceae, articulo ultimo oblongo-ovato, apice acutiori. Seta distincte plumata. Frons fascia antica albida. Abdomen flavum. Alae flavo-albicantes. Halteres pallidi. Pedes nigri, antici geniculis, intermedii geniculis et tibiis, postici toti fere testacei.

*Obs.* *Laux. longipennis* Fall. et *fasciata* Fall. huc usque in Lapponia non observatae sunt, quantum scio.

---

## FAM. 28. OPOMYZIDES. Fall.

Os nudum. Nervus alar. auxiliaris et secundarius in unum fere confluentes, ad medium costae vix extensi, et ante nervum transversum medium saepe cessantes. Caput rotundatum. Antennae deflexae, saepe breviusculae. Seta pubescens. Oculi nudi distantes. Corpus elongatum angustum parum pubescens, parce setulosum. Vertex semper setulis instructus. Abdomen 5—6-annulatum. Pedes saepissime elongati, plerumque mutici. Alae non vibrantes. Nervi fere ut in *Anthomyza* directi. Nervi transversi saepissime longe remoti.

## 111. Calobata. Fabr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 180. Fabr. Fall. *Musca* Linn. Panz.

*Corpus* medium tenue elongatum cylindricum nudiusculum. Antennae deflexae breves rotundatae, seta subplumata. Hypostoma non descendens declivum planum. Frons angusta nuda. Oculi magni sub rotundi. Humeri tuberculati. Abdomen 5-annulatum. Alae incumbentes, abdomine longiores, nervis 3 et 4 apice appropinquantibus (nec per totam longitudinem parallelis). Pedes longissimi tenues mutici. *Color* nigricans cinerascens. *Motu* sat segnis; tarde volat, at paullo vivaciter ambulat. *Habitatio* in truncis, foliis fruticum et graminosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* perspicua; *mas*: ano clavato, appendice duplici instructo; *femina*: ano incrassato, glabro simplici.. (Spec. Scand. 6, corpore subfiliformi, antennis brevibus rotundatis, hypostomate non descendente, humeris tuberculatis, abdomine 5-annulato alis breviore, pedibus longissimis, ut et alarum nervis longitudinal. 3 et 4 non parallelis, distinctae.)

**1. C. cibaria:** nigricans, thorace griseo, callis humeralibus nigricantibus, fronte fulva, antennis testaceis, seta subplumata, alis pallescentibus, pedibus flavis femoribus posticis apice annulo nigro. ♂♀.

*Mas:* abdomine filiformi, ano clavato testaceo, ventre ad apicem appendicibus 2 tumidis flavis.

*Femina:* abdomine cylindrico, segmento 6to flavo, ano incrassato nitido atro; in copula.

Meig. Dipt 5. 378. 2. *Musca cibaria* Linn. Fn. Sv. ♀. *Musca cothurnata* Panz. Fn. 54. t. 20. ♀. et *Calobata cothurnata* Meig. Dipt. 5. 379. 3. forte eadem; tantum fronte nigra, antice lutea, distincta. *Calobata cothurnat.* Fall. Dipt. Sv. Opomyzides 2. 2. certe, ♂♀. (exclus. forte Syn. Fabr. et Linn.)

Hab. in Lapponiae fruticibus Salicis et Betulae passim frequenter; scilicet in fruticibus, juxta rivulos laete vigentibus, ad Lycksele, Stensele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, frequentissime, ad Kengis, Juckasjervi et Karesuando, Lapponiae Tornensis, rarius, nec non ad Björkvik Nordlandiae et Bossekop Finmarkiae, passim; a d. 15. Jun. usque ad 22. Aug. visa. (Lappon.-Scan. pass. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. et ultra. Angusta nuda, setulis paucis in vertice et thoracis postico. Scutellum bisetosum. Caput postice cinereum, macula verticis nigra. Frons fulva, posterius magis minus late nigricans. Hypostoma album. Antennae testaceae, basi fuscae, seta nigra plumata. Oculi rufo-ferruginei unicolores. Thorax nigricans, griseo-pollinosus, callis humeralibus obscurioribus, subtus saepe macula rufa. Pleurae cinereae. Abdomen nigrum, nitidum, ventre in ♀ saepe tumido; differentia sexus ut in diagnosi. Alae pallescentes. Halteres et pedes cum coxis et tarsis, toti flavi, femoribus posticis intra apicem annulo nigro. Pedes intermedii longi, postici longissimi.

Var. b. ♂♀. fronte nigra, antice lutea; alias var. a simillima. *Musca cothurnata* Panz. et *Calobata* eadem Meig. l. c. In Lapponia praesertim meridionali frequentior quam var. a. deprehenditur.

**2. C. petronella:** nigricans, thorace griseo, callis humeralibus rufis, capite albido, fronte fulva, antennis testaceis, seta pubescente, alis pallido-hyalinis, pedibus flavis posticis apice annulo nigro. ♂♀.

*Mas* et *Femina:* ut in priori differunt, at ano feminae rufo, nec atro.

Fabr. Antl. 262. 10. Meig. Dipt. 5. 377. 1. ♀. *Musca petronella* Linn. Fn. Sv. 1856. *Calobata corrigiolata* Fall. Dipt. Sv. Opomyz. 3. 3. ♂♀. (exclus. forte Syn. Linn. et Fabr.)

Hab. in Lappon. cum priori, rarissime. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et summa praecedentis similitudo, nec differt, nisi capite postice rufescente, nec cinereo, vertice tantum fusco-maculato, seta antennarum pubescente, nec plumata, callis humeralibus rufis, alis forte paullo magis hyalinis, ut et ano feminae rufo, nec nigro.

**3. C. nigricornis:** nigra, hypostomate albo, fronte antice fulva, antennis testaceis, apice atro, seta pubescente fusca, alis hyalinis, pedibus flavis, femoribus posticis apice annulo nigro. ♂♀.

*Mas* et *femina* ut in *C. cibaria* differunt, at ano maris supra nigricante.

Hab. in betuletis Lapponiae Umensis rarissime, ad Lycksele mens. Junio visa. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$ lin. et ultra. Similis *C. cibariae*, paullo minor tenuior et differt, thorace, fronte antennarumque apice

nigris, seta pubescente et alis minus coloratis. Frons nigra, antice angusta fulva, orbita oculorum et hypostomate albis. Antennae breves testaceae, articulo ultimo et seta nigris. Proboscis rufa. Caput postice nigrum. Thorax et abdomen nigra nitida subpilosa, pectore cinerascente. Halteres et pedes ut in *C. cibaria*.

*Obs.* FALLENI *Calobata calceata* et *ephippium* e Lapponia omnino exsulant; haec vero in Dalekarlia a D. BOHEMAN nuper lecta. *Cal. filiformis* ad genus proximum: *Micropeza*, pertinet.

## 112. Micropeza. LATR.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 171. LATR. *Calobata* FABR. LATR. FALL.

*Corpus* minoris magnitudinis, valde angustum filiforme nudum. Antennae porrectae breves, articulo ultimo rotundo compresso, seta subnuda. Caput horizontaliter elongatum ellipticum. Hypostoma breve reclinatum. Oculi rotundi. Abdomen 6-annulatum. Alae incumbentes, longitudine abdominis, nervis ut in *Calobata* directis, nervo auxiliari brevissimo. Pedes tenues longissimi. *Color* nigricans. *Motus* et *habitatio* ut in *Calobata*. *Differentia sexus*; *mas*: ano subclavato, clava breviori; *femina*: ano stylato, stylo lato depresso, apice acuto. (Spec. Scand. 1 nostra, corpore graciliori, antennis porrectis, capite elongato, abdomine 6-annulato, nervo auxiliari brevissimo etc., distincta a speciebus reliquis hujus Familiae generum.)

**1. M. filiformis**: nigricans opaca, antennarum seta, hypostomate incisurisque abdominis albidis, pedibus flavis, annulo femorum, geniculis tarsisque nigris. ♂♀.

*Calobata filiformis* FABR. Antl. 263. 14. LATR. Gen. Crust. et Ins. 4. 352. FALL. Dipt. Sv. Opomyz. 3. 4. ♂♀. *Calobata corrigiolata* FABR. Antl. 263. 15. *Micropeza corrigiolata* MEIG. Dipt. 5. 284. 2.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Ostrogoth. freq. Scania vulgatiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—2½ lin. Valde angusta et tenera, nigra nuda. Seta antennarum alba. Caput pone oculos tumidum. Pectus cinerascens. Abdomen posterius nitidum, in ♂ rectum. Alae hyalinae. Halteres flavi. Pedes flavi, annulo pone medium femorum, geniculis, tibiis basi et apice, tarsisque totis, nigris.

*Obs.* Genera et species Fallenianae: *Tanypeza longimana* et *Chyliza leptogaster* (*Chyliza Loxocerina* FALL. ad genus *Lissam* in Ortalidibus referenda), huic Familiae subjectae, nec in Lapponia, nec in reliqua parte boreali Sueciae a me observatae.

---

## 113. Loxocera. FABR.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 175. FABR. LATR. FALL. *Musca* LINN. PANZ.

*Corpus* medium elongatum subcylindricum glabrum nudum, setis verticis paucis. Antennae oblique porrectae, capite longiores, articulo ultimo longissimo lineari compresso, basi seta dorsali subpubescente. Frons lata plana glabra, antice prominula. Hypostoma reclinatum planum subdescendens. Oculi late distantes rotundi. Palpi apice subdilatati. Abdomen 6-annulatum. Alae incumbentes, non vibrantes, abdomine fere breviores. Nervus auxiliaris breviusculus, ad oppositum nervum transversum in costa extensus. Nervus longit. 4tus recurvatus. Pedes mediocriter longi, simplices inermes. *Color* rufus nigro-pictus. *Motu* sat agilis; volatus celer brevis. *Habitatio* in graminosis et foliis fruticum, ubi tranquilla sedet, sole urente vivax; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus*; *mas*: apice abdominis obtuso; *femina*; vagina articulata longe acuminata. (Spec. Scand. 4, corpore elongato glabro, antennis longissimis, seta pubescente, fronte lata, hypostomate reclinato, palpis apice subdilatatis, abdomine 6-annulato, nervo alar. long. 4to declinato s. apice in marginem interiorem alae recurvo, distinctae.)

**1. L. ichneumonea**: nigra, capite concolore, thoracis postico rufo, pedibus testaceis, tarsis fuscis, antennarum seta alba; alis fusco-hyalinis, nervo transverso ordinario fuscedine cincto. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Opomyz. 7. 1. certe. ♂♀. (exclus. Syn. FABR.) *Musca ichneumonea* LINN. Fn. Sv. 1809. vera. *Musca aristata* PANZ. Fn. 73. t. 24. certiss. ♀. *Loxocera elongata* MEIG. Dipt. 5. 364. 2. certe. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Grantrask, Lycksele et in Stoettingsfjellet. d. 31. Jul. — 5. Aug. capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* ♂ 3½—4, ♀ 4—5 lin. long. Subcylindrica punctata subnitida. Antennae capite transverso fere longiores, nigrae, basi fuscae, seta longitudine articuli ultimi, valida alba, subnuda. Caput totum nigrum nitidum laeve, hypostomatis lateribus cinereo-micantibus. Palpi nigri. Proboscis retracta testacea. Thorax rufus, scutello concolore; antice ad tertiam partem niger, lineis 2 dorsalibus abbreviatis ejusdem colore. Metathorax ater nitidus laevis. Abdomen atrum. Alae fusco-hyalinae, nervo transv. ord. fusco. Nervus longitud. 4tus infra angulum nervi transversi distincte recurvatus. Halteres et pedes flavo-testacei, coxis rufis, tarsis praesertim apice nigricantibus.

*Obs.* Haec sine dubio est LINNAEI *Musca ichneumonea* vera, quod non solum ob frequentiam individuorum sed et caput totum nigrum, qualis in Fauna Suec. l. c. expressis verbis describitur. Sequens species (*Loxoc. confusa*) in Suecia perrara est, et capite subtestaceo gaudet.

**2. L. confusa**: rufo-testacea, antennis longissimis, frontis macula, thoracis antico abdomineque nigris, alis hyalinis, nervo transv. ordin. leviter infuscato. ♂♀.

*Loxocera ichneumonea* FABR. Antl. 202. 1. (exclus. Syn. LINN.) MEIG. Dipt. 5. 363. 1. (exclus. Syn. FALL. LINN. et PANZ.)

Hab. . . . E Suecia superiori ut Lapponiae incola mecum communicata, mihi ipsi non nisi in Scania obvia. (Lapponia? Scania rarissime.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—4 lin. Similis priori, paullo minor, antennis distincte longioribus, seta subplumata, capite testaceo, macula frontali tantum nigra et tarsis non infuscatis, distincta. Thorax subquadratus, punctatus rufus, antice ad tertiam fere partem niger, lateribus et lineis 2 dorsalibus brevissimis (interdum nullis) ejusdem colore. Macula utrinque pectoralis e fasciculo pilorum argenteorum formata observatur. Abdomen griseo-subsericeo-pubescens. Alae subimmaculatae, nervis, longitudinali 4to in medio, et transverso ordinario, leviter umbra cinctis. Pedes cum tarsis toti flavi.

**3. L. sylvatica**: rufo-testacea, antennis, frontis macula, hypostomatis vitta media, thoracis macula antica abdomineque nigris, alis hyalinis immaculatis. ♂.

MEIG. Dipt. 5. 365. 3. ♂♀.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rarissime; in insula Hacksten prope Schiervoe d. 28. Jul. 1821 unicum specimen inveni. (Lapponia Norvegica — ?)

*Mas.* Long. 2 lin. Similis prioribus, minor. Frons minus prominula, quam in *L. ichneumonea*, at antennae longiores, quam in illa. Antennae nigrae, basi fuscae, seta articulo antennar. ultimo breviori, alba nudiuscula capillari, basi subincrassata. Caput testaceum, macula frontali triangulari et hypostomatis vitta media, atris nitidis laevibus. Thorax cum scutello rufus, macula antica et linea dorsali ad scutellum fere continuata nigris. Macula sub scutello nigra nitida. Abdomen atrum, in mortua subcompressum, ventre pallescente. Alae sordide hyalinae immaculatae, nervo 4to longitud. pone nervum transv. ordin. minus recurvato, quam in prioribus. Halteres albidi. Pedes pallide flavi, tarsis subobscurioribus.

*Obs.* *Loxoc. Ichneumonea* FALL. l. c. var. β., seu *L. fulviventris* MEIG. in Scania a me rarissime lecta, in Lapponia non observata.

---

## 114. Scatophaga. FABR.

FABR. Antl. gen. 47. FALL. ZETT. *Musca* LINN. PANZ. *Tephritis* FABR. *Psila**) MEIG.

*Corpus* mediae, saepius minoris magnitudinis, elongatum sublineare nitidum nudum, setis verticis thoracisque posticis paucissimis. Antennae oblique deflexae oblongae, hypostomate multo breviores, obtusae, articulo ultimo ovato compresso, basi seta pubescente. Frons lata plana nuda, antice subprominula. Hypostoma reclinatum planum subdescendens. Oculi late remoti, parvi nudi rotundi. Palpi subfiliformes. Abdomen 6-annulatum. Alae incumbentes, non vibrantes, abdomine paullo longiores. Nervi ut in *Loxocera* directi. Pedes mediocres, interdum incrassati. *Color* testaceus, niger. *Motus*, *habitatio* et *mores Loxocerae*. *Differentia sexus*; *mas*: apice abdominis obtuso; *femina*: vagina articulata acuta. (Spec. Scand. 16, *Loxoceris* valde affines et similes, antennis brevioribus latioribus, palpis subfiliformibus et abdomine minus elongato, mox dignotae.) Typus generis: *Scatoph. fimetaria*.

*) *Psilus* est nomen veteris generis inter Hymenoptera.

a) Corpore pallescente.

° Pedibus in utroque sexu simplicibus. Abdomine in ♀ oblongum aut lanceolatum, apice acutum.

**1. S. fimetaria**: ferruginea, capite pedibusque flavis, fronte testacea, alis pallide nervosis, seta antennarum pubescente, oculis ovatis. ♂♀.

FABR. Antl. 204. 5. FALL. Dipt. Sv. Opomyz. 8. 1. ♂♀. ZETT. Monogr. Scatoph. in Annal. de la Societ. Entom. de France 1835. T. 4. 177. 1. ♂♀. *Musca fimetar.* LINN. Fn. Sv. 1862. *Psila fimetaria* MEIG. Dipt. 5. 356. 1. *Musca flava* PANZ. Fn. 20. t. 22.

Hab. in Lapponiae graminosis locis umbrosis occultis rarius. (Lapp.-Scan. vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 4 lin. Tota ferruginea nitida punctulata. Caput flavum nudum. Frons testacea, puncto ocellorum nigro. Antennae breviusculae flavae, articulo ultimo subovato, seta aut pubescente aut breviter plumata, fusca. Oculi perpendiculariter rotundato-ovati. Alarum nervus longitudinalis 6tus abbreviatus, ante marginem alae interiorem sat longe cessans. Abdomen sericeo-subpubescens subdepressum. Halteres pallidi. Pedes flavi, tarsis vix infuscatis.

**2. S. rufa**: ferruginea, pedibus flavis, alis cinerascenti-hyalinis; seta antennarum subpubescente, oculis rotundis. ♂.

MEIG. Dipt 5. 357. 3. ♀. ZETT. Monogr. Scat. pag. 177. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ibi non obvia, sed mas descriptus in graminosis ad rivulum in Convalle Dowreensi Norvegiae a D. BOHEMAN mens. Julio captus. (Lapponia; Scania, ubi unica femina inventa.)

*Mas.* Long. 2½ lin. Inter *S. fimetariam* et *pallidam* quasi media, ambabus similis, ab illa vero magnitudine minori, oculis rotundis et seta antennar. minus distincte pubescente; et ab hac, magnitudine paullo majori, colore corporis magis rufo-ferrugineo, alisque nec pure hyalinis, nec flavescentibus, discrepat. A *S. Lefebvrei* (No. 6), cui etiam similis est, femoribus tibiisque posticis rectis simplicibus, facillime dignoscitur.

**3. S. pallida**: tota pallide flava, seta antennarum subpubescente, oculis rotundis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Opomyz. 9. 2. ♂♀. ZETT. Monogr. Scat. 178. 3. ♂♀. *Psila pallida* MEIG. Dipt. 5. 357. 2.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius, ad Kengis et Karesuando d. 17—22. Aug. inventa. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Simillima *S. fimetariae*, duplo minor, et colore totius corporis pallidiore, antennis minus pubescentibus, oculis magis rotundis, ut et abdomine magis glabro, distincta.

**4. S. bicolor**: ferruginea, abdomine nigro, alis pallescentibus, pedibus pallide flavis, oculis magis rotundis, seta antennarum subpubescente. ♂♀.

ZETT. Mon. Scat. 178. 4. ♂♀. *Psila bicolor* MEIG. Dipt. 5. 358. 4. *Scatophaga pallida* var. β. FALL. Dipt. Sv. Opomyz. 9. 2.

Hab. in Lapponiae graminosis ad rivulos in convallibus Dowre Norvegiae, a D. BOHEMAN mense Julio capta. (Lappon.-Dalekarlia-Scan. passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Similitudo summa praecedentis, a qua colore capitis thoracisque ferrugineo, abdominisque nigro tantum differt. Nervus alarum longitudinalis 4tus pone nervum transversum vix recurvatus.

°° Pedibus posticis in ♂ incrassatis. Oculi rotundi. Seta antennar. subnuda. Abdomen in ♀ basi oblongo-ovatum, apice acumine compresso longe productum.

**5. S. Audouini**: ferruginea, thoracis vittis abbreviatis, abdominisque maculis basalibus cruciformibus atris, pedibus flavis, femoribus posticis apice nigro-notatis, in ♂ incrassatis incurvis. ♂♀.

ZETT. Monogr. Scat. 179. 5. ♂♀. Tab. 4. B. fig. 1—5.

Hab. in graminosis et fruticibus Betulae albae, in Lapponia passim; scilicet in Lapponia Tornensi rarius; in Lapponia Umensi frequentius, ex. gr. ad Gaskelougt, Wilhelmina et in Stoettingsfjellet; nec non in inferalpinis Nordlandiae ad Dyroen, atque in Dowre ad Drivstuen et ad Kongsvald D. BOHEMAN; vix nisi mense Julio floret, in medio mensis in copula capta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2, interdum fere 3 lin. Tota ferruginea subnitida, brevissime sericeo-subpubescens. Antennae breves, seta elongata subpubescente fusca. Oculi rotundi, in viva ferruginei aeneo-submicantes unicolores. Thorax ferrugineus, vittis dorsalibus 3 abruptis et interruptis nigris. Variat tamen interdum linea media integra, rarius lineis omnibus confluentibus, quales varietates b et c. in Monographia descripsi. Metathorax fuscus. Abdomen in ♂ angustissimum subfiliforme, apice obtusum; in ♀ ovato-oblongum, apice longe acuminatum; in utroque sexu ferrugineum, basi linea media et incisuris segmentorum 1—2, interdum etiam 3, nigris; apice abdominis in ♀ quoque fusco-cingulato. Alae pallescentes. Halteres albidi. Pedes flavi, tarsis omnibus apice fuscis. Femora posteriora supra ad apicem macula nigra. Pedes postici in ♂ coxis elongatis, femoribus incrassatis, tibiisque distincte incurvis, nota sane singularis hanc et sequentem speciem a ceteris distinguens. In ♀ autem pedes omnes simplices.

Nomine Domini AUDOUIN, Medicinae Doctoris, ad Museum Hist. Nat. Professoris Parisiensis, Legionis Honor. Equitis, Reg. Acad. Scient. Holm. Suecan. Membri, Entomologi Galliae celeberrimi, pulcherrimam hanc et distinctam speciem, cruce duplici insignem, condecorare voluit, debuit hujus Faunae Auctor.

**6. S. Lefebvrei**: ferruginea immaculata, pedibus flavis, femoribus posticis in ♂ incrassatis incurvis. ♂♀.

ZETT. Monogr. Scat. 180. 6. ♂♀.

Hab. in Lapponia cum priori, a D. DAHLBOM et me d. 7—26. Jul. inventa, post medium mensis ejusdem in copula capta. (Lappon.-Ångermannia ad Hernösand d. 30. Aug. rariss.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, statura et summa praecedentis similitudo, sed certe distincta, thorace, abdomine pedibusque immaculatis, abdomineque in ♂ magis subdepresso; nec nisi similem cum simili in copula junctam vidi. A *S. fimetaria* aperte differt magnitudine duplo minori, oculis rotundis, seta antennarum mediocri etc; a *S. rufa*, cui etiam similis, magnitudine dimidio minori, colore magis ferrugineo, seta nudiori etc., et ab utraque, structura abdominis pedumque praesertim in masculis, distincta. Metathorax vix fuscus. Pedes pulchre flavi, tarsis apice nigricantibus.

Celeberrimo et oculatissimo Entomologo ALEXANDRO L. LEFEBVRE, Musei Hist. Nat. Paris. etc. correspondenti, Soc. Ent. Gall. Secretario etc. speciem hanc dedicare, Ejusque nomine nobili insignire, gratum officium existimavit ZETTERSTEDT, utpote in Monographia jam indicavit.

b) Corpore nigricante. Pedes simplices. Oculi parvi rotundi. Seta antennarum nudiuscula seu brevissime pubescens.

**7. S. Rosae**: subaenescenti nigra nitida subpubescens, capite pedibusque flavis, antennarum articulo ultimo apice nigro, seta albida. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Opomyz. 9. 3. ♂♀. ZETT. Monogr. Scat. 181. 8. ♂♀. *Tephritis Rosae* FABR. Antl. 319. 12. *Psila Rosae* MEIG. Dipt. 5. 358. 6.

Hab. in Lapponia Umensi passim, ad Lycksele et Badstutraesk d. 30. Jun. — 2. Aug. a me capta; in Dowre a D. BOHEMAN quoque lecta. — Larvae in apice radicis Dauci carotae tota aestate degunt, teste D. BOUCHÉ. Pupae in terra radici adjacente 3—4 hebdom. manent, teste eodem. (Lappon.-Taefra Nordl. rar.-Scania media et meridionalis pass. freq.)

*Mas* et *Fem.* Parva, 1¾ lin. long. Angusta tenera. Nigra obscure aeneo-micans, pube grisea tenui adspersa. Caput flavum, fronte rufo-ferruginea, vitta interdum nigro-picea. Alae immaculatae, in ♀ abdomine breviores. Halteres albi. Pedes cum coxis flavi, tarsis apice interdum fuscis. Oculi in viva brunnei unicolores.

**8. S. nigricornis**: subaenescenti nigra nitida subpubescens, capite pedibusque flavis, antennarum articulo ultimo toto nigro, seta albida. ♂♀

ZETT. Mon. Scat. 182. 9. ♂♀. *Psila nigricornis* MEIG. Dipt. 5. 359. 7. *Scatophaga Rosae* FALL. Dipt. Sv. Opom. 9. 3. Descript. var. „antennis apice saepius nigris" certe.

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Stensele, Almsele et Åsele, d. 3—36. Jul. in copula capta. (Lappon.-Suecica-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, statura, color et omnia ut in praecedente, a qua antennarum articulo ultimo toto, nec solum apice nigro, distincta. Oculi in viva rufo-brunnei. — Variat uti praecedens major et minor, capite flavo vel ferrugineo. An specie vere distincta.

**9. S. gracilis**: subaenescenti nigra nitida subpubescens, antennis et fronte concoloribus, seta albida, pedibusque rufo-flavis. ♀.

ZETT. Monogr. Scatoph. 184. 12. ♀. *Psila gracilis* MEIG. Dipt. 5. 359. 9.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Stensele d. 3. Jul. a D. DAHLBOM inventa; in alpe Dowre a D. BOHEMAN quoque capta. (Lapponia — ?)

*Fem.* Long. 2 lin. *S. nigricorni* valde similis, sed differt antennis totis fronteque nigris. Angusta et tenera. Caput rufo-fla-

vicans fronte tota nigra striata. Palpi nigri. Antennae nigrae, basi interdum fuscae, seta alba. Abdomen longissimum sublineare, apice acutum. Alae abdomine breviores fusco-hyalinae. Halteres albidi. Pedes flavo-testacei, tarsis obscurioribus.

**10. S. fuscinervis**: nigro-aenea subpubescens, capite pedibusque nigris, hypostomate piceo, antennis testaceis, articulo ultimo atro, alarum nervis fuscedine subtinctis, pedum geniculis, tibiarum apice tarsisque testaceis. ♂.

Zett. Mon. Scat. 183. 11. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica rar.; in districtu Soedra Trondhiems Amt, d. 24—28. Jun. a D. Boheman capta. (Lapponia; Ostrogothia d. 15. Jul 1827 in copula semel.)

*Mas.* Long. fere $2\frac{1}{2}$ lin. Angusta aenea punctata, griseo-subpubescens, parum nitida. Caput ut in *S. Rosae* constructum, nigrum nitidum glabrum, fronte striata. Hypostoma rufo-piceum. Antennae testaceae, articulo ultimo nigro, seta albida. Abdomen angustum subcylindricum. Alae longitudine abdominis, hyalinae, nervis omnibus umbra fusca seu subflavescenti cinctis. Halteres albidi. Pedes subtestacei, coxis, femoribus in medio latissime vel fere totis, tibiis in medio, tarsisque apice nigricantibus. A priori, cui similis, fronte obscura et pedibus maculatis differt.

**11. S. nigra**: subaenescenti nigra nitida, parum pubescens, capite antennisque concoloribus, geniculis, tibiis tarsisque flavis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Opomyz. 9. 4. ♂♀. Zett. Monogr. Scat. 185. 13. ♂♀. *Psila nigra* Meig. Dipt. 5. 359. 8.

Hab. in Lapponia passim praesertim in foliis Betulae albae; in Lapponia Tornensi rarius D. Deutsch; in Lapponia Umensi, ex. gr. ad Lycksele, Badstutraesk et Wilhelmina frequentius, ipse; in Nordlandiae inferalpinis et Björkvik et in alpe Lyngen rar. — d. 15. Jun. — 26. Jul. capta; in copula saepe visa. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, 1—$1\frac{1}{4}$ lin. longa. Nigra nitida metallice nitens, tenuissime tantum pubescens. A *Scat. nigricorni* differt, capite toto femoribusque nigris. Antennae interdum macula fusca. Seta albida. Alae albo-hyalinae. Halteres albi. Pedes nigri, geniculis, tibiis tarsisque flavis.

Var. b. ♂♀. capite nigro, antennis basi fronteque antice testaceis; forte juniora specimina, quorum femora fuscescunt, Zett. l. c. var. b.

**12. S. morio**: subaenescenti nigra nitida, parum pubescens, capite pedibusque nigris, tarsis fuscis. ♀.

Zett. Monogr. Scat. 185. 14. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in summo alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. a me semel capta; in alpe Dowre a D. Boheman etiam lecta. (Lapponiae regio alpina.)

*Fem.* Pusilla vix ultra 1 lin. longa. Similis priori, sed distincta pedibus totis nigris, tarsis solum fuscis, ut et loco natali. Alae hyalinae. Halteres albi.

*Obs.* Species Scandinaviae in Monographia mea hujus generis descriptae; scilicet *Scat. pectoralis* (*Scat. Rosae* Fall. var.), *buccata* Fall. et *signata* Fall. in Lapponia vix occurrunt. — Nec *Tetanura pallidiventris* Fall. in terris arcticis mihi obvia.

## 115. Opomyza. Fall.

Meig. Dipt. Eur. gen. 212. Fall. *Musca* Linn. *Dacus* Fabr.

*Corpus* parvum minutum oblongum opacum subpubescens, setis verticis thoracisque distinctis. Antennae deflexae breves rotundatae, seta subpubescente. Caput rotundatum, hypostomate parum descendente, fronte non prominula. Oculi rotundi, in vertice late distantes, antice propiores. Abdomen 6-annulatum. Alae incumbentes elongatae, nervis, auxiliari brevissimo, transversis subapproximatis, ordinario prope marginem interiorem sito. Pedes simplices subinermes. *Color* pallidus, griseus. *Motu* haud agilis; lente ambulat. *Habitatio* in graminosis, locis uliginosis umbrosis et occultis, ad radices arborum saepe latens; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas*: ano obtuso; *femina*: ano acuto. (Spec. Scand. 4, antennis brevibus rotundis, seta pubescente, capite rotundato, oculis in vertice late remotis, abdomine 6-annulato, ut et nervis alarum, auxiliari brevissimo, vix tertiam partem costae attingente, et transversis, in disco non longe distantibus, dignotae. A *Sciomyzis* simplicitate nervi auxiliaris, et a *Geomyzis* defectu setae mystacinae mox dignoscuntur *Opomyzae*.)

**1. O. Germinationis**: griseo-testacea, abdomine obscuriori, pedibus flavis, thorace bilineato, alis costa, apice nervisque transversis fuscis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Opomyz. 11. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 102. 1. *Musca germinat.* Linn. Fn. Sv. 1874. *Dacus germinationis* Fabr. Antl. 278. 28. (*Geomyza uliginosa* Fall. olim, sub quo nomine in collectionibus Suecicis adhuc occurrit.)

Hab. in Lapponia rar. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Laete cinereo-flava, hypostomate pedibusque pallidioribus. Antennae rotundatae, seta fusca. Setae verticis nigrae. Abdomen testaceum, dorso saepe fuscum aut linea media obscura notatum. Anus maris rotundatus. Alae albescentes, costa ab apice nervi auxiliaris usque ad apicem alae, nervis transversis punctoque ad apicem nervi 4ti longitudinalis distinctiori, fuscis. Halteres et pedes toti flavi.

**2. O. consobrina**: rufa, antennis, hypostomate pedibusque testaceis, abdomine nigro, halteribus albidis, alarum nervis transversis maculaque apice fuscis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele semel inveni. (Lappon. meridional.)

*Fem.* Long. vix $1\frac{1}{4}$ lin. Similis *Geomyzae combinatae* et *tripunctatae*, antennis nudis et ore non mystaceo mox dignota. Ab *Opom. Germinationis*, cui etiam similis, colore et pictura differt. Caput albidum, vertice rufo, fronte flava. Setulae oris plures minutae, at setae mystacinae distinctae nullae. Antennae testaceae, seta nuda s. oculo acute armato brevissime tantum pubescente. Thorax rufus immaculatus, postice et pectore cinerascens. Abdomen nigrum nitidum. Alae subgriseo-hyalinae, nervis transversis et macula apicis subquadratis fuscis. Halteres albi. Pedes toti testacei.

**3. O. florum**: flava pedibus pallidioribus, abdomine fusco-punctato, thorace immaculato, alis apice, nervis transversis punctisque 3—5 fuscis. ♂♀.

Meig. Dipt. 6. 102. 2. *Tephritis florum* Fabr. Antl. 317. 3. *Opomyza punctella* Fall. Dipt. Sv. Opom. 11. 2. ♂♀. (*Sapromyza punctella* Fall. olim.)

Hab. cum priori in Lapponia rarissime. (Lappon.-Dalekarlia-Scania freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Similis priori, differt: colore corporis pallidiore, thorace immaculato, alarum costa non maculata, nervis transversis totis, longitudinalibusque 3 et 4 apice, ut et punctis 3—5 in medio, nigricantibus vel fuscis. Abdomen fusco-punctatum.

*Obs.* *Opomyza bifasciella* Fall. ad genus sequens pertinet.

**4. O. guttipennis**: nigra nitida, hypostomate sordide albido, antennis, tibiis tarsisque fuscis, alis nigricantibus, guttulis 5—7 albis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele a me inventa. (Lappon. meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et statura angusta *Op. consobrinae.* Schistaceo-nigra nitida. Hypostoma et orbita oculorum sordide albida. Antennae fuscae, seta brevissime pubescente. Alae nigrae, guttis ad marginem costalem 3, et ad interiorem plerumque 3—4, subquadratis, albis. Halteres sordide albi. Pedes nigricantes s. obscure picei, tibiis tarsisque dilutioribus, fusco-testaceis.

## 116. Colobaea. Zett.

*Opomyza* Fall.

*Corpus* nanum lineare breve, antice posticeque obtusum, opacum parum pubescens, setis ordinariis in vertice et thorace. Antennae breves, oblique deflexae, ovatae, seta plumata. Caput transversum, thorace subquadrato fere latius. Oculi rotundi. Hypostoma parum descendens, apertura oris magna rotunda. Frons non prominula. Abdomen breve, thorace angustius, lineare, 5-annulatum. Alae abdomine longiores, nervo auxiliari simplici brevissimo, vix tertiam costae partem occupante. Nervi, longitudinales omnes recti, transversi mediocriter remoti. Squama vix ulla. Halteres nudi. Pedes validi simplices. *Color* griseus, pictura fasciata. *Motus* . . . . *Habitatio* in paludosis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso rotundato; *femina:* ano paullo acutiori. (Spec. Scand. 1, nostra, corporis statura brevi, capite lato transverso, antennis plumatis, pedibus validis, abdomine 5-annulato etc., ab *Opomyza* vere distincta.) Nomen generis a κολοβὸς, curtus, mutuatum.

**1. C. bifasciella**: pallida, nigro-lineata, alis albidis, nigro-bifasciatis, pedibus flavis, anticorum tibiis totis, posticorumque femoribus macula apicali, fuscis. ♂.

*Opomyza bifasciella* Fall. Dipt. Sv. Opom. 12. 3. ♀. Meig. Dipt. 6. 103. 2. (secundum Fall. transscripta, at nomine „Geomyza“ immerito designata.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad novacculum Ume-

naes haud longe ab alpe Brattiksfjell situm d. 9. Jul. 1832 inveni. (Lapponia meridionalis; ♀ in Gottland. rarissim.)

*Mas.* Minuta, vix ¾ lin. longa. Griseo-pallida opaca. Caput latum albidum, fronte flava. Oculi ferruginei unicolores exserti, in vertice late remoti, ad antennas flavas propiores. Seta plumata fusca. Partes oris retractae flavae. Thorax dorso lineis 4 nigris. Praeterea linea utrinque lateralis a capite ad anum ducta ejusdem coloris. Abdomen breve, thorace vix longius, at angustius, fusco-testaceum, ano rotundato pallidiori. Alae albidae, fasciis 2 introrsum arcuatis integris (quarum interior nervum transv. ordinarium transit), nervis, transverso medio, costali et longitudinali 5to, nigro-fuscis. Halteres albidi. Pedes mediocriter longi validi pubescentes, sed vix setulosi; flavi, antici nigri, femoribus medio, tarsisque apice pallidis; genubus posticis quoque nigris.

*Obs.* Hujus pulchrae speciei duo tantum individua, quantum scio, hacteuus sunt detecta, quorum unum masculum heic descriptum, et alterum femineum in palude ad Kjellunge Gottlandiae d. 27. Jul. 1819, a me quoque inventum, et ipsissimum, quod Cel. FALL. l. c. descripsit.

---

## FAM. 29. HETEROMYZIDES. FALL.

Os mystaceum (in *Heteromyza buccata* nudum; in *Orygma* seta mystacina spuria). Antennae rotundatae subsessiles. Frons lata (in *Heteromyza oculata* angusta), setosa. Oculi rotundi. Abdomen 5- (in *Helomyza* 6-) annulatum. Alae incumbentes, abdomine longiores, nervis: auxiliari ad medium costae saepius extenso; longitudinalibus simplicibus, plerumque rectis; transversis in disco remotis.

---

### 117. Heteromyza. FALL.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 201. FALL.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovato-oblongum opacum setulosum undique pubescens. Antennae oblique porrectae breves, articulo ultimo orbiculatim compresso, seta nuda. Hypostoma perpendiculariter descendens. Alarum nervi: costalis muticus; auxiliaris a secundario sejunctus, ad medium costae extensus; longitudinales omnes recti; transversi in disco alae mediocriter remoti. Pedes validi, villosi. *Color* cinerascens. *Motu* haud agilis, reptatu saepius quam volatu aufugit. *Habitatio* in foliis fruticum, etiam in truncis arborum viventium, locis saepe uliginosis vel putridis; per partem sylvaticam Lapponiae, et rarius inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* in ano *maris* obtuso, *feminae*que acuto mox invenienda. (Spec. Scand. 5, antennis orbiculatis, seta nuda, hypostomate perpendiculariter descendente, alarum nervis, costali inermi, secundario ad medium costae extenso, transversis remotis, ut et pedibus validis subspinulosis, distinctae).

**1. H. buccata:** thorace cinereo, capite buccato, abdomine pedibusque flavis, antennis tarsisque nigricantibus, alis hyalinis, nervis transversis leviter infuscatis; seta mystacina nulla. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Heteromyz. 2. 2. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 47. 4. (secundum FALL. transscripta). An quoque *Heteromyza atricornis* MEIG. Dipt. 6. 46. 1?

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia; Uplandia rar. — Scania in littore maris sub fucis rejectis, ubi metamorphosin subit, frequenter.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 usque fere ad 3 lin. Hypostoma flavo-albo-corneum, subinflatum, setulis oris minutissimis instructum, at mystacibus nullis. Antennae nigricantes. Frons lata, luteo-flava, orbita oculorum faciali tenui alba. Oculi rotundi parvi. Thorax laete cinereus s. grisescens, setosus, scutello concolore, callo humerali utrinque subrufescente. Abdomen testaceum pubescens. Alae hyalinae. Halteres albi. Pedes flavi, villosi, parum spinulosi, tarsis fuscis.

**2. H. flavipes:** thorace cinereo, capite, antennis, scutello abdomineque rufo-testaceis, pedibus flavis, tarsis alarumque nervo transverso ordinario et puncto costali, fuscis; ore mystaceo. ♂♀.

*Helomyza serrata* FALL. Dipt. Sv. Heteromyz. 4. 4. descriptio variet. „alarum costa setis vix conspicuis." An etiam *Helomyza laeta* MEIG. Dipt. 6. 58. 25?

Hab. cum priori; in Lapponia rarissime. (Lapponia; Ostrogoth.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—2½ lin. Statura et affinitas prioris, a qua hypostomate non buccato, setis mystacinis utrinque pluribus distinctis, antennis scutelloque rufo-flavis, nervo tantum transverso ordinario punctoque alarum in interstitio inter apices nervi auxiliaris et secundarii, fuscis. Reliqua omnia omnino ut in priori, femoribus anticis saepe subinfuscatis.

**3. H. rufipes:** thorace cinereo, capite, antennis, abdomine pedibusque rufo-testaceis, tarsis fuscis, alis hyalinis immaculatis; ore mystaceo. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; tantum in paludosis ad Karungi Lapponiae Tornensis, et ad Lycksele, Lapponiae Umensis, d. 27. Maj. — 4 Jun. capta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, statura et omnia ut in praecedente, modo scutello cinereo, nec rufo, et alis immaculatis, distincta. Color quoque abdominis paullo obscurior s. saturatius rufus videtur, incisuris pallidioribus. Femora antica saepe subcinerascentia.

**4. H. bicolor:** flava, abdomine obscuro, tarsis apice nigricantibus; ore seta utrinque mystacina. ♂♀.

*Mas:* thorace toto flavo, abdomine subcylindrico nigricante, segmentorum margine flavo, ano subclavato inflexo.

*Fem.:* thorace nigro, antice scutelloque flavis, abdomine ovato flavo, apice nigro acuto; in copula.

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime; in insula parva Hacksten prope Schiervoe Nordlandiae d. 28. Jul. 1821 unicum par. inveni. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½ lin. Setosa subnitida mollis. Forte hujus generis? A *Sciomyza*, *Sapromyza* et *Scatophaga*, quibus habitu accedit, ore mystaceo, nec nudo, mox distincta; a *Scatomyza* et *Cordylura*, antennis rotundatis, nec apice obtusis vel truncatis, et ab *Helomyza*, costa alarum vix visibiliter setulosa, licet brevissime ciliata, differt. Caput cum antennis rotundis, fronte et ore, totum flavum, setis verticis et seta mystacina utrinque unica, nigris. Antennarum seta pallida subpubescens. Oculi rotundi parvi, late distantes, in viva rufo-ferruginei aeneo-submicantes unicolores. Thorax et abdomen ut in diagnosi sexus. Alae pallidae, nervis, auxiliari a secundario sejuncto breviusculo non ad medium costae extenso; transversis remotis. Halteres flavi. Pedes cum coxis toti flavi, nigro-setulosi, tarsis apice nigricantibus. Femora in ♂ subincrassata, in ♀ simplicia.

*Obs.* *Heterom. oculata* FALL. in Wermelandia et Scania rarissime capta, Faunae nostrae ignota.

---

### 118. Helomyza. FALL.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 202. *Musca* LINN. DE GEER. FABR. SCHRANK.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, ovato-oblongum pubescens et setulosum. Antennae subdeflexae breves, articulo ultimo rotundato compresso, seta plumata aut nudiuscula. Hypostoma perpendiculariter descendens. Abdomen 6-annulatum. Alarum nervi: costalis ciliatus et vage setosus; auxiliaris a secundario parum sejunctus, ad medium costae fere extensus; longitudinales omnes recti; transversi remoti. Pedes validi, villosi. *Color* cinerascens, pallidus.

*Motus*, *habitatio* et *differentia sexus* ut in *Heteromyza*. (Spec. Scand. 19, antennis rotundatis, hypostomate perpendiculariter descendente, abdomine 6-annulato, alarumque nervis, costali setoso, auxiliari a secundario parum separato ad medium costae extenso, et transversis remotis, distinctae, *Heteromyzis* valde affines.)

a) Seta antennarum plumata aut subplumata. Thorax saepe rufus.

**1. H. pallida:** tota pallide flava, antennarum seta breviter plumata, abdominis incisuris tenuiter, tarsorumque apice fuscis, alis immaculatis, corpore inodoro. ♂♀.

*Mas:* abdomine subcylindrico, ano inflexo subclavato, femoribus distincte incrassatis.

*Fem:* abdomine oblongo-ovato, apice acuto, femoribus simplicibus; in copula.

FALL. Dipt. Sv. Heteromyz. 3. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 50. 5.

Hab. in foliis Salicis et Betulae, locis umbrosis humidis saepe ad rivulos, nec non in fungis terrestribus subputrescentibus, in Lapponiis Suecicis rarius, ex. gr. ad Kengis et Muonioniska, Lapponiae Tornensis, et ad Stensele Lappon. Umensis; sed in Nordlandiae et Finmarkiae inferalpinis, ex. gr. ad Evenas, Giebostad, Hacksten, Bossekop et Kautokeino, frequenter, praesertim ♂, d. 4. Jul. — 22. Aug. capta. (Lapp. Bottnia-Scan. vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3½ — 4 lin. Inodora. Tota flava subnitida, setis ordinariis nigris. Antennae ovales, seta fusca subpubescente s. subplumata. Frons flavo-lutea, puberula. Seta mystacina utrinque nigra. Palpi filiformes flavi. Oculi rufi, aeneo-micantes. Alae pallidae, nervo auxiliari ad tertiam partem costae extenso, costali nigro-ciliato, et vage setoso. Incisurae abdominis in ♂ tenuiter, in ♀ obsoletissime, fuscae. Pedes validi pilosi flavi, tarsis apice nigris.

Var. b. ♂. thorace rufo, pedum posticorum geniculis tarsisque fere totis fuscis. Ad Lycksele Lappon. Umensis rarissime d. 2. Aug. lecta.

**2. H. testacea**: testacea, pedibus flavis, antennarum seta breviter subplumata, abdominis incisuris tenuiter, alarum nervis transversis leviter, tarsisque apice, fuscis; corpore in viva odoro. ♂♀.

*H. pallida* FALL. Dipt. Sv. Heterom. 3. 1. Descript. „var. corpore testaceo et alarum costa longe setosa."

Hab. in Lapponia rar.; in silva ad Wilhelmina Lappon. Umensis d. 19. Jul. a me visa; in Lapponia Norvegica a D. BOHEMAN capta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin. Priori valde affinis et similis, saepe paullo robustior, colore magis testaceo, alarum nervis transversis subinfuscatis, antennarum seta paullo brevius plumata, nec non odore insecti vivi omnino ut in ave *Pico* spirante (forte e nutrimento orto), distincta. Affinis quoque videtur *Helom. olenti* et *Nemorum* MEIG., at illa articulo antennarum ultimo orbiculato, nec ovali, alisque immaculatis; et haec colore corporis fusco-ferrugineo pedumque ferrugineo, a nostra differunt. Antennae et frons lutea. Oculi rufi unicolores. Alarum costa distincte setosa.

**3. H. rufa**: ferruginea, antennarum seta longe plumata, abdominis incisuris, alarum nervis transversis punctisque 3 apicis, tarsisque apice, fuscis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Heterom. 4. 2. vera. ♂♀. An quoque *Helom. rufa* MEIG. Dipt. 6. 49. 2.? ♂♀., vel potius *Helom. flava* MEIG. 6. 50. 3?

Hab. in Lapponia rar. (Lappon.; Botnia boreal. in silva Sangit 2. Sept.; Ostrogoth.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½ — 3' lin. Similis *Helom. pallidae*, plerumque paullo minor, colore ferrugineo, antennarum seta longe et distincte plumata, alarumque maculis 5 fuscis, distincta. Hypostoma flavum. Antennae et frons lutescentes. Abdominis incisurae tenuiter nigrae. Alae griseo-hyalinae, costa ciliata et distincte setosa. Nervi transversi evidenter fuscedine cincti; longitudinales tres etiam apice nigredine cinguntur, unde 3 puncta fusca in apice alae exstant. Interdum vero hae maculae ita dilatatae, ut totus apex alae fuscus videatur, punctis 2 albis immixtus. Pedes flavo-testacei, tarsis apice nigricantibus. Differentia sexus ut in *Hel. pallida*. — Variat interdum pallidior.

**4. H. flava**: flavo-ferruginea, antennarum seta mediocriter plumata, abdominis incisuris, alarum nervis transversis punctisque 3 apicis, tarsisque apice, fuscis. ♂♀.

An *Helomyza flava* MEIG. Dipt. 6. 49. 2?

Hab. in Lapponia superiori rar.; ad Kengis Lapponiae Tornensis, et ad Bossekop Finmarkiae, 4—22. Aug. capta. (Lappon.; Bottnia borealis ad Johannis Ro 2. Sept.; Ångermannia ad Hernosand 30. Aug.; passim; Nericia-Scania Aug. et Sept. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—3 lin., rarius ultra. Simillima priori, saepe (non semper) paullo minor et pallidior, antennarum seta non longe, sed mediocriter sive interdum tantum breviter, plumata, fere unice distincta, sed hoc in utroque sexu, nec nisi similem cum simili in copula junctam vidi, unde has affines species ad ulterius pro diversis habeo. Insectum vivum non odorum. Variat major et subferruginea. De synonymia MEIG. pro hac antecedenti specie dubius sum.

*Obs. Helom. tigrina* FALL. in Suecia media rarius, in Lapponia nunquam, lecta.

b) Seta antennarum nuda.

° Thorace pallescente.

**5. H. flavo-testacea**: pallide-testacea, hypostomate albido, pedibus flavis, tarsis apice obscuris, abdominis incisuris nervoque alarum transverso ordinario fuscis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 31. Aug. detecta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Testacea subopaca pubescens setosa. Caput albidum, seta utrinque mystacina unica, nigra. Frons flavo-lutea. Antennae subexsertae, lutescentes, articulis 1 et 2 brevibus (longioribus tamen quam in prioribus), ultimo orbiculato. Seta nigra nuda s. oculo armato brevissime pubescente. Abdomen testaceum, dorso interdum subinfuscatum, incisuris nigricantibus. Alae subhyalinae, costa distincte vage setosa. Nervus transversus ord. fuscedine obsoleta tinctus. Nervus longitudinalis 2dus in apice fuscedine quoque cingitur, unde macula mox ante apicem alae fusca obsoleta exstat. Halteres pallidi. Pedes toti cum coxis pallide flavi nigro-pubescentes inermes, tarsis apice obscuris. Femora in ♂ subincrassata.

**6. H. flavifrons**: obscure ferruginea, hypostomate albido, antennis pedibusque testaceis, fronte antice flava, abdomine femoribusque anticis cinerascentibus; alis griseo-hyalinis, nervis transversis fuscis. ♂♀.

Hab. in floribus Salicis et in succo arborum sauciarum Betulae, locis saepe paludosis, in Lapponiis Suecicis per partem sylvaticam, d. 1. Jun. — 24. Jul., passim; ad Wittangi et Cataractam Pulkapola, Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele, Badstuträsk et Almsele, Lapponiae Umensis, frequenter visa; in alpe Dowre a D. BOHEMAN quoque capta; et ad Hernösand Ångermanniae, atque ad Johannis Ro Botniae borealis, in Salicetis jam 10—20. Maj. lecta. (Lappon.-Ångermannia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 — 2¹ lin. Ferruginea, obscura opaca, parum pubescens, setosa. Antennae subsessiles, flavo-testaceae, articulo ultimo suborbiculato, supra interdum fusco-notato, seta nuda fusca. Hypostoma albidum, seta utrinque mystacina. Frons lutea, antice fascia pallide flava s. citrina, postice ad verticem lineis 3 cinereis. Oculi brunnei, aeneo-micantes, unicolores. Thorax obscure ferrugineus, interdum lineis 2 dorsalibus fuscis. Abdomen cinereum, parum setosum, ano ferrugineo, in ♂ magno clavato inflexo. Alae hyalinae, costa distincte setosa, nervis transversis infuscatis. Halteres albidi. Pedes ferruginei pubescentes parce setulosi, femoribus anticis cinerascentibus. — In specimine uno setam mystacinam nullam vidi; an casu?

°° Thorace cinerascente.

**7. H. serrata**: fronte non porrecta, cinerascens, hypostomate albo-flavo, setis mystacinis utrinque pluribus, antennis nigris, basi rufis, fronte, abdomine pedibusque ferrugineo-testaceis, alis hyalinis immaculatis, costa distincte setosa. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Heteromyz. 4. 4. ♂♀. in diagnosi certe (sub descriptione vero adjecta plures species sequentium latent, ut etiam in collectione Falleniana inveniendae). An MEIG. 6. 55. 15. eadem? *Musca serrata* LINN. Fn. Sv. 1847. *Helom. caesia* MEIG. Dipt. 6. 55. 17. (*Helom. simplex* WIEDEM.). *Musca latrinarum* DE GEER Ins. 6. 31. 10. t. 1. f. 15.

Hab. in latrinis, in fungis putridis, in fenestris, in parietibus, nec non sub cortice Pini, in Lapponiis Suecicis frequenter, ex. gr. in Lapponia Tornensi ad Wittangi, Juckasjervi, Muonioniska et usque ad lacum Tornetråsk procedens; atque in Lapponia Umensi ad Lycksele et Wilhelmina; d. 1. Maj. — 10. Aug., in copula saepe visa. (Lapponia; Botnia borealis ad Karungi et Johannis Ro, passim; Ångermannia frequenter - Scania vulgaris). Larvae in stercoratis degunt. Status pupae 8—10 dieb.

*Mas* et *Fem.* Long. 2½—3 lin. Cinerea opaca pubescens setosa. Antennae brevissimae, sessiles, articulo ultimo orbiculato nigro, basalibus rufis, seta longa capillari nuda, infima basi incrassata. Hypostoma albidum, setis utrinque mystacinis 3—4, una majori, nigris. Frons minime prominula, lutea, antice flava, postice vertice lineis 2 cinereis. Occiput cinereum. Oculi brunnei. Thorax cinereus, maculis pluribus fuscis in lineas dorsales dispositis. Scutellum cinereum. Abdomen obscure rufo-ferrugineum. Alae hyalinae immaculatae, costa setosa. Halteres albidi. Pedes validi pubescentes, parce setulosi, rufo-ferruginei, tarsis obscurioribus, femoribus anticis supra interdum subcinereo-maculatis.

Var. b. ♂♀. dimidio minor, abdomine obscuro; in Lapponia frequentiss., ad Lycksele, Umenaes et Juckasjervi, in copula saepe capta. Et haec, quae per totam Sueciam vulgatissime occurrit, sine dubio LINNAEI *Musca serrata* l. c. vera est.

**8. H. laeta**: fronte subporrecta, canescens, hypostomate albo, seta mystacina utrinque subsolitaria, antennis nigris, basi rufis, abdomine testaceo, pedibus flavis, tarsis fuscis; alis hyalinis immaculatis, costa parum setulosa. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. 58. 25. ♀. *Helomyza serrata* FALL. Dipt. Sv. Heteromyz. 4. 4. variet. „thorace canescente et costa parum perspicue setulosa."

Hab. in fungis, in parietibus ligneis, etiam in fenestris, in Lapponia Suecica passim; scilicet ad Kengis et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, rarius, ad Lycksele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, frequenter, d. 7. Jun. — 15. Jul. capta, in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae Norvegicae, ut et in alpibus a me non observata. (Lappon.-Dalekarlia-Hernosand. 29. Aug. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 2 — 2½ lin. Valde similis priori, a qua tamen antennis nonnihil exsertis paulloque longioribus, fronte magis prominula, seta mystacina utrinque subunica breviori, thorace scutelloque laetius cinereis s. canis, pedibusque magis flavis, tarsis nigricantibus, certe distincta. Variat femoribus anticis cinerascentibus. — Oculi in utraque varietate laete rufi.

**9. H. ruficeps**: fronte non porrecta, canescens, hypostomate albido, seta mystacina utrinque unica, antennis luteis, fronte, abdomine pedibusque flavis, tarsis apice fuscis; alis hyalinis immaculatis, costa setosa. ♂♀.

*Helomyz. serrata* Fall. Dipt. Sv. Heterom. 4. 4. Descript. variet. „antennis luteis." *Hel. serrata* Meig. Dipt. 6. 55. 15. (ubi antennae „rufae" describuntur)? exclus. synonym.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia; Ostrogothia passim; Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Simillima *Hel. serratae*, plerumque paullo minor et antennis luteis, nec nigris, setis mystacinis paucioribus, thorace scutelloque laetius cinereis, ut et abdomine pedibusque pallidioribus, distincta. Antennae subsessiles, suborbiculatae, luteae, seta fusca. Seta mystacina elongata. Setulae oris 3—4 brevissimae. Anus in ♂ valde reflexus. Alae albo-hyalinae, immaculatae, costa sat distincte setosa. Pedes flavi, tarsis apice fuscis, femoribus in ♂ subincrassatis.

**10. H. humeralis**: fronte non porrecta, grisescens, hypostomate rufescenti albo, seta mystacina utrinque unica, antennis, fronte, callo humerali, pleuris antice, abdomine pedibusque rufo-testaceis, tarsis nigris; alis hyalinis immaculatis, costa setosa. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; scilicet in Lapponia Umensi, ex. gr. ad Wilhelmina in Stoettingsfjellet et paroecia Fredrica in Strix Ulula, in copula frequenter visa; in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae ut ad Finkrog et Bossekop quoque lecta, d. 14. Jul. — 4. Aug. capta. In Lapponia Tornensi mihi non obvia. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Inter minimas nostratum, circiter 1½ lin. long. Opaca. Similis priori, minor, at thorace subtus antice rufo, abdomineque saepe magis infuscato, distincta. Antennae sessiles orbiculatae rufo-testaceae, seta nigra. Frons lutescens. Vertex cinereus, orbita oculorum angusta et hypostomate albidis. Seta mystacina utrinque unica elongata nigra. Oculi in viva rufi. Thorax griseus, supra immaculatus; setosus, subtus nudus, callo humerali et pectore antice testaceis. Scutellum griseum, antice testaceum. Abdomen aut rufo-testaceum, aut saepe fuscum, apice rufum, aut denique fuscum, incisuris anoque testaceis. Alae hyalinae, basi pallidiores, costa distincte setosa. Halteres pallidi. Pedes validi cum coxis flavi, tarsis nigris.

**11. H. scutellaris**: fronte parum porrecta, cinerascens, capite, antennis, scutello, abdomine pedibusque rufo-testaceis, tarsis fuscis; alarum costa serrata; seta mystacina utrinque unica. ♀.

An *Musca serrata* Fabr. Antl. 305. 103. (exclusis synonymis)?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Tresunda d. 11. Jul. semel capta. (Lappon. meridion.)

*Fem.* In hoc genere magna, circiter 3½ lin. long. Certe distincta species. Antennae subporrectae, articulo 2do perspicuo, ultimo subobliquo semiorbiculato; tota rufa, seta longa atra nuda capillari, basi incrassata. Hypostoma rufum omnino nudum, seta tantum mystacina utrinque unica elongata nigra. Proboscis ferruginea. Palpi flavi, extrorsum dilatati. Frons lutea, macula antica flava, vertice cinereo, setoso. Thorax supra cinereo-nigricans immaculatus, parce rigide setosus, infra rufo-cinereus, callis humeralibus testaceis. Scutellum rufum. Abdomen oblongo-ovatum, apice acutum, totum rufo-testaceum. Alae hyalinae immaculatae, nervis basi subflavicantibus, costa distincte setosa. Halteres pallidi. Pedes validi flavi pubescentes, parce setulosi, tarsis nigricantibus.

**12. H. tibialis**: fronte non prominula, grisescens, hypostomate albido, seta mystacina utrinque unica, antennis, fronte, ano, geniculis tibiisque rufo-testaceis; alis hyalinis immaculatis, costa subsetulosa. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis d. 22. Aug. inventa. (Lapponia.)

*Mas.* Parva, 1¼ lin. long. Griseo-cinerea opaca setosa. Antennae sessiles orbiculares rufae, seta fusca. Frons lutescens. Hypostoma albidum, seta mystacina utrinque unica nigra. Anus rufus inflexus. Alae hyalinae, nervis transversis parum infuscatis, costa tenuiter setulosa. Halteres pallidi. Pedes validi, parum setulosi, cinerei, geniculis rufis, tibiis tarsorumque basi obscure testaceis.

**13. H. geniculata**: fronte non prominula, grisescens, hypostomate albido, setis mystacinis utrinque pluribus, antennis atris, basi rufis, fronte, geniculis tibiisque testaceis; alis hyalinis immaculatis, costa setulosa. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; eandem ut Groenlandiae incolam mecum communicavit Dom. Westermann. (Lappon.)

*Fem.* Long. 2½ lin. Similis omnino priori, sed notis constantibus ab ea distincta. Paullo major, antennarum articulo ultimo atro et setis mystacinis utrinque pluribus praecipue diversa. Frons rufa, antice parum flavo-maculata. Alarum costa setulosa. Tarsi fere toti nigricantes. Cetera ut in priori.

**14. H. minuta**: fronte non prominula, grisescens, hypostomate albido, seta mystacina utrinque unica, abdomine nigricante, antennis, fronte pedibusque rufo-testaceis, tarsis nigris; alis hyalinis, costa tenuissime setulosa. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in paroecia Fredrica d. 29. Jul. capta. (Lappon. merid.)

*Fem.* Long. circiter 1 lin. Similis *Hel. humerali*, sed differt callo humerali griseo, nec rufo, abdomine toto nigro, nec ad partem testaceo, ut et costa minus distincte setulosa. Antennae testaceae, articulo ultimo apice, et seta nigricantibus. Pedes fusco-testacei, tibiarum apice tarsisque obscurioribus seu nigricantibus.

*Obs. Helomyza fenestralis* Fall. in Scania frequenter obvia, in Lapponia a me non visa.

---

## 119. Orygma. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 192.

*Corpus* mediae magnitudinis, oblongum subdepressum opacum pubescens, parce setosum. Antennae parvae subdeflexae, sub margine frontis insertae, articulis 1 et 2 brevibus, subaequaliter longis, 2do cyathiformi, ultimo rotundato ovato, basi seta dorsali nuda. Frons lata plana, tota parce setosa, antice prominula. Oculi parvi, transversim ovati. Hypostoma reclinatum subconvexum, sub antennis bifoveatum, seta mystacina spuria, cum setulis oris immixta. Alarum nervi: auxiliaris ad medium costae extensus, transversi in disco appropinquantes, non late distantes, et longitudinalis sextus abbreviatus, ad marginem interiorem alae non ductus. Pedes validi, pilosi et spinulosi, femoribus subincrassatis. *Color* niger. *Motu* tarda. *Habitatio* in littore Norvegico maris borealis et glacialis. *Differentia sexus: mas:* ano subclavato inflexo, appendice cornea subconica elongata inflexa terminato; *femina:* ano acutiori mutico. (Spec. Scand. 1, nostra, corpore oblongo-ovali depresso, antennis parvis, seta nuda, fronte prominula, hypostomate reclinato convexo bifoveolato, seta mystacina spuria, alarum nervis, auxiliari ad medium costae extenso, transversis subapproximatis, costa nuda, ut et pedibus validis spinulosis, distincta.)

**1. O. luctuosa**: nigra opaca, hypostomatis vitta media ferruginea, antennarum basi pedibusque piceo-testaceis. ♂♀.

Meig. Dipt. 6. 6. 1. ♂.

Hab. in littore arenoso et lapidoso maris borealis et glacialis passim; ad Björkvik, Evenäs et Giebostad, Nordlandiae, d. 14—28. Jul. in copula frequenter a me lecta. Sub fucis rejectis in littore maris in districtu boreali Trondhjem Norvegiae pluribus locis etiam a D. Boheman d. 6—12. Jun. inventa. (Lappon.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½—3 lin.; latitudo circiter 1 lin. Oblongo-ovalis subdepressa, utrinque subobtusa, tota nigra opaca pubescens et setulosa. Antennae rufae, articulo ultimo nigro, seta mediocriter longa fusca nuda. Frons prominula, at in speciminibus nostris, iisque plurimis, minus longe producta, quam ut in figura Meigeni l. c. repraesentantur, summo margine antico interdum subferrugineo. Hypostoma nudum piceum, vitta media ferruginea. Setae 3—5 ad os utrinque, subaequaliter longae. Thorax subquadratus depressus. Abdomen oblongum. Alae fuscanae, nervis validis. Squama minuta halteresque nudi, albida. Pedes breviusculi undique villosi et setosi, toti aut nigro-picei, aut plerumque (in junioribus) obscure testacei s. lividi, nitidi.

---

## 120. Coelopa. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 194. *Musca* Fabr. *Copromyza* Fall.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum depressum subpubescens setosum. Caput parvum. Antennae deflexae parvae, articulo 1 minuto, 2 majori cyathiformi, ultimo orbiculari, seta in medio dorsi mediocriter longa, nuda. Frons plana lata setosa. Hypostoma excisum, ore prominulo, setis mystacinis et oris pluribus rigidis. Proboscis magna exserta. Oculi transversaliter ovales. Thorax subquadratus, in medio paullo latior. Abdomen oblongum depressum, segmentis 5, omnibus subaequalibus. Alarum nervi; auxiliaris ad medium

costae extensus, transversi remoti, et longitudinalis sextus usque ad marginem alae ductus, costa nuda mutica. Pedes validi, villosi, et dense spinosi, femoribus subincrassatis, metatarso postice simplici, nec abbreviato vel incrassato. *Color* niger. *Motu* sat agilis; perterrita celeriter currit, breviter volat. *Habitatio* in stercoratis, sub foliis deciduis putridis, etc., per partem inferalpinam Norvegiae. *Differentia sexus*; *mas*: ano obtuso; *femina*: ano acutiori. (Spec. Scand. 2, corpore depresso, capite antennisque parvis, seta nuda, hypostomate exciso, ore prominulo, setis mystacinis plurimis, oculis horizontaliter ovalibus, abdominis segmentis subaequalibus, alarum nervis longitudinalibus rectis, omnibus ad marginem alae extensis, metatarso postico simplici, etc. dignotae.)

**1. C. frigida**: nigra opaca, antennarum basi pedibusque obscure testaceis; alis spinosissimis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. 8. 1. *Musca frigida* FABR. Antl. 307. 116. *Copromyza frigida* FALL. Dipt. Sv. Heteromyz. 6. 1. ♂♀.

Hab. in Lapponia Norvegica frigoris summi patiens, D. RATHKE, teste D. FABRICIO l. c.; mihi nec in Lapponia Suecica nec in Nordlandiae Finmarkiaeque inferalpinis obvia. (Lapponia; in Gottlandia rarius et in Scania passim, a me lecta.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{4}$ lin. Tota nigricans opaca. Caput undique spinulosum. Antennae basi obscure testaceae. Thorax dorso striis 3 tenuissimis nigris. Abdomen glaucum, in ♂ pubescens, in ♀ nudum, in utroque sexu postice setosum. Alae hyalinae, nervis transversis saepe subinfuscatis. Halteres albidi. Pedes rarius picei, plerumque testacei, undique valde spinosi. — Varietatem „lividam“ (forte juniorem et nuper exclusam), quam l. c. descripsit FABRICIUS, rarius vidi.

## 121. Copromyza. FALL.

FALL. Dipt. Sv. Heteromyz. p. 5. *Calobata* FABR. *Sphaerocera* LATR. *Borborus* MEIG.

*Corpus* minoris magnitudinis aut parvum, oblongo-ovatum subdepressum pubescens et setulosum. Antennae subdeflexae breves subsessiles orbiculatae, seta longa capillari subnuda. Hypostoma breve impressum, setis mystacinis, utrinque unica aut paucis. Frons lata decliva setosa. Oculi parvi rotundi. Proboscis magna. Abdominis segmenta 5, inaequalia plana. Alarum nervi varie directi, longitudinales 4 et 5 interdum abbreviati. Costa mutica. Pedes validi, saepe spinulosi, metatarso postico brevi, incrassato. *Color* niger. *Motu* sat agilis; celeriter currit, breviter volat. *Habitatio* imaginum in stercoratis, ubi sociatim interdum occurrunt. Victus Larvarum in fimetis et limo riparum; per omnes partes Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas*: genitali parvo inflexo; *femina*: vagina articulata retractili. (Spec. Scand. 19, corpore depresso, antennis parvis orbiculatis, seta nuda, hypostomate brevi impresso, setis mystacinis paucis, oculis rotundis, abdominis segmentis inaequalibus, alarum nervis varie curvatis aut abbreviatis, metatarso postico brevi incrassato, etc. distinctae.)

a) Alarum nervi longitudinales: 5tus non ad summum marginem alae extensus, sed mox infra angulum nervi transversi abruptus; 4tus integer seu non abbreviatus.

**1. C. equina**: aeneo-nigricans subnitida, labio, fronte antice, halteribus tibiisque testaceis; segmento abdominis 2do maximo. ♂♀.

Var. a. ♂♀. femoribus obscuris, tibiis aut saltem geniculis pallidis.

FALL. Dipt Sv. Heteromyz. 6. 2. var. α. vera. ♂♀. *Borborus equinus* MEIG. Dipt. 6. 201. 5.

Var. b. ♂♀. pedibus totis pallidis.

Var. c. ♀. capite, pedibusque totis nigris.

Hab. var. a. in ripis fluminum, in stercoratis, in graminosis et paludosis frequenter, ex. gr. ad Wittangi, Juckasjervi et Palojoensuu, Lapponiae Tornensis, ad Umenaes et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, nec non ad Björkvik Nordlandiae, d. 14. Jun. — 17. Aug. visa et d. 9. Jul. in copula capta; var. b. in Pinetis ad Muonioniska Lapponiae Tornensis d. 17. Aug. rarius lecta; et var. c. non nisi ad Tromsoe Nordlandiae, d. 24. Jul. inventa. (Lappon.-Scan. var. a copiose.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—2 lin. Aeneo-fusca subnitida pubescens. Seta antennarum pubescens. Seta mystacina utrinque unica distincta. Alae fusco-hyalinae, nervis, auxiliari brevi, non ad medium costae ducto; longitudinalibus rectis, 2do per suum apicem (et paullo ante apicem alae) incurvato; 3 et 4 parallelis juxta apicem alae in marginem usque excurrentibus; 5to mox infra angulum nervi transversi, et 6to basali, abbreviatis; transversis remotis, vix vel parum infuscatis. Costa non ciliata. Tibiae posticae spinosae.

*Obs.* *C. pallifrons* FALL. in Suecia inferiori passim obvia, in Lapponia non observata.

b) Alarum nervus longitudinalis 5tus infra angulum nervi transversi usque ad marginem alae continuatus.

**2. C. subsultans**: nigra opaca nuda, alis halteribusque albidis, segmento abdominis 2do maximo; pedibus crassis muticis, scutello inermi. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus aut totis nigris, coxis anticis femoribusque omnibus basi tibiisque testaceis.

Var. b. ♂♀. pedibus aut totis, aut basi tibiisque testaceis.

FALL. Dipt. Sv. Heteromyz. 7. 3. ♂♀. *Musca subsultans* LINN. Syst. Nat. 2. 993. 84. *Calobata subsultans* FABR. Antl. 264. 17. *Borborus subsultans* MEIG. Dipt. 6. 200. 2.

Hab. in Lapponiae meridionalis stercore praesertim equino, passim; ad Lycksele mense Junio frequentem vidi, saliendo volitantem. (Lapponia; Scania copiose.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin. Tota atra opaca valde depressa, nuda. Scutellum subquadrangulum muticum. Abdomen saepe tenuiter albo-marginatum et segmentatum. Alae albidae. Nervi: auxiliaris brevis; longitudinales omnes ad marginem alae extensi, horum quartus paullo curvatus, non vero ita flexus ac in figura MEIGENI; transversi sat approximati, ordinario scilicet sat longe a margine alae remoto. Halteres albi. Pedes validi, mutici, femoribus incrassatis, posticis elongatis; toti nigricantes, plus minus ferruginei aut testacei

**3. C. pusilla**: nigra opaca nuda, alis halteribusque albis, segmentis abdominis subaequalibus, pedibus mediocribus; scutello crenulato. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Heterom. 8. 5. vera. ♂♀. *Borborus pusillus* MEIG. Dipt. 6. 206. 22? (ubi „nervus quartus longitudinalis abbreviatus“ dicitur. *Borborum denticulatum* MEIG. Dipt. 6. 200. 3. ♀. potius ut synonymon huc referrem, nisi obstaret „segmentum 2dum abdominis maximum,“ quod in nostra specie non obtinet). *Copromyza subsultans* FALL. Dipt. Sv. Heterom. 7. 3. var. β.

Hab. in Lapponia cum priori rarissime. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, circiter $\frac{2}{3}$ lin. long. Affinis et similis priori, sed minor et alis minus albidis, nervis obscurioribus, longitudinalibus 4 et 5 subparallelis seu 4to vix curvato, abdominis 2do segmento reliquis parum majori, scutelloque rotundato, crenulatoque (vix distincte denticulato), aperte distincta. Pedes praeterea variant ut in praecedente, toti fere aut nigri aut flavi.

**4. C. coronata**: nigra opaca nuda, alis albo-hyalinis, halteribus nigris, segmentis abdominis subaequalibus, pedibus tenuibus; scutello multidenticulato. ♀.

Vix *Borborus denticulatus* MEIG. Dipt. 6. 200. 3, nam hoc insectum abdominis segmento 2do maximo, scutello bidentato, ut et halteribus albis, a nostro differt.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad novacculum Naestansjö d. 13. Jul. semel capta. (Lapponia.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. seu magnitudine *C. subsultantis*, cui etiam affinis. Caput ut in illa. Oculi brunnei. Thorax punctulatus. Scutellum late rotundatum, margine 7—8-denticulatum. Abdomen ovatum, lateribus late marginatum, segmentis subaequaliter magnis, ultimo minore subquadrato; totum nigrum opacum laeve glabrum. Alae albo-hyalinae, nervis obscuris, ut in *C. subsultante* directis, at longitudinalibus 3 et 4 magis parallelis seu 4to magis quam in illa curvato. Halteres nigri. Pedes nigri, nudi simplices, seu magis tenues quam in prioribus, femoribus posticis elongatis.

c) Alarum nervi longitudinales 4 et 5 infra angulum nervi transversi, abbreviati. Costa basi (ad apicem nervi auxiliaris) distincte ciliata. Scutellum magnum triangulare planum.

**5. C. fontinalis**: subaenescenti nigra subnitida setulosa, pedibus piceis, halteribus albis, alis hyalinis, costa basi longe pilosa, nervo 3tio longitudinali paullo ante apicem alae versus costam inflexo. ♂♀.

FALL. Dipt Sv. Heteromyzid. Supplement. 2dum. Anno 1826. p. 16. ♂♀.

Hab. ad aquas stagnantes et sub lapidibus locis arenosis humidis, in Lapponia passim; scilicet ad Lycksele Lapponiae Umensis, rarius; sed ad Wittangi, Juckasjervi et Karesuando, (Lapponiae Tornensis, frequenter, d. 13. Jun.—15. Aug. capta; sub lapidibus ad Muonio, Lappon. Kemensis, ubique

a D. DEUTSCH etiam lecta. (Lappon.-Ostrogoth. pass.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Circiter 1 lin. long. Similis sequenti, colore magis nitido, metallice nitente, et directione nervi 3tii longit., praecipue distincta. Frons et thorax setosa. Setae mystacinae plures. Scutellum magnum, margine setosum. Abdomen subnudum, margine tantum subpilosum, segmentis aequaliter magnis. Alae hyalinae, costa tenuiter fusca. Halteres pallidi. Nervus 3tius longit. paullo ante apicem alae versus costam inflexus. Pedes mediocres nigri aut picei, tibiis praesertim intermediis distincte spinulosis.

**6. C. limosa:** nigra parum nitida, setosa, halteribus albis, alis fusco-hyalinis, costa basi longe pilosa, nervo 3tio longitudinali in summo fere apice alae excurrente. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Heteromyz. 8. 6. *Borborus limosus* MEIG. Dipt. 6. 207. 23.

Hab. ad aquas stagnantes in Lapponia Tornensi rarius, in ipsas alpes adscendens, et in summo alpium Tornensium jugo, in nive ambulans, d. 12. Jul capta. (Lapponia Ostrogoth. Gottlandia pass.-Scania vulgatissima, etiam in copula.)

*Mas* et *Fem.* Longit. circiter 1 lin. Nigra nitida aeneo-metallice subnitens. Vertex et thorax setosa. Scutellum margine setis longis instructum. Nervi longitudinales: 3tius fere rectus in apicem alae excurrit; 4tus curvatus et 5tus infra nervum transversum ordinarium mox, abrupti; 5ti vero vestigium obsoletum remanet; 7tus nullus. Halteres albi. Abdomen apice parce pilosum. Pedes mediocres, tibiis tarsisque intermediis spinosis.

**7. C. silvatica:** atra nitidissima setosa, halteribus nigris, alis fusco-hyalinis, costa basi mediocriter pilosa, nervo 3tio longitudinali in summo fere apice alae subrecta excurrente, abdomine apice in ♂ utrinque piloso; seta antennarum extrorsum pubescente. ♂.

*Borborus silvaticus* MEIG. Dipt. 6. 207. 24. certe.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in graminosis humidis ad Lycksele d. 16. Aug. capta. (Lappon. Suecica meridionalis —?)

*Mas.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Similis priori, plerumque paullo major, colore nigriori, halteribus nigris, fasciculo pilorum in apice abdominis utrinque, ut et seta antennarum a medio ad apicem distincte pubescente, vere distincta. Caput, pubescentia corporis, alae et pedes omnino ut in praecedente. Alae forsitan minus infuscatae, et costa mediocriter tantum setosa.

**8. C. pygmaea:** nigra parum nitida setosa, halteribus concoloribus, alis infuscatis, costa basi subtiliter ciliata, nervo longitudinali 3tio fere in summo apice alae excurrente. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi et Umensi rarissime; ad Stensele 3 Jul. capta. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Pusilla, ½ lin. long. Similis *C. fenestrali* FALL., capite pedibusque totis nigris distincta. A *Borb. pumilione* MEIG., halteribus nigris, nec albis, differt.

**9. C. pumilio:** nigra parum nitida setosa, halteribus albis, alis infuscatis, costa basi subtiliter ciliata, nervo longitudinali 3tio fere in summo apice alae excurrente. ♀.

*Borborus pumilio* MEIG. Dipt. 6. 208. 27.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lappon.-Suecia inferior, passim.)

*Fem.* Minuta, ¾ lin. long. Simillima *C. pygmaeae*, halteribus albis fere unice distincta.

**10. C. ochripes:** nigra subnitida setosa, antennis concoloribus, halteribus albis, capite pedibusque rufo-flavis, tarsis fuscis. ♂♀.

*Borborus ochripes* MEIG. Dipt. 6. 209. 29.

Hab. in Lapponiae graminosis rarius; ad Stensele Lapponiae Umensis, d. 3. Jul., et ad Kengis, Lapponiae Tornensis, d. 22. Aug. lecta. (Lappon. Suecica sylvat.-Scania sub muscis passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. ¾ lin. Minuta. Statura corporis et pubescentia priorum, colore capitis pedumque, mox dignota. Vestigium nervi longitudinalis 4ti in alis apparet.

*Obs.* *Coprom. fenestralis* FALL. nigra, fronte tibiisque pallidis, costa basi subtiliter ciliata; ½—⅔ lin. long., in Lapponia quoque occurrit, mihi ibi non obvia, in Suecia inferiori frequens.

---

## 122. Piophila. FALL.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 185. FALL. *Musca* LINN. *Tephritis* FABR.

*Corpus* parvum oblongo-ovatum nitidum glabriusculum nudum, setis verticis, scutelli abdominisque apicis paucioribus. Antennae incumbentes breviusculae, articulo ultimo ovali compresso, seta dorsali nuda. Caput rotundatum. Hypostoma parum descendens, seta utrinque mystacina unica. Frons lata, non prominula. Oculi rotundi. Abdomen ovatum, 5-annulatum. Alarum nervi: longitudinales recti ad marginem alae extensi; auxiliaris aut ad medium costae extensus, aut brevior; transversi subappropinquantes. Pedes mediocres mutici. *Color* niger, in specie ultima rufus. *Motu* agilis, celeriter currit. Volatus brevis. *Habitatio* imaginum in stercoratis, fungis putridis, cadaveribus etc., in fenestris saepe etiam reptantium; larvae ex obsoniis pinguibus vivunt; per partem sylvaticam Lapponiae et rarius inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* vagina erumpente acuminato. (Spec. Scand. 10, corpore glabro subnudo, capite rotundato, antennis brevibus ellipticis seta nuda, seta mystacina utrinque unica, oculis rotundis, alarum nervis longitudinalibus integris, auxiliari saltem ad medium costae extenso, et costa mutica, distinctae. A *Sepsi* et *Scatophaga* praesentia mystacum, et a *Geomyza* seta antennar. nuda, mox dignoscitur *Piophila*.)

a) Alae hyalinae immaculatae. Color corporis niger.

**1. P. casei:** subaenescenti nigra nitida glabra, hypostomate, antennis fronteque antice, flavis, pedibus nigricantibus, basi, geniculis tarsisque pallidis; nervo alarum auxiliari ultra medium costae extenso. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Heteromyz. 9. 1. ♂♀. MEIG. Dipt. 5. 395. 1. *Musca putris* var. β *Casei* LINN. Fn. Sv. 1850.

Hab. in fungis et domibus Lapponiarum Suecicarum passim: in fenestra interdum reptans; in Nordlandiae inferalpinis, ex. gr. ad Tromsoe, Schiervoe et Talvig haud infrequenter quoque visa, in cloacis saepe deprehensa — d. 28. Jul. — 29. Aug. in copula non raro observata. E Groenlandia quoque misit D. WESTERMANN. Larva degit in Caseo, quem consumit, sub nomine *Ostmask* notissima; etiam in stercore humano; teste BOUCHÉ. Insectum in statu pupae 8—10 diebus manet, seriora autem individua in hoc statu hybernant. (Lapponia-Scania vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$ lin. Tota aeneo-nigra nitida glabra. Antennae testaceae, seta elongata. Frons lata nuda, antice flava. Vertex niger setosus. Hypostoma flavum subpellucidum. Partes oris retractae, pallidae. Oculi subexserti. Thorax postice et scutellum margine, parce setosa. Abdomen segmentis aequalibus, glabrum, apice pilosum. Alae albido-hyalinae, nervis pallidis. Nervus auxiliaris sat longe ultra medium costae extensus, et pone apicem nervi secundarii, costae intime approximatus, currit; nervus longitudinalis 6tus abbreviatus; transversus medius in medio alae, et ordinarius paullo a margine remotus, siti. Squama parva et halteres, alba. Pedes validi pubescentes, non setosi, nigricantes; antici: coxis, femoribus basi, geniculis et interdum tarsis basi, flavis; intermedii fere toti fusco-testacei, coxis et saepe femoribus in medio, nigris; postici: femorum, tibiarum tarsorumque apice testacei.

**2. P. atrata:** aenescenti nigra nitida, thorace sericeo; hypostomate, antennis fronteque antice, flavis, pedibus nigricantibus, basi, geniculis tarsisque pallidis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 396. 2. *Tephrit. atrata* FABR. Antl. 323. 33. *Piophila vulgaris* FALL. Dipt. Sv. Heterom. 9. 2. ♂♀.

Hab. in cadaveribus et pinguibus, in Lapponiis Suecicis passim; ad Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 15. Jul. a me capta; in Lapponia Tornensi D. DEUTSCH. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin. Simillima priori, paullo minor et thorace sericeo distincta. Pedes antici plerumque fere toti nigricantes, coxis geniculisque flavis. Alar. nervus auxiliaris fere in medio costae desinit.

**3. P. nigriceps:** atra nitida, capite concolore, fronte laevi, antennis luteis, geniculis, tibiis tarsisque albidis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 5. 397. 5. *Pioph. vulgaris* FALL. Dipt. Sv. Heterom. 9. 2. var. „fronte tota nigra."

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele capta. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Magnitudo et summa praecedentis similitudo, a qua tamen capite toto nigro, antennis solum rufis, alarum nervis tenuioribus, albidis, et pedibus albidis, coxis femoribusque nigris, differt.

**4. P. pygmaea:** aeneo-nigra nitida glabra, hypostomate, antennis fronteque antice, flavis, pedibus nigricantibus, femoribus basi, tibiis tarsisque posticis albidis, alis albo-hyalinis, nervis tenuibus, auxiliari vix ultra medium costae extenso. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi, in paroecia Fredrica d. 29. Jul. rarissime lecta. (Lappon. meridion.)

*Fem.* Long. ½ lin. Simillima *P. casei* et *atratae*; a priori alis, a *P. atrata* glabritie thoracis, et ab utraque magnitudine duplo et ultra minori, distincta videtur.

**5. P. Lonchaeoides**: oblongo-ovata atra nitida, subglabra, antennis orbiculatis piceo-ferrugineis, alis hyalinis, basi, nervis, halteribus pedumque geniculis, flavescentibus. ♂♀.

Hab. in alpibus Dalekarlicis, a D. Bohem., 1836 inventa. (Lapponia maxime meridionalis.)

*Mas?* Simillima *Lonchaeae* statura corporis praesertim abdominis ovata, at seta utrinque mystacina et antennarum forma rotundata a Lonchaeis mox distinguitur. Brevissime pubescens. Magnitudo vix *Lonch. vaginalis*, circiter 1½ lin. longa.

b) Alae puncto apicis nigro. Corpus rufum.

**6. P. bipunctata**: testaceo-rufa nitida subglabra, abdomine nigro, pedibus flavis, alis macula baseos punctoque apicis atro. ♂♀.

*Geomyza bipunctata* Fall. Dipt. Sv. Geomyzid. 3. 3. ♂♀. *Opomyza bipunctata* Meig. Dipt. 6. 110. 22.

Hab. in Lapponiis Suecicis in fungis, passim; in fungis putridis ad Wilhelmina Lapponiae Umensis juxta habitationem Sacerdotis in arvo secale sato (Käglychan) d. 19. Jul. 1832 plura specimina inveni; in fungis terrestribus ad Kengis et Muonioniska, Lapponiae Tornensis, d. 17—22. Aug. 1821, a me quoque frequenter visa. (Lapponia; Suec. media freq. Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—1½ lin. Ovata gibba. Colore corporis rufo, et pictura alarum mox dignota. Statura alias et habitu *P. atratae*, robustior. Rufa. Seta antennarum et setae verticis scutellique nigrae. Oculi brunnei, aeneo-micantes. Thorax vix pubescens. Abdomen ovale, 5-annulatum? piceo-nigrum, basi saepe flavo-bifasciatum. Alae pure hyalinae, striga costali obsoletiori ad basin, et puncto magno saturatiori apicis, atris. Nervi ut in *P. atrata* directi. Halteres albi. Pedes mediocres nudi flavi, tibiis posticis fuscis, tarsis omnibus apice obscuris.

*Obs.* Ob nervorum in alis directionem, antennarum setae nuditatem, corporis formam insectique victum, quibus ceteris *Piophilis* valde affinis et similis est haec species, illam potius in hoc genere, quam inter *Geomyzas*, quae seta antennar. plumata gaudent, repono.

---

## FAM. 30. GEOMYZIDES. Fall.

Os seta mystacina utrinque unica. Hypostoma subimpressum. Frons lata setosa. Antennae breves deflexae, seta pectinata aut plumata (in *Geomyza marginella* pubescente). Alae incumbentes abdomen superantes. Nervi: auxiliaris simplex brevis, vix ultra quartam partem costae extensus; transversi subremoti, seu ordinarius prope ad marginem alae retractus. Abdomen 6- (rarissime 5-) annulatum. Corpus parvum, molle.

### 123. Geomyza. Fall.

Fall. Dipt. Sv. Geomyz. p. 2. *Musca* Linn. *Tephritis* Fabr. *Opomyza* Meig.

*Corpus* minutum oblongum opacum, setis verticis thoracisque vestitum. Antennae breves deflexae, articulo ultimo ovato, seta plumata, in *Geom. marginella* pubescente. Hypostoma parum descendens. Oculi rotundi. Abdomen 5—6-annulatum. Alae saepissime maculatim pictae, nervis transversis appropinquantibus aut remotis. Pedes simplices parum setulosi. *Color* obscurus aut pallidus. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in graminosis, locis uliginosis, imaginum saepe in foliis plantarum, quorum succum roridum amant; per partem sylvaticam Lapponiae, et rarissime inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus*: *mas*: ano rotundato subclavato; *femina*: ano acutiori. (Spec. Scand. 5, (*G. bipunctata* Fall. ad *Piophilas* relegata,) corpore oblongo, antennis ovatis, seta plumata, oculis rotundis, alis elongatis rectis, saepe maculatis, distinctae.)

a) Abdomen 6-annulatum. Alarum nervi transversi subapproximati. *Opomyza* Meig.

**1. G. combinata**: rufo-testacea, pedibus flavis, alis hyalinis, nervis transversis apiceque fuscis, abdomine nigro basi pallido. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Geomyz. 2. 1. ♂♀. *Musca combinata* Linn. Syst. Nat. 2. 997. 114. *Tephritis combinata* Fabr. Antl. 317. 2. *Opomyza combinata* Meig. Dipt. 6. 109. 15. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Ostrogoth. Scan. in gram. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¼—1½ lin. Angusta cylindrica praesertim ♂. Tota testacea subnitida, setis ordinariis nigris vestita. Caput rotundatum albidum. Seta antennarum distincte plumata nigra. Abdomen nigrum, basi latius vel angustius pallidum. Alae hyalinae, nervis transversis mediocriter remotis, fuscedine magis vel minus evidenter cinctis, puncto apicis majori nigro. Halteres albi. Pedes flavi, tarsis vix infuscatis.

**2. G. tripunctata**: thorace cinereo, capite pedibusque testaceis, alis hyalinis, nervis transversis apiceque fuscis, abdomine nigro. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Geomyz. 2. 2. ♂♀. *Opomyza tripunctata* Meig. Dipt. 6. 110. 21.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Dalekarlia-Ostrog.-Scan. pass. rar.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, statura et affinitas praecedentis, a qua colore differt. Caput flavum. Antennae testaceae, seta plumata nigra. Thorax cinerascens, scutelli apice pectoreque saepe rufescentibus. Abdomen nigrum. Alae hyalinae, nervis transversis late, et puncto apicis majori, nigris. Maculae aliquot parvae, in basi alae ad costam fuscae quoque cernuntur. Halteres albidi. Pedes flavi, tarsis parum infuscatis.

**3. G. marginella**: thorace verticeque obscure cinereis, hypostomate albido, antennis, fronte pedibusque testaceis, femoribus anticis fuscis, abdomine nigro; alis fuscis, vitta media maculisque 2 albis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Geomyz. 3. 5. ♂♀. *Opomyza marginella* Meig. Dipt. 6. 104. 6.

Hab in terra locis aridis, saepe etiam in Pinetis, in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, circiter ¾ lin. long. Prioribus paullo robustior. Hypostoma album. Antennae flavae, seta pubescente fusca. Frons antice testacea. Vertex griseo-cinereus. Thorax cinereo-griseus opacus. Abdomen nigrum. Alae abdomine paullo longiores, subdilatatae nigrae, vitta cuneiformi a basi ad medium ducta, et maculis 2 oblongis versus apicem, hyalino-albis. Nervi transversi sat approximati, costa vage tenuissime setulosa. Halteres albidi. Pedes flavi, antici femoribus et interdum etiam tarsis fuscis.

*Obs.* *Geom. bipunctatam* Fall. ad *Piophilas* retuli.

b) Abdomen 5-annulatum. Alarum nervi transversi remoti. *Diastata* Meig.

**4. G. nebulosa**: cinerea, abdomine nigricante, hypostomate albido, antennis, fronte pedibusque obscure testaceis; alis fusco-hyalinis, disco maculis quadratis 2 nigricantibus totidemque albis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Geomyz. 3. 4. certiss. ♂♀. An *Diastata nebulosa* Meig. Dipt. 6. 99. 12., aut *D. ornata* Meig. l. c. 98. 11?

Hab. in Lapponia Tornensi rariss.; in paludosis ad Karungi d. 27. Maj. capta. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* 1¼—1½ lin. long. Opaca setulosa. Caput albidum. Antennae et frons testaceae, seta plumata nigra. Thorax cinereus lineis 2 dorsalibus fuscis. Abdomen nigricans. Alae fuscanae, disco longitudinali maculis 4 quadratis, 2 nigricantibus et 2 albis, alternantibus. Costa basi setulosa. Halteres albidi. Pedes testacei, femoribus anticis saepe obscurioribus.

**5. G. obscurella**: grisea, abdomine nigricante, hypostomate albido, antennis, fronte pedibusque obscure testaceis, alis hyalinis, nervis transversis late infuscatis. ♂♂.

Fall. Dipt. Sv. Geomyz. 4. 6. vera. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 93. 3?

Hab. in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Finkrog d. 25. Jul. rarissime lecta; in Lapponiis Suecicis mihi non obvia. (Lapp.-Scan. locis aridis passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. vix 1 lin. Simillima priori, paullo minor, alis hyalinis, et nervis transversis late infuscatis distincta. — Specimina lapponica a suecicis vulgaribus differunt: magnitudine nonnihil majori, fuscedine nervorum fere maculas quadratas formante, macula albo-hyalina ejusdem formae interjecta, et costa minus distincte setulosa. Valde affinis *Geom. nebulosae*.

### 124. Stegana. Meig.

*Corpus* parvum ovatum, subnitidum, setis ordinariis vestitum. Antennae incumbentes breves, articulo ultimo oblongo obtuso, seta vage longe plumata. Hypostoma infra oculos non descendens. Frons convexa, ante oculos non prominula. Oculi magni perpendiculariter oblongi. Abdomen oblongum

6-annulatum. Alae incurvae deflexae. Nervi transversi in disco et longitudinales 3 et 4 in apice alae, subapproximati. Pedes simplices pilosi. *Color* niger. *Motu* sat agilis. *Volatus* brevis. *Reptatus* celer. *Habitatio* in foliis fruticum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acutiori. (Spec. Scand. 2, corpore ovato, antice obtuso, antennarum seta distincte plumata, oculis oblongis, alis deflexis incurvis, nervo 4to longitudinali subcurvato in apice alae excurrente, bene distinctae.)

**1. St. hypoleuca:** nigricans, subtus albida, capite flavo-alboque maculato, pedibus flavicantibus; alis fuliginosis. ♀.

MEIG. Dipt. 6. 80. 2. certe. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in Pino resinosa ad Lycksele d. 19. Jun. 1832 unicum individuum vivum inveni. (Lapponia Umensis; — ? Ad Copenhagiam Daniae, WESTERMANN.)

*Fem.* Long. fere 2 lin. Obscura subpubescens, subtiliter punctulata. Caput flavicans, hypostomatis lineis 2 transversis et vitta frontali geminata nigris. Genae albae. Antennae testaceae, seta fusca. Palpi albi, extrorsum dilatati. Oculi in viva rufo-brunnei, lineis 2 transversis purpureis. Thorax dorso niger, limbo inaequaliter flavo, subtus albus, linea pectorali lata determinata atra. Scutellum nigrum. Abdomen totum nigrum, apice acutum. Alae abdomine fere longiores, latae, deflexae, fuliginosae. Halteres pallidi. Pedes cum coxis albidi, femoribus posterioribus apice late, tibiisque basi, nigris.

*Mas:* „fuscus, subtus albus, thorace ferrugineo alis fuliginosis," MEIG. l. c. describitur, paullo minor, pedibus immaculatis; ad Kiliam a D. WIEDEMANN detectus, mihi ignotus.

*Obs.* Altera hujus generis species seu *Stegana nigra* MEIG. (*Drosophila curvipennis* FALL.), tota nigra, alis fuliginosis, in Succiae inferioris, Ostrogothiae et Scaniae nemoribus Coryletarum passim obvia, in Lapponia a me frustra quaesita.

---

## 125. Drosophila. FALL.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 208. FALL. *Musca* LINN. PANZ. FABR.

*Corpus* parvum aut minutum, oblongo-ovatum parum nitidum, setis ordinariis vestitum. Antennae incumbentes breves, articulo ultimo ovato, seta vage distincte plumata, in *Dros. marginella* breviter plumata. Hypostoma et frons ut in *Stegana*. Oculi rotundi, in viva laete rufi, unicolores. Abdomen 6-annulatum. Alae mediocriter latae, rectae, nervis longitudinalibus rectis, transversis remotis. Pedes simplices parum pilosi. *Color* niger, griseus, pallidus. *Motu* agilis. *Habitatio* in graminosis, locis umbrosis humidis, in fungis, in fenestris interdum reptans; per partem sylvaticam Lapponiae, rarius inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acuto. (Spec. Scand. 20, corpore oblongo-ovato, antennarum seta vage plumata, radiis scilicet distantibus raro pectinatis, oculis rotundis nervisque alar. longit. rectis, transversis remotis, distinctae.

**1. D. funebris:** rufo-testacea, hypostomate pedibusque pallide flavis, abdomine nigro, aut fasciis interruptis aut incisuris, pallidis, alis immaculatis, antennis ovatis, apice subacutis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Geomyz. 5. 3. vera. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 82. 2. *Musca funebris* FABR. Antl. 299. 76. *Musca cellaris* LINN. Fn. Sv. 1848. teste MEIG. l. c. (var. obscura.) FABR. Antl. 305. 108.

Hab. in fungis et fenestris Lapponiae passim; scilicet ad Öfver-Torneå, Turtola et Karesuando, Lapponiae Tornensis, rarius; sed ad Tresunda et Lycksele, Lapponiae Umensis, sat frequenter; d. 4. Jun. — 27. Aug. capta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Long. fere 1½ lin. Tota rufo-testacea gibba pubescens parum nitida. Caput rotundatum. Antennae testaceae, articulo ultimo ovato, apice acutiori subfusciori. Seta nigra. Os pilosum. Abdomen nigrum, segmentorum margine tenuiter pallido, unde fasciae flavae interdum formantur, basi saepius flavum. Alae hyalinae immaculatae, nervis distinctis, transversis longe remotis. Halteres flavi. Pedes simplices, toti flavi subpilosi. — Variat thorace obscure rufo.

**2. D. Fenestrarum:** testacea, hypostomate pedibusque pallide flavis, abdomine nigro, toto, aut basi flavo-fasciato; alis immaculatis, antennis brevibus obtusis. ♂♀.

*Mas:* angustior, abdomine toto nigro.

*Fem.:* abdomine nigro, basi flavo-fasciato.

FALL. Dipt. Sv. Geom. 6. 4. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 83. 4? ♂♀.

Hab. in graminosis et fenestris Lapponiae rar.; in Lapponia Tornensi D. DEUTSCH; in Lapponia Umensi ad Lycksele, ipse; feminam die 4. Jun. oviparam, et ova elongata opaca alba vidi. (Lapponia Suecica-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. vix 1 lin. Similis priori, fere duplo minor angustior, antennis nonnihil brevioribus, magis obtusis, abdomine in ♂ toto nigro, in ♀ nigro, fasciis basalibus flavis non interruptis, ut et alarum nervis transversis minus longe remotis, distincta. Color corporis quoque forte magis laetior, quam in *D. funebri*. Cetera quadrant.

Variat ♂ abdomine nigro, basi pallido, at ♀ abdomine subpallido, fasciis anoque nigris.

Variat denique ♀ obscurior, pedibus fuscioribus. Lycksele.

**3. D. transversa:** flavo-testacea, hypostomate pedibusque pallidioribus, abdominis incisuris triplici serie nigro-punctatis; alis hyalinis, nervis transversis subappropinquantibus, fuscedine cinctis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Geomyz. 6. 5. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 84. 5. *Drosophila phalerata* MEIG. Dipt. 6. 83. 3, etiam parum abludere videtur.

Hab. in Lapponiis Suecicis passim; sub cortice truncorum Pini ad Wittangi Lapponiae Tornensis feminam rarius d. 14. Jun. legi; at in fungis putridis ad Naestansjö et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, d. 13—19. Jul. utrumque sexum frequentem vidi. (Lappon.-Scania pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 1 lin. (apud MEIGEN 2 lin.) Statura *D. fenestrarum*, subnitida, tota rufo- aut flavo-testacea. Antennae parvae flavae, seta nigra. Hypostoma albidum. Frons luteo-flava. Oculi laete rufi. Abdomen testaceum, incisuris ita nigro-punctatis, ut vittae 3 longitudinales interruptae, seu triplex series punctorum nigrorum formetur. Alae hyalinae, nervis transversis subapproximatis, (nec longe remotis) infuscatis. Halteres et pedes toti pallide flavi.

**4. D. obscura:** nigricans, pedibus rufo-testaceis; alis hyalinis immaculatis, nervis transversis subapproximatis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Geomyz. 6. 6. vera. ♂♀. An *D. obscura* MEIG. Dipt. 6. 85. 11? (sed caput et thorax in nostris speciminibus, iisque et junioribus et veterioribus, non sunt „testacea").

Hab. in succo destillante Betulae albae!, in Lapponia Tornensi rarius; ad Öfver-Torneå jam die 29. Maj. frequentius vidi. (Lapp.-Uplandia, Ostrog. Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Statura robusta *D. marginellae* (infra No. 10), sed tota obscura nigro-fusca subopaca, vertice, thoracis limbo postico, scutelloque, distincte setosis. Caput totum cum antennis fuscum. Oculi rufi. Thorax subaenescenti-fuscus. Abdomen nigricans. Alae hyalinae immaculatae, nervis transversis sat approximatis. Halteres pallidi. Pedes rufescentes seu fusco-testacei.

**5. D. costata:** nigra subnitida, hypostomate albo, antennis pedibusque flavis, anticis nigris; alis hyalinis, nervis, costali atro, transversis approximatis. ♂♀.

Hab. in fungis Betulae albae in Lapponia passim; scilicet in Lapponia Tornensi rarius usque ad lacum Torneträsk, in regione subalpina situm, procedens; in Lapponia Umensi frequenter occurrit, ibique ad Åsele, in Stoettingsfjellet, ad Tresunda, Wilhelmina et Umenaes capta, usque in alpes Brattiksfjellen adscendens, in copula mense Julio saepe visa; deprehenditur denique in inferalpinis Nordlandiae, et in monte subalpino Gamsttind rarius lecta; a. d. 1. Jul. ad 1. Aug. viget. (Lapponia; Ostrogothia ad Laerketorp rariss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Affinis sequenti (*D. fuscimanae*), paullo major, robustior, colore praecipue distincta. Tota nigra glabriuscula. Antennae flavae, seta nigra. Hypostoma albidum. Frons nigra, antice angustissime flava. Oculi rufi. Alae hyalinae, nervo costali toto distincte atro. Ad apicem alae umbra fusca obsoleta ad costam cernitur. Nervi transversi sat approximati. Pedes cum coxis omnibus flavo-subpellucidi, anticorum femoribus, tibiis tarsisque nigris. Mas paullo angustior femina.

**6. D. fuscimana:** testacea, hypostomate albido, pedibus flavis, thoracis linea dorsali, abdomine pedibusque anticis fuscis, alis hyalinis, nervis, costali atro, transversis approximatis. ♂.

An *D. nigrimana* MEIG. Dipt. 6. 87. 17?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in succo Betulae ad Nordanås in paroecia Fredrica d. 13. Jul. a D. DAHLBOM, et in fungis Naestansjö d. 13. Jul. a me capta. (Lapponia meridional.)

*Mas:* Long. ¾ lin. Angusta subopaca, tota testacea. Antennae breviusculae seta nigra. Hypostoma pallidum. Oculi rufi. Thoracis linea dorsalis fusca obsoleta. Abdomen angustum, nigricans subnitidum. Antice rufescens. Alae hyalinae, nervis tenuibus pallidis, costali toto atro, ad apicem nervi 2di longitudinalis umbra

obsoleta, transversis in disco perspicue approximatis. Halteres albidi. Pedes pallide flavi, antici infuscati.

**7. D. sordida:** cinerascens, abdomine nigricante, hypostomate albido, antennis, fronte pedibusque testaceis aut flavis; alis hyalinis immaculatis, nervis transversis longe remotis. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; unicum specimen masculum ad Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 17. Jul. a me, unicumque femineum in alpe Dowre a D. Boheman captum. (Lapponia-Dalekarlia.)

*Mas* et *Fem.* Long. ¾ lin. Statura *D. fenestrarum*, paullo minor, obscure subopaca. Antennae ovatae, apice subangustatae, rufae (in ♂ flavae), articulo ultimo interdum fusco, seta nigra. Hypostoma albidum. Frons testacea. Vertex cinereus. Oculi (in ♂) brunnei. Thorax cinerascens. Abdomen nigricans. Alae hyalinae immaculatae. Halteres pallidi. Pedes toti testacei aut flavi. Affinis etiam videtur *D. littorali* Meig. A *D. Graminum* vix nisi nervorum transversalium distantia longiori distinguenda.

**8. D. flavipennis:** nigricans, hypostomate albido, antennis, fronte pedibusque flavis; alis flavescentibus, nervis transversis mediocriter remotis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in graminosis ad Wilhelmina d. 17. Jul. uterque sexus captus. (Lappon.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et statura *D. fuscimanae*, at nigra. Hypostoma albidum. Antennae breviter ovatae, flavae. Frons flava. Venter obscurus. Oculi brunnei. Alae flavedine tinctae, nervis transversis mediocriter remotis. Halteres albidi. Pedes tenues, croceo-flavi. Affinis *D. Graminum* et *fusculae* Fall., at diversa.

**9. D. Graminum:** cinereo-grisea, hypostomate albido, thoracis linea media fusca, antennis, fronte pedibusque flavis; alis hyalinis, nervis transversis mediocriter remotis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Geomyz. 11. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 86. 13.

Hab. in graminosis pratorum in Lapponia passim; ex. gr. ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, et ad Kengis Lapponiae Tornensis, 17. Jul. — 22. Aug. lecta. (Lappon.-Bottnia borealis ad Johannis Ro 2. Sept.-Scania frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* ¾ — 1 lin. long. Statura augusta, tenera parum nitida, tota grisea, sed variat etiam corpore obscuriori aut pallidiori, et capite pedibusque pallidis, thoracis linea media tenui fusca, scutellum etiam transeunte, alisque hyalinis immaculatis, nervis transversis nec longe remotis, nec appropinquantibus, sed modice distantibus dignota. Antennae flavae, seta fusca. Vertex griseus. Alarum nervi tenuissimi. Halteres et pedes toti pallidi.

**10. D. marginella:** cinereo-nigricans opaca, hypostomate albo, antennis ciliatis, fronte pedibusque flavis; alis hyalinis, nervis, costali atro, transversis remotis; antennis breviter plumatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; marem tantum unicum in umbrosis ad rivulum ad Stensele Lapponiae Suecicae Umensis d. 4. Jul. 1832, unicamque feminam in Schiervoe Nordlandiae Norvegicae d. 27. Jul. 1821, inveni. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Affinis et similis *D. costatae*, a qua tamen colore corporis cinerascenti opaco, antennis paullo longioribus, apice ciliatis, seta brevius plumata, fronte flava, pedibus omnibus pallidis, ut et nervis transversis distincte remotis, abunde dignoscitur. Antennae deflexae, nec incumbentes; flavae, articulo ultimo ovali, superne ciliato, seta nigra. Oculi in viva rufo-ferruginei. Alae albido-hyalinae, nervo costali distincte atro et subciliato; transversis longe remotis. Halteres albi. Pedes toti flavi.

*Obs.* Species Fallenianae: *Dr. variegata, tristis, fuscula, cinerella, flava* et *glabra*, in Suecia inferiori, plus minus raro obviae, in Lapponia a me non observatae.

---

## FAM. 31. OSCINIDES. Fall.

Os nudum. Antennae breves deflexae, apice rotundatae, seta nudiuscula. Frons lata. Oculi rotundi. Alae incumbentes, abdomine paullo longiores, nervis transversis saepius approximatis. Abdomen 5-annulatum. Corpus parvum nudiusculum. Pedes breves validi.

### *Sect.* 1. *Nervuli transversi in medio alae approximati.*

*Obs. Platycephala Culmorum* et *Agrorum* Fall., quarum illa in Gottlandiae paludosis, et haec in Scania et Gottlandia, a me rarissime inventae, in Lapponia non occurrunt.

## 126. Meromyza. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 220. *Musca* Linn. *Tephritis* Fabr. *Oscinis* Fall.

*Corpus* parvum elongatum nudum glabrum subopacum. Antennae oblique deflexae, articulo ultimo rotundato, seta nuda. Hypostoma breve, apertura oris magna. Frons nuda prominula. Abdomen conicum. Alarum nervi, auxiliaris breviusculus ad tertiam costae partem extensus; secundus longitudinalis ultra medium costae continuatus, et tertius etiam recurvatus cum nervo costali ante apicem alae conjunctus; 4tus obsoletus, et 5tus ad marginem alae extensus, 6tus nullus v. vix ejus rudimentum; transversi in disco alae valde approximati. Femora postica crassissima. *Color* pallidus, pictura obscure lineata. *Motu* saltans. *Habitatio* in graminosis, per partem sylvaticam Lapponiae, rarius inferalpinam Nordlandiae et Finmarkiae. *Differentia sexus*; *mas:* ano obtusiori; *femina:* ano acuto. (Spec. Scand. 2, corpore elongato glabro, fronte prominula subnuda, alarum nervo costali cum nervo 3tio longitudinali ante apicem alae conjuncto, et nervis transversis in medio disci perspicue approximatis femoribusque posticis incrassatis, distinctae.)

**1. M. variegata:** pallida, scutello immaculato, thoracis vittis 3, abdominisque punctis triplici serie dispositis, fuscis, femoribus posticis puncto apicis nigro. ♂♀.

Meig. Dipt. 6. 165. 2. (Sub specie sequente apud Fall. latet.)

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* 1¹ lin. long. Augusta glabra, tota pallide flava, aut in viva color virescens, puncto ocellorum nigro. Thoracis vittae aut fuscae aut brunneae. Metathorax niger. Abdomen trifariam nigro-punctatum. Alae hyalinae immaculatae. Halteres albidi. Pedes pallide flavi nudi, tarsis apice fuscis. Femora postica incrassata.

**2. M. saltatrix:** pallida, scutello linea, thorace vittis 3, abdominisque punctis triplici serie dispositis nigricantibus, femoribus posticis immaculatis. ♂♀.

Meig. Dipt. 6. 165. 3. *Musca saltatrix* Linn. Fn. Sv. 2319. vera. *Oscinis saltatrix* Fall. Dipt. Sv. Oscin. 3. 1. ♂♀. *Tephritis minuta* Fabr. Antl. 323. 31.

Hab. in Lapponia passim; a me lecta est in graminosis ad Lycksele Badstutraesk, Naestansjö et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, ad Kengis et Karesuando, Lapponiae Tornensis, nec non ad Alteidet Nordlandiae, et Bossekop Finmarkiae occidentalis, dieb. 30. Jun. — 15. Aug. capta. (Lappon.-Scan. vulgatiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¹ lin. Simillima priori, a qua non differt, nisi thoracis vittis magnis nigricantibus, linea media scutellum etiam transeunte, et puncto in apice femorum posticorum nigro nullo. Antennae superne saepe nigricantes. Oculi ♂ caeruleo-aeneo-micantes; ♀ virides. Pectus saepe nigro-punctatum.

Var. b. palpis apice nigris.

Var. c. ♀ macula magna verticis triangulari abdomineque nigris, incisuris tenuiter flavis; alias var. a. similis; ad Bjoerkvik Nordlandiae d. 14. Jul. rarissime.

## 127. Oscinis. Fabr.

Fall. Dipt. Sv. Oscinides p. 3. Fabr. Latr. *Musca* Linn. *Chlorops* Meig.

*Corpus* parvum oblongum nudum glabrum. Antennae oblique deflexae, articulo ultimo rotundo, seta nuda. Hypostoma breve, apertura oris magna. Frons subprominula, brevissime puberula, macula triangulari nigra nitidissima glabra. Oculi in viva virescentes. Abdomen ovale. Alarum nervi, longitudinalis 3tius aut ante apicem aut in apice alae cum nervo costali conjunctus; transversi in disco sat approximati. Pedes simplices. *Color* niger, pallidus, pictura lineata. *Motu* reptans, lente volans, ante florem vel folium in aëre quasi pendens, antequam ei insidet. *Habitatio* imaginum in gramine pratorum et in agris; larvarum in culmis et in partibus fructificationis graminum; per partem sylvaticam Lapponiae, rarissime inferalpinam Nordlandiae et Finmarkiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso inflexo; *femina:* ano acutiori. (Spec. Scand. 27, corpore oblongo-ovato nudo, fronte subprominula puberula, macula triangulari nitidissima glabra, alarum nervo costali aut ante apicem alae cum nervo 3tio longitud. connexo, aut in apice alae cum nervo 4to longitud. conjuncto, nervis transversis in disco approximatis, ut et pedibus simplicibus, distinctae. Typus generis; *Osc. nasuta.*)

a) Nervus 3tius longitudinalis cum costali ante apicem alae connexus.

**1. O. nasuta:** pallide flava, scutello concolore immaculato, antennarum articulo ultimo, verticis macula triangulari, thoracis lineis subquinis, abdominis fasciis 4 integris, punctisque sterni, nigris, tarsis fuscis, alis fusco-hyalinis. ♂♀.

*Musca nasuta* SCHRANK Ins. Austr. (1781) p. 475 n. 966. vera. GMEL. Syst. Nat. I. 5. 2863. 304. *Chlorops nasuta* MEIG. Dipt. 6. 142. 5. *Oscinis lineata* FABR. Antl. 215. 4? FALL. Dipt. Sv. Oscinid. 4. 2. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae frequenter; scilicet ad Lycksele, Naestansjö, Wilhelmina et Asele, Lapponiae Umensis, ad Kengis et Karesuando, Lapponiae Tornensis, nec non in inferalpinis Nordlandiae ut ad Björkvik, Giebostad et Alteidet, d. 15. Jul. — 15. Aug. capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—2 lin. Tota stramineo-flava. Antennae nigrae, basi flavae. Thoracis dorsum lineis 5 nigris, media integra, lateralibusque 2 abbreviatis cum media saepe fere confluentibus, latis, extimis 2 brevissimis angustis. Punctum utrinque humerale minutum, et macula pectoris, nigra nitida. Macula verticis magna nigra nitida, apice acuminata. Abdomen ovatum depressum testaceum, fasciis dorsalibus 4 fuscis subintegris. Scutellum flavum. Alae fusco-hyalinae, nervis longitudinalibus omnibus rectis, horum 3tio mox ante apicem cum nervo costali crasso nigro conjuncto, 4 et 5 obsoletis, extrorsum sensim evanescentibus. Nervi transversi approximati. Halteres albidi. Pedes flavi, femoribus macula una alterave strigiformi raro perspicua, saepissime obsoletissima, tarsisque, fuscis. Oculi in viva aenei. — Variat minor, abdominis dorso fere toto obscuro pedibusque fusco-testaceis, basi geniculisque flavis.

**2. O. laeta:** pallide flava, scutello concolore immaculato, antennis tarsisque fuscis, verticis macula angusta triangulari, thoracis lineis subquinis abdominisque fasciis 4 abbreviatis punctisque sterni, nigris; alis hyalinis. ♂.

*Chlorops laeta* MEIG. Dipt. 6. 143. 6. *Oscinis lineata* FALL. Dipt. Sv. Oscin. 4. 2. var.

Hab. in graminosis Lapponiae rarissime; non nisi 2 specimina, unum ad Lycksele et alterum ad Wilhelmina d. 21. Jul. inveni. (Lapponia; Ostrogothia ad Wadstena rariss.)

*Mas.* Long. 1 lin. Individuis minoribus *O. nasutae* valde affinis et similis, sed macula verticina angustiori et pictura abdominis, praecipue distincta. Antennae fuscae, intus subpallidiores. Seta fusca. Caput flavum glabrum, macula verticis cordato-triangulari angustata, apice acuto ad antennarum basin extenso, tota caerulescenti atra nitida. Oculi in viva virides, unicolores. Abdomen flavo-testaceum, fasciis 4 transversis abbreviatis nigris, ultima brevissima. Alae hyalinae. Cetera ut in *O. nasuta.*

**3. O. obscurella:** pallide flava, scutello tarsisque obscuris, antennis, verticis macula triangulari magna, thoracisque dorso nigris, hoc lineis 2 flavis; abdomine supra fusco; alis subhyalinis. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae Umensis; ad Wilhelmina d. 16—17. Jul. in copula rarius capta. (Lapponia Suecica meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{3}{4}$ lin. Priori fere longior, sed paullo angustior. *Chlor. lineatae* MEIG. simillima videtur, at scutello in utroque sexu toto fusco-nigricante, nec flavo, distincta. Caput flavum, antennis brevissimis atris, basi fuscis, seta brevi subgeniculata nigra, basi incrassata. Macula verticis exacte triangularis, nigra nitida, apice non usque ad basin antennarum extenso, angulis posticis oculos utrinque attingente. Oculi aenei. Thorax dorso toto nigro, lineis 2 tenuibus, interdum obsoletis, flavis. Pectus pallide flavum, puncto humerali et maculis sterni nigris. Abdomen pra nigro-fuscum, limbo anguste ventreque pallidis. Alae ut in priori. Halteres albidi. Pedes pallide flavi, femoribus maculis strigiformibus fuscis obsoletissimis notatis. Tarsi obscuri.

**4. O. scutellaris:** flava, scutello in medio pallido, antennis, verticis macula triangulari magna, thoracis dorso toto, scutelli limbo abdomineque supra, nigris, tarsis apice fuscis; alis hyalinis. ♀.

Hab. in graminosis Lapponiae Umensis rarissime; ad Lycksele d. 17. Aug. detecta. (Lapponia.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Statura angusta prioris. Caput flavum. Antennae breves, totae atrae, seta brevi nigra. Macula verticis ut in priori, at antice apice acutissimo subelongato antennarum basin fere attingit. Thorax dorso toto nigro nitido; subtus citrinus, maculis sterni nigris. Scutellum flavum, limbo praesertim laterali nigro. Alae pure hyalinae, nervis ut in *O. nasuta* directis. Halteres albidi. Abdomen nigrum, ventre flavo. Pedes flavi, maculis fuscis notati. Tarsi apice obscuri.

**5. O. Cereris:** capite pedibusque testaceis, antennarum apice, verticis macula triangulari magna, thoracis dorso, abdomine toto tarsisque, nigris, scutello pectoreque flavis; alis hyalinis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Oscin. 5. 3. ♂♀. *Chlorops Cereris* MEIG. Dipt. 6. 150. 23. *Chlorops scutellatus* PANZ. Fn. 104. 21 teste MEIG.

Hab. in graminosis Lapponiae passim; in Lapponia Umensis seu meridionali ad Lycksele, Asele et Wilhelmina, d. 10—26. Jul. frequenter, at in Lapponia Tornensi septentrionali non nisi rarissime occurrit, ibique tantum ad Kengis d. 22. Aug. capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Subangustata, nitida. Antennae testaceae, superne extrorsum nigrae, seta elongata albida. Caput testaceum, macula verticis omnino ut in *O. obscurella*; atra nitida. Thorax supra ater nitidus punctatus, callo humerali flavo, puncto nigro. Pectus flavum, sterno nigro-maculato. Scutellum flavum, interdum fusco-testaceum. Abdomen totum nigrum nitidum laeve. Alae hyalinae, in disco umbra fusca. Halteres albidi. Pedes rufo-testacei, tarsis obscuris, tibiis in medio etiam saepe fuscis. Oculi in viva brunnei.

**6. O. messoria:** nigra nitida scutello concolore, capite pallide flavo, antennis maculaque verticis atris, pectore flavo-nigroque vario, femorum tarsorumque basi geniculisque testaceis, alis hyalinis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Oscin. 5. 4. ♂♀. *Chlorops messoria* MEIG. Dipt. 6. 151. 25.

Hab. in Lapponiae graminosis humidis rarissime. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Similis *O. Cereris*, antennis totis, scutello pedibusque maxima ex parte nigris, distincta. Caput flavo-albidum, antennis totis nigris, seta alba. Macula verticis ut in priori. Thorax dorso et scutellum nigra. Pectus nigrum. Alae hyalinae, nervis pallidis, longitudinalibus 4 et 5 obsoletis, 3 versus costam longius ante apicem alae, quam in prioribus inflexo; transversis valde approximatis. Halteres albidi. Pedes ut in diagnosi.

**7. O. ruficeps:** nigra, capite albo-rufescente, antennis apice maculaque verticis nigris, pedibus fusco-ferrugineis, femoribus interdum nigricantibus; alis hyalinis, nervis transversis ante medium disci congestis. ♀.

An *Chlorops tarsata* MEIG. Dipt. 6. 121. 5? (exclus. syn. FALL.)

Hab. ad Lycksele et Umenaes, Lapponiae Umensis, d. 24. Jun. — 7. Jul. rar.; sub lapidibus ad Wittangi, Lapponiae Tornensis, d. 15. Jun. quoque capta. (Lapponia.)

*Fem.* Angusta minuta, vix 1 lin. long. Nigra subnitida glabra laevis. Caput rufum, interdum albidum, genis semper albis. Antennae breves rufae, articulo ultimo apice, setaque nigricantibus. Macula verticis ordinaria triangularis, apice superiori vix ad antennarum basin extenso, lata nigra parum nitida, puncto ocellorum elevato. Thorax, scutellum et abdomen nigra. Alae obscure hyalinae, nervo 3tio longitudinali subcurvato, paullo ante apicem alae in costam flexo; nervis 4 et 5 obsoletis; transversis ante medium alae in unam lineam congestis. Halteres albi. Pedes cum geniculis rufo-picei aut testacei, femoribus in medio late nigricantibus. Var. b. ♂♀. pedibus totis rufis, alias var. a. simillima. Ad Wilhelmina et Umenaes d. 7—18. Jul. cum var. a capta. In Scania etiam eadem semel inventa.

*Obs.* *O. tarsata* FALL. in Lapponia non obvia. *O. saltatrix* FALL. in *Meromyza* nob. quaerenda.

b) Nervus 4tus longitud. cum costali vel in apice vel pone apicem alae connexus.

**8. O. cornuta:** nigra nitida, capite pedibusque flavis, antennis testaceis, seta crassa, maculaque verticis nigra; alis hyalinis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Oscin. 6. 6. ♂♀. *Chlorops cornuta* MEIG. Dipt. 6. 158. 48.

Hab. in Lapponia rarissime; tantum ad Lycksele Lapponiae Umensis, d. 1. Aug., et ad Björkvik Nordlandiae d. 14. Jul. inventa. (Lappon.-Hernösand 29. Aug. - Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1-1\frac{1}{2}$ lin. Statura *O. Cereris.* Nigra nitida, scutello concolore, thoracis dorso pilis brevibus cinereis lineato. Caput flavum, macula verticis triangulari atra nitida, apice ad basin antennarum non extenso. Occiput nigrum. Antennae breves rotundae flavae, seta crassa porrecta nigra. Palpi albi. Alae hyalinae. Nervus 5tus obsoletus. Halteres albi. Pedes flavi, tarsis apice et interdum femoribus tibiisque posticis in medio infuscatis.

**9. O. atricornis:** nigra nitidissima, antennarum seta concolore, abdomine aeneo, pedibus totis flavis, alis fusco-hyalinis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in paludosis ad Wilhelmina detecta d. 20. Jul. (Lappon. Suecica.)

*Fem.* Long. circiter 1 lin. Augusta, statura sequentis. Tota nitidissima glabra. Caput cum antennis totum atrum opacum, seta capillari nigra. Macula verticis ordinaria nitida. Oculi virescentes. Thorax niger, vix aeneo-nitens. Abdomen elongatum aeneum, apice acuminatum. Alae hyalinae, metallice nitentes, ad costam subinfuscatae, nervis omnibus distinctis vel perspicuis. Pedes toti cum coxis et tarsis flavi immaculati.

**10. O. pusilla:** subaenescenti nigra tota, antennarum seta concolore, tibiis anterioribus tarsisque omnibus pallidis; alis hyalinis, halteribus albis. ♂♀.

*Chlorops pusilla* MEIG. Dipt. 6. 157. 42. *Oscinis Frit* var. 3. FALL. Dipt. Sv. Oscin. 7. 9. certe.

Hab. in graminosis, locis aridis, in Lapponia passim; ad Badstutraesk, Umenaes et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, d. 30. Jun. — 17. Jul., et ad Karesuando Lapponiae Tornensis in copula die 15. Aug., capta. (Lapponia Suecica-Scania copiose.)

*Mas.* et *Fem.* Minuta, vix ultra $\frac{1}{2}$ lin. longa, augusta, tota subaenescenti nigra nitida glabra. Caput cum antennis nigrum opacum, seta capillari nigra, macula verticis triangulari magna nitidissima. Oculi aenei. Alae fusco-hyalinae, nervis omnibus perspicuis, longitudinali 5to non abbreviato, transversis in disco approximatis. Halteres albi. Pedes nigri, geniculis, tibiis tarsisque anterioribus, posticorumque tibiarum summo apice tarsisque, flavis.

Var. b. ♂♀. tibiis anterioribus in medio infuscatis, in Lapponia Umensi, ex. gr. in monte subalpino Stoettingsfjellet, nec non in paludosis ad Umenaes d. 7—9. Jul. in copula, capta.

**11. O. atricilla:** tota nigra, antennarum seta pedibusque concoloribus; alis hyalinis, halteribus albidis. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; scilicet in paludosis ad Tresunda nec non in alpe Brattiksfjellet, Lapponiae Umensis, in ipsa nive ambulans; ut et ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae, d. 8—14. Jul. capta. (Lapponia; Johannis Ro Bottniae borealis ♂ 2. Sept. rar.; Gottlandia rarissime)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et summa praecedentis similitudo, a qua non differt nisi colore magis atro, vix metallice nitente, et pedibus totis nigris, tibiis tarsisque anterioribus nigro-fuscis.

**12. O. Frit:** tota nigra, antennarum seta pedibusque concoloribus, tarsis pallidis; alis hyalinis, halteribus albis. ♂♀.

FABR. Antl 216. 5. FALL. Dipt. Sv. Oscin. 7. 9. ♂♀. var 1 et 2. DAHLB. Scand. Ins. Lund. 1837. *Musca Frit* LINN. Fn. Sv. 1851. vera.

Hab. in graminosis locis aridis in Lapponia passim; scilicet, in Lapponia Umensi ad Wilhelmina et Åsele frequenter; in Lapponia Tornensi usque ad Cataractam Wackokoski, limitem Abietis; nec non in Nordlandia ad Björkvik et Dyroen, passim; a d. 5. Jul. usque ad 2. Sept. visa. (Lapponia-Scania ubique, tota aestate frequentissime; larva in Hordei glumis grana destruit, teste LINN.)

*Mas* et *Fem.* Minutissima, vix ¹ lin. long. Tota nigra nitida, halteribus tarsisque praesertim posticis, tantum pallidis. In ceteris *O. pusillae* similis. Oculi in viva aenei. Varietas: „metatarso tantum albo," FALL. l. c. var. 4., in Lapponia etiam occurrit. Antennarum seta in hac specie nigra vel fusca est, sed certo luminis situ albicat.

**13. O. cincta:** nigricans nitida, hypostomate ferrugineo, antennis testaceis, seta fusca, fronte antice lutea, abdominis basi pedibusque flavis; alis hyalinis; thorace trisulcato. ♀.

*Chlorops cincta* MEIG. Dipt. 6. 162. 59. certe.

Hab. in Lappon. rarissime; in Pinu ad Muonioniska Lapponiae Tornensis die 17. Aug. unicum specimen inveni. (Lapponia —?)

*Fem.* Long. fere 1 lin. Caput flavo-rufum, vertice nigro, macula triangulari atra nitida. Antennae parvae rufae, apice nigricantes, seta fusca. Thorax cinereo-nigricans nitidus, brevissime pubescens, dorso sulcis 3 profunde exarato. Scutellum concolor. Abdomen ovatum nigrum nitidum, segmentis 1 et 2 obscure luteis. Venter piceus. Alae hyalinae, nervis ut in *O. cornuta*, transverso ordinario subobliquo. Halteres et pedes flavi.

**14. O. albipalpis:** cinerascens, abdomine nigriore, hypostomate fronteque antice albo-flavis, antennis atris, pedibus pallidis, femoribus tibiisque in medio late nigris; alis fusco-hyalinis. ♂♀.

*Chlorops albipalpis* MEIG. Dipt. 6. 163. 60?

Hab. in Lapponia rarissime, tantum ad Karesuando Lapponiae Tornensis, et ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae d. 14. Jul. — 15. Aug. a me parce capta. (Lapponia —?)

*Mas* et *Fem.* Omnium fere minutissima, vix $\frac{1}{2}$ lin. long. Parum nitida. Caput albo-flavum. Antennae atrae, seta fusca. Vertex cinereus, macula triangulari nigricante, parum nitida. Thorax cinereus. Abdomen nigrum nitidum. Alae hyalinae, halteribus pallidis. Pedes nigricantes, geniculis, tibiarum apice tarsisque flavis, rarius fere toti flavi.

Variat tibiis totis flavis, forte *Chlorops albipalpis* MEIGENI genuina, at palpi in nostris speciminibus apice nigri videntur. In ceteris conveniunt. Affinis etiam *Oscin. frontellae* FALL., sed thorax non lineatus.

**15. O. nana:** nigricans parum nitida, antennis atris, seta fusca, macula frontis parva lutea, pedibus nigris, geniculis tarsisque flavis; alis hyalinis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi; ad Karungi et Wittangi 27. Maj. — 10. Jun. capta. (Lapponia.)

*Mas.* Long. $\frac{3}{4}$ lin. Statura et affinitas *O. pusillae*, magis cinerascenti nigricans. Caput nigrum, fascia frontali supra antennas fulva. Macula verticis ordinaria opaca vix a nigredine verticis distinguitur. Antennae atrae. Abdomen elongatum nigrum subnitidum, tenuissime subpubescens. Alae hyalinae, nervis pallidis. Halteres albi. Pedes nigri, geniculis, tibiarum apice tarsisque totis flavo-testaceis.

**16. O. lineella:** thorace cinerascenti nigro, lineis 3 obscuris, abdomine nigro, capite, antennis pedibusque flavis, macula verticis atra; alis hyalinis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Oscin. 8. 12. ♂♀. *Chlorops lineella* MEIG. Dipt. 6. 162. 58.

Hab. in Lapponiae Pinubus rarius; ad Bossekop Finmarkiae d. 7. Aug. 1821, et ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 14. Aug. 1832, parce legi. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. $\frac{2}{3}$ lin. Similis *O. cinctae*, magis cinerascens, abdomine immaculato, thoracis striis non tam profunde exaratis etc. distincta. Caput flavum, vertice plus minus nigricante, relicta interdum tantum macula atra. Antennae parvae testaceae, apice interdum nigrae, seta fusca. Alae hyalinae, nervis tenuibus. Halteres albi. Pedes flavi, femoribus tibiisque in medio interdum subinfuscatis.

*Obs.* FALLENI species: *Osc. palposa*, *maura*, *frontella* et *Pumilionis* in Lapponia a me non visae.

## 128. Madiza. FALL.

FALL. Dipt. Sv. Oscinides p. 8. *Chloropis*, *Gymnopae* et *Agromyzae* species MEIG.

*Corpus* minutum oblongo-ovatum subdepressum glabriusculum nudum. Antennae oblique deflexae brevissimae parvae rotundae, propius ad os insertae, seta nuda. Hypostoma breve impressum, ore subporrecto. Proboscis longa geniculata s. hamum subulatum formans. Palpi exserti, in nostris filiformes. Oculi magni rotundi brunnei unicolores. Frons puberula, anterius sensim decliva. Abdomen ovatum. Alarum nervi ut in subdivisione b. *Oscinidis*, nervo transverso ordinario saepe oblique ducto. Pedes validi nudi. *Color* niger. *Motus*, *habitatio*, *victus* et *differentia sexus* ut in genere *Oscinide*. (Spec. Scand. 7, corpore oblongo-ovato nudo, fronte puberula, antrorsum sensim depressa, antennis propius ad os insertis, hypostomate impresso, apice porrecto, proboscide hamata, macula verticis triangulari minori nitida, alarum nervis costali aut in apice aut pone apicem alae cum nervo 4to connexo; transversis in disco approximatis, ut et pedibus simplicibus, distinctae.)

**1. M. oscinina:** punctata nigra subnitida, vertice thoraceque puberulis, genubus tarsisque pallidis; alarum nervis validis, halteribus albidis. ♂♀.

*Mas:* antennis nigris.

*Fem.:* antennis ferrugineis.

FALL. Dipt. Sv. Oscin. 9. 2. ♂♀. *Chlorops nitida* MEIG. Dipt. 6. 161. 55. ♀.

Hab. in Lapponiae graminosis passim; ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, et ad Karesnando Lapponiae Tornensis, d. 17. Jul. — 15. Aug. frequentius a me lecta. (Lapp.-Ostrog. freq.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—1¼ lin. Ovata robusta nitida, undique fere puberula, sed setulis distinctis, praeter 2—4 in apice scutelli magni, nullis. Caput a latere inspectum ore porrecto et fronte anterius decliva triangulari, totum atrum opacum, macula verticis glabra nitida. Antennae in ♂ nigrae, in ♀ testaceae, seta brevi nigra. Thorax distincte punctatus. Abdomen laeve. Alae sat latae, hyalinae, interstitiis nervorum interdum macula fusca obsoleta. Nervi validi obscuri, costalis in apice alae desinens, et auxiliaris fere ultra tertiam partem costae extensus, reliquis crassiores; transversi in disco approximati, horum ordinarius oblique ductus sat longe a margine alae remotus; longitudinalis 5tus in summum marginem extensus. Halteres albi, clava apice fusca. Pedes nigri non picei, geniculis tarsisque semper flavis aut albidis.

**2. M. glabra:** subtiliter punctulata, aenescenti nigra nitida, vertice, thorace anoque parce setulosis, tarsis pallidis, alarum nervis tenuibus, halteribus nigris. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Oscin. 9. 3. ♂♀. *Gymnopa glabra* Meig. Dipt. 6. 137. 4.

Hab. in Lapponia rarissime; in fenestra ad Bjorkvik Nordlandiae die 14. Jul. inventa. (Lappon.-Scania in fenestris et floribus verno praesertim tempore frequenter.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Priori affinis, sed angustior et specie vere distincta, licet certe ejusdem generis. Caput cum partibus oris omnino ut in praecedente constructum, totum nigrum nitidum setulosum. Thorax nitidissimus subtiliter punctulatus, niger metallice nitens glaber, setulis aliquot in postico et in apice scutelli parvi. Abdomen nigrum nitidum laeve, glabrum, ano parce setuloso. Alae albo-hyalinae, nervis tenuibus pallidis, 4to longitudinali pone apicem alae remoto ac in priori. Halteres nigri. Pedes nigri, tarsis flavis.

*Obs.* Species Fallenianas ***Mad. lavigatum***, *pinguem* et *sordidam* in Lapponia non inveni.

## *Sect. 2. Nervuli transversi in disco alae remoti, horum scilicet ordinario prope in marginem alae interiorem retracto.*

## 129. Gymnopa. Fall.

Meig. Dipt. Eur. gen. 218. Fall. *Eristalis* Fabr.

*Corpus* parvum late ovatum obtusum nitidum glabrum. Antennae incumbentes parvae rotundatae, medio faciei insertae, seta nuda. Hypostoma descendens, infra antennas impressum, apice distincte tuberculatum. Frons convexa nuda. Oculi rotundi. Proboscis apice crassior. Alae hyalinae, nervis longitudinalibus rectis, 4to pone apicem alae cum nervo costali conjuncto, 5to non omnino in marginem summum alae extenso (non tamen ita abbreviato ut in figura Meigeni); auxiliari brevi vix ad tertiam partem costae extenso; transversis in disco remotis, horum ordinario pone medium alae sito. Pedes simplices haud validi. *Color* aenescens. *Motu* nisi sole urente haud agilis; tarde et breviter volat, lente ambulat. *Habitatio* in floribus; in fenestris et parietibus saepe insidens; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus: mas:* ano obtuso, margine oris antico parum producto; *femina:* ano acutiori, margine oris antico distincte producto. (Spec. Scand. 1. nostra, corpore late ovato obtuso nudo, antennis parvis, medio faciei insertis, hypostomate apice tuberculato, fronte convexa, alarum nervis transversis in disco remotioribus, in hac Familia a ceteris distinctae.)

**1. G. aenea**: nigro-aenea nitida, capite pedibusque nigris, tarsis albis; alis albo-hyalinis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Oscin. 10. 1. vera. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 137. 2? *Eristalis subsultans* Fabr. Antl. 246. 68. forte. Sub nomine *Geomyza nitidula* Fall. in Collectionibus Suecorum saepe obvia, olim ita a cel. viro vocata.

Hab. in Lapponia . . . ut in collectionibus borealibus vidi, intra limitem Lapponiae a me frustra quaesita. (Lapp.-Scan. frequentissime.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1$\frac{1}{4}$ lin. Ovalis nuda glabra punctulata. Caput nigrum nitidum glaberrimum, fronte subopaca, macula verticis triangulari lucida. Thorax gibbus aeneus. Scutellum aeneum, setis apicis 2 vel 3 armatum. Abdomen late ovatum depressum aeneum glaberrimum. Alae albo-hyalinae, nervis tenuibus pallidis. Halteres parvi albi. Pedes tenues pilosiusculi nigri, tarsis praesertim posticis flavo-albidis.

*Obs.* Haec species per totam Sueciam et Scaniam frequentissima et in suo genere unica, forte est Fabricii *Eristalis subsultans*: „antennis setariis niger nitidus alis albis immaculatis," Hafniae lecta, nec repugnat Meigeni diagnosis suae *Gymnopae subsultantis*: „obscure aenea, capite pedibusque nigris." Nota autem in *Gymnopa aenea* Meig. „thorace nigro," in nostra specimina, quae thorace *aeneo* gaudent, non quadrat.

---

## FAM. 32. AGROMYZIDES. Fall.

Os mystacinum (in *Heteroneura*, *Leucopi* et in speciebus aliquot *Anthophilinae* et *Agromyzae* subnudum, s. setis spuriis tantum instructum). Antennae breviusculae rotundatae aut apice aculeatae, seta nuda. Hypostoma impressum. Vertex setosus. Alae incumbentes. Nervus transversus ordinarius v. pone medium v. in medio alae situs. Corpus parvum molle. Frons lata. Oculi rotundi. Abdomen 5- raro 6-annulatum (in *Milichia* 4-annulatum). Larvae phytophagae.

---

### Tribus 1. Nervulus transversus ordinarius pone medium alae ductus.

## 130. Heteroneura. Fall.

Fall. Dipt. Sv. Agromyz. p. 2. *Agromyza* Meig. (*Heteroneuram* Meig. cum *Agromyza* rectius conjungi debere putamus).

*Corpus* parvum oblongo-ovatum pubescens, fronte distincte setosa. Antennae subporrectae breves, articulo ultimo ovali, seta nuda. Hypostoma perpendiculare, parum descendens. Seta mystacina nulla. Frons convexa lata opaca setosa. Oculi magni rotundi. Abdomen 5-annulatum. Alarum nervi longitudinales recti, 4to paullo pone apicem alae cum costali connexo, auxiliari duplici ad tertiam partem costae extenso; transversis subapproximatis, at ordinario paullo pone medium disci sito. Pedes simplices. *Color* (in nostra) niger. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in graminosis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae rar. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acutiori. (Spec. Scand 2, antennis ovalibus, ore non mystaceo, oculis magnis et directione nervorum in alis, distinctae.) Typus generis: *Het. muscaria*.

**1. H. muscaria**: nigra opaca, fronte atra, alis obscuris, costa nigriori. ♀.

Fall. Dipt. Sv. Agromyzid. 2. 1. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in Dyroen Nordlandiae etiam specimen unicum d. 21. Jul. 1821 inventum. (Lappon.-Scania rarissime.)

*Fem.* Circiter 1 lin. longa. Oblongo-ovata pubescens, tota nigra opaca. Seta antennarum brevissime subpubescens. Oculi magni. Abdomen ovatum depressum subnitidum. Alae nigricantes, margine interiori subhyalino. Nervus longitud. 6tus nullus. Halteres obscuri. Pedes simplices subsetulosi.

*Obs.* *Het. scatophagina* in Lapponia non occurrit. *Heteron. geomyzinam* Fall. ob os mystaceum et nervulos transversos approximatos ad *Agromyzam* retuli.

---

## 131. Macrochira. Zett.

*Corpus* minoris magnitudinis elongatum angustum parce setosum. Antennae oblique deflexae sessiles orbiculares, seta elongata nuda. Hypostoma non descendens, seta utrinque mystacina elongata. Apertura oris parva ovalis. Proboscis magna. Palpi filiformes. Caput rotundatum. Frons convexa, non prominula. Vertex rigide setosus. Abdomen elongatum nudum 6-annulatum. Alae elongatae. Nervi longitudinales recti: 4tus pone apicem alae cum nervo costali connexus, 5tus ad marginem alae extensus; auxiliaris vix ultra tertiam partem costae ductus; transversi remoti, ordinario non longe a margine alae distante. Pedes haud validi elongati, coxis anticis longis. *Color* pallidus. *Motu* non agilis. *Habitatio* in graminosis et fungis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* abdomine apice longe acuminato. (Spec. Scand. 2, corpore elongato, vertice setoso, antennis orbiculatis, seta mystacina distincta, abdomine 6-annulato, alarum nervis transversis remotis, et pedibus elongatis coxis anticis longis, distinctae.) Nomen generis a μαχρόχειρ, longimanus, derivatur.

**1. M. flava**: flavo-rufa nitida, capite pedibusque nudis, pallidioribus, abdomine, femoribus anticis posticisque apice tarsisque omnibus nigricantibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in fungis terrestribus Lapponiae Tornensis ad Kengis d. 22. Aug. capta. (Lapponia Suecica; Angermannia d. 15. Sept. rariss.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. et forte ultra. Elongata nitida vix vel parum pubescens. Caput flavum, fronte lutea, antice flava. Vertex luteus, puncto ocellorum fusco; setis 7—8 longis rigidis nigris obsitus. Seta antennarum fusca, basi testacea. Thorax rufo-testaceus, dorso lineis 2 pallidioribus, setis aliquot in postico et in scutelli apice nigris. Abdomen nigrum nudum, oviductu ♀ exserto subulato. Alae flavescenti hyalinae, nervo costali obscuro. Halteres albi. Pedes elongati nudi flavi, antici posticique femoribus tibiisque apice, fuscis. Tarsi omnes toti nigricantes. Coxae anticae elongatae flavo-albae.

---

## 132. Anthophilina. ZETT.

*Anthomyza* *) FALL. Dipt. Sv. Agromyz. p. 7. *Opomyzae* species MEIG.

*Corpus* minutum aut minutissimum, oblongo-ovatum, parum pubescens, setis paucis obsitum. Antennae oblique porrectae, sessiles orbiculares, seta mediocri nuda. Hypostoma perpendiculariter subdescendens, parum impressum, seta mystacina plerumque distincta, raro spuria. Proboscis saepe hamata. Frons opaca, antice vix prominula, posterius setosa. Abdomen oblongum 5-annulatum (segmento anali non computato). Alarum nervi, auxiliaris simplex ad tertiam partem costae vix extensus; longitudinalis 4tus aut pone apicem aut in apice alae cum costali connexus; transversi in disco subdistantes, ordinario scilicet paullo pone medium disci sito, a margine tamen paullo remoto. Squama minuta. Pedes simplices tenuissime subpilosi. *Color* griseus, cinereus, obscurus. *Motu* agilis. *Habitatio* in floribus, foliis fruticum et graminosis, locis aridis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acuto. (Spec. Scand. 6, (*Anth. griseola* remota, et ad sequens genus relata). *Agromyzis* valde affines, corpore suboblongo, antennis sessilibus, suborbiculatis, hypostomate perpendiculariter subdescendente, seta mystacina praesente, vertice setoso, abdomine 5-annulato, et praecipue nervis alarum transversis in disco paullo remotis, distinctae.)

**1. A. gracilis:** nigricans, capite, antennis pedibusque pallidis; alis flavescenti hyalinis, nervo 4to longitudinali recto. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Agromyz. 8. 3. vera. ♂♀. *Opomyza gracilis* MEIG. Dipt. 6. 112. 25.

Hab. in floribus et graminosis Lapponiae rarius, tempore praecipue autumnali; ad Kengis et Karesuando, Lapponiae Tornensis, d. 15—22. Aug. capta. (Lappon.-Botnia borealis in aquis ad Johannis Ro 2. Sept. - Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Oblonga augusta glabriuscula subnitida nigra, thorace magis cinerascenti nigro. Caput totum flavum, vertice solum nigricante. Antennae rotundatae flavae, seta capillari nigra. Setae mystacinae paucae tenues spuriae. Oculi magni non late distantes. Frons, vertex, thorax et scutellum setis aliquot obsita. Abdomen nudum. Alae abdomine longiores subflavicantes, nervo auxiliari vix ultra 4tam partem costae extenso. Halteres et pedes simplices, pallide flavi, unguibus tantum nigris. Specimina lapponica corpore magis nigro et pedibus minus pallide flavis, quam in suecicis, saepe observavi, minime tamen diversae speciei videntur.

**2. A. curvinervis:** nigra nitida, antennis pedibusque pallidis; alis hyalinis, nervo 4to longitudinali subcurvato. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 16. Aug. 1832 detecta. (Lapponia meridionalis.)

*Mas.* Long. fere 1 lin. Statura praecedentis eique simillima, sed colore corporis omnino nigro (nec thorace nigro-cinerascenti), alis flavedine vix vel parum tinctis, et praecipue nervo 4to longitudinali in disco alae paullo curvato, ita ut cum costali fere in apice (nec ut in priori pone apicem) alae conjuncto, vere differt. Omnia reliqua exacte ut in praecedente.

*Obs.* valde affinis et similis videtur *Agromyzae glabriculae* MEIG. Dipt. 6. 179. 39. Tab. 61. f. 37. (ala), at nostra species fronte tota flava, occipite tantum infuscato differt a MEIGENI, quae „frontem totam nigram gerit."

**3. A. puberula:** cinerea opaca pubescens, capite rufescente, vertice obscuro, ventre pedibusque fusco-testaceis, alis hyalinis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Muonioniska d. 17. Aug. 1821 inventa. (Lappon. borealis.)

*Mas.* Long. circiter 1 lin. Oblonga opaca pubescens cinerea. Caput flavo-ferrugineum, antennis rufis, seta nigra. Setae mystacinae tenues, paucae. Setae verticis distinctae. Thorax distincte pubescens. Abdomen puberulum grisescens, basi et ventre testaceis. Anus obtusus. Alae albido-hyalinae, nervis tenuibus, costali crassiori, 6to longitudinali ad marginem alae ducto, at obsoleto; auxiliari et transversis ut in priori. Pedes rufescenti testacei subpilosi, fusco-submaculati. Proboscis sat magna videtur et fusca; species tamen in hoc genere aptius, quam in ceteris familiae locatur.

**4. A. pallida:** testacea, capite pedibusque flavis, alis pallidis, abdominis dorso in ♂ nigricante. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Wilhelmina tamen passim visa d. 17—21. Jul. 1832 in copula capta; ad Björkvik Nordlandiae d. 14. Jul. 1821 rarissime quoque inventa. (Lapponia.)

*Mus* et *Fem.* Long. 1 lin. Elongata augusta tenera opaca. Caput totum cum antennis flavum, seta subnuda. Seta mystacina utrinque unica, at setae verticis et setulae oris plures. Oculi aenei vel virescentes. Thorax testaceus albo-submicans. Abdomen testaceum, dorso in ♂ fuscum. Alae elongatae, pallide hyalinae, nervo 6to longitudinali abbreviato. Halteres et pedes toti, pallide flavi, unguibus solis nigris. Affinis *Agromyzae flavae* MEIG., alarum nervo transverso ordin. paullo pone medium disci sito, et abdominis dorso fusco, dignota. *Hemerodromiam* primo obtutu mentiens.

*) *Anthomyza* est genus jam in Muscidum Familia receptum.

ZETTERSTEDT, Insecta Lapponica.

## 133. Leucopis. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 217. *Anthomyza* FALL.

*Corpus* minutum ovatum glabriusculum subnudum, setis verticis, thoracis postici scutellique paucissimis. Antennae subporrectae, infra medium faciei insertae, sessiles orbiculares, seta breviuscula nuda. Hypostoma subperpendiculariter paullo descendens, parum pubescens, setis mystacinis nullis. Apertura oris sat magna, margine antico subelevato. Frons convexa lata glaberrima. Oculi brunnei aeneo-micantes, unicolores. Abdomen ovatum 5-annulatum. Alae abdomine paullo longiores, basi inferius dilatatae, nervis ut in *Anthophilina* fere directis, at nervo auxiliari longiori ultra tertiam partem costae extenso et transversis magis approximatis. Squama alarum parva distincta. Halterum clava globosa. *Color* canus, abdomine basi punctis 2 fuscis picto. *Motu* sat agilis, in foliis saepe quiescens, at perterrita velociter avolat. *Habitatio* in foliis fruticum, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acutiori. (Spec. Scand. 1, *Anthophilinae* affinis, corpore glabriore, ore nudo, alarum nervo auxiliari longiori subduplicato (secundario scilicet approximato) et nervis transversis magis appropinquantibus; et ab *Agromyza* alarum nervo transverso medio in medio fere alae, ordinarioque paullo pone medium ducto, differt.)

**1. L. griseola:** albo-cinerea, abdomine nigro-b punctato antennis atris, striis frontis 2, lineisque thoracis 4, fuscis, geniculis tarsorumque basi flavis; alis albo-hyalinis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. 134. 1? *Anthomyza griseola* FALL. Dipt. Sv. Agromyz. 8. 4. vera. ♂♀.

Hab. in foliis praesertim Populi tremulae junioris in Lapponia passim; ad Lycksele, Åsele, Barrsele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, nec non ad Kengis Lapponiae Tornensis, d. 13. Jun. — 22. Aug. tamen frequentius legi; in foliis Betulae ad Evenäs Nordlandiae d. 18. Jul. rarius quoque inveni. (Lapp.-Dalekarlia-Scan. passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 1 lin. Ovata opaca subpubescens, tota albo-cinerea vel cana. Caput omnino glabrum, setis verticis paucis. Antennae in lamella faciei subelevata insertae, atrae. Oculi magni perpendiculariter suboblongi. Orbita oculorum alba. Lineae frontis 2 nigrae. Thorax lineis dorsalibus 4 fusco-brunneis, lateralibus latis, mediis tenuibus. Abdomen canum, segmentis, 1mo fusco-maculato, 2do bipunctato. Alae albidae, nervis tenuibus, costali distinctiori, transverso ordinario oblique ducto. Squama et halteres albissima. Pedes cani, geniculis et tarsis basi testaceis. Variat thoracis lineis dorsalibus abdominisque punctis, fuscis, obsoletis.

## 134. Milichia. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 216.

*Corpus* parvum ovatum undique pubescens et setulosum, opacum. Antennae oblique porrectae subsessiles orbiculares, seta elongata nuda. Hypostoma breve parum descendens subimpressum. Apertura oris ampla, margine antico subelevato. Setae mystacinae utrinque subbinae, at setulae oris plures. Frons lata opaca, tota setis utrinque ornata; antice non prominula. Oculi rotundi. Abdomen breve ovatum 4-annulatum. Alae abdomine longiores latae, nervis, auxiliari simplici vix ad tertiam partem costae extenso, longitudinalibus rectis, horum 3tio in summo apice alae cum nervo costali conjuncto, 4to et 5to ad summum marginem alae extensis, 6to nullo; transversis subapproximatis, at ordinario paullo pone medium alae sito. Pedes breviusculi validi. *Color* cinereus. *Motu* agilis, reptans. *Habitatio* in foliis fruticum et truncis arborum; per partem sylvaticam Lapponiae et rarius inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus, mas:* ano obtuso; *femina:* ano acutiori. (Spec. Scand. 1, nostra

corpore ovato, undique setuloso, setis mystacinis pluribus, hypostomate subimpresso, alis latis, nervo auxiliari simplici, et abdomine 4-annulato, distincta )

**1. M. ornat** : cinerea, hypostomate albo, antennis pedibusque flavis, nigro-maculatis, alis albo-hyalinis, nervis transversis et macula costali ad basin, punctisque abdominis convexi 6, nigris. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in foliis Salicum ad Lycksele et ad lacum Wojmsjoen Wilhelminae, d. 21. Jul.— 7. Aug. 1832 capta; in trunco arboris vivae ad Bossekop Finmarkiae d. 8. Aug. 1821, specimen femineum quoque inveni. (Lappon. meridion.; Finmark.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—$1\frac{1}{2}$ lin. et ultra. Ovata robusta. Valde affinis et similis videtur *Milichiae maculatae* MEIG. 6. 132. 2. at illa „thorace striis 3 obscuris, abdominis linea dorsali brunnea, femoribus nigris, apice rufo-flavis, et lineas 2 longa describitur, quae notae in nostram, quoad ceteras simillimam, non quadrant. Opaca. Caput latum, rotundatum, supra cinereum, vittis 2 frontalibus obscurioribus; infra album. Antennae breves, articulis basalibus brevissimis nigris, ultimo sat magno orbiculari compresso fulvo, superne puncto nigro. Seta aut albida aut fusca. Palpi apice subdilatati flavi. Thorax et scutellum cinerea immaculata. Pectus utrinque lineis 2 brunneis. Abdomen ovatum convexum cinereum, in singulo segmentorum 2, 3 et 4 punctis 2 subtriangularibus et maculis aliquot ad latera irregularibus fusco-nigris. Alae latae, albo-hyalinae, nervis transversis puncto dilatato, et macula in apice nervi auxiliaris, ubi in costam flectitur, nigris. Nervus auxiliaris in medio quoque nigro-pictus. Interstitium inter nervos auxiliarem et costalem sat latum. Pedes subpilosi, flavescentes, coxis cinereis, femoribus subimmaculatis aut maculis tantum obsoletissimis fuscis, tibiis annulis 2 fuscis, et tarsis nigris, articulis basi angustissime pallidis.

Tribus 2. Nervi transversi in medio alae ita approximati, ut ordinarius non l. vix pone medium ducatur.

## 135. Agromyza. FALL.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 221. FALL. *Heteroneura* MEIG.

*Corpus* minutum aut minutissimum ovatum aut oblongum subopacum undique pubescens et setulosum. Antennae oblique porrectae, subsessiles orbiculares, seta elongata nuda. Hypostoma breve parum descendens, vix impressum. Os margine non elevato. Seta mystacina utrinque unica; setae oris plures. Os raro nudum. Frons et oculi ut in priori genere. Abdomen 5-annulatum. Alae ut in *Milichia*, at nervi, auxiliaris paullo longior, transversi magis in discum retracti, horum ordinarius vix pone (nisi in prima specie) medium alae ductus, a margine paullo longius remotus; longitudinalis 6tus obsoletus. Pedes breviusculi validi. *Color* niger cinereus, raro pallidus. *Motu* valde agilis, inquieta, per folia fere in circulo currens. *Habitatio* in foliis fruticum, in graminosis et agris; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtusiore; *femina:* ano acuto. (Spec. Scand. 36, corpore ovato, undique setuloso, seta mystacina utrinque unica, hypostomate vix impresso, antennis orbiculatis, abdomine 5-annulato, nervis: transverso ordinario vix pone medium alae sito, longitudinalibus 4to saepissime pone apicem alae in marginem excurrente, 6to obsoleto subabbreviato, squamaque parva at perspicua, distincta.)

*Subdiv.* 1. Corpus obtuse ovatum.

* Nervus transversus ordinarius in medio vel mox pone medium alae situs.

a) Frons tota nigra.

† Os mystacinum.

**1. A. reptans:** nigricans subnitida, capite antennisque atris opacis, tibiis tarsisque testaceis, alis hyalinis, nervo transverso ordinario paullo pone medium alae sito, halteribus albis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Agromyzid. 3. 1. var. a. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 168. 1.

Hab. in Lapponiae foliis fruticum rarius. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin. Nigricans parum nitida. Caput totum atrum opacum. Frons et vertex utrinque distincte setosa. Setulae oris plures. Antennae parvae nigrae, seta fusca. Thorax et scutellum nigricantia pubescentia et setulosa. Abdomen ovatum nigrum subnitidum pubescens, ano in ♀ acuminato. Alae hyalinae, nervis fere ut in *Milichia* directis, nervo 6to longitud. magis perspicuo; omnibus subpallidis, costali obscuriori. Squama alba. Halteres magni albissimi. Pedes nigri pubescentes, geniculis, tibiis tarsisque testaceis.

**2. A. nigripes:** nigra subnitida, capite antennisque atris opacis, tibiis tarsisque nigro-piceis, alis hyalinis, nervo transverso ordinario mox pone medium alae sito, halteribus albis. ♀.

MEIG. Dipt. 6. 170. 7.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Barrsele d. 4. Jul. ut et ad Bossekop Finmarkiae d. 4. Aug. semel capta. (Lapponia — ?)

*Fem.* Long. 1 lin. Simillima *A. reptanti*, corpore magis nigro, thorace non cinereo-micante, ut et tibiis tarsisque nigro-piceis, tantum distincta.

**3. A. posticata:** nigra subnitida, capite antennisque atris, opacis, abdominis postico albo-cingulato; alis hyalinis, nervo transverso ordinario mox pone medium alae sito; halteribus albis. ♂?

MEIG. Dipt. 6. 172. 16. certe. ♀.

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime; ad Bossekop d. 8. Aug. 1821 inventa. (Lappon. Norveg. — ?)

*Mas?* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Similis priori; abdominis pictura et ab hac et ab aliis conspeciebus mox differt. Abdomen ovatum, segmentis 2 anticis nigris, reliquis 3 flavo-albis, 3 et 4 summa basi fuscis. Abdomen versus apicem angustatum, ipso vero ano obtuso; an igitur ♂? Oculi in viva rufo-brunnei. Alarum squama et halteres albissima. Geniculi et tarsi picei. Reliqua ut in *A. nigripede*.

**4. A. ambigua:** nigra nitida, capite opaco concolore, alis albo-hyalinis, nervis, transverso ordinario mox pone medium alae sito, longitudinalibus 3 et 4 apice divergentibus, halteribus albis. ♂♀.

*Agr. reptans* var. d. *ambigua* FALL. Dipt. Sv. Agromyz. p. 4.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Muonioniska d. 17. Aug. capta. (Lapp.-Scan. in copula pass.)

*Mas* et *Fem.* $\frac{3}{4}$ lin. long. Simillima *A. nigripedi*, paullo minor brevior, forte magis nitida, alis brevioribus, magis albo-hyalinis, distincta. Alarum nervi longitud. 3 et 4 non omnino paralleli, sed ad apicem nonnihil magis distantes, quam in medio.

**5. A. nigra:** tota nigra opaca pubescens, alis hyalinis, nervo transverso ordinario mox pone medium alae sito, halteribus albis. ♂♀.

Hab. in Dowre, in copula mense Julio a D. BOHEMAN capta. (Lappon.-Gottland.; Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin. Magnitudo et affinitas *Agr. reptantis*, corpore minus nitido et colore pedum diversa. Tota nigra. Halteres albi. Alae pure hyalinae, nervis ut in *A. ambigua* directis. Nervus costalis crassus niger, cum 3tio longitudinali in medio alae connexus.

**6. A. pulicaria:** brevis tota nigra nitida, capite opaco, antennis halteribusque concoloribus; alis hyalinis, nervo transverso ordinario in medio alae sito. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. 170. 5. ♂♀. Sub *A. reptanti* v. d. *ambigua* FALL. latet.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Lycksele in copula. (Lapponia; Scania rarissime.)

*Mas.* et *Fem.* Long. $\frac{1}{2}$ lin. Breviter ovata, abdomine rotundato, tota atra nitida. Frons atra opaca, macula verticis parva nitida. Oculi brunnei. Alae pure hyalinae fere aqueae, breviusculae latae, nervo costali atro, nervis transversis paullo magis approximatis, quam in antecedentibus. Reliqui nervi ut in *A. ambigua* directi. Squama minuta nigra. Halteres nigri, qua nota a prioribus facile distinguitur haec species. Pedes toti nigri.

**7. A. laterella:** nigra subnitida, proboscide halteribusque albis, abdominis basi lateribus flavis, alis hyalinis, nervo transverso ordinario in medio alae sito. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 16. Aug. semel capta. (Lapponia meridionalis.)

*Mas.* Pusilla, $\frac{3}{4}$ lin. long. Similis *A. reptanti*, minor et abdominis lateribus flavis dignota. Tota nigra. Caput nigrum opacum, proboscide alba. Abdomen ovatum nigrum, segmentis 1, 2 et 3 lateribus distincte flavis. Alae hyalinae, nervis tenuibus, at perspicuis, longitudinali 3tio cum costali mox ante apicem alae connexo, 4to fere in apice vel mox pone apicem alae excurrente. Squama parva et halteres, distincta alba. Pedes nigri.

*Obs.* *A. aeneo-ventris* FALL. mihi in Lapponia non obvia.

†† Os nudum, setis mystacinis nullis. An hujus generis vel proprii?

**8. A. punctella:** cinerea, capite pedibusque nigricantibus, geniculis tarsisque testaceis, abdominis punctis 2 brunneis, alis hyalinis, halteribus albis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Wilhelmina d. 17. Jul. inventa. (Lapponia.)

*Mas.* Minuta, ½ lin. longa. Statura corporis *A. pulicariae.* Caput (in exsiccata) nigrum opacum, nudum, praeter setas verticis ordinarias. Antennae sessiles orbiculares nigrae, seta parva nigra. Os nudum, margine antice subelevato. Thorax dorso niger (an etiam in viva?), limbo anguste cinereo. Abdomen cinereum, segmentis 1 et 2 maculis, 3tioque punctis binis brunneis; reliqua segmenta immaculata. Alae hyalinae, nervo auxiliari paullo longiori, et nervo ordin. transverso nonnihil magis pone medium alae sito, quam in *A. ambigua.* Nervi longitudinales 3 et 4 paralleli, illo cum nervo costali pone apicem alae conjuncto. Squama et halteres albissima. Pedes cinerascentes, geniculis tarsorumque basi testaceis. Affinis *Milichiae*, ore nudo et abdomine 5-annulato, distincta.

**9. A. nudiceps:** nigra, capite pedibusque concoloribus, geniculis testaceis, alis albis, halteribus niveis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Muonioniska d. 17. Aug. lecta. (Lapponia borealis.)

Descriptio insecti exsiccati. *Fem.* Magnitudo, statura corporis, structura partium et omnia ut in priori, modo alis magis albis, abdomine nigro immaculato et tarsis nigricantibus, distincta. Nec locus natalis idem. Abdomen et thorax breviter pubescentia. Pedes cinerascentes, geniculis testaceis.

b) Frons flava.

*Agromyza fulvipes* MEIG. (seu *Agr. reptans* var. b. FALL.) in Suecia passim, in Lapponia vix, occurrit. *Agromyza flavipes* FALL. Dipt. Sv. Agromyz. 5. 6. ♂♀. deleatur, etenim non est *Anthomyza gracilis* FALL. Dipt. Sv. Agromyz. 8. 3. (*Anthophilina gracilis* mihi), ut ex Museo Clar. Auctoris, quod jam in possessione mea est, videre mihi licuit.

** Nervus transversus ordinarius paullo ante medium alae situs.

a) Fronte tota nigra.

*A. tibialis* FALL. ut et *A. lateralis* mihi (seu *A. reptans* var. c. FALL.) in Lapponia a me non observatae.

b) Fronte flava.

**10. A. Virgo:** nigra nitida, capite, antennis, thoracis vitta laterali femoribusque flavis, scutello pallido, latere utrinque puncto atro, tibiis tarsisque nigris. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in graminosis ad Umenaes d. 7. Jul. inventa. (Lapponia meridionalis.)

*Fem.* Pusilla, long. fere ¾ lin. Affinis videtur *A. orbonae* MEIG. Dipt. 6. 186. 65., sed femoribus totis, nec tantum geniculis, flavis. Nigra nitida. Caput flavum, puncto ocellorum seu stemmatum nigro. Antennae parvae luteae, seta fusca. Thorax vitta laterali flava. Scutellum flavum, puncto utrinque atro. Abdomen nigrum, segmento ultimo margine anguste flavo. Anus ater. Alae hyalinae, nervo longit. 4to in summum apicem alae excurrente. Halteres flavi. Femora flava, puncto ad basin superne nigro. Coxae nigrae. Tibiae et tarsi atra.

*** Nervi transversi ad basin alae retracti (minus tamen quam in Phytomyzidibus), approximati, et fere apice nervi auxiliaris brevis oppositi.

a) Frons nigra.

**11. A. gyrans:** nigra subnitida, alis obscure hyalinis, halteribus niveis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Agrom. 4. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 182. 48.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Novaccolum Umenaes d. 7. Jul. lecta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Pusilla, ½ lin. long. Tota nigra. Caput opacum. Alae obscure hyalinae. Nervi tenues, auxiliaris vix 4tam partem costae superans, cui opponitur nervus transv. ordinarius; 4tus longitudinalis cum costali in apice alae connexus. Halteres nivei.

**12. A. lacteipennis:** nigra nitida, alis lacteis, nervo 4to longitudinali obsoleto, halteribus niveis. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Lapponiae passim; ad Kengis et Karesuando, Lapponiae Tornensis, nec non ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, d. 16. Jul. — 22. Aug. capta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, vix ½ lin. long. Subaenescenti nigra subnitida glabriuscula. Frons opaca, puncto in vertice nitido. Oculi brunnei. Alae lacteae, nervis tenuibus, 4to longitudinali vix perspicuo. Halteres nivei. Nervus longitudinalis 3tius in summum apicem alae excurrit.

**13. A. flavo-scutellaris:** tota atra nitida, scutello flavissimo; alis obscure hyalinis, halteribus flavo-albis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in silva ad Badstutraesk d. 30. Jul. capta. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo et summa affinitas *A. gyrantis*, cui in omnibus simillima, praeter scutellum subquadratum, pulchre et determinate flavum.

b) Frons flava.

**14. A. scutellata:** nigra subnitida, capite, thoracis lateribus scutelloque flavis, pedibus varicoloribus, alis hyalinis. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus fuscis, geniculis, tibiarum apice tarsisque flavis

Var. b. ♂♀. pedibus flavis, tibiis in medio fuscis.

FALL. Dipt. Sv. Agrom. 7. 13. ♂♀. certe, quod mihi ex speciminibus, quae in ipsa Auctoris collectione exstant, persuasum habeo, licet haec „fronte nigra" l. c. decribantur. An etiam *Chlorops scutellatus* PANZ. Fn. 104. t. 21?

Hab. in Lapponia Tornensi rar.; ad Kengis d. 22. Aug. paullo frequentius vidi. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo *A. gyrantis.* Caput totum cum antennis flavum, puncto ocellorum nigro. Thorax niger, lateribus late, et scutello determinate, flavis. Abdomen ovatum nigrum. Alae hyalinae, nervis ut in *A. gyrante* directis. Halteres flavi. Pedes ut in diagnosi.

*Subdiv.* 2 Corpus aut oblongo-ovatum aut sublineare.

**15. A. elongella:** aeneo-nigra, subnitida; capite, halteribus pedibusque nigris, fronte antice picea; alis albo-hyalinis, nervo transverso ordinario paullo ante medium alae sito. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele semel lecta. (Lapponia meridionalis.)

*Fem.* Long. 1 lin. Angusta subnitida, parum pubescens, setulosa, aenea. Caput cum antennis nigrum opacum, puncto verticis nitido, fronte antice obscure rufo-picea. Alae albo-hyalinae, nervis tenuibus, longitudinali 3tio cum costali nigro in apice alae conjuncto: 4to obsoleto; transversis non arcte ante medium alae approximatis; auxiliari brevi, ciliato. Halteres et pedes nigri. — Affinis forte *Agrom. cunctanti* MEIG.

**16. A. lineella:** nigricans, capite, halteribus geniculisque flavis; alis hyalinis, nervo transverso ordinario in medio alae sito. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi passim; ad Kengis et Muonioniska, d. 17—22. Aug. in copula capta. (Lappon. boreal.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Linearis. Caput cum antennis totum flavum opacum, puncto ocellorum nigro. Thorax cinerascens subopacus. Abdomen longissimum nigricans subnitidum. Alae elongatae, fusco-hyalinae, nervis omnibus rectis perspicuis, longitudinalibus 3 et 4 parallelis, horum 4to fere in apice alae excurrente; transversis: ordinario in medio alae sito, et medio nervi auxiliaris apicis opposito. Halteres flavi. Pedes nigri, genubus distincte flavis. Affinis videtur *A. leucocephalae* MEIG, at in illa „antennae nigrae" dicuntur.

**17. A. geomyzina:** nigra subnitida, capite, thoracis linea laterali pedibusque aut flavis aut testaceis, alis hyalinis ad costam fusco-maculatis, nervo transverso ordinario paullo pone medium alae sito. ♂♀.

*Mas:* niger, pictura albida aut flavescenti.

*Fem.:* nigra, pictura lutescenti aut testacea.

Var. a. ♂♀. alarum costa maculis obsoletis fuscis ad apicem plerumque distinctioribus, oculis in viva viridibus purpureo-micantibus.

*Heteroneura geomyzina* FALL. Dipt. Sv. Agrom. 2. 2. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 129. 4. ♂♀.

Var. b. ♀. similis var. a., alarum costa tota nigra, oculis brunneis aeneo-micantibus.

*Heteroneura geomyzina* FALL. l. c. var.

Var. c. ♀. similis etiam var. a., alarum apice distincte infuscato, pedum anticorum tibiis atris tarsisque albis, alarum nervis transversis paullo magis approximatis.

Hab. in graminosis locis uliginosis et paludosis ut et in foliis fruticum Betulae albae et Pini sylvestris etiamque in truncis arborum, raro in fungis; in Lapponia, d. 22. Jun. — 15. Sept. passim; d. 14. Jul. in copula capta; var. a. ad Borgsjoe, Granträsk et Lycksele, Lapponiae Umensis, nec non ad Björkvik Nordlandiae, sat frequenter; larva, et pupa

cylindrica nitida rufa sub cortice Pini inventa exclusa d. 19. Jun., in Lapponia Tornensi captae; var. b. in paroecia Fredrica Lapponiae Aselensis a D. Dahlbom detecta, rar.; et var. c. tantum in Lapponia meridionali et Angermannia a me lecta. (Lapp.-Scan. var. a et b. pass.)

*Mas* et *Fem.* ♂ 1—1¹, ♀ $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin. long. Statura angusta linearis priorum hujus Sectionis, brevissime pubescens, subnitida nigra, setis ordinariis frontis, verticis thoracisque ornata. Caput flavum aut testaceum, vertice et antennarum apice superne plerumque obscurioribus. Seta mystacina utrinque unica distincta, at setulae oris plures. Oculi plerumque aeneo-virides, at in varietate a. ♂ virides. Linea thoracis lateralis utrinque a capite ad alas ducta flavescens. Alae hyalinae, costa magis vel minus infuscata, macula ad apicem plerumque distinctiori. Nervi ut in *Anthophilina pallida* vel etiam in priori directi. Squama parva et halteres albida. Pedes testacei, femorum tibiarumque medio saepe fusco-maculato.

*Obs.* Haec species ceteris hujus Sectionis valde affinis, in genere *Agromyzae* sine dubio rectius locatur, quam ea in aliis hujus Familiae inseritur; nec propium efficere debet, ut voluerunt Domini Fall. et Meig. Ab *Heteroneura muscaria* et *scatophagina* Fall., quae setis mystacinis destituuntur, sat dissimilis deprehenditur haec nostra species, ore mystaceo uti pleraeque ceterae *Agromyzae* gaudens.

*Obs.* *Anthophilina pallida* (No. 4) speciebus hujus generis sat affinis est.

*Obs.* Falleni *Agr. vagans*, *abbreviata*, *obscurella*, *geniculata*, *flaveola* et *flaviceps* a me in Lapponia non visae.

---

## 136. Chlorops. Panz.

Fall. Dipt. Sv. Agromyzid. p. 9. Panz. *Agromyza* Meig.

*Corpus* minutissimum oblongum parum nitidum, setis frontis thoracisque ordinariis ornatum. Antennae porrectae ovatae; apice rotundato aculeo parvo aucto; seta nuda. Hypostoma ut in *Agromyza*. Seta mystacina utrinque unica. Frons et oculi ut in *Agromyza*. Abdomen 5-annulatum. Alae abdomine paullo longiores, hyalinae immaculatae. Nervi longitudinales recti perspicui; horum 4tus in apice alae desinit ibique cum costali conjungitur; 5tus ad summum marginem extenditur, at 6tus obsoletus et abbreviatus; auxiliaris brevis vix tertiam costae partem attingit; transversi in disco subapproximati, at horum ordinarius in medio vel mox pone medium alae ductus. Pedes simplices. *Color* nigricans. *Motu* agilis. *Habitatio* et *differentia sexus* ut in *Agromyza*. (Spec. Scand. 2, *Agromyzis* valde similis, antennarum acumine a numerosis *Agromyzae* generis speciebus facile dignotae.)

**1. C. denticornis**: cinereo-nigricans, abdomine obscuriori, capite, thoracis linea laterali, scutello femoribusque flavis, antennarum articulo ultimo pedibusque atris. ♂♀.

Panz. Fn. 104. 22. certe. *Agromyza denticornis* Meig. Dipt. 6. 175. 25. *Chlorops Meigeni* Fall. Dipt. Sv. Agromyz. 9. 1. ♂♀.

Hab. ut Lapponiae incola mecum communicata, mihi tantum in pascuis aridis Sueciae mediae et meridionalis obvia. (Lapponia? Ostrogoth.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Minuta, vix 1 lin. long. Angustata. Caput flavum opacum, puncto ocellorum nigro. Antennae flavae, articulo ultimo atro, apice superne aculeato, seta nuda fusca. Thorax nigro-cinereus, linea utrinque laterali, et scutello ad partem flavis. Abdomen nigrum, incisuris interdum tenuissime flavis, non tamen tam perspicue ut in figura Panzeri. Halteres et pedes flavi, tibiis fuscis, tarsis nigris. — Affinis et similis *Agrom. flaveolae* Fall., cum qua tamen, antennis rotundatis inermibus praedita, vix confundi potest. *Ochtiphila* antennas apice angulatas et nervum 4tum longitudinalem cum nervo costali pone apicem alae conjunctum habet.

*Obs.* Altera species Scandinaviae seu *Chlorops affinis* Fall. in Lapponia hactenus non obvia.

---

## FAM. 33. PHYTOMYZIDES. Fall.

Os mystaceum. Antennae in medio faciei mox sub fronte insertae, breves rotundatae, seta subnuda. Hypostoma breve impressum. Palpi retracti, parum setulosi. Vertex setosus. Oculi rotundi sat magni. Alae incumbentes, nervis longitudinalibus a basi alae ortis, transversis ad basin propius retractis, ita ut nulli in disco exstent. Frons lata. Corpus parvum. Pedes setulosi. Abdomen 6-annulatum.

---

## 137. Lonchoptera. Panz.

Meig. Dipt. Eur. gen. 132. Panz. *Dipsa* Fall.

*Corpus* parvum lineare glabrum, setulis frontis, thoracis pedumque ornatum. Antennae parvae rotundae, seta fere apicali nuda. Apertura oris magna orbicularis, margine toto distincte setoso. Palpi subclavati retracti, brevissime pubescentes. Frons lata, rigide setosa. Alae abdomine multo longiores lanceolatae, nervis: auxiliari brevi, ante cujus apicem nervi transversi congesti; longitudinali 4to furcato. Halteres elongati. Pedes simplices setulosi, postici longiores. *Color* pallidus, griseus. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in graminosis locis plerumque uliginosis. *Differentia sexus* perspicua; *mas:* ano longe inflexo, nervo alar. longitudinali 5to bis furcato, at 6to simplici in marginem alae excurrente; *femina:* ano acuto, nervo alarum 5to bis furcato, at 6to non libero ad marginem alae excurrente, sed cum 5to (seu ramulo furcae nervuli 4ti) ad medium fere nervi connexo. (Spec. Scand. 4, antennarum seta apicali, nec dorsali, oris margine toto setuloso, alarum forma et nervorum directione, facillime dignotae.)

**1. L. lutea**: flavo-testacea, antennis et corporis vitta dorsali fuscis. ♂♀.

Panz. Fn. 108. f. 20. ♂. f. 21. ♀. Meig. Dipt. 4. 107. 1. ♂♀. *Dipsa furcata* Fall. Dipt Sv. Phytomyz. 1. 1. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae rar. (Lapp.-Scan. omnium vulgatissima, tota aestate saepe in copula.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$—2 lin. Caput albidum, antennis et ocellorum puncto fuscis. Thorax testaceus, vitta dorsali fusca, in ♂ tenui, in ♀ latiori. Abdomen flavum, vitta dorsali fusca magis l. minus perspicua; in femina abdominis dorsum fere totum fuscescit. Cauda in ♂ longe inflexa. Alae flavedine tinctae, nervo costali nigro. Halteres albidi. Pedes flavi, tarsis apice plerumque infuscatis, tibiis anticis interdum etiam apice fuscis.

**2. L. cinerella**: cinerea immaculata, capite pedibusque flavis. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; ad Lycksele d. 22. Jun. inventa. (Lapponia Umensis-Bottnia orientalis ad Skellefteå d. 6. Maj. rar.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Similis et affinis priori, fere nonnihil minor, et colore distincta. Caput flavum albo-micans, puncto ocellorum nigro. Antennae et seta nuda, fuscae. Setae frontis et oris plures nigrae. Thorax cinereus immaculatus, vitta dorsali nulla, pectore rufescenti-cinereo. Abdomen totum fuscum. Alae, halteres et pedes ut in priori. — Similis videtur *Lonch. lacustri*, *ripariae* et *palustri* Meig. (quae forte non nisi varietates leviores unius ejusdemque speciei efficiunt), sed corpus vitta dorsali obscuriori nulla notatur.

## 138. Phytomyza. Fall.

Meig. Dipt. Eur. gen. 222. Fall.

*Corpus* minutum aut minutissimum, oblongo-ovatum subopacum, fronte thoraceque setulosis. Antennae oblique porrectae rotundatae, seta vix nuda. Hypostoma perpendiculare, seta utrinque mystacina et setulis oris pluribus plerumque distinctis. Apertura oris magna. Partes oris retractae. Oculi rotundi. Frons lata opaca. Alae abdomine paullo longiores, nervis, longitudinalibus omnibus rectis simplicibus ad marginem alae extensis, horum 4to in apicem alae excurrente, 3tio ante apicem alae cum nervo costali conjuncto; 6to subintegro, at valde obsoleto; auxiliari brevi vix quartam partem costae superante; transversis longe ante apicem nervi auxiliaris positis, intima basi alae congestis. Pedes simplices. *Color* cinereus, nigricans, flavus. *Motu* agilis. *Habitatio* in foliis fruticum et graminosis per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. Larvae phytophagae. *Differentia sexus*; *mas:* ano obtuso; *femina:* oviductu vagina brevi, vix erumpente. (Spec. Scand. 20, alar. nervis longitudinalib. simplicibus, horum 4to in apicem alae excurrente, transversi in basi alae et ante apicem nervi auxiliaris brevis simplicis collocatis.)

° Frons nigra.

**1. Ph. obscurella**: nigricans, proboscide halteribusque albis, tibiis genubusque fuscis; alis hyalinis. ♂♀.

Fall. Dipt. Sv. Phytomyz. 4. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 191. 6.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Lycksele, Fredrica et in monte subalpino Stoettingsfjellet, d. 31. Jul. — 4. Aug. lecta; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nord-

landiae, et ad Björkvik d. 14. Jul. in copula capta. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin. Tota nigricans, thorace cinerascenti, proboscide halteribusque albis. Pedes aut saepe toti nigricantes, aut geniculis tibiisque pallidis. Anne sub hac, MEIGENI *Phytomyza nigra* et *atra* etiam latent!

*Obs.* *Phytomyza nigripennis* et *albipennis* FALL. in Lapponia mihi non obviae; *Phyt. nigripennis* in Dalekarlia nuper inventa est a D. BOHEMAN.

°° Frons flava. Alarum nervi longitudinales 2 et 3 distincti, reliqui plerumque obsoleti.

**2. Ph. elegans**: flava, thoracis dorso cinereo, abdominis fasciis fuscis, antennis, ano pedibusque nigris, geniculis pallidis, alis hyalinis. ♀.

MEIG. Dipt. 6. 189. 1. ♀. (omnino convenit cum nostra praeter longitudinem 2 linearum.)

Hab. in graminosis Lapponiae Norveg. rarius; ad Drivstuen in alpe Dowre mense Julio a D. BOHEMAN capta. (Lapponia - Dalekarlia — ?)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Similis *Ph. affini* FALL., scutello pectoreque flavis, nec cinereis, distincta. Opaca setulosa. Caput sulphureo-flavum, fronte antice crocea, puncto ocellorum nigro. Antennae suboblongae nigrae, seta elongata subdeflexa subpubescente fusca. Palpi apice nigri. Thorax dorso cinereo, lateribus et pleuris pallide flavis. Scutellum flavum. Metathorax cinereus. Abdomen flavum, segmentis basi brunneis, unde exstant fasciae 6 fuscae, cum flavedine incisurarum alternantes, eaeque aequaliter latae. Alae hyalinae, nervis ut in *Ph. obscurella* Halteres flavi. Pedes nigri, geniculis distincte flavis. — *Mas* in Dalekarlia captus.

**3. Ph. festiva**: flava, thoracis dorso cinereo, abdomine fasciis valde abbreviatis fuscis, antennis, ano pedibusque nigris, geniculis pallidis, alis hyalinis. ♂.

MEIG. Dipt. 6. 189. 2. ♀. ($1\frac{1}{4}$ lin. long.)

Hab. in graminosis in Dowre cum priori, cujus mas forte est. (Lapponia.)

*Mas.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Simillima priori, a qua non differt, nisi abdomine punctis 2 in medio singuli segmenti brunnei. Anus etiam obtusus, parvus, cinereus. Forte mas praecedentis.

**4. Ph. nigritula**: tota nigricans, fronte luteo-flava, halteribus albis, geniculis anguste pallidis; alis hyalinis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele unicum specimen captum. (Lapponia.)

*Fem.* Minuta, circiter $\frac{3}{4}$ lin. long. Tota nigricans. Caput nigrum fronte testacea, puncto verticis nigro. Occiput nigrum. Antennae rotundae, parvae nigrae, seta breviuscula nuda fusca. Thorax cinereo-nigricans subopacus seu vix nitidus. Scutellum concolor. Abdomen nigrum nitidum, segmento anali summo margine apicali flavo. Alae hyalinae, nervis longitudinalibus 2 et 3 longe ante apicem alae in costam excurrentibus. Halteres albi. Pedes nigri, geniculis summis testaceis.

**5. Ph. albiceps**: cinerascens, capite, thoracis lateribus, scutello geniculisque albis, antennis nigris, abdomine pedibusque fuscis; alis hyalinis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. 194. 20.

Hab. in graminosis Lapponiae Umensis, d. 15. Jul. 1832 capta; deprehenditur quoque in Finmarkia occidentali rarissime, et in Gamsttind d. 30. Jul. 1821 in copula semel inventa. (Lapponia — ?)

*Mas* et *Fem.* Pusilla, $\frac{3}{4}$ lin. long. Opaca cinerea (apud MEIGEN „nigra" dicitur). Caput album, puncto ocellorum nigro. Antennae rotundatae nigrae, seta fusca. Thorax linea laterali utrinque lata alba. Scutellum album. Abdomen fuscum, segmento anali margine apicali albo. Anus praesertim in ♀ niger. Alae hyalinae, nervi ut in priori, at longitudinalibus 2 et 3 non tam longe ante apicem alae in costam exeunt. Nervus costalis obscurior, reliqui tenues pallidiores. Halteres pallidi. Pedes nigricantes vel fusci, genubus albidis. — Oculi in viva brunnei.

**6. Ph. affinis**: cinerea, capite, halteribus, incisuris abdominis, geniculisque flavis, antennis pedibusque nigris; alis hyalinis, nervo auxiliari basi flavo. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Phytom. 3. 3. vera. ♂♀. (Vix MEIG. Dipt. 6. 192. 11. eadem, quae minor et abdomine nigro gaudet.)

Hab. in graminosis Lapponiae Umensis rar.; ad Wilhelmina d. 17. Jul. capta. (Lappon.-Scania pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. usque ad $1\frac{1}{2}$ lin. Cinerea. Caput flavum, puncto ocellorum nigro. Antennae totae nigrae, seta concolori. Palpi apice nigri. Oculi brunnei. Thorax cinereus immaculatus, setis rigidis ornatus. Scutellum concolor. Abdomen brevissime pubescens, non setosum, cinereum, segmentorum margine tenuiter, at distincte flavo, ventre lateribus latius aut angustius flavis. Anus nigricans. Alae hyalinae, nervis ut in *Ph. obscurella* directis, costali nigricante, auxiliari crasso, basi flavo. Halteres flavi. Pedes nigri subnudi, geniculis flavis.

**7. Ph. femoralis**: cinerea, capite, abdominis segmenti ultimi margine, halteribus, femoribus subtus geniculisque flavis, antennarum articulo ultimo pedibusque nigris, alis hyalinis. ♀.

Hab. in Lapponiae Umensis graminosis, ad Wilhelmina d. 17. Jul. rarissime. (Lapponia.)

*Fem.* Long. vix $\frac{3}{4}$ lin. Priori simillima, sed duplo minor et ultra, antennarum basi, abdomine praeter segmenti ultimi marginem apicalem flavum, toto cinereo, et femoribus subtus flavis, distincta. Caput pallide flavum, macula frontali fulva. Oculi in viva brunnei aeneo-micantes. Abdomen linea laterali angustissima flava ornatum. Oviductus ♀ exsertus corneus cylindricus nitidus ater. Alae hyalinae, nervo auxiliari basi pallido. Halteres magni flavi. Coxae anticae femoraque omnia, subtus flava.

**8. Ph. lateralis**: cinerea, capite, halteribus geniculisque albidis, antennis pedibusque nigris; alis hyalinis. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Phytom. 3. 2. vera. ♂♀. MEIG. Dipt. 6. 199. 3. eadem, quae pleuris abdominisque incisuris flavis gaudet, quales notas nostra non habet.

Hab. in Lapponia Umensi rarius, in fenestris ad Lycksele utrumque sexum d. 2 4. Aug. legi; et in paludosis ad Alteidet Finmarkiae in copula d. 31. Jul. inveni; in alpe Dowre etiam a D. BOHEMAN capta. (Lappon. - Wermlandia - Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Opaca. Caput flavo-albidum, puncto ocellorum et antennis totis nigris. Frons distincte setosa. Thorax cinereus immaculatus setosus. Scutellum concolor. Abdomen nudum nigricans, immaculatum, praeter latera praesertim ventralia magis vel minus evidenter testacea, interdum quoque nigra. Alae hyalinae, nervis ut in *Phytom. albicipite* directis. Halteres albi. Pedes nigri, geniculis testaceis.

Var. b. ♀ Paullo major, alarum nervo auxiliari basi, abdominis infima basi macula, lateribus in medio linea, et margine segmenti ultimi, flavis; reliqua ut in variet. a.; in graminosis aridis ad Johannis Ro, Botniae borealis, prope Tornoam d. 2. Sept. rar. capta.

**9. Ph. fuscula**: obscure cinerea, fronte, proboscide, halteribus pedumque geniculis albis; alis hyalinis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lappon. borealis.)

*Fem* Long. 1 lin. Similis priori, sed colore obscuriore, hypostomate nigricante etc. differt. Opaca. Caput nigricans, fronte albo-flava; orbita oculorum frontali albida. Proboscis alba. Antennae nigrae. Thorax et scutellum cinerea immaculata. Abdomen nigricans nudum. Alae ut in priori. Halteres albi. Pedes nigri, geniculis summis albidis.

*Obs.* Species Fallenianae: *Phyt. marginella*, *flava*, *flavicornis*, *flavo-scutellata* et *oscinina*, in Suecia inferiori plus minus raro obviae, in Lapponia vix occurrunt.

## FAM. 34. TRINEURIDES. ZETT. (*Trineurae*°) MEIG.

Os subnudum. Antennae in aperturam oris insertae, saepissime breves parvae et rotundatae (in *Conicera* conicae), seta dorsali nuda. Hypostoma brevissimum. Palpi exserti. Abdomen 6-annulatum. Nervi alarum, auxiliaris et secundarius (seu nervus costalis 1mus et 2dus MEIG.) distincti, crassi, hic ad medium costae saepe extensus, a quo 3 vel 4, nervi longitudinales oblique ad marginem alae interiorem occurrunt; transversi nulli. Pedes validi, coxis longis; postici elongati.

### 139. Trineura. MEIG.

FALL. Dipt. Sv. Phytomyzid. p. 5. MEIG. in ILLIG. Mag. *Bibio* FABR. *Tephritis* FABR. *Noda* SCHELL. *Phora* LATR. MEIG. Dipt. Eur.

*Corpus* parvum minutum gibbum, antice subpubescens, vertice dense, thorace pedibusque parce, setosis. Antennae ad aperturam oris insertae, parvae globosae, seta elongata erecta nuda. Caput declinatum. Palpi clavati setosi. Oculi magni, tota latera implentes, suboblongi distantes. Abdomen incurvum. Alarum nervi longitudinales 3 vel 4 tenues e

°) „*Trineurae*" est nomen plurale *generis* cujusdam, ideoque ut nomen etiam *familiae* ineptum

nervo auxiliari crassiori, circiter in medium costae extenso, emittuntur. Pedes postici dilatati compressi. *Color* ater, niger, pallidus. *Motu* agilissima, inquieta, in foliis reptando ocissime cursitat, more *Platypezae*, cui habitu saepe valde similis. *Differentia sexus; mas*: abdomine subcylindrico, ano obtuso, genitali inflexo, a *femina*: abdomine depresso, subtriangulari, ano acuto, vagina retractili, mox dignoscitur. *Habitatio* in graminosis, fruticibus, sub muscis et in floribus; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae et Finmarkiae. Larvae in Lepidopteris degunt, teste MEIGEN, at secundum BOUCHÉ larvae quarundam specierum in radicibus plantarum vivunt. Ni memoria valde fallax larvae quoque in *Geotrupe nasicorni* degentes a D. MARKLIN semel observatae fuerunt. Status larvarum circiter 14 diebus, puparum 2—3 hebdom. Imagines seriores in statu nymphae hibernant. (Spec. Scand. 27, corpore gibbo, antennis parvis brevibus, ad os insertis, seta dorsali, nervorumque in alis directione, sat distinctae.)

### *Sect.* 1. *Nervus costalis totus nudus.*

**1. T. arcuata**: nigra nitida glabra, palpis ferrugineis, halteribus albis; alis infuscatis, costa inermi, pedibus testaceis muticis. ♂♀.

*Phora arcuata* MEIG. Dipt. 6. 222. 33 *Trineura rufipes* FALL. Dipt. Sv. Phytom. 5. 1. ♂♀. (exclus. syn. FABR.)

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Dalekarlia; Ostrog.-Scan. in copula, freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. 1, fere $1\frac{1}{4}$ lin. Tota nigra subnitida nuda. Setae verticis adsunt. Palpi testacei. Latera pectoris interdum rufescunt. Alae fuscae. Nervi longitudinales 4, quorum 1mus arcuatus, ante apicem versus costam flectitur. Nervus costalis omnino inermis, nec ciliatus. Halteres albi. Pedes testacei mutici.

*Obs. Trineura rufipes* FABR. ad *Trineur. vulgarem* FALL. seu *Trin. rufipedem* nobis pertinet.

### *Sect.* 2. *Nervus costalis* (*a basi usque ad longitudinem nervi auxiliaris*) *distincte ciliatus.*

a) Corpore nigricante (thorace in prima specie rufescente.)

* Nervi alarum, longitudinales 4, in ♀ interdum 3; auxiliaris apice bifurcatus.

**2. T. thoracica**: nigra, thorace rufescente, antennis lividis, palpis pedibusque testaceis, halteribus albidis; alis fusco-hyalinis, nervo costali tenuiter ciliato, longitudinali 1mo basi curvato in apicem alae excurrente. ♂♀.

MEIG. Klassific. 1. 2. 313. 2. FALL. Dipt. Sv. Phytom. 6. 3. ♂♀. *Phora thoracica* LATR. gen. Ins. 4. 360. Tab. 15. f. 12. MEIG. Dipt. 6. 214. 8.

Hab. in Lapponiae truncis arborum rarius; ♀ sub ligno sicco ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis 20. Jun.; et ♂ in umbrosis ad Lycksele et Granträsk, d. 31. Jul. — 4. Aug. capti. (Lapp.-Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem*. Inter majores generis, long. ♂ 1—$1^1$, ♀ 2 lin., et saepe ultra, magnitudine valde varians, uti pleraeque hujus generis. Parum nitida. Caput nigrum, antennis testaceis, palpis pallidioribus. Oculi nigro-brunnei. Thorax et scutellum rufa, interdum fusco-maculata. Abdomen nigrum opacum, glabrum. Alae hyalinae, apice infuscatae. Nervus auxiliaris apice furcatus. Nervus longitudinalis 4tus obsoletior. Halteres pallidi. Pedes flavo-testacei, tibiis parce spinulosis.

**3. T. rufipes**: nigra parum nitida, antennis brunneis, palpis pedibusque fusco-lividis, halteribus albidis, alis hyalinis, nervis, costali fere ad medium costae extenso distincte setoso, longitudinali primo basi curvato, fere in apicem alae excurrente. ♂♀.

FABR. Antl. 336. 1. teste MEIG. *Phora rufipes* MEIG. Dipt. 6. 216. 15. *Trin. vulgaris* FALL. Dipt. Sv. Phytom. 6. 5. ♂♀. sub qua plures species latent.

Hab. in Lapponia rarius; sub lapidibus ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 13. Jun., nec non ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae d. 14. Jul. capta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. 1 lin. Fusco-nigra parum nitida. Palpi et pedes lividi, saepe subinfuscati. Tibiae posteriores praeter spinas ordinarias in apice, muticae. Nervi: costalis ad medium costae fere extensus sat longe ciliatus; longitudinalis 4tus saltem in altero sexu distinctus. Alae non pure hyalinae. Halteres albidi.

**4. T. pulicaria**: nigra parum nitida, antennis brunneis, palpis pedibusque fusco-lividis, halteribus albidis; alis hyalinis, nervis, costali paullo ultra medium costae extenso, longe setoso, 1mo longitudinali basi curvato, fere in apicem alae excurrente. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Phyt. 7. 6. vera. ♂♀. *Phora pulicaria* MEIG. Dipt. 6. 217. 16? an etiam *Phora ruficornis* MEIG. Dipt. 6. 218. 21?

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, ad Wittangi 10. Jul. capta. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem*. Long. $\frac{3}{4}$ lin. Simillima priori, saepe paullo minor, nervo costali paullo longiori et longius forte piloso distincta. Var. b. ♀. duplo major et ultra, alias var. a simillima; in Salice ad Junosuando Lapponiae Tornensis d. 9. Jun. unicum individuum inveni. (Lapponia.)

**5. T. sordida**: nigra opaca, halteribus, tibiis tarsisque anticis ferrugineo-testaceis, alis hyalinis, nervis, costali ad medium fere costae extenso, modice ciliato, longitudinali 1mo basi curvato, fere in apicem alae excurrente. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Lycksele et Åsele, Lapponiae Umensis, ad Karesuando Lapponiae Tornensis et ad Giebostad Nordlandiae, d. 22. Jul. — 15. Aug. lecta. (Lapponia; ♀ Smolandia D. BOHEMAN rar.)

*Mas* et *Fem*. Long. 1 lin. Similis *T. rufipedi*, palporum pedumque colore praesertim distincta. Fusca nigra opaca. Antennae et palpi concolores. Frons lata, setosa. Abdomen glabrum. Alae hyalinae, nervis ut in *T. rufipede* directis. Costa distincte et sat longe ciliata. Nervi omnes longitudinales tenues quidem, at perspicui. Halteres rufi. Pedes, praeter spinas ordinarias in apice tibiarum posteriorum, mutici, nigri; antici geniculis, tibiis tarsorumque basi testaceis. Tarsi posteriores picei. Variat etiam tibiis posterioribus piceis.

**6. T. zonata**: nigra, palpis, halteribus pedibusque lividis, abdominis medio fascia lata alba, alis hyalinis; nervis, costali in medium costae extenso distincte ciliato, longitudinali 1mo subcurvato, mox ante apicem alae excurrente, ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele 1. Jun. semel inventa. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo et summa *T. pulicariae* similitudo, nec ab illa differt nisi abdominis medio fascia lata ventreque toto, lacteis.

**7. T. humeralis**: nigra opaca, antennis, palpis, macula utrinque humerali, halteribus pedibusque livido-testaceis; alis hyalinis, nervis, costali ad medium costae extenso, distincte ciliato, longitudinali 1mo ad basin curvato, mox ante apicem alae excurrente ♀.

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime; ad Talvig d. 2. Aug. semel lecta. (Lappon. septentrional.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Similis *T. thoracicae* eique affinis, sed differt thorace nigro, macula tantum humerali rufa, costa longius pilosa et nervo longitudinali 1mo paullo ante apicem alae excurrente. Alae fusco-hyalinae immaculatae. Nervi 4 longitudinales omnes distincti. Tibiae posticae latere externo ciliato.

*Obs. Trin. abdominalis* FALL., a me rarissime in Scania capta, in Lapponia non occurrit.

** Nervi alarum longitudinales 3; auxiliaris apice simplex.

**8. T. aterrima**: tota atra, geniculis tibiisque anticis testaceis aut piceis; alis vitreis, nervis: longitudinali 1mo basi curvato in summum apicem alae excurrente, costali ad medium costae extenso non longe ciliato. ♂♀.

*Mas*: aterrimus holosericeus, fronte angustata, alarum nervo 4to longitudinali obsoleto.

*Fem.*: atra opaca, fronte latiori, alar. nervo 4to longitudinali vix perspicuo, fere nullo; multoties in copula.

FABR. Antl. 323. 35. ♂. *Phora aterrima* MEIG. Dipt. 6. 224. 37. ♀. (an etiam ♂?), ubi species „pedibus testaceis" describitur. *Trineura atra* FALL. Dipt. Sv. Phyt. 7. 7. vera. ♂♀. An *Phora velutina* MEIG. Dipt. 6. 224. 38. est ♂ hujus speciei genuinus?

Hab. in Lapponiae silvis et fruticibus passim, sub lapidibus locis aridis etiam verno tempore saepe obvia; ad Lycksele, Barrsele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, et ad Wittangi Lapponiae Tornensis, capta, in inferalpinis Nordlandiae vel Finmarkiae a me non visa. A d. 15. Jun. usque ad 21. Jul. in Lapponiis Suecicis a me observata. (Lappon.-Hernösandia ♂♀ 3. Aug.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem*. 1—$1\frac{1}{4}$ lin. long. Tota opaca, ♂ aterrimus holosericeus, ♀ atra. Caput cum antennis et palpis atrum. Oculi in ♂ aut purpurei aut aenescentes. Alae pure hyalinae seu aqueae. Nervi: costalis ad medium costae ducitur, tenuiter quidem sed tamen distincte ciliatus; auxiliaris apice simplex; secundarius in medio nervi costalis ad eundem curvatur; longitudinales 3 tenues, at perspicui; 4tus obsoletissimus, in ♀ tantum rudimento. Halteres nigri. Pedes nigri, geniculis tibiisque anticis testaceis interdum fuscis. Tarsi antici etiam saepe testacei. Tibiae intermediae latere externo spinosae. Variat geniculis omnibus summis testaceis.

Var. b. ♂♀., paullo minor, costa nonnihil longius pilosa, oculis ♀ nigris, alias varietati a simillima. In Lapponia Umensi ad Lycksele, Naestansjoe, Wilhelmina et Fredrica, 1—30. Jul., nec non in Lapponia Tornensi, ex. gr. in floribus ad Karungi d. 22. Maj. sub cortice Pini ad Wittangi d. 13. Jun. capta; ♂ et ♀ in silva ad Juckasjervi d. 21. Jun. in copula saepe visa. (Lapp.-Scan. freq. et forte haec MEIGENI genuina.)

**9. T. stictica:** tota atra, geniculis tibiisque anticis testaceis, alis brunnescentibus, nervis, longitudinali 1mo basi curvato in summum apicem alae excurrente, costali fere ultra medium costae extenso, sat longe ciliato. ♂♀.

*Mas:* aterrimus holosericeus, fronte angustata, alarum nervo longitudinali 4to obsoleto.

*Fem.:* atra opaca, fronte latiori, alarum nervo 4to longitud. fere nullo, alis minus brunneis; in copula.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in Abiete ad Lycksele d. 1—5. Jun. in copula capta; mascula individua choreas frequenter ducunt. (Lapp. Suecica-Ostrogothia rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1—1¼ lin. Simillima priori, plerumque nonnihil major, alis brunnescentibus, ut et nervo costali forte paullo longiori paulloque longius piloso, certe distincta.

*Obs.* *T. mordellaria* FALL. in Lapponia hactenus non observata fuit.

b) Corpore flavescente. Alarum nervi: auxiliaris apice bifurcatus; longitudinales omnes perspicui, at tenues; horum 1mus basi curvatus, mox ante apicem (nec in ipso apice) excurrit, 4tus vero ceteris nonnihil obsoletior.

*Trin. thoracica*, thorace rufescente, vide antea in subdivisione a., sub No. 2.

**10. T. flava:** tota flava, halteribus pedibusque pallidioribus, abdominis dorso tarsisque subinfuscatis, tibiis muticis; alis hyalinis, nervo costali fere ultra medium costae extenso, brevissime ciliato. ♂♀.

FALL. Dipt. Sv. Phyt. 7. 8. vera. ♂♀. Descript. var. „nervo alar. costali ultra medium costae descendente, brevissime ciliato."

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Ostrogothia in paludosis freq.; Scania rar.

*Mas* et *Fem.* Pusilla, vix 1 lin. long. Tota flava, vertex saepe brunnescens. Abdomen testaceum, dorso magis vel minus infuscato, interdum tantum umbra fusca tinctum. Alae impure hyalinae, nec vitreae, nervo costali paullo longiori et minus longe ciliato, quam in sequentibus. Pedes pallide flavi, praeterque spinas ordinarias in apice tibiarum, omnino mutici. Tibiae posticae extus et tarsi omnes, leviter infuscata. — Variat puncto in singula coxarum geniculisque femorum posticorum, nigris.

**11. T. lutea:** tota lutea, halteribus pedibusque pallidioribus, tarsis subinfuscatis, tibiis muticis; alis hyalinis, nervo costali ad medium costae extenso, longe ciliato. ♀.

*Phora lutea* MEIG. Dipt. 6. 220. 25. certe. *Trin. flava* FALL. Dipt. Sv. Phyt. 7. 8. var. „corpore toto flavo."

Hab. in Lapponia rarius; in graminosis paludosis, umbrosis fertilibus ad Grantrask et Lycksele d. 31. Jul. — 2. Aug. sexus femineus captus; ♀ etiam in foliis Betulae ad Muonioniska Lapponiae Tornensis rarius lecta d. 17. Aug. (Lapp.-Ostrogothia in uliginosis umbrosis freq. valde mobilis.)

*Fem.* Long. 1 lin. Similis priori, fere paullo robustior, colore corporis paullo saturatius flavo seu luteo, nervo costali nonnihil breviori et longius distinctiusque ciliato sive subpiloso, aperte distincta. Punctum ocellorum nigrum. Variat uti praecedens macula in apice femorum posticorum fusca. — Tarsi leviter infuscati.

**12. T. interrupta:** tota lutea, halteribus pedibusque pallidioribus, femorum posticorum apice tarsisque omnibus subinfuscatis, tibiis posticis extus pilosis; abdominis fasciis 6 interruptis nigris; alis hyalinis, nervo costali fere ultra medium costae extenso brevissime ciliato. ♀.

*Trin. flava* FALL. Dipt. Sv. Phyt. 7. 8. var. certe. *Phora flava* MEIG. Dipt. 6. 219. 24. forte, licet nervus costalis „*longe ciliatus*" dicatur.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ibi non obvia, ab alio Collectore ut Lapponiae incola mecum communicata. (Lapponia; Ostrog.-Scania in graminosis umbrosis humidis rar.)

*Fem.* *Trin. flavae* simillima, colore tamen corporis paullo saturatius flavo, abdominis lateribus punctis 6 nigris, et tibiis latere exteriori ciliato seu piloso, vere distincta. Abdomen flavum, fasciis 5 l. 6 nigris, 1 et 2 plerumque integris, reliquis in medio interruptis, unde exstant totidem puncta lateralia nigra. Femora postica aut immaculata aut macula apicali fusca.

*Obs.* *Trin fasciata* FALL Phyt. 7. 6. ♂♀. flavo-rufa, halteribus pedibusque pallidioribus, fronte brunnescente, antennis sat magnis flavis, abdomine fulvo, basi fascia lata atra, tarsis fuscis, alis hyalinis, nervo costali vix ad medium costae extenso, breviter ciliato, et metatarso in ♂ incrassato; forte proprii generis, in foliis fruticum Sueciae mediae, ex. gr. Ostrogothiae a me passim lecta, in Lapponia frustra quaesita.

# Divisio Secunda.

Antennae articulis pluribus (6—16, rarius ultra usque ad 20) *Tipulariae* Auctorum.

*Subdiv. A.* Alarum nervus interior marginalis nullus. Antennae crassiusculae, saepius breves. *Muscidiae* MEIG.

*Sect. 1.* ***Antennae porrectae breves, saepissime crassiusculae (longitudine circiter capitis vel paullo ultra). Oculi nigri, maribus plerumque supra connexi, feminis distantes.***

## FAM. 35. HIRTEIDES (*Hirteaedes*) BILLB.

*Corpus* oblongum, muscaeforme, hirsutum. Antennae cylindricae perfoliatae. Palpi exserti incurvi 5-articulati. Oculi integri. Ocelli 3. Abdomen 8-annulatum. Alae incumbentes. Nervi 4 longitudinales marginem interiorem attingentes *). Pedes sulcati, antici femoribus brevibus crassis, tibiis apice dentatis. Insecta saepe vernalia; floricolae.

## 140. Hirtea. FABR.

FABR. PANZ. MEIG. FALL. *Tipula* DE GEER. LINN. *Bibio* GEOFFR. LATR. MEIG. MACQ.

*Corpus* mediocre valde hirsutum. Antennae 9-articulatae. Palpi articulo 1mo brevissimo. Thorax muticus. Alarum area basalis in discum extensa; nervi longitudinales furcati, costalis incrassatus. Tibiae anticae apice mucronatae. *Color* niger, rufus. *Motu* tarda. Volatus gravis, haud altus, pedibus posticis dependentibus. *Habitatio* in graminosis tempore vernali. Larvae cylindricae hirsutulae brunneo-griseae, capite nigro, in terra pingui et fimetis sub hieme degunt. Imagines e pupa mense Majo egressae in floribus hospitantur; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nord'andiae. *Differentia sexus*; *mas:* oculis magnis dense hirsutis, in fronte arcte cohaerentibus; *femina:* capite ovato depresso, oculis parvis lateralibus rotundis minus hirsutis. (Spec. Scand. 12. antennis 9-articulatis, thorace inermi, tibiisque apice bicalcaratis, a *Dilopho* distinctae.)

**1. H. Pomonae:** atra, femoribus rufis; alis albo-hyalinis, margine antico fuscescente. ♂♀.

FABR. Antl. 53. 7. *Tipula Marci fulvipes* DEG. Ins. 6. 429. 34. *Bibio Pomonae* MEIG. Dipt. 1. 312. 3. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius, vix supra Wittangi et Muonioniska procedens; in inferalpinis vero Nordlandiae Finmarkiaeque frequenter occurrit, et ad Raschstind, Gamsttind, Talvig nec non ad Bossekop, d. 28. Jul. — 8. Aug. lecta; a D. Jos. SCHMALTZ in Paroecia Calix Bottniae septentrionalis tempore verno in copula saepe capta. (Lappon.-Scan. pass.)

*) Directionem nervorum in alis Divisionis Dipterorum Secundae, Tipulariarum Ordinem complectentis, valde discrepare, satis constat. Hanc quoque diversitatem notas non solum pro Familiis, verum etiam generibus et speciebus dignoscendis certas et faciles praebere, non dubitamus. Cum vero ejusmodi diversitas vix nisi figuris vel longa periphrasi rite et exacte illustrari possit, neutrumque horum nobis fuit occasio in hac Fauna praestandi, saltem directionem *eorum nervorum longitudinalium, qui ab apice ad basin in marginem interiorem alae excurrunt simplices aut furcati, recti aut curvati* e. s. p. designare necessarium duximus, aliam vel magis singularem directionem, ubi adest, quandoque e re non est, fusius describere haud omittentes.

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 5, ♀ 6 lin. Tota atra nitida hirsuta. Alae albo-hyalinae, costa subfusca, stigmate fusciori. Halteres nigri. Femora ferruginea, coxis, trochanteribus et geniculis nigris. Abdomen depressum sublineare, in ♀ posterius sublatius, ano acuto, in ♂ ano obtuso subelevato.

**2. H. rufipes**: atra, pedibus rufis, coxis, geniculis tarsisque apice, nigricantibus, alis albo-hyalinis, stigmate fusco. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, Kemensi et Umensi passim, ad Muonioniska et Lycksele praesertim visa, d. 12—30. Aug. capta, in Pino sylvestri d. 17. Aug. in copula etiam inventa. (Lapponia-Botnia borealis rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3[1] lin. Tota atra nitida hirsuta. Alae albido-hyalinae, costa vix fusciori, stigmate fusco. Halteres fusco-nigri. Pedes in utroque sexu ferruginei, coxis, trochanteribus, geniculis summis, tarsorumque articulis 3, 4, 5 nigricantibus. Abdomen et anus ut in priori.

**3. H. fulvipes**: atra, pedibus rufo-fulvis, coxis nigris, alis cinereo-hyalinis, costa fusciori, stigmate obsolete fusco. ♂.

Hab. in Lapponia sylvatica Umensi rarius, in inferalpinis Finmarkiae passim, in foliis Betulae albae et in Pino sylvestri ad Kengis, Talvig et Bossekop, d. 2—22. Aug. 1821 inventa; in Lapponia meridionali non vidi. (Lapponia septentrionalis.)

*Mas.* Long. 3[1] lin. Simillima praecedenti, colore pedum alarumque certe distincta. Alae totae cinereo-hyalinae, costa fusco-flava, stigmate flavo-fusco. Pedes ferrugineo-flavi, coxis et trochanteribus nigris. Tarsorum articuli ultimi 2 aut 1 saepe nigro-fusci.

**4. H. Umbellatarum**: atra, alis cinereo-hyalinis, stigmate obsolete fusco, pedibus flavo-ferrugineis, femoribus in ♂ piceis, coxis in utroque sexu nigris. ♂♀.

Hab. in floribus umbellatarum; in alpe Dowre Norvegiae, praeprimis ad Kongswald d. 25. Jul a D. BOHEMAN detecta. (Lapponia Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Similis priori, paullo minor, costa alarum vix infuscata, et femoribus in ♂ nigro-piceis distincta. Ab *Hirtea Johannis* stigmate magis obsoleto, nec nigro; ab *Hirtea* (*Bibione*) *nigripede* MEIG. colore pedum, et ab utraque magnitudine paullo majori, differt. Tota atra nitida griseo-hirsutula. Alae cinereo-hyalinae, costa parum fusciori, stigmate oblongo, obsolete fusco, margini costali connexo (nec libero). Halteres fusci, clava nigricante. Pedes fulvo-ferruginei; *mas:* femoribus anterioribus, coxis, trochanteribus tarsorumque articulis ultimis, omnibus, nigris, femoribus posticis nigro-piceis; *femina:* coxis, geniculis tarsorumque articulis ultimis nigricantibus.

**5. H. Ephippium**: atra, alis albis, stigmate libero nigro; *mas:* pedibus piceo-nigris, tibiis metatarsisque posticis elevatis; *femina*: pedibus testaceis, tarsis apice nigris, thorace rufescente, dorso nigro. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica inferiori passim, tempore autumnali; ad Lycksele Lapponiae Umensis toto mense Aug. frequenter lecta, etiam saepe in copula; in Botnia boreali et occidentali a Torneå usque ad Ångermanniam mense Sept. choreas in aëre ducit vulgaris. (Lapponia-Ångermannia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2—2½ lin. *Hirteae* (*Bibioni*) *clavipedi* et *dorsali* MEIG. valde similis et affinis videtur, ab illa vero alis albis, nec hyalinis, et ab hac thoracis dorso l. disco toto nigro, nec maculis vel vittis nigris distinctis, dignoscitur, a *Bib. leucoptero* ut et *Bib. albipenni* MEIG. tibiis et metatarsis posticis in ♂ clavatis, mox quoque dignota. — Atra nitida, mas griseo-hirtus, femina magis nuda. Alae in ♂ lacteae, in ♀ albae, stigmate in utroque sexu fusco-obsoleto, fere libero (parum costae connexo), sublunato. Halteres fusci. Thorax in ♀ fusco rufescens, dorso maculis 3 nigris ita dilatatis et confluentibus, ut discus fere totus niger appareat. Metathorax niger. Pedes in ♂ piceo-nigri, in ♀ toti cum coxis rufi, tarsis apice nigricantibus. Abdomen in ♂ angustum.

Var. b. ♀. thorace fere toto nigro seu pectore tantum fusco-piceo. Ad Tornoa capta.

**6. H. albipennis**: atra, alis lacteis, stigmate nigro-fusco, pedibus testaceis, femoribus nigris. ♂.

*Bibio albipennis* MEIG. Dipt. 6. Add. p. 317. 17. ♂, forte eadem?

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime, in Gamsttind d. 30. Jul. unicum individuum inveni; nec in reliqua Lapponia, nec in Suecia a me visa. (Lappon. —?)

*Mas.* Long. 2½ lin. Atra nitida nigro-hirtula. Alae lacteae, nervis tantum costalibus distinctis obscuris, reliquis albis obsoletis. Stigma brunneo-nigrum, tota longitudine costae adnexum. Halteres nigri. Pedes atri, tibiis tarsisque testaceis, his apice nigris. Metatarsus posticus parum incrassatus. — Affinis *Hirteae Johannis.* Femina colore alarum et pedum a mare forte discrepat, mihi ignota.

Var. b. ♂. alarum stigmate obsoletissimo, alias var. a. simillima; inter Kautokeino Finmarkiae et Karesuando Lapponiae Tornensis d. 13—15. Aug. rariss. capta.

*Obs.* *Hirtea Marci* LINN., *hortulana* LINN., *villosa* MEIG., *Johannis* LINN., *ferruginata* LINN. nec non *clavipes* MEIG., in Suecia inferiori a me lectae, in Lapponia haud visae.

## 141. Dilophus. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 38. LATR. BILLB. MACQ. *Tipula* LINN. *Hirtea* FABR. *Bibio* OLIV.

*Corpus* parvum subpubescens, nitidum. Antennae 11-articulatae. Palpi articulo 3tio apice dilatato. Thoracis segmentum 1mum duabus seriebus transversis pectinato-denticulatum. Tibiae anticae apice radiatae. Directio nervorum in alis fere ut in *Hirtea*, at nervus longitudinalis 3tius petiolatus (nec sessiliter) furcatus. *Color* niger. *Motu* tardus. *Habitatio* in graminosis, foliis arborum et floribus; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* ut in *Hirtea.* (Spec. Scand. 2, antennis 11-articulatis, thorace denticulato, tibiisque anticis apice coronatis, ab *Hirtea* mox dignotae.)

**1. D. femoratus**: ater, alis lacteis, linea stigmaticali nigricante; in ♀ coxis femoribusque anticis rufis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 307. 2. ♀. — 6. Add. 315. ♂♀. MACQ. Dipt. Gall. 1. 76. ♀.

Hab. in Lapponia passim; ad Lycksele Lapponiae Umensis, et ad Torneå et Kengis, Lapponiae Tornensis, d. 1. Aug. — 2. Sept. haud infrequenter lecta, ♀ tamen rarissime obvia; in alpe Dowre ad Drivstuen mens. Julio etiam a D. BOHEMAN capta. (Lapponia-Botnia borealis ad Haparanda, D. DEUTSCH, ad Johannis Ro, ipse-Scania ♂♀. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 1½, ♀ 1¾ lin. Tota atra nitida, parum hirsuta. Alae in utroque sexu albae s. lacteae, nervis costalibus distinctioribus fuscis, reliquis valde obsoletis albidis. Stigma in ♂ parvum, lineare liberum fuscum; in ♀ majus distinctum, oblongum, apice altero costae fere connexum; brunneo-nigrum. Halteres nigri. Pedes nigri, in ♀ coxis femoribusque anticis totis, rufis, femoribus quoque posterioribus saepe aut in medio rufis, aut tot s piceis. Thoracis lobus lateralis anticus in ♀ etiam plerumque rufescens, ut recte observavit D. MACQUART l. c. Abdomen in ♂ subangustatum. Tibiae anticae in medio in utroque sexu denticulatae. Femora antica modice incrassata.

*Obs.* *Dil. vulgaris* MEIG. seu *Tipula febrilis* LINN. FN. SV.: ater, alis hyalinis, in ♀ in medio late fuscis, pedibus in utroque sexu nigris, paullo major, in Scania frequenter, in Lapponia vero vix, occurrit, mihi in terris borealibus non obvia.

---

## FAM. 36. SCATOPSIDES. ZETT.

*Corpus* oblongum parum hirsutum. Antennae cylindricae perfoliatae, 11-articulatae. Ocelli 3. Alae incumbentes nudae. Nervi longitudinales 3—4 marginem interiorem attingentes, horum unus (superior) furcatus. Pedes simplices, inermes.

## 142. Penthetria. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 27. LATR. ZETT.

*Corpus* parvum pubescens opacum. Antennae capitis latitudine vix longiores. Oculi ovales s. rotundati, exserti. Palpi exserti incurvi 4-articulati. Abdomen 8-annulatum. Alae parallelae. Area discoidalis retracta. Nervi longitudinales 2 et 3 longe furcati. Pedes postici reliquis longiores. *Color* niger. *Motu* tarda, reptans; volatus vix ullus. *Habitatio* in uliginosis umbrosis graminosis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas:* oculis supra fere conniventibus, alis abdominis longitudine, angustis, subplicatis, ano obtuso, pedibus elongatis; *femina:* oculis supra distantibus, alis abdomine paullo longioribus, latiusculis, planis, ano subacuto, pedibus modice elongatis. (Spec. Scand 1 nostra, oculis ovalibus magis exsertis, palpis exsertis, alarumque nervis pluribus, bifurcatis, a *Scatopside* dignota.)

**1. P. holosericea**: atra subpilosa, alis nigricantibus, halteribus pedibusque fusco-nigris. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 303. 1. ♂♀. *Penthetria funebris* Meig. Class. Zett. Act. Holm. 1819. 85. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; in paludosis caespitosis, locis valde umbrosis, ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, d. 16. Jul. in copula capta. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem*. Long. ♂ 2, ♀ $2\frac{1}{2}$—3 lin. Tota cum alis et pedibus nigra subglabra opaca, pedibus nitidis. Abdomen et pedes brevissime pilosula.

---

## 143. Scatopse. Geoffr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 36. Fabr. Latr. Fall. Macq. *Tipula* de Geer. Linn.

*Corpus* minutum, minutissimum, glabrum nitidum. Antennae capite paullo longiores. Caput parvum ovatum. Oculi reniformes, in utroque sexu supra connexi. Palpi occulti, uniarticulati. Abdomen 5—6-annulatum, depressum, posterius dilatatum. Alae magnae hyalinae. Area discoidalis distincta nulla. Nervi, costalis, auxiliaris et longitudinalis 2dus, distincti, reliqui obsoletissimi; 3tius furcatus; horum 3 marginem interiorem attingunt. Pedes subaequales. *Color* (in nostris) niger. *Motus* reptans. *Habitatio* larvarum in fimetis, imaginum in foliis, truncis arborum viventium, floribus etc.; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Sexus* aegre dignoscitur, nisi *maris* abdomen paullo angustius, ano breviter appendiculato, *feminae* latius, ano truncato, diceres. (Spec. Scand. 10, alis hyalinis, aliter nervosis, oculis reniformibus, palpis occultis uniarticulatis, etc. a *Penthetria* dignoscendae.)

### *Sect. 1. Nervus costalis paullo ultra medium costae extensus.*

**1. S. notata:** nigra, thoracis lateribus anticis, abdominisque basi albo-maculatis, alis albo-hyalinis, halteribus fuscis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 300. 1. *Tip. notata* Linn. Fn. Sv. 1773. *Tipula latrinarum* de Geer Ins. 6. 430. T. 28. f. 1. 2. *Scatopse albipennis* Fabr. Antl. 55. 1.

Hab. in foliis arborum, in parietibus e. s. p. in Lapponia passim, ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, et ad Talvig Finmarkiae, d. 24. Jun. — 2. Aug. inprimis copiose vidi, frequenter in copula junctam; in Dowre a D. Boheman capta. Larvae elongatae, griseo-flavae, muricatae, planae, utrinque attenuatae, 2 lin. longae; aestate et autumno in stercore humano, praeprimis in latrinis degunt. Pupae elongatae, griseo-flavae, tenuissime muricatae, antice truncatae, 1½ lin. longae, in hoc statu 8 — 14 dieb. manent. Bouché Naturgesch. der Insecten 1. p. 41. 42. (Lappon.-Botnia borealis ad Luleå mens. Majo — Scania April — Nov. freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. $1\frac{1}{3}$ lin. Nigra nitida glabra. Pleurae, macula ante alas lunata, et alia ejusdem formae in lateribus abdominis basi, albidis, saepe detritis, in illaesis tantum observandis. Alae albo-hyalinae, halteribus fuscis interdum sordide albidis.

**2. S. punctata**: nigra, thoracis lateribus anticis posticisque albo-maculatis, alis hyalinis, halteribus fuscis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 301. 4.

Hab. in Lapponia rarissime, d. 29. Aug. capta. (Lapponia-♀ in floribus Salicis ad Johannis Ro Botniae borealis d. 12. Maj.-Hernösand-Scania Maj.—Octob. freq.)

*Mas* et *Fem*. Priori affinis et valde similis, nec differt nisi magnitudine paullo majori, alis pure hyalinis seu aqueis, et puncto in thoracis postico pone radicem alarum juxta scutellum utrinque, flavo-albo.

### *Sect. 2. Nervus costalis in medio fere costae desinit.*

**3. S. minuta**: nigra, halteribus albis, alis albo-hyalinis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 301. 5?

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in graminosis, speciatim in Alopecuro geniculato, ad Wilhelmina d. 16. Jul. tamen frequentius vidi, in copula. (Lapponia —?)

*Mas* et *Fem*. Minutissima, longit. $\frac{1}{2}$ lin. Tota atra subnitida. Halteres albi. Alae hyalino-albae. Abdomen apice subacutum.

---

## FAM. 37. SIMULIDES. Zett. (*Latipennes* Meig.)

Corpus oblongo-ovatum gibbum, subtomentosum. Antennae cylindricae, 11-articulatae, articulis 2 inferioribus discretis. Ocelli nulli. Alae incumbentes, nudae. Nervi 6 longitudinales marginem interiorem attingentes, unus (horum 2dus seu longitudinalis 5tus) furcatus. Pedes inermes.

## 144. Simulia. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 35. Latr. Zett. Macq. Fries. *Culex* Linn. *Tipula* de Geer. *Scatopse* Fabr. Fall.

*Corpus* parvum gibbum, tomento brevissimo vestitum. Antennae capite paullo longiores, articulis 2 inferioribus distinctis, ceteris (flagello) contiguis. Palpi exserti, incurvi, 4-articulati. Alae latae, hyalinae. Nervi costales, 3—4 distincti, reliqui (inferiores) valde obsoleti. Abdomen 8-annulatum. Pedes compressi, metatarso postico elongato. *Color* niger, pictura saepe insigni. *Motu* agilis; reptatus. *Habitatio* in sylvis, praesertim Betuletis, per omnes regiones Lapponiae, summis alpibus nivalibus tantum exceptis, in convallibus frequentissima. Larvae intra caules plantarum aquaticarum degunt et metamorphosin subeunt. Imagines femineae punctione et reptatu valde molestae, viatorem pertinaciter persequentes, vix pellendae. Choreas in aëre saepe instituunt mares. *Differentia sexus*; *mas:* saepe ater, pulchre pictus, oculis rotundis supra conniventibus plerumque rufis; *femina:* grisescens, oculis reniformibus remotis brunneis. (Spec. Scand. 12, *Platypezinis* similes et affines, antennarum articulatione et directione nervorum in alis mox dignotae. — Similis quoque est *Ceratopogoni* et *Cordylae*, at ab illo antennarum articulis coadunatis, nec discretis, etc., et ab illa tibiis muticis, nec calcaratis, discrepat *Simulia*.)

### *Sect. 2. Pedes albo-annulati.*

a) Limbus thoracis argenteo- aut cinereo-micans.

**1. S. reptans**: *mas* ater holosericeus, aureo-subtomentosus; *femina* nigro-fusca, griseo-tomentosa; uterque sexus limbo thoracis argenteo-micante tenui, antice interrupto maculiformi, pedibus subnudis fuscis, tibiis anticis latere anteriori, posterioribus basi et metatarso postico, albidis, halteribus pallidis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 291. 2. ♀. Zett. It. Lappon. 1821. 2. p. 140. ♀. Zett. It. Lappon. 1832. p. 66. Fries Monogr. Simul. Suec. anno 1824. (ubi metamorphosis hujus speciei solide et adcurate descripta invenitur) 13. 1. ♂♀. T. 1. f. 6. 7. larva et pupa. Dahlb. Scand. Ins. Lund. 1837. *Culex reptans* Linn. Fn. Sv. 1893. ♀. *Scatopse reptans* Fabr. Antl. 56. 2. ♀. *Chironomus sericeus* Fabr. Antl. 48. 47. ♂♀. *Simulia sericea* Meig. Dipt. 295. 8. ♂. *Scatopse maculata* Fabr. Antl. 56. 3. ♂. Suetice: *Knott*. Fennon. *Maekaerae*; Lappon. *Muockir*.

Hab. per omnes partes Lapponiae, etiam per latera summarum alpium nivalium longe adscendens, vix nisi ipsa earum cacumina ventosque metuens, mense Junio proveniens menseque Julio et initio Augusti praeprimis vigens, vulgatissima; motu valde agilis circulatim reptatu; feminae viatorem tenacissime persequuntur; denudatas corporis partes avide quaerunt, sanguinem sugendo vulnerant; inter vestimenta etiam irrepentes, pungentes, dolorem efficientes; vix depelluntur. Denudatis vero partibus, uti hominis facie, regione pone aures, collo, manibusque pice liquida adipe piscatorio mixta illinitis et inunctis, odore ingrato mox aufugit Simuliarum conglobatum innumerabile agmen, ut ipse expertus sum; mares innocui, in foliis arborum et floribus saepe degentes, aut currentes, in aëre choreas interdum ducunt. (Lapponia-Suecica media passim-Scania rarius, ibique parum molesta.)

*Mas.* et *Fem*. ♂ 1, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin. long. Pedes fuscescentes, antici tibiis latere exteriori niveis, tarsis atris; intermedii tibiarum et interdum etiam femorum basi sordide albida; postici tibiarum basi, praesertim latere externo et metatarso undique albis. *Mas:* ater holosericeus, thoracis limbo tenui, pectore et punctis lateralibus abdominis albo-micantibus, halteribus fulvis; *femina:* cinerea, limbo albo-micante, halteribus albis. Abdomen subnudum.

**2. S. nana**: *mas:* ater holosericeus, non aureo tomentosus; *femina:* nigro-fusca, griseo-tomentosa; uterque sexus: limbo thoracis argenteo-micante, antice interrupte lunato, pedibus subnudis nigris, tibiis anticis latere anteriori, poste-

rioribus basi et metatarso postico simplici, albidis, halteribus pallidis; minor. ♂♀.

Var. a. ♂♀. coxis anticis nigris.

Var. b. ♀. coxis anticis flavis; in copula cum mare varietatis a.

Var. c. ♂♀. pedibus fuscis, vix vel parum albo-annulatis.

An *Sim. elegans* Meig. Dipt. 1. 296. 9. ♂. sub varietatibus hujus speciei latet??

Hab. in Lapponia Umensi cum *Sim. reptanti* passim; var. a. ad Stensele, Lycksele et Wilhelmina, d. 4. Jul. — 9. Aug. inveni, d. 7. Aug. in copula capta; var. b. cum var. a. rarius visa; et var. c. ad Lycksele et Tresunda, 22. Jun. — 11. Jul. lecta; ♀ frequentior tenacissime pungens, ♂ rarissimus. (Lapponia Suecica et meridionalis.)

***Mas*** et ***Fem.*** Long. ♂ $\frac{1}{2}$, ♀ $\frac{1}{4}$ lin. ***Simul. reptanti*** simillima, et ab illa vix differt nisi magnitudine duplo minori, alis forte magis hyalinis, et pictura argentea thoracis saltem in ♂ antice latius interrupta. *Mas* totus aterrimus. Thoracis limbus tenuiter argenteus, antice late interruptus lunulam humeralem introrsum flexam utrinque formans. Abdomen ut in priori pictum, lateribus scilicet basi macula 1, et ante apicem maculis 2, argenteis. Alae hyalinae, basi parum pallidae. Halteres fulvi. Pedes simplices nigri, tibiis anticis latere toto exteriori niveo-micante, intermediis basi late et posticis basi angustissime, albis. Tarsi omnes nigri, metatarso postico tantum basi albido. Tibiae posticae latere exteriore parce pilosae. ***Fem.*** tota fusco-nigra, thorace aut cinereo-, aut aureo-cinereo-tomentoso, limbo parum argenteo-micante. Alae ut in ♂. Halteres albi. Pedes nigro-fusci, tibiis omnibus basi magis l. minus late albicantibus. Var. etiam coxis anticis, tibiis omnibus fere totis et metatarsis posterioribus basi, albis. Var. c. pedibus fuscis, parum annulatis, forte propria species.

**3. S. vittata:** *femina:* cinerea, thoracis vittis abdominisque maculis dorsalibus nigricantibus, pedibus fuscis, tibiis omnibus basi et metatarso postico dimidiatim, albis. ♀.

Hab. in Lapponia? E Groenlandia a D. Westermann mihi communicata. (Lapponia?)

***Fem.*** Long. $1\frac{1}{2}$ lin. ***Sim. maculatae*** Meig. affinis et similis videtur, at triplo major et distincta. Tota cinerea glabriuscula. Thoracis dorsum vittis 5 fuscis, media integra, 2 lateralibus interruptis, et 2 exterioribus maculiformibus. Abdomen vitta dorsali longitudinali et macula utrinque in segmentis basalibus et antepenultimo fusco nigris. Alae albo-hyalinae. Halteres albi. Pedes nigro-fusci, tibiis anticis latere exteriori, posterioribus basi, et metatarsis posterioribus etiam basi, albidis.

***Obs.*** ***Sim. ornata*** Meig. et Fries, Scaniae frequens incola, in Lapponia a me non visa.

b) Limbus thoracis concolor, obscurus.

**4. S. annulitarsis:** *femina:* nigro-fusca, thorace flavo-cinereo-tomentoso, pedibus fuscis, tibiarum anticarum latere exteriori, posteriorum summa basi et metatarso postico fere toto, albis, halteribus pallidis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Lycksele et ad Tresunda, 2. Jun. — 11. Jul. capta; pungens. (Lappon.-Haparanda prope Torneå in agris d. 1. Sept. 1821 rarissime lecta.)

***Fem.*** Long. vix [1] lin. Inter minutissimas generis. Tota nigro-fusca, thorace griseo-tomentoso. Oculi brunnescentes. Pectus cinereo-micans. Abdomen glabrum. Halteres albi. Pedes nudi, pilis aliquot in pari posteriori; toti fusci, tibiis anticis basi latere exteriori, et metatarso postico fere toto albidis.

**5. S. pusilla:** *mas:* ater holosericeus, thorace aureo-tomentoso; *femina:* nigro-fusca, flavo-griseo-tomentosa; uterque sexus: pedibus albidis, femorum tibiarumque apice tarsisque fuscis, tibiis anticis argenteo-micantibus. ♂♀.

Fries Monogr. Simul. Sv. 16. 4. ♂♀.

Hab. ad pagos Kengis et Turtola in paroecia Tornoa superiori, versus finem mensis Aug. in copula a D. Prof. B. F. Fries capta. (Lappon.-Botnia borealis-Wadstena rar.)

***Mas*** et ***Fem.*** Long. $\frac{2}{3}$ lin. Similis ***S. reptanti***, magnitudine minori, limbo thoracis colorato nullo, ut et pedum colore, distincta. Halteres pallidi.

***Obs.*** ***Simul. aurea*** Fries Mon. in Scania, sed vix in Lapponia, occurrit.

## *Sect. 2. Pedes toti obscuri aut pallidi, unicolores, nec annulati.*

a) Pedibus fuscis.

**6. S. hirtipes:** fusco-nigra, halteribus pedibusque concoloribus, scutello utrinque dense hirsuto; *mas:* obscurior, pedibus longe hirsutis; *femina:* pedibus dilutioribus pubescentibus. ♂♀.

Fries Mon. Sim. 17. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 6. Add. 312. 18.

Hab. in Lapponia sylvatica passim; in floribus ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, d. 27. Jun. D. Fries; ad Lycksele Lapponiae Umensis, d. 2. Aug. D. Dahlbom; in fruticibus et graminosis juxta flumen ad Drivstuen in alpe Dowre mens. Jun. Jul. a D. Boheman capta. (Lapponia.)

***Mas*** et ***Fem.*** Long. 1[1] — 2 lin. Inter nostrates maxima, sed variat interdum duplo minor. — Specimina Norvegica s. Dowreensia maxima, longius et densius hirsuta. Lyckselensia duplo minora, utraque hirsutie pedum et scutelli ab aliis speciebus mox dignota. ***Mas:*** fusco-niger. Thorax griseo-subtomentosus. Abdomen praesertim basi et subtus distincte hirsutum. Pedes piceo-fusci, extus longissime dense hirsuti. Metatarsus posticus magnus dilatatus. ***Fem.:*** mari similis, magis fusca, abdomine et pedibus multo minus dense et brevius hirsutis; rarior etiam mare occurrit.

**7. S. fuscipes:** *mas:* ater holosericeus, thorace subaureo-tomentoso; *femina:* nigro-fusca, thorace griseo-tomentoso, obsolete nigro-vittato, abdomine brevius pubescente; uterque sexus: pedibus fuscescentibus subnudis. ♂♀.

Fries Mon. Sim. 18. 6? ♂♀. *Sim. marginata* Meig. Dipt. 1. 293. 6? ♀.

Hab. in Lapponia rarius; ad Haparanda nec non inter Alten et Kautokeino Finmarkiae 10—13. Aug.; in Lapponia Umensi ad Gajtokån, D. Dahlbom et ad Wilhelmina, ipse, d. 10—15. Jul. capta. (Lappon.-Scan. rar.)

***Mas*** et ***Fem.*** Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin. A ***Sim. reptante***, cui alias sat similis, differt: thorace non limbato, sed dorso (in ♀) vittis subtribus fuscis; pedibus unicoloribus et abdomine in ♀ griseo, breviter sed distincte pubescente etc. — Halteres in ♂ fusco-testacei, in ♀ flavi.

**8. S. pubiventris:** *femina:* nigro-fusca, thorace griseo-flavo-tomentoso, vittis fuscis nullis, abdomine breviter pubescente, halteribus flavis, pedibus fuscescentibus subnudis. ♀.

An *Culex equinus* Linn. Fn. Sv. 1894?

Hab. in Lapponia Umensi passim; in alpe Brattiksfjell, et in graminosis ad Wilhelmina, 8—16. Jul. capta, acriter pungens; in fenestris Lyckselensibus, 2—15. Jun. frequenter. (Lapponia.)

***Fem.*** Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Simillima priori, sed thorace dorso tomento brevi griseo-aureo nitido undique et aequaliter tecto, vittis omnino nullis, mox dignota. Pedes quoque forsitan paullo magis pilosi. Oculi brunnei. Reliqua similia.

**9. S. pygmaea:** *mas:* ater holosericeus, thoracis puncto antico argenteo, halteribus fuscis; *femina:* fusca, halteribus pallidis; uterque sexus: pedibus piceo-fuscis unicoloribus parum pilosis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; mas ad Stensele d. 4. Jul. et uterque sexus in copula ad Gajtokån Lapponiae Wilhelminae d. 10. Jul. a D. Dahlbom inventa. (Lapponia meridionalis.)

***Mas*** et ***Fem.*** Minutissima, $\frac{1}{2}$ lin. long. Similis ***S. reptanti*** var. c. sed fere paullo minor, et mas ater immaculatus, puncto s. macula tantum thoracis utrinque humerali et metathorace argenteo-micantibus, halteribus fuscis; feminaque thoracis limbo disco concolore, ut et pedibus in utroque sexu fusco-piceis, annulorum vestigio nullo, distincti videntur. — Species dubia: notae e partibus minutis aegre eliciendae.

***Obs.*** ***Sim. nana*** var. c. pedibus vix annulatis; vide antea sub No. 2.

b) Pedibus pallidis.

**10. S. pallipes:** *mas:* ater holosericeus immaculatus: *femina:* nigro-fusca, flavo-griseo-tomentosa; uterque sexus: pedibus totis hirtis halteribusque pallidis. ♂♀.

Fries Mon. Sim. 19. 7. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi passim, ad fluvium Gajtokån, ad lacum Wojmsjoen, nec non ad Wilhelmina, mens. Julio 1832 haud infrequenter vidi, etiam in copula; inter Alten et Kautokeino Finmarkiae orientalis utrumque sexum in copula quoque junctum, d. 10—13. Aug. 1821 D. Fries et ipse legimus; in Dowre a D. Boheman d. 30. Jun. etiam capta. (Lapponia.)

***Mas*** et ***Fem.*** Long. $1\frac{1}{8}$—$1\frac{1}{2}$ lin. Simillima ***Sim. hirtipedi***, sed magnitudine paullo minori, pedibus pallidioribus scutelloque minus dense hirsutis, mox dignota. Similis quoque ***S. fuscipedi***, colore pedum et hirsutie distinctiori diversa. — Variat tamen colore pedum praesertim in ♂ magis obscuro. — Hirsuties attente observanda est.

### *Sect. 2. Antennae elongatae (capite scilicet duplo longiores.)*

## FAM. 35. RHYPHII. Zett. (*Xylophagiformes* Macq.)

Corpus oblongum subpubescens. Antennae subfiliformes, capite subduplo longiores, 12—16-articulatae, articulis 2 inferioribus discretis. Ocelli 3 aut nulli. Oculi rotundi. Alae incumbentes nudae. Nervi 4 aut 6 longitudinales marginem interiorem alae attingentes. Pedes aut inermes, aut tibiis apice calcaratis. — Fungicoli aut Xylophagi.

---

### 145. Rhyphus. Latr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 41. Latr. Macq. *Musca* Linn. *Sciara* Fabr. *Anisopus* Meig. Fall.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum. Antennae capite fere duplo longiores, filiformes, brevissime pilosulae, 16-articulatae, extrorsum parum attenuatae. Palpi exserti incurvi 4-articulati, articulo 2do clavato. Ocelli 3. Abdomen 7-annulatum. Alae abdomine paullo longiores, area discoidali oblongo-ovali, nervulos 3 in marginem interiorem emittente. Praeterea 3 alii nervi infra priores in eundem marginem ducuntur. Pedes tenues simplices inermes subnudi, postici longissimi. *Color* obscurus. *Motu* tardus, in truncis arborum viventium saepe tota die tranquilla insidens, interdum choreas velociter agens. *Habitatio: larvae* filiformes utrinque attenuatae, nudae, glabrae pellucidae, brunneo-albidae, 5—6 lin. longae, fungicolae aut xylophagae (secundum Meigen coprophagae et secundum Bouché in vegetabilibus putridis hybernantes); *pupae* conicae lividae, antennis subulatis; circiter 3 lin. longae, verno tempore excluduntur; imagines in sylvis aut domibus hospitantur; per partem sylvaticam Lapponiae. *Sexus* oculis *marium* supra cohaerentibus, *feminarum* distantibus, mox dignoscitur. (Spec. Scand. 2, antennarum articulatione, ocellis, nervorum in alis directione et pedibus inermibus, a *Cordyla* dignotae.)

**1. R. punctatus:** fusco-cinereus, thoracis vittis 3 nigris, halteribus pedibusque pallidis, alis hyalinis, stigmate punctisque 4 nigro-fuscis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 322. 2? *Sciara punctata* Fabr. Antl. 59. 13. *Musca punctata* Linn. Fn. Sv. Sepos. pag. 523. Sp. 2310. certe.

Hab. in Lapponia passim; in sylvis rarius, at in fenestris ad Lycksele et Stensele Lapponiae Umensis, d. 15. Jun. — 30. Aug. sat frequenter captus; pupa in Pino inventa, d. 16. Junii exclusa ♂; femina ovipara, ovis catenulatis, d. 20. Aug. visa; in Lapponia Tornensi seu boreali quoque occurrit, et ♂ in Salice ad Juckasjervi d. 21. Jun. feminaque ad Kengis d. 22. Aug. lecti. — Ad Tornoam uterque sexus a D. Deutsch captus. (Lappon.-Botnia-Scania in sylvaticis frequenter.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2^{1}$—3 lin. Totus obscurus. Thorax dorso vittis 3 nigris, media integra, lateralibus utrinque abbreviatis. Regio scutelli pallidior. Abdomen fuscum, incisuris pallidioribus. Alae hyalinae, stigmate distincto nigro, et maculis s. punctis 4 marginalibus fuscis, quarum prima sub stigmate sita. Maculae hae in ♂ obsoletiores. Pedes toti pallidi, geniculis tantum, et apice tibiarum tarsorumque saepe brunnescentibus.

*Obs. Rh. punctatus* Meig. l. c. ob magnitudinem minorem mihi dubius. *R. furcatus* Meig. mihi ignotus, nisi individua majora nostri *R. punctati* provocare velis. *R. fenestralis* Meig. (*Sciara cincta* Fabr.) testaceus, abdomine fusco-fasciato, alis hyalinis, fusco-nebulosis, in ligno putrescenti Scaniae et in fenestris Sueciae saepe obvius, in Lapponia a me frustra quaesitus.

---

*Subdiv. B.* Alarum nervus interior marginalis adest (in *Psychoda* et aliquot *Chironomiorum* speciebus haud perspicuus). Antennae semper elongatae (capitis thoracisque saepe fere longitudine, aut illis longiores), graciles.

### *Sect. 1. Ocelli nulli (in Campylomyza et Pachyneura ocelli 3.)*

## FAM. 39. CULICINAE Zett. (*Culiciformes* Meig.)

Corpus elongatum. Antennae longitudine thoracis, porrectae, filiformes, 14—15-articulatae, maris plumosae, feminae breviter verticillato-pilosae. Os non elongatum. Haustellum porrectum, longitudine thoracis, et antennis longius. Palpi porrecti, 5-articulati. Oculi in vivis virides. Thoracis sutura transversa nulla. Abdomen 8-annulatum. Alae incumbentes, nervis margineque squamulis seu pilis obsitis. Nervi, 2 furcati; longitudinales 6 marginem interiorem alae attingunt. Pedes elongati tenues. Larvae aquaticae. Pupa nuda. Feminae sanguisugae; mares innocui.

### 146. Culex. Linn.

Meig. Dipt. Eur. gen. 1. Linn. de Geer. Fabr. Latr. Fall. Macq.

*Corpus* minoris magnitudinis subpubescens. Caput parvum. Palpi maris haustello longiores, feminae brevissimi. Tibiae subspinulosae. *Color* cinereo-griseus. *Motu* agilis. Die plerumque quiescens. *Habitatio* larvarum in aqua praesertim stagnante, super cujus superficiem femina ova in naviculam aggregata ponit. Ova circiter 300 a quacunque femina ponuntur. *Larvae* post 2 vel 3 hebdom. in *pupas* nudas elongatas transformantur, e quibus post 8—10 dies imagines proveniunt. Plures generationes annus producit. *Imagines* in sylvis locis inprimis depressis et uliginosis versantur. Tempore vespertino praesertim vigent, feminarumque myriades sono pipiente ingrato viatorem persequuntur et infestant, propter punctionem dolorosam valde metuendae. Mares e floribus nectar hauriunt. Per omnes partes Lapponiae divulgata, ad summa cacumina alpium nivalium tantum non procedit. *Differentia sexus*, antennis *maris* valde plumosis, *feminae* breviter pilosis, mox apparet. (Spec. Scand. 9, palpis maris proboscide longioribus, feminae brevissimis, ab *Anophele* statim dignotae.)

**1. C. annulatus:** fuscus, thorace obscure subbivittato, abdomine pedibusque albo-fasciatis, halterum stipite pallido; alis punctis 5 fuscis. ♂♀.

Fabr. Antl. 35. 4. Meig. Dipt. 1. 4. 2.

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 3—$3^{1}$ lin. Brunneo-fuscus. Abdominis segmenta, primum linea dorsali, reliqua fasciis basalibus, albis. Halteres flavi, capitulo nigro. Pedes fusci, annulis, femorum ante apicem uno, tibiisque in summo apice uno angusto, et tarsorum articulis in basi, albis. Femorum basis et coxae pallidae. Palpi in ♂ articulis 1mo rotundato, ultimo subclavato.

**2. C. nemorosus:** fuscus, abdomine albo-fasciato, halterum stipite pallido, alis immaculatis, femoribus flavis, apice fuscis, geniculis puncto niveo. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 4. 3. *Culex sylvaticus* Meig. Dipt. 1. 6. 8. forte etiam huc ut varietas referendus.

Hab. in Lapponia ubique vulgaris; scilicet ad Lycksele, Stensele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, ad Öfver-Torneå, Kengis et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, frequenter, d. 15. Jun. — 22. Aug., in copula saepe captus. Occurrit etiam parcius in inferalpinis Nordlandiae et in Tromsoe d. 24. Jul. visus. (Lapp.-Scan. pass. e Dania a D. Staeger.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin. Fuscus. Thorax fuscus nigro-subvittatus, in illaesis individuis tomento flavo-griseo, sordide rufo-vittato vestitus; sed non rufus ut a Meigen describitur. Abdomen nigricans, segmentis basi distincte albo-fasciatis, primo linea dorsali alba nulla notato. Halteres flavi, capitulo nigro. Alae punctis nullis. Pedes testacei, femoribus apice fuscis, puncto geniculorum niveo, tibiis et tarsis fuscis subimmaculatis. Palpi maris nigri, articulis 2 et 3 saepe pallidis. Antecedente et sequente minor. Ab affinibus et praesertim a *C. pipiente* tibiis tarsisque nigricantibus immaculatis statim dignota. Feminarum oculi brunnei, parum aeneo-micantes.

**3. C. cantans:** fuscus, thorace aut rufo nigro-vittato, aut fusco, griseo-tomentoso, ferrugineo-vittato, abdomine tarsisque albo-annulatis, halterum stipite femoribusque flavis, his apice brunneis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 6. 6. ♀. *Culex maculatus* Meig. Dipt. 1. 6. 7. ♂.

Hab. in Lapponia frequenter; ♀ valde pungens; ad Torneå, Kengis, Wittangi et Juckasjervi Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele, Stensele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, d. 15. Jun. — 22. Aug. captus, d. 17. Jun. exclusus; in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae haud vidi, sed ad Luleå Botniae borealis feminae pungentes in equis jam die 9. Maj. haud raro obviae. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3—$4\frac{1}{2}$ lin. Obscurus. Similis prioribus, sed a *C. annulato* femoribus non albo-annulatis et alarum punctis

nullis, et a *C. nemoroso* tarsis distincte albo-annulatis, differt; utroque etiam paullo major. In speciminibus majoribus alae subpunctatae et geniculi puncto niveo instructi videntur, an propria species? *Mas*: Oculi obscure aeneo-brunnei; palpi nigri, inferne annulis 2 albis angustis. Abdomen cinerascens, segmentorum singulorum marginibus macula magna triangulari nigricante. Tibiae posticae fuscae. — Variat femoribus obscure testaceis, supra nigro-irroratis, basi tantum pallidis.

**4. C. pipiens**: fuscus, thorace aut obscuro aut rufo, lineis 2 nigricantibus, abdomine albo-fasciato; halterum stipite pedibusque pallidis, femorum, tibiarum tarsorumque apice brunnescente. ♂♀.

LINN. Fn. Sv. 1819. DE GEER Ins. 6. T. 17. f. 14. 15. FABR. Antl. 33. 1. MEIG. Dipt. 1. 7. 10. DAHLB. Scand. Ins. Lund. 1837.

Hab. per totam Lapponiam, summis alpibus tantum exceptis, a medio mensis Junii usque ad medium Augusti, vulgatissimus: *mas* in foliis et floribus, innocuus; *femina* susurru alarum continuo pipiens et punctione inflammatione conjuncta vespere praesertim molestissima, tenacissima, vix nisi liquamine picis et adipis piscatoriae mixtae corpori inuncto depellitur. (Lapp.-Scan. frequenter, sed numero sensim decrescendo.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 3 lin., nec in lateribus alpium major, ut contendit LINN. Totus fuscus. Thorax aut saepius obscurus aut rufescens, nigro-bivittatus. Abdomen in ♂ angustum pilosum, in ♀ lanceolatum nudiusculum, in utroque brunneo-fuscum, segmentorum omnium basi fascia albida. Alae non magnae, punctis nullis notatae. Halteres pallidi, capitulo fusco. Pedes testacei, immaculati, aut saepe femorum, tibiarum tarsorumque apice magis vel minus fusco-brunneo. — Varietas: thorace obscuro, vix specie distincta; pedibus pallescentibus a *C. nemoroso* dignoscenda.

**5. C. ciliaris**: rufus, halteribus pedibusque pallidis, thorace brunneo-trivittato, abdomine linea dorsali fusca. ♀.

LINN. Syst. Nat. 2. p. 1002. 2. ♀. *Culex rufus* MEIG. Dipt. 1. 7. 9? ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius. (Lappon.-Botnia borealis ad Johannis Ro, homines tenaciter persequens, d. 2. Sept. visus.)

*Fem.* Long. $2-2\frac{3}{4}$ lin. Priori similis, minor, magis rufus. Thorax rufus, vittis 3 brunneis, obsoletis. Abdomen rufum, linea dorsali fusca obsoleta, incisurisque tenuiter fuscis. Alae totae pallescentes impunctatae. Halteres flavo-rufi. Pedes flavi. Apex femorum, tibiarum tarsorumque articulorum brunnescens. Tarsorum articulus ultimus totus nigricans. Mas mihi ignotus.

**6. C. nigripes**: totus ater, nigro-pubescens, alis hyalinis; abdominis segmentis basi in femina albo-fasciatis. ♂♀.

Sub nomine nullibi, quantum novi, publicato: *Culex borealis* WIED., a D. WESTERMANN ante paucos annos communicata.

Hab. in Groenlandia Mus. D. WESTERMANNI, in Lapp. a me frustra quaesita, vixque ibi obvia. (Groenlandia.)

*Mas* et *Fem.* Long. $3\frac{1}{2}-4\frac{1}{4}$ lin. Species pulchra et distincta, *C. cantanti* affinis, sed tota atra. *Mas:* ater et atro-pubescens. Alae hyalinae. Halteres nigri. Abdomen immaculatum. Pedes testaceo-nigri. *Femina:* nigra, obscure griseo-pubescens, thoracis dorso vittis nigris et ferrugineis mixtis vestito. Alae et halteres ut in ♂. Pedes toti nigri.

---

## 147. Anopheles. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 2. MACQ. *Culex* LINN. FABR.

*Corpus* minoris magnitudinis, subpubescens. Palpi longitudine haustelli. *Color*, *motus* et *habitatio* ut in *Culice*, at individua *Anophelis* rarius occurrunt et feminae, testante LINN., non vulnerant, nec eas pungentes ipse unquam observavi. Species hujus generis vix ad alpes Lapponiae procedunt, intra regionem sylvaticam forte manentes *Differentia sexus*; *mas:* palporum articulis 2 ultimis antennisque plumosis, a *femina:* palpis nudis antennisque pilosis, mox dignoscitur. (Spec. Scand. 2, palpis in utroque sexu longitudine haustelli a *Culice* statim dignoscendae.)

**1. A. bifurcatus**: cinerascens (♂), aut testaceus (♀); thorace fusco-subvittato, abdomine brunneo-annulato, femoribus pallidis; alis immaculatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 11. 1. ♂♀. *Culex bifurcatus* LINN. Fn. Sv. 1891. *Culex trifurcatus* FABR. Antl. 35. 5. *Culex claviger* FABR. Antl. 35. 6.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Scan. pass., ♂ semper rarior.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Thorax in ♂ cinereus, lineis 2 obscuris, in ♀ rufo-testaceus, lineis 3 brunneis. Alae in utroque sexu immaculatae. Abdominis incisurae fusco-brunneae. Pedes pallescentes, tibiis, at in primis tarsis obscurioribus.

**2. A. maculipennis**: testaceo-cinerascens, thorace fusco-subvittato, abdomine obscure annulato, femoribus pallidis; alis fusco-5-punctatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 11. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia per partem sylvaticam passim; ad Wittangi Lapponiae Tornensis, et ad Lycksele Lapponiae Umensis, d. 12–15. Jun. lectus; in Ångermannia usque ad d. 15. Sept. feminas vidi. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Priori simillimus et parum differt nisi thoracis lineis 2 obsoletis, et alis punctis 5, fuscis. Femina hujus speciei plerumque etiam obscurior est quam praecedentis. Pictura abdominis saepe obsoleta.

*Obs. Aedes cinereus* MEIG. nec in Lapponia nec in Suecia hactenus est inventa.

---

# FAM. 40. CHIRONOMII. ZETT.

Corpus elongatum. Caput parvum sessile. Antennae longitudine thoracis, porrectae filiformes, 13—14-articulatae, rarius in ♀ 6-articulatae, maris plumosae (in *Corynocera* nudae), feminae pilosae. Os haud elongatum. Haustellum antennis brevius. Palpi exserti incurvi 4-articulati. Oculi in vivis plerumque virides. Thoracis sutura transversa nulla. Abdomen 8-annulatum. Alae incumbentes aut deflexae. Nervi 3–6-marginem interiorem attingunt. Pedes elongati tenues, saepissime inermes (in *Ceratopogone* interdum spinulosi). Larvae aquaticae. Pupae nudae. Imagines, exceptis *Ceratopoginis*, non sanguisugae.

---

## 148. Corethra. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 4. PANZ. LATR. MACQ. *Tipula* DE GEER. *Chironomus* FABR. FALL.

*Corpus* minoris magnitudinis, subpilosum. Antennae 14-articulatae, radicula non computata, maris verticillato-plumosae, verticillis longitudine versus apicem sensim decrescentibus; feminae breviter pilosae. Palporum articulus basalis brevior. Alae incumbentes angustatae, nervis ut in *Culicinis* directis, villosis, margine postico squamato-ciliato. Nervi 6 longitudinales marginem interiorem alae attingunt. Pedes antici mediocres. *Color* pallide griseus. *Motu* haud agilis. *Habitatio* larvarum in aqua, imaginum in foliis et floribus plantarum; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas*: antennis plumatis, ano bihamato; *femina:* antennis pilosis, ano mutico. (Spec. Scand. 2, antennis 14-articulatis, alarum nervis villosis, 6 ad marginem interiorem ductis, margine ciliato etc., a speciebus generum affinium diversae.)

**1. C. plumicornis:** pallide grisea, thorace fusco-cinerascente, vitta laterali alba. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 15. 1. *Chironomus plumicornis* FABR. Antl. 42. 22. *Tipula crystallina* DEG. Ins. 6. 386. 20. *Corethra lateralis* PANZ. Fn. 109. 16.

Hab. in Lapponia passim; in paludosis ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 14–21. Jun. uterque sexus frequenter; in inferalpinis Nordlandiae ad Björkvik ♀ d. 14. Jul. lecta. (Lappon.-Scan., jam mense Majo frequenter observata.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Tota grisescens subvillosa. Caput, palpi et antennae (praesertim in ♂) fuscescentia. Thorax testaceo-cinereus, fusco-trilineatus, vitta utrinque determinata alba. Abdomen griseum. Alae immaculatae. Halteres pallidi. Pedes flavi immaculati, pilosi. — Larvae in aqua vivunt, omnino pellucidae, crystallinae, unde nomen DEGEERI.

**2. C. rufa**: rufa, thorace obsolete brunneo-vittato, abdominis dorso fusco, pedibus flavis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi et Umensi rarius; in paludosis ad Muonioniska et in Pino ad Lycksele, d. 14–17. Aug. pauca specimina legi. (Lapponia.)

*Fem.* Long. 3 lin. Similis priori, aliter colorata. Tota testaceo-rufa. Antennae saepe pallescentes. Thorax vitta media geminata et macula, utrinque ovata, laete brunneis. Abdomen pubescens, supra fuscum, basi vitta longitudinali media, interdum ultra medium abdominis extensa, testacea. Venter pallidus. Alae pallidae, nervis distincte pilosis. Halteres pallidi. Pedes flavi, aut

immaculati, aut femorum, tibiarum tarsorumque articulorum apice fusco.

*Obs.* *Corethra culiciformis* MEIG. et DEGEER, fusca, abdomine pedibusque griseis, forte in Scandinavia etiam occurrunt, sed nec in Lapponia nec in Suecia reliqua a me visa.

---

## 149. Chironomus. FABR.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 5. LATR. FALL. MACQ. *Tipula* LINN. DE GEER.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, interdum minutum, subpubescens. Antennae maris 13-articulatae (radicula non computata), plumatae, articulo ultimo longissimo; feminae 6-articulatae, pilosae. Alae lanceolatae deflexae ciliatae. Area basalis media simplex. Nervi 3 longitudinales ad marginem alae interiorem decurrentes, obsoleti; nervi illi furcati in medio aut pone medium alae inchoantur; nervi vero ad costam distinctiores. Pedes antici porrecti, tarsis elongatis. *Color* griseus, niger, viridis aut pallescens, pictura thoracis saepe 3-maculata. *Motu* haud agilis; at tempore sereno et calido praesertimque vespertino choreas in aëre saepe ducunt mares. *Habitatio* in foliis et floribus plantarum; per partem sylvaticam, subsylvaticam et subalpinam Lapponiae, nec non inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus; mas:* antennis longe plumosis, plumositate versus apicem sensim decrescente; *femina:* antennis breviter verticillatim pilosis, verticillis saepissime 4. (Spec. Scand. 64 et ultra in museo meo adsunt, articulatione antennarum et directione nervorum in alis a *Tanypode* dignotae.)

### *Sect.* I. *Alae oculo etiam armato nudae (praeter marginem ordinarie ciliatum).*

a) Halteres albidi.

**1. C. plumosus**: virescenti pallidus, thoracis vittis 3 cinereis, abdominis annulis fuscis, alis albis, puncto nigro, pedibus flavis, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice nigricante. ♂♀.

FABR. Antl. 37. 1. ♂. MEIG. Dipt. 1. 20. 1. ♂♀. *Tipula plumosa* LINN. Fn. Sv. 1758.

Hab. in Lapponia, Mus. D. DEUTSCHI, mihi in Lapponia non obvius. (Lapponia; Ostrogothia-Scania 1. Maj. — 1. Aug. freq. - Dania freq. D. STAEGER.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 5, ♀ 4 lin. Inter nostrates hujus generis facile maximus. Totus subnudus virescenti pallidus. Thorax virescens, praesertim in junioribus, dorso maculis 3 vittiformibus, media antice, lateralibus supra radiculam alae, positis, cinereis. Sternum et metathorax cinerea. Abdomen in ♂ pubescens, maculis dorsalibus una serie dispositis fuscis; in ♀ nudiusculum, annulis obscuris. Alae albidae, puncto in medio nigro. Pedes ut in diagnosi. Pluma antennarum in ♂ brunneo-fusca. — Variat vetustior toto corpore obscuriori. Omnis color in vivo laete viridis, in mortuo flavescit.

**2. C. annularis**: laete cinereus, thoracis vittis abdominisque annulis latis, fuscis, alis albis, puncto nigro, pedibus testaceis, femorum, tibiarum tarsorumque articulorum apice nigricante. ♂♀.

*Tipula annularis* DE GEER Ins. 6. 379. pl. 19. f. 15. ♂. f. 14. ♀. *Chironomus annularius* MEIG. Dipt. 1. 21. 3. ♂♀. Sub nomine: *Chir. obscuripes?* MEIG. a D. STAEGER, e Dania nuper missus.

Hab. in Lapponia rarius, mihi tantum in paludosis silvaticis ad Lycksele et Åsele, Lapponiae Umensis, d. 14. Jun. — 26. Jul. obvius. — Uterque sexus etiam in Groenlandia captus mecumque a D. WESTERMANN benigne communicatus forte idem. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ $4^{1}$, ♀ $3^{1}$ lin. Simillimus priori, paullo minor, colore magis cinerascenti (nec pallido), signaturis thoracis abdominisque obscurioribus, pedibus (praesertim in ♂) saepe magis fusco-testaceis, coxis nigris etc. distinctus. Abdomen et pedes in ♂ distincte pilosa; abdomen in ♀ nigro-fuscescens, segmentorum margine cinereo. Reliqua ut in praecedente. Oculi in ♀ viva brunnei.

Var. b. ♂♀. abdomine toto nigro-fusco, vix annulato; forte hujus. Vix *Chiron. grandis* MEIG. Ad Tornoam et in Pinetis ad Wittangi mense Junio capta.

**3. C. rudis**: fusco-niger, thorace cinerascente atro-vittato, abdominis incisuris tenuissime cinereis, alis albis, puncto nigro, pedibus nigro-piceis. ♂♀.

Prof. B. F. FRIES in litteris.

Hab. in Lapponia sylvatica passim; in ripa juxta flumen Tornense ad Wittangi rarius, in Lycksele Lapponiae Umensis frequenter, d. 12. Jun. — 8. Jul. visus; in foliis Betulae nanae ad Ankarsund juxta lacum Stor-Uman in paroecia Stensele d. 6. Jul in copula captus. (Lappon.-Ostrogothia, Scania usque ad 26. Aug., passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 4, ♀ $3^{1}$ lin. *Chir. ripario* MEIG. sat similis videtur, at major. Nec species hujus generis Meigenianas inter se saepe valde affines, ex descriptionibus datis, interdum parum discrepantibus, e notis scilicet levioris momenti varietatesque forte tantum significantibus ortis, semper distinguere valeo. Totus niger. Antennae nigro-fuscae. Thorax obscure cinerascens, vittis 3 ordinariis atris atque ita dilatatis, ut macula humeralis sublunata lineaeque 2 dorsales tenues, macula postica ante scutellum indeterminata, ut et vitta utrinque pectoralis, cinereo-nitentia tantum perspiciantur. Scutellum et metathorax nigra. Abdomen nigrum, segmentis apice tenuissime albidis. Alae albae, puncto minuto et nervo basali abbreviato, nigris. Halteres albidi. Pedes fusci aut piceo-nigri, coxis nigris. *Mas* undique pilosus, abdomine tenui vix annulato; *femina* parum pilosa, abdomine griseo-pubescente crassiori, segmentorum margine apicali distinctius cinereo-nitente.

**4. C. straminipes**: niger subnitidus, thorace cinerascente atro-vittato, alis albis immaculatis, pedibus flavis, geniculis nigris. ♂♀.

*Chir. flavipes* FRIES in litt. forte idem, sed nomen mutandum utpote pro alia specie jam usurpatum; vide No. 37 infra. — ♀ sub nom. *C. nubeculosus* MEIG. a D. STAEGER missa.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; ♂ ad ripam fluminis Tornensis ad Wittangi 10. Jun., et uterque sexus ad lacum Torneträsk d. 10. Jul. in copula, captus. (Lappon.; Gottlandia; Scania, rariss.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 4, ♀ 3 lin. Niger. Alae impunctatae; halteres albi. Pedes pallide flavi, coxis, geniculis, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice nigris. Scutellum pallescens. *Mas:* subopacus pilosus. Pluma antennarum fusco-nigra. Thorax cinerascens, vittis magnis atris. Metathorax niger. Pedes villosi, tibiis tarsisque longius pilosis. *Femina:* subnitida. Thorax pallescens, vittis dorsalibus, sterno et metathorace nigris. Antennae testaceae. Pedes parum pubescentes.

*Obs.* Oculo acutissime armato alae hirsutulae videntur, an rite? In speciminibus Gottlandicis et Scanicis pedes flavi immaculati, coxis tantum nigricantibus. Mas quoque annulis abdominis testaceis gaudet; an ejusdem speciei?

**5. C. lucidus:** niger nitidus, antennis pedibusque fuscis, alis albis impunctatis. ♂♀.

Hab. ad Lycksele et Stensele, Lapponiae Umensis, d 3. Jun. — 3. Jul. rar., d. 4. Jun. in copula captus. (Lapponia; Scania rarissime - e Dania a D. Consil. Camer. STAEGER etiam missus.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 3, ♀ $2\frac{1}{2}$ lin. Valde affinis videtur *Chir. nitido* MEIG., magnitudine paullo majori et pedibus fuscioribus distinctus. Totus niger nitidus subnudus. Antennae fuscae. Pectus parum cinereo-micans. Alae albae impunctatae. Halteres albidi. Pedes aut nigricantes, aut nigro-picei, aut fusco-testacei geniculis obscuris. Coxae semper nigrae. Mas subpilosus.

**6. C. pulcher**: niger nitidus, antennis flavo-fuscis, abdominis annulis pedibusque flavicantibus, alis hyalinis, basi pallidis, macula media costali fusca. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; unicum specimen masculum in Lapponia meridionali Umensi ad Lycksele d. 10. Aug. 1832, unicumque femineum in Lapponia boreali Tornensi ad Karesuando d. 13. Aug. 1821, invenire mihi contigit. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. *Mas:* niger nitidus subnudus. Antennae fuscae plumis pallescentibus s. lividis. Abdomen angustum pubescens nigrum, annulis 4 flavis, segmentis scilicet 1, 3, 4 et 5 margine apicali distincte flavo-subpellucidis. Alae albo-hyalinae, basi flavae, in medio ad costam macula elongata nigro-fusca. Halteres albidi. Pedes cum coxis luteo-flavi, parum pilosi, geniculis, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice fuscis. *Femina:* mari descripto similis, robustior.

**7. C. zonulus:** nigricans opacus; thorace cinerascente, nigro-vittato, abdominis incisuris pedibusque pallide flavis, geniculis tarsisque subinfuscatis, alis albis, punctulo nigro. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; mas in Lapponia Umensi ad Lycksele et femina ad Torneå capti. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 3, ♀ $2\frac{3}{4}$ lin. Statura prioris. Opacus niger. Thorax cinereus, vittis ordinariis nigris dilatatis. Metathorax niger. Abdomen angustum pilosum nigrum, segmentis omnibus margine apicali pallidis. Reliqua ut in diagnosi. Femina pictura abdominis fere ut in *Culice pipiente*.

**8. C. turpis**: nigricans opacus, thorace cinerascente, nigro-vittato, alis albis, nervo transverso fusco, pedibus piceis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, mense Augusto, rarissime. (Lapponia; Botnia borealis ad Johannis Ro prope Tornoam d. 2. Sept. in copula.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 2½, ♀ 2 lin. Statura et affinitas prioris. Nigricans opacus. Antennae fuscae, plumis ♂ brunneis, apice pallidioribus. Thorax cinereus, vittis ordinariis, scutello et metathorace nigricantibus. Abdomen angustum nigrum, in ♂ pilosum. Alae albae, nervis: basali mox abrupto crasso, medio oblique flexo, et eodem fere ad apicem alae recta continuato, fuscis. Halteres albi. Pedes in utroque sexu picei parum pubescentes.

**9. C. productus**: nigro-fuscus, subnitidus, abdominis incisuris tenuissime cinereis, alis albis impunctatis, pedibus flavescentibus, geniculis tibiarumque summo apice nigris; *mas*: thorace testaceo fusco-nigro-trivittato; *femina*: thorace flavicante nigro-vittato. ♂♀.

FRIES in litteris.

Hab. in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime. (Lapponia; Scania tempore verno frequenter in copula.)

*Mas* et *Fem* Long. 2 lin. Similis *Chir. straminipedi* et *lucido*, sed ab illo magnitudine minori, et ab hoc pedibus magis flavis, praesertim dignotus. Abdomen fuscum, aut nigro-fuscum, incisuris plus minus distincte cinereis. Pedes aut flavi aut fusco-testacei; genua et tibiarum apex obscura; tarsi apice saepe fusci. *Mas*: antennae fusco-plumatae. Thorax aut fuscus, aut fusco-testaceus, sterno, vittis 3 dorsalibus, scutello et metathorace, nigris; *femina*: thorax flavus, sterno, vittis 3 dorsalibus distinctis, et metathorace, nigris.

Variat *mas* abdominis medio pallidiori; an specimen nuper exclusum hujus?

**10. C. Rosenschöldi**: niger opacus, thorace cinerascente, nigro-vittato, alis albis, puncto medio et nervo basali abbreviato nigris, pedibus fusco-testaceis. ♂♀.

Hab. ad ripas fluminum Lapponiae passim; ad Lycksele Lappon. Umensis et Wittangi Lapponiae Tornensis praesertim frequenter inveni, d. 12—16. Jun. captum; in Bjorkvik Nordlandiae Norvegicae d. 14. Jul feminam quoque rarius legi. (Lapponia Suecica et Norvegica)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¹ lin. Totus niger. A *Chir. rudi* differt praecipue magnitudine duplo et ultra minori. Thorax cinerascens, vittis ordinariis nigris. Antennae fuscae. Abdominis incisurae vix cinerascentes. Pedes parum pubescentes, aut fusco-testacei aut pallidiores, geniculis tibiarumque summo apice plerumque nigris, tarsis saepe apice fuscis. — Femina alis magis cinereo-hyalinis punctoque medio obsoletiori, at nervo toto longitudinali medio distinctiori, fusco gaudet.

Nobiliss. D. Philos. Doctori EBERH. MUNCK AF ROSENSCHÖLD, non solum Entomologo vere oculatissimo multorumque insectorum Scanensium et Lapponicorum detectori felicissimo, sed etiam Botanico diligenti, Discipulo quondam, amico semper caro, insectum hoc septentrionalis terrae incolam tribuere libenter volui.

**11. C. pubitarsis**: niger nitidus, thorace parum cinerascente, alis albis, nervulo basali abbreviato fusco, pedibus fusco-testaceis, tarsis anticis distincte pilosis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; unicam feminam in Salice ad Junosuando d. 9. Jun., unicumque marem in ripa fluminis Tornensis ad Wittangi d. 14. Jun. inveni. (Lapponia —?)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¾ lin. Simillimus priori, sed thorace magis nitido et tarsis anticis sat longe pilosis, mox distinctus.

**12. C. pullus**: niger subopacus, thorace subcinerascente, nigro-vittato, alis albis impunctatis, pedibus flavis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Wilhelmina d. 21. Jul. detectus. (Lapp. meridional. —?)

*Mas.* Long. 1 lin., vix ultra. A duobus proxime antecedentibus magnitudine minori, alis impunctatis et pedibus laetius flavescentibus praeprimis differre videtur. Antennae fuscae. Alae albae, puncto medio omnino nullo, at rudimento nervuli basalis nigri. Halteres albi. Pedes flavi pubescentes, coxis, geniculis, tibiarum tarsorumque articulorum summo apice nigro. — Variat ♂ scutello et abdominis maculis pallescentibus; forte nuper exclusus; Lycksele 4. Aug. semel.

**13. C. sociellus**: niger subnitidus, alis albis impunctatis, pedibus albidis, abdominis medio viridi-fusco; thorace in ♂ nigro, in ♀ testaceo, nigro-vittato. ♂♀.

*Chironomus* n. sp. ZETT. Iter Lappon. Umense Anno 1832 p. 199.

Hab. in Lapponia passim; in Lapponia Åselensi in foliis Nymphaeae etc. ad lacum Nordsjoen d. 29. Jul. 1832 hanc speciem copiosissime vidi, praesertim mares frequentes, in copula rarius; in Lapponia Tornensi etiam rarius inveni et ad Juckasjervi d. 25. Jun. 1821 unicum par legi; mares jam d 27. Maj. in paludosis ad Karungi prope Tornoa observavi. (Lapponia —?)

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 1 lin. Affinis *Chir. fuscipedi* MEIG. videtur, pedibus albidis etc. distinctus Abdomen fusco-viride, basi apiceque nigricans. Alae lacteae, impunctatae. Halteres albidi. *Mas*: antennae fuscae. Pedes pilosiusculi. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* Specimina heic descripta nuper e pupa fuerunt declarata. In adultioribus individuis abdomen et pedes forsitan paullo obscuriora deprehenduntur. Thorax in ♂ interdum supra fusco-lividus, vittis 3 ordinariis valde dilatatis, dorsum fere totum occupantibus nigris, qualis in speciminibus Juckasjervensibus.

**14. C. frigidus**: niger, parum nitidus, thoracis dorso, in ♂ testaceo-limbato, in ♀ testaceo, vittis 3 discretis atris; alis cinerascenti hyalinis, antennis pedibusque fuscis. ♂♀.

Hab. in Lapponia? E Groenlandia a D. WESTERMANN communicatus. (Lapponia? Groenlandia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1¼ lin. Niger, parum pubescens subopacus. Antennarum plumae in ♂ nigro-fuscae. Thorax fusco-lividus, subtus, vittis dorsalibus 3, in ♂ dilatatis, confluentibus, in ♀ discretis, metathoraceque, nigris. Abdomen in ♂ angustum, in ♀ crassius, in utroque sexu fusco-nigrum, subpubescens, segmentis 3 ultimis margine apicali pallidis. Alae sordide hyalinae, impunctatae. Halteres albi. Pedes toti fusco-picei, subpubescentes.

**15. C. tenellus**: niger nitidus, antennis pedibusque pallide flavis, alis albo-hyalinis, impunctatis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lapponia; Botnia borealis ad Johannis Ro 2. Sept. rariss.)

*Mas.* Long. fere 1½ lin., at valde angustus et tener. Niger. Antennae flavae, pluma pallida. Abdomen filiforme pilosum. Alae albidae, nervis pallidis, totae cum basi immaculatae. Halteres albi. Pedes pallide flavi immaculati, tibiis parce pilosulis.

**16. C. Motitator**: niger, antennis fuscis, thoracis dorso flavo, atro-vittato, tibiis omnibus in medio late, et tarsis posterioribus basi, albissimis, alis albis; abdomine, in ♂ atro, fascia basali flava, incisuris reliquis albis; in ♀ flavo, lineis transversis atris. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 45. 55. ♂♀. FABR. Antl. 38. 2. *Tipula Motitator* LINN. Fn. Sv. 1760.

Hab. in Lapponia meridionali rarius; ad Åsele d. 16. Jul. captus. (Lappon.-Scan.pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 1¹, ♀ 1¼ lin. Niger subglaber. Antennae fuscae. Thoracis dorsum flavum, vittis 3 distinctis atris. Scutellum et metathorax atra. Abdomen in ♂ atrum, segmento 1mo flavo, incisuris reliquis tenuissime albidis; segmentum anale apice albidum; in ♀ flavum, cingulis nigris. Alae albae, omnino immaculatae. Halteres albi Pedes atri. Femora basi pallida. Tibiae fascia media latissima nivea. Tarsi posteriores articulis 3 basalibus albis.

**17. C. bicinctus**: ater nitidus, antennis fuscis, thoracis humeris pallescentibus, abdominis fascia basali mediaque flavis, tibiis late niveis, tarsis posterioribus alisque albis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 41. 8. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Lycksele et Wilhelmina d. 15. Jul. — 4. Aug. captus. (Lappon.-Ostrogothia freq. Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. vix 1 lin. Totus ater nitidus subglaber. Antennae fuscae. Thoracis macula humeralis utrinque flavescens. Abdominis fascia in segmento 1mo et 5to viridi-flava. Incisurae intermediae etiam angustissime pallidae. Appendices ani in ♂ pallescentes. Alae albidae, nervulo basali medio abbreviato fusco. Halteres albi. Pedes nigri, tibiis omnibus in medio fascia lata nivea. Tarsi pedum posteriorum albicantes. — Femina thoracis limbo fere toto et femorum anticorum basi flavicantibus. Mas variat abdominis fascia basali latiori.

**18. C. sylvestris**: ater nitidus, antennis fuscis, thorace flavo, late atro-vittato, abdominis fasciis subtribus, pedibus albidis, genubus omnibus tarsisque anticis nigris, alis albis. ♂♀.

FABR. Antl. 47. 46. MEIG. Dipt. 1. 43. 53. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Wilhelmina d. 16. Jul. captus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 1¼, ♀ 1 lin. Antennae in ♂ fuscae, apice pallidiores. Caput in utroque sexu flavum. Oculi nigri. Thorax flavus, dorso vittis 3 magis vel minus dilatatis, interdum cohaerentibus, sterno, pectore, scutello et metathorace, atris. Abdomen atrum holosericeum, fasciis basali et 2 mediis flavis. Incisurae angustissime, et anus (in ♂) saepe etiam pallida. Alae albae immaculatae. Halteres albi. Pedes albidi, coxis, geniculis late, tibiarum tarsorumque articulorum apice nigris. Tarsi antici toti nigricantes.

*Obs.* Meigeni *Chiron. tricinctus, trifasciatus, annulipes, ornatus* et *sylvestris* valde affines videntur; an specie vere distinctae?

**19. C. annulipes**: ater nitidus, thorace flavo late atrotrivittato, abdomine subtus pallido, alis hyalinis, tibiis fascia lata alba. ♀.

Meig. Dipt. 1. 42. 51? ♀. Sub nomine *C. ornatus* Meig. a D. Consiliar. Camer. Staeger missus.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Lycksele captus. (Lapponia-Scan. pass.)

*Fem.* Long. ¾ lin. Similis priori, paullo minor, abdomine supra nigro, subtus flavo, alis hyalinis, nec albis, ut et femoribus nigricantibus ab illo diversa.

*Mas.* Long. 1¼ lin., antennis fuscis, abdomine nigro, ventre subpallido, pedibus nigricantibus, tibiis sordide albidis, cum femina descripta inventus, forte ejus mas.

**20. C. viridis**: pallide virescens, sterno, pectore, metathorace vittisque thoracis 3 testaceis, alis albo-hyalinis, subimpunctatis, tibiis summo apice puncto nigro. ♂♀.

Sub nomine *Ch. viridulus* Linn., e Dania a D. Staeger nuperrime communicatus (sed vix Linnei idem).

Hab. in Lapponia passim; scilicet in foliis Betulae ad Muonioniska et Torneå, Lapponiae Tornensis, et in graminosis, ad Badstutraesk, Lycksele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis frequenter, d. 29. Jun. — 17. Aug. in copula captus, ♂ rarius occurrit. (Lapp.-Scan., Fries.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 2⅓, ♀ 2 lin. Totus flavo-virescens subnitidus. Oculi nigri. Antennae fuscescentes, in ♂ nitide plumosae, articulo 1mo magno testaceo; in ♀ basi flavae. Abdomen viride, praesertim in ♂ pubescens. Alae albo-hyalinae, nervulo transverso medio obsolete fusco. Pedes pallide virescentes, in ♂ pilosi, tibiarum summo apice in utroque sexu nigro, tarsis pallidis. — Varietas maris thoracis pictura abdomineque fuscis in copula cum hujus femina ad Åsele Lapponiae Umensis d. 25. Jul. semel capta.

**21. C. fascipennis**: totus pallidus, alis hyalinis, fasciis 2 obsoletis fuscis, tibiarum summo apice nigro. ♂.

Vix *Chironomus flexilis* Linn. Syst. Nat. 2. 975. 32? Corpus enim non *nigricans*.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lappon.-Botnia borealis ad Johannis Ro, 2. Sept. rar.)

*Mas.* Long. 2¼ lin. Totus pallide flavus, parum nitidus. Antennae subinfuscatae, articulo 1mo flavo. Oculi nigri. Thorax vittis 3 flavis. Alae hyalinae, fasciis 2, prima in medio alae obsoleta, altera in apice parum perspicua, fuscis. Macula baseos etiam fusca. Pedes pallidi subpilosi, tibiarum summo apice nigro.

**22. C. Tanypodipennis**: totus testaceus, thorace subluteo-vittato, alis hyalinis immaculatis. ♂♀.

Fries in litt.

Hab in Lappon. Umensi rarius; ad Wilhelmina d. 17. Jul. captus. (Lappon.-Ostrogoth. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Totus testaceus. Oculi nigri. Antennae et palpi livida. Pluma antennarum pallide fusca. Thoracis vittae 3 dorsales et sternum, aut lutescentia aut brunnea. Metathorax fuscus. Abdomen linea dorsali saepe fusca. Alae cinereo-hyalinae.

**23. C. bicolor**: flavus, thorace testaceo-vittato, abdomine nigro, alis hyalinis, femorum posticorum basi subfuscescenti. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Stensele d. 3. Jul. detectus. (Lapponia meridionalis.)

*Fem.* Valde pusillus, vix ultra ½ lin. long. Totus pallide flavus, parum nitidus. Thoracis vittae 3 dorsales et sternum, luteo-testacea. Metathorax niger, margine supero flavo. Abdomen nigrum, ventre pallido. Alae hyalinae. Pedes testacei, femoribus praesertim posterioribus ad basin fascia fuscescente. — *Mas* sine dubio aliter coloratus mihi ignotus.

**24. C. pusillus**: virescens, thoracis vittis sternoque fuscis, alis hyalinis impunctatis, tibiarum summo apice nigricante. ♂.

Fabr. Antl. 45. 38. Meig. Dipt. 1. 33. 27. ♂♀. *Tipula pusilla* Linn. Syst. Nat. 2. 975. 37.

Hab. in Lapponia Umensi, ad Lycksele captus. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* Long. 1¼ lin. Virescens. Antennae totae fuscae. Vittae thoracis fusco-brunneo-nigricantes. Sterni macula et metathorax nigricantia. Abdomen tenue, pilosulum, viride aut fusco-viride. Alae hyalinae impunctatae. Pedes toti flavi, pilosuli, tibiarum summo apice nigro.

**25. C. viridulus**: viridis, thoracis vittis, sterno metathoraceque fuscis, alis hyalinis, puncto medio minuto nigro. ♂.

Fabr. Antl. 44. 31. ♂. Meig. Dipt. 1. 31. 22. ♂♀. *Tipula viridula* Linn. Syst. Nat. 2. 975. 35. ♂.

Hab. in graminosis Lapponiae rarius; ad Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 15. Jul. 1832, et ad Karesuando Lapponiae Tornensis d. 15. Aug. 1821, captus. (Lapp.-Suec.-Scan.)

*Mas.* Long. 2½ lin. Simillimus *Chir. viridi* (No. 20.), et forte ejus varietas paullo intensius coloratus. A priori differt magnitudine majori, puncto alarum minuto nigro ut et pedibus virescentibus, nec pallide flavis. Totus viridis. Antennae fuscae. Pictura thoracis jam fusca, jam nigricans, jam obscure luteo-testacea. Abdomen pilosum, obscure viride. Alae albido-hyalinae, puncto medio minutissimo fusco. Nervulus basalis abruptus, fuscus aut virescens. Pedes virescentes pilosi, tibiis tarsisque testaceis.

**26. C. sordidellus**: fuscus, thorace flavo, vittis 3 et sterno nigro-brunneis, metathorace atro, alis hyalinis impunctatis, pedibus flavis, tibiarum summo apice nigro. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Wilhelmina d. 15. Jul. captus. (Lapponia Suecica meridionalis.)

*Mas.* Long. 2½ lin. Similis *Chir. viridi* et *viridulo*, colore fusco, nec viridi, distinctus. Antennae fuscae. Thorax flavus, vittis 3 distinctis et macula sterni nigro-brunnescentibus. Metathorax ater, margine superiori flavo. Abdomen fuscum, pilosum. Alae cinereo-hyalinae impunctatae. Pedes pallidi, pilosuli, tibiarum summo apice nigro.

**27. C. ephippium**: niger nitidus subglaber, thoracis limbo flavo, femorum basi tibiarumque annulo medio albis, alis hyalinis, nervis ad costam fuscioribus. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi, ad Lycksele rarissime inventus. (Lapponia Suecica.)

*Fem.* Long. 1¼ lin. Similis habitu *Mycetophilae*, antennis aliis. Totus niger. Thorax ater nitidus, limbo flavo. Scutellum et metathorax atra. Abdomen subcurvum nigrum opacum, brevissime pubescens, ventre fusco. Alae hyalinae, nervis ad costam fuscis. Halteres albi. Pedes nigri nitidi subglabri, femorum infima basi pallida. Tibiae in medio annulo lato albo.

**28. C. vulneratus**: viridis, thoracis vittis, pectoris metathoracisque maculis sternoque ferrugineis, pedibus pallidis, alis hyalinis, puncto medio minuto fusco. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi, ad Stensele d. 3. Jul. 1832 rarissime captus. (Lapponia meridionalis.)

*Mas.* Long. 4¼ lin. Affinis iterum *Ch. viridi* et *viridulo*, sed major et distinctus. Totus viridis, vix nitidus. Antennae fuscae, articulo 1mo magno luteo. Thoracis vittae 3 distinctae, maculae pectorales 2 utrinque, macula metathoracis gemina et sternum, lutea s. ferruginea. Abdomen elongatum angustum pilosum. Alae abdomine breviores, albo-hyalinae, puncto in medio minutissimo fusco obsoleto. Halteres virescentes. Pedes pallide viridi-flavi pilosuli, tibiarum summo apice nigro. Tarsi praesertim antici fuscescentes.

**29. C. pedellus**: viridis, thorace, ano, genubus, tibiarum tarsorumque apice nigris, alis albo-hyalinis impunctatis, halteribus totis albis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 28. 16. ♂♀. *Tipula pedella* de Geer Ins. 6. T. 19. f. 12. 13. ♂. *Tipula littoralis* var. β. Linn. Fn. Sv. 1759. *Chiron. cantans* Fabr. Antl. 45. 34. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in uliginosis ad Lycksele, Stensele et Wilhelmina, d. 1—19. Jul., in copula captus. (Lappon. meridionalis-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 3½-4, ♀ 3 lin. Totus nitidus niger. Antennae pallidae, articulo primo et ultimo in ♀ fuscis, plumaque in ♂ fusca, summo apice pallidiori. Thorax ater, limbo saepe pallescente. Variat tamen dorso praesertim in ♀ flavo, lineis 3 distinctis atris. Scutellum, metathorax et pectus semper atra. Abdomen in ♂ pallide viride, pilosum, in ♀ saepe intensius viride, segmentis 3 ultimis in utroque sexu nigris. Alae albo-hyalinae impunctatae. Halteres toti albi. Pedes virescenti flavi, geniculis jam latius jam angustius, tibiarumque summo apice, nigricantibus.

**30. C. pedestris**: flavo-viridis, thorace, ano femorumque anticorum apice nigris, pedibus pallidis, alis albo-hyalinis impunctatis, halteribus albidis, clava apice fusca. ♂.

Meig. Dipt. 6. Add. 246. 81. certe. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime, ad Lycksele d. 2. Aug. inventus. (Lapponia Umensis — ?)

*Mas.* Long. 3 lin. Simillimus priori, sed abdominis segmentis 5 primis pallide flavis, vix virescentibus, pedum geniculis non nigris, et halterum clava apice fusca, distinctus. Pedes pallide flavi, tibiarum summo apice nigro. Femorum anticorum clava etiam nigricans. Reliqua ut in praecedente.

*Obs.* Meigeni *Chiron. ornatus, tricinctus, tibialis, gibbus, punctipes* etc., in Suecia interiori passim occurrunt, in Lapponia mihi non obvii.

b) Halteres nigricantes aut fusci.

**31. C. obscurus**: niger opacus, pedibus piceis unicoloribus, alis albo-hyalinis, nervulo medio ad basin, abrupto, puncto in medio alae, halteribusque, fuscis. ♂.
An *Chir. obscurus* MEIG. Dipt. 1. 47. 60?
Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in ripa fluminis Tornensis ad Wittangi d. 12. Jun. captus. (Lapp.-Suecica.)
*Mas.* Long. 3¹ lin. Niger opacus. Antennae nigrae fusco-plumatae. Thoracis humeri certo situ cinereo micant. Abdomen pilosum. Alae abdomine breviores, albo-hyalinae, nervulo basali crasso nigro, nervis ad costam et transverso in medio fuscis. Halteres fusci. Pedes pilosi picei, coxis nigris.

**32. C. assimilis**: niger opacus, pedibus lividis, geniculis fuscis, alis albo-hyalinis, nervulo medio ad basin alae, abrupto, punctoque in medio, halteribusque fuscis (minor). ♂♀.
Hab. in Lappon. pass.; in fenestra ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 12. Jun. 1821 in copula, et ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 22. Jun. 1832 etiam in copula, inventa. (Lapponia Suecica.)
*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 1¾, ♀ 1½ lin. Similis priori, duplo et ultra minor, pedibus lividis, minusque hirtis, distinctus; locus etiam alius. In ceteris quadrant.

**33. C. stercorarius**: ater opacus, alis albis impunctatis, halteribus fuscis, pedibus piceis. ♂♀.
MEIG. Dipt. 1. 46. 57. ♂♀. *Tipula stercoraria* DE GEER Ins. 6. 388. 22. T. 22. f. 14—20. ♀, T. 23. f. 1. ♂.
Hab. in Lapponia passim; ad Kengis Lapponiae Tornensis, nec non in inferalpinis Nordlandiae ad Björkvik, d. 14. Jul. — 22. Aug. in copula captus. (Lapp.-Scan. freq.)
*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 1¼, ♀ 1 lin. Totus ater opacus. Priori iterum simillimus, dimidio minor, pedibus piceis, alis magis albis fere lacteis, impunctatis, rudimento tantum nervuli fusci in basi alae, distinctus.

**34. C. byssinus**: ater opacus, alis albis impunctatis, nervulo basali abrupto nigro, halteribus pedibusque fuscis. ♂♀.
MEIG. Dipt. 1. 46. 58. ♂♀.
Hab. in Lapponia Umensi passim, ex. gr. ad Lycksele mense Aug. in copula captus. (Lapp. meridionalis - Angermannia 15. Sept. in copula rar. - Scan. freq.)
*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 1, ♂ ¾ lin. *Chir. stercorario* in omnibus similis, nec ab illo differt, nisi magnitudine paullo minori, et linea ad basin alae distinctiori, nigra.

### *Sect. 2. Alae (microscopice) hirsutae.*

a) Halteres albidi.

**35. C. hirtulus**: niger, totus hirtus, antennis concoloribus, pedibus piceis, alis sordide albo-hyalinis, distincte hirsutis. ♂♀.
Vix *Ceratopogon bipunctatus* MEIG. Dipt. 1. 74. 18. et *Tipula bipunctata* LINN. Syst. Nat. 2. 978. 57?
Hab. in Lapponia rarius; in Salice ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 21. Jun. inveni; in alpe Dowre a D. BOHEMAN quoque lectus. — E pupa albida obpyriformi caudata, undique spinulosa, sub cortice Pini ad pagos Turtola et Pello, Lapponiae Kemensis, d. 2—3. Jun. a me capta, imagines utriusque sexus egressae d. 5 et 6 ejusdem mensis. (Lapponia - Botnia borealis.)
*Mas* et *Fem.* Longit. 1 lin. Totus niger opacus, longe hirsutus. Pedes picei, pilosi. Species hirsutie corporis a ceteris bene distincta; an *Ceratopogon?*

**36. C. dubius**: nigricans, antennis fuscis, pedibus piceis, alis cinereo-hyalinis, microscopice hirsutis. ♂♀.
Hab. in Lapponia Tornensi rarius; at in ripa fluminis Tornensis ad Juckasjervi d. 3 Jul. sat frequenter vidi, choreas in aëre ducentem. (Lappon. borealis —?)
*Mas* et *Fem.* Long. circiter 1 lin. Opacus. *Mas:* niger, antennis fuscis, alis albo-hyalinis; *femina:* fusco-nigricans, antennis sordide testaceis, alis cinereo-hyalinis. Pedes in utroque sexu piceo-testacei s. lividi, parum pilosi. Species dubia, nam descriptionem secundum individua non bene conservata confeci.

**37. C. flavipes**: nigro-fuscus, antennis pedibusque flavis, alis cinereo-albo-hyalinis, mediocriter hirsutis. ♀.
MEIG. Dipt. 1. 50. 60? ♀. — Sub eodem nomine etiam a D. STAEGER e Dania missus.
Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis et Karungi d. 22-28. Aug. inventus. (Lappon.-Botnia borealis ad Johannis Ro 2. Sept. rar. —?)
*Fem.* Long. 1¼ lin. Totus fusco-brunneus subnitidus. Antennae et palpi flava. Alae immaculatae. Pedes toti pallide flavi, tibiarum summo apice puncto nigro.

**38. C. longitarsis**: fusco-lividus, thorace obscure trivittato, pedibus anticis longissimis subinfuscatis, alis albo-hyalinis, subhirsutis. ♀.
Hab. in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime. (Lapponia meridion.)
*Fem.* Long. 1¼ lin. Affinis videtur *Chir. longimano* MEIG. Dipt. 6. Add. 256. 114., is vero colore corporis carneo a nostro distinguitur. Caput cum antennis et thorax testaceo-livida, hic vittis 3 discretis nigricantibus. Abdomen livido-subpellucidum. Alae albido-hyalinae immaculatae, tenuissime et microscopice hirsutae. Halteres flavi. Pedes lividi, pilosuli, antici subinfuscati, tarsis longissimis. Genicula pedum posteriorum etiam subinfuscata videntur.

**39. C. pusio**: viridis, thoracis vittis et metathorace nigris, alis albo-hyalinis, tenuissime hirsutulis, pedibus viridi-testaceis. ♂.
MEIG. Dipt. 6. Add. 256. 117. ♂. forte idem pallidior seu viridi-albus.
Hab. in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime. (Lapp.-meridionalis —?)
*Mas.* Long. 1 lin. Totus pallide viridis subnitidus. Antennae fuscae. Palpi testacei. Thoracis vittae 3 discretae nigrae. Metathorax niger. Abdomen angustum, intensius viride. Alae albidae. Halteres pallide virescentes. Pedes testacei pilosi, tarsis anticis longis.

**40. C. hilarellus**: flavo-virescens, thoracis vittis et metathorace luteis, alis albo-hyalinis, tenuissime hirsutulis, pedibus virescentibus. ♂.
Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele semel inventus. (Lappon. meridionalis.)
*Mas.* Long. fere 1½ lin. Totus pallide virescens, parum nitidus. Antennae fuscae, certo situ albo-micantes, nitidae; articulo 1mo magno, flavo. Thoracis vittae confluentes, sternum et metathorax, flavo-lutea. Abdomen testaceo-virescens, pilosulum, incisuris infuscatis. Alae ut in diagnosi. Halteres pallidi. Pedes pallidi, pilosuli, femoribus virescentibus, tibiarum summo apice nigro. Metatarsus anticus elongatus.

**41. C. flavellus**: totus pallide flavus, oculis nigris, alis albis, tenuissime hirsutulis. ♀.
Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 2. Aug. semel captus. (Lappon. meridionalis.)
*Fem.* Long. vix ultra ¹ lin. Totus lacte flavus, nitidulus. Oculi (in mortuo) nigri. Alae albo-hyalinae, certo situ lacteo-micantes, tenuissime hirsutulae, distincte ciliatae. Pedes albo-flavi, tibiarum summo apice puncto minutissimo nigro.

**42. C. incomptus**: cinereo-nigricans, pilosus, abdominis basi fusca, alis cinereo-hyalinis, hirsutulis, pedibus lividis, geniculis infuscatis. ♀.
Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lapponia-Bottnia borealis ad Turtola prope Tornoam d. 3. Jun. rariss.)
*Fem.* Long. fere 2 lin. Fusco-cinereo-nigricans, opacus, rude pilosus. Antennae et palpi livida. Thorax cinerascens, lineis 3 angustis subobscurioribus. Abdomen a basi fere ad medium fusco-subpellucidum. Alae hirsutae. Halteres pallidi. Pedes testacei, subpilosuli, geniculis et tarsorum apice subinfuscatis.

b) Halteres fusci.

**43. C. fuscus**: fusco-niger pilosus, alis albo-hyalinis, parum hirtulis, nervis ad costam subobscuris, halteribus albofuscis, pedibus lividis (♂), aut fuscis (♀). ♂♀.
MEIG. Dipt. 1. 52. 75. forte idem. — Sub eodem nomine e Dania a D. STAEGER benigne communicatus.
Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad lacum Torneträsk d. 8 Jul. utrumque sexum inveni. (Lapponia borealis-Suecia rar.)
*Mas* et *Fem.* Long. 2—2¼ lin. Similis *Ch. obscuro* (No. 31), paullo minor et corpore magis fusco-nigro, nec atro, distinctus. Alae albidae, microscopice tantum tenuissime hirtulae, nervis costalibus paullo obscuratis. Halteres sordide albi, seu subfusci. — *Mas:* antennarum pluma brunneo-nigra. Pedes lividi, pilosi. *Femina;* antennae nigro-fuscae. Pedes fusco-picei, parum pubescentes. — Specimen Danicum (masculum) alis distinctius hirsutis gaudet, alias simile.

**44. C. immundus**: cinereo-fusco-nigricans, pilosulus, alis cinereo-hyalinis, subhirtulis, halteribus fuscis, pedibus lividis. ♀.
Hab. in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime. (Lapp. meridionalis.)
*Fem.* Long. vix 1 lin. Valde similis *Ch. incompto*, at duplo minor, pedum geniculis vix infuscatis, et halteribus fuscis, distinctus. Thoracis picturam in specimine minuto distinguere non valeo. Abdomen totum fuscum.

*Obs.* *Chiron. picipes* MEIG. in Suecia inferiori captus, in Lapponia a me non observatus.

## 150. Tanypus. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 6. PANZ. LATR. FRIES. MACQ. *Tipula* LINN. DEG. *Chironomus* FABR. FALL.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis, subpubescens. Antennae 14-articulatae (radicula non computata), maris plumosae, articulis 12 inferioribus globosis, 13 longissimo, apicali brevi, acuto; feminae pilosae, articulis globosis, ultimo crassiori. Alae lanceolatae deflexae, saepissime hirtulae. Area basalis media genuina. Nervi subquatuor longitudinales ad marginem alae decurrentes, obsoleti; nervi illi furcati in medio aut fere ante medium alae inchoantur. Nervi ad costam distinctiores. Pedes antici in animalculo quiescente porrecti, libere in aëre vibrantes, ut in Chironomo; tarsis elongatis. *Color* obscurus aut pallidus, haud virescens. *Motus*, *habitatio*, *mores* et *differentia sexus* ut in *Chironomo*. (Spec. Scand. 21, articulatione antennarum praesertim in ♀, ut et directione nervorum in alis in utroque sexu, in areola basali gemina (nec simplici) imprimis manifesta, a *Chironomo* (generi *Tanypo* de cetero sat simili) dignoscuntur.)

### A) Corpus nigricans aut fuscum.

* Alae nudae.

**1. T. crassinervis:** niger opacus, thoracis limbo laterali ferrugineo, alis nudis albis, nervis ad costam crassis nigris, halteribus pallidis. ♂.

Hab. in Pinetis ut etiam in paludosis Lapponiae meridionalis passim; ad Lycksele, Stensele et Umenaes, Lapponiae Umensis, d. 3. Jul. — 5. Aug. captus; ad urbem Torneå a D. DEUTSCH lectus. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 2, ♀ 2—3 lin. Species valde distincta. Totus niger opacus. Antennae fuscae, in ♂ nigro-plumosae. Thorax limbo laterali minus distincte ferrugineo, macula humerali ferruginea plerumque evidentiori. Abdomen in ♂ subpilosum. Alae in utroque sexu albae, nervis ad costam et transverso medio distincte infuscatis. Halteres albidi. Pedes aut nigri, aut picei, in ♂ tenuiter pilosi. — A *Tanypo nervoso* FRIES, cui similis, corpore opaco, nec nitido, pedibusque nigris, nec basi testaceis, differt.

**2. T. lacteipennis:** niger opacus, thorace fusco-cinereo-vittato, alis lacteis immaculatis, halteribus albis, tibiis subpallidis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lapponia.)

*Mas.* et *Fem.* ♂ $2\frac{1}{4}$, ♀ 2 lin. long. A priori, cui similis, differt: corpore magis cinerascente, alis lacteis immaculatis, nervis tenuibus, halteribus albis etc. *Mas:* Thorax cinereus, vittis dorsalibus obscurioribus. Pedes nigro-fusci, tibiis in medio late albidis. *Femina:* Thorax limbo fusco-testaceus, vittis dorsalibus 3 confluentibus cinereis. Pedes fusco-testacei, tibiis pallidioribus.

**3. T. morio:** niger opacus, alis albo-hyalinis immaculatis, nervulo basali abrupto halteribusque nigro-fuscis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime. (Lappon. meridionalis.)

*Mas.* Long. 3 lin. A *Tan. praecoci* MEIG. tantum differre videtur magnitudine paullo majori, thoracis dorso non albo-lineato, ut et halteribus nigro-fuscis, nec albis. Totus ater opacus. Antennae cum pluma, et palpi, nigra. Pectus certo situ cinereo-micat. Abdomen pilosulum. Alae albidae, fusco-nervosae, nervulo tantum ad basin medio nigro. Halteres nigricantes. Pedes nigri, non pilosi, sed brevissime pubescentes.

*Obs.* *Tan. plumipes* FRIES Monogr. Tan., et *T. nervosus* FRIES et MEIG. in Suecia passim obvii, in Lapponia vix occurrunt. Hic etiam e Dania a D. STAEGER communicatus.

** Alae hirsutae.

**4. T. nebulosus:** nigro-fuscus, thorace cinereo-vittato, halteribus pedibusque pallidis, alis albidis, maculis fuscis, 2 discoidalibus distinctioribus. ♂♀.

MEIG. Dipt. I. 57. 2. ♂♀. FRIES Monogr. Tanyp. Suec. anno 1823. p. 10. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ibi non obvius. (Lappon.-Ostrogoth.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 3, ♀ $2^1$—3 lin. Nigro-cinereus opacus. Antennae fuscae. Thorax fusco-cinereoque alternatim lineatus. Abdomen in ♂ pallide annulatum. Alae albidae, maculis fuscis in margine inferiori obsoletis, in disco 2 distinctis. Halteres albidi. Pedes pallide testacei, genubus tibiarumque apice parum infuscatis.



**5. T. pictipennis:** nigro-fuscus pilosulus, thorace obscure vittato, alis albidis, undique aequaliter fusco-nebulosis, halteribus albis, pedibus flavis. ♀.

Hab. in Lapponia? In Groenlandia captus, a D. WESTERMANN missus. (Lapponia? Groenlandia.)

*Mas.* Long. $2\frac{1}{4}$ lin. Similis *T. nebuloso*, at paullo minor, abdomine non annulato, incisuris tantum anguste pallidis, alis albis aequaliter fusco-maculatis etc. distinctus.

*Obs.* *Tan. punctipennis* MEIG. et FRIES in Ostrog. et Scania freq., in Lapponia a me non visus.

### B) Corpus aut totum aut saltem ad partem pallidum. Alae semper hirsutae.

**6. T. monilis:** albidus, alarum maculis numerosis, pedumque annulis 8—9 fuscis; *mas* thorace, *femina* thorace abdomineque cinerascentibus. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 60. 8. ♂. FRIES Mon. Tanyp. Sv. 13. 7. ♂♀. *Tipula monilis* LINN. Fn. Sv. 1763. *Chironomus monilis* FABR. Antl. 44. 29.

Hab. in frutetis Lapponiae Tornensis, D. FRIGELIUS; in Umensi ad Lycksele et Naestansjö, D. DAHLBOM et ipse, d. 12. Jul. — 14. Aug. haud infrequenter. (Lapponia-Suecia media, Scan. copiose.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ $1^1$, ♀ 2 lin. Pulcher et distinctus. Alae albidae, maculis cinereis numerosis. Halteres albi. Pedes albi, annulis plerumque 9, quarum unus in apice femorum, et 3 in tibiis, nigricantes. Thorax cinerascens, fusco-vittatus. *Mas:* Abdomen album, linea dorsali saepe interrupta punctiformi fusca. Antennae pallide fuscae. *Femina:* Abdomen totum infuscatum.

**7. T. sordidus:** obscure testaceus, scutello pedibusque albis, alis immaculatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad lacum insignem Torneträsk in regione subalpina duo paria in copula d. 8. Jul. 1821 inveni. (Lapponia borealis.)

*Mas* et *Fem.* Long. vix ultra $1^1$ lin. Corpus griseum aut fuscum. Antennae et palpi, in ♂ fusca, in ♀ dilutiora. Thorax fuscus, dorso lineis angustis albis. Macula humeralis parva, in ♀ distinctior, et scutellum, alba. Abdomen fuscum, incisuris in ♂ pallidioribus, ventre in utroque sexu fusco-testaceo. Alae albo-hyalinae immaculatae. Halteres albi. Pedes albidi, tibiarum summo apice puncto nigro; in ♂ hirsuti, tarsis anticis sat longe pilosis.

**8. T. lentiginosus:** pallescens, thorace vittis tribus obscurioribus, abdomine fusco-annulato, pedibus alisque albis, his fasciis 2 obsoletis fuscis. ♂♀.

FRIES Monogr. Tanypod. Sv. 15. 9. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi mens. Aug. rarius; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina d. 19. Jul. in copula quoque a me captus. (Lapponia Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 2, ♀ $1^1$ lin. Pallescens. Oculi nigri. Pluma antennarum in ♂ fusca. Thoracis dorsum vittis 3, aut testaceis, aut cinerascentibus, media gemina seu linea longitudinali angustissima divisa. Sternum et maculae pectorales testacea aut cinerascentia. Scutellum albidum. Metathorax fuscus. Abdomen in ♂ albidum, in ♀ subtestaceum, dorso in utroque sexu incisuris fuscis, in ♂ evidentioribus. Alae albae, fasciis 2 valde obsoletis fuscis, quarum una nervum transversum distincte obscurum transit, altera versus apicem locata. Halteres albi. Pedes albi immaculati, parum pilosi.

**9. T. maculipennis:** pallescens, thorace obscure vittato, abdomine fusco-annulato, alis pedibusque albis, illis maculis irregularibus, his annulo femorum obsoletis, fuscis. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in Nordlandia ad Björkvik d. 14. Jul. semel a me inventus; e Tornoa a D. DEUTSCH etiam missus. (Lapponia, Botnia borealis.)

*Fem.* Long. $1\frac{3}{4}$ lin. Valde similis priori, differt vero praecipue maculis alarum vix fascias formantibus, et annulo femorum fusco obsoleto. Thoracis dorsum vittis 3 griseis. Abdomen dorso fuscum incisuris distincte albis. Alae albae, maculis sub-8 fuscis obsoletis, quarum 5 in margine inferiori; una apicali didyma; septima e loco stigmaticali exeunte fasciformi; et octava nervum transversum nigricantem efficiente. Pedes albi, femoribus ad apicem annulo fusco obsoleto.

**10. T. unifascipennis:** pallidus, thorace testaceo-vittato, pedibus alisque albis, his macula ante medium fasciformi et punctis apicalibus fuscis. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lappon.-Angermannia ad Hernösand, 30. Aug. rariss.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Totus pallidus, oculis nigris. Thoracis vittae, sternum et metathorax testacea. Alae albae, distincte hirsutae, macula ante medium ad costam evidentiori, fasciformi fusca, marginem inferiorem non attingente. Maculae 2 l. 3 in apice

nervorum longitudinalium etiam cernuntur, obsoletiores fuscae. Pedes albidi immaculati.

**11. T. trifascipennis:** pallide testaceus, thorace testaceo-vittato, alis pedibusque albis, illis fasciis 3, his annulo femorum, fuscis obsoletis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Tresunda prope Wilhelmina d. 12. Jul. detectus. (Lapponia.)

*Mas* Long. 2 lin. Totus pallidus. Oculi nigri. Antennae fusco-plumatae. Thorax ut in priori pictus. Abdomen testaceum, incisuris pallidioribus. Alae albidae, fasciis 3 regularibus fuscis. 1ma ad basin, 2da in medio, 3tia apicali. Pedes albidi, annulo femorum ad apicem fusco obsoleto.

**12. T. bicolor:** totus pallidus immaculatus, thorace flavo-testaceo-maculato. ♂♀.

FRIES Monogr. Tanyp. Sv 17. 12. ♂♀. An *Tipula Arundineti* LINN. Fn Sv. 1757?

Hab. in Lapponia pass.; ad Alten Finmarkiae et in monte subalpino Stoettingsfjellet Lapponiae Umensis, d. 31. Jul.—10. Aug. praesertim vidi. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Totus pallidus immaculatus, oculis solis nigris. Thorax vittis 3 dorsalibus, sterno et metathorace, luteo-testaceis s. flavis. Alae albidae, immaculatae.

*Obs.* Species Friesianae: *Tan. varius, choreus, culiciformis, lactus* et *albipes*, ut et Meigenianae, *T. punctatus, T. melanurus, melanops* et *zonatus*, in Suecia inferiori inventae, in Lapponia a me non visae.

*Obs.* Insectum propter pedum formam sat singulare, ob antennarum structuram et, ut videtur, directionem nervorum in alis, huic generi forte inserendum, ad lacum Tornetraesk inveni d. 10 Jul. 1821. Sed in duobus speciminibus haud bene conservatis alisque subplicatis instructis notas tam fideles, ut ex iis speciem certam, multo minus genus novum, fingere audeam, haud eruere valeo. Ad interim igitur speciem dubiam, generi *Ceratopogini* valde affinem propono.

**13. T. crassipes:** fuscus, alis albis immaculatis, pedibus lividis, posterioribus brevibus, femoribus incrassatis. ♀.

Hab. in regione subalpina Lapponiae Tornensis rarissime, ad lacum Torneträsk d. 10. Jul. inventus. (Lapponia septentrionalis Suecica.)

*Fem.* Long. 1 lin. Totus fuscus opacus subglaber. Antennae articulis circiter 14 valde coadunatis, ultimo ovato-conico; totae lividae, parum pubescentes. Alae (fortuito? plicatae) albae, immaculatae, nudae? Halteres albi. Pedes lividi nudi, antici femoribus modice incrassatis, tibiis brevibus, tarsis elongatis pallidis; intermedii femoribus valde incrassatis tibiisque tarsisque brevissimis; postici femoribus incrassatis subincurvis tibiisque modice elongatis, tarsis brevissimis. — in altero specimine, forte juniori, abdominis fasciis pedibusque pallidioribus, femorum tibiarumque summo apice puncto fusco. Antennae mutilatae.

---

## 151. Ceratopogon. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 7. PANZ. LATR. ZETT. MACQ. *Chironomus* FABR. FALL. *Tipula* LINN DE GEER. *Culicoides* LATR.

*Corpus* minutum aut minutissimum, glabriusculum. Antennae 13-articulatae (radicula non computata), articulis 8 inferioribus globosis (in ♂ extrorsum barbatis, barba secunda; in ♀ pilosis), sequentibus cylindraceis elongatis. Alae lanceolatae aut dilatatae, nudae aut hirtulae. Nervi obsoleti, 4 longitudinales in marginem interiorem decurrentes, scilicet 1mus fere in apicem alae simplex; 3tius et 4tus furcam formantes. Pedes subaequaliter longi, basi approximati, femoribus subelongatis, saepe incrassatis. *Color* niger. *Motus* repens; volatus brevis; in ziczac saltat. *Habitatio* in foliis fruticum et floribus plantarum, praesertim locis humidis depressis; per partem sylvaticam et subalpinam Lapponiae, nec non inferalpinam Nordlandiae. *Sexus* in antennis ab inferno ad ultra medium in ♂ barbatis, in ♀ pilosis, mox dignoscitur. (Spec. Scand 32 et ultra, antennis maris apice nudiusculo, pedibus in utroque sexu approximatis, nec remotis, et nervis alarum longitudinalibus 3 et 4 (nec 2 et 3) furcam formantibus, bene a *Chironomo* et *Tanypo* distinctae. Species quoque semper minutae, femoribus interdum incrassatis ut et feminae aliquando pungentes deprehenduntur. Metamorphosis in una specie detecta. Cfr. BOUCHÉ Naturgesch. der Insecten. Ann. 1834. 1. p. 23.)

*Sect.* 1. ***Femora omnia simplicia inermia.***

° Alae nudae.

**1. C. concinnus:** ater nitidus, antennarum basi, abdominis dorso, halteribus pedibusque albis, horum geniculis, tibiarum tarsorumque apice nigris, alis albo-hyalinis immaculatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 77. 23. forte idem. ♀. Sub eodem nomine ex Hafnia etiam a D. STAEGER missus.

Hab. in Lapponia rarius; ad Karesuando Lapponiae Tornensis, d. 15. Aug., et in paludosis juxta Wolgsjoen Wilhelminae, Lapponiae Umensis, d. 17—21. Jul. a me captus; e Torneå a D. DEUTSCH etiam missus. (Lappon.-Scan. rar.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Totus ater nitidus subglaber. Antennae a basi fere ad medium albidae. Abdomen supra et in, rimis versus apicem s. etiam subtus albidum. Alae immaculatae. Halteres albi. Pedes albi, geniculis anticis angustis, posterioribus late, tibiarum summo apice et tarsorum articulis 2 ultimis, nigris. — Tibiae posticae in medio quoque nigrescunt.

*Mas* feminae similis, abdomine basi tantum albido, et antennarum penicillo parvo, pauci-piloso.

Var. b. ♀. abdomine albo, segmentis 4, 5, 6 dorsalibus nigris; hab. in Lapponia rarissime, in Lapponia Tornensi a D. DEUTSCH nec non in graminosis ad Naestausjoe, prope Wilhelmina Lapponiae Tornensis d. 13. Jul. semel a me, captus. In societate cum *C. hortulano* v. b. (No. 10.) lectus.

**2. C. univittatus:** parum pubescens opacus, thorace cano, vitta media brunnea, antennarum basi, abdomine, alis, halteribus pedibusque albis, his nigro-annulatis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Wilhelmina d. 19. Jul. inventus. (Lappon. meridional.)

*Fem.* Long. fere 1 lin. Pulcher, *Cerat. venusto* affinis, thoracis colore et pictura distinctus. Subglaber opacus. Caput cinereum. Antennae fuscae, basi et palpis pallidis. Thorax laete cinereus, vitta media distincta castanea, et puncto postico utrinque ejusdem coloris, obsoleto. Abdomen totum album, ventre linea basali et ano subtus, fuscis. Alae albae, nervis pallidis. Halteres nivei. Pedes albi, antici: femorum tibiarumque annulo medio angusto, geniculis, tibiarum tarsorumque articulorum apice, nigris; posteriores: geniculis, tibiarum tarsorumque articulorum apice, et femorum posticorum basi late, nigris. Coxae omnes cinereae.

**3. C. nigritulus:** niger, antennis halteribusque concoloribus, pedibus piceo-nigris, alis cinereo-hyalinis immaculatis. ♂.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae; in paludosis in insula Senjen mense Jul. rarius captus. (Lapponia Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Totus nigricans, parum nitidus. Halteres nigri, scapo fusco. Pedes aut picei aut piceo-nigri. Antennae maris apice fuscescentes.

**4. C. lacteipennis:** niger subopacus, antennis pedibusque fuscis, alis lacteis, halteribus albis. ♂♀.

An *Cerat. pusillus* FRIES in litt.?

Hab. cum priori rarius, in insula Senjen d. 23. Jul. captus. (Lappon. Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Long. $\frac{1}{2}-\frac{3}{4}$ lin. Similis et affinis videtur MEIGENI *Cer. leucoptero, niveipenni* et *albipenni*, sed a primo horum magnitudine minori et pedibus non testaceis, a *C. niveipenni* etiam magnitudine paullo minori pedibusque lividis unicoloribus, nec atris neque articulo 1mo tarsorum posticorum nigro; et denique a *C. albipenni*, cui magnitudine aequalis, pedibus non nigris, dignoscitur. De cetero ut in diagnosi. Pedes variant aut fusci aut lividi.

**5. C. humeralis:** niger nitidus, limbo humerali, halteribus, femorum basi, tibiarumque annulo medio, flavis, alis hyalinis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Åsele d. 26. Jul. semel captus. (Lappon. meridional.)

*Fem.* Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin. Totus niger nitidus glaber. Antennae breves fuscae; macula sub antennis pallida. Thorax utrinque macula humerali magna, linea collari connexa, flavis. Abdomen subincurvum subpubescens. Alae subcinereo-hyalinae, nitidae, nervulo transverso medio subinfuscato. Halteres pallidi. Pedes tenues nigri, trochanteribus, femoribus infima basi, et tibiis in medio fascia, pallide flavis — Vix *Chironomi* aut *Tanypi* species.

**6. C. sordidellus:** nigro-fuscus opacus, pedibus lividis pilosis, halteribus pallidis, alis dilatatis hyalino-cinereis, macula stigmaticali et altera pone medium alae fuscis. ♀.

Hab. in Groenlandia, a D. WESTERMANN mecum communicatus. (Lapponia? Groenlandia.)

*Fem.* Long. 1 lin. Totus fuscus opacus subpubescens. Alae cinerascentes, macula stigmaticali distincta, et alia pone hanc ad

costam obsoletiori, fuscis. Halteres albidi. Pedes mediocres, aequales, lividi, pilosi.

**7. C. brunnipes**: nigricans subnitidus, pedibus testaceis pilosulis, halteribus pallidis, alis hyalino-cinereis immaculatis. ♀.

MEIG. Dipt. I. 71. 7. ♀.

Hab. in Lapponia Norvegica rarius; in paludosis insulae Senjen Nordlandiae una cum *C. nigritulo* inventus. Lappon.-Ostrogoth. in copula, frequenter-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 1 lin. Fusco-nigricans. Antennarum penicillus in ♂ niger, apice albo-micans. Alae cinereo-hyalinae. Halteres albi. Pedes testacei pilosuli.

*Obs.* Species Meigenianae: *C. communis, subsultans?, signatus, bicolor, venustus* et *palustris*, huic subdivisioni subjectae, in Suecia inferiori inventae, in Lapponia mihi non obviae. — *C. pulicaris*, alis vix nudis, in subdivisione sequente quaerendus.

°° Alae microscopice hirtulae.

**8. C. pulicaris**: nigricans, thorace cinerascente, halteribus pedibusque pallidis, alis albis, fusco-punctatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. I. 75. 20. ♂♀. ZETT. Itinera Lappon. annis 1821 P. 2. p. 141.; et 1832 p. 66. DAHLB. Skandin. Ins. Lund. 1837. *Culex pulicaris* LINN. Fn. Sv. 1892 certe, licet alarum puncta fusca tantum 3 nominentur. FABR. Antl. 36. 12. *Cerat. punctatus* PANZ. Fn. 103. 12. Lapponicis: *Musica*; Bothniensibus: *Hya*, *Scidan*, *Gnadd*; Suecis; *Scidknott*.

Hab. praesertim locis paludosis depressis sylvaticis, per omnes Lapponias sub toto mense Aug. frequentissime; femina praecipue copiose, valde pungens, diutius haerens, aegre pellenda. Viatorum oculorum sinus imprimis quaerit. Denudatis corporis partibus, uti faciei et manibus insidens, mire mordet, morsu maculam s. punctum nigrum in cute relinquente. In copula saepe captus. (Lappon.-Scan. pass.; sed versus Sueciam meridionalem magis magisque rarescit.)

*Mas* et *Fem.* Minutus, parum ultra ½ lin. longus. Brunneo-nigricans. Antennae pallescentes, penicillo in ♂ albo-micante. Thorax cinerascens subopacus. Alae respectu corporis amplae, albae, punctis numerosis, circiter 9—10, in singula ala, parvis fuscis, plerumque discretis; oculo acutissime armato versus apicem tenuissime hirtulae. Halteres albi. Pedes testacei pilosuli.

**9. C. costatus**: totus ater nitidus, nigro-pilosulus, alis cinereo-hyalinis, costa fusca, puncto stigmaticali albo, halteribus niveis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in graminosis ad Wilhelmina d. 21. Jul. captus. (Lappon.)

*Mas.* Long. 1 lin. *Cerat. bipunctato* MEIG. seu *Tipul. bipunctatae* LINN. Syst. Nat. 2. 998. 57. „fusca, alis cinereis, puncto marginali albo", valde affinis et similis videtur, at vix idem. Totus aterrimus, nigro-subpilosulus, thorace nitido. Antennarum penicillus niger. Abdomen nigrum. Pedes nigri, tarsis fuscis, distincte pilosis. Alae cinereo-hyalinae, microscopice et tenuissime tantum hirtulae, costa distincte fusco-villosa, puncto albo. Halterum clava minuta globosa nivea.

*Obs.* *Cer. lucorum* et *bipunctatus* MEIG. in Lapponia non occurrunt, nisi nostri *Chironomus hirtulus* et *Cerat. costatus* iidem existimandi.

## *Sect.* 2. *Femora antica subincrassata*, *subtus spinulosa.*

**10. C. hortulanus**: niger nitidus, pedibus rufis: posticis nigro-piceis, femoribus basi tarsisque flavicantibus, alis cinereo-hyalinis, halteribus fusco-albidis. ♀.

MEIG. Dipt. I. 81. 31. ♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae; in paludosis in insula Senjen in societate cum *Cer. nigritulo*, *brunnipede* et *femorato*, mense Jul. 1821 semel captus; ad Wilhelmina Lapponiae Umensis et suecicae die 17. Jul. 1832 rarissime quoque inventus. (Lapponia —?)

*Fem.* Long. ¾—1 lin. Totus niger nitidus. Antennae fuscae. Pedes anteriores rufo-flavi, geniculis fuscis; postici nigro-picei, femoribus basi flavis, tarsis pallidis. Coxae omnes nigricantes. Abdomen in medio nigro-piceum (an in specimine juniori?). Alae non dilatatae nudae cinereo-hyalinae immaculatae, nervis costalibus paullo obscurioribus. Areola stigmaticalis elongata gemina, per nervulum scilicet transversum in duas divisa.

Var. b. ♀. 1½ lin. long. abdomine basi fascia testacea, alias var. a. similis; in Lapponia Umensi passim occurrit, ex. gr. in graminosis et paludosis ad Umenaes, Naestansjoe et Wilhelmina, d. 7—31. Jul. captus; in societate cum *Cer. concinno* var. b. saepe visus.

*Obs.* Species Meigenianae: *Cer. lineatus*, *flavipes* et *tibialis*, in Scania passim obviae, in Lapponia a me frustra quaesitae.

## *Sect.* 3. *Femora postica incrassata*, *subtus spinulosa.*

**11. C. femoratus**: ater nitidus, pedibus rufis, geniculis fuscis; femoribus tibiisque posticorum nigris; alis hyalinis, halteribus albis. ♂♀.

MEIG. Dipt. I. 88. 37. Sub eodem nomine etiam a D. STAEGER ex Hafnia communicatus.

Hab. in Lapponia rarissime; ♂ ad Lycksele Lapponiae Umensis semel inventus, et ♀ in palude in insula Senjen Nordlandiae in societate cum *Cer. hortulano* capta. (Lapp.-Scania mense Julio passim frequenter.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 1¼—1½ lin. Totus niger nitidus. Antennarum penicillus maris niger. Pedes pilosuli rufescentes, geniculis nigris; postici nigri, tarsis flavis. Alae angustatae nudae, albo-hyalinae immaculatae. Halteres albi. In Lapponia plerumque paullo minor, quam in Suecia, occurrit.

*Obs.* *Cer. morio* et *ater* MEIG. Sueciae inferioris incolae, in Lapponia a me non observati.

*Obs.* *Macropeza albitarsis* MEIG., huic Familiae subjecta, in Gottlandiae nemoribus a me lecta, in Lapponia aut reliqua Scandinavia nondum indagata, quantum novi.

# FAM. 41. CECIDOMYZIDES. ZETT. (*Gallicolae* MEIG.

Corpus elongatum subcylindricum parvum. Antennae porrectae filiformes, multiarticulatae, setis verticillatis. Palpi incurvi. Abdomen 8-annulatum. Alae incumbentes dilatatae, apice rotundatae; hirsutulae, bi- aut tri-nervosae. Nervi tantum 2 marginem interiorem attingunt. Pedes elongati tenues inermes, et tibiae apice non calcaratae. Larvae plurimarum (at non omnium) specierum in gallis vivunt; imagines in graminosis, non sanguisugae.

*Campylomyza atra* et *Aceris* MEIG. in Scania inventae sunt; sed praeterea hujus generis ullae species neque in Lapponia neque in Suecia observatae fuerunt, quantum mihi cognitum est.

## 152. Cecidomyza. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 10. MANNERH. MACQ. *Tipula* LINN. *Chironomus* FABR.

*Corpus* minoris magnitudinis aut parvum, parum pilosum. Antennae thorace longiores, moniliformes, 12—24-articulatae, articulis distantibus pilosulis. Ocelli nulli. Alae villosulae, saepe ciliatae. Nervi 3 longitudinales, quorum superior in apicem alae recta ducitur, reliqui incurvati, medius saepe in disco subinterruptus. Pedes pubescentes; articulus 1mus tarsorum brevissimus. *Color* niger, cinerascens aut carneus, post mortem in fuscum mutatur. *Motu* haud agilis, at sat celeriter serpit. *Habitatio* in graminosis et foliis fruticum, per partem sylvaticam et subalpinam Lapponiae. *Larvae* in stercore bovino, ligno putrido, gallis plantarum etc. hybernant; tempore verno in *pupas* varii coloris et magnitudinis mutantur. In hoc statu 8—14 dieb. manent. *Differentia sexus*; *mas:* antennis longitudine corporis, plerumque circiter 24-articulatis, articulis globosis verticillatim pilosis, ano obtuso; *femina:* antennis corpore brevioribus, articulis saepe circiter 12—14, oblongis, subdepresso-pilosis, ano longe acuminato. (Spec. Scand. 10, a *Campylomyza* ocellis nullis (nec 3), antennis longioribus, articulis discretis pilosis, articuloque 1mo tarsorum brevissimo (nec elongato) etc., et a *Lasioptera* alis trinerviis (nec binerviis) antennisque longioribus, articulis remotis, dignoscendae.)

° Alae margine ciliatae.

**1. C. rosea**: pallida, abdomine roseo, incisuris thoracisque vittis 3, nigris, alis in pilositate cinerascentibus. ♂.

Hab. in paludosis Lapponiae Umensis; d. 7. Jul.—2. Aug. 1832, ad Umenaes haud infrequenter, ad Wilhelmina, ad Lycksele rarius, inventa; in Dyroen Nordlandiae Norvegicae d. 21. Jul. 1821 semel quoque capta. (Lapponia —?)

*Mas.* Long. 2—2¼ lin. Tota pallida subnitida glabriuscula, sat pulchra. Caput sub thorace gibbo valde protuberante insertum. Antennae, ni fallor, 26-articulatae, pallidae. Thorax dorso vittis

3 latis subconfluentibus nigris aut piceis. Abdomen in viva carneum s. pulchre roseum, in mortua luto-flavum; segmentorum margine apicali nigro aut brunneo, unde abdomen supra nigro-fasciatum videtur. Alae hyalinae, tenuiter villosae, distincte ciliatae. Halteres elongati et pedes, pallidi. — Affinis et quodammodo similis *Cecidomyzae Aurorae* Mannerh. in Act. Moscov. Tom. 6. descriptae et figuris illustratae; at illa a nostra colore aurantiaco totius corporis etc. discrepat.

**2. C. hirtipes**: pallescens nitida, thorace vittis 3 griseis obsoletis, alis pilositate cinereis, pedibus distincte fusco-hirtis. ♂?

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis d. 22. Aug. semel capta. (Lapponia.)

*Mas.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Pallescens nitida. Antennae mutilatae. Thoracis vittae obscurae, parum perspicuae. Abdomen infuscatum. Pedes pallidi, distincte fusco-hirsuti. Reliqua ut in diagnosi.

**3. C. monilicornis**: tota griseo-fusca, ventre pallidiori; antennis moniliformibus, alis pilositate fuscis. ♀.

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime; in alpe Dowre a D. Boheman inventa. (Lapponia.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Tota griseo-fusca glabriuscula parum nitida. Antennae 22-articulatae fuscae pilosae pulchre moniliformes, articulis globosis parum distantibus. Pectus pallescens. Anus longe acuminatus. Venter pallidus. Alae fumatae, distincte villosae et ciliatae. Pedes fuscescentes, parum pilosi.

**4. C. nudipennis**: fuscescens, pedibus pallidioribus, thoracis dorso fusco-vittato, abdomine carneo, alis nudiusculis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in alpe Brattiksfjell prope Gardfjellen, in ipsa nive ambulans a D. Dahlbom d. 8. Jul. 1832 inventa. (Lapponia meridionalis.)

*Fem.* 1 lin. long. Subfusca nuda, parum nitida. Thoracis vittae obscurae. Abdomen totum carneum. Alae hyalinae, tenuiter villosae, distincte ciliatae. Halteres longi subfusci. Pedes tenues nudiusculi, sordide pallidi. *Mas* obscurior, thorace toto, abdominis dorso et halterum clava fuscis; alias feminae descriptae simillimus et cum illa in Brattiksfjell captus, sine dubio ejus mas.

**5. C. laterella**: sordide albida, argenteo-pubescens, thoracis dorso piceo, antennis fuscis; alis pilositate cinereis, nervo longitudinali 3tio rectangulatim flexo, halteribus albidis. ♀.

An *Cecidom. Pini* Meig. Dipt. I. 99. add. a): „nigro-brunnea, pedibus argenteo-albis"? citat. ut synon. *Tipula Pini* de Geer Ins. 6. 156. 28. Tab. 26. f. 9 19.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; e pupa oblonga pallida nuda, foliolo Pini adglutinata, et ad Haparandam inventa, d. 25. Maji 1821 egressa. (Lapponia; Botnia; in fenestra Lund Scaniae d. 29. April. 1824 ♀ semel capta forte ejusdem speciei.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Griseo-pallescens, tota cinereo-villosa, pedibus praesertim e pubescentia depressa argenteo-micantibus. Antennae longitudine dimidii corporis, circiter 13-articulatae, articulis discretis suboblongis; totae fusco-testaceae. Thorax pallidus, disco dorsali nigro-brunneo s. piceo. Abdomen pallescens (in viva forte carneum), sat dense albo-pubescens. Alae pilositate cinereae, nervis 2 et 3 in medio per nervulum transversum connexis, et hoc (nervo scil. 3tio) ad connectionem per angulum rectum fracto in marginem interiorem alae haud longe a basi descendente. Halteres et pedes albidi, hi argenteo-micantes.

*Obs.* *Cecid. palustris* (*Tipula* eadem Linn.) et *Cecid. griseocollis* Meig., in Suecia inferiori deprehensae, nec in provinciis borealibus adjacentibus a me observatae.

** Alae margine nudae (non ciliatae.)

Meigeni species: *Cecid. flava, lutea* et *lateralis*, sub hac divisione militantes, Sueciae inferioris incolae, in Lapponia hactenus non inventae sunt.

*Obs.* *Tipulae longicornis* et *pennicornis* Linn. Fn. Sv., et haec (*T. pennicornis*) in Aristolochiae Clematit. floribus, verno tempore in hortis Scaniae saepe occurrunt, in Lapponia a me frustra quaesitae.

*Obs.* Specimina quaedam hujus et praecedentis generis e Lapponia reportavi, quae forte ad species distinctas referenda sunt. Sed ex hisce individuis animalculorum minutissimorum non bene conservatis, et una alterave parte mutilatis, nec novas species fingere audeo, nec ad cognitas certe referre valeo.

## 153. Lasioptera. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 9. *Tipula* Linn. Deg. Schrank. *Cecidomyia* Meig. olim.

*Corpus* minutum aut minutissimum. Antennae thorace parum longiores, submoniliformes, articulis globosis pilosis parum distantibus. Ocelli nulli. Alae villosulae, binerviae, ciliatae. Pedes tenues. *Color* obscurus aut pallidus. *Motu* parum agilis. *Habitatio* in graminosis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtusiore; *femina:* ano acuminato. (Spec. Scand. 3, alis binerviis (nec trinerviis) a *Cecidomyza* praecipue et mox dignotae.)

**1. L. minuta**: pallescens, pedibus albidis, alis pilositate cinereis. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele scilicet tantum exemplum unicum d. 2. Aug. a D. Dahlbom captum. Secundum annotationes meas, ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 26. Jun. 1821 a me quoque capta, sed specimen in collectione jam deperditum. (Lapponia-forte etiam in Suecia inferiori occurrit, licet inter Diptera minutissimum observationi scrutatorum hactenus se subtraxerit.)

*Mas.* Valde minuta et tenera, vix $\frac{1}{2}$ lin. longa. Sordide pallescens. Antennae thorace paullo longiores, circiter 13-articulatae, pilositate fuscae. Abdomen corrugatum. Alae hyalinae, cinereo-tenuiter villosae, villositate hinc inde densiori, unde quasi maculae fuscae, valde licet obsoletae, ad costam praesertim exstant. Pedes valde tenues pilosiusculi pallidi, articulo tarsorum 1mo, ut in specimine minutissimo mihi videtur, quam proximo longiori.

*Obs.* *Tipulam juniperinam* Linn. Fn. Sv., huic generi associandam, in Lapponia invenire mihi non contigit, licet ibi sine dubio haud peregrinam.

## FAM. 42. PSYCHODIDES. Zett. (*Noctuaeformes* Meig.)

Corpus parvum oblongo-ovatum, distincte villosum. Antennae mediocres moniliformes. Palpi exserti 4-articulati incurvi. Abdomen 8-annulatum. Alae dilatatae, dense hirtae, nervis longitudinalibus pluribus, transversis nullis. Pedes breviusculi omnino inermes.

## 154. Psychoda. Latr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 12. Latr. Fabr. Macq. *Tipula* Linn. Deg. *Bibio* Geoff. *Trichoptera* Meig. Klass.

*Corpus* minutum, phalaeniforme, undique dense hirtum. Antennae longitudine thoracis, circiter 12-16-articulatae, moniliformes, verticillatim pilosae, articulis 2 basalibus crassioribus. Alae latae, valde hirsutae, nervis longitudinalibus 8-10, quorum saltem 2 furcati, et 5 l. 6 marginem alae interiorem longe ciliatum attingunt. Pedes breves crassiusculi. Tibiae muticae, nec apice calcaratae. *Color* obscurus. *Motu* celerrima, inquieta, in foliis circulatim currit. *Habitatio* larvarum in paludosis et sub quisquiliis, imaginum in locis humidis, sordidis, umbrosis, in foliis fruticum, etiam in cloacis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* externe nulla. (Spec. Scand. 10, corpore hirsutissimo facile dignotae, noctuam s. phalaenam minutissimam mentientes.)

**1. Ps. Phalaenoides**: fusco-cinerea, pedibus sordide albidis, alis punctis marginalibus obscuris.

Meig. Dipt. 1. 104. 1. (mensura long. $1\frac{1}{2}$ lin. forte erronea). Fabr. Antl. 49. 1. Macq. Dipt. Gall. 1. p. 166. 1. *Tipula Phalaenoides* Linn. Fn. Sv. 1771. de Geer Ins. 6. 422. 30. Tab. 27. f. 6.

Hab. in foliis Betulae et in graminosis l. paludosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae, passim; sed ad Lycksele Lapponiae Umensis et ad Björkvik Nordlandiae, d. 22. Jun. — 14. Jul. frequentius visa. (Lappon.-Scan. freq.) *Larva* cylindrica utrinque attenuata, sordide albida, scabra, postice muricata, incisuris glabris. **Long.** $\frac{1}{2}$ lin. Harum millia in vegetabilibus putridis sociatim hybernant. Tarde se movent. *Pupa* conica sordide flavo-brunnea, pilis solitariis vestita. Long. $\frac{2}{5}$ lin. In statu hoc 2-3 hebdom. manet. April. Martio excluditur. 2-3 generationes aestate procreantur; Bouché.)

Long. $\frac{3}{4}$ usque ad 1 lin. Tota fusco-cinerea s. griseo-brunnea. Pedes pallidiores. Antennae 14-articulatae, teste Meigen. Alae hirtae, hirsutie in disco certo situ maculas umbraticas nebulosas formante, punctis ad apicem singulorum nervorum juxta marginem alae evidentioribus. Haec autem pictura valde fugax cito evanescit, relicta saepe tantum pilositate tenaciori in nervis, et ciliatura grisescente in margine alae.

**2. Ps. trifasciata**: cinerea, pedibus sordide albidis, alis albescentibus, fasciis tribus angulatis fuscis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 105. 3.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in paludosis ad Stensele 3. Jul. frequentius visa. (Lapp.-Scan. in copula freq. mens. praesertim Sept.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Similis priori, paullo major, pictura alarum diversa. Alae fasciis 3 nigricantibus, mediis angulatis, ultima apicali, intus truncata.

*Obs.* E *Psych. ocellari* et *nubila* Meig. atque pluribus aliis hujus generis speciebus in Suecia inferiori frequenter occurrentibus, nullae a me huc usque in Lapponia observatae fuerunt, licet ibi vix peregrinae.

## FAM. 43. SCIARINAE. Zett. (*Lugubres* Meig.)

Corpus parvum saepe minutum. Antennae longitudine circiter thoracis, cylindricae pubescentes. Palpi exserti incurvi, 3-articulati. Oculi in fronte fere contigui, profunde emarginati. Ocelli inaequaliter magni. Thoracis sutura transversa nulla. Abdomen cylindricum 7-annulatum. Alae incumbentes. Nervi longitudinales 5, medius furcatus. Pedes elongati tenues.

### 155. Sciara. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 34. Fabr. Panz. Macq. *Tipula* Geoffr. Gmel. *Hirtea* Fabr. *Molobrus* Latr.

*Corpus* parvum aut minutum, oblongum, posterius attenuatum, parum pubescens molle. Antennae porrectae cylindricae arcuatim reflexae, tenuiter et breviter pubescentes, 16-articulatae, articulis 2 basalibus paullo crassioribus nudis. Alae sat magnae elongatae, nudae aut tantum microscopice hirsutulae. Nervi longitudinales 5, quorum subquatuor marginem interiorem alae attingunt. Pedes elongati tenues brevissime pubescentes, femoribus latere interiori sulcatis; tibiae apice calcaribus binis armatae. *Color* niger obscurus, abdomine interdum flavo. Alae plerumque nigricantes, unde nomen generis. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in graminosis, floribus, foliis fruticum et fungis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam maritimam Nordlandiae Finmarkiaeque, in alpes haud adscendens. Larvae cylindricae nitidae nudae, plerumque sordide albidae, sub cortice arborum hybernant; tempore verno in pupas cylindrico-obconicas mutantur, sub cortice arborum manentes. In statu nymphae circiter 8—14 dieb. degunt. *Differentia sexus*, *mas*: ano obtuso, forcipe biarticulata terminato; *femina*: ano longe acuminato simplici. (Spec. Scand. 22 et ultra, antennis filiformibus breviter pubescentibus, alis umbraticis 5-nervosis, nervo submedio furcato, et pedibus inermibus, tibiarum apice bicalcarato, facile dignoscendae.)

#### *Sect. 1. Nervus alarum auxiliaris (seu proximus costae) usque ad originem (basin) furcae nervi longitudinalis tertii extenditur et ultra.*

° Halteres nigricantes s. nigro-brunnei.

**1. S. morio**: atra nitida, alis fuliginosis, halteribus pedibusque piceis, femoribus anticis fusco-testaceis; abdomine feminae (in viva) vitta laterali crocea. ♂♀.

Fabr. Antl. 57. 2. ♀. Meig. Dipt. 1. 278. 2. ♂♀. Macq. Dipt. Gall. 1. p. 86. 1. *Hirtea forcipata* Fabr. Antl. 55. 16 ♂.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ipsi ibi non obvia; in tota Suecia de cetero communis. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2 lin. Tota atra nitida. Antennae thorace fere longiores, in ♂ paullo distinctius pilosae, quam in ♀. Abdomen in ♂ subpubescens, lateribus in ♀ linea crocea, quae tamen in mortua fere perit, remanente, interdum linea marginali angusta fusca. Alae in ♂ fumatae; in ♀ obscuriores fuliginosae aut nigricantes. Pedes nigro-picei, femoribus anticis in ♂ testaceis, in ♀ obscurioribus.

*Obs.* Femina hujus forte est *Tipula Thomae* Linn. Syst. Nat. 2. 976. 39. vera. At Meigeni *Sciara Thomae* alia videtur species, duplo major, in Suecia vix obvia.

*Obs.* *Sciara carbonaria* Meig. in Scania frequenter, in Ostrogothia passim, in Lapponia vix, occurrit.

°° Halteres pallescentes. Alarum nervi longitudinales medii furca elongata.

**2. S. picipes**: nigra, alis fuliginosis, halteribus fusco-testaceis, pedibus nigro piceis, femoribus anticis obscure lividis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lapp.-Nordlandia ad Hernosand 30 Aug. rarissime.)

*Fem.* $1\frac{1}{4}$ lin. long. Tota nigra subnitida subpubescens. Abdomen piceo-nigrum. Alae fuliginosae. Halteres testacei, clava paullo obscuriori. Pedes nigro-picei, parum pubescentes; femoribus anticis obscure testaceis.

**3. S. sordida**: nigro-subopaca, alis cinereo-hyalinis, halteribus fusco-testaceis, pedibus obscure lividis, tarsis fuscis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime: a D. Deutsch missa. (Lapponia; Torneå.)

*Fem.* $1\frac{1}{4}$ lin. long. Affinis priori, opaca, alis magnis hyalinis, colore corporis griseo-nigro, et femoribus omnibus obscure lividis, distincta. *Sc. hyalipenni* et *brunnipedi* Meig. similis quoque videtur, sed a priori thorace vix lineato, et a *S. brunnipede* antennis nigris, nec testaceis, differt. Tota nigra brevissime grisescenti puberula. Antennae tenues, thorace paullo longiores, omnium brevissime pubescentes. Alae cinereo-hyalinae, nervis tenuibus, costalibus validioribus.

**4. S. hirtipennis**: nigra subnitida pubescens, thorace atrolineato, alis hyalinis, hirtulis, halteribus pedibusque testaceis, tarsis fuscis. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica rariss.; ad Bjorkvik Nordlandiae 23. Jul. inventa. (Lapp.; Scan. rar.)

*Mas.* Long. 1 lin. Alis hirtulis ab affinibus mox dignoscitur. Tota nigra nitida pilosula, thorace subcinerascente, lineis 4 atris. Antennae thorace duplo longiores, distincte cinereo-pubescentes. Alae cinerascenti hyalinae, tenuiter at perspicue hirtae, hirsutie depressa. Nervi ad basin praesertim pallescentes. Halteres et pedes testacei, tarsis obscuris. Coxae elongatae, flavescentes.

**5. S. testacea**: flavo-testacea nitida, pedibus pallidioribus, antennis fuscis, basi flavis, alis hirsutis, nervis longitudinalibus 2—5 nervulo transverso ante medium alae connexis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lapponia; Botnia borealis ad Johannis Ro 2. Sept. rariss.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Tota flava, parum pubescens, supra testacea nitida. Oculi in fronte connexi. Antennae thoracis circiter longitudine, filiformes, brevissime rigide pubescentes, ni fallor 12- vel 13-articulatae, articulis valde coadunatis, nigro-fuscae, articulis 2 basalibus flavis. Palpi flavi. Thoracis dorsum vittis 3 confluentibus brunneo-testaceis. Alae pilositate subcinereae, nervis pallescentibus, costalibus obscurioribus; longitudinalibus 2, 3, 4 et 5 paullo ante medium alae per nervulum transversum connexis, unde in ala formatur area basalis. Nervus 6tus longitudinalis etiam adest, licet obsoletior, brevis. Halteres et pedes toti flavi, tarsis posticis subinfuscatis. Tibiae calcaribus ordinariis, posticaeque spinulis 4, 5 minutissimis, armatae.

*Obs.* Alarum hirsutie et nervorum directione haec species a ceteris hujus generis singulariter quidem abludit; sed ex duobus individuis, quorum unam tantum completum, novum genus fingere non audeo, *Sciarae* de cetero sat simile.

*Obs.* Meigeni *Sc. bicolor*, *annulata* et *brunnipes* in Suecia passim obviae, in Lapponia a me non observatae.

#### *Sect. 2. Nervus alarum auxiliaris ad originem furcae nervi longitudinalis tertii non extenditur (paullo infra basin hujus furcae ad costam terminatur.)*

° Halteres nigricantes s. nigro-brunnei.

**6. S. fuscipes**: nigra subopaca, alis fumato-hyalinis, pedibus fuscis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 280. 5. ♀. *Sciara praecox* Meig. Dipt. 1. 279. 4. est forte hujus ♂.

Hab. in Lapponia Umensi frequenter; in graminosis paludosis et in foliis fruticum Betulae, ad Lycksele et Umenaes, d. 14. Jun. — 7. Jul. vulgaris, in copula saepe deprehensa. (Lapponia meridionalis Suecica-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem* Long. ♂ 1, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin. Tota nigra vix nitida, parum pubescens. Oculi in viva nigri. Antennae maris thorace fere duplo, feminae illo parum, longiores. Thorax certo situ atro-lineatus videtur. Alae cinerascentes s. fumato-hyalinae. Nervi tenues; auxiliaris non omnino ad basin furcae elongatae extensus. Halteres nigricantes, stipite sordide albescente. Pedes fusci s. nigropicei nudi, femoribus anticis interdum livido-fuscis, coxis tarsisque omnibus obscuris. — Similis *Sc. picipedi* (No. 2), colore alarum halterumque distincta.

Var. b. ♀. pleuris halteribusque testaceo-fuscis, femoribus et praesertim coxis anticis pallidioribus, forte junior et nuper exclusa, in

alpe Brattiksfjell Lapponiae Umensis d. 8. Jul. in nive ambulans capta. Forte haec est *Gciara praecox* Meig. l. c. genuina.

**7. S. nitidicollis**: nigra, thorace nitido, pedibus testaceo-fuscis, alis subhyalinis, nervis pallidis, auxiliari brevi; antennis breviusculis. ♂♀.

Meig. Dipt. I. 281. 8. (forte ♀ ob antennas breves); an etiam *S. vitripennis* Meig. Dipt. I. 281. 9. ♂?

Hab. in graminosis et foliis fruticum, in Lapponia Tornensi mense Junio passim visa. Plures larvae et pupae sub cortice arborum putrescentium humidarum Pini, ad Wittangi et Pello d. 4–15. Jun. a me inventae. Larvae d. 11–12. Jun. abierunt in pupas obconicas albidas, parcissime setulosas, e quibus imagines declaratae post 3 vel 4 dies (14–15. Jun.) prodierunt. Feminae maribus frequentiores. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Long. ♂ 1, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin. Nigra, vix pubescens. Antennae feminae longitudine circiter thoracis, maris illo paullo longiores. Thorax nitidus. Abdomen fuscum, ano in ♀ vaginato longe erumpente. Alae cinereo-hyalinae, nervis pallidis, auxiliari breviori quam in antecedentibus, et minime ad originem furcae extenso. Petiolus furcae valde obsoletus. Halteres fusco-brunnei, stipite pallidiori. Pedes aut fusci, aut obscure testacei. — Variat junior tota dilutior, pedibus subpallescentibus.

**8. S. variabilis**: nigra, thorace subopaco, pedibus fuscis aut testaceis, alis subhyalinis, nervis pallidis, auxiliari brevi, antennis subelongatis. ♂♀.

Hab. in graminosis et foliis fruticum Lapponiae rarius; ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 14. Jun., et ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae d. 13–14. Jul. inventa. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 1, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin. A priori, cui simillima, non differt nisi thorace vix nitido et antennis longioribus. Antennae scilicet maris thorace duplo et ultra longiores, ♀ illo paullo longiores. Pedes aut fusci aut lividi. Reliqua ut in priori.

**9. S. iridipennis**: nigra subopaca, pedibus fuscis, alis hyalinis, metallice nitentibus, nervis: auxiliari brevi, furcato pallido. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; mas ad Lycksele semel captus, at femina in Groenlandia inventa, a D. Westermann missa. (Lapponia: Groenlandia.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 1 lin. Tota nigra subrobusta, parum nitida subglabra. Antennae ♀ thorace parum, ♂ fere duplo, longiores. Alae hyalinae, iridis colore tinctae. Nervi costales valde obscuri, reliqui pallidi, auxiliaris brevis seu vix ad medium costae extensus, ad basin furcae minime adscendens. Halteres nigricantes. Pedes fusci s. fusco-lividi, in ♂ obscuriores.

**10. S. pulicaria**; nigra, thorace subnitido, pedibus testaceis, alis subhyalinis, nervis, auxiliari brevi, furcato pallidissimo obsoleto. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rarissime; in paludosis in insula Senjen mense Julio inventa. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas.* Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin. Tota nigra. Similis priori, sed ab illa differt magnitudine paullo minori, thorace forte paullo nitidiori, alis cinereo-hyalinis, ut et pedibus pallidioribus. Nervus auxiliaris brevis. Nervus furcatus tenuis pallidus, petiolo valde obsoleto.

**11. S. silvatica**: nigra parum nitida, pedibus nigro-fuscis, alis subhyalinis, nervo auxiliari mediocri. ♂♀.

Meig. Dipt. I. 283. 15? ♂. *Sc. nervosa* Meig. Dipt. I. 283. 16. est forte femina hujus.

Hab. in Lapponia passim; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis ♂ d. 25. Jul. semel captus, sed ad Lycksele et Stensele, Lapponiae Umensis uterque sexus d. 1. Jul. — 5. Aug. haud infrequenter lectus, d. 3. Jul. in copula deprehensus. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas.* et *Fem.* Long. $\frac{2}{3}$ lin. Tota nigra subopaca subglabra. Antennae ♂ longitudine fere corporis, ♀ thorace paullo longiores. Alae cinereo-hyalinae, metallice nitentes. Nervi, costales validi obscuri, reliqui tenuiores, furcatus obsoletus; auxiliaris in medium fere costae ductus, parum ante basin furcae desinens. Halteres et pedes nigro-fusci.

*Obs.* Species Meigenianae: *Sc. fenestrata*, *fuscipennis* et *Scatopsoides*, in Suecia inferiori collectae, in Lapponia non observatae.

°° Halteres pallescentes.

**12. S. fenestralis**: nigricans parum nitida, pedibus testaceis, alis cinereo-hyalinis, nervis, costalibus nigris, reliquis pallidis; auxiliari fere ad basin furcae elongatae extenso; antennis thorace paullo longioribus. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica Sueciae passim; scilicet ad Kengis et Karesuando, Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, d. 4. Jun. — 15. Aug. capta, in fenestris saepe deprehensa. (Lapponia —?)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Nigra, parum nitida, thorace cinereo-subpollinoso. Alae cinereo-hyalinae, metallice nitentes, ut in plerisque. Nervi, costales distincti validi nigri; auxiliaris ad medium costae, et secundus longitudinalis fere ad apicem alae, extensi; reliqui pallidiores tenues, furca elongata. Halteres elongati, pedesque cum coxis, flavo-testacei, tarsis obscuris. — Variat pedibus totis fuscis.

**13. S. affinis**: nigro-cinerea, parum nitida, thorace lineis obscurioribus obsoletis, pedibus totis flavis, alis cinereo-hyalinis, nervis tenuibus, costalibus approximatis fuscis, reliquis pallidis, auxiliari brevi; antennis thorace in ♂ fere duplo, in ♀ paullo longioribus. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius, in Umensi passim, ex. gr. in graminosis ad Wilhelmina et Lycksele d. 15. Jul. — 4. Aug. capta; d. 21. Jul. in copula visa. (Lappon.-Ångermannia 15. Sept.)

*Mas* et *Fem.* Long. $\frac{3}{4}$ lin. *Sc. longipedi* affinis, antennis nigris, nec brunneis, ut et alarum nervis omnibus pallidis, nec brunneis, distincta; a priori, cui etiam similis, magnitudine paullo minori, nervis omnibus tenuioribus, coxis approximatis, nec remotis, auxiliari non usque ad basin furcae extenso, nervisque reliquis obsoletis et pallidis, dignota. Pedes quoque toti pallidiores sunt, nec tarsis fuscis. Antennae maris fere totius corporis longitudine; feminae paullo breviores.

**14. S. hirticornis**: nigra, thorace nitido, pedibus fuscis, alis subcinereo-hyalinis, nervis tenuibus, costalibus approximatis subfuscis, reliquis pallidis obsoletis, auxiliari brevi; antennis ♂ longitudine fere corporis, ♀ illo breviores. ♂♀.

Var. a. ♂♀. pedibus totis fusco-testaceis.

Meig. Dipt. I. 287. 26 ♂.

Var. b. ♂♀. pedibus cum coxis pallidioribus, tarsis fuscis.

Hab. in Lapponia rarissime; var. a. in fungis terrestribus ad Kengis Lapponiae Tornensis, d. 22. Aug. in copula capta; et var. b. in graminosis ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, d. 21. Jul. etiam in copula deprehensa. (Lapp.-Scan.-pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 1 lin. Differt a *S. fenestrali* nervis costalibus alarum subapproximatis, nec aperte distantibus; a *Sc. affini* pedibus aut totis aut saltem tarsis fuscis; et ab utraque thorace nitidiore. Antennae et alae omnino ut in priori.

**15. S. aprilina**: fusca, pedibus fusco-testaceis, alis hyalinis, nervi longitudinalis tertii furca brevissima. ♂.

Meig. Dipt. I. 285. 22. forte eadem, licet thorax „ater" dicatur. Valde quoque affinis videtur *Lestremiae* Meig. Dipt. 6. Add. p. 308., ut etiam Macquarti *Lestremiae cinereae*.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in fenestra ad Wilhelmina d. 15. Jul. semel capta. (Lapp. —?)

*Mas.* Long. 1 lin. Tota fusca (an in juniori?) subopaca. Antennae in nostro specimine ad maximam partem mutilatae. Alae hyalinae, parum cinerascentes, nervis tenuibus et perspicuis, auxiliari vix ad tertiam partem costae extenso; longitudinali 2do, costali sat approximato, ad apicem alae fere ducto; 3tio furcato, furca brevi vix 5tam totius alae partem longitudine occupante, qua nota ab omnibus antecedentibus speciebus optime dignoscitur nostra *Sc. aprilina*. Pedes fusco-testacei.

*Obs.* Species Sueciae *Sc. flavipes* et *pallipes* Meig. in Lapponia mihi nunquam obviae.

---

## FAM. 44. TIPULIDES Zett. (*Rostratae* Meig.)

*Corpus* magnum aut medium, raro minoris magnitudinis ($1\frac{1}{2}$—14 lin. long.), elongatum glabriusculum aut tenuiter pubescens. Caput parvum. Antennae porrectae, circiter thoracis longitudine, interdum illo longiores, simplices aut maris interdum pectinatae. Oculi in fronte distantes. Caput antice in rostrum magis minus longe productum. Palpi cylindrici incurvi. Thorax in medio sutura transversa sinuata (in *Pachyneura* nulla). Abdomen 8-annulatum. Alae elongatae nervosissimae seu multinervosae. Nervi 6—8, rarissime tantum 5, marginem interiorem attingunt. Areola plerumque adest. Pedes elongati tenues, valde fragiles, adtactu mox decidui. Tibiae plus minus calcaratae. Familia haec speciebus ditissima Tipularias majores, capite antice subrostrato, thoracis sutura transversa, alis valde nervosis etc. praeditas, continet. Imagines innocuae, seu feminae non pungentes.

## 156. Erioptera. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 13. Zett. Macq. *Tipula* Linn. Geoffr. Fabr. *Limnobia* Latr.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis (1½–3 lin. long.), tenuiter pubescens. Caput globosum parum productum. Antennae vix thoracis longitudine, setiformes pilosulae, 16-articulatae, articulis: 1 cylindrico, 2 cyathiformi, sequentibus ovatis. Oculi in viva atro-purpurei. Palporum articuli aequales. Alae incumbentes, nervis villosis, 6 ad marginem interiorem alae descendentibus, quorum 2 furcatis. Areola (vide Conspect.) aut nulla aut subquadrata. Area basalis elongata gemina (areae discöidales Macq.). Margo ciliatus. Pedes intermedii breviores. Tibiae non calcaratae. *Color* pallidus, cinereus. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in graminosis aut fruticibus, locis saepe paludosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acuminato bisetoso. (Spec. Scand. 14, magnitudine saepissime minori, antennis 16-articulatis, alarum nervis villosis, 6 tantum ad marginem interiorem descendentibus, pedibus intermediis ceteris brevioribus, et tibiis omnibus inermibus, a reliquis Familiae dignotae.)

### *Sect.* 1. *Nervi alarum toti villosi.*

A) Areola °) nulla.

° Nervi transversi omnes in medio alae siti (areae scilicet discoidalis geminae utraque fere aequaliter longa).

**1. E. flavescens:** tota pallide flava, alis pedibusque concoloribus, antennis extrorsum lineaque dorsali abdominis fuscis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 109. 2. certe; *Tipula flavescens* Linn. Fn. Sv. 1753? Fabr. Antl. 31. 37.

Hab. in paludosis Lapponiae passim; ad Muonioniska et Kengis, Lapponiae Tornensis, ut et ad Umenaes Lapponiae Umensis, d. 6. Jul. — 17. Aug. frequentius legi; in paludibus ad Björkvik Nordlandiae d. 14. Jul. feminas rarius inveni. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½ lin. Tota pallide flava, subopaca, flavohirta. Antennae fuscae, basi pallidae. Oculi in mortua nigri. Palpi apice fusci. Thorax dorso flavo-testaceo. Abdomen linea media longitudinali fusca, interdum obsoleta. Alae cum nervis pallidae. Halteres et pedes flavi.

**2. E. lutea:** pallide flava, alis pedibusque concoloribus, antennis palpisque extrorsum, thoracis dorso linea longitudinali, abdomine lineis 3 dorsalibus, femorum tarsorumque apice, brunneis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 110. 3. forte eadem, licet alae „fuscescentes" dicantur.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; in paludosis ad Juckasjervi d. 4. Jul. in copula deprehensa. (Lappon.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½ lin. Tota flava opaca subpubescens. A priori, cui simillima, differt: antennis et palpis fere totis fuscis, illarum articulis basalibus tantum pallidis, thoracis linea dorsali brunnea distincta, abdominis lineis 3 longitudinalibus, 1 media et 2 lateralibus, fuscis, halterum clava obscura, ut et femorum tarsorumque apice brunnescentibus. Nervulus quoque transversus ramulum furcae superioris et nervum longitudinalem 2dam connectit, qualem in reliquis speciebus rarissime video.

**3. E. sordida:** tota cinereo-grisea, pubescens, alis cinereo-hyalinis, nervis pallescentibus, halteribus pedibusque flavis, geniculis, tibiarum tarsorumque apice fuscis; ano rufo. ♀.

Hab. in Nordlandia rarissime; ad Björkvik d. 14. Jul. inventus (Lappon.-Angermannia ad Hernosand d. 30. Aug. 2 specimina capta.)

*Fem.* Long. 3 lin. A praecedentibus colore cinerascente, nec flavo, et a binis proxime sequentibus alis magis nudis, nervis tantum villosis, dignoscitur. Tota cinerasceus. Thoracis linea lateralis et scutellum, pallida. Anus rufescens. Alae ut in *Er. flavescente* et *lutea*, etiam quoad nervorum directionem, sed colore magis flavescenti cinereo. Pedes pallescentes, femoribus anticis apice late, geniculis omnibus, tibiarum tarsorumque apice, fuscis.

**4. E. haemorrhoidalis:** griseo-cinerea pubescens, alis concoloribus, undique villosis, nervis transversis stigmateque subinfuscatis, halteribus flavis, ano rufescente, pedibus testaceis, femorum apice tarsisque fuscis. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in convallibus paludosis ad Drivstuen in alpe Dowre Norvegiae d. 1. Jul. uterque sexus a D. Boheman inventus. (Lapponia; Hernösand 29. Aug. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2¾ lin. Tota cinerasceus opaca, griseo-aureo-pubescens. Antennae fuscae. Thoracis linea lateralis pallida. Abdomen griseum, ventre pallido, ano rufo-testaceo. Alae hyalinae, undique tenuiter aureo-villosae (unde cinereae apparent), stigmate macula oblonga fusca. Nervi transversi umbra cincti. Nervulus quoque ramulum furcalem et nervum longitudinalem 2dum connectens, infuscatus. Halteres albescentes. Pedes testacei, pubescentes, coxis cinerascentibus, geniculis, tibiarum apice tarsisque fuscis. Affinis *Er. lineatae* Meig., sed certe distincta.

**5. E. ruficauda:** griseo-cinerea, pubescens, alis concoloribus, undique villosis, immaculatis, stigmate subinfuscato, halteribus flavis, ano rufescente, pedibus totis fuscis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in monte Stoettingsfjellet d. 1. Aug. semel capta. (Lappon.)

*Fem.* Long. 2 lin. Simillima priori, paullo minor et corpore fusco, nec obscure cinereo, ventre vix pallidiori, alarum nervis transversis non infuscatis, femoribusque tantum basi pallescentibus, diversa. Cetera ut in *E. haemorrhoidali.* Affinis *E. triviali* Meig.

*Obs.* Meigeni *Er. montana, lineata* et *trivialis*, huic subdivisioni inserendae, in Suecia inferiori a me parce lectae sed in Lapponia hactenus non observatae.

°° Nervorum transversalium unus in medio, alter ante medium alae siti (areae scilicet geminae inaequales, harum interior brevior).

**6. E. atra:** aterrima subnitida, alis nigro-villosis, halteribus albissimis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 113. 10. Zett. Act. Holm. ann. 1819. 84. 40. ♂♀. *Tipula Erioptera* Fabr. Antl. 33. 45.

Hab. in graminosis locis paludosis umbrosis turfosis, in Lapponia meridionali passim, ad Stensele et Wilhelmina, d. 3–20. Jul. in copula saepe deprehensa; occurrit etiam in inferalpinis maritimis Nordlandiae Norvegicae et ad Björkvik d. 14. Jul. in copula junctam haud infrequenter inveni. (Lappon.-Wermelandia rarius; Scania mense Majo passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 1¾, ♀ 1½ lin., at exsiccata paullo minor, corrugata. Tota aterrima, atro-puberula. Antennae maris paullo longiores, quam feminae, at alae in ♂ paullo breviores, quam in ♀, in utroque sexu nervis dense nigro-villosis. Halteres nivei, stipite fusco. Pedes valde elongati. Quoad differentiam sexus conferatur descriptio hujus speciei ab auctore data in Act. Holm. l. c.

*Obs. Er. obscura* Meig. Sueciae inferioris incola, in Lapponia a me non visa.

°°° Nervi transversi omnes ante medium alae retracti (areae scilicet geminae breves, utraque aequaliter longa)

**7. E. Nyblaei:** sordide albida, thoracis vittis 3 brunneis, media gemina, metathoracis macula didyma, alarum punctis, pedum geniculis et tibiarum tarsorumque articulorum apice fuscis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Norvegica; in graminosis juxta paludem ad Lie Dowreensem, a D. Boheman d. 30. Jul. inventa. (Lapponia Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 3 lin. Tota albicans s. sordide pallida, distincte pilosa. Antennae pallidae, fusco-annulatae, longe pilosae. Palpi fuscescentes. Thorax vittis 3 brunneis, obscure marginatis, lateralibus posticis, brevibus, media gemina a basi ultra medium thoracis dorsi producta. Metathorax macula didyma fusco-brunnea. Abdomen subdepressum (in mortua), punctis minutissimis et linea utrinque laterali, interdum subinterrupta, fuscis. Alae cinereo-hyalinae, nervis distincte villosis, villositate hinc inde maculas s. puncta fusca formante; nervi transversi ante medium alae semicirculatim retracti, obscure villosi, unde fascia lunata ibi exstat. Halteres albi. Pedes ut in diagnosi.

Dom. Olavus Nyblaeus, Judicii Dicasterii cameralis Consiliar. etc. Holmiae; nisu vehementi et laudatissimo, multa rara et haud pauca nova insecta non minus circa Stockholmiam, quam intra ipsam Urbem, quaesivit et invenit, quorumque plura mecum benigne communicavit, unde nomen oculatissimi amantissimique Viri in hac pulchra et distincta specie conservare voluit gratissimus Ejus amicus.

**8. E. analis:** laete cinerea opaca, pedibus pallidioribus, halteribus flavis, ano rufescente, alis pallescentibus immaculatis. ♀.

Hab. in paludosis Nordlandiae rarissime; ad Björkvik juxta Ofotenfjord d. 14. Jul. duo specimina inveni. (Lapponia Norvegica.)

°) *Areolam* dico aream plerumque minutam, subpentagonam, quae exterius versus apicem alae, areae basali elongatae adjacet.

*Fem.* Long. $1\frac{3}{4}$ lin. Similis *Er. cinerascenti*, sed nervis totis et undique pilosis, nec in disco alae nudis, distincta. Tota cinerascens, thoracis limbo et abdominis lateribus pallidioribus. Anus flavo-rufus. Alae pallescentes immaculatae. Nervi fere ut in *Er. cinerascente*, (infra No 11) directi. Halteres albidi. Pedes cinerascenti flavi, femoribus basi pallidioribus.

B) Areola oblongo-cordata seu subcuneata adest.

**9. E. fascipennis**: griseo-fusca, alis hyalinis, undique cinereo-villosis, fascia nubeculari abbreviata obscura, halteribus albidis. ♂♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae rarissime; ad Tromsoe d. 24 Jul. unicum specimen femineum inveni. Mas in Groenlandia captus, a D. WESTERMANN benigne communicatus. (Lapponia; Groenlandia).

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 3, ♀ $3^{1}$ lin. Affinis et subsimilis *Er. haemorrhoidali*, sed paullo major, et areola alarum mox dignota. Tota cinereo-fusca pubescens. Antennae fuscae, pilosae. Palpi fusci, articulo 2do incrassato. Thorax obsoletissime obscure bilineatus, scutello dilutiori; linea laterali thoracis pallida. Abdomen distincte villosum. Alae hyalinae cinereo-undique villosae, fascia transversa a stigmate ad medium alae extensa nervosque transversos transeunte nigro-fusca. Areola 3 nervos in marginem interiorem emittit. Nervulus furcae superioris, basin et nervum longitudinalem 2dum connectens, adest. Halteres albidi. Pedes fusci, pubescentes, femoribus basi pallidioribus.

### *Sect.* 2. *Nervi in disco alae subnudi, ad apicem tantum villosi. Areola adest.*

**10. E. denudata**: obscure cinerea subnitida subpubescens, alis hyalinis immaculatis, stigmate obsolete fusco, halteribus albidis, femorum basi pallida, ano rufescente. ♀.

Hab. in Lapponia rar; in paludis ad Umenaes Lapponiae Umensis, ad Wittangi Lapponiae Tornensis, nec non in inferalpinis maritimis, ad Giebostad Nordlandiae et ad Alten Finmarkiae occidentalis, d. 14 Jun. — 2 Aug. parce lecta, solitarie mihi semper obvia fuit, nec nisi unicum individuum in quovis loco inveni (Lapponia).

*Fem.* $2\frac{1}{4}$ lin. long. *E. ruficaudae* valde similis et affinis, corpore alisque magis denudatis, areolaque alarum distincta, mox dignota; itaque non ejusdem specimen detritum. Tota nigro cinerea. Vagina anali exserta rufa. Alae hyalinae, nervis ad apicem tantum tenuiter villosis, macula stigmaticali oblonga fusca valde obsoleta. Areola oblonga irregularis, 3 nervos in marginem interiorem emittit, unum horum furcatum. Nervulus connectens nullus. Halteres albidi. Pedes obscuri, coxis apice, femoribusque basi, pallidis. Affinis *Limoniae*.

Var. ♀. thorace opaco et areola aperta, nec conclusa, forte monstrosa; ad Alten cum v. a. capta.

**11. E. cinerascens**: pallide cinerea opaca, parum pubescens, alis hyalinis subpallescentibus immaculatis, halteribus albidis, femorum basi pallida, ano rufescente. ♂♀.

MEIG. Dipt. I. 114. 15.

Hab. in paludosis Lapponiae rarius; mas ad paludes choreas ducens ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 17 Jun. captus, et uterque sexus in Nordlandia ad Björkvik d. 14 Jul. deprehensus. (Lappon. — Scan. pass.).

*Mas* et *Fem.* Long $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin. Priori similis, paullo minor pallidior, stigmate alarum non infuscato, areola minori, nullum nervulum furcatum emittente, etc. certe diversa. Tota laete cinerea. Abdominis incisurae pallidae. Anus testaceus. Alae cinereo-hyalinae, nervis subpallidis, microscopice villosis, infra nervos transversos nudis. Nervi praeterea ut in *Er. flavescente* fere directi, at areola minuta subpentagona ut et nervulus furcam superiorem nervumque longitudinalem 2dum connectens, adsunt. Halteres albidi. Pedes fusci, coxis et femoribus basi late, testaceis. Thoracis limbus saepe pallescit. — Forte melius ad *Limoniae* genus referenda.

---

## 157. Limnobia. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 14. MACQ. *Tipula* LINN. DE GEER. FABR. *Limonia* MEIG. LATR. *Pedicia* LATR.

*Corpus* (alis pedibusque longis) majoris aut mediae, raro minoris magnitudinis, elongatum sublineare, tenuiter pubescens, fere glabrum. Caput parvum obovatum seu obpyriforme, os haud longe productum. Antennae 15-17 articulatae, articulo 1 cylindrico, 2 cyathiformi, reliquis oblongis aut globosis. Palpi exserti, articulis aequalibus. Alae saepissime incumbentes, angustato-elongatae, nudae, nervis 6 vel 7 marginem interiorem attingentibus, quorum 1mo (a basi, ultimo a costa) elongato subrecto. Tibiae apice breviter calcaratae. *Color* cinerascens, pallescens, raro nigricans. *Motu* tarda; vento tamen secundo sat strenue volat; aegre ambulat. Vespere exiens, toto fere die quiescit. *Habitatio* in pratis et graminosis, locis saepe paludosis et umbrosis; per partem sylvaticam et subsylvaticam Lapponiae atque inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso subclavato; *femina:* ano acuminato, antennisque quam in mare saepe paullo brevioribus. (Sp. Scand. 41 (*Limnobia punctipenni* MEIG. ad *Symplectae*; *L. immaculata* ad *Tricyphonae* nob; ut et *L. cinerascente* ad *Eriopterae* genus relatis), alarum nervis nudis, ab *Erioptera*; alarum nervo longitudinali 1mo (e margine interiori numerato) elongato subrecto, a *Symplecta*; palporumque articulis aequaliter longis, a *Tipula* et *Nephrotoma*, praecipue dignotae).

° Alae divaricatae. Nervi 7 longitudinales marginem interiorem attingunt. Areola 3 nervos emittit, quorum superior petiolato-furcatus.

**1. L. rivosa**: laete cinerea, thoracis abdominisque vittis obscuris, scutello pedibusque testaceis, geniculis fuscis, alis hyalinis, margine costali vittaque discoidali angulata, fusco-brunneis. ♂♀.

MEIG. Dipt. I. 118. 1. *Tipula rivosa* LINN. Fn. Sv. 1738. certe. ♀. *Pedicia rivosa* LATR. Gen. Crust. et Ins. 4. 255. *Tipula triangularis* FABR. Antl. 27. 14.

Hab. in graminosis juxta aquam, in Lapponia meridionali passim, scilicet ad Lycksele et Stensele, Lapponiae Umensis, d. 22 Jun. — 4 Jul. capta; occurrit etiam in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae et ad Giebostad d. 22 Jul. ♀ legi. In alpe Dowre a D. BOHEMAN quoque inventa. (Lapponia; Botnia ad Umeå freq. LINN. — Scan. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Maxima nostratium hujus generis, 12—13 lin. long. Alis pulchre et determinate pictis ab omnibus facile distincta. Cana, thoracis vittis dorsalibus 3 fusco-brunneis, media subgemina, lateralibus abbreviatis. Antennae capite parum longiores, brunneo-testaceae, basi crassiores, extrorsum sensim tenuiores; pilosae. Palpi fusci, basi dilutiores. Oculi in viva obscure brunnei. Scutellum testaceum. Abdomen canum, vitta dorsali longitudinali lata, linea media interrupta quasi divisa. Alae albo-hyalinae, costa inaequaliter, et fascia s. vitta longitudinali in disco angulata, testaceo-brunneis. Fuscedo haec cum nervo longitudinali ad marginem usque infra angulum continuatur. Areae 2 discoidales (a basi alae ortae) subaequales; areola suboblongo-pentagona. Halteres pallidi. Pedes obscure testacei, femorum tibiarumque apice fusco.

°° Alae incumbentes.

a) Nervi 7 longitudinales marginem interiorem attingunt. Areola nervos 3 emittit, quorum superior petiolato-furcatus. Nervus longitudinalis 2dus (a costa) etiam furcatus. Nervulus transversus ordinarius (°) aut medio aut basi areolae inseritur. In disco alae nervulus alter transversus (huic subdivisioni proprius). (Cfr. praetera MEIG. *Limnobia* l. c. p. 121. Subdiv. C.)

**2. L. fasciata**: cinerea, abdomine aut pallido, incisuris fuscis, ♂, aut toto fusco, ♀; alis in utroque sexu hyalinis, fasciis macularibus subquatuor obscuris. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 121. 4. ♂. *Tipula fasciata* LINN. Syst. Nat. 2. 973. 18. ♂. FABR. Antl. 30. 31. ♂.

Hab. in paludosis Lapponiae sylvaticae Tornensis et Umensis, d. 12 Jul. — 4 Aug. passim frequenter, ad Lycksele et Wilhelmina praesertim copiose vidi; d. 1-3 Aug. pluries in copula capta; in inferalpinis Finmarkiae occidentalis ad Alten et Bossekop haud longe a Capite septentrionali etiam in copula deprehensa, et in alpe Dowre Norvegiae a D. BOHEMAN lecta (Lapponia-Torneå, Doct. DEUTSCH-Scania, ipse, rar.).

*Mas* et *Fem.* Long 4 lin. Obscure cinerea. Antennae maris thorace paullo longiores, feminae illo fere breviores, in utroque sexu filiformes, fuscae, verticillatim pilosae. Scutellum testaceum. Abdomen ut in diagnosi. Alae albo-hyalinae, maculis fuscis 8-10, quae fascias 3 aut 4 irregulares formant, quarum prima basalis; altera nervulum transversum discoidalem et 3tia nervulum ordinarium, transeunt; 4to apicali. Areola oblongo-quadrata. Nervulus transversus ordinarius versus basin (nec medio) areolae inseritur. Nervi in apice alae subpilosi. Halteres pallidi, clava

°) Nervulum transversum ordinarium eum dico, qui nervos 3 et 4 longitudinales (a margine alae interiori numeratos) connectit.

fusciori. Pedes fusci, femoribus basi testaceis. — *Limnobiae pulchellae* MEIG. Dipt. 6. Add. 275. 6. valde affinis quoque videtur.

Var. b. ♀. Omnes tres nervi ex areola emissi simplices (nec superior furcatus); alias simillima varietati a. Talis etiam in figura MEIGENI l. c. repraesentatur. Ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 4. Aug. cum var. a. habitans unicum specimen inveni, quale nunquam in Suecia inferiori viderim.

**3. L. marmorata:** cinerea, thorace brunneo-bilineato, halteribus pedibusque flavis, illorum clava femorumque apice fuscis, alis albo-hyalinis, maculis punctisque fusco-brunneis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 121. 5. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica rarius; in convallibus paludosis ad Hongen d. 19. Jun. ♂ a D. BOHEMAN captus. ♀ ad Tromsoe Nordlandiae a me d. 24. Jul. inventa. (Lappon.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long 4—4¼ lin. (3 lin. secund. MEIG.). Similis priori, interdum paullo major, alis latioribus. Cinerea. Antennae capite vix duplo longiores, basi crassiores, extrorsum setaceae; pallidae, articulis 2 basalibus obscuris. Thorax lineis 2 brunneis. Abdomen griseum. Alae albo-hyalinae, nervis, maculis et punctis fusco-brunneis undique sparsis, et maculis 6 in costa subquadratis, plerumque majoribu evidentioribus. Nervi transversi fuscedine cincti, ordinarius areolae subquadratae medio insertus. Halteres et pedes pallidi, clava, femorum, tibiarum tarsorumque apice fuscis.

**4. L. trimaculata**: cinerea, halteribus pedibusque flavescentibus, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco, alis cinereo-hyalinis, maculis 3 costalibus fuscis, obsoletis. ♂.

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime, ad Bossekop d. 4. Aug. semel capta. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* Long. fere 3 lin. Tota laete cinerascens, thorace vix lineato. Alae cinereo-hyalinae, basi pallidae; maculis 3 costalibus fuscis, aequali spatio remotis; 1ma paullo ante medium costae ad originem nervi longitudinalis secundi, punctiformis, altera s. 2da loco stigmatis, etiam punctiformis, et 3tia s. ultima versus apicem alae, ubi nervi longitudinales 1mus et 2dus per nervulum transversum connectuntur sita, paullo major rotundata; omnes valde obsoletae. Nervi quoque transversi fuscedine obsoleta cinguntur. Pedes cum coxis flavi, femorum, tibiarum tarsorumque apice nigro.

b) Nervi 7 longitudinales marginem interiorem alae attingunt. Areola oblongo-quadrata s. subhexagona 3 nervos emittit, quorum superior petiolato-furcatus. Nervus 2dus longitudinalis etiam furcatus. Nervus transversus ordinarius fere medio areolae inseritur. Alae (in nostra) pictae. (Cfr. MEIG. l. c. p. 122. Subdiv. D. fig.)

**5. L. picta**: lurida, antennis testaceis, basi palpisque, nigricantibus, alis hyalinis, circulis maculisque fusco-brunneis; pedibus flavis, femoribus annulis 2 fuscis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 123. 7. *Tipula picta* FABR. Antl. 29. 28. *Limonia picta* LATR. Gen. Ins. 4. 258.

Hab. in Lapponia rarissime; in Dowre a D. BOHEMAN inventa. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. (nostrarum) 5—6 lin. (3 secund. MEIG.). Tota lurida s. flavo-brunnea. Antennae basi crassiores, extrorsum sensim attenuatae, setaceae, articulis 2 primis nigricantibus, 3, 4, 5 flavis, reliquis fusco-testaceis. Palpi nigricantes. Caput linea frontali media fusca. Thorax fusco-lineatus. Abdomen lividum, margine laterali et linea media interrupta, fusco-brunneis. Alae hyalinae, circulis, lunulis maculisque irregularibus fuscis sat crebre pictae. Halteres flavi, medio fusci. Pedes cum coxis flavi, femoribus annulis 2, uno in medio, altero versus apicem, fuscis.

*Obs. Limnobia punctata* MEIG., antennis totis obscuris, at femoribus annulis nullis, apice tantum fuscis, paullo major, alias *Limn. pictae* simillima, in Sueciae inferioris graminosis, praesertim in Scania, uterque sexus, frequens, in Lapponia a me frustra quaesita.

c) Nervi 7 longitudinales marginem interiorem alae attingunt. Areola oblongo-quadrata 3 nervos emittit, quorum superior petiolato-furcatus, furca elongata. Nervus 2dus longit. etiam furcatus; transversus ordinarius medio areolae inseritur. Alae haud pictae, subimmaculatae. (Cfr. MEIG. l. c. p. 125. Subdiv. E. et p. 127. Subd. G. fig.)

† Species colore obscuro.

**6. L. discicollis**: fusca, pectore femorumque basi flavotestaceis, alis fumato-hyalinis, impunctatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 125. 13. ♂. MACQ. Dipt. Gall. 1. 149. 7.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Lycksele d. 17. Aug. uterque sexus captus. (Lapponia-Scania passim, in copula.)



*Mas* et *Fem.* Long. 4—4½ lin. Caput cinerascens, antennis pedibusque fuscis. Stethidium ferrugineo-flavum, disco dorsali fusco-brunneo-subnitido. Abdomen fuscum subnitidum. Alae fumato-hyalinae immaculatae. Nervulus, nervos 2 et 3 longitudinales connectens, ad stigma adest. Nervi longitudinales 1 et 3 (ab infra numerati) in marginem interiorem alae paullo curvatim (nec recta) excurrunt. Areae 2 discoidales (a basi alae ortae) inaequaliter longae. Halteres flavi, clava fusca. Pedes fusci, coxis, femorum basi late, tibiarumque anguste, pallidis.

**7. L. unicolor:** fusca immaculata, halteribus pedibusque testaceis, femorum tibiarumque apice obscuro, alis fumato-hyalinis, impunctatis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele semel inventa. (Lapponia.)

*Fem.* Long. 3¹ lin. Simillima *L. lucorum* MEIG. paullo minor et thorace immaculato nec non pedibus magis pallescentibus, diversa. Fusco cinerea parum nitida. Antennae fuscae distincte pilosae, apice setaceae. Palpi fusci. Pectus fusco-testaceum. Metathorax cinereus. Abdomen fuscum subnitidum. Vagina analis rufa. Alae omnino ut in praecedente, etiam quoad nervorum directionem. Halteres testacei, clava margine obscuriori. Pedes cum coxis testacei, femorum, tibiarum tarsorumque apice fusco.

**8. L. arctica:** cinerea immaculata, antennis fuscis, pedibus nigris, coxis femorumque basi flavis, alis albo-hyalinis, basi halteribusque pallidis, stigmate nigricante. ♂♀.

Hab. in paludosis Lapponiae septentrionalis passim; in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae, ex. gr. ad Bjorkvik, in insula Senjen, et ad Alten, d 14. Jul. — 7. Aug., a me lecta. Adscendit quoque in alpes et in ipso alpium Finmarkicarum jugo d. 12. Aug. in copula capta. (Lapponia Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4—5 lin. Similis *L. pratorum* MEIG. Dipt. 6. Add. p. 277. 72. videtur; at *L. pratorum* ♀ antennis longitudine thoracis, alis basi vix pallidioribus et puncto in medio costae fusco, a *L. arctica* statim dignoscitur. Tota cinerea immaculata. Antennae ♂ longitudine thoracis, ♀ paullo breviores, in utroque sexu basi crassiores extrorsum setaceae, totae fuscae, pilosae. Vagina analis ♀ rufa. Alae in utroque sexu albidae, basi distincte pallidae, nervis omnibus validis, ut in priori specie directis, stigmate macula oblonga nigricante, interdum fusca. Halteres pallidi, clava subtus saepe subfusca. Pedes nigricantes pubescentes, coxis femorumque basi flavis.

**9. L. squalens**: obscure cinerea immaculata, antennis pedibusque nigricantibus, femorum, tibiarum tarsorumque basi flavis, alis cinereo-hyalinis, stigmate punctoque in costae medio fuscis, halteribus pallidis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarius, ad Lycksele uterque sexus captus, ♀ etiam in Brattiksfjell 8. Jul.; in paludosis in insula Senjen Nordlandiae Norvegicae mense Julio in copula deprehensa; in alpe Dowre a D. BOHEMAN quoque inventa. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2¾—3¼ lin. Simillima *L. arcticae*, saepe duplo minor, alis minus albescentibus, maculis 2 fuscis obsoletis notatis, praecipue distincta. Antennae maris thorace fere longiores, subfiliformes nigrae, articulis oblongis pilosis; feminae thorace paullo breviores, fuscae, moniliformes. Alae cinereo-hyalinae, basi pallidiores, nervis omnibus tenuioribus, stigmate et puncto in medio costae (ad originem nervi longitudinalis 2di) fuscis. Nervi transversi interdum etiam subinfuscati. Reliqua ut in diagnosi, aut ut in praecedente.

*Obs. Limn. lucorum* MEIG., in Scania inventa, in Lapponia mihi non obvia.

†† Species colore pallido (Cfr. MEIG. l. c. p. 127. Subd. G. fig.).

**10. L. binotata**: flavo-ferruginea nitida, palpis obscuris, abdomine linea utrinque laterali nigra, alis cinereo-hyalinis, punctis 2 costalibus fuscis. ♂♀.

Hab. in Lapponiae Umensis uliginosis passim; in paludosis ad Umenaes, Tresunda et in Stoettingsfjellet, d. 7—31. Jul., in copula capta. (Lapponia meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3¹ fere 4 lin. Similis *L. ferrugineae* et *punctum* MEIG., sed a priori antennis totis flavis, a *L. punctum* alarum pictura, et ab utraque magnitudine minori abdominisque lateribus linea longitudinali interdum interrupta, distincta. *L. nitidicolli* MEIG. etiam affinis videtur, haec autem paullo minor et abdomine nigro-fusco gaudet. Flavo-ferruginea nitida glabra. Antennae longitudine circiter thoracis, flavae pilosae. Palpi fusci. Oculi in viva nigro-brunnei, in mortua nigri. Alae cinereo-hyalinae, vix flavicantes, stigmate et macula parva in medio costae ad originem nervi longitudinalis 2di, fuscis, saepe obsoletis. Nervi praeterea ut in *L. discicolli* directi, nervulo transverso connectente ad stigma nullo. Halteres pallidi. Femorum, tibiarum tarsorumque

apex fuscus. A *L. glabricula* MEIG. Dipt. 6. Add. p. 276. 69. parum quoque abludere videtur, at *L. glabricula* paullo major ($4\frac{1}{2}$ lin. long.) quam nostra describitur.

*Obs. Limnob. ferruginea* et *barbipes* MEIG., sub hac divisione militantes, in Scaniae nemoribus passim obviae, in Lapponia hactenus non observatae fuerunt.

d) Nervi 7 longitudinales marginem interiorem alae attingunt. Areola oblongo-subquadrata, 3 nervos emittit, quorum superior furcatus, furca brevissima (hujus subdivisionis nota propria). Nervi: longitudinalis 2dus etiam furcatus; connectens ad stigma adest; transversus ordinarius areolae medio inseritur. Alae praeter maculam stigmaticalem immaculatae. (Cfr. quoque MEIG. l. c. p. 126. Subdiv. F. fig.)

**11. L. leucophaea**: cana antennis fuscis, basi, abdomine pedibusque lutescentibus, halteribus alisque pallidis immaculatis. ♂♀.

MEIG. Dipt. I. 127. 13. ♀. forte eadem.

Hab. rarissime in Lapponia, e qua mecum communicata fuit, mihi ipsi ibi non obvia. (Lapponia; Scania frequenter.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ 3 lin. Opaca. Caput et thorax pallide cinerea immaculata. Frons lata. Antennae thorace paullo breviores, articulis 2 basalibus crassioribus flavis, reliquis sensim attenuatis fuscis pilosis, apice setaceis. Palpi fusci, basi testacei. Pectus cinereo-testaceum. Abdomen flavo-testaceum, linea laterali fusca. Alae cum nervis pallescentes. Areola oblongo-quadrata. Nervulus connectens ad stigma unicus. Halteres albidi. Pedes pilosi, toti flavi. — A *L. nemorali* MEIG. magnitudine paullo majori, thoraceque cano immaculato (nec fusco-vittato) distincta.

**12. L. stigmatella**: cinerascens, thorace fusco-vittato, antennis nigricantibus, halteribus femorumque basi late pallidis, alis hyalinis, stigmate fusco. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 13. Aug. uterque sexus captus. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem* Long. ♂ 2, ♀ $3\frac{1}{4}$ lin. Similis *L. plebejae* MEIG., magnitudine paullo majori et stigmate fusco ab illa distincta. Tota griseo-cinereo-opaca subglabra. Antennae ♂ thorace fere longiores, ♀ illo paullo breviores, in utroque sexu nigrae, breviter pubescentes, subfiliformes (unde a *Trichocera*, cui sat affinis, mox dignoscitur), articulis oblongis. Palpi fusci. Thoracis vittae in ♂ 3, in ♀ subquatuor; fusco-brunneae, laterales anticae abbreviatae. Abdomen fuscum, in ♂ lateribus et incisuris praesertim ventralibus, dilutioribus; in ♀ maculis dorsalibus brunneis. Anus ♂ fuscus, ♀ rufus. Alae hyalinae, macula stigmaticali oblonga, distincte infuscata. Nervuli transversi quoque leviter infuscati. Nervulus transversus connectens et alter versus apicem prope costam adsunt, unde area oblongo-quadrata ad stigma formatur, maculam fuscam fere totam includens. Areola minuta oblonga difformis, in altera ala (in utroque sexu) deest, qualis nervorum ratio (monstrosa?) in alis Tipulariarum saepe obtinet. Halteres sordide albidi. Pedes nigro-fusci, coxis cinereis, apice, apophysibus, femorumque basi late, testaceis

*Obs. Limnob. nemoralis* MEIG. forte etiam in paludosis sylvaticis Lapponiae occurrit, „thorace cinereo, vittis 4 fuscis, abdomine lurido, antennis fuscis, basi flavis; 3—3¹ lin longa; mihi vero in provinciis borealibus non obvia.

e) Nervi 7 longitud. marginem interiorem alae attingunt. Areola oblonga utrinque acuta 3 nervos emittit, quorum superior in furcam mox divisus, furca scilicet aut sessili, aut breviter tantum subpetiolata (huic subdivisioni nota singularis). Nervi: longitudinalis 2dus etiam furcatus; connectens nullus; transversus ordinarius areolae medio insertus. Alae immaculatae (Cfr. praeterea MEIG. l. c. p. 131. Subdiv. I. fig.)

**13. L. distinctissima**: pallida, antennarum flagello, macula verticis thoracisque vittis 3, nigris; ano in mare fusco. ♂♀.

MEIG. Dipt. I. 131. 27. certissime (Cl. MEIGEN commoratione ejus in urbe Lundae Sueciae 1823, speciem hanc nomine allato in museo meo manu propria designavit.)

Hab. in Lapponiae paludosis passim; in Gamsttind Nordlandiae Norvegicae d. 30. Jul. 1821 masculos primum inveni; deinde ad Novaculum Umenaes Lapponiae Umensis d. 7. Jul. 1832 utrumque sexum in copula deprehendi. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5 lin. et ultra. Tota pallida subopaca glabra. Antennae ♂ thorace fere longiores subfiliformes pilosae, ♀ illo paullo breviores, in utroque sexu nigrae, articulis 2 basalibus flavis. Palpi fusci. Frons macula triangulari nigro-brunnea. Thorax vittis dorsalibus 3, lateralibus antice abbreviatis, maculis pectoris utrinque una parva, sterni unica majori, et metathoracis didyma, nigris. Abdomen fusco-testaceum, in ♂ valde tenue, ano obscuro clavato. Anus in ♀ rufus. Alae pallescentes, stigmate obsolete fusco. Areola oblonga parallela, apice inferiori (versus basin alae) praesertim acuto. Furca nervorum ordinaria saepe sessilis, et tunc areola quasi 4 nervulos emittit. Halteres pallidi, femorum, tibiarum tarsorumque apice leviter obscuro.

f) Nervi 7 longitud. marginem inter. alae attingunt. Areola oblongo-quadrata 2 nervos emittit, quorum superior dichotomice furcatus. Nervi: longitudinalis 2dus etiam furcatus; connectens nullus; at longitudinalis 1mus (auxiliari non computato) usque ad stigma ducitur, ibique apice bifidus, omnino ut in MEIGENI *Limnob. 4-notata* et *annulus* l. c. p. 144. Subd. P.

**14. L. bifurcata**: flavo-ferruginea, alarum punctis obsoletis, femorum, tibiarum tarsorumque apice, fuscis. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; inter Muonioniska et Kengis d. 20. Aug. unicum individuum inveni. (Lapponia borealis.)

*Fem.* Long. $3\frac{1}{2}$ lin. Tota ferrugineo-flavescens, nitida glabra. Antennae thorace fere breviores, setaceae pallidae 19-articulatae, articulis verticillatim pilosis. Thorax dorso inaequalis, linea media fusca obsoleta. Abdomen margine laterali linea fusca. Alae cinereo-pallescentes, nervis transversis, stigmate et puncto subcostali ad originem nervi longitudinalis 2di, fuscis. Areola oblongo-quadrata nervos 2 emittit, quorum alter bis furcatus, omnino ut in *Leptina* seu *Dolichopeza* MEIG. Dipt. 6. Add. p. 283. Tab. 65. f. 10. Halteres elongati pallidi. Pedes pubescentes flavi, femorum, tibiarum tarsorumque apice leviter fusco.

g) Nervi 6 longitudinales marginem interiorem alae attingunt. Areola aut subquadrata, aut oblongo-subquadrata 3 nervos emittit, omnes simplices. Nervus transversus ordinarius areolae aut basi, aut infra basin (nec medio) inseritur (Cfr. praeterea MEIG. l. c. p. 133—141. Subdiv. N. O. P. fig.).

† Corpore pallescente.

**15. L. modesta**: ferrugineo-testacea, antennarum flagello vittaque in thoracis antico, fuscis, alis subcinereo-hyalinis, stigmate fusco obsoletissimo; areola irregulariter quadrata. ♂♀.

MEIG. Dipt. I. 134. 32. (Cfr. Tab. 6. f. 5.) MACQ. Dipt. Gall. I. 156. 24. (longit. 3 lin.)

Hab. in Lapponia rarius; ad Lycksele d. 17. Aug. capta. (Lappon.-Scan. in copula freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 2, ♀ 2¹ lin. Tota testacea parum nitida subglabra. Antennarum flagellum nigrum pilosum. Vitta antica thoracis obscura. Abdomen praesertim in ♂ subfuscescens. Alae subhyalinae, stigmate macula pallida obsoleta. Areola subquadrata, latere exteriori (versus apicem alae) angulato! Nervus transversus ordinarius saepe, praesertim in ♂, infra basin areolae, interdum vero in linea recta cum basi hujus areolae, inseritur. Halteres pallidi, clava subfusca. Pedes toti testacei, femorum apice parum obscuriori.

**16. L. nebulosa**: obscure flavescens, thoracis vittis 3 brunneis, antennis, abdominis fasciis femorumque apice fuscis, alis cinerascentibus fusco-nubeculosis; areola oblonga subquadrata. ♂♀.

Hab. in Nordlandia Norvegica rarissime; in paludosis ad Bjoerkvik d. 13-14. Aug. passim, nec alibi vidi; in copula capta. (Lapponia; Suecia inferior, forte Scania, rariss. museum meum.)

*Mas* et *Fem.* Long. 4 lin., Similis *L. pabulinae* et *nubeculosae* MEIG., ab illa magnitudine majori, thorace trivittato alisque undique nebulosis, et ab hac, cui adhuc affinior, femorum apice tantum (nec annulis 3) fusco differt. Tota lurida s. livida, parum nitida. Antennae capite duplo longiores fuscae pilosae extrorsum setaceae. Thoracis dorsum vittis 3 obsoletis, macula utrinque postice, scutellum et macula metathoracis, brunnea. Abdomen fuscum, incisuris pallidioribus. Alae albido- s. cinereo-hyalinae, undique obsolete fusco-nebulosae, maculis 3 costalibus fuscis distinctioribus. Nervi fere ut in *L. angustipenni* (No. 22) vel ut in MEIGENI Tab. 4. f. 18. Vol. 6. Halteres pallidi. Pedes testacei, coxis femoribusque basi pallidioribus, his apice annulo fusco. Tarsi quoque apice infuscati.

**17. L. affinis**: ferrugineo-flava, thorace antice vitta brunnea, antennis, femorum apice abdominisque margine laterali fuscis, alis cinereis, punctis 3 costalibus obscuris; areola subquadrata. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis d. 22. Aug. capta. (Lapponia.)

*Fem.* Long. 3½ lin. Similis *L. stigma* MEIG., paullo minor, antennis totis fuscis, thoracis vitta antica brunnea, nec nigra, alisque cinerascentibus punctis costalibus 3 fuscis, distincta. Tota ferruginea subnitida. Antennae ut in priori. Palpi fusci. Scutellum et metathoracis macula, pallide brunnea. Abdomen testaceum margine laterali obscuriori. Alae albo-hyalinae, punctis 3 costalibus aequali spatio remotis, 1mo in medio costae, ad originem nervi 2di longitudinalis, minuto, et ultimo ad stigma, majori, omnibus obsoletis. Nervi costales usque ad medium costae pallidi; reliqui, praesertim transversi, infuscati, unde alae obiter inspectae nubeculosae apparent. Directio nervorum praeterea ut in priori, seu potius ut in MEIG. Tab. 4. f. 13. Vol. 6. Halteres pallidi, clava apice obscuriori. Pedes cum coxis flavi, femorum, tibiarum tarsorumque apice subinfuscato.

**18. L. tripunctata**: flava, capite obscuriori, thorace antice vitta brunnea, antennis femorumque apice fuscis, alis cinereo-hyalinis, punctis costalibus obscuris; areola subquadrata. ♂.

MEIG. Dipt. 1. 138. 41? FABR. Antl. 31. 36? MACQ. Dipt. Gall. 1. 154. 20?

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia; Angermannia ad Hernösand 29. Aug. semel; Scania rariss.)

*Mas.* Long. 4 lin. Tota flava subnitida. Simillima priori, paullo major, magis flava, abdomine etiam pallido, ut et punctis alarum fere distinctioribus, diversa. Antennae setaceae, longe verticillatim pilosae, fuscae, articulis 2 basalibus crassioribus nigricantibus. Caput cinerascens. Thoracis vitta obsoleta brunnea. Abdomen lateribus parum infuscatum. Alae albo-cinerascentes, nervis transversis et punctis 3 costalibus fuscis. Halteres pallidi. Pedes ut in priori.

†† Corpore obscuro.

**19. L. elegans**: fusco-grisea, thoracis vittis obscurioribus, scutelli apice, ano, halterum petiolo, femorumque basi annuloque ante apicem, ferrugineis, alis albo-hyalinis, nervis maculisque 4 subcostalibus fuscis, stigmaticali duplicata. ♂♀.

Hab. in paludosis Lapponiae rarius; scilicet ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, nec non ad Tresunda et Asele, Lapponiae Umensis, d. 29. Jun. — 27. Jul. legi. (Lapponia Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Long. 6 lin. et ultra. Similis *L. quadrinotatae* et *annulus* MEIG. Tota obscure livida, pubescens subopaca. Caput obscure griseum immaculatum obpyriforme. Antennae capite vix duplo longiores, pilosae, basi incrassatae nigricantes, extrorsum sensim setaceae, fuscae. Rostrum subelongatum et palpi nigra. Thorax lividus, vittis 4 dorsalibus saepe confluentibus obscuris. Pectus cinerascens. Abdomen in ♂ cinereum, basi lateribus testaceis; in ♀ testaceum, vitta dorsali lata sinuata cinerea; ano in utroque sexu ferrugineo. Alae determinatae et pulchre pictae, albo, nempe hyalinae, maculis 4 subcostalibus rotundatis fusco-brunneis, et alia ad stigma annulum oblongum formante ejusdem coloris. Juxta apicem quoque macula dilute brunnea observatur. Areola oblongo-quadrata. Nervus transversus ordinarius infra apicem areolae insertus. Nervi praeterea ut in prioribus directi. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes fusci, coxis, femorum basi et annulo ante apicem, ferrugineis.

**20. L. consimilis**: fusco-nigra, thorace nitido, halterum femorumque basi lividis, alis hyalinis, nervis transversis maculisque 5 vel 6 marginalibus fuscis. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 17. Aug. semel inventa. (Lappon. meridion.)

*Mas.* Long. 3 lin. Tota obscura nigricans glabriuscula nitida. *Limn. trinotatae* MEIG. similis, sed paullo minor et pedibus obscurioribus etc. distincta. Antennae ut in priori. Thorax dorso nigro nitido gibbo, maculis utrinque cinereo-micantibus, postice et scutello dilutioribus. Alae subfumato-hyalinae, vix albicantes, maculis costalibus 4 (basali obsoletissima), ad marginem interiorem (in apice nervorum longitudinalium) 3, et nervis transversis, fuscis. Stigma macula nigricante. Nervi praeterea fere ut in praecedente directi. Halteres albidi, clava fusca. Pedes nigricantes, coxis, apophysibus femorumque basi testaceis.

**21. L. tenuipes**: obscure cinerascens, thorace brunneo-trivittato, pedibus tenuissimis flavis, femorum apice nigricante, alis hyalinis, maculis 4 costalibus stigmateque fuscis. ♂♀.

Hab in Lapponia rarius: scilicet marem unicum ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 17. Aug., unicamque feminam ad Kengis Lapponiae Tornensis d. 22. Aug. inveni. (Lappon. Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 2 lin. Similis etiam videtur *L. trinotatae* MEIG., sed paullo minor et distincta. Antennae thorace vix duplo longiores pilosae submoniliformes fuscae. Thorax cinereus, vittis 3 dorsalibus brunneis, media lata, lateralibus antice abbreviatis. Alae hyalinae, nervis transversis et maculis 4 costalibus fuscis, stigmaticali duplicata; juxta apicem macula 5ta obsoleta observatur. Nervi ut in *L. eleganti* directi, at tenues, praeter nervum longitudinalem 3tium (a margine interiori) validum nigrum. Nervus 1mus (a costa) longitudinalis albo-tessellatus. Halteres albidi, clava fusca. Pedes elongati valde tenues, albido-flavi, femorum summo apice subinfuscato.

**22. L. angustipennis**: nigricans, thoracis dorso atro nitido, pectore cinerascente, halteribus femoribusque basi pallidis, alis angustato-elongatis, hyalinis, stigmate fusco obsoletissimo; areola irregulariter quadrata. ♂.

Hab. in Lapponia rarius; in paludosis ad Novaculum Umenaes Lapponiae Umensis, et in alpe Gamsttind Nordlandiae, d. 7—30. Jul. inveni; in alpe Dowre, ubi alte adscendit, ut locis humidis ad Drivstuen, initio mensis Julii a D. BOHEMAN lecta. (Lapponia.)

*Mas.* Long. 2 lin. Cinerascenti-nigra glabriuscula tenera. Antennae capite vix duplo longiores, 16-articulatae, distincte moniliformes, breviter pubescentes fusco-nigrae. Thoracis discus dorsalis niger nitidus. Pectoris latera cinereo-micant. Abdomen nigro-fuscum. Alae cinereo-hyalinae, metallice nitentes, angustatae, stigmatis macula fusca obsoleta. Nervi: longitudinalis 1mus, qui nervum costalem intime sequitur, apice in puncto stigmaticali, ubi macula illa fusca occurrit, bifidus; 2dus, qui e nervi 1mi medio excurrit, in regione stigmatis furcatus. Areola suboblongo-quadrata. Nervus transversus ordinarius linea recta cum basi areolae, huic inseritur. (Cfr. MEIG. Dipt. 6. Add. p. 147. Subd. Q. Tab 6. f. 6.) Ipsa basis alarum pallida. Halteres albidi, clava fusca. Anus niger. Pedes nigricantes, coxis apice, apophysibus et femorum basi flavis.

**23. L. gracilis**: obscure cinerea opaca, thoracis antico vitta fusca, femoribus basi ferrugineis, alis angustato-elongatis hyalinis immaculatis; areola subquadrata. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis d. 22. Jul. capta. (Lapponia Suecica.)

*Mas.* Long. 2¼ lin. Similis *L. angustipenni*, et *L. tenellae* MEIG., sed ab illa thoracis dorso opaco, alis immaculatis etc., et ab hac thorace cinereo (nec sulphureo) abdomineque toto cinerascente (nec margine sulphureo) distincta. Cinerea opaca tenera. Antennae ut in *L. angustipenni*. Anus clavatus ferrugineus. Alae ut in *L. tenella* MEIG. 1. 146. 50. Subd. R. T. 6. f. 7., at magis angustatae. Halteres fusci, summa basi pallida. Pedes nigro-fusci, coxis, apophysibus femorumque basi ferrugineis.

*Obs.* MEIGENI *Limnobia fusca*, *chorea*, *Dumetorum*, *Stigma*, *tripunctata*, *nubeculosa*, *xanthoptera*, *replicata*, *ornata*, *4-notata*, *annulus* et *tenella* in Ostrogothia et Scania magis vel minus frequenter occurrunt, in Lapponia a me frustra quaesitae.

---

## 158. Symplecta. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. Fam. 6. Add. gen. 14—15. *Limnobia* MEIG. MACQ.

*Corpus* minoris magnitudinis elongatum tenuiter pubescens. Caput ut in *Limnobia*. Antennae 16-articulatae, articulo 1 cylindrico, 2 cyathiformi, reliquis globosis. Palpi exserti 4-articulati; articulo 1 brevissimo, ceteris subaequalibus subclavatis. Oculi subcohaerentes, in viva purpurei. Alae incumbentes, angustato-elongatae nudae, nervis 6 ad marginem interiorem alae descendentibus, quorum 1mo (a basi seu a margine interiori numerato, vel ultimo a costa) flexuoso. Tibiae apice vix calcaratae. *Color* cinerascens. *Motus Limnobiae*. *Habitatio* in graminosis paludosis per alpes Dowreenses Norvegiae, forte etiam in Lapponia sylvatica Sueciae. *Differentia sexus*; *mas*: ano obtuso; *femina*: ano acuto. (Spec. Scand. 2, Faunae nostrae communes, oculis supra conniventibus, subtus subconnatis, et nervo longitudinali ultimo (1mo a basi) distincte flexuoso a *Limnobia* et generibus sequentibus hujus Familiae dignoscendae.)

**1. S. punctipennis**: cinerascens, thorace brunneo-lineato, halterum femorumque basi pallescente, alis hyalinis, nervis transversis punctoque subcostali fuscis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. 283. 1. *Limnobia* eadem MEIG. Dipt. 1. 147. 56. Subd. T. Tab. 5. f. 7.

Hab. in Lapponia Suecica forte rarissime, mihi ibi non obvia; e Dowre Norvegiae a D. BOHEMAN communicata. (Lapp.-Scan. pass. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2½ lin. Cinerea opaca. Antennae vix thoracis longitudine, fuscae pilosulae. Thoracis vittae 3 brunneae, media antice, laterales posterius, elongatae. Abdomen fuscum. Anus concolor. Alae hyalinae, nervis transversis punctoque sub-

costali ad originem nervi longitudinalis 2di sito, fuscis. Areola etiam sub stigmate adest elongata. Nervus transversus ordinarius, in medio alae oblique ductus. Halteres albidi, clava fusca. Pedes fusci, coxis femorumque basi ferrugineis.

**2. S. stictica:** livida flavescens, antennis palpisque fuscis, thoracis lineis brunneis, abdominis vitta media, genubus, tibiarum apice tarsisque, obscuris, alis hyalinis, nervis transversis fuscedine cinctis. ♀.

Meig. Dipt. 6. 283. 2. *Limnobia stictica* Meig. l. c. 148. 57. ♂♀.

Hab. in Lapponia Norvegica, ubi in alpe Dowre ♀ a D. Boheman capta. (Lappon. —?)

*Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$ lin. Tota livida opaca. Antennae capite vix duplo longiores, fuscae. Palpi nigricantes. Thoracis vittae 3 brunneae, ut in priori locatae. Abdominis vitta media sinuata fusca. Anus rufus. Alae subhyalinae, nervis transversis infuscatis. Maculae quoque 2 vel 3 subcostales fuscae obsoletissimae adsunt. Nervi praeterea ut in priori directi, at areola subcuneiformis minus irregularis, ut et nervus transversus ad stigma vix ullus vel obsoletissimus. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes nigricantes, coxis, femoribus ultra medium tibiarumque medio late, testaceis. In femorum medio adest etiam umbra fusca, unde ante apicem annulus flavus exstat.

## 159. Tipula. Linn.

Meig. Dipt. Eur. gen. 17. Linn. Reaum. de Geer. Fabr. Latr. et reliquor. Auct.

*Corpus* (alis pedibusque longissimis) naximum aut magnum elongatum sublineare cylindricum, parum pubescens, vix pilosum. Caput parvum rotundatum. Os cylindrice productum. Antennae subfiliformes, 13-articulatae, articulo 1mo cylindrico, 2do cyathiformi, reliquis cylindraceis, verticillatim pilosis. Palpi exserti cylindrici, articulo ultimo longissimo (articulis pluribus intime coadunatis forte constante.) Oculi in viva virescentes. Alae saepissime divaricatae elongatae nudae. Nervi 7 marginem interiorem alae attingunt, quorum ultimo (h. e. 1mo a margine interiori) breviori subrecto. Tibiae apice calcaratae. *Color* cinerascens, luridus, raro nigricans, pictura alarum saepe insigni. *Motu*, incessu haud agilis, laborans, at volatus velox, brevis, vento secundo facillimus. *Habitatio* in graminosis, pratis saepe etc. saepe humidis; larvae cylindricae, capite corneo anoque sexradiato in terra et ligno putrido degunt; pupae elongatae saepe spinulosae; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque; in alpes nivales usque interdum adscendens. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso subclavato, a *femina:* ano acuminato bivaginato mox dignoscitur. (Sp. Scand. 45 in museo meo adsunt, ore rostrato, palporum articulo ultimo elongato, antennis 13-articulatis, alisque divaricatis, areola subovata, saepissime tantum 2 nervos in marginem emittente, quorum alter furcatus, a *Limnobiis* et affinibus facile dignoscendae).

° Areola alar. 2 nervos in marginem apicalem alae emittit, quorum superior furcatus, furcae petiolo saepe brevi. Corpus cinerascens aut luridum, subunicolor, thorace tantum fusco-vittato. Alae saepe fusco-alboque variegatae. Maximae (6—12 lin. longae, raro breviores. Cfr. praeterea Meig. l. c. 1. 170. Subd. A. Tab. 6. f. 8. et Macq. Dipt. Gall. 1. T. 3. f. 2. (optima)).

a) Alae marmoratae aut fusco-alboque variegatae. Stigma fuscum.

**1. T. nubeculosa:** cinereo-grisea, thorace fusco-subtrivittato, antennarum articulis 5—7 inferioribus femorumque basi luteis, pedibus fuscis, alis fuscescentibus, albo-marmoratis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 174. 7. ♂♀. *Tipula hortorum* Fabr. Antl. 24. 4. forte etiam Linn. Fn. Sv. 1725. eadem.

Hab. in Lapponia rarius; in alpes longe adscendit, et ad lacum insignem Torneträsk atque in ipso alpium Tornensium jugo d. 8—12. Jun. uterque sexus a me inventus. Larvae cylindricae, obscure cinereae, microscopice villosae, 10-12 lin. longae, in terra pingui hibernant. Pupae cylindricae, rugosae, obscure brunneae, postice attenuatae, in hoc statu circiter 14 diebus manent. Tantum 7 primis diebus sub terra sepultae sunt, deinde in superficie terrae jacent, declaratae exspectantes. (Lapponia; Scania rar.)

*Mas et Fem.* Long. ♂ 8, ♀ fere 10 lin. Cinereo-grisea opaca. Caput immaculatum. Antennae ultra medium ferrugineae, apice fuscae. Palpi fusci, articulis 2 basalibus saepe luridis. Thoracis vittae 3 brunneo-griseae, media latior, per lineam mediam longitudinalem cineream subdivisa, unde subquatuor vittae in thoracis dorso oriuntur, omnes obscure marginatae. Abdomen luridum. Anus subferrugineus, stylis vaginalibus in ♀ angustis subulatis, in mortua plerumque patentibus. Alae albo-fuscoque fere undique distincte marmoratae; nervorum furca in hoc genere ordinaria pone stigma emittit in costam ramulos 2 inaequaliter longos, utrosque integros h. e. usque ad marginem costalem continuatos. Halteres lividi, clava fusca. Pedes fusci, coxis apice, apophysibus femorumque basi interdum ultra medium, ferrugineis. Tibiae etiam in medio saepe dilutiores. Nota bene: in speciminibus scanensibus pedes fere toti flavicantes, tantum femorum apice fusco.

*Obs.* Sub nomine *Tipula hortorum* plures hujus generis species alis marmoratis, quae in Sueciae inferioris pratis et nemoribus haud infrequenter occurrunt, in Linn. Fn. Sv. forte sunt commixtae et sub specie, ab Ill. Auctore quasi pro typo descripta, latent. Dixit etiam Vir. nob. de sua *Tipula hortorum:* „habitat ubique communis", quod aliis potius, quam speciei Meigenianae (*Tip. nubeculosae*) competit. Per nomen *Harkrank* in Fauna Linn. l. c. de hac specie usitatum, Suecici hodie, omnes *Tipulae* species *majores* vulgo intelligunt. Nomine *Saeaeski* tantum de tipulariis minoribus pungentibus et speciatim de *Culicibus* Fennones in Lapponia utuntur.

**2. T. Speculum:** cinereo-grisea, thoracis vittis subquatuor cinerascentibus brunneo-marginatis, antennis palpisque nigris, illarum articulis 2 basalibus femorumque basi luteis, pedibus fuscis, abdomine lurido, alis fuscescentibus, albo-marmoratis, macula centrali alba. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, et quidem in Lapponia Fredrica d. 30. Jul. unicam feminam, atque in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 31. Jul. unicum marem inveni. (Lapponia Suecica meridionalis.)

*Mas et Fem.* Long. ♂ $6\frac{1}{2}$, ♀ 8 lin. Similis priori, paullo minor, thoracis vittis subquatuor (nec tribus) et antennis fere totis nigris, articulis tantum 2 basalibus luteis, distincta. A *Tipula scripta* Meig., cui thoracis pictura simillima, antennarum colore etiam mox dignoscitur. Antennae in ♂ thoracis fere longitudine, articulis basi nodosis pilosis, in ♀ capite tantum parum duplo longiores, articulis simplicibus. Caput griseum, linea supra fusca. Palpi nigricantes, articulis 2 basalibus luridis. Thorax laete grisescens, vittis 4 dorsalibus, nempe 2 mediis approximatis, antice connexis, usque ad collare productis, griseis, et 2 lateralibus, posticis, abbreviatis, cinereis; omnibus brunneo-marginatis. Abdomen luridum seu obscure lividum, ano fusco, vaginis brunneo-rufis, sat validis, subtus serrulatis, apice parum angustato subincurvo. Alae nervorum directione ut et pictura omnino ut in praecedente, at macula illa subquadrata alba, quae in centro alae in plerisque speciebus alis marmoratis gaudentibus observatur, in hac specie sat distincta, licet non major, quam in priori. Halteres et pedes ut in *T. nubeculosa*.

**3. T. obsoleta:** cinerea, thoracis vittis subquatuor brunneis, antennis palpisque nigricantibus, illarum articulis 2 basalibus luteis, abdomine lurido, vitta laterali subfusca, pedibus flavo-ferrugineis, femorum, tibiarum tarsorumque apice obscuro, alis obsolete marmoratis, stigmate fusco, distinctiori. ♂.

Meig. Dipt. 1. 179. 14. ♂♀. forte eadem, licet stigma *testaceum* dicatur.

Hab. in graminosis locis aridis in Lapponia Tornensi rarissime. (Lapponia-Botnia borealis, ad Johannis Ro prope Tornoam d. 2. Sept. semel quoque inventa —?)

*Mas.* Long. $5\frac{1}{2}$ lin. Tota laete cinerea opaca. Caput linea verticali vix ulla. Antennae thorace paullo breviores, subsimplices (vix nodulosae), nigrae pilosae, articulis 2 basalibus flavis. Palpi nigricantes. Thoracis vittae 2 mediae approximatae, antice posticeque cohaerentes, subabbreviatae, et 2 laterales, in thoracis postico locatae, abbreviatae; omnes angustatae, brunnescentes. Abdomen luridum, vitta laterali et ano paullo obscurioribus. Alae fuscescentes, albo-parce punctatae vel marmoratae, pictura obsoleta. Macula centralis alba ordinaria parva, at macula stigmaticalis sat distincta, fusca, utrinque albo-terminata. Nervi ut in prioribus. Halteres pallidi, clava subfusca. Pedes flavicantes, coxis basi cinereis, femorum, tibiarum tarsorumque apice nigricante.

**4. T. guttulifera:** cinerea, thoracis vittis subquatuor glaucescentibus brunneo-marginatis, antennis nigris, articulis 3 basalibus luteis, palpis fuscis, abdomine lurido, pedibus flavis, tarsis obscuris, alis fuscescentibus, obsolete albo-marmoratis; puncto centrali minuto; stigmate fusco. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Juckasjervi d. 26. Jun. semel capta. (Lapponia borealis.)

*Mas.* Long. $6\frac{1}{2}$ lin. Antennis nigris simplicibus, articulis 3 basalibus flavis, et alis fuscescentibus, parce albo-guttatis, puncto centrali albo minuto, ab affinibus distincta. Pictura thoracis ut

in *T. Speculum*, at vittae mediae magis obsoletae, lineis scilicet 2 marginalibus interioribus brunneis minus perspicuis. Abdomen lividum, apice luridum, linea dorsali obsoleta interrupta fusca. Alae fere ut in *T. scripta* Meig. vel potius in *T. obsoleta* mihi (No. 3), sed maculis albis paucioribus subpunctiformibus, seu vix nisi 3 distinctioribus in singula ala, nempe 1. pone stigma, altero sub hoc, subelongatis, 3tio centrali rotundo minuto. Halteres albidi, clava fusca. Pedes flavicantes, coxis cinereis, tarsis apice nigris. — Affinis *T. pabulinae* Meig. videtur.

**5. T. subunilineata**: cinerea, thoracis vittis subtribus, media lineari, antennis nigris, articulis 2 basalibus luteis, palpis obscuris, pedibus abdomineque fuscis, basi testaceis, alis fuscescentibus, obsolete marmoratis. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; in alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. semel lecta. (Lapponia borealis.)

*Mas*. Long. 5½ lin. *T. obsoletae* simillima, thoracis pictura, ut et antennis nodosis, certe distincta. Laete cinerea. Caput linea superne fusca. Antennae nodosae pilosae nigrae, articulis 2 basalibus luteis. Palpi fusci. Thoracis pictura fere ut in *T. Speculum*, at vittae mediae valde obsoletae, relicta tantum in medio linea geminata angusta brunnea. Vittae laterales cinereae abbreviatae, brunneo-marginatae. Abdomen fuscum l. luridum, basi pallidius. Alae fuscescentes, guttis paucis albis ut in *T. obsoleta*. Stigma obsolete fuscum, macula alba distinctiori versus apicem alae terminatum. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes fuscescentes, coxis cinereis, apice, apophysibus femorumque basi ultra medium flavicantibus.

**6. T. simplicicornis**: cinerea, thoracis vittis 4 distincte brunneis, antennis simplicibus palpisque, totis nigricantibus, pedibus fuscis, femoribus basi luteis, alis fuscescentibus albo-marmoratis. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae Umensis passim; ad Lycksele d. 20. Jun. in copula a D. Doct. Dahlbom inventa. (Lapponia Suecica meridionalis.)

*Mas* et *Fem*. Long. ♂ 6, ♀ 7 lin. Similis *T. varipenni* Meig., sed paullo minor et antennis totis nigris etc. distincta. Cinerea. Antennae in ♂, ut solito, paullo longiores, quam in ♀, in utroque sexu simplices pilosae; totae nigrae, articulo 1mo cinerascente. Palpi toti nigro-fusci. Linea frontalis distincta fusca. Thoracis vittae 4 distinctae, aequaliter latae, laterales abbreviatae, omnes brunneae. Abdomen fuscum, incisuris tenuissime pallidis. Alae marmoratae seu hyalino-albae, nervis maculisque fuscis, stigmate distinctius fusco. Maculae albae, pone stigma ut et centralis sat magnae distinctae. Ramulus furcae interior ad stigma abbreviatus (in antecedentibus integer). Halteres pallidi, clava basi fusca. Pedes toti fusci, femoribus tantum basi ferrugineis.

**7. T. crassicornis**: cinerea, thoracis vittis subquinque brunneis, antennis validis simplicibus palpisque, totis nigris, pedibus fuscis, femoribus basi luteis, alis fuscescentibus albo-marmoratis, stigmate nervisque transversalibus ad basin nigricantibus. ♂♀.

Hab. in Lapponia sylvatica rarissime; tantum unicus ♂ in paludosis ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis d. 4. Jul., unicaque ♀ ad Lycksele Lapponiae Umensis, capti. (Lapponia Suecica.)

*Mas* et *Fem*. Long. ♂ 6', ♀ 7' lin. Cinerea. Antennae ut in priori, at distincte validiores, crassiores. Palpi nigri. Linea frontalis fusca. Thoracis vittae subquinae, media tenuissima, laterales abbreviatae, et ante has in humeris punctum utrinque, impressum, seu foveola nigra nitida (qualis etiam in priori specie, at obsoletior, observatur); omnes brunneae. Maculae ordinariae in thoracis postico quoque adsunt. Abdomen obscurum, incisuris posticis tenuiter ferrugineis. Anus nigricans subnitidus, in mare clavatus, genitalibus flavis, in femina vaginis 4 rectis subulatis, interioribus brevioribus, omnibus ferrugineis. Alae fuscescentes, albo-marmoratae, stigmate et nervis transversalibus ad basin nigricantibus. Macula alba pone stigma fasciformis. Furcae ramulus interior ad stigma integer. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes nigricantes, femoribus basi et ultra medium ferrugineis.

**8. T. nodulicornis**: cinerea, thoracis vittis subtribus inaequalibus brunneis, antennis palpisque nigris, abdominis dorso medio lurido, pedibus fuscis, femoribus basi ferrugineis, alis fuscescentibus albo-marmoratis. ♂♀.

Hab. in Groenlandia, a D. Westermann mecum communicata; intra Lapponiam Scandinaviae a me frustra quaesita. (Groenlandia.)

*Mas* et *Fem*. Long. ♂ 6½, ♀ fere 8 lin. Similis priori, sed antennarum structura in ♂, et pictura thoracis in utroque sexu, ab illa distincta. Antennae scilicet in ♂ distincte nodosae, in ♀ validiusculae, in utroque sexu nigrae pilosae, articulo 1mo cinereo. Thorax subtus cinereus, dorso glaucus, vittis 3, media liniformi angustissima integra, lateralibus griseis linearibus, subtiliter fusco-punctatis et brunneo-marginatis, harum singula cum altera adhuc exteriori fusca, coëunte. Abdomen obscure cinereum, dorso medio lurido. Anus ♀ cum vaginis ut in *T. Speculum* (No. 2). Alae etiam ut in eadem. Halteres fusco-albidi. Pedes fusci, femoribus basi late ferrugineis, tibiis etiam in medio obscure ferruginantibus.

*Obs*. Species Meigenianae: *Tip. gigantea*, *lutescens*, *hortensis*, *marmorata*, *pabulina*, *vernalis*, *scripta* et *truncorum*, huic subdivisioni inserendae, in Suecia inferiori plus minus frequenter a me lectae, in Lapponia non observatae. *Tip. limbatam* alis obsoletissime guttiferis, vide infra No. 12.

## b) Alae praeter stigma subinfuscatum et maculam substigmaticalem albam, immaculatae.

† Corpore pallescente.

**9. T. ochracea**: testacea, thoracis vittis 4 ferrugineis, antennarum, palporum tarsorumque apice fusco, alis cinereo-hyalinis, stigmate infuscato, lunula abbreviata alba. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 186. 25. ♂♀. *Tip. lunata* Fabr. Antl. 27. 15.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Naestansjö in paroecia Wilhelmina d. 13. Jul. capta. Larvae similes larvis *T. nubeculosae*, 9 lin. longae, in ligno putrido Salicis mense April. inventae. Pupae quoque pupis *T. nubeculosae* fere similes, corniculis capitis filiformibus, mens. Majo, Junio excluduntur. (Lapponia Suecica meridionalis - Scan. freq.)

*Mas* et *Fem*. Long. ♂ 7, ♀ 9 lin. Tota ferrugineo-testacea, sed variat magis vel minus flavescens, forte secundum aetatem. Antennae filiformi-setaceae pilosae flavae, flagello subinfuscato. Palpi flavi, articulo ultimo fusco. Oculi in viva virides. Thoracis vittae 4 brunneae, plus minus obsoletae, in ♀ plerumque distinctiores. Abdomen ferrugineum, incisuris pallidioribus, basi flavum; in ♀ saepe paullo obscurius, ano brunneo, vaginis subulatis rectis ferrugineis. Alae cinerascentes, stigmate subinfuscato, lunula antestigmaticali alba, brevi, vix ad tertiam latitudinis alae partem descendunt. Areola breviuscula ovato-pentagona. Nervorum furca elongata, ramulis subrectis. Halteres testacei, clava fusca. Pedes testacei, tarsis fusco-nigris.

**10. T. fascipennis**: testacea, thoracis dorso laete cinereo, antennarum, palporum tarsorumque apice fusco, alis cinereo-hyalinis, stigmate infuscato, fasciaque continua alba. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 187. 26. ♀. 6. Add 286.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis d. 22. Aug. lecta. (Lappon.-Scan. haud infreq.)

*Mas* et *Fem*. Long. ♂ fere 7, ♀ fere 8 lin. Simillima priori, saepe paullo minor, et thoracis dorso disco pallide cinereo, vix vittato, alarum fascia continua, a costa fere ad marginem interiorem alae extensa, ut et vaginis analibus in ♀ brevioribus ovatis acutis, ab illa certe distincta. Ex utraque quoque ambo occurrunt sexus.

**11. T. laetabilis**: livida, thorace fusco-trivittato, palporum tarsorumque apice fusco, abdomine lurido, alis cinereo-hyalinis, stigmate infuscato, lunulaque alba. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lappon.-Ångermannia ad Hernösand, 30. Aug. rariss.)

*Mas*. Long. circiter 5½ lin. A duabus proxime praecedentibus, quibus similis, distinguitur magnitudine paullo minori, thoracis pictura alia, pedibus tenuioribus et alis magis fuscescentibus. Caput cinerascens. Antennae ut in *T. ochracea*, articulis infima basi nigro-annulatis. Thorax livido-testaceus, dorso vittis 3 brunnescentibus, media in medio cinerascente. Metathorax cinereo-testaceus. Abdomen luridum subnitidum brunneo-maculatum, praesertim in ano. Alae fuscescentes, stigmate parvo obscuriore. Lunula antestigmaticalis alba sat distincta, ad mediam latitudinis alae extensa areolamque transiens. Halteres sordide albi, clava in medio fusca. Pedes valde tenues pallidi, femorum, tibiarum tarsorumque summo apice fusco.

**12. T. limbata**: testacea, thoracis dorso cinerascente, obsolete brunneo-subquadrivittato, antennis nigris, articulis 2 basalibus luteis, palpis, femorum tibiarumque apice tarsisque fuscis, alis cinereo-hyalinis, stigmate fuscescente, utrinque albo-terminato. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis d. 22. Aug. lecta. (Lapponia.)

*Mas*. Long. 4' lin. Tota testacea. Antennae simplices pilosae nigrae, articulis 2 primis flavis. Palpi fusci. Caput laete cinerascens. Thoracis dorsum laete cinereum, vittis 4 pallide fuscis, mediis antice posticeque coëuntibus. Scutellum pallidum. Abdomen posterius brunneo-maculatum. Alae cinereo-hyalinae, macula stigmaticali fusca obsoleta, macula minori alba utrinque terminata. Punctum centrale et unum alterumve in margine interiori alae adsunt, sed omnia minutissima, et certo tantum luminis situ obser-

vantur. Areola oblongo-subpentagona. Ramuli in nervorum furca magis curvati, quam in prioribus et microscopice pilosi. Pedes pallidi, femorum tibiarumque summo apice tarsisque fuscis.

†† Corpore cinerascente; capite et thorace saepe totis cinereis, abdomine interdum livido aut testaceo.

**13. T. oleracea**: laete cinerascens, thorace obsolete brunneo-trivittato, antennis filiformibus nigris, articulis 2 basalibus testaceis, abdomine lurido, pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque basi tarsisque obscuris, alis cinereo-hyalinis, margine costali fusco. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 1740. Deg. Ins. 6. 339. T. 8. f. 12. 13. Fabr. Antl. 23. 3. Meig. Dipt. 1. 189. 30. Dahlb. Skand. Ins. Lund. 1837.

Hab. in Lapponia rarissime, in reliqua Suecia vulgaris. Larvae cylindricae, crassae, scabrae, ferrugineo-cinereae, setis solitariis brevibus nigris vestitae, 12 lin. longae, in terra pingui hibernant. Pupae exacte cylindricae, rugosae, laete brunneae, mensibus Jul. et Aug. excluduntur (Lapp.-Scan. a mens. Jul. usque ad Sept. in copula freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 7—9, ♀ 9—11 lin. Cinerascens; alarum costa fusca a reliquis nostris mox dignota. Antennae in ♂ fere longitudine thoracis, in ♀ illo paullo breviores, in utroque sexu filiformes pilosae nigrae, articulis 2 basalibus lividis. Palpi et rostrum cinereo-testacea. Linea frontalis fusca saepe adest. Oculi in viva virescentes. Thorax dorso vitta lata grisea, lineis 3 pallide brunneis exarata, una in medio et reliquis lateralibus. Haec autem pictura plus minus obsoleta. Abdomen luridum, interdum linea dorsali fusca. Alae hyalino-cinereae, costa a basi usque ad stigma, non late, sed distincte, fusca. Areola ut in *T. ochracea*. Furcae ramuli ut in *T. limbata*. Halteres pallidi, clava basi fusca. Pedes ut in diagnosi.

*Obs.* In pratis uliginosis feminas hujus speciei gravidas corpore erecto, abdomine elongato tumido anoque acuto loca idonea pro ovorum depositione sollicite inquirere, ad finem mensis Augusti in Scania saepe observavi. Invento autem loco apto ova sua minuta oblonga nigra nitida deponit, et in hoc negotio pergit usque dum omnia ejecit, et abdomen vacuum subpellucidum evadit. In abdomine aute ovorum depositionem vi aperto ova circiter 300 numeravi.

**14. T. lateralis**: cinerea, thorace brunneo-trivittato, vitta media linea longitudinali obscura inscripta, antennis filiformibus palpisque fuscis, illis basi luridis, abdomine vitta laterali nigro-fusca, pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque nigris, alis cinerascentibus, stigmate infuscato lunula albida. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 174. 6. ♂♀.

Hab. in Lapponiae graminosis rarius. (Lappon.-Scan. frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 5¹—6, ♀ 7—8 lin. Tota cinerascens. Antennae in ♀ capite vix duplo longiores, in ♂ capitis thoracisque longitudine, in utroque sexu simplices pilosae nigricantes, articulis 2 basalibus cinereo-testaceis, 3, 4 et 5 basi luteis. Rostrum luridum. Palpi nigricantes. Thoracis vittae 3 sat latae brunnescentes, media linea obscuriori inscripta. Maculae fuscae ordinariae in thoracis postico adsunt. Abdominis vitta lateralis, incisuris interrupta, fusca. Alae cinerascentes, nervis obscurioribus, basi pallidis. Stigma obsolete fuscum, lunula alba brevi. Areola oblonga oblique quadrangula. Furcae ramuli subcurvati. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes ut in diagnosi.

**15. T. longicornis**: cinerea, thorace fusco-trivittato, antennis filiformibus nigris, articulo 2do flavo, abdomine obscure lurido, incisuris albidis, pedibus nigricantibus, femorum basi ferruginea, alis cinereo-albo-hyalinis, stigmate infuscato, intus albo-terminato. ♂♀.

*Mas:* antennae thorace dimidio longiores, breviter pubescentes, articulis flagelli elongatis, basi subnodulosis, parceque pilosis.

*Fem.:* antennae thorace dimidio breviores simplices pubescentes, extrorsum attenuatae, in copula.

Hab. in paludosis sylvaticis Lapponiae passim; scilicet ad Pello, Wittangi et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, d. 4. Jun. — 2. Jul., nec non ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 4. Aug. in copula, inventa. (Lapponia; Botnia borealis ?)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 5¹, ♀ 6¹ lin. Similis *T. pruinosae* Meig. Caput subglobosum, posterius parum attenuatum, totum cinereum, linea frontali glaucescente, interdum obsoleta. Antennae articulo 1 brevi 1 mediocri, 2 brevissimo, 3 longissimo, reliquis sensim paullo brevioribus. Palpi nigricantes. Thoracis vittae 3, media paullo latior, omnes fuscae aut brunnescentes, saepe obsoletae. Abdomen aut fuscum aut obscure luridum, incisuris semper tenuiter albidis, praesertim in ♂. Anus in ♀ rufescens. Alae subcinerascentes l. albido-hyalinae, nervis obscurioribus, basi pallida. Stigmatis macula parva infuscata, macula minori alba intus terminata. Certo luminis situ alae obsoletissime marmoratae videntur. Nervi et areola fere ut in priori. Halteres pallidi, clava subfusca. Pedes obscuri, femorum basi ferruginea.

**16. T. serricornis**: cinereo-fusca, thoracis vittis 3 obscurioribus, antennis palpisque nigris immaculatis, abdominis incisuris albidis, pedibus nigricantibus, femorum basi ferruginea, alis fuscescenti-cinereis, stigmate brunneo et lunula alba obsoletis; antennis in mare serratis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius, ad Juckasjervi d. 25. Jun. capta; in floribus Salicis ad Karungi jam d. 27. Maji lecta; in alpibus Finmarkiae occidentalis ad Alten haud longe a capite septentrionali d. 6. Aug. etiam rarissime inventa. (Lappon. borealis.)

*Mas.* Long. 5¹ lin. Affinis priori, a qua tamen colore corporis obscuriori, antennis vix thoracis longitudine, intus distincte serratis, articulis brevibus, macula stigmaticali fusca pallidiori, ut et lunula alba in medium latitudinis alae fere extensa (nec brevissima maculiformi), angusta obsoleta, certe distinguitur. Caput cinereum, fronte indeterminate nigra. Rostrum et palpi nigra. Thoracis vittae 3 nigricantes, media latior. Abdomen nigricans, incisuris praesertim posterioribus tenuiter albidis. Anus lamellis quatuor (bigeminatis) erectis luteis. Reliqua ut in priori.

**17. T. subnodicornis**: cinerea, thoracis vittis 3 obscurioribus, media geminata, antennis palpisque nigris immaculatis, abdomine nigricante, incisuris mediis albidis, pedibus nigricantibus, femorum basi ferrugineis, alis albido-hyalinis, nervis validis stigmateque obsoleto, fuscis. ♂♀.

*Mas:* antennae thorace fere longiores, breviter pubescentes et pilosae subnodosae, articulis scilicet elongatis cylindricis, singulo in medio angustato.

*Fem.:* antennae thorace dimidio breviores, pilosiusculae, articulis oblongis aequalibus.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Lycksele d. 2 — 15. Jun. uterque sexus a D. Dahlbom inventus. (Lapponia Suecica meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 5, ♀ 6¹ lin. *T. longicorni* et *serricorni* affinis et similis, sed a priori antennis totis nigris (nec articulo 2do flavo), thoracis vitta media gemina seu linea longitudinali cinerea divisa (nec simplici); a posteriori, antennis in utroque sexu subfiliformibus (nec in ♂ serratis), colore corporis magis laete cinereo, et ab utraque magnitudine paullo minori, corpore graciliori, incisuris abdominis tantum mediis albidis, et alis magis albescentibus, nervis paullo validioribus fuscioribus, vere distincta. Antennae ut in *T. longicorni*, sed paullo breviores. Caput subglobosum. Alarum nervi et areolae ut in priori. Halteres ferruginei, clava fusca. Pedes nigri, femoribus basi, vix ad medium, ferrugineis.

**18. T. luridiventris**: griseo-cinerea, thoracis vittis 4 brunneis, antennis filiformibus palpisque nigris, illarum articulo 2do flavo, abdomine lurido, incisuris mediis albidis, pedibus fuscis, femoribus basi ferrugineis, alis cinerascentibus subimmaculatis. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia; Ångermannia ad Hernösand. 30. Aug. rariss.)

*Mas.* Long. circiter 4 lin. Praecedentibus minor gracilior. Cinereo-grisea. Antennae ut in *T. longicorni*, articulo 1mo cinerascente. Palpi et rostrum nigro-fusca. Caput subglobosum, linea frontali fusca. Thoracis vittae brunnescentes, mediae approximatae. Abdomen basi luridum, extrorsum fuscum, incisuris mediis tenuiter albis. Anus ferrugineus. Alae cinerascenti hyalinae, stigmate concolore. Lunula ordinaria alba abbreviata vix nisi obsoletissime adest. Alae basi pallidiores. Haltere albidi, clava fusca. Pedes ut in diagnosi.

**19. T. brevirostris**: cinerea, thoracis vittis 3, antennis, palpis halteribusque nigricantibus, abdomine lurido, linea dorsali obscura, pedibus fuscis, femorum basi ferrugineis, alis angustatis fuscescenti cinereis, stigmate parvo obscuriori. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele semel capta. (Lapponia; Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 5—6 lin. Priori paullo longior, sed angustior. Cinerea. Antennae et palpi nigra. Rostrum breve nigrum. Macula frontalis indeterminata nigricans. Thoracis vittae 3 nigrae, media latior. Limbus thoracis rufo testaceus. Abdomen valde angustum lineare, ferrugineum subnitidum, lineis 3 fuscis, media dorsali et 2 lateralibus. Anus in ♂ clavatus, ferrugineus. Alae in utroque sexu valde angustae, fuscescenti cinereae, macula stigmaticali oblonga parva et nervis transversis ad basin, fuscis, nervo 1mo longitudinali subcostali ferrugineo. Areola oblongo-quadrata seu parallelogramma. Nervorum furca subsessilis seu brevissime petiolata. Halteres et pedes ut in diagnosi.

*Obs.* Rostrum hujus speciei fere ut in *Limnobia*; sed palpis

(licet solito paullo brevioribus) et nervorum directione in alis *Tipulae* magis accedit species ambigua, ex qua tantum pauca individua vidi.

*Obs.* *Tip. cervina* Meig., *flavo-lineata* Meig., *lunata* Linn., ut et *nigra* Linn. in Suecia inferiori collectae, in Lapponia a me non inventae.

°° Areola alar. oblongo-subquadrata, aut tres nervos simplices distincte in marginem interiorem emittit, aut duos tantum, superiorem nempe mox furcatum, furca saepissime sessili. Corpus aut nigrum flavo-pictum, aut flavo-nigro-vittatum. Antennae subfiliformes simplices pilosae. Majores aut mediae, 7—4 lin. longae. (Cfr. praeterea Meig. l. c. 1. 162. B. T. 6. f. 9. et Macq. l. c. 1. Pl. 3. f. 3.)

**20. T. crocata:** atra, capite litura, thorace maculis 7, abdomineque fasciis 3, croceis, alis subhyalinis, nubecula fusca, pedibus nigris, femoribus basi ferrugineis. ♂♀.

Linn. Fn. Sv. 1739. Fabr. Antl. 25. 9. Meig. Dipt. 1. 192. 35. ♂♀. *Tipula flavo-fasciata* de Geer Ins. 6. 349. 10.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ibi non obvia, ab alio Collectore ut Lapponiae incola communicata. (Lapponia; Roslogia, Linn.-Scania verno tempore freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 6, ♀ fere 8 lin. Atra opaca, thorace nitido glabro. Antennae in ♂ vix longitudine thoracis, in ♀ adhuc breviores. Macula frontalis irregularis dentata fulva. Thorax linea antica collari flava, et maculis 6 lateralibus ejusdem coloris, quarum tamen quaedam interdum deficiunt. Abdomen fasciis 3 mediis croceis. In ♀ fascia interrupta in segmento 5to plerumque etiam observatur. Genitalia ferruginea. Alarum nervi obscuri. Areola oblongo-quadrata 3 nervos distinctos emittit. Stigma nigricans et sub illo fascia abbreviata fusca. Halteres nigri, capitulo apice albo. Pedes nigri, femoribus basi lutescentibus.

**21. T. maculosa:** flava, antennis totis, thorace vittis 3, abdomineque 1 dorsali subinterrupta, pleurisque maculis, pedibusque, nigris, femoribus basi ferrugineis, alis subhyalinis, stigmate pallide fusco, areola oblongo-quadrata; nervi furca sessili. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 197. 40. Macq. Dipt. Gall. 1. 132. 19.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 5, ♀ $6^{1}$ lin. Citrina. Caput fulvum, macula frontali nigra. Rostrum supra nigrum. Palpi nigri. Antennae in ♂ longitudine thoracis, in ♀ illo paullo breviores, in utroque sexu filiformes, pilosulae nigrae, articulo 1mo summo margine angustissime albido. Thorax dorso vittis 3 atris, media latiori. Collare macula laterali, pleurae maculis 2 vel 3, et sternum maculis 2, nigris. Thorax postice etiam nigro-maculatus. Metathorax macula difformi nigra. Abdomen flavo-testaceum, vitta dorsali nigra, incisuris tenuiter interrupta. Lineae laterales fuscae plus minus perspicuae, saepe tantum in rudimento observandae. Venter quoque fusco-subtrilineatus. Alae hyalinae, stigmate fusco-pallido. Areola oblongo-quadrata, latere exteriori subinaequali, furca sessili Halteres fusci, clava apice pallida. Pedes nigri, coxis flavis nigro-maculatis; femoribus basi ferrugineis.

*Obs.* Pictura corporis, quae etiam in hac specie paullo variat, in sequentibus parum abludit a pictura jam descriptae.

**22. T. Scurra:** flava, pleuris immaculatis, antennarum flagello, thorace vittis 3, abdomineque unica dorsali, femorum apice, tibiis tarsisque, nigris, alis hyalinis, stigmate pallide fusco, areola oblongo-quadrata; furca sessili. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 198. 41. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime. (Lapponia-Botnia borealis ad Haparandam juxta margines agrorum d. 1. Sept. rarius-Scan. frequenter.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ fere 6, ♀ 7 lin. Simillima priori, a qua differre videtur antennarum articulis 2 basalibus ferrugineis, rostro supra laete brunneo (nec nigro), palpis fuscis, pleuris et sterno immaculatis (maculis scilicet in *T. maculosa* nigris, in *T. Scurra* tantum per maculas ferrugineas indicatis), abdominis linea dorsali longitudinali nigra plerumque interrupta, per maculas fuscas interdum tantum indicata, alarum stigmate paullo fusciori, ut et pedibus fere totis testaceis, femorum tibiarumque apice tarsisque tantum nigris. In ceteris quadrant. — Varietas feminea, ad Haparandam capta, abdominis vitta dorsali brunnea integra, ano piceo et alarum furca subpetiolata gaudet, de cetero varietati genuinae similis.

**23. T. Histrio:** flava, antennarum flagello, thorace vittis 3, abdominisque 1 dorsali interrupta; pleuris maculis pedibusque, nigris, femorum basi ferrugineis, alis flavescenti hyalinis, stigmate pallido, areola oblongo-quadrata, furca sessili. ♂♀.

Fabr. Antl. 28. 21. Meig. Dipt. 1. 198. 42. ♂♀. *Tipula flavo-maculata* de Geer Ins. 6. 347. 9. T. 19. f. 2. 3.

Hab. in Lapponia cum prioribus aeque rara. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ $4^{1}$, ♀ $5\frac{1}{2}$—6 lin. Affinis et similis duabus proxime praecedentibus, sed a *T. maculosa* antennarum articulis 2 basalibus ferrugineis (nec nigris), a *T. Scurra* pleuris et sterno (non immaculatis, sed) maculis nigris pictis, et ab utraque magnitudine paullo minori alisque subflavescentibus, stigmate pallido, distinguitur. Ex omnibus tribus quoque ambo occurrunt sexus.

**24. T. cornicina:** flava, antennarum flagello, thoracis vittis 3, abdomineque totidem continuis, pleuris maculis, femorum tibiarumque apice, tarsisque, nigris, pedibus ferrugineis, alis subhyalinis, stigmate fusco, areola oblongo-quadrata; furca sessili ♀.

Linn. Fn. Sv. 1747. Fabr. Antl. 29. 25. (exclus. forte Syn. de Geeri, quod potius ad *T. Histrionem* pertinet). Meig. Dipt. 1. 200. 44. Macq. Dipt. 1. 132. 17. (♂♀.)

Hab. in Lapponia meridionali et Umensi rarissime; ad Lycksele tantum femina lecta; mas a me non visus. (Lapp.-Scan. pass.)

*Fem.* Long. 7 lin. Prioribus similis. Differt vero praecipue a *T. maculosa* antennarum articulo saltem 1mo ferrugineo, a *T. Scurra* pleuris sternoque maculis parvis nigris ornatis, a *T. Histrione* alis hyalinis (nec flavescentibus), stigmate fusco (nec pallido), et ab omnibus abdomine, quod in hac specie vittis 3 distinctioribus, media dorsali et 2 lateralibus, continuis nigricantibus praeditum. Antennae breves simplices setaceae. Rostrum supra macula nigra. Palpi fusci, apice ferruginei. Pedes cum coxis immaculatis flavescentes, femorum tibiarumque apice anguste, tarsisque nigris.

**25. T. brevicornis:** pallida, antennarum flagello, thorace vittis 3, pleuris maculis, femorum tibiarumque apice, tarsisque nigris, abdomine lurido, alis subhyalinis, stigmate obsoleto, areola oblonga, intus aperta, nervos tres discretos emittente, superiori furca petiolata. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica; in alpe Dowre a D. Boheman inventa, in Lapponiis Suecicis a me non visa. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* Long. 4 lin. Tenera, pallide flava. A prioribus colore pallidiore et directione nervorum in alis praesertim differt. Rostrum quoque brevius est; sed vix *Limnobia.* Antennae thorace paullo breviores filiformes pilosulae fuscae, articulis 1 et 2 basalibus subaequaliter longis, brevissimis pallidis. Rostrum breve, supra fuscum. Palpi fusci. Macula frontalis fusca adest. Thorax vittis 3 cohaerentibus nigris, media antice longius extensa. Maculae nigrae, in hac subdivisione ordinariae, in pleuris et sterno parvae observantur. Metathorax macula ante abdomen nigra. Abdomen angustissimum luridum, segmento 1mo pallido, linea laterali angusta obsoleta anoque fuscis. Alae cinereo-hyalinae vix nisi puncto fusciori indicato, areola oblonga, versus basin alae aperta, latere scilicet interiori absente. Areola vero a suo apice emittit nervos 3, aequali fere spatio remotos, quorum superior petiolato-furcatus. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes ut in diagnosi.

**26. T. petiolata:** flava, pleuris immaculatis, antennarum flagello, thorace vittis 3, abdomineque 1 dorsali, femorum tibiarumque apice tarsisque, nigris, alis subhyalinis, stigmate subinfuscato, areola subquadrata; furca petiolata. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis 22. Aug. semel capta. (Lapponia borealis.)

*Mas* et *Fem.* Long. $4^{1}$ lin. Simillima *T. Scurrae* (No. 22), sed paullo minor, et palpis apice ferrugineis, abdominis linea dorsali interrupta pallide brunnea (nec fusca), areola alarum paullo breviori, nec non furca evidenter petiolata, mox distincta. Abdominis linea lateralis angusta subcontinua nigra. Cetera ut in *T. Scurra.*

**27. T. lugubris:** tota nigricans, puncto utrinque humerali halteribusque pallide flavis, alis hyalinis, stigmate fusco, areola elongata angusta quadrangula, nervos tres discretos emittente. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in paludosis ad Novaculum Umenaes, haud longe ab alpe Brattiksfjell situm, d. 7. Jul. unicum individuum inveni. (Lapp. meridion.)

*Fem.* Long. vix 4 lin. Parva in hoc genere, colore obscuro ab affinibus hujus subdivisionis facile dignota. Tota nigricans vel subcinerascenti nigra. Rostrum breviusculum. Antennae (in specimine descripto) apice mutilatae. Macula frontalis cinerascens. Thorax utrinque puncto humerali elevato flavo. Vaginae anales ♀ subulatae recurvae nigrae. Alae cinereo-hyalinae, stigmate macula elongata fusca. Nervus 3tius (a margine interiori numeratus) subgeminatus crassus infuscatus. Areola elongata parallelogramma. 3 nervos basi distantes emittit. Nervus transversus ordinarius ad basin areolae insertus. Nervulus, nervum longitudinalem 1mum e

furcam connectens, adest. Halteres flavi, petiolo fusco. Pedes nigri, femoribus infima basi obscure ferrugineis.

*Obs.* *Tip. pratensem* LINN. nec non *T. quadrifariam* MEIG. ad hanc subdivisionem pertinentes, et in Suecia inferiori occurrentes, in Lapponia non observavi.

## 160. Psiloconopa. ZETT.

*Corpus* in hac familia parvum, elongatum lineare glaberrimum. Caput rotundatum, oculis subexsertis transversum. Os parum productum. Antennae moniliformi-filiformes, 16-articulatae, articulo 1mo majori. Palpi 4-articulati, articulis intermediis crassioribus. Oculi in fronte distantes, infra cohaerentes. Alae divaricatae elongatae nudae. Nervi 6 marginem interiorem attingunt. Areola subtriangularis 3 nervos simplices, basi aequali spatio remotos, emittit. Nervulus, nervum primum longitudinalem (a costa numeratum) et furcam ad stigma connectens, adest. Nervorum directio praeterea ut in MEIGENI *Limnobiae* Subdivisione K et L. (MEIG. Dipt. P. 1. T. 5. f. 6. et T. 4. f. 17.) Tibiae apice non calcaratae. *Color* niger, pictura flavo-fasciata. *Habitatio* in fruticibus, locis paludosis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Motu* agilis: in foliis reptat, captu sat difficilis. *Differentia sexus*; *mas:* ano obtuso, laminis 2 brevibus convexis subconniventibus, clavam parvam abdomine angustiorem pilosulam formantibus; *femina:* ano acuto, stylis seu vaginis 2 corneis subulatis recurvatis. (Sp. Scand. 1, nostra lapponica, magnitudine parva, glabritie corporis, antennis moniliformibus, areola subtriangulari et pedibus non longissimis, a reliquis hujus familiae affinibus, facile dignotae. Nomen *Psiloconopa* a Ψιλὸς, glaber, et Κώνωψ, culex, desumtum.)

**1. Ps. Meigeni:** nigra nitida, thoracis linea utrinque humerali, scutello, halteribus, abdominisque segmentorum margine citrinis, femoribus basi ferrugineis. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; in foliis fruticum Salicis ad ripam fluminis Ångermanniae prope templum Åsele in Lapponia Umensi d. 6. Jul. 1832; nec non in paludosis in Gamsttind et in alpibus adjacentibus Nordlandiae Norvegicae, d. 30. Jul. 1821 paullo frequentius, utrumque sexum legi. In Lapponia Tornensi, D. FRIGELIUS rarissime. (Lapponia Suecica et Norvegica.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 2, ♀ 2½ lin. Tota nigra nitida glabra. Oculorum orbita frontalis angusta albida. Oculi rotundi integri, etiam in viva nigri. Thoracis limbus anticus linea in medio interrupta, nec non scutellum, pallide flava. In pleuris maculae et sub alis ruga ejusdem coloris saepissime quoque observantur. Halteres et abdominis incisurae, praesertim posticae, flavae. Anus rufo-brunneus. Alae hyalinae immaculatae, stigmate nullo. Areola subcuneiformis. Nervus transversus ordinarius linea recta cum basi areolae insertus. Nervus longitudinalis ultimus (a costa, sed 1mus a margine interiori numeratus) mediocriter longus subrectus. Pedes cum coxis nigri, femoribus basi ferrugineis.

Viro celeberrimo Domino J. W. MEIGEN in Stolberg ad Aachen, Systematische Beschreibung der bekannten europäischen zweiflügeligen Insecten, Operis sub 6 Vol. comprehensi notissimi, supra omnem laudem excelsi, etc. Auctori, inter Tipularias pulcherrimam hanc speciem dedicare, Ejusque nomine condecorare voluit amicus, et summo jure debuit Dipterorum Lapponicorum descriptor.

*Obs.* *Rhipidia* MEIG., genus, *Limnobiis* valde affine, antennarum articulis globosis remotis, maris pectinatis distinctum, in Lapponia forte peregrinum. *Rhipidia maculata* MEIG brunneo-cinerea, alis punctis plurimis fuscis obsoletis sparsis areolaque oblongo-quadrata nervulos 3 simplices emittente; toto corpore 3—4 lin. longa, in Scania haud raro lecta, in provinciis borealibus a me non visa.

## 161. Ctenophora. FABR.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 16. FABR. LATR. MACQ. *Tipula* LINN. DE GEER etc.

*Corpus* magnum (6—12 lin. longum) oblongum robustum glabriusculum nitidum. Caput transversum. Os breviter rostratum. Antennae 13-articulatae, articulo 1 cylindrico, 2 globoso, 3 oblongo, reliquis in ♂ pectinatis; in ♀ simplicibus globosis seu ovalibus. Palpi cylindrici, pilosi 4-articulati, articulo ultimo longissimo. Alae divaricatae nitentes. Nervi 7 longitudinales marginem interiorem attingunt. Areola oblonga aut ovata, utrinque subacuta 2 nervulos emittit, quorum superior furcatus. Abdomen subcrassum. Pedes mediocriter longi, tibiis apice calcaratis. *Color* ater, pictura rufo- aut flavo-fasciata. In lateribus thoracis macula linearis flava saepissime adest. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in nemoribus et sylvis, nunquam in paludosis; in arborum exaridarum aut putrescentium truncis feminae ova depositurae saepe deprehenduntur; per partem sylvaticam Lapponiae. Larvae apodae, cylindricae sordide albidae. Pupae aculeatae. *Differentia sexus* evidens; *mas:* antennis longitudine fere thoracis, pectinatis, et ano elevato-clavato; *femina:* antennis brevioribus simplicibus, et ano subulato vaginis 2 subincurvis. (Spec. Scand 6, antennis in ♂ pectinatis, ore in utroque sexu brevi, areola alarum utrinque acuta, corpore valido, abdomine crassiusculo, pedibus parum elongatis, ut et habitatione, ab affinibus distinctae.)

* Antennae masculorum radiis duplici serie dispositis.

**1. C. bimaculata:** atra, antennis pedibusque nigris, palporum femorumque basi flava, alis hyalinis, maculis duabus nigricantibus; abdomine in ♀ lateribus rufo-punctato. ♂♀.

FABR. Antl. 18. 3. ♂♀. MEIG. Dipt. 1. 156. 1. ♂♀. *Tipula bimaculata* LINN. Fn. Sv. 1750. DE GEER Ins. 6. 402. 25.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in truncis Betulae albae subputridis ad Tresunda et Wilhelmina plures feminas d. 13—20. Jul. legi; mas rarius occurrit. Larvae cylindricae, laete cinereae, microscopice villosae, in quovis annulo serie transversali setarum subcurvatarum obsitae, 8 lin. longae, in ligno putrido hybernant. Pupae cylindricae, obscure brunneae, transversim muricatae, primo vere excluduntur. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 6, ♀ 5—8 lin. Tota atra nitida. Antennae nigrae fuscae, interdum (in junioribus) fusco-testaceae. Palpi testacei, articulo ultimo fusco. Oculi in viva brunneo-nigri. Thoracis sutura antealaris hians pallida. Collare linea interrupta angustata flava. A scutellum utrinque macula ferruginea plerumque observatur. Abdomen in ♂ immaculatum, in ♀ maculis parvis, raro fasciformibus, utrinque 5—7, rufis. Alae hyalinae, fascia stigmaticali abrupta et macula apicis, nigro-fuscis. Halteres nigricantes. Pedes nigri, trochanteribus et femoribus basi late, luteis.

** Antennae masculorum radiis triplici serie dispositis, brevioribus inferioribus.

**2. C. atrata:** atra, antennis nigricantibus, alis hyalinis, stigmate fusco, halteribus flavis, *mas:* abdomine toto pedibusque nigris, ano subtus femorumque basi ferrugineis; *femina:* abdomine atro, basi rufo, pedibus ferrugineis, tibiarum apice tarsisque nigris; major. ♂♀.

FABR. Antl. 19. 6. ♀. MEIG. Dipt. 1. 158. 3. Descript. femin. (mas ad *C. ruficornem* pertinet). MEIG. l. c. 6. Add. 285. ♂♀. *Tipula atrata* LINN. Fn. Sv. 1749. ♀. *Tip. Ichneumonea* DEG. Ins. 6. 350. 11. T. 19. f. 10.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ♂ ad lacum Stor-Uman in paroecia Stensele d. 6. Jul. et ♀ ad lacum Wojmsjoen in paroecia Wilhelmina d. 11. Jul., a me lecta. (Lappon. meridionalis-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 8, ♀ circiter 12 lin. Tota atra nitida, ♂ tenuiter villosus, ♀ glabrior. Antennae fusco-nigrae, in masculis radiis in feminis medio, saepe brunneo-testaceae. Palpi nigricantes. Sutura lateralis thoracis ante alas flava. Abdomen in ♂ segmentorum mediorum incisuris piceis, et ani clava elevata magna praesertim subtus ferruginea; in ♀ basi supra et subtus rufum, ano longe acuminato, valvulis subulatis recurvatis. Alae hyalinae, basi pallidiores, stigmate nigricante. Halteres pallidi, petiolo fusciori. Pedes in ♂ nigri, femoribus basi plus minus late ferrugineis, tibiisque etiam basi interdum luridis; in ♀ ferruginei, tibiis basi tarsisque totis nigris.

**3. C. nigricornis:** atra, antennis nigris, alis hyalinis, stigmate fusco, halteribus flavis, pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque nigris, abdomine nigro, basi fasciis 2 rufescentibus, aut interruptis (in ♂), aut integris (in ♀); minor. ♂♀.

Var. a. ♂♀. abdomine rufo-fasciato.

MEIG. Dipt. 1. 159. 4. ♂. MACQ. Dipt. Gall. 1. 138. 3? ♀. (quae 11 lin. long. abdominisque fasciis 2 ferrugineis interruptis describitur.)

Var. b. ♂. abdomine toto nigro.

Hab. var. a. in Lapponia Tornensi rarius; marem in Betula alba ad Wittangi d. 15. Jun., et utrumque sexum in graminosis ad Juckasjervi d. 3. Jul. in copula, inveni; varietas b. tantum ad Tresunda Lapponiae Umensis d. 11. Jul. rariss. lecta. (Lapponia —?)

*Mas.* et *Fem.* Long. ♂ 7—7½, ♀ 9 lin. Simillima priori, a qua tamen differt magnitudine paullo minori, antennis totis nigris (nec medio fuscis), thoracis sutura antealari nigricante (nec pallida), abdomine basi in utroque sexu fasciis 2 undique, etiam subtus, rufis, supra in ♂ interruptis, in ♀ integris, nec non ano in ♂ subtus parum testaceo, halteribus in utroque sexu flavis, pedibus maxima ex parte flavicantibus, femorum tibiarumque apice tantum anguste, tarsisque nigris. Palpi nigri. Fasciae rufae in abdominis basi in ♀ cingulo tantum tenuissimo discretae.

Var. b. ♂ fere paullo robustior, abdomine toto nigro, pedibusque etiam nigris, femoribus tantum basi rufis, a variet. a. differt. A prioris speciei mare, cui alias simillima, antennis quoque totis nigris, mox dignoscitur.

*Obs.* *Cten. ruficornis* Meig. Dipt. 6. Add. 284. 12. antennis rufis praesertim a *C. atrata* distincta, in Scania rarius lecta, in Lapponia vel provinciis borealibus hactenus non visa.

°°° Antennae masculorum radiis quadruplici serie dispositis, brevioribus interioribus.

**4. C. pectinicornis**: atra, antennis concoloribus, alis hyalinis, stigmate fusco, palporum basi, halteribus thoracisque maculis lateralibus flavis, abdomine rufescente, maculis dorsalibus atris strigisque lateralibus sulphureis, pedibus ferrugineis, femorum tibiarumque apice in ♂, tarsisque in utroque sexu, nigris. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 160. 5. ♂♀. *Tipula pectinicornis* Linn. Fn. Sv. 1735. certe. ♂. *Ctenophora variegata* Fabr. Antl. 17. 2.

Hab. in Lapponia rarissime; ad radicem Brattiksfjell Lapponiae Umensis d. 8. Jul. inventa. Pupae et larvae hujus speciei pupis larvisque *Cten. bimaculatae* (No. 1.) sat similes, at paullo majores. (Lapp.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Long ♂ 8, ♀ 10 lin. Atra. Antennae nigrae, articulis 3 basalibus saepe, praesertimque in ♀, ferruginantibus. Palpi flavescentes, apice nigro-fusci. Collare elevatum flavum. Sutura antealaris valde hians, pallide flava. Macula ad scutellum utrinque ferruginea. Abdomen ferrugineum, vitta dorsali atra, et in lateribus maculis nigris et strigis sulphureis. Primum segmentum in ♂ fere totum nigrum, basi in utroque sexu pallescente. Alae hyalinae, basi pallidiores, stigmate infuscato. Halteres flavo-ferruginei, femorum tibiarumque apice in ♂, tarsisque in utroque sexu nigris

*Obs.* Specimina Scanensia a Lapponicis dignoscuntur: rostro apice luteo, puncto frontali supra antennas albido, pectore utrinque ferrugineo-maculato, thoracis disco lateribus maculis rufescentibus, coxisque in utroque sexu flavo-ferrugineis, vix vero specie distincta, nam in ceteris quadrant.

*Obs.* *Ctenophora flaveolata* Fabr. et Meig.: atra, abdomine cingulis 6 flavis, ♂ 8, ♀ 9—10 lin. long., in truncis arborum exaridarum, in hortis Scaniae haud infrequenter occurrit, in Lapponia a me non observata.

---

## 162. Ptychoptera. Fabr.

Meig. Dipt. Eur. gen. 19. Fabr. Illig. Latr. Macq. *Tipula* Linn. Reaum. etc.

*Corpus* majoris magnitudinis (3'—5' lin. long.), elongatum nitidum subglabrum. Caput cum oculis transversum. Antennae subfiliformes s. extrorsum subsetaceae, pilosiusculae, 16-articulatae, articulo 1 brevi cylindrico crassiori; 2do brevissimo cyathiformi; 3tio longissimo filiformi; reliquis oblongis. Palpi elongati pilosi 4-articulati, articulo 1 breviori, 2 et 3 longioribus aequalibus, ultimo longissimo setaceo. Alae divaricatae, margine interiori basi plicatae. Nervi 6 longitudinales marginem interiorem attingunt. Nervi 2 apice furcati. Furca superior longior, apicem alae amplectens, inferior brevior, infra apicem in marginem excurrens. Areola nulla. Nervi transversi in medio alae siti. Abdomen basi angustatum. Pedes mediocres, tibiis apice calcaratis. *Color* ater, pictura vix ulla. *Motu* haud agilis. *Habitatio* in paludosis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* antennis thorace paullo longioribus, ano clavato, clava vix elevata, subtus appendicibus pluribus ornata; *femina:* antennis thorace paullo brevioribus, ano valvulis s. vaginis 2 subulatis subdecurvis. (Spec. Scand. 3, antennis subfiliformibus simplicibus, alarum nervis 2 longitudinalibus subapproximatis (h. e. nullo interstitio vel tantum ejus rudimento abbreviato simplici interjacenti) furcatis, areola nulla, ut et pedibus mediocribus etc., distinctae.

**1. Pt. contaminata**: atra, abdomine in ♂ cingulis 2, in ♀ maculis totidem lateralibus, rufis, alis hyalinis, in utroque sexu fasciis 2 abbreviatis punctisque costalibus, fuscis, pedibus ferrugineis, femorum, tibiarumque apice tarsisque nigris, pectore cinerascente. ♂♀.

Fabr. Antl. 20. 1. Meig. Dipt. 1. 205. 1. ♂♀. *Tipula contaminata* Linn. Fn. Sv. 1743. Syst. Nat. 2. 972. 8. (ubi menda typographica, quae in diagnosi hujus speciei Faunae occurrit; scilicet: „alis nigro-immaculatis," in „alis nigro-maculatis" correcta fuit).

Hab. in Lapponia forte rarissime, teste D. Deutsch, mihi inter limitem Lapponiae non obvia, in tota reliqua Suecia vulgaris. (Lapp.-Scan. ad aquas copiosissime tota aestate.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 3½, ♀ fere 5 lin. Tota atra nitida. Palpi fusci, raro basi pallescentes. Scutellum parvum flavescens. Abdomen maris fasciis 2 in medio, et appendiculis analibus variis, ferrugineis; feminae etiam in medio maculis 2 utrinque, et valvulis analibus obsolete, rufo-ferrugineis. Alae hyalinae, fasciis 2 abbreviatis, una in medio costae, nervulos transversos transeunte, et altera ad stigma breviori, interrupta punctiformi, furcarum basin obtegente, punctisque costalibus plerumque 3, fuscis. Halteres fusci, petiolo pallidiori. Pectus cinereo-micans. Pedes cum coxis flavo-ferruginei, femorum tibiarumque apice tarsisque nigris.

**2. Pt. scutellaris**: atra, abdomine alisque immaculatis, pedibus flavo-ferrugineis, femorum tibiarumque apice tarsisque nigris, pectore cinerascente. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 206. 2., et 6. Add. 290.

Hab. in Lapponia meridionali passim; in paludosis ad Lycksele Lapponiae Umensis et Suecicae d. 20. Jun. frequenter vidi, praesertim individua mascula vulgaria; ♀ in paludosis insulae Senjen, Nordlandiae Norvegicae d. 21. Jul. visa. (Lapp.-Scan. pass. in copula.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 3', ♀ fere 5 lin. Priori in omnibus simillima, sed abdomine toto nigro, fasciis scilicet aut maculis rufis, nullis, et alis cinerascenti hyalinis immaculatis, nervorum transversalium tantum fuscedine levissima tinctis, ab illa distincta; nec nisi similem cum simili in copula junctam vidi.

*Obs.* *Ptich. albimana* Fabr. et Meig., cujus et mares et feminas in Olandiae et Scaniae uliginosis saepe vidi, in Lapponia a me non observata fuit.

---

## 163. Pachyneura. Zett.

*Corpus* sat magnum elongatum glabriusculum. Caput cum oculis rotundis subexsertis transversum. Antennae filiformes subpubescentes, 18-articulatae, articulo 1 breviusculo cylindrico; 2 primo aequaliter magno, cyathiformi; reliquis suboblongo-ovatis, extrorsum sensim angustioribus. Palpi exserti elongati, 4-articulati?, articulis aequalibus oblongis, ultimo paullo longiori. Ocelli in frontis postico (vertice) 3 subaequales in triangulum positi. Rostrum (clypeus) breve, vix infra oculos descendens. Thorax absque sutura transversa. Alae divaricatae. Nervi 5 longitudinales marginem interiorem attingunt, quorum 2 superiores furcam petiolatam formant. Area basalis unica distincta, apice acutiusculo in medium alae extenditur. Areola nulla. Nervi omnes validi. Abdomen 8-annulatum. Pedes mediocres, tibiis subtilissime spinulosis, apice distincte calcaratis. *Color* niger, pictura flavo-fasciata. *Motu* parum agilis. *Habitatio* in sylvis; in Lapponia Suecica. *Differentia sexus; femina:* ano acutiusculo; *mas:* ignotus. (Spec. Scand. 1, nostra lapponica, a ceteris hujus familiae rostro breviori, antennis 18-articulatis, ocellis frontalibus 3, thoracis sutura transversa nulla nervisque tantum 5 marginem interiorem attingentibus. A *Platyura*, cui nervorum directione in alis, etc. sat prope accedit, antennarum articulis 18 (nec 16), quorum 2 basalibus reliquis crassioribus et aliter constructis, abdomineque versus apicem angustato (nec postice latiori), mox dignoscitur. Nomen *Pachyneura*, a παχὺς, crassus, et νεῦρον, nervus, *crassitiem nervorum* in alis denotat.

**1. P. fasciata**: nigra, abdominis incisuris femoribusque flavo-ferrugineis, alis cinereo-hyalinis, nervis infuscatis. ♀?

Hab. in Lapponia meridionali rarius; in truncis putridis Pini Abietis d. 15—21. Jun. ad Lycksele Lapponiae Umensis 4 specimina forte feminea, Domino Dahlbom mihique invenire contigit. Horum tamen ad distributionem messis insectorum a nobis in Lapponia 1832 collectae et deinde in 10 diversas, at quantum fieri potuerit aequales, partes pro totidem tesserarum Sociis (Aktieaegare) divisae, non nisi unicum jam descriptum individuum mihi forte redundabat. (Lappon. Suecica.)

*Fem.!* Circiter 9—16 lin. long. Tota nigra subnitida. Antennae thorace paullo breviores, articulis 1 et 2 interioribus quam

sequentibus (ad basin flagelli) vix longioribus, sed paullo crassioribus. Palpi, ni valde fallor, 4-articulati, articulis cylindricis subaequalibus, vel ultimo forte paullo longiori. Oculi in viva nigri. Thorax convexus, antice gibbus, capiteque paullo altiori, absque sutura transversa, at lineis 2 obliquis impressi in tres lobos subaequales divisus. Collare nullum. Scutellum subproductum. Pectus cinerascens Abdomen thorace quadruplo longius, subcylindricum lineare, apice acutius, ano foliolis 2 minutis et laminis subtus 2 rotundatis paullo majoribus ornato. Alae albido-cinereae, parum pellucidae, nervis validis infuscatis. Stigma sat magnum et macula centralis (ad fasciculum nervorum) nigricantia. Halteres nudi, sordide flavi. Pedes flavo-ferruginei, femoribus posticorum tibiarumque lividarum omnium apice tarsisque, nigris. Coxae cinerascentes.

## 164. Dicranota. Zett.

*Corpus* minoris magnitudinis (in hac Familia), elongatum glabriusculum opacum. Caput parvum rotundatum. Oculi late distantes. Os haud productum. Antennae filiformes, 13-articulatae, articulo 1 breviusculo cylindrico crassiusculo, 2 breviori cyathiformi, sequentibus rotundato-ovalibus, extrorsum sensim angustioribus. Palpi exserti cylindrici, 4-articulati, articulis aequalibus. Alae divaricatae angustatae. Nervi 6 longitudinales marginem interiorem attingunt, quorum 4 et 5 (a basi marginis interioris numerati) furcam petiolatam formant. Nervus transversus ordinarius petiolo furcae inseritur. Areola ordinaria nulla, at areola stigmaticalis oblongo-quadrata adest. Nervi praeterea fere ut in *Limnobia stigmatella* (No. 12) directi, areola furcaque apicali absentibus exceptis. Pedes tenues elongati, calcaribus tibiarum minutissimis. *Color* cinereus. *Motus* ut in *Limnobia*. *Habitatio* in graminosis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* antennis longioribus, ano obtuso, subclavato; *femina:* antennis brevioribus, ano stylo bivalvi subulato, subrecurvo. (Spec. Scand. 1, nostra, antennis tredecim articulatis et alarum areola nulla, a *Limnobia*, cui alias sat affinis, dignoscitur. Nomen *Dicranota* a δίκρανον furca, mutuatum).

**1. D. Guerini:** laete cinerea, thorace brunneo-trivittato, pedibus testaceis, tarsis obscuris, alis hyalinis, macula stigmaticali fusca obsoleta. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiae meridionalis rarius; ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 1. Jun. 1832 utrumque sexum inveni. (Lapponia Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 2¹, ♀ fere 3 lin. Tota cinerea opaca. Antennae in ♂ thorace paullo longiores, in ♀ vix ejus longitudine, in utroque sexu nigro-fuscae. Palpi nigricantes. Thorax vittis 3 brunnescentibus, media latiori, antice ad collare extensa, lateralibus minoribus, antice abbreviatis. Abdomen cinereo-fuscum, in ♂ incisuris late lividis, in ♀ unicolor, vaginis analibus ferrugineis. Alae hyalinae, macula stigmaticali oblonga fusca obsoleta. Pedes flavescentes, femorum tibiarumque apice tarsisque nigro-brunneis. Coxae flavescentes, basi cinereae.

Domino F. E. Guerin, Parisiensi, Iconographiae Regni animalis Auctori meritissimo, plurium Societat. litterar. Membro, Zoologo et praecipue Entomologo celeberrimo in testimonium amicae mentis et venerabundi animi hanc speciem novam novi generis consecrare clarissimique Viri nomine insignire sibi licitum credidit hujus Faunae editor.

## 165. Tryciphona. Zett.

*Limnobiae* species Meig.

*Corpus* mediae magnitudinis, elongatum sublineare glabriusculum opacum. Caput parvum obovatum. Os haud productum. Antennae capite vix duplo longiores, circiter 15-articulatae, articulo 1 cylindrico, 2 cyathiformi, reliquis breviter ovatis, arcte coadunatis, sensim angustioribus, extrorsum subsetaceis. Palpi articulis 4 aequalibus. Alae subincumbentes, angustatae elongatae nudae. Nervi 7 longitudinales marginem interiorem attingunt, quorum 4 superiores (a marginis interioris basi numerati) furcas 2 formant. Supra has 3tia furca observatur elongata. Areola nulla. Tibiae vix vel brevissime calcaratae. *Color* cinereus. *Motu* parum agilis. *Habitatio* in graminosis humidis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, appendiculis subclavato; *femina:* vagina anali bivalvi subulata subcurva. (Spec. Scand. 1, Faunae nostrae communis, *Limnobiae* valde affinis, sed nervorum singulari directione areolaque nulla, facile dignota. Nomen *Triciphona* a τρεῖς, tres, et κύφων, furcifer, ob nervorum in alis directionem, 3 furcas propinquas formantem, mutuavi).

**1. T. immaculata:** nigro-cinerea, alis cinereo-hyalinis, halteribus albidis, pedibus nigris, femoribus basi late flavis. ♂♀.

*Limnobia immaculata* Meig. Dipt. 1. 148. 58. Tab. 5. f. 8.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali rarius; ad Stensele Lapponiae Umensis d. 3. Jul. feminam vidi; occurrit etiam in Norvegiae Lapponiis et ad Alten 5. Aug., nec non in paludosis insulae Senjen Nordlandiae d. 21. Jul. utrumque sexum in copula legi. (Lapp.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 3¹, ♀ fere 4 lin. Tota nigricans s. fusco-cinerea. Antennae fuscae. Thorax subimmaculatus vel in illaesis individuis vittis 3 fuscis obsoletis. Valvulae anales in ♀ ferrugineae. Alae cinereo-hyalinae immaculatae, basi pallidiores. Halteres albidi. Pedes nigri, coxis cinereis, apice femoribusque ultra medium flavis.

*Obs.* Nomen triviale *immaculata*, quamdiu haec species inter *Limnobias* numerata fuit, sat aptum existimabatur, ratione habita ad reliquas *Limnobias* aut alis marmoratis, aut thorace vittato praeditas, in hoc genere parum idoneum. Nomina autem jam imposita non mutanda, nisi summa urget necessitas, ne in infinitum demum augeatur synonymia.

*Obs.* E generibus Meigenianis *Nematocera* et *Anisomera*, jam in unicum genus *Anisomera* redactis (cfr. Meig. Dipt. 6. Add. 291), nec nostra, nec Scandinaviae Fauna ullas agnoscit species.

## 166. Trichocera. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 22. Macq. *Tipula* Linn. Fabr. *Limonia* Latr.

*Corpus* minoris magnitudinis (2 3 lin. long.), elongatum subnudum. Caput parvum rotundatum. Os parum productum. Antennae longitudine thoracis, articulis 2 basalibus crassioribus, reliquis oblongis; extrorsum setaceae, brevissime pubescentes. Palpi exserti cylindrici, articulis 5 subaequalibus. Alae incumbentes, sublatiores. Nervi 7 longitudinales marginem interiorem attingunt. Areola obovata nervos 3 emittit, quorum superior petiolato-furcatus. Nervus transversus ordinarius ad apicem areolae inseritur. Nervulus nervum 2dum longitudinalem et furcam connectens, ad stigma adest. Nervus longitudinalis ultimus (h. e. 1mus a basi marginis interioris numeratus) brevissimus, curvatim s. angulatim ad marginem alae flexus. Alias nervorum directio fere ut in alis *Limnobiarum* apud Meig. Dipt. 6. Add. Tab. 6. f. 2. Pedes elongati tenues, tibiis brevissime calcaratis. *Color* obscure cinereus. *Motu* sat agilis, choreas in aëre, coelo sereno, instituens. *Habitatio* in paludosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus: mas:* ano obtuso bihamato; *femina:* ano bivalvi, valvulis subulatis decurvatis. (Spec. Scand. 4, antennis pubescentibus, articulis basalibus crassioribus, reliquis extrorsum setaceis obsoletis, numero indeterminandis, palpis 5-articulatis et nervo longitudinali ultimo (primo a basi marginis interioris) brevissimo ad marginem inflexo, a *Limnobiis* minoribus, cui valde similes, dignotae, a generibus proxime praecedentibus praesentia areolae mox dignoscitur *Trichocera*.)

**1. T. hiemalis:** obscure cinerea, thorace vittis 4 fuscis, halteribus albidis, clava fusca, pedibus flavo-brunnescentibus, basi pallidioribus, alis cinerascenti hyalinis immaculatis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 213. 2?

Hab. in Lapponia rarius; mas in ipso alpium Tornensium jugo d. 12. Jul., et uterque sexus ad Björkvik Nordlandiae d. 14—15. Jul. a me lectus. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 2¼ lin. Tota fusco-cinerea. Antennae fuscae. Palpi nigricantes. Thoracis vittae brunnescentes. Alae pallide hyalinae immaculatae, nervis tenuibus pallidis. Nervus longitudinalis ultimus ad basin alae subangulatim (seu certo situ arcuatim) in marginem interiorem alae flexus. Halteres albidi. Clava fusca. Pedes cum coxarum apice testacei, femoribus basi flavis. Anus in ♀ brunneus.

**2. T. parva:** obscure cinerea, thoracis vittis 4 fuscis, lateralibus obsoletis, halteribus albidis, clava fusca, pedibus flavescentibus, alis cinerascenti hyalinis immaculatis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 213. 3.

Hab. in paludosis Lapponiae Tornensis frequenter; ad Öfver-Torneå, Karungi, Turtola, Juckasjervi et Wittangi sat copiose vidi, d. 27. Maj. — 27. Aug., choreas ducentem; in copula saepe capta; in paludosis ad Björkvik Nordlandiae d. 14. Jul. etiam lecta. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Simillima priori, nec ab ea differt, nisi magnitudine duplo minori, pedibus plerumque pallidioribus et thoracis vittis mediis fuscis tantum perspicuis. Anus ♀ ferrugineus.

**3. T. regelationis**: obscure cinerea, thorace vittis 4 fuscis obsoletis, halteribus albidis, clava fusca, pedibus brunnescentibus, femoribus flavicantibus, alis cinerascenti-hyalinis, medio puncto fusco. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 214. 4. *Tipula regelationis* LINN. Fn. Sv. 1754. FABR. Antl. 32. 40.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ibi non obvia, ab alio Collectore ut Lapponiae incola mihi missa. (Lapponia; Suecia inferior, ubi jam 1. April. choreas ducentem frequenter observavi.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{4}$ lin. *Trich. hiemali* simillima, sed alarum medio in nervulo transverso centrali macula s. puncto, plerumque evidenti, interdum obsoleto, distincta.

**4. T. maculipennis**: cinerea, thorace immaculato, collari linea testacea, halteribus albidis, clava fusca, pedibus flavescentibus, alis cinereo-hyalinis, maculis 3 fuscis obsoletis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 214. 5? (*Tipula cinerea* FABR. Antl. 30. 30.)

Hab. . . . E Groenlandia a D. WESTERMANN uterque sexus communicatus. ( - ? Groenlandia?)

*Mas* et *Fem.* Long. fere 3 lin. *Trich. hiemali* iterum valde affinis et similis, paullo major, pedibus pallidioribus, thorace non vittato ut et alis maculatis distincta. A. *Trich. maculipenni* collare linea elevata pallida etiam differre videtur. Cinerea. Antennae fuscae. Pectus in ♂ subtestaceum, in ♀ obscurius, linea thoracis antica in utroque sexu pallida. Scutellum lividum. Abdomen in ♂ basi subtestaceo-pellucidum; in ♀ totum obscurum, valvulis analibus tantum flavis. Alae sat magnae, cinereo-hyalinae, punctis 3 fuscis, 1mo in origine nervi longitudinalis 3tii, 2do in nervo transverso medio, et 3tio in nervulo connectente juxta stigma; omnibus in ♀ valde obsoletis et vix nisi medio paullo evidentiori, in ♂ magis perspicuis. Haec puncta omnino sunt locata ut in MEIGENI *Trich. maculipenni*. Pedes pallidi, femorum tibiarumque apice parum brunneo, tarsis infuscatis.

---

*Sect.* 2. (*Subdivisionis B.*) *Ocelli* 3 *aut* 2 (*in Dixa, Corynocera et Cordyla nulli*).

## FAM. 45. MYCETOPHILINAE ZETT. (*Fungicolae* MEIG.)

*Corpus* minoris magnitudinis elongatum, in medio saepe angustatum. Caput rotundatum sessile. Antennae porrectae simplices, 10—16-articulatae. Oculi rotundati aut ovales, in fronte distantes. Ocelli inaequales, rarius nulli. Os in rostrum non productum. Palpi exserti (in *Corynocera* retracti), incurvi cylindrici, articulis 4, 1mo brevissimo. Thorax dorso convexus, sutura transversa nulla. Abdomen 7-annulatum (in *Corynocera* 8 annulatum). Alae latiores, saepe parcius nervosae, nervis tantum 3 vel 4, rarius 5 marginem interiorem alae attingentibus. Areola semper abest. Pedes mediocres. Coxae elongatae. Tibiae saepissime calcaratae. Familia haec comprehendit Tipulariarum species, capite non rostrato, thorace absque sutura transversa, alarum nervis paucioribus, areola ordinaria media nulla, abdomine 7, rarissime 8-annulato, coxis saepissime elongatis, tibiis plerumque distincte calcaratis, etc. praeditas. Larvae plerisque fungivorae vermiformes apodae, capite corneo. Pupae elongatae cylindricae plerumque in terra sepultae. Imagines saepe agilissimae, in fungis putrescentibus frequenter occurrunt.

### 167. Dixa. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 23. MACQ.

*Corpus* parvum, circiter $1\frac{1}{2}$ lin. longum, elongatum nudum opacum. Antennae thorace paullo longiores setiformes pubescentes, 14? articulatae, articulis 2 basalibus brevibus incrassatis. Palporum articulus ultimus reliquis paullo longior. Ocelli nulli. Alae incumbentes. Nervi 5 longitudinales marginem interiorem attingunt, quorum 2 superiores furcam sat longe petiolatam formant. Supra hanc furcam, nervo longitudinali uno interjacente, altera adest longior, cujus ramuli fere in ipso apice alae excurrunt. Praeterea directio nervorum fere similis est ac in *Trichocera*, areola absente excepta. (Cfr. MEIG. Dipt. 1. Tab. 7. f. 12.) Pedes tenues. Coxae parum elongatae Tibiae brevissime calcaratae. *Color* cinereus. *Motu* sat agilis; tempore vespertino exit, die quieta. *Habitatio* in graminosis sylvaticis, locis uliginosis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* ano appendiculis 2 subclavato; *femina:* ano acutiori. (Spec. Scand. 2, ocellis nullis, alarum furcis 2 apicalibus, nervo longitudinali uno interjacente, etc., facile a reliquis Familiae speciebus dignotae.)

**1. D. nebulosa**: fusca, thorace pallido, vittis 3 nigris, alis hyalinis, maculis subtribus infuscatis, pedibus flavis, femorum, tibiarum tarsorumque apice nigricante. ♂♀.

MEIG. Dipt. 6. Add 293. 5

Hab. in Lapponia Collect. Domini DEUTSCHII, mihi nec in Lapponia nec in provinciis adjacentibus obvia. (Lappon.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin. Fusca Thorax pallidus, vittis 3 nigris lateralibus abbreviatis. Alae albo-hyalinae, macula subluuata, cruribus versus apicem alae directis, sub stigmate in nervis transversis ad originem nervorum furcatorum locata, fusca sat distincta; altera inferiori, versus basin alae inter nervum longitudinalem ultimum penultimumque; et tertia denique in basi furcae superioris, obsoletis. Nervi omnes obscuri. Halteres pallidi, clava fusca. Pedes ut in diagnosi.

*Obs.* Alteram speciem s. *D. aprilinam* MEIG., alis immaculatis, alias nostrae similem, in Scania saepe captam, neque in Lapponia neque in terris Sueciae borealibus vidi.

---

### 168. Bolitophila. HOFFMANNSEGG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 24. MACQ.

*Corpus* minoris magnitudinis, elongatum. Antennae thorace saepe duplo longiores, setiformes pubescentes, articulis 2 basalibus brevibus incrassatis, ultimis capillaribus indeterminandis. Ocelli 3 in lineam transversalem frontis locati. Alae incumbentes. Nervi 5 longitudinales marginem interiorem attingunt, quorum 2 superiores furcam longam sat breviter petiolatam, petiolo in medio alae desinente, formant; 3 infimi fere usque ad basin liberi, horum secundo subarcuatim flexo. (Cfr. praeterea MEIG. l. c. 1. T. 8. f. 1.) Nervus secundus longitudinalis ad $\frac{2}{3}$ costae extenditur, et in puncto stigmaticali cum costa et nervulo transverso conjungitur. Halteres elongati. Pedes tenues. Coxae subelongatae. Tibiae brevissime calcaratae. *Color* cinerascens vel pallidus. *Motu* agilis. *Habitatio* in graminosis per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* antennis longitudine fere corporis, distincte pubescentibus, pube erecta, abdomineque angustissimo filiformi, ano subclavato; *femina:* antennis thorace paullo longioribus, abdomine anguste lanceolato. (Spec. Scand. 3, ocellis in seriem transversalem dispositis, nervo 2do longitudinali sub costa longius extenso cum nervulo transverso ad stigma coëunte, ut et nervis 3 longitudinalibus ultimis fere ad basin alae liberis, horumque 2do versus marginem interiorem alae curvatim flexo, nec non halteribus longioribus, a *Macrocera* mox dignoscendae.)

**1. B. 2-maculata**: fusco-cinerea, pedibus flavescentibus, alis hyalinis, maculis 2 fuscis. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius; a me non nisi ♂ in Ofotenfjord Nordlandiae d. 14. Jul., et ♀ ad Pello 4. Jun., nec non ad Öfver-Torneå d. 27. Aug. lecta. (Lapp.-Botnia borealis ad Johannis Ro ♀ d. 2. Sept. rar.)

*Mas.* et *Fem.* Long. ♂ $2\frac{1}{4}$, ♀ $2^1$ lin. Fusco-cinerascens. Thorax subimmaculatus, sed certo situ lineis 2 albidis, et alia vice, obscuris pictus videtur. Haec autem pictura in ♂ praeser im observatur. — Antennae fuscae, flagelli articulo 1mo basi in ♀ flavo. Alae in utroque sexu hyalinae, macula stigmaticali semirotunda distincta, et alia centrali (in nervis transversis mediis), minori obsoletiori fuscis. Nervus longitudinalis 2dus apice, et nervulus transversus ad stigma, non intime conjunguntur. Halteres petiolo elongato pallido, clava fusca. Pedes flavi, femoribus, et tibiarum tarsorumque apice parum infuscatis.

Var. b. ♂. duplo fere minor, alarum puncto centrali fusco obsoletissimo, alias varietati a, similis; in silva Wittangi Lapponiae Torneusis d. 14. Jun. semel lecta.

**2. B. cinerea**: pallide cinerea, pedibus flavescentibus, alis hyalinis immaculatis. ♂.

Meig. Dipt. 1. 221. 1. forte eadem, licet paullo obscurior, quam nostra.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, in paludosis ad Juckasjervi d. 25. Jun. semel capta. (Lapp — ?)

*Mas.* Long. 2¼ lin. Similis priori, paullo minor pallidior, alis immaculatis distincta Antennae longitudine corporis, fuscae, flagelli articulo 1 toto flavo Palpi pallidi. Thorax testaceus, dorso brunneo-cinerascens, vestigio vittarum 4 obscuriorum. Scutellum testaceum. Abdomen fuscum angustissimum clavatum. Alae cinereo-hyalinae immaculatae, stigmatis umbrae parum vestigio. Nervus 2dus longitudinalis apice, et nervulus transversus ad stigma intime connectuntur, unde etiam haec a specie praecedente vere dignoscitur. Halteres elongati pallidi, clava fusca. Pedes flavescentes, coxis pallidioribus.

Var. b. ♂. thorace vittis subquatuor fusco-brunneis, alias simillima varietati a., cum qua ad Juckasjervi rarissime inventa.

*Obs.* *B. fusca* Meig. in Scania frequenter visa, in Lapponia mihi non obvia.

## 169. Macrocera. Panz.

Meig. Dipt. Eur. gen. 25. Panz. Macq.

*Corpus* minoris magnitudinis elongatum. Antennae longitudine interdum corporis, setiformes, arcuatae, parum pubescentes, articulis circiter 13 15, quorum 2 basalibus brevibus incrassatis, ultimis capillaribus, fere indeterminandis. Ocelli 3, in triangulum in fronte positi. Alae incumbentes. Nervi 5 longitudinales marginem interiorem alae attingunt, quorum 2 superiores furcam longam sat breviter petiolatam formant, petiolo paullo ante medium alae desinente; 2 infimi (2dus et 3tius) non usque ad basin liberi sunt, sed mox ante medium alae cum nervo transverso obliquo conjuncti; horum 2dus minus arcuatim flexus, quam in *Bolitoph'ila* (cfr. praeterea Meig. l. c. 1. T. 8. f. 5.). Nervus 2dus longitudinalis vix ultra medium costae extensus, a nervulo oblique transverso substigmaticali distincte separatus. Halteres breviusculi. Pedes tenues coxis subelongatis. Tibiae breviter calcaratae. *Color* ferrugineus. *Motu* agilis. *Habitatio* in graminosis, saepe ad ripas et littora fluminum; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae; in alpes interdum adscendit. *Differentia sexus*; *mas:* antennis longioribus, abdomine angustissimo, ano bihamato; *femina:* antennis corpore paullo brevioribus, abdomine angustato, lanceolato, ano bifilato. (Sp. Scand. 6, ocellis in triangulum dispositis, nervo 2do longitudinali, ad medium costae tantum extenso, apice a nervulo transverso obliquo distincte sejuncto, nervis 2do et 3tio longitudinalibus (a basi marginis interioris numeratis) mox ante medium (nec prope basin) alae cum nervo obliquo conjunctis, horum 2do minus curvatim flexo, halteribus brevioribus, antennis maris minus pubescentibus, etc., facile dignotae).

**1. M. lutea**: ferruginea, pedibus flavis, antennis corpore fere duplo longioribus, flagello, abdomine tarsorumque apice, fuscis, alis hyalinis immaculatis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 223. 1. ♂. forte eadem, licet 3 lin. longa dicatur. An etiam Panz. Fn. Germ. 105. 7?

Hab. in Lapponia rarius; mas ad Hacksten prope Schiervoe Nordlandiae d. 28. Jul. et femina in Betula ad Muonioniska Lapponiae Tornensis d. 17. Aug. a me inventi. (Lappon. — ?)

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 2 lin. Tota ferruginea nitida. Antennae corpore duplo longiores fusco-nigricantes, articulis 2 basalibus ferrugineis. Thorax immaculatus. Abdomen fusco-subopacum, basi lividum. Alae pallide hyalinae immaculatae. Pedes cum coxis pallide flavi subpubescentes, tarsis extrorsum infuscatis.

Var. b. ♂. corpore fusco-ferrugineo pedibusque ferrugineis pubescentibus, femoribus flavis, tarsis nigricantibus, alias varietati a. simillima; in Schiervoe Nordlandiae d. 27. Jul. rariss.

**2. M. fasciata**: ferruginea, pedibus flavescentibus, antennis longitudine corporis, extrorsum, thoracis vittis abdominisque fasciis fusco-brunneis, tarsis infuscatis, alis immaculatis. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarius; etiam in alpium Tornensium jugo d. 12 Jul. a me lecta; in alpe Dowre a D. Boheman quoque capta. (Lappon.-Botnia borealis ♀ d. 7. Sept.-Scan. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. circiter 3 lin. Ferruginea nitida. A priori vix nisi pictura et antennis brevioribus differt. Antennae aut ferrugineae extrorsum fuscae, aut fuscae, articulis 2 basalibus ferrugineis. Thoracis vittae brunneae. Abdomen, in ♂ flavum segmentis basi late brunneis, in ♀ brunneum, segmentis apice anguste flavis. Halteres breviusculi, toti pallidi. — In specimine masculo in alpium jugo Tornensi capto, in nive ambulante, alae paullo latiores et thoracis vittae obsoletiores videntur.

**3. M. maculata**: ferruginea, pedibus flavis, antennis corpore duplo longioribus, obscuris, basi pallidis, thoracis vittis abdominisque fasciis, nigro-brunneis, tarsis, et alis fasciis 2 abbreviatis, apiceque, fuscis. ♂.

Meig. Dipt. 1. 225. 6. ♂. (corpore melleo) forte eadem. Macq. Dipt. Gall. 1. 108. 1. ♂♀. Tab. 2. f. 5. ala, in qua nervorum directio bene et fideliter delineata.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in paludosis ad Wilhelmina d. 17. Jul. inventa. (Lapponia — ?)

*Mas.* Long. 2 lin. Ferruginea nitida pilosiuscula. Antennae corpore saltem duplo, si non ultra longiores, fuscae, articulis aegre discernendis, nec paucioribus quam 13, nec pluribus quam 15; 1 et 2 ferrugineis, 3 (flagelli primo) flavo. Thoracis vittae 3 brunneae, media antica maculiformi. Abdomen nigro-brunneum, incisuris 4 anticis flavis. Alae hyalinae, fasciis 2 abbreviatis, una a basi vix ad medium alae extensa, obsoletiori, et altera in medio, a costa ad medium alae extensa, paullo latiori et distinctiori, furcae basin transeunte, fuscis. Etiam apex alae umbra fusca tingitur, praesertim ad apicem nervorum longitudinalium perspicua. Halteres toti pallidi. Pedes cum coxis flavi, femorum tibiarumque summo apice tarsisque nigricantibus.

*Obs.* Meigeni species *M. vittata*, *centralis* et *phalerata*, Scaniae incolae, in Lapponia a me non visae.

*Obs.* *Synapha fasciata* Meig. nervis tantum 2 longitudinalibus marginem interiorem alae attingentibus furcamque formantibus, et nervo longitudinali medio (qui in ipsum apicem alae excurrit), in disco alae areolam oblongam formante, ab omnibus aliis Dipteris distincta, neque in Lapponia, neque in reliqua Scandinavia, quantum novi, obvia; nec *Mycetobium pallipedem*, quae in Scania haud raro occurrit, in Lapponia unquam legi.

## 170. Corynocera. Zett.

*Corpus* minutum oblongum nudum. Antennae thorace paullo breviores, cylindricae, 12-articulatae, articulo 1 brevi crasso nudo, 2—11 minutissimis arcte cohaerentibus aequalibus subpubescentibus, 12 seu ultimo oblongo-conico subcrassiori nudo. Palpi parum exserti. Ocelli nulli. Caput transversum sessile. Oculi subexserti. Alae abdominis vix longitudine, molles, facile corrugandae, nervis obsoletissimis, 4 vel 5 longitudinalibus in disco alae approximatis, versus apicem distantibus. Abdomen 8-annulatum. Pedes inaequales, antici longiores, medii brevissimi, omnes nudi, toti mutici. *Color* nigricans. *Motus* —. *Habitatio* in littoribus lacuum Lapponiae subalpinae. *Differentia sexus*; *mas:* abdomine subcylindrico, appendicibus analibus inflexis subclavato; *femina:* abdomine depresso, ano acutiori. (Sp. Scand. 1, nostra, antennarum, pedum alarumque structura singulari (nuper allata) ab omnibus aliis Tipulariis aperte dignota, *Ceratopogoni*, *Campylomyzae*, *Mycetobiae* etc. hoc illo respectu aliquantum accedens. Nomen *Corynocera* a κορύνη, clava, et κέρας, cornu, ob antennas subclavatas, elegi.)

**1. C. ambigua**: nigricans, antennis testaceis, alis apice setosis halteribusque albis, pedibus stramineis. ♂♀.

Hab. in Lapponia per regionem alpinam rarius; in littore lacus insignis Torneträsk d. 8. Jul. 1821 plura specimina in copula inveni. (Lapponia Tornensis.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 1, ♀ 1¼ lin. Tota nigricans nuda parum nitida, mollis, post mortem facile corruganda, unde variae partes in speciminibus exsiccatis vario modo defiguratae videntur, subtilioresque numero et forma aegre examinari et determinari possunt. Antennae lividae, ni fallor 12-articulatae, articulo ultimo conice clavato; quae forma in ♂ praesertim perspicua. Palpi retracti, articulo tantum ultimo prominente. Os minime elongatum. Oculi ovati exserti. Ocellos ullos frontales detegere non potui. Abdom. nigrum e segmentis 8 constare videtur, in ♂ cylindricum immaculatum, in ♀ depressum, saepe vitta longitudinali indeterminata testacea et incisuris tenuiter albidis; vitta haec in ventre etiam observatur. Alae in ♂ longitudine abdominis, in ♀ illo paullo breviores, in utroque sexu subcomplicatae, lacteae, parum pellucidae, nervis obsoletissimis vix discernendis. In apice cujusvis alae seta elongata curvata nigra cernitur, in ♂ simplex, in ♀ microscopice triplicata. Halteres subincurvi albidi. Pedes inaequales, antici: femoribus mediocribus, tibiis brevioribus, tarsis in ♂ praesertim longissimis, articulo primo (metatarso) tibia longiori; intermedii: femoribus brevibus, tibiis femore longioribus, tarsis brevissimis incurvis; postici: femoribus longioribus, tibiis longitudine femoris, tarsis brevissimis incurvis. In ♀ femora omnia

simplicia, at in ♂ posteriora crassissime subincurva. Pedes in utroque sexu flavo-albidi, omnino mutici.

*Obs.* De vero in serie systematica loco hujus singularis insecti dubius sum. Ob structuram pedum *Ceratopoginis* generi quodammodo affine, ob antennarum nuditatem in utroque sexu ab eo iterum valde recedens. Haec vero forma pedum, ut et antennarum structura, alarum seta apicalis etc. impediunt, quominus nostram *Corynoceram Mycetobiis* jungam. Interea nullum aptiorem locum Dipteron paradoxum inserendi, quam inter *Mycetophilinas*, et quidem in illa harum subdivisione, cujus species pedes inermes et tibias vix calcaratas habent, eligere potui.

## 171. Platyura. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 28. Macq. *Ceroplatus* Fabr. Latr. Cuv. *Sciara* Fabr. *Asindulum* Latr.

*Corpus* mediae aut minoris magnitudinis ($2\frac{1}{2}$—4 et ultra lin. long.), elongatum subpubescens. Antennae longitudine circiter thoracis brevis, compressae sub-latae, breviter pubescentes, articulis approximatis subcoadunatis; 2 basalibus saepe paullo minoribus semper discretis. Oculi rotundati. Ocelli 3 approximati inaequales, in triangulum dispositi. Alae incumbentes. Nervi 5 longitudinales marginem interiorem alae attingunt; quorum 2 superiores furcam elongatam breviterque petiolatam formant. Directio nervorum praeterea omnino ut in ala *Macrocerae*, at nervus longitudinalis furcatus ultimusque ceteris saepe obsoletiores. (Cfr. quoque Meig. l. c. 1. T. 8. f. 14. 19. 12. et Macq. Dipt. Gall. T. 2. f. 3.) Abdomen postice depressum paullo dilatatum. Pedes mediocres, coxis elongatis, femoribus breviusculis, tibiis lateribus muticis (nec spinulosis, apice distincte calcaratis. *Color* niger, in nostra ferrugineus. *Motu* agilis. *Habitatio* in pratis et sylvis; per partem sylvaticam Lapponiae. Larvae fungivorae. *Differentia sexus, mas*: ano obtuso (nec clavato); *femina:* ano acutiori, stylo bivalvi, brevissime exserto. (Spec. Scand. 6, a *Macrocera*, cui directione nervorum in alis simillima, antennis brevioribus crassioribus; a *Gnoriste* proboscide non elongata tibiisque inermibus; et a *Sciophila*, *Leja* et *Mycetophila* nervis alarum aliter directis et tibiis non spinulosis, facile dignoscendae.)

**1. P. fasciata**: ferruginea, pedibus flavis, antennarum flagello, abdominis fasciis, halterum clava tarsisque nigricantibus, alis hyalinis, fascia ante apicem fusca. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 240. 15? ♀. Macq. Dipt. Gall. 1. 104. 2? *Asindulum fasciatum* Latr. Gen. Crust. et Ins. 4. 261?

Hab. in Lapponia Umensi passim; in Lapponia scilicet Fredrica et in monte Stoettingsfjellet utrumque sexum d. 30. Jul. — 1. Aug. legi. (Lappon. merid.-Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. 3 lin. Tota ferruginea subnitida. Caput supra fuscum. Palpi apice fuscescentes. Antennae thorace paullo breviores nigrae, articulis 2 interioribus totis, et 3tio basi, ferrugineis. Thorax immaculatus fusco-pubescens, lineae mediae longitudinalis vestigio. Abdomen subdepressum sublineare, anterius paullo angustatum, ferrugineum, segmentis basi fascia nigra; postice in mare nigrum. Alae hyalinae, costa pallescente, macula intra apicem fasciformi fusca, juxta costam perspicua, versus marginem interiorem sensim evanescente. Area basalis brevis retracta. Nervulus transversus a nervo longitudinali 2do ad costam verticaliter ductus brevis. Pedes flavi, tarsis nigricantibus.

*Obs.* De Synonymia hujus speciei dubius sum. Inter Meigeni *Plat. fasciatam* et *ochraceam* differentiam specificam extricare non valeo.

*Obs.* *Plat. laticornis* et *discolor(ia)* Meig., in Scania obviae, in Lapponia non lectae.

*Obs.* E genere *Gnoriste*, proboscide elongata, apice palpigera, dignoto, nullam speciem agnoscit Fauna nostra Lapponica. In Scania unicam, eamque novam, quam *Gnor. Lepturoides* vocavi, invenire mihi contigit.

---

## 172. Sciophila. Hffmgg.

Meig. Dipt. Eur. gen. 30. Macq. *Tipula* Fabr. *Platyura* Meig. (Classif.) *Asindulum* Latr.

*Corpus* minoris magnitudinis aut parvum ($1\frac{1}{2}$—3 lin. long.) elongatum parum pubescens parumque setulosum. Antennae thoracis circiter longitudine, filiformes s. subcompressae, tenuissime pubescentes, articulis 2 basalibus paullo crassioribus discretis pilosulis. Oculi rotundati. Ocelli 3 inaequales approximati, in triangulum dispositi, medius anticus minutissimus parum observandus. Alarum nervi 4 longitudinales integri marginem interiorem alae attingunt, qui duas furcas elongatas formant. Nervus longitudinalis ultimus (primus a basi marginis interioris numeratus) abbreviatus, ad marginem non extensus. Sub costa in medio areola subquadrata adest. Supra hanc areolam (inter hanc et ipsum marginem costalem) plerumque observatur nervulus parvus, transversus ad apicem nervi auxiliaris, quem igitur apice bifidum format. Abdomen antice angustius. Pedes mediocres, tibiis posterioribus latere exteriori spinulosis, apice distincte calcaratis. *Color* ferrugineus; niger. *Motu* valde agilis; fortiter repens. *Habitatio* in graminosis saepe umbrosis locis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus*; *mas:* abdomine cylindrico, ano obtusiore; *femina:* abdomine antice angustiore, posterius subclavato subcompresso. (Sp. Scand. 14, ocellis 3 triangulum formantibus a *Mycetophila*, areolaque alarum subquadrata subcostali et ab hac et a *Leja*, mox dignotae. Feminea individua masculis frequentius occurrunt.)

A) Alarum areola subcostalis valde elongata (latitudine duplo vel triplo longior) quadrata parallelogramma. Nervulus transversus superior medio areolae insertus. Furcae 2 inaequaliter longae, inferior retracta. Nervus ultimus longitudinalis (primus a basi marginis interioris numeratus) geminatus mox intra marginem interiorem alae abbreviatus. (Cfr. praeterea Meig. Dipt. 1. T. 9. f. 5. et Macq. Dipt. Gall. 1. T. 2. f. 1.)

**1. S. striata:** ochracea, antennarum flagello, lineis thoracis 5, abdominis vitta dorsali, tibiis tarsisque, fusco-brunneis, nervulis transversis subcostalibus apiceque alae, fuscis. ♀.

Meig. Dipt. 1. 246. 1. ♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ibi non obvia, ab alio Collectore ut Lapponiae incola mecum communicata. (Lapponia; Ostrogothia et Scania rar.)

*Fem.* Long. 3 lin. Tota ochracea. Antennae fuscae, articulis 2 basalibus flavis. Frons linea fusca. Thorax lineis 5 brunneis, mediis rectis. Abdomen vitta dorsali incisurisque tenuiter brunneis. Alae hyalinae, macula ad marginem interiorem triangulari, apiceque late, infuscatis. Nervuli transversi, qui areolam subcostalem formant, nigro-brunnei. Areola latitudine triplo longior. Nervi longitudinales 2 infra furcam inferiorem abbreviati. Pedes cum coxis flavi, tibiis tarsisque fuscescentibus.

**2. S. trivittata:** testacea, antennarum flagello, capite supra, thoracis vittis 3, abdominisque fasciis, nigro-brunneis; alis hyalinis immaculatis. ♀?

Hab. in Lapponia rarissime; ad Kengis mense Aug. capta. (Lapponia Tornensis.)

*Fem.* Long. $2\frac{1}{4}$ lin. Testacea opaca. Antennae nigricantes, articulis 3 basalibus flavis. Caput nigricans, hypostomate flavescente. Palpi pallidi. Thorax vittis 3 nigro-brunneis, aequaliter latis, lateralibus antice abbreviatis. Sternum fusco-maculatum. Abdomen pubescens brunneum, incisuris mediis pallidis; basi et apice magis infuscatum. Alae hyalinae immaculatae. Areola subcostalis duplo longior, quam latior. Nervulus transversus superior obsoletus, vix ullus. Halteres et pedes toti flavi, tarsis parum infuscatis. A *Sc. cingulata* Meig. nec non *Sc. fasciata* mihi (No. 3.) vix differt nisi magnitudine paullo majori et areola alarum subcostali longiori.

*Obs.* *Sc. lineola* Meig. in Scania inventa, in Lapponia a me non observata.

B) Alarum areola subcostalis suboblongo-quadrata, latitudine vix dimidio longior, trapeziformis. Nervulus transversus superior fere in medio areolae insertus. Furcae 2 inaequaliter longae, inferior retracta. Nervus ultimus longitudinalis geminatus mox intra marginem interiorem alae abbreviatus. (Cfr. praeterea Meig. Dipt. 1. T. 9. f. 6.)

**3. S. fasciata**: flava, antennis fuscis, articulis 3 basalibus luteis, capite supra nigricante, thoracis vittis 3 abdominisque fasciis brunneis, tarsis obscuris, alis hyalinis immaculatis. ♂♀.

Sub nomine *Sc. fasciata*, a Dom. B. F. Fries imposito, uterque sexus in Museo meo occurrit.

Hab. in Lapponia Tornensi passim, ad Muonioniska et Kengis d. 17 — 22. Aug. praesertim legi; in Dowre a D. Boheman mens. Jul. etiam capta. (Lappon.-Botnia borealis in graminosis aridis ad Johannis Ro d. 2. Sept. freq. — Scan. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ 2—$2^1$, ♀ $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ lin. A *Sc. cingulata* et *ornata* Meig. magnitudine majori et colore pallidiore praesertim differre videtur, nec species hujus generis Meigenianas,

levissimis tantum notis invicem saepe discrepantes, semper certe distinguere valeo. Pallide flava, parum nitida. Antennae in ♂ thorace paullo longiores, in ♀ ejus longitudine, in utroque sexu fuscae, articulis 1 et 2 basalibus totis, et 3tio aut toto aut saltem ad maximam partem, flavis. Articulus 4tus rarissime etiam flavus. Caput fusco-nigricans, hypostomate palpisque flavis. Thorax vittis 3 laetius aut obscurius brunnescentibus, media integra, plerumque subgeminata, linea scilicet media tenuissima flava inscripta; lateralibus antice abbreviatis. Maculae metathoracis, pectoris et sterni brunneae, interdum obsoletissimae vix observandae, plerumque vero distinctae, et in speciminibus lapponicis ac praeprimis Dowreensibus limbum inferiorem pectoris et metathoracis fuscum efficientes. Abdomen flavum, segmentorum singulo basi fascia plus minus lata, brunnea. In specimine Norvegico abdomen fere totum brunnescens, incisuris flavis. Alae hyalinae immaculatae, nervulis tantum transversis subcostalibus subinfuscatis. Halteres et pedes flavi, tarsis praesertim extrorsum obscuris.

**4. S. hyalinata**: flava, antennarum flagello, capite supra, tibiis tarsisque nigro-fuscis, thoracis vittis 3, abdomineque fusco-brunneis, incisuris pallidis, alis hyalinis immaculatis. ♀?
An *Sc. hyalinata* Meig. Dipt. 6. Add. 295. 15. hujus mas?
Hab. in alpe Dowre mens. Jul. a D. Boheman inventa. (Lappon. Norveg. — ?)

*Fem.?* Long. $1\frac{3}{4}$ lin. Similis *S. cingulatae* Meig., antennarum articulo 3tio anoque etiam nigris distincta. Cum *Sc. hyalinata* Meig. in omnibus convenire videtur praeter magnitudinem (*S. hyalinata* Meig. nempe $2\frac{1}{2}$ lin. long.). Antennae thoracis brevis longitudine, nigricantes, articulis 2 basalibus flavis. Caput nigricans, hypostomate testaceo, palpis flavis. Thoracis vittae 3, brunnea media gemina integra, lateralibus abbreviatis. Abdomen brunneum, segmentis 1 toto, 2—5 margine apicali, flavis. Alae hyalinae immaculatae. Nervi ut in priori, sed nervulus auxiliaris mox pone nervulum transversum superiorem desinit, in costam adscendendo, nec (ut in priori) pone hunc nervulum continuatur et in costam praecise ante apicem areolae excurrit. Halteres et pedes flavi, tarsis nigris. Tibiae etiam fusco-nigrae.

**5. S. univittata**: testacea, nitida, antennarum flagello, capite supra, thoracis vitta unica, abdominis maculis dorsalibus tarsisque nigricantibus; alis hyalinis immaculatis. ♂?
Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele d. 17. Aug. capta. (Lapponia Suecica.)

*Mas?* Long. $1\frac{3}{4}$ lin. A reliquis differt thorace nitido, vitta picea tantum unica lata, lateralibus scilicet obsoletissimis, vix earum vestigio. Antennae thoracis longitudine, tenues nigricantes, articulis 2 basalibus flavis. Caput nigrum nitidum, hypostomate palpisque fuscis. Pectus inferne et metathorax maculis fuscis. Abdomen (in specimine meo ad dimidium mutilatum) flavum fuisse videtur, maculis dorsalibus fuscis. An vero hae maculae fascias in exemplaribus illaesis forment, pro certo dicere non possum. Alae et nervi ut in priori omnino, at nervus auxiliaris ipso apice abruptus, apice scilicet cum costa non cohaerens. Nervi quoque abbreviati infra furcam inferiorem obsoletissimi vix detegendi. Halteres et pedes flavi, tarsis fusco-nigricantibus. Tibiae etiam certo situ fuscescunt.

**6. S. trilineata**: ferruginea nitida, antennis nigricantibus, articulis 3 basalibus flavis, thoracis lineis 3 angustis brunneis, fronte, abdominis incisuris anoque, tarsisque fuscis, halteribus pedibusque flavis, alis hyalinis immaculatis. ♂.
Hab. in Lapponia Umensi rarissime. (Lapponia: Ångermannia ad Hernösand rariss.)

*Mas.* Long. $4\frac{1}{2}$ lin. A Meigeni *S. cingulata*, *ornata* similibusque affinibus, thoracis lineis angustis (nec vittis latioribus) facile distinguitur. Ferruginea nitida subpubescens. Antennae thorace brevi paullo longiores, tenuissime cinereo-lucidae pubescentes nigrae, articulis 3 basalibus flavis. Caput nigrum, hypostomate et palpis flavis. Thorax ferrugineus, lineis 3 tenuibus, nigro-brunneis, media integra, lateralibus huic (mediae) approximatis, antice longe abbreviatis. Abdomen subcylindricum flavum, segmentis 5, incisuris, 6 et 7 totis, nigricantibus. Anus simpliciter obtusus. Alae hyalinae, nervis ut in *S. univittata* directis. Nervi furcati tenuissimi, ultimique longitudinales vix ulli. Halteres et pedes flavi, tarsis fuscis. Tibiae etiam certo situ fuscescunt.

**7. S. incisurata**: obscure cinerea, antennarum articulis 2 basalibus, palpis, abdominis incisuris, halteribus pedibusque flavis, tarsis fuscis, alis hyalinis immaculatis. ♂♀.
Hab. in Lapponia Suecica rarissime d. 30. Aug. in copula capta. (Lapponia-Hernösand. rar.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Tota fusco-cinerea subopaca. Antennae ♂ thorace paullo longiores, ♀ ejus vix longitudine, in utroque sexu filiformes, tenuiter pubescentes, nigricantes, articulis 2 totis, et 3tio infima basi, flavis. Hypostoma fuscum. Palpi flavi. Thorax immaculatus. Abdomen nigricans; segmento 1 macula laterali, reliquis margine apicali non late, sed determinate, flavis. Segmenta tamen 6 et 7 in ♂ nigricantia immaculata. Alae et nervi omnino ut in priori. Halteres et pedes flavi, tarsis obscuris.

**8. S. cinerascens**: fusco-cinerea, antennarum articulis 3 basalibus, palpis, halteribus pedibusque flavis, tarsis fuscis, alis hyalinis immaculatis. ♂.
Macq. Dipt. Gall. 1. 101. 9.
Hab. in Lapponia Tornensi rarius; ad Kengis pauca specimina mense Aug. lecta; in Dowre Norvegiae etiam a D. Boheman capta; in Suecia a me hactenus non visa. (Lapponia — ?)

*Mas* et *Fem.* Long. $2^1$ lin. Tota fusco-cinerea opaca pubescens. Antennae thorace paullo longiores fuscae, articulo 1 et 2 totis, 3 aut toto aut ad maximam partem, flavescentibus; articulus 4tus rarius etiam flavescit vel brunnescit. Palpi flavi. Alae hyalinae immaculatae, nervis ut in *S. hyalinata* directis. Halteres et pedes flavi, tarsis obscuris.

*Obs.* *Sc. ornata* Meig., in Suecia inferiori inventa, in Lapponia a me non observata.

C) Alarum areola subcostalis minuta quadrata. Nervulus transversus superior lateri interiori areolae praecise (nec in medio) opponitur. Furcae 2 inaequaliter longae, superior basi ante medium alae retracta, ibique brevissime petiolata. Nervus ultimus longitudinalis simplex, paullo ultra medium abbreviatus (cfr. Meig. Dipt. 1. T. 9. f. 7.).

**9. S. pilosula**: nigricans hirta, antennis fuscis, articulis 2 basalibus palpisque flavis, halteribus pedibusque pallidis, alis hyalinis immaculatis, nervis tenuibus. ♀?
Hab. in Lapponia Umensi rarissime. (Lappon. meridion.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Similis *S. hirtae* Meig., antennarum alarumque nervorum colore dignota. Nigricans subnitida. Antennae thoracis longitudine fuscae, articulis 2 basalibus saltem subtus flavis. Alae hyalinae, nervis valde tenuibus. Pedes toti flavi, trochanteribus subtus juncto nigro.

**10. S. geniculata**: nigra nitida hirta, antennarum articulo 2do apice, halteribus pedibusque flavis, femorum posticorum apice tarsisque omnibus fuscis, alis hyalinis immaculatis, nervis tenuibus. ♂.
Hab. in Lapponia Umensi rarissime, tantum ad Åsele d. 28. Jul. capta. (Lappon. Suecica.)

*Mas.* Long. 2 lin. Tota nigra nitida hirta. Antennae thorace parum longiores, brevissime cinereo-lucide pubescentes, nigrae, articulo basali 2do summo apice pallido. Thorax ut in priori valde convexus. Anus subclavatus nigro-villosus. Alae hyalinae, ut in praecedente microscopice hirtae, nervis tenuibus pallidis. Halteres flavi. Pedes flavicantes, coxis praesertim posterioribus lividis, basi subinfuscatis. Trochanteres subtus fusci. Femora postica apice nigricantia. Tibiae omnes cum calcaribus flavae. Tarsi subinfuscati.

*Obs* *Sc. hirta* Meig. ut et *Sc. rufa* Meig., in Suecia inferiori rarius inventae, in Lapponia a me frustra quaesitae.

## 173. Leia. Meig.

Meig. Dipt. Eur. gen. 31. *Mycetophila* Meig. Klass. Macq.

*Corpus* minoris magnitudinis elongatum subpubescens. Antennae longitudine circiter thoracis, filiformes, subcompressae subnudae, articulis arcte cohaerentibus, 2 basalibus crassioribus discretis. Oculi ovales. Ocelli 3 inaequales, in fronte plerumque in lineam dispositi; medius minor. Alarum nervi 4 longitudinales marginem interiorem alae attingunt, qui furcas 2 elongatas formant. Nervus ultimus longitudinalis (primus a basi marginis interioris numeratus) abbreviatus. Nervuli transversi subcostales 2 vel 3, quorum extimus fere in medio costae situs nervum longitudinalem 2 et 3 connectit. Sed hi nervuli nullam aream quadratam ut in genere praecedenti efficiunt. (Cfr. praeterea Meig. Dipt. 1. T. 9. f. 11 et 18.) Abdomen subcylindricum, antice paullo angustius. Pedes mediocriter longi, coxis elongatis, femoribus validis, tibiis posterioribus spinulosis, distincte calcaratis. *Color* ferrugineus; fuscus. *Motu* valde agilis. *Habitatio* in graminosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus*; *mas:* ano obtusiusculo; *femina:* ano acutiori. (Spec. Scand. circiter 10, areola subcostali nulla, a *Sciophila*, et ocellis frontalibus 3 approximatis, a *Mycetophila*, dignotae.

A) Alarum furcae 2 inaequaliter longae, inferior longissima retracta.

**1. L. fascipennis**: ochracea, antennis obscuris, basi luteis, metathorace macula, alis fascia ante apicem tarsisque fuscis. ♂♀.

MEIG. Dipt. 1. 255. 5. ♂♀. MACQ. Dipt. 1. 95. 6.
Hab. in Lapponia Tornensi rarius, in copula capta. (Lappon.-Scan. pass.)

*Mas.* et *Fem.* Long. 2¹ lin. Tota flavo-ferruginea subnitida pilosula. Antennae fuscae, articulis 4 vel 5 primis luteis. Ocelli in lineam dispositi in fronte. Macula in metathorace ante insertionem abdominis subquadrata brunnea. Abdomen immaculatum. Alae hyalinae, leviter flavo-tinctae, ante apicem fascia fusca, ad costam perspicua, versus marginem interiorem obsoletior, sensim evanescens. Intra marginem interiorem ad medium macula parva obsoleta fusca etiam observatur. Halteres et pedes toti pallide flavi, tarsis fuscis. — Specimen a D. FAHRÄUS missum etiam vidi, metathorace immaculato et alarum macula interiori nulla, forte hujus.

**2. L. crucigera**: ochracea, antennis obscuris, basi luteis, alis macula costali ante apicem, tarsisque fuscis, abdominis segmento 1mo striga longitudinali nigra in punctum ejusdem coloris terminata. ♀.
Hab. in Nordlandia rarissime, in insula Hacksten prope Schiervoe d. 28. Jul. inventa. (Lappon. Norveg.)

*Fem.* Long. 3 lin. Simillima videtur MEIGENI et nostrae *Leiae fascipenni* et praeprimis ei varietati, quae in descriptione a Cl. Auctore l. c. nominatur. Nostra autem *L. crucigera* magnitudine paullo majori et pictura alarum mox a *L. fascipenni* distinguitur. Oculi in viva obscure ferruginei. Metathorax ferrugineus immaculatus. In segmento abdominis 1mo striga nigra extenditur a basi ad abdominis apicem, ubi in maculam transversam parvam abbreviatam abit. Alae hyalinae parum flavedine tinctae, immaculatae, praeter maculam costalem intra apicem fuscam obsoletam. Cetera ut in priori.

**3. L. Marklini**: ferrugineo-flava, antennarum flagello, capite supra, metathoracis vitta, abdominis segmentorum singulo macula triangulari, tarsisque, nigricantibus, thoracis lineolis 2 brunneis, alis hyalinis, puncto costali ante apicem fusco. ♂♀.
*Leia triangularis* FRIES, in Collectione mea.
Hab. in alpibus Norvegicis, D. B. F. FRIES, sub itinere nostro communi in Lapponias Norvegicas et Suecicas, scopo botanico et zoologico 1821 instituto; in insula Hacksten d. 28. Jul. praesertim visa. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* Long. 2½—2¾ lin. *Mycetophilae annulatae* MACQ. Dipt. Gall. 1. 96. 17. affinis et subsimilis. Species pulchra nitida pubescens flavescens. Antennae nigrae, articulis 3 basalibus flavis. Caput supra nigrum, flavedine hypostomatis paullo supra antennas assurgente. Oculi in viva obscure ferruginei immaculati. Thorax ferrugineus, in medio dorso lineolis 2 utrinque abbreviatis, paullo distantibus, rufo-ferrugineis, saepe valde obsoletis, vix rudimento 3tiae. Metathorax vitta media inferius paullo dilatata nigra. Abdomen flavum, in segmento singulo macula triangulari, angulo anteriori versus thoracem vergente, nigricante. Anus niger. Alae hyalinae, macula costali parva paullo ante apicem fusca obsoleta. Nervorum furcae 2 inaequaliter longae, interior retracta. Nervus ultimus dimidiatus. Pedes flavi, tibiis fuscescentibus, tarsis nigris. Trochanteres subtus punctis nigris.

*Fem.* Mari descripto simillima, sed thorace immaculato et antennarum articulis tantum 2 basalibus rufis ut et femoribus posticis summo apice nigro. Affinis videtur *Mycetoph. maculosae* MEIG., sed ocellis 3 in lineam transversam in fronte dispositis praesentibus, differt.

Dom. GABR. MARKLIN, Norrlandi, Societati Litt. Upsal. Adjuncti, Naturae Scrutatoris eximii, Entomologi oculatissimi, amicitia fere tredecenni mecum conjuncti, in alpibus Lapponicis Nordlandiae Finmarkiaeque ante quatuordecim annos peregrinatoris multorumque tunc novorum insectorum detectoris, nomen in hoc Diptero arctico conservandi gratissimum officium putavi.

**4. L. Winthemi**: flava, antennis flagello, capite supra, thorace vittis 3, abdomine fasciis, tarsisque obscure brunneis, alis maculis subquatuor fuscis. ♂.
MEIG. Dipt. 6. Add. 296. 11.
Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, ad pagum Turtola d. 25. Aug. inventa. (Lapp. —?)

*Mas.* Long. 2½ lin. Pallide flava pilosula. Frons cinereo-nigra. Antennae fuscae, articulis 3 basalibus luteis. Thorax subnitidus, vittis 3 brunneis, media geminata, lateralibus abbreviatis. Metathorax vitta lata brunnea. Abdomen brunneum, segmentis 2, 3 et 4 mediis basi fascia inaequali flava. Alae hyalinae, maculis 4 vel 5 fuscis obsoletis, quarum 3 ad costam et 1 ad marginem interiorem, paullo distinctioribus. Halteres et pedes pallide flavi, femorum posticorum apice tarsisque omnibus fuscis.

*Obs.* MEIGENI species *Leia fasciola* et *bimaculata* in Ostrogothia et Scania inventae, in Lapponia forsitan peregrinae.

B) Alarum furcae 2 subaequaliter longae, utraeque scilicet in medio alae originem ducentes.

**5. L. trivittata**: nigra, thorace cinereo, vittis tribus nigricantibus, halteribus, coxis, femoribusque flavis, alis hyalinis immaculatis. ♂♀.
MEIG. Dipt. 1. 258. 10. ♂♀.
Hab. in Lapponia Umensi passim rarius; in uliginosis ad Stensele 3. Jul., nec non in monte subalpino Stoettingsfjellet d. 31. Jul. inventa; feminam quoque oviparam ad Naestansjoe prope Wilhelminam d. 15. Jul. legi; uterque sexus in Groenlandia captus, a D. WESTERMANN benigne communicatus. (Lapp.-Scan. in copula pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. ♂ fere 3, ♀ 2¹ lin. Tota nigra subnitida, pilosiuscula. Antennae nigrae, in speciminibus lapponicis articulo 3tio fere toto flavo. Palpi fusci. Ocelli 3 in lineam in fronte dispositi. Thorax cinereus, vittis 3 nigris, media geminata, lateralibus abbreviatis. Abdominis incisurae mediae in ♀ albidae. Alae obscure hyalinae, furcis aequaliter longis. Nervulus transversus subcostalis ultimus furcae superioris basi praecise opponitur. Nervus ultimus longitudinalis abbreviatus, non usque ad summum marginem interiorem alae extenditur. Halteres flavi. Coxae flavae, posticae in ♂ interdum obscurae. Trochanteres nigricantes. Femora flava, postica apice interdum fusca. Tibiae fusco-testaceae, calcaribus saepe pallidis. Tarsi nigri.
*Obs.* Ova hujus speciei oblonga subcylindrica albida.

**6. L. nigra**: nigricans, thorace haud vittato, antennarum flagello articulis 2 infimis, halteribus, coxis femoribusque flavis, alis hyalinis immaculatis. ♂.
Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae Norvegicae rarius; in paludosis ad pagum Björkvik d. 14—15. Jul. inventa. (Lapponia Norvegica.)

*Mas.* Long. 3 lin. *L. trivittatae* simillima, nec ab ea differt nisi thorace fere toto nigro, parum cinerascenti, vix atro-vittato, et antennarum articulis, 3 et 4 totis flavis. Thorax pilosus, infra humeros puncto utrinque pallido. Abdomen elongatum tenue compressum, sat distincte cinereo-argenteo-pilosum. Anus subclavatus. Trochanteres subtus et femora infima basi, nigricantia omnino ut in priori. Reliqua ut in praecedente, cujus tamen vix est varietas detrita.

**7. L. humeralis**: fusco-nigra, thorace vitta utrinque humerali, antennarum flagello, articulis 3 infimis, abdominis incisuris, halteribus, coxis femoribusque, flavis, alis hyalinis immaculatis. ♀.
Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Wilhelmina d. 17. Jul. capta. (Lappon. Suecica.)

*Fem* Long. 2¹ lin. Similis *L. basali* MEIG., sed thoracis vitta humerali flava facile ab illa dignota; qua nota ut et abdominis incisuris pallidis a priori etiam differt. Antennae ut in praecedente. Thorax niger, ferrugineo-pilosus, lateribus sat late flavo-luteis; in disco vero nigro lineae cinereae certo situ observantur. Abdomen nigricans, incisuris 2—6 dorso anguste, lateribus latius, luteo-flavis, quae pictura in ventre quoque cernitur. Alae, halteres et pedes omnino ut in *Leia trivittata* et *nigra*.

## 174. Mycetophila. MEIG.

MEIG. Dipt. Eur. gen. 32. MACQ. *Sciara* FABR.

*Corpus* et antennae ut in *Leia*. Oculi oblongi. Ocelli 2 (teste D. MACQUART 3, quorum medius omnium minutissimus, non nisi oculo acutissime armato in speciebus tantum quibusdam observandus) ad marginem oculorum interiorem. Directio nervorum in alis fere ut in *Leia*, paullo tamen varians, et nervuli transversi subcostales tantum 2 (nec 3) observantur (cfr. quoque MEIG. l. c. 1. T. 9. f. 15—21.). In *Myc. nigra* tamen furca nervorum tantum unica adest, et nervi tantum 3 longitudinales ad marginem interiorem alae descendunt. Pedes ut in *Leia*. *Color*: ferrugineus, fuscus, niger. *Motu* valde agilis. *Habitatio* imaginum in graminosis, larvarum in fungis variis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque.*) *Differentia sexus*; *mas*: abdomine subcylindrico, ano obtusiusculo; *femina*: abdomine valde compresso, ano acutiori.

*) Larvae *Myc. fasciatae* MEIG. a scrutatore eximio D. DAHLBOM in fungo putrido Salicis Scaniae d. 5. Oct. 1835 copiose inventae, quae post medium ejusdem mensis in pupas abierunt. Hae pupae exclusae fuerant verno tempore anni sequentis.

(Spec. Scand, 22, ocellis tantum 2 valde remotis, ad marginem interiorem oculorum sitis, et vix aliter a *Leia* dignoscendae; ob multitudinem autem ab hoc genere haud inepte separandae.)

A) Alarum furcae 2 subaequaliter longae, superior aut sessilis aut breviter petiolata (cfr. praeterea MEIG. l. c. T. 9. f. 15 et 18.)

° Nervulus transversus medius distincte infuscatus. Furca superior subsessilis.

**1. M. lunata**: ochracea, antennis extrorsum, thorace vittis 3, abdomine fasciis latis, femoribus posticis apice, alisque macula centrali et fascia intra apicem, fuscis. ♂♀.
MEIG. Dipt. 1. 260. 1. *Sciara lunata* FABR. Antl. 58. 6. forte.
Hab. in Lapponia Tornensi rarius. (Lapp.-Botnia borealis ad Johannis Ro d. 1. Sept.-Scan. freq.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}-1\frac{1}{2}$ lin. Tota ochracea parum nitida. Antennae fuscae, articulis 3 vel 4 basi flavis. Thoracis vittae 3 brunneae, media antice subgeminata, lateralibus antice abbreviatis. Pectus interdum leviter brunneo-maculatum. Abdomen brunneum, incisuris pallidis, unde exstant fasciae latae brunneae in medio dorsi, vitta longitudinali flava interdum interruptae. Alae hyalinae, parum flavedine tinctae, nervis pallescentibus. In medio alae, immediate sub nervo longitudinali 1mo, macula adest fusca, quae nervulum transversum et basin furcae superioris transit. Inter hanc et apicem (apici tamen propius) observatur fascia ejusdem coloris, e costa orta deindeque subarcuatim versus marginem interiorem indeterminate ducta, interdum inferne obsoleta, relicta tantum macula evidentiori ad costam. Halteres et pedes toti pallide flavi, femoribus posticis apice et tibiarum spinulis nigricantibus.

**2. M. fuscicornis**: nigro-fusca, antennis concoloribus, abdominis incisuris tenuiter luteis, halteribus pedibusque flavis, femoribus posterioribus basi apiceque nigricantibus, alis hyalinis, macula media fasciaque intra apicem fuscis. ♂♀.
MEIG. Dipt. 1. 261. 2. ♂. et 6. Add. 297.
Hab. in Lapponia Tornensi rarius. (Lappon.-Botnia borealis in floribus Salicis ad Johannis Ro jam d. 20. Maj. — Scania passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{4}$ fere $2\frac{1}{2}$ lin. Tota nigricans, pube cinerea micanti tecta. Antennae nigrae, articulis 1 et 2 subtus, et 3 basi, in ♀ luteis. Palpi elongati testacei. Abdominis incisurae flavescentes, in ♀ tamen angustissime, et vix nisi in segmentis posterioribus observandae. Alae hyalinae, macula media fusca in costa incipit et basin furcae superioris includit. Fascia apicalis fusca fere ad summum apicem obsolete dilatata, maculam hyalinam intra apicem includens. Halteres pallidi. Pedes flavi; posteriores coxis maculis, trochanteribus totis, femoribusque basi apiceque, nigro-brunneis.

**3. M. praeusta**: nigro-fusca, antennarum articulis 2 basalibus luteis, thorace macula humerali punctisque posticis, scutello, abdominis incisuris tenuiter, halteribus pedibusque flavis, femoribus posterioribus basi apiceque nigricantibus, alis hyalinis, macula media fasciaque intra apicem fuscis. ♂♀.
MEIG. Dipt. 6. Add. 298. 31. ♀.
Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele tantum capta. (Lappon. —?)

*Fem.* Long. $2\frac{1}{3}$ lin. Simillima priori, a qua non differt, nisi pictura antennarum et thoracis. Antennae scilicet atrae, articulis 1 et 2 totis, et 3 basi, luteis. Thorax nigricans, cinereo-sericeo-pubescens ut in priori, at in humeris vitta angusta flava ad radicem alarum non extensa. In thoracis postico ante scutellum maculae 3 parvae luteae observantur. Scutellum etiam luteum, basi fuscum. Reliqua omnia omnino ut in praecedente.

**4. M. arcuata**: nigro-fusca, antennis basi, thorace macula humerali, halteribus pedibusque flavis, femoribus posticis apice nigricantibus, alis hyalinis, macula media fasciaque intra apicem fuscis. ♂♀.
MEIG. Dipt. 1. 261. 3. ♀.
Var. b. antennis basi subfuscis, alis fasciis 2 fuscis, macula scilicet media versus marginem interiorem dilatata.
Var. c. ♂♀. fascia alarum apicali parva, relicta tantum macula obsoleta subfuscula ad costam.
Hab. in Lapponia Tornensi passim; in fungis Betulae albae ad cataractam Korpikoski, ut et ad pagum Wittangi, d. 3—17. Jun. haud infrequenter lecta; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nordlandiae et ad Björkvik d. 14. Jul. ♀ capta, in paroecia Fredrica Lapponiae Umensis ♂ et ♀ d. 30. Jul. in copula inventi; varietas b. ad Stensele etiam Lapponiae Umensis d. 3. Jul. detecta; et e varietate c. feminam in succo destillante Betulae ad Wittangi d. 15. Jun., et marem in agris ad Johannis Ro Botniae borealis, d. 2. Sept. tantum legi. (Lappon.-Scan. var. a. passim.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Tota nigricans subnitida. Antennae fuscae, articulis 3 basalibus flavescentibus. Thoracis macula humeralis flava parva. Abdominis incisurae cinereo-ciliatae. Alae hyalinae ad costam flavedine subtinctae, macula centrali libera (cum costa non connexa) et fascia intra apicem arcuata aut integra aut inferne interrupta, fuscis distinctis. Punctum ad marginem interiorem (infra maculam centralem) fuscum, obsoletum, saepe etiam observatur. Halteres flavi. Pedes pallide flavi, postici coxis summa basi, femoribusque tibiisque apice, nigris. Tarsi omnes fusci.

**5. M. thoracica**: ferruginea, antennis obscuris basi luteis, fronte, abdomine, alarum macula media apiceque, tarsisque, fuscis, pedibus flavis. ♀.
Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in alpe Brattiksfjell d. 8. Jul. unicum individuum inveni. (Lapponia Suecica meridionalis.)

*Fem.* Long. $2\frac{1}{2}$ lin. Magnitudo et statura omnino *M. praeustae*, sed colore diversa. Vix nitida. Caput rufescens, fronte fusca. Antennae fuscae validae, articulis 3 basalibus ferrugineis, 4 et 5 etiam rufo-fuscis. Thorax ferrugineus immaculatus, tenuiter fulvo-pubescens. Abdomen nigro-fuscum, tenuiter flavo-pubescens, incisuris tenuiter albidis, segmento 1mo fere toto ferrugineo. Anus niger. Alae subhyalinae, flavedine parum tinctae, macula centrali fusca libera ut in *M. lunata*. Alarum autem fuscedo terminalis totum fere apicem occupat, relicta tantum macula media hyalina. Halteres et pedes flavi, tibiarum posticarum summo apice spinulisque, tarsisque omnibus, fusco-brunneis.

**6. M. ruficollis**: ferruginea, antennis apice, alarumque macula media fuscis, abdomine nigricante, pedibus flavis. ♀.
MEIG. Dipt. 1. 262. 5? ♀.
Hab. in Nordlandia Norvegica, ad Björkvik d. 14. Jul. semel capta. (Lapp.-Scan. rar.)

*Fem.* Long. $2\frac{1}{4}$ lin. Affinis *M. centrali* MEIG., sed minor et antennis latius flavis distincta. Ferruginea subopaca. Antennae flavae, versus medium sensim paullo fusciores, apice obscurae. Caput et thorax pube tenui nigra obsita. Abdomen nigricans, pube tenui depressa grisea vestitum, incisuris mediis angustissime albidis, segmento 1mo fusco, ano rufo-flavo. Alae hyalinae, ad costam flavedine subtinctae, macula media libera fusca. Halteres et pedes flavi, posticorum tibiis summo apice spinulisque brunneis. Tarsi omnes subinfuscati.
*Obs. Myc. lineola* MEIG. in Smolandia, et *luctuosa* sub muscis Scaniae 1. Maj. captae, in Lapponia a me non visae.

°° Alae immaculatae. Furca superior breviter petiolata.

**7. M. cunctans**: ochracea, antennis apice fuscis, thorace ferrugineo-subvittato, abdominis dorso brunneo-maculato, pedibus flavis, alis hyalinis ad costam flavescentibus. ♂♀.
MEIG. Dipt. 1. 264. 10. ♀. forte eadem.
Hab. in Lapponia Tornensi passim; sub cortice et in ligno Pini recenter secato, ut et ad radicem Betulae albae succum exstillantis, ad Wittangi d. 12—14. Jun. frequenter legi; in alpe Dowre Norvegiae etiam a D. BOHEMAN capta. (Lappon.-Suecia.)

*Mas* et *Fem.* Long. $2\frac{1}{4}-2\frac{1}{2}$ lin. Tota ochracea subopaca. Antennae flavae, versus apicem sensim fuscescentes. Frons cinereo-flava. Thorax ochraceus flavescenti sericeo-pubescens, pilis aliquot nigris antice et in lateribus adspersus, dorso vittis 3 laete brunneis, media subgemina, lateralibus antice abbreviatis, omnibus saepe obsoletis. Abdomen, in ♂ fuscum, incisuris anguste albidis, segmentis 1mo et ultimo flavicantibus; in ♀ flavescens, antice posticeque maculis, et in medio cingulis, fuscis, ut et linea laterali inferiori fere continua obscuriori. Alae hyalinae, ad costam flavedine tinctae, alias immaculatae. Halteres laete flavi. Pedes pallide flavi, praeter puncta minuta in apice femorum et spinulas tibiarum posteriorum fuscula, immaculati.
Var. b. ♀. thorace subimmaculato, seu vittarum ferruginearum parum vestigio. Ad Wittangi Lapponiae Tornensis d. 15. Jun. rarissime capta.

**8. M. fuscula**: nigricans, antennarum basi, halteribus pedibusque flavis, tarsis fuscis, alis hyalinis immaculatis. ♂♀.
Hab. in Lapponia Tornensi rar.; ad Juckasjervi d. 24. Jun. una cum *M. nigra* (No. 15) inventa. (Lapponia Suecica.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Tota nigra subnitida, tenuiter cinereo-pubescens. Antennae fuscae, articulis 2 basalibus flavis. Abdomen nigrum, incisuris mediis in ♀ ferrugineis, ano in utroque sexu rufescente. Alae hyalinae immaculatae, furcis 2 aequaliter longis, superiori breviter quidem petiolata, at longius, quam in praecedente. Halteres et pedes pallide flavi, femoribus posterioribus apice, tarsisque omnibus, subinfuscatis.

*Obs.* Meig. *Myc. punctata* et *semicincta*, huic subdivisioni inserendae, et inter se et a nostra *M. cunctante* haud multum differre videntur; atque me existimante vix nisi ut varietates unius ejusdemque speciei considerandae; in Svecia inferiori colliguntur, in Lapponia non lectae. Nec *M. domesticam* Meig. l. c. 6 Add. 303. sub muscis Scaniae frequentem, in terris borealibus vidi.

B) Alarum furcae 2 inaequaliter longae.

° Furca superior inferiori manifeste longior, ante medium alae retracta. (Cfr. etiam Meig. l. c. 1 T. 9. f. 20).

**8. M. lateralis:** cinereo-nigra, antennarum basi, palpis, abdominis maculis lateralibus, halteribus pedibusque flavis, tarsis fuscis, alis subhyalinis. ♀.

Meig. Dipt. 1. 266. 13. ♀.

Hab. in Lapponia passim; scilicet in Lapponia Tornensi, ex. gr. in Abiete ad Karungi die 25. Maj., nec non ad aquas stagnantes in societate cum *Hydroporo nebuloso* ad Juckasjervi d. 25. Jun., et tandem ad Kengis d. 22. Aug., capta. (Lappon.-Scan. pass.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Parum nitida, tenuissime griseo-pubescens. Caput cinereo-fuscum, palpis flavis. Antennae fuscae, articulis 1 et 2 totis, 3 basi flavo-testaceis. Thorax dorso fusco-cinereus, pectore laetius cinereo. Abdomen nigricans, latere inferiori, maculis triangularibus luteis. Alae hyalinae, basi et nervo primo longitudinali pallescentibus. Furca superior longa retracta, parum petiolata. Furca inferior brevis longe petiolata. Halteres et pedes pallide flavi, tarsis obscuris. Tibiae posteriores parce et tenuiter spinulosae, calcaribus autem validis elongatis armatae.

**9. M. fusca:** fusco-cinerea opaca, antennarum basi, palpis, halteribus pedibusque flavis, tarsis fuscis; ano luteo, alis cinereo-hyalinis. ♂♀.

Meig. Dipt. 1. 266. 14?

Hab. in Lapponia Tornensi passim; scilicet in Abiete, sylvis et in fenestris, ad pagos Pello, Karungi, Kengis et Wittangi, nec non Juckasjervi, d. 27. Maj. — 28. Aug. capta. (Lapp.-Scan. sub muscis 1. Maj. pass.)

*Mas* et *Fem.* Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin. Tenuissime griseo-pubescens opaca. Priori similis, magis cinerascens, abdomine immaculato distincta. Caput cinereum, palpis flavis. Antennae fuscae, articulis 3 basalibus flavis. Thorax cinereus, dorso obscuriori. Abdomen nigricans, ano summo apice rufescente, in ♂ magis exserto. Alae cinereo-hyalinae, nervis ut in priori directis, at furcae superioris petiolo adhuc breviori et nervo 1mo longitudinali non flavescente. Nec basis alae pallidior. Halteres et pedes omnino ut in praecedente.

**10. M. lucidula:** nigra nitida, antennarum basi, palpis, halteribus pedibusque flavis, tarsis fuscis, ano rufo. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, in sylva ad Wittangi d. 14. Jun. semel lecta. (Lappon.)

*Fem.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Priori simillima, nec ab ea differt nisi corpore magis obscuro, thorace toto nigro nitido, ut et pectore parum cinerascente. Reliqua ut in praecedente.

**11. M. rufescens:** ferruginea, antennis obscuris, basi luteis, abdomine nigro, incisuris anguste pallidis, fronte, alarum macula media, fascia exteriori apiceque, femorum posteriorum apice tarsisque omnibus, fuscis, pedibus flavis. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele inventa. (Lapponia Suecica.)

*Fem.* Long. $2\frac{1}{4}$ lin. *M. thoracicae* (No 4) simillima; ab ea tamen magnitudine paullo minori, abdominis segmento 1mo nigro (nec rufo), femoribus posterioribus apice fuscis, alarum fuscedine obsoletiori, et praesertim nervorum furcis minime aequaliter longis, sed inferiori, quam superiori, multo breviori, certe distincta. Alae hyalinae, macula centrali fusca parva obsoleta. Fascia intra apicem ut et ipse apex, quoque obsolete fusca. Reliqua ut in *M. thoracica*.

*Obs.* *M. guttiventris* Meig. sub muscis Scaniae mense April. inventa, in Lapponia a me non observata.

°° Furca alarum superior inferiori brevior; inferior ante medium alae retracta. (Cfr. praeterea Meig. Dipt. 1 T. 9 f. 21).

**12. M. maculosa:** flavescens, antennis extrorsum, abdomine maculis dorsalibus tarsisque fuscis, fronte thoracisque dorso ferruginantibus, alis hyalinis, costa flavedine tinctis. ♀.



Meig. Dipt. 1. 268. 18.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Juckasjervi d. 26. Jun. capta. (Lapp.-Scan. sub muscis jam 1. Maj.)

*Fem.* Long. $2\frac{2}{3}$ lin. Rufo-flavescens. Antennae fuscae, basi indeterminate flavae. Frons et thorax dorso rufescentia. Abdominis maculae dorsales semicirculares brunnescentes. Alae praesertim ad costam flavedine tinctae. Halteres et pedes flavi. Tarsi obscuri.

**13. M. alternans:** flava, antennis extrorsum fuscis, fronte thoracisque disco cinerascentibus, abdominis segmentis 1, 2, 3 macula dorsali, 5 et 6 totis, nigricantibus, alis hyalinis. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Karungi in societate cum *M. fusca* d. 28. Aug. inventa. (Lapponia; Botnia borealis.)

*Mas.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Opaca. Caput nigro-cinereum, ore et palpis pallidis. Antennae tenues fuscae, articulis 6 vel 7 inferioribus flavis. Thorax pube tenui sericea adspersus, flavus, disco dorsali cinereo. Scutellum et metathorax cinerascentia. Abdomen angustum flavum, segmentis 3 basalibus in singulo macula dorsali brunnea. Segmenta vero, 4tum flavum immaculatum, 5 et 6 tota brunneo-nigra, 7 seu ultimum flavum. Alae breviusculae hyalinae immaculatae. Halteres et pedes pallide flavi, tarsis parum infuscatis. Tibiae posteriores modice spinulosae.

**14. M. obscurella:** nigro-fusca, antennis concoloribus, articulo 2do apice pallido, halteribus pedibusque flavis, alis hyalinis. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime; non nisi unicum marem ad Kengis Lapponiae Tornensis d. 22. Aug. unicamque feminam in foliis Betulae albae ad Björkvik Nordlandiae Norvegicae d. 14. Jul., cepi. (Lapponia.)

*Mas.* Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Tota nigricans subopaca, tenuissime cinereo-subpubescens. Antennae elongatae subpubescentes fuscae, articulo 2do summa basi flavo. Palpi in specimine meo non observandi. Thorax niger. Abdomen fuscum. Alae hyalinae. Halteres et pedes pallide flavi, trochanteribus tarsisque fuscis. Tibiae posteriores tenuiter spinulosae.

*Fem.* Long. 1 lin. Mari simillima, sed paullo minor, antennis paullo brevioribus, abdomine compresso, ut et pedum trochanteribus flavis (nec fuscis) tantum distincta, sine dubio ejusdem speciei.

*Obs.* *Myc. discoidea* Meig. et *M. fasciata* Meig., in Ostrogothia et Scania inventae, in Lapponia vel aliis terris borealibus Sveciae a me non observatae.

C) Alarum furca tantum unica. (Nervi 3 longitudinales marginem interiorem alae attingunt.) (Cfr. praeterea Meig. l. c. 6. T. 65. f. 12.)

**15. M. nigra:** nigra nitida, palpis pedibusque luteis, posticorum coxis basi, femoribusque apice, tarsisque omnibus, fuscis. ♀.

Var. a. ♀. $1\frac{1}{4}$ lin. long., antennis totis nigro-fuscis.

Meig. Dipt. 1. 270. 23. et 6. Add. 297. et 304.

Var. b. ♀. 1 lin. longa, antennis articulis 2 vel 3 basalibus luteis.

*Myc. nitida* Meig. Dipt. 6. Add. 297.

Hab. in Lapponia passim; scilicet var. a. in abiete ad Karungi Lapponiae Tornensis d. 27. Maj., una cum *Myc. fusca* et *laterali*, nec non ad Björkvik Nordlandiae d. 14. Jul., inventa; var. b. ad Lycksele Lapponiae Umensis, nec non in Pinetis ad Wittangi et Juckasjervi, Lapponiae Tornensis, d. 15.—24. Jun. capta. — Larvae hujus speciei, cylindricae, postice rotundatae, nitidae, glabrae, inermes, albae, $1\frac{1}{2}$ lin. longae, in foliorum fungis putridis lignoque putrido hybernantes; nec non pupae sub tegumento suo elliptico albido, conglutinato, in statu nymphae 2—3 hebdomad. manentes, a D. Bouché in Naturg. der Insecten, Berlin 1834, p. 37—38. describuntur. (Lapponia —?).

*Mas* et *Fem.* Tota nigra nitida, pube omnium subtilissima cinerea sericea obsita. Antennae tenues nigrae, sed variant articulis infimis luteis, ut in var. b. Alae fuscescentes. Halteres flavi. Pedes lutei, postici coxis basi, et femoribus apice, plus minus late, plerumque nigricantibus. Tarsi omnes fusci. Tibiae posteriores distincte spinulosae. Anus stylis 2 exsertis nigris.

*Obs.* A prioribus hujus generis speciebus haec differt: capite paullo longiori, margine postico sub thorace occultato, directione nervorum in alis alia, ut et secundum observationem D. Meig. abdomine tantum 6-articulato, scutelloque setuloso; unde proprium genus jure efficere potest, cui nomen *Macquartia* propono.

*Obs.* *Chionea araneoides:* corpore aptero, halterato fusco, pedibus testaceis pilosis, DALMAN in Act. Holm. Anni 1816 l. p. 102 Tab. 2 et Analect. Entomol. Holmiae 1823; hieme in Svecia media, in nive ambulans capta, araneam prorsus mentiens, *Panorpa hiemali* FABR. paullo major, in Lapponia forsitan etiam deprehenditur; sed quoniam mensibus tantum hyemalibus obvenit, mihique non fuit occasio ejusmodi anni tempore eam ibi perquirendi, in Lapponia a me non observata fuit, neque ab alio Collectore, quantum scio, in terris septentrionalibus capta.

---

*Obs.* In collectione mea insectorum Lapponicorum exstant haud pauca Diptera, quorum descriptionem hac vice omittere coactus fui, et id quoniam eorum specimina aut hac vel illa parte mutilata, aut alio modo laesa et haud dignoscenda determinandave, fuerunt. Inter ejusmodi insecta dubia numerare possum Dipteron valde singulare, novum genus certe constituens, sub Familia *Platypezinae* forte militans, generique *Cyrtomae* affine. *Corpus* scilicet parvum ($1\frac{1}{4}$ lin. long.) ovato-oblongum subnitidum glabriusculum nigro-fuscum. Antennae capite parum longiores conicae, 3-articulatae? articulis basalibus brevissimis, incrassatis, ultimo longe setaceo. Oculi magni, in fronte cohaerentes. Partes oris haud exsertae. Thorax convexus. Abdomen 6-annulatum? Anus appendicibus clavatus, rufus. Alae longitudine abdominis hyalinae immaculatae, nervis omnibus simplicibus, horum 4 marginem interiorem alae attingentibus. Nervuli transversi ante medium alae approximati, areis discoidali et angulari nullis. Halteres nudi flavi. Pedes mediocres simplices flavicantes, tarsis fuscis. — Specimen descriptum in alpe Dowre Norvegiae a D. BOHEMAN 1832 captum.

---

# SECTIO QUARTA.

## LEPIDOPTERA.

---

VIRO AMPLISSIMO

D. Doctori J. A. BOISDUVAL,

PARISIENSI, PLURIUM SOCIETAT. LITTERAR. SODALI,

ICONUM HISTORIC. LEPIDOPTEROR. EUROP. etc. EDITORI MERITISSIMO

HANC SECTIONEM FAUNAE SUAE

IN TESSERAM OBSERVANTIAE DEDICARE VOLUIT

AUCTOR.

# PROËMIUM.

Lepidopterorum Ordo Entomologorum scopulus. LATR.

---

Cum Classes singulae Suecorum Coleopterorum iteratis vicibus, Orthopterorum, Hemipterorum et Dipterorum post LINNAEI tempora fere integrae et absolutae in lucem prodierunt recensitae, non nisi inceptis et conaminibus abruptis Lepidopterorum Ordinem adumbrandi laetari possumus. Mirandum vero sane, quod pulcherrimum facile insectorum agmen in ipsa LINNAEI patria tam postpositum et paene neglectum huc usque fuerit; et eo ferme perventum est, ut species hujus Classis rariores l. novas, quas proferant terrae nostrae boreales, etiam harum formarum minime inopes, primum ab Exteris descriptas recipiamus. Nec exspectandum, me praesenti opella talem incuriam et defectum ex omni parte tollere potuisse, cum neque ratio opusculi, neque via studii mei entomologici proprii, neque, ingenue fateor, satis peritia, concedant, ut *omnia Scandinaviae Lepidoptera* intra has plagulas complecterem publicique juris facerem. Meum enim propositum tantum fuit, ut hac vice *Lepidoptera Lapponica*, quoad eorum dispositionem, characteres, synonymiam, sexus differentiam et oeconomiam, quantum hanc explorare potuerim, adcurate pertractarem, atque, adhortantibus Amicis meis entomologicis et Lepidopterologiae fautoribus, simul species hujus ordinis Suecicas, quotquot in scriptis et collectionibus obveniant sparsae, enumerarem, earum loca natalia, tempus vigendi, inventorem et synonymiam afferrem, et tandem singulas suis familiis generibusque genuinis insererem, quo hujus classis Studiosi et Amatores haberent desideratam indicem saltemque scirent quot et quaenam Lepidopterorum species nostra Suecia in suo gremio alat. An vero mihi contigerit haec omnia cum successu et ex voto persequi, Lectori benevolo dijudicandum erit.

Interea laetus gratusque agnosco me sub hoc opere elaborando prolixa et fere inexspectata communicatione participem fuisse adminiculorum, quae magnopere laborem sublevarunt, et sine quibus etiam optima voluntate meliora praestandi, libellum non nisi mancum et imperfectum tradere potuissem. Sic: Cel. SCHÖNHERR e suo museo, insectorum omnium fere classium praedivite et opulento, etiam Lepidopteris arcticis scatente, multa eximia et unica mecum ad describenda singulari favore communicavit. — Amicissimo DAHLBOM, itineris Lapponici Umensis socio, pleraque Microlepidoptera nova, quibus Fauna nostra e Lapponia meridionali superbit, ab Illo acutissimo oculo investigata debeo; et insuper Hic egregius naturae scrutator domum reversus suas observationes circa victum et metamorphosin Lepidopterorum, per multos annos institutas, pro solita sua benignitate, studioque scientiae augendae tantum ductus, mihi obtulit, ut pro lubitu adhiberem et in usum opusculi verterem. — Nobil. BOHEMAN e messe sua ampla et exquisita, in alpibus partim Dowreensibus Norvegiae, 1832, partimque Dalecarlicis Lapponiae Sueciae maxime meridionalis, 1836, ab Ipso facta, 102 Lepidopterorum species insigniores mihi ad comparandas et Faunae inserendas amicissime misit. — Praecl. WESTERMANN, Hafniensis, varias animadversiones rei utiles, et haud pauca Lepidoptera Groenlandica selecta mihique antea ignota, ardore entomologiae amplificandae numquam senescente, et liberalitate Ei propria, operi lapponico contribuit. — Cel. Professor B. F. FRIES*), e museo Reg. Acad. Scient. Holmiensi varia pro re nostra illustranda annotavit et annotata nobis per litteras humaniter demandavit. — Beat. Prof. DALMAN, qui dum viveret Botniam borealem, usque ad Torneam et Haparandam proficiscens, visitabat, ibique pro insectis colligendis paullo commorabatur, multorum quidem suorum inventorum magni certe momenti me quondam participem fecit. Praecipua autem ejus detectorum, Lepidopterologiam et speciatim *Noctuas* novas spectantia, quae mors inopinata impediebat, quominus Ipse publicare posset, mihi per D. SCHÖNHERR nuper benevole fuerunt communicata; quorum etiam rationem suis locis reddidi. — D. D. Assessor DEUTSCH**) in Tornea, et Pastor SCHMALTZ in paroecia Calix

---

*) Cum hoc scribo tristissimus ille nuntius ad me pervenit, honestissimum hunc Virum, meum per septennium quondam discipulum carissimum, praematura morte, anno suae aetatis florentis 40, ab Uxore, filiis 5, Amicis innumeris et scientia, quam felicissime colebat, die 7. April. 1839 ereptum fuisse, quod oculis lacrimantibus animoque moestissimo jam notum facio.

**) Etiam indefessus hic plantarum insectorumque collector et communicator ante paucos annos e vita discessit

sic dicta inferiore, Ille Lepidopteris Lapponicis Tornensibus et Kemensibus, Hic Botnicis me donaverunt. — Ab Illustr. THUNBERG, dum vixit, multa Lepidoptera etiam Lapponica accepi, quae, adhuc bene conservata, jam ut typi hujus cel. Auctoris insectorum descriptorum consideranda, eo certiores quo nomina Ipsius digito sunt depicta. Haec vero exempla eo quoque majoris pretii esse eoque diligentius servanda existimo, quo plura insectorum specimina in collectione originaria laudati Viri tempore aut laesa aut omnino deperdita erint. — E museo Professoris FALLENI ditissimo, quod post obitum Amici numquam obliviscendi in mea potestate fuit, multa Lepidoptera septentrionalia descripsi. Praeterea varias annotationes, ibi reconditas, circa loca natalia et nomenclaturam Lepidopterorum Sueciae reliquorum, sine dubitatione operi nostro alligare potui. Insecta enim omnia in hoc museo asservata, aut a magnae famae Viro in variis Scandinaviae provinciis per quadraginta fere annos propria manu sedulo collecta, aut a *Linnaeorum* Discipulis BJERKANDER, THUNBERG, GYLLENHAL, PAYKULL, ACHARIO et O. SWARTZ cet. dono data fuerunt. Inde nomina imposita insectis, quae ibi exstant, ut authentica et fidelia citare; inde quoque synonymiam veterum auctorum Suecorum saepe implicitam et obscuram facilius extricare, potui. — Neque oblivioni relinquenda Glossata, pauca quidem sed selecta, quae Clar. FRIGELIUS sub itinere entomologico 1832, per Lapponiam Tornensem ad lacum Kilpisjaur cursum dirigens, invenit mihique suppeditavit. — Denique nos sub duobus itineribus in Lapponias Scandinavicas, et septentrionales (1821) et meridionales (1832) institutis, sub priori summum Jugum alpium bis transeuntes, usque ad Alten haud longe a Nordcap progredientes, et plures singulas alpes nivales Nordlandiae Finmarkiaeque conscendentes, plagas peragratas diligenter perscrutavimus et Macrolepidoptera Microlepidopteraque pari studio et cura conquisita reportavimus.

His subsidiis conscripta prodit *Sectio Quarta Insectorum Lapponicorum*, *Lepidoptera* continens. Immortalis a LINNE suae Faunae 51 spec. *Papiliones*, 15 *Sphinges*, 47 *Bombyces*, 74 *Noctuas*, 81 *Geometras*, 39 *Tortrices*, 13 *Pyralides*, 94 *Tineas* et 7 *Alucitas* introduxit, h. e. 421 Lepidopterorum species per totam Sueciam et Lapponiam eo tempore cognitas; nobis vero contigit species *Papilionidum* 73, *Hesperidum* 3, *Sphingidum* 7, *Sesiariarum* 5, *Zygaenidum* 2, *Bombycinarum* 34, *Noctuariarum* 73, *Phalaeniariarum* 60, *Pyralididum* 22, *Tortricidum* 54, *Teneariarum* 93 et *Pterophoridum* 4, h. e 430 species Lepidopterorum solum Lapponicorum in hanc Faunae partem recipere; ad 103 genera relatas et 12 familiis subjectas. Per totam autem Scandinaviam circiter 1120 species hujus Ordinis detectae hodie numerantur, et in hac opella nomine saltem designatae.

*Species* Lepidopterorum *novae* in nostro libro primum descriptae sequentes; e Papilionidibus: *Argynnis* arctica; *Colias* Werdandi; e Bombycinis: *Notodonta* frigida; *Orgya* obscura; *Psyche* stigmatella; e Noctuariis: *Agrotis* tetrastigma et quadrangula; *Hadena* marmorata, hilaris, alpicola, hyperborea, frigida, picticollis, Groenlandica, Lappo, quadriposita, arctica, aquilonaris, laetabilis, extricata, borealis, obliterata, labecula et Iris; *Polia* prolixa et puncticosta; *Cerastis* transfuga et diducta; *Xylina* unicolora; *Anarta* Schönherri; e Phalenariis: *Aspilates* fordidaria; *Psodos* dubitaria; *Fidonia* amnicularia et obsoletaria; *Acidalia* annotinata, bilunulata, relictata et inciliata; *Larentia* decrepitata, annosata, viridulata, intricata et angustata; *Cidaria* sparsata; *Zirene* dilacerata et integrata; e Pyralididibus: *Scopula* pinetalis, maculalis et numeralis; *Botys* ephippialis et arcticalis; *Choreutes* albipunctalis; *Hercyna* rufocrinitalis; e Tortricidibus: *Penthina* sororculana et atropunctana; *Tortrix* cinerana, vulneratana, argillaceana, boreana, porcana, brunneana, leporinana, stramineana, obsoletana, Deutschiana et pallidana; *Coccyx* posticana, decorana et circumflexana; *Eana* nebulosana et strigulosana; *Grapholitha* Dalecarliana, duplicana et geminana; *Phoxopteris* Dahlbomiana, taeniana et radiatana; *Teras* torquana et indecorana; *Conchylis* Westwoodana: e Teneariis: *Scardia* subquadrimaculella; *Lemmatophila* antiquella; *Chilo* ocellellus, furcatellus et truncatellus; *Phycis* posticella, annulatella et quadratella; *Haemylis* nubilella et collarella; *Plutella* Schmaltzella, senilella et niveella; *Lampros* Westermannella; *Lita* affiniella, elegantella, purpurella, tesserella, Friesella, roseella et lunatella; *Adela* Bohemanella, Schoenherrella, vetulella, abalienella, unimaculella, cicatricella, pilipennella, aethiopella, aeneella et crinitella; *Oecophora* zonella, passerella, coffeella et interruptella; *Elachista* lutarella et minimella; *Ornix* sternipennella et Laripennella; et *Alucita* olodactyla = 120 nov. spec.

*Varietates novae* allatae fuerunt 35.

Licet Fauna Insectorum cujuscunque regni l. terrae, certe fuerit confecta magis eo consilio, ut ostendatur quaenam species in ea regione vere obveniant, et ut facilior via illas examinandi per eandem pandetur, quam ut harum specierum diversae vitae conditiones et alia phaenomena dilucidentur; tamen notas, quae ex victu et metamorphosi desumuntur, etiam in operibus systematicis pertractandis eo minus fas puto negligere, quo sine his attendendis saepe omnis nexus naturalis abrumpitur et vix ulla datur certitudo. Cum igitur in hac Faunula pro characteribus Familiarum, Subdivisionum et Generum condendis notas primarias e partibus insecti declarati elegi, eas simul, quae ex imaginis *habitatione*, *moribus*, *volatu* cet., ut et e *larvae pupaeque statu* eliciuntur, minime omittendas existimavi, ne ut macra atque secundum meras regulas artis mechanicas et strictas immotasque formas exstructa moles prodeat liber, quem animalcula viva, nec solum crustas exsiccas et exsuccas, commemorare oportet.

Ad primam Familiam quod attinet, equidem libenter agnosco, *Papiliones hexapodes*, respectu habito ad pedes eorum, qui omnes completi sunt, in serie systematica, ut voluit meritissimus noster BOISDUVAL, anteponi potuisse *tetrapodibus*, ubi pedes primi paris spurii seu ad incessum inutiles reperiuntur; quo etiam *Papilio Machaon*, magnus et insignis, primum constituisset genus. Sed cum inter Lepidoptera non, quemadmodum inter ceteros insectorum ordines, ulli inveniuntur sic dicti *praedatores*, qui, ubi adsunt, ex multis rationibus (cfr. praefamen hujus operis p. 14) ut *primates* salutentur; et cum praeterea adhuc sub judice sit, an in *Papilionidum* familia, forma alarum *caudata* perfectior *angulata* l. *rotundata* dicatur; an color *pallidus*, *obscuro*; an *languidus*, *ardente*; an partes *robustae* et *firmae*,

*gracilibus* et *teneris*; an larva *spinosa*, *mutica*; an denique *pupa succincta* s. et ano et filo alligata, *pendula* l. ano tantum suspensa, majorem perfectionis gradum significent, mihi quoque hactenus perinde visum, an LINNAEI *Nymphales Heliconiis* antepositi fuerint; et sic annulorum seriem in centenaria catena frangere nolui. Longe interea absit ut elegantem improbarem ordinem a D. BOISDUVAL electum, quo Vir experientissimus suis *Papilionidibus* (nostris *Hexapodibus*) inter *Rhopaloceras* primum, et *Nymphalidibus Satyridibusque* (nostris *Tetrapodibus*) fere ultimum tribuit locum. Eum tantum ordinem utpote naturalem et me judice magis convenientem in dispositione servandum esse crediderim, ut *Papiliones tetrapodes* a reliquis separati proponantur, *Lycaenidesque hexapodes* parvae, larvis a ceterarum Rhopalocerarum sat dissimiles, habitu et moribus ad *Hesperides* aptiorem transitum efficientes, tamquam penultimae Lepidopterorum diurnorum describantur. Cumque inter omnes convenit formam *raram* et *singularem* non esse illam, quae typum insectorum familiae l. sectionis cujusdam optime exprimit; sed hunc typum potius in forma *maxime communi* et *vulgari*, quaeque frequentissime obtinet, quaerendum, haud quoque spernenda ratio adesse mihi videtur, *Vanessam Urticae* in capite *Papilionidum* familiae collocandi.

Vastum illud Linnaeanum genus, *Noctuam*, praeeunte excellentissimo Lepidopterologo TREITSCHKE, quem etiam in generibus sequentium familiarum condendis arcte secutus sum, in plura dividi, non quasi semper persuasus fuissem, omnia et singula horum generum, structura partium apud imagines declaratas parum discrepantia naturalia esse et essentialiter distincta; sed quo species hujus phalangis innumerae, colore et pictura saepe mire diversa, facilius citiusque inveniantur et examinentur. Fateamur quidem haec sic vocata Genera, ejusmodi notis vacillantibus superstructa, *Subdivisiones* l. *Subgenera* meliori forte jure salutari potuisse. Fateamur tamen insimul oportet, certas hujus de cetero scrupulosae familiae cohortes non solum quoad picturam, verum etiam metamorphosin, inter se sat congruentes, at cum aliis cohortibus intra eandem familiam rursus dissimiles, potius genera propria quam tantummodo species diversas prodere. Praeterea quasi magis attendimus ad formas, quae nomen et dignitatem *Generis* adeptae sunt, quam quae non nisi *Subdivisiones* l. *Subgenera* audiunt.

Cum mihi hac vice defuit optata occasio species ad *Microlepidoptera* et praecipue ad copiosissimam illam *Tinearum* catervam numeratas, quas e Lapponia mecum domum reportavi, pro libello nostro illustrandi figuris, sine quibus etiam prolixior descriptio horum minutissimorum Lepidopterorum saepe vacillat, varias harum, immo forte novas formas, sed in speciminibus haud optime conservatis exstantes, omni silentio hoc tempore praeterire melius duxi, quam ansam confusionis dare incertas et ambiguas proponendo species; e copia vero messis factae, formas colore aut pictura insigniores ut et post longam et difficilem deportationem illaesas depromsi depromtasque fideliter describere conavi. Si tamen errores evitare non potui, vel si dubias aliquando invitus attuli, id in praesenti Microlepidopterologiae statu benigne excusetur.

In determinatione magnitudinis seu adcuratius dictum *longitudinis inter alas expansas*, ad quam mensura suecana (quae pollicem in 8 lineas dividit) adhibita fuit, partes pollicis numeravi, ad lineas non anxie me adstringens. Sed non tantum hanc longitudinem, verum etiam alias notas, in charactere generis allatas, species et Lapponicas et Suecicas respicere iisque communiter saepissime adaptatas esse, observatum habere volui.

Auctores in hac Faunae parte citati, et quorum opera (paucissimorum exceptis) ipse vidi et comparavi, sequentes sunt:


AHRENS, Faun. Ins. Europ. cura GERMARI Fasc. 1—19. Halle 1812—1831.
BERGSTRAESSER, Naturgesch. der Europ. Schmett. cum fig. color. Hanau 1779.
BJERKANDER, Act. Holm. 1778, 1781 et 1785.
BILLBERG, Enumeratio Insect. in Museo suo. Stockh. 1820.
BOHEMAN, Oecophora Linneella et Roesella. Act. Holm. 1838.
BOIE, Fortegnelse over danske etc. Sommerfugle; in Naturh. Tidsskrift af Kroeyer. Kjöbenh. 1837—1838. Heft 5—6.
BOISDUVAL, Icon. des Lépidopt. d'Europ. 1—42. 1832—1838. — et Europ. Lepidopt. Index Method. Paris 1829.
BORKHAUSEN, Naturg. der Europ. Schmett. Tom. 5. Frankfurt 1788—1794.
v. CHARPENTIER, die Zünsler etc. Braunschweig 1821.
DAHLBOM, A. G., Jakttagelser oefver Skandinaviens Fjaerillar. Diss. Acad. Lund. 1836. cum Tab. — et Skandinaviska Insekters Skada och Nytta. Lund. 1837. cum Tab. 2. — Ejusdem Yponomeuta, in Act. Holm. 1835 cum fig. — Ejusdem Ypsolophus (Plutella) Fallenellus. in Act. Holm. 1835 cum fig.
DALMAN, F. W., Uppstaellning af Svenges Fjaerillar. in Act. Holm. 1816. — et Analecta Entom. Holmiae 1823.
DE GEER, Ins. Tom. 1—7. Stockh. 1752—1778.
DUPONCHEL, Hist. Nat. des Lépidopt. etc. Vol. 8. Paris 1829.
FABRICIUS, J. C., Ent. Syst. Hafniae 1793. 1794. Tom. 3. P. 1. 2. — Ejusdem Supplementum. Hafniae 1798. — Ejusdem Systema Glossat. in ILLIG. Mag. 6. p. 277. Braunschw. 1807.
FABRICIUS, OTTO, Fauna Groenlandica. Hafniae et Lipsiae 1780. (371 spec. insector.)
FISCHER EDLER v. ROESLERSTAM, Microlepidopterologie. Fasc. 1—7. cum fig. col. Leipzig.
FRIVALDSZKY, Catal. Ins., Pestini 1834.
FROELICH, Enumer. Tortric. Würtenberg. Tubingae 1828.
GERMAR, Magaz. der Entom. P. 2 et 3. Halle 1817. 1818. Vide etiam AHRENS et ZINCKEN
GUERIN Iconogr. du Règn. Anim. Paris.

HAWORTH, Lepid. Britannica. Vol. 1—4. London 1803—1828.
HÜBNER, Europ. Schmett. cum fig. col. Augsburg 1805—1824.
LASPEYRES, Sesiae Europ. cum fig. color. Berol. 1801.
LATREILLE, Gener. Crust. et Ins. Tom. 4. Paris 1809.
LEFEBURE, ALEX., in Annal. de la Soc. Entom. de France 1836. p. 384 et 395.
LINNE, Fauna Suec. Stockholm 1761. — Ejusd. Syst. Nat. Ed. 12. Holmiae 1767. T. 1. P. 2.
OCHSENHEIMER, Schmetterl. von Europa. T. 1—4. Leipzig 1807—1816. Opus continuat. a TREITSCHKE. Tom. 5—10. Leipzig 1825—1834.
PANZER, Faun. German. Fasc. 1—110. Nürnberg 1749—1823.
PAYKULL, Act. Hafn. Hist. Nat. 1793. cum fig. etiam in Act. Holm. 1785 et 1786.
QUENSEL, Beskrifning öfver Nya Svenska Fjärillar, in Act. Holm. 1791.
RAMBUR, Notice sur plus. esp. de Lépidopt. 1829.
ROESEL, Insect. Belustig. 1—4. Nürnberg 1746—1761.
ROLANDER, Pyralis (Apamea) secalis; in Act. Holm. 1752.
SCHRANK, Fauna Boica 1801. (Opus a me desiderat., secund. OCHSENH. et TREITSCH. citat.)
THUNBERG, C. P., Dissertationes Academicae Upsaliae habitae, Insecta Suecica sistentes P. 1—7. Upsaliae 1784—1794. cum fig. — Ejusdem Museum Natural. Academ. Upsal. Dissert. 1—8. Upsal. 1787—1800. cum fig. — Ejusdem Tortrices (genera Eana, Sericoris et Adela nob.), in Act .Holm. 1797. p. 168—170. cum fig.
TREITSCHKE, vid. OCHSENHEIMER.
UDDMANN, Novae Insect. Spec. Diss. Acad. Aboae 1753 cum fig.
WESTWOOD, Entomolog. Text Book. London 1838. cum fig.
Wiener Verzeichniss der Schmett. cum fig. Wien 1776.
ZETTERSTEDT, Nya Svenska Insekt-arter; in Act. Holm. 1819.
ZINCKEN genannt SOMMER, die Linneischen Tineen; in GERMAR Magaz. d. Entom. 2—4. Halle 1817—1821.

Lund in Suecia 24. April. 1839.

***J. W. Zetterstedt.***

# CONSPECTUS

## FAMILIARUM ET GENERUM LEPIDOPTERORUM LAPPONIAE.

### I. LEPIDOPTERA DIURNA.

(*Ephemerina* Billb. *Rhopalocera* Boisd.)

Antennae extrorsum plus minus incrassatae. Ocelli adsunt secundum Dalman nulli). Lingua in omnibus. Alae liberae, retinaculo nullo; in insecto quiescente saepissime erectae. *Volatus* diurnus. *Larva* pedibus 16; capite globoso a corpore manifeste distincto; *motu* tarda. *Pupa* aut angulata et nuda, aut laevis et subfolliculata; aut ano suspensa, aut filo transverso alligata. *Metamorphosis* plerumque sub dio.

#### FAM. 1. PAPILIONIDES. Latr.

Antennae basi approximatae, versus apicem saepissime subito incrassatae, clavatae, clava plerumque in formam cavi cochleatis; apice nunquam uncinatae. Palpi duo. Alae omnes in quiete erectae. Tibiae posticae tantum apice spinosae. *Larva* subdialis. *Pupa* saepissime nuda et angulata. *Papilio* veterum.

Sect. prima. *Tetrapodes*, pedibus gressoriis tantum 4 (posterioribus). *Larva* cylindrica, plerumque spinosa. *Pupa* subversa solummodo ano suspensa. *Penduli* Boisd.

A. Alae posticae areola nervorum discoidali postice aperta. *Larva* plus minus spinosa e plantis dicotyledonibus victitat. *Pupa* saepissime angulata. *Nymphalides* Boisd.

(*Limenitis**) Fabr. Latr. Dalm. Boisd. Spec. Scand. 1.)

1. Vanessa. Fabr. Latr. Boisd. *Aglais* Dalm.
2. Argynnis. Fabr. Latr. Dalm. Godart. Boisd.
3. Melitaea. Fabr. Dalm. Boisd. *Argynnis* Latr.

B. Alae posticae areola nervorum discoidali undique clausa. *Larva* inermis, saepissime pubescens; posterius attenuata, cauda furcata: subpisciformis; plantis Monocotyledonibus, scilicet gramineis vescitur. *Pupa* brevis cylindrica subgibbosa, vix angulata. *Satyrides* Boisd.

4. Satyrus. Latr. God. Boisd. Guer. *Hipparchia* Fabr. *Erebia* Dalm. *Maniola* Schrank. *Argus* Scopoli. *Arge* et *Chinobas* spec. Boisd.

*) Nomina generica specierum, quae in Suecia sed non in Lapponia inventae fuerunt, nec non synonymica, litteris cursivis intra parenthesin expressa sunt.

Sect. Secunda. *Hexapodes*, pedibus omnibus in utroque sexu gressoriis. Tarsi unguibus saepe simplicibus. Palpi triarticulati, subtus fimbriati. Alae posticae abdomen subtus canali excipientes, areola discoidali aut clausa aut aperta. *Larva* mutica e plantis Dicotyledonibus victitat. *Pupa* nuda, ano et filo per medium transverso alligata; absque maculis metallicis. *Succincti* Boisd.

A. Alae posticae areola nervorum discoidali postice clausa. *Larva* sat elongata. *Papilionides* Boisd.

5. Papilio. Fabr. Latr. Boisd. Westw. *Amaryssus* Dalm. (*Parnassius* Latr. Boisd. *Doritis* Fabr. Dalm.; Spec. Scand. 2.)
6. Pieris. Latr. Boisd. *Pontia* Fabr. *Ganoris* Dalm.
7. Ganoris. Dalm. *Leptidea* Billb. *Pieris* Latr. Boisd.
8. Colias. Latr. Boisd. Lefeb. *Goneptera* Billb. *Ganoris* Dalm. *Ganura* Schönh.

B. Alae posticae areola nervor. discoidali postice aperta. Palpi triarticulati, articulo 2do longiore, ultimo gracili saepius nudiusculo. Oculorum orbita lateralis nivea. *Larva* brevis, utrinque obtusa. *Lycaenides* Boisd. *Polyommati* Latr. *Plebeji rurales* Linn. *Zephyri* Dalm.

9. Thecla. Fabr. *Polyommatus* Latr. Boisd. *Zephyrus* (Aurotis) Dalm.
10. Lycaena. Fabr. Ochsenh. Westw. *Polyommatus* Latr. Boisd. *Lophyrus* (Heodes) Dalm.
11. Argus. Boisd. *Polyommatus* Latr. Westw. *Lycaena* Fabr. *Cupido* Schrank. *Zephyrus* (Cyaniris) Dalm.

#### FAM. 2. HESPERIDES. Latr.

(Subdiv. Rhopalocerorum *Involuti* et Tribus *Hesperidi* Boisd.)

Antennae basi late distantes, versus apicem incrassatae; clavatae, clava curvata aut apice uncinata. Palpi duo. Pedes sex; omnes gressorii. Tibiae posticae apice calcaratae et insuper spina gemina inferaque instructae. *Larva* nudiuscula, intra folia contorta plerumque degens, et *Pupa* inermis, folliculata, seu e foliis convolutis circumdata, per texturam tenuem arachnoideam alligata; utraque Nocturnorum subsimilis.

12. Hesperia. Latr. God. Dalm. Boisd. *Pamphila* et *Thymele* Fabr. *Battus* Scopol. *Erynnis* Schrk. *Adopoea* et *Hylephila* Billb. *Syrichtus* et *Thanaos* sp. Boisd. *Papilio* Auct Vet.

---

### II. LEPIDOPTERA CREPUSCULARIA.

(*Scotina* Billb. *Heterocera* ad partem Boisd.)

Antennae prismaticae aut filiformes. Palpi duo. Pedes sex completi. Ocelli rarius (forte vix nisi in Famil. *Sesiariis* et *Zygaenidibus*) adsunt. Alae subdeflexae, frenatae, sub quiete nunquam erectae; inferiores retinaculo munitae. *Volatus* vespertinus, matutinus, diurnus. *Larva* pedibus 16, subdialis; aut nuda, antice attenuata, posterius subincrassata, et plerumque cornu dorsali postice instructa, insigniter colorata et picta; aut teretiuscula, pilosa s. hirsuta; motu semper tarda. *Pupa* laevis mutica, aut in terra sepulta, nuda, aut foliis quisquiliisve circumcincta, aut rarius supra terram folliculo subsericeo inclusa.

#### FAM. 3. SPHINGIDES. Latr. Boisd.

Antennae lineares, prismaticae, apice pubescentes, maris totae nonnihil crassiores, subtus scobinaeformes. Palpi lati, breves, clypeo prominulo dense hirsuto arcte applicati, squamis brevissimis obsiti, articulo 3tio s. ultimo minutissimo. Oculi nudi. Abdomen maximum conicum. Alae anticae abdomine multo longiores, nervis longitudinalibus 7 simplicibus ad marginem alae ductis; omnes saepius angustatae, haud fimbriatae; posticae anticis multo breviores. *Larva* cylindrica, anterius subangustior, tota nuda, corpore ad latera oblique colorato-striato; cornu anali s. tuberculo instructa. *Pupa* foliis quisquiliisve alligatis involuta in terra sepulta aut humi jacens; saepissime nuda, rarius subfolliculata.

13. Dilina. Dalm. *Laothoë* Fabr. Gloss. *Smerinthus* Latr. Boisd. Ind. *Sphinx* Linn. Auctor.
14. Sphinx. Linn. Fabr. Ochsh. God. Latr. Dahlb. etc. *Spectrum* Scop. *Deilephila* Boisd. Steph.
15. Macroglossa. Ochsh. Boisd. Steph. *Macroglossum* Scop.

***Sesia*** FABR. Gloss. WESTW. ***Hemaris*** DALM. ***Sphinx*** LINN. God. Auct.

FAM. 4. SESIARIAE. BOISD.

(*Zygaenidum* genera LATR. DALM.)

Antennae sublineares, extrorsum sensim nonnihil crassiores, apice acuminato, distincte floccido. Palpi teretiusculi, dissiti, ultra frontem assurgentes, pilosi, saltem subtus; articulo ultimo elongato, praecedente tantum paullulum breviori. Frons (clypeus) rotundata, pilosa aut squamosa. Ocelli 2 distincti supra oculos. Abdomen cylindrico-conicum. Alae longitudine abdominis incumbentes, angustatae, brevissime fimbriatae, (in nostris) pellucidae; posticae anticis multo breviores, area discoidali vix ulla. *Volatus* saepissime diurnus. Tibiae posticae distincte bicalcaratae. Omnes insecti partes valde fragiles. *Larva* vermiformis, nudiuscula l. pilis tenuiter et parce obsita, in plantarum caulibus radicibusque degens, ibi folliculum ex eorumdem vegetabilium detrimento pulveroso conficit; mandibulis sat validis. *Pupa* margine annulorum aspera. Generationem tantum unicam quotannem et pupam hybernantem assumunt Observatores.

16. Sesia. LATR. FABR. Ent. Syst. LASP. OCHSH. DALM. GOD. BOISD. ***Trochilium*** SCOPOL. STEPH. ***Aegeria*** FABR. Gloss. ***Sphinx*** LINN. HÜBN.

FAM. 5. ZYGAENIDES. BOISD.

(*Zygaenidum* genera LATR. DALM. Pleraeque *Sphingides adscitae* Veterum.)

Antennae extrorsum sensim nonnihil crassiores, aut simplices aut bipectinatae, apice semper subattenuato, imberbi. Palpi breves cylindrici, pilosi aut squamati, articulo 3tio distincte interdum nudo. Lingua spiralis conspicua tenuis, corpore brevior. Frons rotundata, pilosa aut squamata. Ocelli 2 distincti. Oculi mediocres nudi. Abdomen subcylindricum crassum. Alae deflexae incumbentes, anticae seu superae elongatae, saepe angustatae; posticae seu inferae anticis multo breviores, in quiete non plicatae. Area discoidalis manifesta. *Volatus* diurnus, meridianus. Pedes mediocres, tibiis breviter bicalcaratis. *Larva* subdialis contracta, tenuiter villosa aut pubescens, capite retractili; tarda. *Pupa* folliculata.

17. Zygaena. FABR. LATR. OCHSH. GOD. DALM. BOISD. ***Sphinx*** LINN. ESPER. HÜBN. ***Anthrocera*** SCOP. STEPH.

18. Aglaope. LATR. DALM. ***Procris**** FABR. Gloss. LATR. GOD. BOISD. ***Atychia*** OCHS. ***Ino*** STEPH. LEACH. ***Zygaena*** FABR. Ent. Syst. PANZ. ***Sphinx*** LINN. et Veter.

**III. LEPIDOPTERA DIURNO-NOCTURNA.**

(*Nycterina* BILLB. *Phalaenae* LINN. *Heterocera* ad partem BOISD.)

Antennae setaceae. Palpi duo, aut quatuor et tunc 2 spurii (pseudopalpi). Alae saepissime indivisae, rarius fissae, semper subhorizontales aut deflexae, frenatae, numquam sub quiete erectae; posticae s. inferiores retinaculo munitae. Pedes sex completi. *Volatus* illis nocturnus, his diurnus. *Larva* pedibus 10—16. *Pupa* saepissime laevis, plerumque folliculata.

*) *Procris* etiam nomen plantae generis (cfr. WILLD. Spec. Plant. 4. p. 344. 1661.).

Tribus 1. *Atomoptera*: alis indivisis.

FAM. 6. BOMBYCINAE.

(*Bombycites* et *Noctuo-Bombycites* LATR. *Chelonarii, Psychidae, Bombycini, Zeuzeridi, Pseudo-Bombycini, Noctuo-Bombycini, Bombycoidi* etc. BOISD. Ind. — Suecis: *Silkesspinnare*.)

Antennae, maris saltem, saepe pectinatae aut ciliatae. Lingua aut nulla aut brevis submembranacea. Palpi breves, hirsuti aut nudiusculi. Alae latae aut angustatae. *Larva* saepissime hirsuta, plantas, e quibus victitat, vix contorquens; pedibus 14—16 instructa.

Manipulus 1. Corpus imaginum plus minus hirsutum, saepissime crassiusculum, in *Callimorpha* et *Philea* parum hirsutum parumque crassum.

Sectio prima. Antennae aut brevissimae subfiliformes, aut mediocres setaceae, una serie pectinatae. ***Larva*** nuda intra plantarum caules l. radices degens. ***Pupa*** segmentorum abdominalium marginibus denticulatis. ***Hepialites*** LATR. ***Zeuzeridum*** gen. BOISD.

19. Hepialus. FABR. LATR. ***Hepiolus*** OCHS. ***Noctua*** LINN. ***Bombyx*** HÜBN. ***Aegoliae*** spec. BILLB.
***Cossus*** FABR. OCHSH. LATR. ***Bombyx*** LINN. (Spec. Scand. 2.)

Sectio secunda. Antennae mediocres setaceae; aut bipectinatae saltem in mare, aut in utroque sexu subsimplices. ***Larva*** saepissime hirsuta, subdialis. ***Pupa*** segmentis abdominalibus edentulis.

*Subdiv.* 1. Corpus lanuginosum. Pedes (saltem femoribus) hirti.

20. Saturnia. SCHRANK. OCHSH. ***Bombyx*** LINN. FABR. HÜBN. LATR.

21. Endromis. OCHS. ***Bombyx*** LINN. FABR. HÜBN. ***Nyctaon*** DALM. BILLB.

22. Harpyia. OCHSH. ***Bombyx*** LINN. et Auct. Vet. ***Cerura*** SCHRANK. LATR. ***Dicranura*** BOISD. Ind. ***Pania*** DALM.

*Obs.* Gen. *Platypterix* in Fam. Noctuariarum describitur.

23. Notodonta. OCHS. BOISD. Ind. DAHLB. SCHÖNH. ***Bombyx*** LINN. et Auct. Vet.

24. Pygaera. OCHS. BOISD. Ind. DAHLB. ***Laria*** SCHRANK. LATR. ***Sericaria*** LATR. ***Bombyx*** LINN. et Auct. Vet.

25. Bombyx. LINN. et Auct. Vet. BOISD. Ind. ***Lasiocampa*** SCHRANK. BOISD. ***Gastropacha*** OCHS. DAHLB. ***Phyllomae*** spec. BILLB.

26. Orgya. OCHS. BOISD. Ind. et Icon. ***Laria*** SCHRK. LATR. ***Bombyx*** LINN. FABR. Auct.

27. Liparis. OCHS. BOISD. Ind. DAHLB. ***Laria*** SCHRK. ***Bombyx*** LINN. et Auctor.

27. Psyche. SCHRK. OCHS. BOISD. Ind. ***Tinea*** HÜBN. ***Nyssiae*** spec. LEFEB. ***Bombyx*** LINN. et Auct.

29. Cheilonia. GOD. LATR. BOISD. Ind. ***Euprepia*** OCHS. DAHLB. ***Arctia*** SCHRK. LATR. ***Bombyx*** LINN. et Auct.

*Subdiv.* 2. Corpus et pedes haud lanuginosa, squamis depressis vestita. Calcaria in tibiis posticis evidentiora.

30. Callimorpha. LATR. BOISD. Ind. et Icon. ***Noctua*** LINN. ***Bombyx*** FABR. ***Euprepia*** OCHS.

31. Philea. DALM. ***Euchelia*** BOISD. Ind. ***Callimorpha*** LATR. ***Tinea*** LINN. ***Bombyx*** HÜBN. ***Lithosia*** OCHS. BOISD. Ind. ***Setina*** SCHRANK.

Manipulus 2. Corpus imaginum nudiusculum, semper gracile.

(***Emydia*** BOISD. ***Lithosiae*** spec. LATR.; — Spec. Scand. 2.)

32. Lithosia. FABR. Suppl. LATR. OCHS. BOISD. Ind. ***Noctua*** LINN. PANZ. ***Bombyx*** HÜBN. ***Setina*** SCHRANK.

(***Amalea*** DALM. ***Nudaria*** BOISD. Icon. ***Lithosia*** OCHS. BOISD. Ind. ***Tortrix*** LINN. ***Bombyx*** FABR. HÜBN. PANZ. — Spec. Scand. 2.)

FAM. 7. NOCTUARIAE.

(*Noctuaelites* LATR. *Noctuaedes* BILLB. — Suecis: *Nattfly*. Germ.: *Eulen*.)

Antennae in utroque sexu simplices, interdum in mare ciliatae aut subpectinatae. Lingua conspicua plerumque longissima, duriuscula. Palpi duo, illorum articulo secundo saepius magno compresso. Thorax crassus, raro laevis, plerumque cristatus. Alae textura firmiori, incumbentes, aut horizontales aut saepissime deflexae, numquam convolutae, nec superiorum costa dilatata. In medio alae prope costam maculae duae (subcentrales l. subcostales nuncupandae) plerumque adsunt et perspicuae, anterior rotundata, posterior ut plurimum reniformis, quae *ordinariae* dicuntur. *Larva*, pedibus saepissime 16; plantas, quibus vescitur, non contorquens. Imagines plurimarum vespertinae aut nocturnae.

33. Acronycta. OCHS. ***Apatela*** HÜBN. ***Bombyx*** et ***Noctua*** Auct.

(*Diphthera* Treits. *Noctua* Auct. — Sp. Sc. 2.)
(*Bryophila* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 3.)

34. Cymatophora. Treits. *Tethea* Ochs. *Noctua* Auct.
35. Episema. Ochsh. Treitschk. Dahlb. *Bombyx* et *Noctua* Auctor.
36. Agrotis. Ochsh. Treitschk. Dahlb. *Noctua* Auct.
37. Noctua. Linn. et omnium Auct.
38. Triphaena. Ochsh. Treits. *Noctua* Auct.
39. Amphipyra. Ochs. Treits. *Noctua* Auct.
    (*Mania* Treits. *Mormo* Ochs. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 1.)
40. Hadena. Schrank. Ochsh. Treits. *Hada* Billb. *Heliophobus* Boisd. *Noctua* Auct.
    (*Phlogophora* Treits. *Hadena* Ochs. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 2.)
    (*Miselia* Treits. Boisd. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 6.)
41. Polia. Ochs. Treits. *Noctua* Auct.
42. Trachea. Treits. *Ilarus* Boisd. *Noctua* Auct.
43. Apamea. Ochs. Treits. *Noctua* Auct.
44. Mamestra. Ochsh. Treits. Dahlb. *Noctua* Auct.
    (*Thyatira* Ochs. Treits. *Noctua* Auctor. — Sp. Scand. 1.)
    (*Calpe* Treits. *Calyptra* Ochs. *Bombyx* Auct. — Spec. Scand. 1.)
    (*Mythimna* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 5.)
45. Orthosia. Ochs. Treits. *Noctua* Auct.
    (*Caradrina* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 5.)
    (*Leucania* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 2.)
    (*Nonagria* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 1.)
    (*Gortyna* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 2.)
    (*Xanthia* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 13.)
    (*Cosmia* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 1.)
46. Cerastis. Ochs. Treits. *Noctua* Auct.
47. Xylina. Ochs. Treits. *Noctua* Auct.
    (*Cucullia* Ochs. Treits. Boisd. Dup. Rambur. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 8.)
    (*Abrostola* Ochs. Treits. *Plusiae* spec. Treits. *Noctua* et *Bombyx* Auct. — Sp. Sc. 3.)
48. Plusia. Ochs. Treits. Dahlb. *Noctua* Auct.
49. Anarta. Ochs. Treits. Lefeb. *Noctua* Auct.
    (*Heliothis* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 1.)
    (*Acontia* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 1.)
    (*Erastina* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 2.)
    (*Anthophila* °) Ochsh. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 1.)
    (*Ophiusa* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 1.)
    (*Catocala* Ochs. Treits. *Noctua* Auct. — Spec. Scand. 5.)
50. Brephos. Ochs. Treits. *Noctua* Auct.
51. Platypterix. Ochs. Treits. Lasp. *Drepania* Schrank. *Bombyx* et *Geometra* Auct.

## FAM. 8. PHALAENARIAE.

(*Phalaenites* Latr. *Phalaenaedes* Billb. *Geometrae* Linn. — Suecis: *Maetare*; German.: *Spanner*.)

Antennae basi subapproximatae, totae aut pectinatae (♂), aut ciliatae (♂), aut simplices (♂♀). Lingua aut nulla aut saepe brevis et fere membranacea. Palpi duo breves teretiusculi. Thorax laevis, nec cristatus. Corpus saepius gracile, elongatum. Alae, textura molliori teneri, plerumque subhorizontaliter patentes, inferiores s. posticas aut plerumque ad partem, aut rarius penitus, tegentes, hae ad marginem internum vix plicatae; omnes microscopice et nitide pulverulentae. Alarum anticarum maculae duae ordinariae s. subcentrales, in Noctuariis manifestae, in Phalaenariis deficientes. Pedes graciles, femoribus raro hirsutis. *Larva* saepius glabra, valde elongata cylindrica ramuliformis aut vermiformis, pedibus plerumque tantum 10, raro 12, scilicet 2 l. 3 paribus pedum intermediorum s. ventralium deficientibus. Incessus inde geometricus. Plantas, quibus vescitur, non aut raro contorquens. *Pupa* haud folliculata; filis paucioribus plerumque alligata. *Imagines* plurimarum diurnae.

52. Ennomos. Wien. Verz. Treits. *Bombyx* et *Geometra* Auct.

°) Nomen etiam *Dipterorum* generis in Famil. Muscidum.

    (*Acaena* Treits. *Geometra* Auct. — Sp. Sc. 1.)
    (*Ellopia* Wien. Verz. Treits. *Geometra* Auctor. — Spec. Scand. 2.)
53. Geometra. Auctor.
54. Aspilates. Wien. Verz. Treits. *Geometra* Auct.
    (*Crocallis* Treits. *Geometra* Auct. — Sp. Sc. 2.)
55. Gnophos. Wien. Verz. Treits. *Geometra* Auct.
56. Boarmia. Wien. Verz. Treits. *Geometra* Auct.
    (*Amphidasis* Wien. Verz. Treits. *Nyssia* Lefeb. *Geometra* Auct. — Sp. Scand. 5.)
57. Psodos. Treits. *Geometra* Auct.
58. Fidonia. Wien. Verz. Treits. *Geometra* Auct.
    (*Chesias* Treits. *Geometra* Auct. — Sp. Sc. 3.)
59. Cabera. Wien. Verz. Treits. *Geometra* Auct.
60. Acidalia. Wien. Verz. Treits. Dahlb. *Geometra* Auct.
61. Larentia. Wien. Verz. Treits. *Geometra* Auct.
62. Cidaria. Wien. Verz. Treits. *Geometra* Auct.
63. Zerene. Wien. Verz. Treits. Dahlb. *Geometra* Auct.
    (*Minoa* Wien. Verzeichn. Treits. *Geometra* Auctor. — Spec. Scand. 2.)
64. Idaea. Wien. Verz. Treits. *Geometra* Auct.

## FAM. 9. PYRALIDIDES. Billb.

(*Pyralitum* genera Latr. *Pyralides* Linn. — Suecis: *Mott*; German.: *Zünsler*.)

Antennae setaceae. Palpi saepe insignes. Lingua plerisque distincta. Corpus gracile. Alae tenues trigonae subhorizontales, in quiete triangulum elongatum subplanum formantes. Pedes postici elongati, longe spinosi. *Differentia sexus*; *mas:* ano saepissime penicillatim barbato, antennis interdum breviter pectinatis aut ciliatis; *femina:* ano acutiori, piloso, antennis simplicibus. *Larva* parva, fusiformis, nitida subnuda agilis, pedibus 16 aut 14, plerumque verruculata et pilosula. *Metamorphosis* supra terram. *Pupa* folliculata, laevis.

65. Herminia. Latr. Treits. *Phalaena* et *Crambus* Fabr. *Polypogon* °) Schrank. *Pyralis* Linn. et Auct.
66. Hypena. Schrank. Treits. *Crambus* Fabr. *Pyralis* Linn.
67. Pyralis. Linn. Schrank. Treits. Hübn. *Crambus* Fabr. *Aglossa* Latr.
68. Scopula. Schrank. Treits. *Phalaena* Fabr. *Pyralis* Auct.
69. Botys. Latr. Treits. *Phalaena* et *Pyralis* Auct.

°) *Polypogon* est quoque plantae genus inter Gramineas, a Desfont. jam 1800 impositum.

70. Nymphula. SCHRANK. TREITS. *Botys* LATR. *Phalaena* FABR. *Geometra* et *Pyralis* Auct.
71. Asopia. TREITS. DAHLB. *Agrotera* SCHRANK. *Phalaena* FABR. *Pyralis* LINN. HÜBN. *Tortricis* spec. HÜBN.
72. Choreutes. HÜBN. TREITS. *Asopia* TREITS. *Phalaena* FABR. *Pyralis* LINN. HÜBN. *Tebenna* BILLB.
73. Pyrausta. SCHRANK. TREITS. *Phalaena* FABR. *Pyralis* LINN. HÜBN.
74. Hercyna. TREITS. *Phalaena* et *Crambus* FABR. *Pyralis* HÜBN. *Tinea* LINN.
75. Ennychia. TREITS. *Phalaena* FABR. *Pyralis* HÜBN. *Geometrae* spec. LINN.

## FAM. 10. TORTRICIDES.

(*Pyralitum* genera LATR. *Tortrices* LINN. RÉAUM. Suecis: *Bladvicklare*; German.: *Blattwickler*; Gallic.: *Chenilles plieuses.*)

Antennae setaceae microscopice pilosiusculae. Palpi duo. Corpus brevinsculum, proportione magnitudinis paullo robustius quam in familia Pyralididum. Alae anticae planae s. subpatulae, prope radicem subito dilatatae, costa subarcuata, ut in *Eana*, *Grapholitha* et *Phoxoptere* augustatae; apice saepe prominulo, margine postico obtuse subtruncato s. subexciso (in *Coccyce*, *Sericore* et *Conchyle* alae quoque parum dilatatae). In quiete alae omnes subdeflexae, anticae fere conniventes, raro ad partem incumbentes; posticae plicatae. Pedes postici minus elongati. *Larva* vix pilosula, saepe agilis, pedibus 16, intra folium contortum latitat, sed sollicitata filo pendens sese celeriter demittit. *Metamorphosis* supra terram peragitur. *Pupa* oblonga tenera mobilis, in eodem domicilio, ubi in statu larvae degit, manet usque ad declarationem imaginis. *Differentia sexus* interdum in diverso colore, saepe in magnitudine *maris* minore, semper in structura abdominis, hoc scilicet *feminae* crassiori atque acutiori, quaerenda.

76. Halias. Wien. Verz. TREITS. *Bena* BILLB. *Pyralis* FABR. *Tortrix* LINN. et Auct.
77. Penthina. TREITS. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN. *Tinea* LINN.
78. Tortrix. LINN. HÜBN. TREITS. et Auct. *Pyralis* FABR.
79. Coccyx. TREITS. *Tinea* LINN. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN.
80. Sericoris. TREITS. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN. et Auct.
(*Aspis* TREITS. *Pyralis* FABR. *Tortrix* LINN. et Auct. — Spec. Sc. 1.)
81. Carpocapsa. TREITS. DAHLB. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN. *Tinea* et *Tortrix* LINN.
82. Eana. BILLB. *Sciaphila* TREITS. (sed nomen rejiciendum utpote nimium consonans cum vetere genere Tipulariarum *Sciophila*). *Pyralis* FABR. *Tortrix* LINN. HÜBN.
(*Paedisca* TREITS. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜB. LINN. *Tinea* LINN. — Spec. Scand. 13.)
83. Grapholitha. TREITS. *Palla* BILLB. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN. *Tinea* LINN.
84. Phoxopterix. TREITS. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN. *Tinea* LINN.
85. Teras. TREITS. FISCHER. *Pyralis* FABR. *Tortrix* LINN. HÜBN.
86. Conchylis. *Cochylis* TREITS. *Aethes* BILLB. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN. THUNB.

## FAM. 11. TINEARIAE.

(*Pyralitum* genera LATR. *Tineaedes* BILLB. *Tineae* LINN. — Suecis: *Mal*; Germanis: *Schaben*).

Antennae tenuissimae, setaceae, rarissime pennatae. Palpi quatuor inaequales, horum 2 superiores minores (pseudopalpi ZINCK.). Frons lata, convexa. Abdomen gracile. Alae anticae elongatae angustatae subparallelae; posticae breves, longe fimbriatae, latiusculae, plerumque circa corpus fere in cylindrum convolutae; (in *Tinea* alae posticae angustae, in *Elachista* et *Ornice* angustissimae). Pedes elongati, spinulosi. *Volatus* inquietus, celer, interruptus. *Larva* verruculosa, pilis solitariis vestita, pedibus normaliter 16, sub dio aut in domibus hominum degit, libenter occultata, aut rite tecta aut intra plantarum folia et caules latitans s. in vestimentis, pellibus, suppellectilibus, cerealibus etc. imbuta, ea corrodens, destruens; metamorphosin eodem loco subiens. *Pupa* elongata, tenuis, laevis, vivax. *Differentia sexus* vix nisi in abdominis structura pariter ac in Tortricidum Familia quaerenda.

87. Scardia. TREITS. *Phycis* OCHS. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. THUNB. et Auct.
88. Tinea. LINN. Auct.
89. Lemmatophila. TREITS. *Pyralis* et *Crambus* FABR. *Tortrix* HÜBN. *Tinea* FABR. HÜBN. LINN.
(*Galleria* FABR. LATR. TREITS. GERMAR et ZINCKEN. *Tinea* LINN. et Auct. — Sp. Sc. 2.)
90. Chilo. GERM. et ZINCK. TREITS. FISCHER. *Lithosia*, *Crambus* et *Tinea* FABR. *Tinea* LINN. HÜBN. THUNB. *Boieae* sp. nob.
91. Phycis. FABR. GERM. et ZINCK. *Tinea*, *Crambus* FABR. *Tinea* LINN. HÜBN. v. CHARPENT.
(*Lispe**) TREITS. *Bombyx* FABR. *Tinea* HÜB. — Spec. Scand. 1.)
(*Yponomeuta* LATR. TRTS. *Alucita* FABR. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. DAHLB. cet. — Spec. Scand. 6.)
92. Haemylis. TREITS. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. THUNB. DAHLB. cet. *Pyralis* FABR. *Tortrix* LINN.
(*Hypsolopha* TREITS. *Alucita* FABR. *Tortrix* THUNB. *Tinea* LINN. HÜBN. — Sp. Sc. 2.)
93. Rhinosia. TREITS. *Tinea* FABR. HÜBN.
94. Plutella. TREITS. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. *Alucita* FABR. *Ypsolophus* FABR. DAHLB.
95. Harpipterix. HÜBN. TREITS. *Tinea* LINN. HÜBN. *Alucita* FABR. *Ypsolophus* FABR.
96. Palpula. TREITS. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. *Crambus* FABR.
97. Lampros. TREITS. *Tragocera* BILLB. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. *Tortrix* LINN. HÜBN. *Alucita* et *Pyralis* FABR.
(*Aechmia* TREITS. *Tinea* FABR. HÜBN. — Spec. Scand. 1.)
98. Lita. TREITS. FISCHER. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. Auct.
(*Butalis* TTEITS. *Tinea* FABR. HÜBN. — Spec. Scand. 1.)
99. Adela. LATR. TREITS. WESTWOOD. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. Auct. *Alucita* FABR.
100. Oecophora. LATR. TREITS. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. Auct. *Alucita* et *Ypsolophus* FABR.
101. Elachista. TREITS. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. Auct.
102. Ornix. TREITS. *Tinea* HÜBN. CHARPENT.

Tribus 2. *Dichoptera*: alis omnibus aut saltem duabus in plumulas fissis.

## FAM. 12. PTEROPHORIDES.

(*Pterophorites* LATR. *Alucitaedes* BILLB. *Alucitae* LINN. *Pterophori* GEOFFR. FABR. — Suecis: *Fjaedermott*; Germanis: *Geistchen*).

Antennae setaceae. Palpi duo, longitudine capitis aut illo longiores. Corpus saepe elongatum gracillimum. Alae horizontaliter patentes, (in nostris) fere usque ad basin partitae, plumulosae. Pedes longissimi, spinosi. *Volatus* velox, gracilis, fluctuans, brevis. *Larva* pedibus 16, parva, lata, tarda, pilosa, in *Orneode* nuda. *Pupa* aut nuda, colorata, filis suspensa, plerumque sub pagina inferiori folii fixa, verticalis; aut in *Orneode* folliculo tenui inclusa.

103. Alucita. LINN. TREITS. HÜBN. Auct. *Pterophorus* FABR.
(*Orneodes* LATR. TREITS. GUER. *Alucita* LINN. HÜBN. Auct. *Pterophorus* FABR. — Sp. Sc. 1.)

*) Nomen tamen mutandum, quia jam in Dipterorum Ordine receptum et usitatum.

# ORDO VI. LEPIDOPTERA.*)

## FAM. I. PAPILIONIDES. LATR.

### 1. Vanessa. FABR. Gloss. secund. ILLIG. Mag. 6. p. 281. gen. 12.

BOISD. Ic. Lep. p. 121. *Cynthia* FABR. *Aglais* DALM. *Nymphalis* LATR. *Papilio* LINN. et Auct. Vet.

In hoc Ordine magna. Antennarum capitulum oblongum cylindricum, apice albidum. Palpi elongati pilosi, ad apicem subconniventes. Oculi hirti. Alae denticulatae subangulatae. *Color* supra vivax ardens saepissime variegatus, subtus obscure marmoratus. *Volatus* celer velificans. *Habitatio* in pratis et nemoribus; per partem sylvaticam Lapponiae, rarius inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* vix nisi in abdomine *maris* angustiore, *feminae* crassiore quaerenda. *Larva* verticillato-spinosa, segmento 1mo et ano inermibus; interdum gregaria; victitat herbis, saepe Urtica. Pupa angulata, antice bimucronata, dorso dentata; maculis aureis aut argenteis ornata. In pupae statu per 14 — 20 dies degit. Spec. Scand. 7, inter quas *Var. Jo* et *Polychloros* Sueciae Gottlandicae numerantur).

*Subdiv.* 1. Alis elongatis.

**1. V. Antiopa:** alis castaneo-nigris, supra serie intramarginali ocellorum caerulescentium, limbo utrinque maculisque costalibus ad apicem 2, albis. ♂♀. (Longit. alar. expansar. $2\frac{3}{4}$ — 3 pollic. mensur. Suecan.)

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1056. HÜBN. Pap. T. 16. f. 79. 80. ♀. OCHSH. Schmett. l. I. p. 110. 4, ubi cetera synonyma videantur. *Aglais* DALM. Papil. Suec. Act. Holm. 1816. 64. 2.

Hab. in Lapponiae sylvis passim; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis frequentius, D. KOLSTROEM. Larva nigricans in Salice et Betula hospitatur; pupa brunnescens. (Lapp.-Botnia borealis ad Luleå 2. Maj. freq.; Botnia occident. ad Bure, Lefvar etc. — Uplandia-Gottlandia-Ostrogothia Maj. — Aug. freq.-Scania rar.)

**2. V. Urticae:** alis supra fulvis, limbo, posticarum basi late, anticarum maculis 3 discoidalibus subpunctiformibus, et 3 costalibus apicali albo-terminata, nigris. ♂♀. (Long. al. exp. 2 — $2\frac{1}{4}$ poll.)

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1058. OCHS. Schmett. l. 1. 120. 8. HÜBN. Pap. T. 18. f. 87. 88. ♂. *Aglais* DALM. Pap. Sv. 65. 4.

Hab. in florib. pratensib. per partem sylvaticam Lapponiarum omnium haud raro; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae, et ad Giebostad nec non ad Alten prope NordCap, 1 Jul. — 6. Aug. capta. Larva notissima, obscura, in Urtica gregatim hospitatur. Imagines in terris arcticis vix umquam hibernant. Alarum series intramarginalis punctorum caerulescentium supra in alis posticis praesertim conspicua. (Lappon.-Scania vulgatissim.)

*) Quoad seriem systematicam, in qua Ordines Insectorum in hac Fauna describuntur, conferantur quae pag. 325. 326. hujus operis dicta sunt.

**3. V. C, album:** alis eroso-angulatis, supra fulvis, limbo maculisque fusco-brunneis, posticis subtus C, albo notatis. ♂♀. (Long. al. exp. 2 poll.)

*Aglais* DALM. Pap. Sv. 65. 5. *Papilio* LINN. Fn. 1059. OCHS. Schmett. l. I. 125. 10. HÜBN. Pap. T. 19. f. 92. 93. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime. Larva in Humulo, Ribe, Urtica cet. hospitatur. (Lappon.-Scania freq.)

*Subdiv.* 2. Alis posticis dentatis, vix angulatis.

**4. V. Atalanta:** alis supra nigris, anticis apice albo-maculatis, fascia media obliqua, posticisque margine apicali fulvo-rubris. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{3}$ poll.)

*Papilio* LINN. Fn. 1069. OCHS. Schmett. l. 1. 104. 2. HÜBN. Pap. T. 15. f. 75. 76. ♀. *Aglais* DALM. Pap. Sv. 65. 6.

Hab. in nemoribus Lapponiae rarius. Larva jam flavescenti viridis, jam brunneo-rufa, carnea aut nigricans in Urtica hospitatur. Pupa brunnea aut cinerea. Imaginum alae anticae utrinque subsimiliter pictae, posticae subtus marmoratae. (Lapp.-Uplandia-Gottlandia Scan. freq. Maj. - Sept.)

**5. V. Cardui:** alis supra pallide roseo-luteis fusco-maculatis, anticis apice late nigricante albo-maculato, posticis subtus marmoratis, ocellisque 4. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{2}$ poll.)

*Papilio* LINN. Fn. 1054. OCHS. Schmett. l. 1. 102. 1. HÜBN. Pap. T. 15. f. 73. 74. ♂. *Aglais* DALM. Pap. Sv. 65. 7.

Hab. in Lappon. passim rarius. Larva fusca aut cinerascens, flavo-strigosa in Carduo et Urtica solitarie hospitatur sub folio latitans. Pupa cinerascens aut laete brunnea. (Lapp.-Botnia boreal. ad Calix — Gottland.-Scan. pass.)

*Obs. Limenitis Populi:* alis dentatis supra fuscis albo-fasciatis maculatisque; subtus luteis albo-fasciatis: maculis caerulescentibus (maximae); in Sueciae inferioris Populetis passim occurrit; in Lapponia mihi non obvia.

### 2. Argynnis. FABR. Gloss.

DALM. LATR. BOISD. Ic. p. 94. *Papilio* Auctor.

Magna aut media. Antennarum clava brevis suborbiculata, in formam cochlearis excavata, apice lutea. Palpi pilosissimi capite longiores, apice nonnihil divaricati. Oculi nudi. Alae leviter denticulatae. Pedes tenues. *Color* fulvus, alis supra maculis strigisque nigris, posticis subtus plerumque maculis strigisve argenteis. *Volatus* celer, celerrimus, alacer. *Habitatio* in pratis, saepe paludosis, per partem sylvaticam Lapponiae, et inferalpinam Norvegiae. *Larva* ramoso-spinosa, segmento 1mo bispinoso, herbis humilioribus victitat. *Pupa* angulata, antice bituberculata, dorso impressa, maculis aureis aut argenteis ornata. In statu pupae circiter 14 — 20 dies degit. *Differentia sexus; mas:* abdomine angustato, ano subbarbato, pedibus anticis dense pilosis; *femina:* abdomine crassiori, ano vix barbato, pedibus anticis tenuiter pilosis. (Spec. Scand. 18, omnes Faunae Lappon. communes.)

*Subdiv.* 1. Majores.

**1. A. Paphia:** alis fulvis nigro-maculatis, posticis subtus pallide virescentibus, fasciis obliquis subinterruptis argenteis. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{2}$—3 poll.)

*Mas:* alis colore fulvo intensiore, anticis nervis 4 inferioribus in medio crassioribus.

*Fem.:* alis colore fulvo languescente, anticis nervis omnibus aequaliter crassis.

DALM. Pap. Sv. 66. 1. *Papilio* LINN. Fn. 1064. OCHS. Schm. I. 1. 96. 16. HÜBN. Pap. T. 14. f. 69. 70. ♀.

Hab. in Lapponiae lucis rarius. Larva obscure brunnea linea dorsali gemina flava, hospitatur in Viola, Urtica cet. (Lapp.-Scan. pass. freq.)

**2. A. Aglaia:** alis fulvis nigro-maculatis, posticis subtus pallide virescentibus maculis 21 argenteis. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{3}$ poll.)

DALM. Pap. Sv. 66. 2. LINN. Fn. 1065. OCHS. Schm. I. 1. 91. 15. HÜBN. T. 13. f. 65. 66. ♀.

Hab. cum priori in Lapponia rarius, ad Kiblangi Lappon. Tornensis 21. Aug. frequentiorem vidi. Larva nigricans, linea dorsali flava maculisque lateralibus ferrugineis. Pupa rubro-brunnea. (Lappon.-Scania freq.)

**3. A. Adippe:** alis fulvis nigro-maculatis, posticis subtus virescenti-flavis maculis argenteis (s. flavis) ocellisque ferrugineis argenteo-pupillatis. (Long. al. exp. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{3}$ poll.)

*Mas:* alis anticis nervis 2 et 3 in medio incrassatis.

*Fem.:* alis anticis nervis omnibus aequalibus.

DALM. Pap. Sv. 67. 3. ♂♀. *Papilio* LINN. Fn. Sv. 1066. (lapsu calam. *P. Cydippe*). OCHS. Schm. I. 1. 88. 14. HÜBN. Pap. T. 12. f. 63. 64. ♂.

Hab. in Lapponia rarius. Larva brunneo-grisea linea dorsali interrupta albida. Pupa brunneo-grisea maculis caerulescentibus aut argenteis. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. A. Niobe:** alis fulvis, basi maculis nigris, posticis subtus ferrugineo-variegatis maculis argenteis aut flavis ocellisque ferrugineis argenteo-pupillatis. ♂♀. (Long. al. exp. 2—$2\frac{1}{3}$ poll.)

*Mas:* alis anticis nervis 2do et 3tio vix l. parum incrassatis.

*Fem.:* alis anticis nervis omnibus omnino simplicibus.

DALM. Pap. 67. 4. ♂♀. *Papilio* LINN. Fn. Sv. 1067. OCHS. Schm. I. 1. 83. 13. (excl. syn. *P. Adippe* LINN.) HÜBN. Pap. T. 12. f. 61. 62. ♂.

Hab. cum prioribus in Lapponia rarius. (Lappon.-Scan. freq. In alpib. Eur. merid. Jul. BOISD. Cat.)

Simillima priori, a qua tamen magnitudine paullo minori, alis supra basi obscurioribus, posticis subtus multo magis variegatis maculis plerumque flavis (raro argenteis) magis condensatis, ut et alarum nervis in utroque sexu simplicibus certe differt.

**5. A. Latonia:** alis fulvis nigro-maculatis; posticis subtus maculis pure argenteis magnis, punctis ejusdem coloris interpositis, fasciaque sinuata ex ocellis ferrugineis argenteo-pupillatis. (Long. al. exp. $1\frac{7}{8}$—2 poll.)

DALM. Pap. Sv. 69. 5. *Papilio* LINN. Fn. Sv. 1068. OCHS. Schm. 1. 80. 12. *P. Lathona* HÜBN. Pap. T. 11. f. 59. 60. ♀.

Hab. in Lapponiae pratis rarius. Larva brunnescenti-grisea striga dorsali albida, lineis 2 lateralibus incisurisque, brunneo-flavis. Pupa obscure brunnea varie picta. (Lapp.-Scan. freq., Dania vulgaris D. BOIE.)

*Subdiv.* 2. Minores.

**6. A. Aphirape:** alis fulvis nigro-maculatis; posticis subtus flavis pallidis fulvo-fasciatis, arcu postico punctorum ocellatorum; puncto medio in fascia 2da nigro nullo. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ $1\frac{5}{8}$ poll.)

*Mas:* paullo minor, supra obscurior, alis scilicet basi et limbo fere toto fusco-nigricante.

*Fem.:* saepe major, supra pallidior, limbo scilicet alarum disco concolore.

DALM. Pap. Sv. 69. 6. *Papilio* OCHS. Schm. I. 1. 52. 1. HÜBN. Pap. T. 5. f. 23. 24. ♂ f. 25. ♀. *Pap. Ossianus* HERBST, Tab. 270. f. 4. 5. ♂. *Pap. Tomyris* HERBST, T. 270. f. 6. 7. ♀.

Hab. in Lapponiae paludosis passim; ego illam ad Lycksele et Umenaes Lapponiae Umensis s. meridionalis d. 25. Jun. — 8. Jul. praesertim legi. (Lapponia Suecica per partem sylvaticam; Germania, OCHS. BOISDUVAL.)

Pictura variat. Alae posticae subtus: fascia 1ma s. basalis e maculis 4 flavis l. albidis nigro-marginatis constat; huic adjacet fascia 2da arcuata e maculis 5 fulvis conflata; tunc fascia 3tia valde irregularis orta e maculis 8 inaequalibus flavis l. albidis, quarum media oblongo-ovata, plerumque nitidior, saepe argentea, huic proxima est fascia 4ta interstitium inter fasciam 3tiam et marginem efficiens, fulva, per fasciam arcuatam ochraceam l. albidam in duas divisa, et in medio (immediate sub fascia ochracea) serie punctorum s. ocellorum, in ♂ minutorum, in ♀ evidentiorum, ornata. Ad ipsum marginem maculae 7 subtriangulares saepissime albidae. Ab *Arg. Selene*, cui similis, puncto medio nigro in fascia 2da fulva omnino deficiente differt. Valde affinis etiam videtur *Arg. Ossiano* BOISD. Icon. 94. 1. T. 16. f. 1. 2. 3. „ad Cap Nord, in Labrador et in Lapp. boreali" inventa, mihi in Lapponiis Scandinavicis non obvia.

**7. A. Selene:** alis fulvis nigro-maculatis; posticis subtus brunneis fasciis flavis l. pallidis l. argenteis, arcu postico punctorum simplicium fuscorum, punctoque medio in fascia 2da nigro. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{5}{8}$ poll.)

DALM. Pap. Sv. 69. 7. *Papilio* OCHS. Schm. I. 1. 55. 2. HÜBN. Pap. T. 5. f. 26. 27. ♂ FABR. Ent. Syst. 3. 1. 147. 451. PANZ. Fn. Germ. 76. 21. *P. Marphisa* HERBST, T. 270. f. 8. 9. var. *P. Rinaldus* HBST. T. 271. f. 1. 2. 4. var. (forte etiam hoc (var. a nobis) per totam Sueciam vulgatissimum insectum sub *Pap. Euphrosyne* LINN. Fn. Sv. 1059. var. latet.)

Hab. in Lappon. pass.; ad Lycksele Lapponiae Umensis, ad Karesuando Lapp. Tornensis s. borealis nec non in silvis betulinis ad Evenäs Nordlandiae Norvegicae ut et ad Alteidet Finmarkiae occidentalis, 25. Jun. — 8. Aug. inveni. (Lapp.-Scan. ubique vulgatiss.)

Variat magnitudine et pictura. Individua vulgariter occurrentia: alis posticis subtus fascia basali flava e maculis 4 conflata; huic subjicitur fascia 2dà irregularis, e maculis 5 fulvis constans, quarum 1ma ad marginem anticum minor, 2da vero hac quadruplo major maculam s. punctum majusculum distinctum atrum includens; proxime est fascia 3tia arcuata e maculis 7 inaequalibus flavis formata, quarum prima ad marginem anticum subquadrata vel utrinque bifida, et media oblongo-ovata, majores albidae seu argenteae; in interstitio brunneo inter fasciam 3tiam et marginem adsunt fascia pallida s. subargentea in medio late interrupta, et series punctorum 6 nigrorum minutorum simplicium, sed tamen distinctorum; ad marginem summum maculae 7 subtriangulares argenteae, angulo plerumque linea nigra terminato.

Var. b. ♂. Alae supra fulvae, venis, macula rotundata costali prope basin limboque exteriori nigris, hoc serie punctorum fulvorum; subtus anticae fulvae, macula ocellari strigulaque ad costam nigris; posticae flavis venis punctoque antico nigris, fascia postica maculari brunnea.

In Botnia occidentali capta. Mus. D. SCHÖNHERR.

Var. c. ♂. Alae supra fulvae, venis, macula rotundata costali prope basin limboque exteriori late, nigris, hoc serie punctorum minutorum fulvorum; subtus anticae fulvae, macula ocellari strigulaque ad costam nigro-fuscis, posticae albo flavoque lineatae, venis punctoque nigris; omnes fascia postica distincta maculari brunnea.

In Botnia occidentali capta. Mus. D. SCHÖNHERR.

Var. d. ♀. Alae supra nigro-fuscae punctis fulvis in limbo posteriori in seriem dispositis; anticae disco interiori fulva macula rotundata costali prope basin nigra; subtus omnes ut in var. c. pictae, at fascia intramarginali brunnea e maculis longitudinalibus venas cingentibus, conflata.

*C. Rinaldus* var. HERBST. In Botnia occidentali. Mus. D. SCHÖNHERR.

Var. e. ♂. Alae supra nigro-fuscae disco parce fulvo-maculatae; subtus anticae fulvo nigroque maculatae; postice fulvo fuscoque variegatae, fasciis 2, basali subtrimaculata, mediaque arcuata, et serie punctorum marginalium, flavis.

*Papil. Marphisa* HERBST, teste D. SCHÖNHERR, e cujus Museo specimen in Lappon. captum descripsi.

Var. f. ♂. Similis var. e., sed alae posticae supra nigro-fuscae immaculatae.

Lapponia Suecica. Mus. D. SCHÖNHERR.

Var. g. ♂. Alae supra totae sericeo-brunneae immaculatae, posticae tantum intra marginem ad angulum ani punctis minutis 3 l. 4 fulvis; subtus omnes ut in var. e pictae.

Botnia occidentalis. Mus. D. SCHÖNHERR.

**8. A. Euphrosyne:** alis fulvis nigro-maculatis; posticis subtus ferrugineis, fasciis flavis maculisque 9 argenteis, punctis 6 posticis subocellatis in arcum dispositis et uno in medio fasciae 2dae subobsoletis fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{5}{8}$ poll.)

DALM. Pap. Sv. 70. 8. *Papilio* LINN. Fn. Sv. 1069. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 147. 450. OCHS. Schm. I. 1. 58. 3. HÜBN. Pap. T. 6. f. 28. ♂. 29. 30. ♀.

Hab. in Lapponiae graminosis saepe locis paludosis haud infrequenter, ad Lycksele, Karesuando, Giebostad, Gamstenstind, Alteidet cet. 24. Jun. — 1. Aug. a me capta. (Lappon.-Botnia-Gottland.-Scan. freq.)

Valde affinis 2 proxime praecedentibus; sed ab *A. Aphirape* maculis argenteis in alis posticis 9 magisque conspicuis, ocellis minoribus et macula media fulva in fascia 2da majori punctumque centrale nigrum includente; et ab *A. Selene*, cui adhuc similior, alarum posticarum subtus maculis 7 apicalibus argenteis magis rotundatis, singula macula brunnea terminata, interstitio inter apicem et fasciam 3tiam magis flavo nec brunneo, parum fulvedinis mixto, fascia interrupta argentea deficiente, punctis 6 parvis subocellatis, nec simplicibus, et puncto centrali fasciae mediae minori flavo-subannulato obsoletioribus fuscis, ut et tandem macula tantum media fasciae 3tiae maculaque ad basin minori argenteis, differt. Variat praeterea in pagina superiori plus minus obscura unde etiam exstat *Pap. Fingal* HERBST. Tales praesertim e Dowre a D BOHEMAN missae. Ejusmodi varietatem obscuram insignem, e Lapponia reportatam, in Museo D. SCHÖNHERR vidi.

*Obs.* Specimina Sueciae mediae et meridionalis plerumque paullo majora sunt et in alis anticis maculas intramarginales triangulares discretas s. liberas habent, qualem suam *Euphrosynem* describit OCHSH. l. c.; in individuis vero Lapponicis has maculas vix unquam liberas sed saepissime cum summis marginalibus cohaerentes vidi. Varietatem lapponicam Suecicis saltem duplo minorem, alias similem in Museo ditissimo SCHÖNHERRI vidi.

**9. A. Amathusia**: alis fulvis nigro-maculatis; posticis subtus variegatis in medio fasciis 2 dentatis, una flava altera rosea, punctis 5 posticis subocellatis in arcum dispositis et uno in medio fasciae 2dae distinctioribus. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{2}{3}$ — 2 poll.)

DALM. Pap. Sv. 71. 9. OCHS. Schm. I. 1. 75. 10. HÜBN. Pap. T. 10. f. 51. 52. ♂. 53. 54. ♀. *P. Diana* HÜBN. Pap. Text. p. 11. 11. *Pap. Amathusia.*

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp.-Finlandia D. SAHLBERG; Alpes Helvetiae mens. Julio BOISDUVAL.)

Proxime praecedentibus nonnihil major. Alae posticae subtus puncto basali et serie postica punctorum ocellatorum ut in *A. Euphrosyne*; at differt fasciis 2 mediis, una fulvo pallidoque variegata et altera rubenti, per strigam nigram undatam divisis. Series ocellorum locata est in plaga brunnea. Maculae 7 in margine apicali trigonae sunt et brunneae.

**10. A. Freja**: alis fulvis, basi maculisque nigris; posticis subtus ferrugineo-brunneis albo-fuscoque variis, fascia dentata alba brunneo-irrorata. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{2}{3}$ poll.)

DALM. Pap. Sv. 71. 10. BOISD. Ic. 102. 5. T. 19. f. 4. 5. *Papilio* THUNB. Dissert. Acad. Ins. Suec. 2. p. 34. T. f. 14. 14. QUENS. Act. Holm. 1791. p. 276. 6. T. 10. f. 5. 6. OCHS. Schm. I. 1. 78. HÜBN. Pap. T. 10. f. 55. T. 11. f. 56. ♂♀.

Hab. in Lapponia pass., saepe locis paludosis; scilicet ad Muonioniska, Karesuando et Juckasjervi Lapponiae Tornensis s. borealis, nec non ad Lycksele et Stensele Lapponiae Umensis s. meridionalis, 25. Jun. — 4. Jul. a me capta. (Lappon.-Botnia borealis; Islandia.)

Alae posticae subtus variegatae signaturis albis, fulvis et fuscis valde difformibus. Fere unice regulares sunt series postica punctorum 6 fuscorum et maculae marginales 7 rotundatae albae. Fascia quoque pone medium subintegra et maculae 2 vel 3 ad marginem anticum et in disco, albae, conspiciuntur, quarum una plerumque punctum nigrum includit.

**11. A. polaris**: alis fulvis nigro-maculatis; posticis subtus fusco-ferrugineis, characteribus irregularibus numerosis albis, horum mediis in strigam dispositis, ocello nigro-ferrugineo notatis, maculisque marginalibus 6 l. 7 albis.

BOISD. Lepid. Eur. Ind. Paris. 1829. P. 1. p. 15. Ejusd. Icon. 104. 6. T. 20. f. 1. 2.

Hab. in Lapponia maxime septentrionali ad Cap Nord et Labrador, DD. SOMMER et ESCHSCHOLTZ, teste D. BOISDUVAL l. c., mihi in Scand. terris polaribus non obvia. (Lappon. summe septentrional.)

„*Argynn. polaris* (Spec. distinctiss.). Statura *Frejae*, illiusque supra affini, sed obscurior, praesertim inferioribus; alae posticae subtus ferrugineae 18 — 20 characteribus albis scriptae, quorum medii striga dispositi, ocello nigro-ferrugineo notantur; praeterea limbus posticarum subtus, maculis 6 albis, ad marginem signatur." BOISDUV. Ind. l. c.

**12. A. Pales**: alis fulvis, basi maculisque nigris; posticis subtus ferrugineo- aut rubenti-brunneis, flavo-argenteoque variis, macula conica flava in medio. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{3}$ poll.)

DALM. Pap. Sv. 72. 11. *Papilio* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 257. 797. OCHS. Schm. I. 1. 63. 5. THUNB. Ins. Sv. 2. 34. HÜBN. Pap. T. 7. f. 34. 35. *Papil. Arsilache* HÜBN. T. 7. f. 36. 37. *Pap. Isis* HÜBN. T. 7. f. 38. 39. ♂. T. 110. f. 563. 564. ♀.

Hab. in pratis paludosis Lapponiae passim; in alpe Dowre Norvegiae ad Drivstuen etc., 27. Jun. — 14. Jul., D. BOHEMAN; inter lacum Kilpisjaur Lapponiae septentrionalis et Tromsoe Norvegiae, D. FRIGELIUS; in Lapponiis Suecicis ex. gr. ad Kengis, Karesuando et Lycksele 1. Jul. — 22. Aug., ipse. (Lapp.-Nordlandia, LILJEBLAD; - Oelandia - Smolandia in palude ad diversorium Hamneda 3. Jul. in copula frequenter a me visa. Alpes, BOISDUV. Ind.)

Mire variat magnitudine et colore. Pictura vero insignior, constantior; cum qua frequentius occurrit: alae, anticae subtus macula apicis flava per strigam ferrugineam divisa; posticae subtus maculis 3 l. 4 flavis, extima majori, alba; fascia 2da ferruginea punctum minutum album plerumque includens; fascia 3tia alba abrupta vix nisi e maculis 2 l. 3 exterioribus constans; fascia 4ta arcuata subintegra flava; fascia 5ta aut brunnea aut rubens aut denique his coloribus mixta, et arcu punctorum subocellatorum 5 l. 6 ornata, ad utrumque marginem notatur macula alba, saepe in medio per maculam flavam, e margine apicali assurgentem, abrupta. Maculae marginales 7 subrotundae albae. Praeterea in minoribus color paginae superioris laetius et intensius fulvus, in majoribus idem minus purus, in omnibus vero alae basi nigrae sunt. In speciminibus Suecicis fascia subtus rubens saepe conspicuior quam in Lapponicis.

**13. A. Dia**: alis fulvis nigro-maculatis, posticis subtus fusco-purpureis, basi flavo-argenteoque maculatis, fascia media obsoleta maculisque marginalibus argenteis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{2}{3}$ poll.)

DALM. Pap. Sv. 72. 12. *Papilio* LINN. Syst. Nat. 2. 785. 207. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 255. 792. (excl. Syn. ROES.) OCHS. Schm. I. 1. 61. 4. HÜBN. Pap. T. 6. f. 31. ♂. 32. 33. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime. Mus. D. SCHÖNHERR. (Lappon.-Suecia boreal. rar. — Larva nigra, supra dilutior, linea dorsali obscura, spinis albo-griseis.)

**14. A. Carichlea**: alis fulvis nigro-maculatis; posticis subtus rufo-brunneis, basi luteo-maculatis; fascia media subargentea maculisque marginalibus lacteis. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ poll.)

DALM. Pap. Sv. 72. 13. HERBST. Pap. 10. 125. 47. Tab. 272. f. 5. 6. SCHNEID. Mag. 5. 588.

Hab. in Lapponia rarissime D. QUENSEL. (Lapponia borealis; Dania BOISD.)

Affinis *Arg. Diae* et *Friggae*. Alae posticae subtus macula basali, fascia media maculisque marginalibus transversis oblongis, lacteis nitidis. Huic quoque affinis videtur *Arg. Boisduvali* SOMMER. BOISD. Ic. 98. 3. T. 20. f. 5. 6. e Cap-Nord et Labrador, in Lapponiis Suecicis a me frustra quaesita, nisi *Arg. arcticam* nob. (No. 18) ut eandem dubius provocare velles.

**15. A. Frigga**: alis fulvis, basi maculis distinctioribus nigris; posticis subtus brunneis, fascia semicirculari macularum fulvarum albarumque, postice testaceo-purpurascentibus, serie duplici punctorum fuscorum. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ poll.)

DALM. Pap. 73. 14. BOISD. Ic. 100. 4. T. 19. f. 6. 7. *Papilio* QUENS. Act. Holm. 1791. 275. 5. T. 10. f. 3. 4. THUNB. Diss. Ins. Sv. 2. 33. OCHS. Schm. I. 1. 74. 9. HÜBN. Pap. T. 9. f. 49. 50. ♀. SCHNEID. Mag. 1. 4. pag. 416 et 5. p. 587.

Hab. in Lapponiae borealis et meridionalis sylvaticis et Salicetis, locis uliginosis, nec non pratis floriferis, initio mensis Julii, rar. (Lappon.-Suecia-Botnia borealis ad Öfver Torneå, D. PORTIN.)

Color paginae superioris impure fulvus, signaturis nigris magnis subdilatatis. Alae posticae subtus macula basali alba cum macula fasciae mediae prima subcohaerens, unde ad marginem anticum formatur lunula maculam brunneam includens. Macula alia alba in medio fasciae. Margo immaculatus s. absque maculis ordinariis albis.

**16. A. Ino**: alis fulvis nigro-maculatis, posticis subtus flavis fasciis testaceis, et in fascia postica interrupta rubescente serie punctorum ocellatorum. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{5}{8}$ poll.)

DALM. Pap. Sv. 73. 15. *Papilio* OCHS. Schm. I. 1. 69. 7. *P. Dictynna* HÜBN. Pap. T. 8. f. 40. 41. ♂. An *Pap. Daphne* THUNB. Ins. Sv. 2. p. 33.?

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Haparanda et Torneå 1. Sept. — Gottlandia-Ölandia ad Ottenby 20. Jul. in cop. freq. — Scania ad Esperöd rar.)

Color paginae superioris pure fulvus, signaturis nigris minime dilatatis, neque confluentibus. Alae subtus flavae, fascia mox infra basin arcuata angusta testacea. Fascia alia pone medium, ad marginem anticum bifida, tota testacea rubenti-violaceo-tincta et serie ocellorum ornata. Margo dentatus absque maculis.

**17. A. Thore**: alis fulvis maculis strigaque media distinctiori nigris; posticis subtus fulvo-testaceis, fascia media arcuata dentata flava, lunula sub fascia maculisque marginalibus roseo-albescentibus. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $1\frac{3}{4}$, ♀ 2 poll.)

Dalm. Pap. Sv. 74. 16. Boisd. Ic. 96. 2. T. 20. f. 3 et 4. *Papilio* Hübn. Pap. T. 111 f. 571. ♂. 572. 573. ♀.

Hab. in Lappon. rarius Mus. D. Schönherr; in inferalpinis Norvegiae D. Boheman (Lapponia; Helvetia Julio Boisduval.)

Magnitudine et pictura supera *Arg. Friggae* subsimilis. ***Femina***: alae posticae subtus maculis 4 basalibus flavis. His adjacet fascia 1ma fulvo-testacea. Huic proxima est fascia 2da lata, arcuata dentata flava, nervis in 7 l. 8 maculas divisa, et postice striga brunnea terminata. Interstitium inter hanc fasciam et marginem apicalem testaceo-brunneum s. subfulvescens, flavo-immixtum, lunulis sub fascia ad marginem utrinque rubenti-albidis obsoletis, et maculis marginalibus ordinariis cinereo-albidis etiam obsoletis. Series punctorum ocellatorum in medio interstitii adest.

***Mas*** paullo minor, alis posticis subtus pallidioribus, pictura obsoletiori lunularum albarum sub fascia flava, punctorum ocellatorum macularumque marginalium tantum rudimento.

**18. A. arctica**: alis fulvis nigro-maculatis; posticis subtus ferrugineo-brunneis, maculis ad basin inaequalibus, fascia media valde difformi maculisque marginalibus subtransversis, argenteo-albidis. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{3}$ poll.)

Hab. in Groenlandia, e qua mihi per D. Westermann benevole missam possideo. (Groenlandia.)

*Arg. Diae*, *Frejae* et *Pali* affinis et similis. Color et signaturae paginae superioris omnino ut in *Pale*. Alae posticae subtus ferrugineo-brunnescentes. Mox infra basin maculae in singula ala 3 albae, quarum interior parva oblonga, media minuta punctiformis, et 3tia marginalis angusta lunata. Deinde fascia arcuata mox ante medium constans e maculis argenteo-albidis, quarum in singula ala 3 majores inaequales, interior nempe oblonga utrinque bifida, media difformis subtrapezina, et 3tia ad marginem anticum irregulariter oblongo-quadrata. Inter has maculas puncta 3 albida observantur. Ocelli ordinarii obsoleti. Maculae marginales albae 7 transversim oblongae, nec subrotundae, (ut mihi nuperrime (in litter. 31. Mart. 1839) asseveravit D. Westermann, haec nostra species eadem est ac *Arg. Carichlea* No. 14.)

## 3. Melitaea.

Fabr. Gloss. secund. Ill. Mag. 6. p. 284. 29. Dalm. Latr. Boisduv. Ic. p. 109. *Papilio* Linn. et Auct.

Magna aut media. Antennarum clava subturbinata l. pyriformis compressa, in formam cochlearis excavata; apice luteo. Palpi pilosissimi, capite longiores, apice subdivaricati. Oculi nudi. Alae subdenticulatae. Pedes antici tenues. ***Color***: alae supra e fulvo nigroque fasciatae, maculatae et subreticulatae, subtus e luteo- s. aurantiaco albido-nigroque fasciatae et strigatae; absque signaturis argenteis s. margaritaceis. ***Volatus*** turbidus, errabundus, vagans, celer. ***Habitatio*** in pratis, per partem sylvaticam Lapponiae. ***Larva*** pseudo-spinosa s. seriato-tuberculata, tuberculis brevibus carnosis pubescentibus, spinas aemulantibus, e plantis humilibus vescitur. ***Pupa*** antice obtusa submutica vix angulata nec dentata, dorso plerumque punctis elevatis subtuberculata. Pupae status cognitarum 14 dies. *Differentia sexus*; *mas*: abdomine angustato, ano subbarbato, pedibus anticis brevioribus pilosis; *femina*: abdomine robustiore, ano parum barbato, pedibus anticis longioribus subnudis. (Spec Scand. 10.)

**1. M. Maturna**: alis obscuris fulvo-flavoque fasciatis; posticis subtus fulvis, fasciis 3 flavis, media in medio striga longitudinali nigra. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ — 2 poll.)

Dalm. Pap. Sv. 74. 1. Boisd. Ic. 110. 1. T. 23. f. 3 et 4. *Papilio maturna* Linn. Fn. Sv. 1062. Ochs. Schm. l. 1. 18. 1. *Pap. Cynthia* Hübn. Pap. T. 1. f. 1. 2. ♂.

Hab. in pratis floriferis, in Lapponia certe rarissime. (Lapponia; Gottlandia D. Lyth; Scania passim, ibique e pupa virescenti albida, maculis punctis strigisve nigris et flavis ornata saepe exclusa. Larva nigra serie dorsali gemina et laterali punctorum sulphureorum condecorata, foliis fruticum Populi et Salicis victitat.)

Alae omnes supra nigricantes intra marginem fascia determinata fulva, et disco toto maculis pallide flavis fulvisque; subtus flavo-fulvoque fasciatae; posticae fasciis 3 flavis, 1ma infra basin, interrupta, e maculis 4 l. 5 conflata; 2da in medio, integra arcuata striga media nigra ornata; 3tia e maculis marginalibus 6 l. 7 lunulatis constans.

**2. M. Iduna**: alis fuscis albo-fulvoque fasciatis; posticis subtus fasciis 3 albis totidemque fulvis, omnibus impunctatis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ poll.)

Dalm. Pap. Sv. 75. 2. *Pap. Maturna* Hübn. Pap. T. 117. f. 598. 599. ♂. 600. 601. ♀? *P. Cynthia* var. 2. ♂, 3 ♀. Ochs. Schm. l. 1. 21. 2.

Hab. in Lapponia rarissime; utrumque sexum e Museo D. Schönherri descripsi. (Lapponia —?)

Similis et affinis *M. Manturnae* et *Cynthiae* (Fabr. Ochsh. Boisd.), sed a priori differt, praeter magnitudinem nonnihil minorem, alis etiam multo magis albo-variegatis et praesertim fascia media alba posticarum absque striga nigra longitudinali; et a *Cynthia* punctis nigris in fascia lutea intramarginali alarum posticarum nullis mox dignota. — Huic affinis videtur *M. Ichneue* Boisd. Ic. 112. 2. T. 23. f. 5. 6., in Lapponia Russica et Siberia capta, mihi ignota.

**3. M. Artemis**: alis fuscis fulvo luteoque variis; posticis subtus fulvis fasciis flavis, utrinque in fascia postica fulva serie punctorum nigrorum, subtus luteo-marginatorum. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

Dalm. Pap. Sv. 75. 3. *Papilio* Fabr. Ent. Syst. 3. I. p. 255 790. Ochs. Schm. l. 1. 24. 3. Hübn. Pap. T. 1. f. 4. 5. ♂. 6. ♀. *P. matutina* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 2. pag. 31.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; in Dalecarlia alpina a D. Boheman inventa. (Lapponia-Suecia media rar. in pratis sylvaticis Scaniae Jul. pass.; magnitudine varians.)

**4. M. Delia**: alis fulvo nigroque reticulatis; posticis supra serie punctorum ocellatorum, subtus pallide flavis, fasciis 2 fulvis, posteriore nigro-punctata. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{5}{8}$ poll.)

Dalm. Pap. Sv. 76. 4. *Papilio* Hübn. T. 2. f. 7. 8. ♂. Thunb. Diss. Ins. Sv. 2. 32. *P. Cinxia var. β. Delia* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 150. 779. Rösel 4. T. 18. f. 4. *P. Cinxia* Ochs. Schm. l. 1. 27. 4. (exclus. forte Syn. Linn., quod ad sequentem potius pertinet.)

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Scan. freq.)

**5. M. Athalia**: alis fusco-nigris, e maculis densis fulvis fasciatis; posticis subtus fulvis fasciis 3 pallidis impunctatis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{1}{2}$ poll.)

Var. a. major, alis posticis subtus fulvis fasciis 3 flavis.

Dalm. Pap. Sv. 76. 6. Ochs. Schm. l. 1. 44. 9. *Papilio* Hübn. Pap. T. 4. f. 17. 18. ♂. Rösel 4. T. 13. f. 4. larva, f. 5. pupa. *Pap. Maturna* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 254. 787. *Pap. Cinxia* Linn. Fn. Sv. 1063.?

Var. b. minor, alis posticis subtus fulvis fasciis 3 albis; affinis *Mel. Parthenie*.

Hab. in Lapponia meridionali, var. a. rarissime, var. b. ad Wilhelmina et Naestansjö Lapponiae Umensis 13—19. Jul. a me capta. (Lapp.-Scan. var. a. ubique freq.)

Pagina superior alarum fere ut in *Delia* picta, punctis ocellaribus nullis. Alae posticae subtus flavo-fulvae fasciis 3 stramineis (in var. a.), aut albis (in var. b.); harum 1ma mox infra basin e maculis 4 l. 5 constat, et sub hac fascia in medio punctum solitarium ejusdem coloris ostenditur; tunc fascia 2da lata integra, striga tenuissima nigra longitudinaliter divisa; fascia 3tia s. terminalis e maculis marginalibus 6 l. 7 sublunatis conflata; serie punctorum nulla. Larva nigra, linea laterali punctorum alborum, secundum Ochsenheimer in Plantagine hospitatur. Pupa grisea tenuiter nigro-punctata et strigosa.

**6. M. Hertha**: alis supra fuscis, anticis fascia macularum, posticis striga punctorum fulvis; subtus fulvis basi nigro-maculatis, posticis fascia media lineaque intramarginali flavis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

Dalm. Pap. Sv. 77. 7. *Papil.* Quensel Act. Holm. 1791. p. 280. 8. T. 10. f. 9. 10. *P. Athal.* var. Herbst. T. 271. f. 5. 6.

Hab. in Botnia occid. Mus. D. Schönherr. (Lappon.-Holmia-Westmannia rariss. in Gottlandia ♂ Jul. semel a me capta.)

Magnitudo circiter *M. Artemis*, sed alae anticae in apice multo magis obtusae quam in illa. Alae omnes supra fuscae anticae puncto uno alterove in disco fasciaque maculari postica fulvis, posticae striga ante marginem punctorum 6 fulvorum. Fimbria omnium fusca albo intersecta. Alae subtus fulvae, basi anticae maculis 2, posticae 4, atris rotundis. Praeterea in posticis fascia media flava utrinque nigro-marginata, extra quam alia fascia macularis fulva, nigro inducta, et tandem intra ipsum marginem striga tenuis flava.

***Obs.*** Sueciae inferioris hujus generis incolae ***Mel. Dictynna*** Ochs. *Fulla* Quens. *Parthenie* Ochs. et *Lucina* Linn in Lapponia huc usque non detectae.

## 4. Satyrus.

LATR. BOISD. Ind. et Icon. p. 198. 4. *Hipparchia* FABR. Gloss. *Argus* SCOPOLI. *Erebia* DALM. *Arge*, *Erebia*, *Chinobas* spec. BOISD. Ic. *Papiliones Satyri* LINN. et Auct.

Magnus, medius aut minor. Antennarum clava plerumque elongata applanata gracilis, basi attenuata, rarius brevior determinatior. Palpi compressi teneri, latere tantum inferiore longe pilosi, articulo ultimo parvo subnutante; apice distantes. Oculi plerumque nudi. Alae posticae suborbiculares, margine exteriore integrae aut subdenticulatae, nunquam angulatae. Pedes antici breves. *Color* alarum obscurus, fuscus, testaceus; ocellis saepius distinctioribus. Alae posticae subtus saepe insigniter marmoratae. *Volatus* inquietus, laborans, errabundus. *Habitatio* in graminosis et montosis, per omnes fere partes Lapponiae. *Larva* inermis nuda aut sericea, capite globoso, ano parve bimucronato. *Differentia sexus*, *mas*: pedibus anticis pilosis; *femina*: pedibus iisdem nudiusculis. (Spec. Scand. 23 secundum antennarum formam diversam in Subdivisiones haud inepte (sed vix in genera diversa, exceptis speciebus nostris 4 ultimis) dispescendae.)

*Subdiv.* 1. Oculi hirti: Antennarum clava distinctior, sat determinata.

**1. S. Maera:** alis subintegris fuscis, anticis utrinque sesquiocello, posticis ocellis supra 3, subtus 6. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ – $2\frac{1}{4}$ poll.)

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1049. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 227. 711. OCHS. Schm. I. 1 231. 31. HÜBN. T. 39. f. 174. 175. ♀. (nimis colorata). *Erebia* DALM. Pap. Sv. 79. 2.

Hab. in Lapponiae sylvaticis rarius. (Lapp. Scan. freq.)

Alae anticae ocellis saepe simplicibus magnis atris flavo-cingulatis, pupilla lactea; posticae ocellis minoribus nigris flavo-annulatis, pupilla alba, subtus cinereo-subundulatae; omnes in nostris haud denticulatae. Larva laete viridis, longitudinaliter albo-strigosa, linea dorsali obscura, Festuca et Poa victitat. Pupa nigricans aut pallide virescens.

*Obs.* LINNAEI *Pap. Egeria* et *Megaera*, antennarum apice modice incrassato, ille Uplandiae et Gottlandiae, hic Scaniae frequens incola, in Lapponia vix hospitantur.

*Subdiv.* 2. Oculi nudi.

**2. S. Semele:** antennis determinate clavatis; alis dentatis fuscis fascia maculari fulvo-testacea, anticis utrinque ocellis 2, posticis 1. ♂♀. (Long. 2 – $2\frac{1}{4}$ poll.)

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1051. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 232. 725. OCHS. Schm. I. 1. 197. 15. HÜBN. T. 31. f. 143. 144. ♂. (alis supra quam in nostris speciminibus obscurioribus). PANZ. Fn. Germ. 76. 23. *Erebia* DALM. Pap. Sv. 79. 4.

Hab. in Lapponiae sylvaticis rarius, saxis et petris saepe insidens. (Lapp.-Scan. vulgar.)

Alae anticae ocellis mediocribus nigris albo-pupillatis in macula flava dilatata locatis; posticae ocello minuto fere coeco, subtus conspicue albo-fuscoque variegatae.

**3. S. Hippolyte:** alis subdentatis fuscis, fascia flavescente; anticis utrinque ocellis 2; posticis subtus nebulosis. ♂♀. (Long. al. exp. 2 poll.)

*Papilio* OCHS. Schm. I. 1. 206. 20. HÜBN. T. 30. f. 139. 140. ♀. *P. Alcyone* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 231. 724. *Erebia Hippolyte* DALM. Pap. Sv. 80. 5.

Hab. in Lapponiae septentrionalis locis sterilissimis ad latera alpium, D. QUENSEL, mihi non obvia. (Lapp.-Russia.)

Similis priori (*S. Semele*), sed fascia alarum flava major distinctior, striga nigra terminata.

**4. S. Norna:** antennarum clava gracili; alis subdentatis fusco-testaceis, ad extimum fascia lata dilutiori; anticis utrinque ocellis 1 – 3; posticis plerumque 1, subtusque cinereo fuscoque marmoratis, fascia media dentata saturatiori. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{3}$ poll.)

Var. a. alis anticis utrinque ocellis 2, posticis 1.

*Papilio* OCHS. Schm. I. 1. 201. 17. HÜBN. Pap. T. 34. f. 152. 153. ♂. colore nimis obscuro. T. 30. f. 142. ♀. an hujus? *Erebia* DALM. Pap. Sv. 80. 6.

Var. b. similis var. a., sed alis posticis ocello nullo.

*Papil. Norna* THUNB. Diss. Ins. Sv. 2. p. 36. var. β.

Var. c. alis anticis utrinque ocellis 3, medio minutissimo, posticis 1.

THUNB. l. c. var. α. T. 2. f. 11. 11. *Chinobas Norna* BOISD. Icon. Lep. 19. p. 185. 2. et 18. T. 36. f. 4. 5. ♂. f. 6. ♀. figuris exacte delineatis et coloratis.

Var. d. similis var. c., at alis posticis absque ocello.

Var. e. alis anticis utrinque ocello 1, posticis aut 1 aut nullo.

*Papil. Hilda* QUENS. Act. Holm. 1791. 272. T. 9. f. 7. 8.

Var. f. alis omnibus absque ocellis, in anticis tamen subtus ocellus 1 interdum manet.

THUNB. l. c. var. γ.

Hab. in Lapponiae pratis paludosis mense Julio passim, in saxis se interdum reponens; varietates a. et e. ad coloniam Umenaes et in alpe Brattiksfjell, Lappon. meridionalis, d. 8 – 10. Jul. inveni; var. b. ex Öfver Torneå a D. PORTIN missa; var. d. communicata fuit a D. FRIGELIO e Lappon. Tornensi; et var. c. atque f. ad Enontekis et Karesuando ejusdem Lapponiae a DD. QUENSEL et GRAPE inventae. (Omnes Lapponiae Scandinavicae et meridionales et boreales.)

Colore dilutiore antennarumque forma haec species a prioribus, et ocellorum numero fasciaque alarum posticarum subtus dentata a 2 proxime sequentibus praeprimis et facile dignoscitur.

**5. S. Jutta:** antennarum clava gracili; alis subdentatis fuscis fascia maculari lutescenti flava, anticis utrinque ocellis subtribus; posticis supra ocellis 2, subtus 1; his (alis posticis) subtus cinerascentibus crebre fusco-irroratis et strigulosis, fascia media in ♂ obscuriore. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{3}$ poll.)

*Mas:* alis posticis obovatis, subtus saepe fascia media arcuata sinuata determinata fusca utrinque cinereo-marginata.

*Fem:* alis posticis rotundioribus, subtus cinerascentibus undique subaequaliter fusco-irroratis et strigulosis.

*Papilio* HÜBN. Pap. T. 120. f. 614. 615. *Chinobas* BOISD. Ic. 19. 187. 3. T. 38. f. 1. 2. ♂. 3. 4. ♀. *Pap. Norna* var. OCHS. I. 1. p. 202.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in palude tamen sylvatica ad Lycksele inter viam publicam et cataractam Hellefors en sita d. 20. Jun. — 4. Jul. a D. DAHLBOM et me sat frequenter observata; supra paludem rursus rursusque inquiete volans, truncis arborum lapidibusque interdum insidens, tuncque fraude sine mora et vix aliter capiendum insectum valde cautum et timidum. (Lappon. meridionalis.)

Alae omnes supra fusco-brunneae; anticae supra ocellis plerumque 3, raro 4 (et hoc tunc saepe tantum spurio), subaequalibus nigris, iride flava saepe in annulum subellipticum dilatata circumdatis, pupilla aut nulla aut minutissima alba; subtus fusco-testaceae, fascia ad marginem dilutiori, ocelli 1. 2 l. 3, raro 4, intermediis minoribus. Alae posticae supra fascia intra marginem e maculis 4 — 5 magis l. minus cohaerentibus, luteo-flava, analibus 2 ocellatis reliquis coecis, subtus ut in diagnosi. Antennae ut in *S. Norna* extrorsum sensim graciliter incrassatae, minime clavatae, et vix tam determinate incrassatae ac in figuris BOISDUVALI, alias exactis et, ut semper, pulcherrimis. Pedes antici valde spurii, vix distinguendi. — Variat praeterea pictura ocellorumque numero et forma, at color constanter obscurior quam in *Norna*, cui sat affinis, haec vero in apricis, at *Jutta* in umbrosis mihi semper obviae, et sine dubio distinctae species.

**6. S. Balder:** antennarum clava gracili; alis subdentatis fuscis fascia maculari lutescenti flava, anticis supra ocellis 3, subtus 2, posticis utrinque ocello 1, his subtus fuscis cinereo-variegatis fascia media obscuriori, extus angulosa. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{4}$ poll.)

*Chinobas Balder* BOISD. in Icon. du reg. anim. par GUÉRIN. Ins. T. 80. f. 1. et 1 a., et BOISD. Icon. Lep. 19. 189. 4. T. 39. f. 1. 2. 3.

Hab. cum priori ad Lycksele a me rariss. inventus. (Lappon. Suecica Umensis; ad Cap-Nord, in Groenlandia et Islandia test. D. BOISDUVAL l. c.)

Simillimus *S. Juttae*, sed ab illo differt: alis anticis ocellis supra determinate 3, subtus tantum 2; posticis supra maculis 5 lutescentibus harum tantum anali ocellata.

**7. S. Bore:** antennarum clava gracili; alis subdentatis testaceis fusco-irroratis marginatisque, ocellis nullis; posticis subtus griseo-fuscoque marmoratis, fascia media obscura subcrenata. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ – $1\frac{2}{3}$ poll.)

*Papilio* OCHS. Schm. I. 1. 205. 19. (excl. Syn. THUNB.) HÜBN. Pap. T. 29. f. 134. ♂. 135. 136. ♀. (antennarum clava justo crassior). *Chinobas Bore* BOISD. Ic. Lep. 20. 193. 6. T. 37. f. 1. ♂. 2. 3. ♀. *Erebia* DALM. Pap. Sv. 80. 7. (excl. Syn. THUNB.). *Pap. Fortunatus* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 214. 670. *P. Norna* QUENS. Act. Holm. 1791. 274. T. 10. f. 1. 2.

Hab. in pratis Lapponiae Tornensis Julio rarius. (Lapp.-borealis-Groenlandia, Siberia.)

Similis et affinis *S. Nornae*, sed semper paullo minor, colore multo dilutiori, et ocellis nullis distinctus. Antennae breves versus apicem sensim tenuiter incrassatae, clava inde gracillima, ut in *Norna* et *Jutta*. Alae squamis valde fugacibus facile deterendis, hinc plerumque pellucidae. Species bene distincta. — Huic subsimilis est *Chinobas Bootis* BOISD. Ic. Lep. 19. 191. 5. T. 37. f. 4. 5. 6. in Kamtschatka inventa. Nec multum abludere videtur *Chinob. Oeno* BOISD. Ic. Lep. 20. 195. 7. T. 39. f. 4. 5 et 6. in Lapponia Russica et Siberia capta, in Lapponiis Scandinavicis non detecta.

**8. S. Hyperanthus**: antennarum clava gracili; alis supra obscure brunneo-fuscis subimmaculatis, subtus livido-fuscis; anticis subtus ocellis 3, posticis 2 et 3. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{5}{8}$—$1\frac{7}{8}$ poll.)

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1043. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 216. 677. OCHS. Schm. I. 1. 225. 29. *Erebia* DALM. Pap. Sv. 81. 8. *Pap. Polymela* HÜBN. Pap. T. 38. f. 172. 173. ♀.

Hab. in Lapponiae pratis rar.; ocellis varians plus minus obsoletis praesertim in pagina superiori. (Lappon.-Scan. frequentiss.)

**9. S. Medusa**: antennarum clava modice incrassata; alis integris brunneo-fuscis unicoloribus, omnibus fascia maculari rufo-ferruginea, ocellis subquatuor. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$—$1\frac{1}{2}$ poll.)

*Papilio* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 235. 734. OCHS. Schm. I. 1. 237. 50. HÜBN. Pap. T. 45. f. 103. 104. ♂. *Erebia* DALM. Pap. Sv. 81. 9.

Hab. in Lapponia DD. DALMAN et GRAPE; mihi rarissime ad Karesuando Lapponiae Tornensis obvius. (Lapponia Suecica — ? German. BOISDUVAL.)

Praecedenti similis, minor. Antennae versus apicem sensim crassiores, clava subgracili haud determinata. Alae anticae fascia intramarginali maculari fulva, antice distinctiori, ocello subgemino albo-pupillato; posticae ad marginem maculis rufis supra 3 l. 4, subtus 4 l. 5, omnibus parvis obsoletis plerumque nigro-ocellatis, pupilla alba minuta. — Larva laete viridis strigis longitudinalibus albidis et obscure virescentibus.

Var. b. ♂. alarum fascia macularis fulva nulla, ocellis praesertim in alis posticis parvis obsoletis. Museum SCHÖNHERR.

**10. S. Ligea**: antennarum clava modice incrassata; alis subdentatis nigro-brunneis fascia intramarginali rufo-ferruginea subcontigua; anticis utrinque ocellis 4; posticis 3 et subtus striga maculari alba. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$—2 poll.)

Alae posticae subtus pictura variant, scilicet:

a. obscure brunneae subunicolores, ocellis rufis 3 l. 4 striga alba brevi.

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1050. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 234. 732. OCHS. Schm. I. 1. 283. 56. HÜBN. Pap. T. 49. f. 225. 226. ♂. 227. ♀. *Erebia* DALM. Pap. Sv. 81. 10.

b. obscure brunneae, fascia ocellorum fulva, striga alba elongata.

c. similis var. b. alis basi pallidioribus l. fascia albida variegatis. Ocelli saepe obsoleti.

d. similis quoque var. b. alarum striga alba nulla.

Hab. in Lapponiae praesertim Tornensis nemoribus et sylvis betulinis passim; plerasque varietatum descriptarum etiam in graminosis Finmarkiae Norvegicae prope NordCap, ex. gr. ad Alteidet, Talvig et ad radicem Gamstenstind 25. Jul. — 6. Aug. legi. Alae margine summo albo nigroque ciliato. Mas obscurior minus variegatus. Larva viridis linea dorsali nigra et strigis pluribus albidis. (Lapp.-Ostrogothia freq. — Scan. rar. — Alpes BOISD. Ind.)

**11. S. Manto**: antennarum clava modice incrassata; alis integris nigro-fuscis, anticis supra fascia maculari, subtusque disco toto, ferrugineis, utrinque nigro-quadripunctatis; posticis supra punctis 3, subtus cinerascenti griseis fascia media medio dentata saturatiori. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ poll.)

*Papilio* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 231. 722. OCHS. Schm. I. 1. p. 296. 62. HÜBN. Pap. T. 45. f. 207. 208. ♀. T. 101. f. 512. 513. ♂. 514. ♀. *Erebia* DALM. Pap. Sv. 82. 11. *P. Erina* FABR. l. c. 237. 739. *P. Lappona* THUNB. Diss. Ins. Sv. 2. 37. T. — f. 6. 6. certe, ab Ipso mecum communicat. *P. Gesion* ♂. QUENS. Act. Holm. 1791. 272. T. 9. f. 5. 6.

Hab. in Lapponiarum septentrionalium sylvis freq.; ad Öfver Torneå, Kengis, Juckasjervi et Karesuando, Lapponiae Tornensis; in Brattiksfjell Lapp. Umensis; in Raschstind, ad Tromsoe, Talvig, Gamstenstind, Alteidet etc. Nordlandiae et Finmarkiae, a me lectus. In alpe Dowre ad Drivstuen Kongswald et Fogstuen a DD. BOHEMAN et ROSENSCHÖLD visus. (Lapponiae Scandinavicae — Helvetia, OCHSENHEIMER — Alpes, BOISDUVAL. Ind.)

Variat ocellis et signaturis plus minus distinctis aut obsoletis. Constantiores notae sunt: alarum anticarum color subtus luteus, limbo grisescente, et posticarum subtus fascia media arcuata dentata obscure cinerea utrinque fusco terminata.

**12. S. Embla**: antennarum clava subgracili; alis subdentatis brunneo-fuscis, omnibus supra fascia maculari rufa ocellis 4 nigris; anticis subtus ocellis 2—4, posticis maculis 2 albis margineque exteriore obscure cinereo. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{8}$—$2\frac{1}{4}$ poll.)

*Papilio* THUNB. Diss. Ins. Sv. 2. 38. f. 8. 8. certe, sed antennarum clava nimis incrassata. QUENS. Act. Holm. 1791. 169. 1. T. 9. f. 1. 2. (alis posticis subtus fascia nimis determinata). OCHS. Schm. I. 1. 287. 58. (excl. syn. Auctor. *Pap. Griela*). *Erebia* DALM. Pap. Sv. 82. 12. var. α. *P. Ethus* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 217. 680. *P. Dioxippe* HÜBN. Pap. T. 105. f. 538. 539. ♂.

Hab. in Lapponiae sylvis, supra paludes inquiete et errabunde volans, ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, et ad Lycksele Umensis, 25. Jun. — 4. Jul. a me captus, ad Öfver Torneå D. PORTIN; ad Karesuando D. GRAPE. (Lappon.-Botnia *Liljeblad* — Dalekarlia inter Saernam et Elfdaliam QUENSEL.)

Similis *S. Ligeae*, sed saepe paullo major, antennarum clava nonnihil graciliori, alis forte minus dentatis, fascia maculari rufa minime contigua, sed circulos fulvos subdiscretos, quibus cinguntur ocelli in singula ala 3 l. 4 nigri, efficiente, ut et alarum posticarum maculis albis parvis discretis, nunquam dilatatis vel cohaerentibus etc., facile dignotus. Alae posticae subtus a basi ad ocellorum (2—4) obsoletorum seriem brunneo-nigrae, vix determinate fasciatae, et deinde margine obscure cinereo, sed in meis 10 speciminibus non tam late ut in figura THUNBERGI. Ocellus 1mus in alis anticis reliquis multo major pupilla alba gemina minuta. Cum *S. Manto* diversissimo vix confundi potest.

**13. S. Disa**: antennarum clava gracili; alis subdentatis brunneo-fuscis; anticis utrinque fascia maculari rufa subcontigua ocellis 4 nigris; posticis supra immaculatis, subtus griseo-cinereis fascia media lata subdentata strigaque arcuata fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{8}$—$2\frac{1}{4}$ poll.)

*Pap. Disa* THUNB. Diss. Ins. Sv. 2. p. 37. *P. Gesion* ♀. QUENSEL Act. Holm. 1791. T. 9. f. 3. 4. (fig. bona, sed antennis nimis elongatis, et arcu fusco alar. posticarum subtus deficiente). *P. Griela* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 236. 737. HÜBN. Pap. T. 49. f. 228. 229. ♀. *P. Stheno* HÜBN. T. 109. f. 561. 562. ♂. (antennarum clava justo crassior). *P. Embla* var. OCHS. Schm. I. 1. 287. 58. *Erebia Embla* DALM. Pap. Sv. 82. 12. var. β. BOISD. Ic. 162. 8. T. 33. f. 1. 2. 3. excl. syn. *P. Embla* THUNB. etc.

Hab. in Lapponiae sylvis et paludibus passim; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis et ad lacum Wojmsjoen Umensis, 2—12. Jul. haud infrequenter a me lectus; in Lapponia Tornensi ad Enontekis, locis turfosis in florib. Rubi chamaemori etiam frequenter et primum a D. QUENSEL captus. (Lapponia Suecica borealis et meridionalis.)

Similis et affinis priori, sed certe distinctus ut e diagnosi amborum patet. Scilicet a nostro *S. Embla* praecipue differt: alis anticis fascia rufa maculari utrinque subcontigua, nec discreta, ocellis 4 nigris omnibus subaequalibus, tantum subtus albo-pupillatis; posticis supra unicoloribus immaculatis s. ocellis omnino nullis, subtus cinerascentibus fusco-irroratis, fascia media determinata dentata fusco-brunnea et arcu integro undulato e strigis sublunatis fuscis loco ocellorum.

**14. S. Janira**: antennarum clava gracili; alis dentatis fuscis, feminae macula flava; anticis in utroque sexu ocello nigro albo-pupillato; posticis subtus posterius pallidioribus punctis 2 l. 3. fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $1\frac{5}{8}$-$1\frac{3}{4}$; ♀ $2\frac{1}{8}$ poll.)

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1053. ♂. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 241. 752. α. ♂. β. ♀. OCHS. Schm. I. 1. 218. 27. ♂♀. HÜBN. Pap. T. 36. f. 160. ♂. *Erebia* DALM. Pap. Sv. 83. 13. ♂♀. *Pap. Jurtina* LINN. Fn. Sv. 1052. ♀. HÜBN. Pap. T. 36. f. 161. 162. ♀. (antennis nimis clavatis).

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon. Suecia tota vulgaris).

Alarum posticarum puncta nigra minuta interdum obsoletissima. Ocellus anticarum in ♂ parvus, in ♀ major. Alae in ♀ anticae macula dilatata fulva, in cujus angulo antico ocellus; posticae subtus fusco-griseae fascia pone medium ochracea. Alae anticae in utroque sexu subtus disco luteo. Larva virescens striga longitudinali albida. Poa et aliis graminearum victitat. Pupa virescenti-flava fusco-strigata.

**15. S. Davus**: antennarum clava subincrassata; alis integris flavo-ochraceis, anticis utrinque ocello 1; posticis ocel-

lis supra 2—3, subtus 5—6 fasciaque interrupta albida. ♂♀. (Long. al. exp. $1^1$ poll.)

*Papilio* Linn. Fn. Sv. Edit. 1. 240. 790. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 221. 690. Ochs. Schm. I. 1. 302. 65. ♂♀. (excl. syn. Thunb.) *Erebia* Dalm. Pap. Sv. 83. 14. (excl. syn. Thunb.) *Pap. Tullia* Hübn. Pap. T. 52. f. 243. 244.

Hab. in Lapponia rarius. Alarum ocelli superi saepe obsoleti. Larva glabra lucida, teste D. Boisduval. (Lapp.-Suecia media freq. — Suec. meridional. s. Scania pass.)

**16. S. Isis:** antennarum clava subincrassata, alis integris dilute flavo-ochraceis, supra omnibus immaculatis, subtus anticis ocello 1 et striga albida, posticis cinerascentibus fascia interrupta albida. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{5}$ poll.)

*Papilio* Thunb. Diss. Ins. Sv. 2. p. 30. *Erebia Davus* var. *β.* Dalm. Pap. Sv. 83. 14. Ochs. Schm. I. 1. 302. 65. var.

Hab. in Lapponia passim rar.; in paludosis ad Åsele Lappon. Umensis 26. Jul. et in montibus ad Bossekop Finmarkiae occidentalis prope NordCap, a me lectus. (Lapp.-Botnia orientalis ad Calix — Roslagia D. Gedner.)

A priori, cui affinis, sine dubio distinctus. Paullo minor. Differt praecipue ab illo, supra colore pallidiore praesertim in alis anticis, et ocellis omnino nullis; et subtus: alis posticis aut absque ocellis aut tantum unico valde obsoleto.

**17. S. Pamphilus:** antennarum clava subincrassata; alis integris dilute flavo-ochraceis, anticis utrinque ocello 1; posticis supra immaculatis, subtus cinerascentibus fascia albida ocellisque 4 obsoletissimis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

*Papilio* Linn. Fn. Sv. 1044. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 221. 691. Ochs. Schm. I. 1. 305. 66. *Erebia* Dalm. Pap. Sv. 83. 15. *Pap. Nephele* Hübn. Pap. T. 51. f. 237. ♂. 238. 239. ♀. *Hipparch. Pamphilus* Westw. Ent. Text. B. p. 199. f. 35—37.

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon. — tota Suecia frequenter, ubi larva glabra lucida virescens, lineis dorsali obscuriori, laterali albida, e Cynosuro cristato aliisque graminibus vescitur. Pupa mutica viridis.)

**18. S. Hero:** antennarum clava subincrassata; alis integris fuscis, anticis subimmaculatis; posticis supra ocellis 4, subtus 6, nigris albo-pupillatis et fascia angusta continua dentata albida, omnibus subtus linea intramarginali plumbea. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

*Papilio* Linn. Fn. Sv. 1047. Ochs. Schm. I. 1. 313. 70. Hübn. Pap. T. 53. f. 252. 253. ♀. *Erebia* Dalm. Pap. Sv. 84 16. *Pap. Sabaeus* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 222. 694.

Hab. in Lapponia meridionali et Dalekarlia rar. (Lapp.-Uplandia, Linn. — Westrogothia, Dalman — Scania, ipse; semper raro occurrit.)

*Obs. Satyrus* (Papilio) *Dejanira* Ochs. Hübn., in Sueciae mediae pratis floribus ex. gr. ad Wadstena Ostrogothiae certis annis copiose; *Arcania* Linn. in Ölandia Gottlandiaque et *Iphis* Ochs. Hübn. Dalm. in Suecia meridionali rarissime, deprehenduntur, in Lapponia mihi non obviae.

## 5. Papilio.

Linn. et Auctorum. *Amaryssus* Dalm.

Maximus. Antennae elongatae modice clavatae, clava haud determinata subarcuata. Palpi brevissimi biarticulati piloso-fimbriati. Oculi nudi. Alae elongatae dentatae, posticae (in nostro) caudatae, margine interiore pro abdomine libero excisae, nervis 8 ad marginem descendentibus, quorum 6 ex areola sub basi ovata clausa oriuntur. *Color* sulphureus signaturis nigris marginalibus. *Volatus* celer, alacer, vastus, saepe velificans. *Habitatio* locis apricis montosis, per partem inferiorem Lapponiae. *Larva* laevis inermis, tentaculo collari furcato carnoso retractili. *Pupa* nuda angulata, antice bimucronata. *Differentia sexus* in *maris* magnitudine nonnihil minore, abdomine praesertim angustiore, *feminae* crassiore invenienda. (Spec. Scand. 1. nostra.)

**1. P. Machaon:** alis caudatis unicoloribus flavis, limbo nigro, postico caerulescenti subocellato; maculis intramarginalibus anticarum lunulisque posticarum flavis; angulo ani ocello fulvo. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $3-3\frac{1}{4}$, ♀ $3\frac{1}{2}$ poll.)

Linn. Fn. Sv. 1031. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 30. 87. Panz. Fn. 30. 23. Ochs. Schm. I. 2. 121. 3. Hübn. Pap. T. 77. f. 390 391. ♂. Svensk. Zoologie Häft 3. p. 23. T. 17. Dahlb. Scandin. Fjärillar Diss. Lund. 1837. T. 1. f. 1—4. *Amaryssus* Dalm. Pap. Sv. 85. 1. *Papilio* Westw. Entomolog. Text-Book. 1838. p. 389. Tab. 4. Imag. et larva.

Hab. in parte infima sylvatica Lapponiae Jul. rariss. (Lapp.-Gottlandia-Ostrogothia in monte insigni Omberg haud infrequenter — Scania; ex. gr. ad Abusa et Kjeflinge rar. — Larva viridis annulis nigris rubro-punctatis, glabra suaveolens, Selino, Pimpinella aliisque Umbellatis victitat, ad imaginem facile educatur. Pupa virescenti-flava.)

*Obs. Parnassius* (Papilio) *Apollo* et *Mnemosyne* Auct. in Suecia inferiore et Gottlandia plus minus frequentes, in Lapponia vix occurrunt.

## 6. Pieris.

Latr. Gen. Ins. p. 584. Boisd. Ic. p. 23. *Pontia* Fabr. *Ganoris* Dalm. *Papilio* Linn. et Auct.

Magna aut media. Antennae elongatae, capite thoraceque paullo longiores, tenerrimae clavatae, clava obovata, nigrae. Palpi 3-articulati, articulis subaequalibus, piloso-fimbriati, graciles subcylindrici. Alae integrae, anticae subtrigonae, posticae rotundatae pro receptione abdominis canaliculatae, nervis 9 ad marginem descendentibus, quorum 6 ex areola basali magna clausa, ad medium alae et ultra extensa, oriuntur. Oculi nudi, in viva pallide virides. *Color* corporis niger, alarum dominans albidus, maculis striisque saepissime nigris, puncto centrali nullo. *Volatus* laborans errans, interdum sat celer. *Habitatio* in campis et pratis floriferis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* elongata mutica sublaevis, sericea l. pubescens e plantis Cruciferarum nutritur (excepta *Pier. Crataegi*). Pupa nuda, antice unimucronata, suberecta. Status pupae circiter 14 dies. *Differentia sexus* in pictura alarum interdum, in abdominis tenuitate (♂), aut crassitie (♀) semper detegenda. (Spec. Scand. 6, a genere *Colias*, cui similes, antennarum clava obovata l. subovali, nec subtruncata, palporum articulis subaequaliter longis, nec non omnibus fere partibus gracilioribus, distinctae.)

**1. P. Crataegi:** alis albis, venis determinate nigris. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{2}$ fere 3 poll.)

*Papilio* Linn. Fn. Sv. 1034. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 182. 563. Panz. Fn. 76. 22. Ochs. Schm. I. 2. 142. Hübn. T. 79. f. 399. 400. Dahlb. Skandinaviska Insecters skada och Nytta. Lund. 1837. p. 154. *Ganoris* Dalm. Pap. Sv. 86. 1.

Hab. in pratis libenter in vicinitate pagorum, in Lapponia rarissime. Larva cinerea strigis nigris et aurantiacis, in Sorbo interdum gregatim hospitatur. Pupa flavescenti-viridis maculis punctisque nigris. (Lappon.-Scania, hortorum saepe pestis.)

**2. P. Brassicae:** alis albis, anticis apice toto, costa ultra medium tenuiter, maculisque disci (in ♀) 2, nigris; posticis subtus in utroque sexu flavicantibus. (Major.) ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{4}-2\frac{3}{4}$ poll.)

*Mas:* alis anticis albis, supra immaculatis, apice determinate, et subtus maculis 2 discoidalibus, nigris.

*Fem.:* alis anticis albis, supra apice late et determinate, maculisque disci utrinque 2, nigris.

*Papilio* Linn. Fn. Sv. 1056. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 186. 575. Ochs. Schm. I. 2. 144. 2. Hübn. Pap. T. 80. f. 401. ♂. 402. 403. ♀. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 155. *Ganoris* Dalm. Pap. Sv. 87. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia, ut narratur, mihi in provinciis arcticis non obvia. (Lapp. — per totam Sueciam freq. Larva glauco-virescens, lineis 3 flavis, notissima, Brassicae oleraceae hortorum pestis. Pupa pallide virescens lineis 3 flavis. Ova aggregata flava.)

**3. P. Rapae:** alis albis, anticis apice fuscis, maculis disci (in ♀) 2 nigris; posticis subtus in utroque sexu flavicantibus (Minor). ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ raro 2 poll.)

*Mas:* alis anticis albis, supra aut plerumque immaculatis aut puncto disci nigro, apice antice semper fusco; subtus puncto discoidali nigro.

*Fem.:* alis anticis albis, supra apice antice fusco, disco utrinque bimaculato.

*Papilio* Linn. Fn. Sv. 1036. ♂♀. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 186. 575. Ochs. Schm. I. 2. 146. 3. Hübn. Pap. T. 80. f. 404. 405. ♀. *Ganoris* Dalm. Pap. Sv. 87. 3. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. vulgatiss.)

Simillima priori, sed minor, macula alar. apicali fusca obsoletiori aliterque locata ut et larva diversa. Larva dilute viridis, linea dorsali punctisque lateralibus flavis. Pupa flava virescenti grisea aut brunnescens, sulphureo-trilineata.

**4. P. Napi**: alis albis, apice toto fusco, disco aut immaculato aut maculis 1—2 nigris; subtus: posticis flavicantibus, omnibus venis dilatate fusco-virescentibus. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$—2 poll.)

*Mas:* alis anticis disco aut immaculato aut puncto maculiformi nigricante.

*Fem.:* alis anticis maculis 2, rarissime 3, nigricantibus.

Var. a. ♂♀. alis supra albis, venis concoloribus l. tantum levissima fuscedine cinctis, maculis secundum sexum aut in ♂ nulla vel 1, aut in ♀ 2, nigricantibus, qualis in Suecia inferiori vulgariter occurrit.

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1037. ♂♀. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 187. 576. OCHS. Schm. 1. 2. 149. 4. ♂♀. HÜBN. Pap. T. 81. f. 406. ♂. f. 407. ♀. DAHLB. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 158. *Ganoris* DALM. Pap. Sv. 87. 4. var. *α*. ♂♀.

Var. b. ♂♀. alis aut albis aut sordide flavicantibus, anticis disco utrinque maculis 2 obscuris; posticis subtus flavis; omnibus et supra et subtus venis magis dilatatim infuscatis; vix propria species. — Plerumque individua feminea obvia.

HÜBN. Pap. T. 81. f. 407. ♀. DALM. l. c. var. *β*. ♀. Cfr. etiam ILLIG. Mag. 5. p. 180. et OCHS. l. c. Not. pag. 151. 152. *Pieris Napi* var. ♀. *Bryoniae* BOISD. Ind. p. 8.

Hab. in Lapponiae campis et sylvis junioribus passim; utramque varietatem ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis Sueciae nec non inferalpinis maritimis Nordlandiae Norvegicae, ex. gr. ad Giebostad et ad radicem alpium Raschstind et Andeness, tractibus circiter 6—1200 ped. supra mare elevatis, d. 25. Jun. — 23. Jul. inveni. *Mas* var. a. (alis supra albis immaculatis, posticis subtus venis omnibus dilatatis) in copula cum *femina* var. b. certissime junctus, saepe a me visus; at *mas* var. b. rarissime occurrit. E pupa flavescenti viridi (et simillima Suecicis vulgaribus s. var. a.) sub lapide ad Wittangi in parte inferiore sylvatica Lapponiae Tornensis d. 10. Jun. capta, imago feminea var. b. d. 20. ejusdem mensis egressa. (Var. a.: Lapponia-Scania freq. Var. b.: Lappon.-Botnia occidentalis, teste D. DALMAN, mihi vero non nisi intra limitem Lapponiae obvia.)

Alae posticae supra in medio costae macula nigra in hac specie omnino ut in *P. Brassicae* et *Rapae* notantur. Sed a priori magnitudine duplo minori, et a *P. Rapae* apice alarum anticarum toto, nec tantum antice, fusco, et a utraque venis subtus dilatatis differt. In speciminibus masculis lapponicis alae omnes supra etiam apice albae immaculatae saepissime sunt.

**5. P. Cardamines**: alis albis, basi, anticis utrinque apice punctoque discoidali sublunato, fuscis, maris medio aurantiaco-fulvis; posticis in utroque sexu subtus viridi-marmoratis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{5}{8}$—$1\frac{7}{8}$ poll.)

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1039. ♂♀. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 193. 600. PANZ. Fn. 75. 22. OCHS. Schm. 1. 2. 165. 13. ♂♀. HÜBN. Pap. T. 84. f. 424. 425. ♂. T. 83. f. 419. 420. ♀. *Ganoris* DALM. Pap. Sv. 86. 6. ♂♀.

Hab. in Lapponiae convallibus rarius. Larva solitaria tenuiter pubescens pallide viridis, lateribus supra pedes albida. Pupa glabra virescens linea utrinque laterali pallide flava; subgeniculata s. oblique erecta; hybernat. (Lappon.-Scan. Maj. Jun. pass.)

*Obs.* *Pieris Daplidice* LINN. FABR. HÜBN. OCHS. in Scaniae pratis certis annis certisque tractibus plerumque australioribus passim occurrit, e Lapponia et Suecia boreali exsulans.

## 7. Ganoris.

DALM. *Pontia* FABR. *Pieris* LATR. BOISD. *Papilio* LINN. et Auct.

Media. Antennae et palpi ut in genere praecedente (*Pieris*). Alae elongatae, anticae apice rotundatae; posticae areola basali ovata brevi non ad medium alae extensa, nervos 5 emittente, quorum unus (superior) in medio furcatus. Oculi nudi. *Color* corporis niger, alarum lacteus, pictura vix ulla. *Volatus* turbidus, minus alacer. *Habitatio* in pratis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* et *metamorphosis* ut in genere priori. (Spec. Scand. 1, nostra, statura corporis tenerrima, alis elongatis, posticarum areola basali brevissima et abdomine elongato lineari a *Pieride* dignota.)

**1. G. Sinapis**: alis lacteis, anticis apice macula rotundata fusca; posticis subtus dilute flavescentibus fusco-subnebulosis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{5}{8}$—$1\frac{7}{8}$ poll.)

DALM. Pap. Sv. 88. 7. ♂♀. *Papilio* LINN. Fn. Sv. 1038. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 187. 577. PANZ. Fn. 74. 21. OCHS. Schm. 1. 2. 169. 15. HÜBN. T. 82. f. 410. 411. ♀.

Hab. in locis sylvaticis Lappon. Umensis passim; ad Lycksele 25. Jun. a me capta. (Lapp. meridional. — Gottlandia-Ostrogothia-Scania passim. Secundum HÜBNER et OCHSENHEIMER est larva viridis, striga lutea supra pedes et pupa reflexa ut in *P. Cardamines*.)

## 8. Colias. FABR.

LATR. Gen. Ins. 585. BOISD. Ic. p. 34. *Ganoris* DALM. *Papilio* LINN. et Auct. *Gangra* DALM. (Mscr.) *Ganura* SCH.

Magna. Antennae breves (capitis thoracisque longitudine aut illis breviores), non graciles, rubrae, versus apicem incrassatae, clava haud determinata, apice subtruncata. Palpi 3-articulati compressi piloso-fimbriati, articulo ultimo brevissimo. Alae integrae; posticae pro receptione abdominis canaliculatae, nervis 9 ad marginem descendentibus, quorum 6 simplices ex areola basali ovata, ad medium alae extensa, clausa, emittuntur. Oculi nudi. *Color* corporis niger, alarum primarius l. dominans flavus, raro fulvus aut albidus, pictura, dum adest, marginali, et puncto centrali semper distincto, subtus nitente. *Volatus* turbidus, laborans, interdum longus et continuus. *Habitatio* in pratis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* cylindrica saepe herbis leguminosis uti Astragalo, Loto, Trifolio cet. victitat. *Pupa* gibbosa; praeterea larvarum puparumque forma et conditio, nec non pupae status, ut et *differentia sexus* ut in *Pieride*. (Spec. Scand. 4, corpore robustiore, antennis brevioribus crassioribus, palporum forma, alarum puncto centrali distincto etc. a genere *Pieride* facile dignotae.)

*Subdiv.* 1. Alae rotundatae, nec angulatae, margine obscuro. Antennae apice muticae.

**1. C. Palaeno**: alis sulphureis (♂), aut albidis (♀), apice in utroque sexu late nigris fimbriisque roseis; posticis subtus puncto centrali simplici argenteo. ♂♀. (Long. al. exp. 2—$2\frac{1}{4}$ poll.)

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1041. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 207. 650. PANZ. Fn. 50. 16. OCHS. Schm. 1. 2. 184. 7. *Ganoris* DALM. Pap. Sv. 89. 9. ♂♀. *Pap. Europomene* HÜBN. Pap. T. 86. f. 434.435. ♂. *Pap. Philomene* HÜBN. T. 117. f. 602. 603. ♂.

Hab. in Lapponia haud infrequenter, scilicet ad Karesuando et Muonioniska Lapponiae Tornensis, ut et in Raschstind Nordlandiae inferalpinae, et ad Bossekop haud longe a capite septentrionali Finmarkiae, 29. Jul. — 15. Aug. a me lecta. (Lapp.-Wermlandia, DALMAN freq. — ad radicem montis Omberg Ostrogothiae Jul. pass., ipse — Scania rar. Larva pubescens viridis flavolineata et nigro-punctata. Pupa ignota.)

Inter 18 specimina, quae jam ante oculos habeo, simillima, vix unum varians invenio. *Mas:* alis flavis margine determinatius nigro, a *femina:* alis lactescentibus apice praesertim posticarum obsoletius et angustius fusco, mox dignotus. Fuscedo alarum anticarum apicalis in ♀ etiam levissime albo-maculata. Thorax in utroque sexu antice roseo-hirtus.

**2. C. Werdandi**: alis sulphureis, limbo communi maculari nigro fimbriisque roseis, anticarum strigula subcostali fusca; posticis subtus puncto centrali simplici argenteo. ♂. (Long. al. exp. 2 poll.)

*Ganura Werdandi* SCHNH. in litt. d. 6. Mart. 1839.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime, a D. Exactore GRAPE in alpium jugo latere Norvegico detecta, mecumque ad huic Faunae inserendam nuperrime communicata, nobil. Equitis SCHÖNHERRI benevolentia nunquam satis aestimanda. (Lapponia Scandinavica Tornensis s. borealis.

Similis *C. Palaeno*, sed minor et limbus neque tam late neque tam determinate niger ac in illa. Similis quoque *Col. Nastes* BOISD. Icon. 4. T. 8. f. 4. 5. sed color sulphureus, nec virescenti flavus, et alarum posticarum subtus punctum ocellare argenteo pupillatum nec rufescens praeter alias notas discernentes. Alae sulphureae limbo externo fusco-nigro e maculis cohaerentibus. Nigredo haec ad apicem anticarum latior sensim decrescit, et in medio marginis posticarum tandem omnino evanescit. Venae anticarum et strigula ad medium costae fusca. Alae posticae subtus saturatiores, obscure virescenti flavae limbo dilutiori. Ocellus rufo-ferrugineus albo-pupillatus. Nomen a Dea Fati mutuatum.

**3. C. Hecla**: „alis supra fulvo-luteis, limbo communi nigrescente: subtus virescentibus, anticis puncto ocellari nigro, posticis puncto unico albo. Feminae limbo supra maculis sulphureis signato". LEFEB. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ poll.)

LEFEB. in Act. Soc. Ent. Gall. 1836. p. 384. T. 9. f. 3. 4.

Hab. in Groenlandia, a D. WESTERMANN (ut ipse nuperrime

per litteras d. 31. Mart. 1839 me certiorem fecit) ad Dom. LEFEB. missa, nec, ut D. LEFEB. per errorem attulit, a D. DREWSEN ex Islandia, ubi haec Colias nunquam inventa fuit, communicata. (Groenlandia.)

Valde affinis et similis *Col. Werdandi*, alis vero supra fulvo-luteis, nec sulphureis, subtus magis virescentibus etc. ab illa dignota. Nec patria eadem.

*Obs.* *C. Hyale* LINN. et Auct. in Scania rarissime visa, in Lapponia non occurrit. *Colias Pelidne* BOISD. Ic. Lep. 41. 4. T. 8. f. 1. 2. 3. simillima *C. Palaeno*, puncto centrali alarum posticarum subtus sesquialtero, nec simplici, alis ¼ limbo immaculato etc. distincta, in Islandia et Siberia habitat, Lapponiis nostris forte ignota.

*Subdiv.* 2. Alae angulatae unicolores. Antennarum clava apice mucrone minutissimo intus flexo. *Rhodocera* BOISD.

**4. C. Rhamni:** alis angulatis flavis unicoloribus, singula puncto centrali supra aurantiaco, subtus ferrugineo. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{4}$ — $2\frac{3}{4}$ poll.)

*Mas:* alis citriuis.

*Fem.:* Alis flavo-albidis, saepe in copula.

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1042. ROES. Ins. Belust. 4. T. 26. f. 1. 5. ova, larva, pupa. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 211.661. PANZ. Fn. 28. 25. OCHS. Schm. I. 2. 188. 8. HÜBN. Pap. T. 88. f. 442. 443. ♂. 444. ♀. *Ganoris* DALM. Pap. Sv. 89. 10. ♂♀.

Hab. in Lappon. meridionali rarissime. (Lapp.-Scan. freq., bis aestate proveniens. Larva glabriuscula viridis lateribus pallidior, Rhamno victitat; pupa virescens, lateribus flavo-lineata, medio crassa, gibba, antice acuminata, dimidiatim erecta.)

## 9. Thecla. FABR. Gloss.

*Polyommatus* LATR. Gen. Ins. 587. BOISD. Ind. *Hesperia* FABR. *Zephyrus* Subd. Aurotis DALM. *Papilio* LINN. OCHS. HÜBN.

Ad minores accedit. Antennarum clava elongata cylindrica gracilis indeterminata. Palpi squamati, subtus tenuiter fimbriati. Oculi hirti. Alae posticae (in nostris) caudatae. Tarsi unguibus ultra pulvillum vix productis, parum conspicuis, pulvillo majusculo; antici saepius breves obtusi. *Color* alarum in nostris obscurus, subtus saepe laetior strigis obliquis albidis; ocellis nullis. *Volatus* brevis celer abruptus; sedens alas mox et alacriter erigit erectasque libenter gerit, vix vibrans; fruticola. *Habitatio* in foliis fruticum, per partem infimam sylvaticam meridionalem Lapponiae. *Larva* brevissime subpubescens virescens e foliis fruticum et arborum vescitur. *Pupa* supra valde convexa subtus plana, tota rufescens aut brunnea, folio l. ramulo saepe adfixa, in hoc statu 14—20 dies degit. *Differentia sexus* in pictura alarum saepe invenienda. (Spec. Scand. 5, quarum *T. Quercus*, *Pruni* et *Ilicis* vix in Lapponia quaerendae.)

**1. T. Betulae:** alis supra olivaceo fuscis; subtus luteis fascia cuneiformi fulva striga sesquialtera alba terminata. ♂♀. (Long. al. exp. $1^{1}$ — $1\frac{5}{8}$ poll.)

*Mas:* alis supra fuscis subunicoloribus, anticis macula minori grisea notatis.

*Fem.:* alis supra fuscis, anticis macula majori reniformi fulva; in copula.

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1070. ♀. BERGSTÄSSERS Europ. Schm. T. 36. f. 1—6. larva, pupa, imago. PANZ. Fn. 21. 20. OCHS. Schm. I. 2 113. 11. HÜBN. Pap. T. 76. f. 383. ♂. 384. 385. ♀. *Hesperia* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 277. 69. ♂♀. *Zephyrus* DALM. Pap. Sv. 90. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Scan. haud infrequenter.)

Alarum cauda fulva bidentata, dente interiori minuto. Alae omnes subtus luteae fasciis cuneatis fulvis, anticarum minori abrupta, posticarum subintegra, ambabus terminatis striga alba in margine exteriori fasciae integra, in interiori vero in medio abrupta. Intra alarum marginem etiam fascia angusta indeterminata aurantiaca. Larva virescens albo-lineata et strigata.

**2. T. W. album:** alis utrinque fuscis; posticis subtus W albo notatis, et fascia marginali aurantiaca flexuosa. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{5}$ — $1\frac{1}{4}$ poll.)

*Papilio* OCHS. Schm. I. 2. 109. 9. HÜBN. Pap. T. 75. f. 380. 381. *Zephyrus* DALM. Pap. Sv. 91. 4.

Hab. in Lapponia ut fertur, mihi in terris arcticis nunquam obvia. Alae subtus cinerascenti fuscae. Larva in Ulmo degit, teste OCHSENHEIMER. (Lappon-Upsalia, DALMAN — Scan. pass.)

## 10. Lycaena. FABR. Gloss.

*Polyommatus* LATR. BOISD. Ic. p. 43. *Hesperia* FABR. *Zephyrus* Subd. Heodes DALM. *Papilio* LINN. OCHS. HÜBN. cet.

Minor. Antennarum clava brevior crassior magis determinata cylindrica. Palpi subtus saepissime densius fimbriati. Oculi plerumque nudi. Alae posticae ad angulum analem nonnihil productae subangulatae. Tarsi unguibus ultra pulvillum distincte productis, pulvillo parvo. *Color* alarum fulvo-aureus ardens lucidus; pictura punctis nigris interdum ocellatis; alae rarius virescentes l. unicolores. *Volatus* demissus, abruptus, haud continuus; alis patentibus humi saepe sedet; terricola. *Habitatio* in campis, pratis et viis, per partem sylvaticam Lapponiae et interalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* oblongiuscula pallide virescens, capite dilute brunneo, microscopice pubescens, plantis humilioribus victitat. Metamorphosis prope terram peragitur. *Pupa* brunnescens fere horizontaliter filis antice posticeque alligata. *Differentia sexus*; *mas*: colore vivaciore a *femina* frequenter nigro-punctata, plerumque dignoscitur. (Spec. Scand. 7, quarum *L. Hippothoë* Auct. in Suecia, tempore LINN., nec deinde, et *Gorbas* FABR. Ent. Syst. (seu *Circe* HÜBN. OCHS.) in Gottlandia teste D. BILLBERG, utraque, rarissime, observatae fuerunt, in Lapponia certe peregrinae.)

*Subdiv.* 1. Oculi hirti. Alae unicolores. Fruticola. *Theclae* affinis. Parva. Larva foliis frutic. victitat.

**1. L. Rubi:** alis supra olivaceo-fuscis, subtus viridibus, posticis evidenter dentatis nigro-alboque fimbriatis. ♂♀. (Long. al. exp. 1 — $1\frac{1}{8}$ poll.)

*Mas:* plerumque alis subtus unicoloribus. °)

*Fem.:* alis posticis subtus striga punctorum alba plus minus obsoleta et interrupta; in copula.

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1077. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 287. 102. OCHS. Schm. I. 2. 91. 12. HÜBN. Pap. T. 72. f. 364. 365. *Zephyrus* DALM. Pap. Sv. 94. 12.

Hab. in sylvaticis, pratis, ad vias, in Lapponiis omnibus per partem inferiorem sylvaticam, tempore verno haud infrequenter, scilicet ad Karungi et Wittangi, Lapponiae Tornensis s. borealis, nec non ad Lycksele Lapponiae Umensis s. meridionalis, d. 27. Maj. — 15. Jun. a me saepe in copula deprehensa. — Pedes et antennarum stipes nigri alboannulati. Larva viridis flavo-variegata capite nigricante, Rubo victitat. Pupa brunnea. (Lapp.-Scan. freq.)

*Subdiv.* 2. Oculi nudi. Alae saltem feminae variegatae. Terricolae. Mediocres l. minores.

**2. L. Chryseis:** alis subrotundatis, supra fulvo-aureis limbo late nigro-caeruleo-micante, subtus punctis ocellaribus numerosis; posticis fascia marginali lutea extus evanescenti. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ poll.)

*Mas:* alis omnibus supra praeter anticarum strigulam nigram, disco fulvis immaculatis.

*Fem.:* alis anticis supra fulvescentibus plus minusve infuscatis nigroque maculatis; posticis fuscis fascia marginali dentata fulva.

*Hesperia* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 309. 174. ♂♀. *Papilio* OCHS. Schm. I. 2. 79. 6. ♂♀. HÜBN. Pap. T. 68. f. 337. ♂. 338. ♀. T. 71. f. 355. ♀. *Zephyrus* DALM. Pap. Sv. 92. 7. ♂♀. *Lycaena* WESTWOOD. Entom. Text-B. 1838. p. 389. f. 4.

Hab. in Lapponia rarius. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. L. Virgaureae:** alis subangulatis, *maris* fulvo-aureis immaculatis, *feminae* fulvis nigro-maculatis, margine in utroque sexu atro; subtus punctis nigris undique sparsis, albisque in fasciam in posticis dispositis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ — $1\frac{1}{4}$ poll.)

*Mas:* alis omnibus supra praeter marginem nigrum fulvo-aureis fulgidissimis immaculatis.

*Fem.:* alis supra languidius aureo-fulvis nigro-maculatis.

*Papilio* LINN. Fn. Sv. 1079. ♂♀. OCHS. Schm. I. 2. 85. 9. HÜBN. Pap. T. 70. f. 349. 350. ♂. 351. ♀. *Hesperia* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 309. 173. ♂♀. *Zephyrus* DALM. Pap. Sv. 92. 8. ♂♀.

Hab. cum praecedente in Lapponia aeque rara. Alae posticae ad angulum analem leviter excisae ut in sequentibus.

°) Maculam oblongam obscuram versus marginem exteriorem alarum anticarum, quam OCHSENHEIMER l. c. ut notam constantem *maris* affert, in meis speciminibus iisque haud paucis, non observavi.

Larva viridis lineis pallidioribus capite nigro, in Solidagine, Rumice etc. degit. Pupa brunneo-flava. (Lapp.-Scan. freq.)

**4. L. Phlaeas:** alis subangulatis subaureo-fulvis nigro-maculatis; posticis supra nigricantibus fascia marginali dentata fulva, subtus grisescentibus punctis minutissimis nigris. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅛ poll.)

*Mas*, alis colore forte magis fulgido a *femina* dignoscitur, in utroque sexu signaturis nigris similibus.

Var. a. ♂♀. alis posticis disco nigro immaculato.

*Papilio* Linn. Fn. Sv. 1078. Ochs. Schm. I. 2. 87. 10. Hübn. Pap. T. 72. f. 363. *Hesperia* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 311. 178. *Zephyrus* Dalm. Pap. Sv. 93. 9. ♂♀. var. α.

Var. b. ♂♀. alis posticis disco nigro serie punctorum caerulescentium ante fasciam fulvam.

Dalm. l. c. var. β. Hübn. l. c. f. 362. ♀.

Hab. in Lapponiis Suecicis rarius, sed in Norvegiae inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae, ex. gr. ad Andeness, Alten et Bossekop, haud longe a NordCap, 23. Jul. — 8. Aug. utraque varietas haud infrequenter a me lecta. — Oculi in viva semper obscure brunnei. Larva pallide viridis linea dorsali flava e Rumice Acetosa praesertim nutritur. (Lappon.-Scan. var. a. et b. vulgaris.)

**5. L. Helle:** alis integris fuscis caeruleo-micantibus nigro-maculatis, subtus testaceis punctis ocellaribus numerosis nigris et fascia marginali fulva. ♂♀. (Long. al. exp. vix 1⅛ poll.)

*Mas*: alis supra caeruleis certo luminis situ violaceo-micantibus subimmaculatis, margine tantum anguste et anticarum strigula, nigricantibus.

*Fem.*: alis supra fuscis caeruleo-micantibus, maculis obscuris et fascia marginali dentata fulva evidentioribus; in copula.

*Papilio Helle* Thunb. Diss. Ins. Sv. 2. p. 40. *P. Helle* Ochs. Schm. I. 2. 68. 1. ♂♀. Hübn. Pap. T. 67. f. 331. ♂.*) 332. 333 ♀. *Hesperia* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 312. 181. *Zephyrus* Dalm. Pap. Sv. 93. 10. ♂♀.

Hab. in Lapponiis Suecicis per partem sylvaticam, Tornensi rarius, Umensi passim; ad Degerfors et ad Lycksele 30. Maj. — 25. Jun. utrumque sexum praesertim in graminosis paludosis sat frequenter legi; mas semper rarius occurrit. E pupa nuda glabra sordide albida nigro-maculata, sub muscis ad Öfver Torneå capta, individuum femineum d. 2. Jun. egressum. (Lapp.-Botnia borealis ad Öfver Torneå, Calix et Luleå D. Smaltz, Liljeblad et ipse — Norrlandia — Finlandia D. Prytz — Lipsiae, Fabric., Ochsenh. l. c.)!

Species pulchra, prioribus minor. Alarum puncta nigra in disco sparsa sunt, sed versus marginem series 2 formant, quarum una, margini propior, fasciae marginali fulvae adjacet et interius (in speciminibus bene conservatis) striga albida terminatur. — Alis colore caeruleo, posticis haud angulatis leviter tantum denticulatis ut et toto habitu *Argis* valde affinis videtur transitumque ad sequens genus parat, forte intra *Lycaenas* rectius manens, ultimumque inter illas locum tenens.

---

## 11. Argus. Boisd.

Boisd. Icon. p. 49. *Polyommatus* Latr. Westw. *Lycaena* Fabr. Ochs. *Cupido* Schrank. *Zephyrus* Subd. Cyanoris Dalm. *Papilio* Linn. Hübn. cet.

Inter Papilionides parvus. Antennarum clava brevior distinctior in formam cochlearis excavata. Palpi subtus dense fimbriati. Oculi aut nudi aut hirti. Alae posticae rotundatae, ad angulum analem nec caudatae nec productae. *Color* alarum saepius supra nitens cyaneus caerulescens, rarius fuscus; subtus canescens punctis ocellaribus numerosis, hinc Boisduvali nomen generis aptissimum. *Volatus* humilis saepe continuus sat gratiosus, unde nomen *Zephyrus* Dalmanni. *Habitatio* in pratis, pascuis, campis etiam lucis, terrae saepe insidens; per partem sylvaticam Lapponiarum Suecicarum rarius, per inferalpinam maritimam Nordlandiae Finmarkiaeque frequentius. *Larva* obovata scutiformis, brevior quam in *Lycaena*, gibbosior et minus applanata quam in *Thecla*; capite pedibusque minutissimis parum conspicuis; varie colorata, capite nigro. Inventu rara. Herbis leguminosis uti Loto, Trifolio cet. cognitae victitant. *Pupa* longiuscula nuda brunnea aut albida obscure maculata plantarum cauli juxta terram affigitur. In hoc statu 24—28 dies manet. *Differentia sexus* in *maris* alarum colore vivaciore, *feminae* fusciore saepe invenitur. (Spec. Scand. 17, magnitudine parva, antennarum clava distincta, alis posticis rotundatis integris, omnibus supra saepissime caerulescentibus, subtus punctis ocellaribus numerosis, larvae pupaeque forma etc., notis, quibus simul sumtis a reliquis Papilionidum generibus facile dignotae.)

*) Alis supra nimis violaceis, anticarum posticarumque fascia marginali fulva evidentiori a nostris speciminibus masculis: alis violaceo-caerulescentibus subunicoloribus subimmaculatis, differt.

*Subdiv.* 1. Alae posticae subtus absque fascia maculari fulva.

### A. Oculis hirtis.

**1. A. Argianus:** alis *maris* subviolaceo-caeruleis, *feminae* fuscis, margine in utroque sexu nigro; subtus cinereis serie subsimplici punctorum ocellatorum. ♂♀. (Long. al. exp. 1¼ poll.)

*Zephyrus* Dalm. Pap. Sv. 95. 16. ♂♀. (ubi ratio mutati nominis speciei refertur). *Papil. Acis* Ochs. Schm. I. 2. 14. 6. *Pap. Argiolus* Hübn. Pap. T. 56 f. 269. ♂. (colore caeruleo nimis obscuro) 270. 271. ♀. *Hesperia Argiolus* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 295. 123.

Hab. in pratis Lapponiae passim; ad Kengis Lapponiae Tornensis, et ad Lycksele, Umensis, 1. Jul. — 22. Aug. legi, in copula. (Lapp.-Botnia borealis ad Calix D. Smaltz — Gottlandia-Scan. freq.)

**2. A. Argiolus:** alis laete caeruleis, fimbriis albis ad nervorum apicem tenuiter nigris; subtus lacteo-canis, punctis oblongis simplicibus nigris. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅛ fere 1¼ poll.)

*Mas*: alis laete caeruleis immaculatis, margine tenuissime nigro.

*Fem.*: alis caeruleis, anticis margine exteriori late, posticis margine antico toto, postico punctis, nigris.

*Papilio* Linn. Fn. Sv. 1076. Ochs. Schm. I. 2. 17. 7. *Zephyrus* Dalm. Pap. Sv. 96. 17. ♂♀. *Pap. Acis* Hübn. Pap. T. 57. f. 272. 273. ♂. f. 274. ♀. *Hesper. Acis* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 295. 124. *Papil. Cleobis* Thunb. Diss. Ins. Sv. 2 p. 39.

Hab. in Lapponia meridionali primo vere rarius. (Lapp.-Ångermannia ad Hernösand jam 20. Maj. ♀. visa — Gottlandia-Scan. pass.)

Larva flavescenti viridis linea dorsali obscuriori. Pupa nuda inermis antice viridis, corpore brunnescente linea dorsali nigra.

### B. Oculis nudis.

**3. A. Pheretes:** alis *maris* cyaneis, *feminae* fuscis, margine in utroque sexu tenuissime nigro; subtus cinereis, anticis striga punctorum ocellarium, posticis serie duplici macularum albarum. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

*Papil. Pheretes* Ochs. Schm. I. 2. p. 25. 11. ♂♀. Hübn. Pap. Text. p. 45. No. 8. *Pap. Atys* Esper. Schm. 118. 73. f. 4 ♂. f. 5. ♀. Hübn. T. 97. f. 495. 496. ♂ (meis exemplaribus major) T. 107. f. 548. 549. ♀.

Hab. in alpe insigni Dowre Lapponiae Norvegicae, 1832 a D. Boheman ibi mens. Jul. inventus. (Lappon. inferalpinâ Norvegiae. — Alpes Helvetiae Ochsenheimer l. c.)

Prioribus paullo minor, sed *A. Also* nonnihil major. Ab *A. Argiano*, cui sat similis, differt colore maris lactius caeruleo et alarum posticarum punctis subtus in utroque sexu simplicibus nec ocellatis) paullo majoribus, maculas formantibus, in seriem duplicem dispositis. Variat praeterea harum macularum numero et forma utpote plus minus dilatatarum. Oculi semper nudi.

**4. A. Alsus:** alis fuscis, *maris* caeruleo-micantibus, *feminae* olivaceo-nigris immaculatis, in utroque sexu subtus cinereis, serie simplici punctorum ocellatorum minutissimorum. ♂♀. (Long. al. exp. ¾ poll.)

*Papilio* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 295. 125. Ochs. Schm. I. 2. 22. 9. Hübn. Pap. T. 58. f. 278. ♂. 279. ♀. *Zephyrus* Dalm Pap. Sv. 96. 18. ♂♀. *Pap. minimus* Thunb. Diss. Ins. Sv. 2. p. 39.

Hab. in Lapponia meridionali rarius. Minimus et tenerrimus Papilionidum Scandinaviae. Alae subtus basi caerulescentibus ut in plerisque. (Lapp.-Westmannia Thunberg. — Upsalia freq. Dalman — Scania in pratis ad Lund Junio passim.)

*Obs.* *Argus Arion* Linn., in Gottlandia fr. etc. *Alcon* Ochs. et *Cyllarus* Fabr. Ochs. in Suecia rarius obvii, in Lapponia vix habitant.

*Subd.* 2. Alae posticae subtus fascia maculari intramarginali fulva.

### A. Oculis hirtis.

**5. A. Icarius:** alis subargenteo-caeruleis nigro-marginatis, subtus cinereis serie arcuata punctorum ocellatorum,

posticisque maculis marginalibus fulvis. ♂♀. (Long. al. exp. 1¼—1¹ poll.)

*Mas:* alis supra laete caeruleis immaculatis margine indeterminate nigro.

*Fem.:* alis supra nigro-fuscis disco plus minus laete caeruleo, posticis margine punctis nigris, rarius rufo-subocellatis.

Boisd. Icon. 50. 1. T. 12. f. 1. ♂. 2. 3. ♀. (♀ var. supra obscura mihi non obvia). *Papilio* Esper. Schm. 1. T. 99. 54. f. 4. 35. Ochs. Schm. 1. 2. 37. 16. ♂♀. *Zephyrus* Dalm. Pap. Sv. 97. 19. ♂♀. *Pap. Amandus* Hübn. Pap. T. 59. f. 283 ♂. 284 285. ♀. *Pap. Corydon* Thunb. Diss. Ins. Sv. 2. p. 39. *Polyommatus Agathon* God., Encycl. méthod. T. 9. p. 695. No. 229.

Hab. in Lapponia ut fertur (cfr. Ochsenh. et Boisduv. l. c.) mihi ibi non obvius. (Lapponia?, Gottlandia, Olandia var. — Hungaria, Pyren., Alp. Piemont. Boisduv.)

Similis sequenti (praesertim ♀), sed nonnihil major, et differt: colore pallidius caeruleo-micante, versus marginem sensim ad nigrum abeunte, ut et alis posticis subtus macula alba ante fasciam luteam nulla. Oculi hirti Nervi extremi in alis superioribus ♂ nigri, ut recte observavit et delineavit oculatissimus Boisduval l. c. Alae fimbria albae et subtus basi caerulescentes ut in plerisque.

**6. A. Alexis**: alis supra, aut omnibus subviolaceo-caeruleis immaculatis (♂), aut obscure fuscis disco plus minus caeruleis, posticisque saepe ocellis intramarginalibus luteis punctis nigris terminatis (♀); subtus aut cinerascentibus (♂), aut grisescentibus (♀), in utroque sexu punctis ocellaribus numerosis, posticis fascia maculari fulva, maculaque ante hujus medium alba. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅓ poll.)

*Papilio* Ochs. Schm. 1. 2. 38. 17. ♂♀. Hübn. Pap. T. 60. f. 292. ♂. 293 294. ♀. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 299. 134. *Zephyrus* Dalm. Pap. Sv. 98. 21. ♂♀. *Pap. Adonis* Thûnb. Diss. Ins. Sv. 2. p. 39.

Hab. in Lapponiis Suecicis rarius, in inferalpinis Nordlandiae frequentius, ad Lyngen, Giebostad et Tromsoe uterque sexus 15—24. Jul. a me lectus. (Lappon.-Scan. freq.)

Ab *Arg. Dorylas* Ochs., quem in Gottlandia rarius inveni, *A. Alexis* vix nisi alarum colore (♂) supra subviolaceo-caeruleo, nec laete caeruleo, differt. Varietas vulgarior in Lapponiae inferalpinis: *mas* alis supra immaculatis margine tenuissime nigro, fimbria brevi alba; *femina* alis supra, anticis fuscis disco inferiori violaceo-caeruleo, macularum marginalium fulvarum vestigio; posticis violaceo-caeruleis, maculis marginalibus fulvis evidentioribus, puncto nigro extus terminatis. Alae posticae in utroque sexu subtus macula alba centrali et alia ante fasciam fulvam, omnino ut in *Dorylas*. Oculi hirti. Larva laete viridis tenuiter pubescens, linea dorsali obscura maculisque lateralibus triangularibus flavis, in Ononide, Fragaria et Astragalo inventa. Pupa obtusa obscure brunnea.

B. Oculis nudis.

**7. A. Optilete**: alis supra, *maris* obscure violaceo-caeruleis immaculatis, *feminae* fuscis basi l. disco caerulescentibus; subtus in utroque sexu cinereis, posticis punctis ocellaribus atris ocellisque ad angulum analem 2 fulvis. ♂♀. (Long. al. exp. circiter 1⅙ poll.)

*Papilio* Ochs. Schm. 1. 2. 51. 23. ♂♀. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 297. 131. Hübn. Pap. T. 63. f. 310. 311. ♂. 312. ♀. Thunb. Diss. Ins. Sv. 2. p. 39. *Zephyrus* Dalm. Pap. Sv. 100. 24. ♂♀.

Hab. in sylvis et paludibus graminosis Lapponiae haud raro; scilicet ad Muonioniska et Karesuando, Lapponiae Tornensis, ad Lycksele, Umensis, nec non in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae, ex. gr. ad Tromsoe, Kaschstind, in Skaadavaara et ad Alten d. 25. Jun. — 17. Aug. in copula frequenter a me captus. (Lappon.-Calix, Smaltz freq. — Gottlandia-Ostrogothia freq. — Scan. rar.)

**8. A. Idas**: alis supra, *maris* caeruleis immaculatis margine anguste nigro; *feminae* fuscis disco et basi l. concoloribus l. plus minus caerulescentibus, fascia intramarginali lutea; subtus in utroque sexu canis l. cinereis, punctis ocellaribus nigris fasciaque intramarginali fulva, posticis ocellis sub fascia nigris caeruleo-argenteo-pupillatis. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

*Papilio* Linn. Fn. Sv. 1075. ♀. *Pap. Argus* Linn. Fn. Sv. 1074. ♂. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 296. 128. Ochs. Schm. 1. 2. 52. 24. ♂♀. Hübn. Pap. T. 64. f. 316. ♂. 317. 318. ♀. *Zephyrus* Dalm. Pap. Sv. 100. 26. ♂♀.

Hab. in Lapponiis Suecicis rarius, Nordlandiae et Finmarkiae frequenter, ex. gr. in graminosis et Juniperetis ad Tromsoe, Talvig, Dyroen, Hamnvigen et Bossekop 21. Jul. — 8. Aug. (Lappon.-Scan. vulgatiss.)

Alae subtus fascia intramarginali fulva l. flava (in alis anticis interdum obsoleta) punctis lunulatis intus terminata. Huic adjacet fascia continua albida. Juxta eam series punctorum et in disco interiori puncta pauca ocellaria nigra sparsa. Larva viridis albostrigosa. Pupa junior virescens demum dilute brunnea.

**9. A. Donzelii**: alis supra, *maris* virescenti-caeruleis margine late, lunulaque centrali minuta nigro-fuscis, *feminae* nigro-fuscis; subtus in utroque sexu cinereis punctis ocellaribus nigris; posticis fascia intramarginali lunularum fulvescentium obsoleta vittaque media longitudinali alba. ♂♀. (Long. al. exp. circiter 1 poll.)

Boisd. Icon. Lep. 7. p. 64. T. 15. f. 1—3. ♂♀. Hübn. Pap. T. 193. f. 955—957. Treits. 10. 1. p. 64.

Hab. in Lapponia rar.; in alpibus Dalecarlicis mens. Jul. 1836 uterque sexus ab oculatissimo D. Boheman inventus. (Lapponia meridional.)

Statura, magnitudo et affinitas *Arg. orbitalis* Treits. et Esper. s. *meleagr.* Hbr. In Gallia a D. Boisduval jam 1825 detectus.

*Obs.* *Argus Aquilo* Boisd. Icon. Lep. 62. 7. T. 12. f. 7 et 8. ad „Cap-Nord, in Altaï Siberiae et ad Labrador" inventus vix in Lapponiis Scandinavicis occurrit. Nec species Ochsenheimeri et Auctorum *A. Adonis*, *Agestis*, *Eumedon*, *Dorylas* et *Battus*, in Succia inferiori plus minus rarae, in Lapponia hactenus visae fuerunt, quantum novi.

## FAMIL. 2. HESPERIDES. Latr.

## 12. Hesperia. Latr.

Latr. Gen. Ins. 589. Dalm. God. *Papilio* Ochs. *Pamphila* Fabr. Gloss. *Thymele* spec. Ejusd. *Hesperiae Urbicolae* Fabr. Ent. Syst. *Papil. Plebeji Urbicolae* Linn. Auct.

Media l. minor; sed corpus ratione alarum magnum robustum. Caput magnum crassum, thorace latius. Antennae breves clavatae, ad basin utrinque fasciculo pilorum. Palpi breviusculi hirsuti 3-articulati, articulo 2do magno crasso rigide piloso. Oculi magni globosi nudi, orbita haud distincta. Alae longitudine abdominis (in nostris), divaricatae l. anticae tantum erectae; omnes fimbriatae, areola discoidali aperta. *Color* fuscus, flavus, opacus, pictura maculis quadratis subtessellata. *Volatus* demissus celer; diurnus. *Habitatio* in sylvaticis et nemoribus, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. Terrae saepe insidet. *Larva* tortriciformis capite magno, in foliis contextis saepius degens, plantis Malvacearum victitans. *Pupa* mutica conica folliculata aut ano et saepe quoque filo transverso per medium alligata; junior rufescens, demum saepe caerulescens absque maculis metallicis. Pupae status 10—14 dies. *Differentia sexus; mas:* abdomine angustiore, ano barbato; *femina:* abdomine crassiore, ano acutiori nudiusculo. (Spec. Scand. 9.)

*Subdiv.* 1. Alae omnes etiam in quiete demissae, leviter denticulatae, fimbriatae, fimbria alba nigraque alternante. Antennae clava curvata absque unco. Color obscurus, pictura albo-subreticulata s. fenestrata. *Syrichtus* Boisduv.

**1. H. Fritillum**: alis supra olivaceo-fuscis, punctis quadratis albis, in anticis in fasciam sesquialteram irregularem et lineatam dispositis; subtus griseo-olivaceis albo-variegatis, posticis fascia media subcontigua distinctiori. (Major.) ♂♀. (Long. al. exp. 1⅙—1¼ poll.)

Dalm. Pap. Sv. 202. 7. certe. *Papilio* Ochs. Schm. 1. 2. 207. 6. Hübn. T. 92. f. 464. ♀. (non vero 465.) *Pap. alveus* Hübn. Pap. T. 92. f. 461. ♂. 462. 463. ♀.

Hab. in Lapponia passim; in sylvaticis paludosis ad Lycksele Lappon. Umensis 21—25. Jun. inveni; ad Ruse et Drivstuen in alpe Dowre versus finem Jun. et initio Jul. DD. Boheman et Rosenschöld. (Lapp.-Gottlandia in insula Furillen 9. Jul. pass.)

Variat antennarum clava similiter ac in sequente, antice fusca aut ferruginea. Maculae albae supra in alis posticis saepe obsoletae, interdum vero conspicuae. Minora individua (saepissime mascula et Dowreensia) maculis in alis anticis supra plerumque minoribus subpunctiformibus; qua pictura ad sequentem nimis accedit (an *Pap. alveus* Hübn. T. 99. f. 506? sed ♂); fascia vero

alba subcontinua, nec macula tantum antica, in alis posticis distincta. Fimbria alba fusco-interrupta.

**2. H. Malvae:** alis supra olivaceo-nigris punctis majoribus minoribusque numerosis quadratis albis; subtus griseo-olivaceis albo-variegatis, posticis macula marginis anterioris majore (Minor). ♂♀. (Long. al. exp. vix 1 poll.)

DALM. Hesper. Sv. 202. 6. certe. *Papilio* LINN. Fn. Sv. 1081. verus (dum affinium nullus alius est cum quo confundi potest). *Hesperia Fritillum minor* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 350. 333. (quatenus LINN. synon. verum). *Pap. Alveolus* OCHS. Schmett. I. 2. 208. 7. HÜBN. Pap. T. 92. f. 466. 467. ♀. BOISD. Ic. p. 231. *Pap. Sao* (cit. *P. Malvae* ESP.) BERGSTRÄSSER Eur. Schmett. T. 40. f. 8.

Hab. in Lapponia secundum collectiones boreales, mihi ibi non obvia. (Lappon.-Gottland.-Ostrogoth.-Scan. freq.)

Similis praecedenti saepissime minor et differt: supra colore plerumque obscuriore, nigricante, maculis quadratis albis minoribus plerisque subpunctiformibus, ut et alis posticis subtus in medio marginis antici tantum macula majori quadrata alba, nec fascia, notatis. Nec cohabitant.

*Obs.* *H. Malvarum* OCHS. DALM. seu *H. Malvae* FABR. HÜBN. T. 90. f. 450. 451. ut Sueciae incola mihi Lapponiaeque ignota. *Hesp. Tages* vero antennis curvatis, non uncinatis, alis abdomine nonnihil longioribus haud fimbriatis neque fenestratis, undulis obscuris in fundo fusco pictis, ad novum genus *Thanaos* a D. BOISDUVAL relata, locis aridis Sueciae passim occurrit, in terris borealibus a me non visa.

*Subdiv.* 2. Alae tantum anticae in quiete erectae, omnes integrae vix fimbriatae. Antennae clava apice uncinata. Color luteo-flavus, pictura, dum adest, linea nigra solitaria, et maculis quadratis pallidioribus alarum subtus. *Hesperia* BOISDUVAL.

**3. H. Comma:** alis luteis, margine obscurioribus, punctis maculisque quadratis supra flavis subtus albidis distinctioribus; anticis maris lineola discoidali nigra argenteo-inscripta. (Long. al. exp. 1¼ poll.)

FABR. Ent. Syst. 3. 1. 325. 233. DALM. 201. 2. ♂♀. *Papilio* LINN. Fn. Sv. 1080. OCHSH. Schm. I. 2. 224. 16. HÜBN. Pap. T. 95. f. 479. ♂. 480. 481. ♀.

Hab. in Lappon. Suecica rarius; in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae, ex. gr. ad Talvig et Bossekop pass., d. 1—6. Aug. a me capta. Larva sordide virescens ferrugineo-immixta, collari annulo albo. (Lapp.-Scania freq. in copula.)

*Obs.* Auctor. *H. Linea*, *Sylvanus*, *Paniscus* et *Sylvius* in Suecia inferiori et Finlandia rarius obviae, in Lapponia vix occurrunt, nisi forte *H. Sylvius*, quem sub itinere lapponico invenerat D. BOHEMAN.

---

## FAM. 3. SPHINGIDES. LATR. BOISD.

### 13. Dilina. DALM.

DALM. Sphingid. Sv. Act. Holm. 1816. p. 205. *Laothoë* FABR. *Smerinthus* LATR. BOISD. Ind. *Sphinx* LINN. Auct.

Magna. Caput parvum retractum. Palpi brevissimi obtusi, oculorum medium vix attingentes, dense squamati. Lingua brevissima spuria aut vix ulla. Antennae lineares flexuosae, nec rigidae. Alae angulatae l. dentatae l. emarginatae. Abdomen crassum imberbe. *Color* varius, pictura saepissime fasciata. Abdomen unicolor. *Volatus* gravis, nocturnus, ob linguam brevem mel florum volando haurire inepta. *Habitatio* in sylvis; die in truncis arborum tranquilla sedet; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* solitaria scabra, capite triangulari, supra acuminato; cornu anali. *Pupa* nuda, terra sepulta. *Differentia sexus; mas:* antennis prismaticis, subtus scobinaeformibus, costis undulatis ciliatis; *femina:* antennis simplicibus subfiliformibus, subtus sublaevibus. Spec. Scand. 3, lingua brevissima, alis angulatis etc. a reliquis suae familiae generibus distinctae.)

**1. D. ocellata:** alis subangulatis, anticis rubicundo-cinereis brunneo-fuscoque variegatis, posticis roseis ocello caeruleo iride nigra, fusco-pupillato; thorace vitta dorsali lata abrupta brunnea. ♂♀. (Long. al. exp. 3¼ poll.)

DALM. Sphing. Sv. 212. 1. *Sphinx* LINN. Fn. Sv. 1083. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 355. 1. OCHS. Schmett. I.2. 249. 2. HÜBN. 2. T. 15. f. 73. ♂. Var. minor. *Salicis* ROESEL I. 1. T. 1. f. 1—4. nostris major.

Hab. in Lapponia Tornensi rar. D. DEUTSCH. Larva subcaerulescenti viridis strigis lateralibus obliquis albidis, e foliis Salicum, Populi cet. vescitur. Pupa obscure brunnea, sub terra hybernans. (Lapp.-Scan. freq.)

**2. D. Populi:** alis dentatis cinereo-griseis fasciis obscurioribus, anticis puncto centrali albido, posticis basi ferrugineis. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ 3, ♀ saepe 3½ poll.)

DALM. Sphing. Sv. 212. 3. ♂♀. *Sphinx* LINN. Fn. Sv. 1084. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 357. 9 OCHS. Schm. 2. 252. 3. HÜBN. 2. T. 15 f. 74. ♂. ROES. 3. T. 30.

Hab. in Lapponia, ut fertur, mihi ibi non obvia. (Lapponia; Ostrogothia rar. — Gottlandia — Scan. pass.)

Larva similis prioris, magis flavescens, in Salice et Populo hospitatur, in pagina inferiori folii plerumque sedens. Pupa ut in praecedenti.

*Obs.* *Dilina* (Sphinx) *Tiliae* LINN. FABR. et Auct., alis anticis emarginato-dentatis virescenti aut rufescenti nebulosis fascia media saturatiori subinterrupta; posticis luteis fascia obsoleta fusca; in Suecia inferiori non rara, in Lapponia hactenus non visa.

---

### 14. Sphinx. LINN.

LINN. FABR. OCHS. LATR. DALM. *Spectrum* SCOPOLI. *Deilephila* BOISD.

Inter majores. Caput exsertum. Palpi magni prominuli obtusi ad marginem superiorem oculorum adscendentes, dense squamati. Lingua (in nostris) saepius longissima. Antennae lineares validae rigidae, basi graciliores, apicis acumine curvato. Oculi magni. Alae elongatae integrae. Abdomen crassum, apice acutum, imberbe. *Color* varius, pictura subfasciata. Abdomen rariss. unicolor. *Volatus* vespertinus vel matutinus celerrimus; lingua longissima mel florum praecipue tubulosorum sub volatu apte haurit. *Habitatio* in sylvis et pratis; per partem sylvaticam Lapponiae rarissime. *Larva* laevis glabra capite rotundato retractili; plerumque cornu anali instructa; vorax. *Pupa* oblonga nuda humo l. quisquiliis sepulta. (Spec. Scand. 6, *Sphing. Atropos* remota et ad proprium genus, capite majori lingua pectore breviori et abdomine crassissimo obtuso praecipue distinctum, relata.)

**1. Sph. Pinastri:** corpore alisque cinereis, harum anticis lineolis 3 disco approximatis nigris, thoracis vitta utrinque abdominisque cingulis medio interruptis supra albo-marginatis, atris. ♂♀. (Long. 3—3½ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1088. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 367. 35. OCHS. Schm. 2. 243. 4. HÜBN. 2 T. 13. f. 67. ♂. ROES. 1. 1. T. 6. f. 1—5. PANZ. Fn. 82 22. DALM. Sphingid. Sv. 214. 5. DAHLB Skand. Ins. Skada och Nytta p. 162.

Hab. in sylvis Lapponiae. Larva virescens lineis dorsali ferruginea, laterali flava, capite antice ochraceo, brunneo-lineato, e foliis Pini sylvestris vescitur. Pupa brunnea sub terra aut muscis hybernans. (Lapp.-Suecia media et Gottlandia freq. — Scania borealis, Dania haud rar. BOIE.)

**2. Sph. Elpenor:** corpore alisque olivaceo-viridibus; illo supra vittis angustioribus, subtus toto purpurascenti; alis anticis fasciis obliquis roseis, posticis rubris, basi atris. ♂♀. (Long. al. exp. 2¼—2½ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1089. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 372. 51. OCHS. Schm. 2. 209. 3. HÜBN. 2. T. 10. f 61. ♀. ROES. 1. 1. T. 4. f. 1—7. DALM. Sphing. Sv. 215. 6.

Hab. in pratis Lapponiae rar. Larva aut virescens aut brunnea aut nigricans, ocellis collaribus 4, in Epilobio, Galio etc. hospitatur. Pupa obscura, foliis alligatis involuta. (Lapp.-Scan. pass.)

**3. Sph. Porcellus:** corpore alisque flavescenti olivaceo-viridibus; illo supra vittis latioribus, subtus toto purpurascenti; alis anticis maculis costalibus fasciaque marginali roseis, posticis basi fuscis fasciisque media flavescente, marginali rubra. (Long. al. exp. 1⅝—1⅞ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1090. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 373. 52. OCHS. Schm. 2. 211. 4. HÜBN. 2. T. 10. f. 60. ♀. (nostris major). (ROES. 1. 1. T. 5. f. 1 larva, 2 pupa, 3. 4 imago (male colorata). DALM. Sphing. Sv. 215. 7.

Hab. cum priori in Lapponia forte adhuc rarius. Larvae forma, colore et victu ut in priori, at minores, et larva ocellis collaribus 3 utrinque anoque tuberculo anali loco cornu gaudet. (Lapp.-Scan. pass.)

*Obs. Sph. Convolvuli, Ligustri* et *Galii* in Suecia inferiori sed vix in Lapponia habitant; at *Sph. Euphorbiae* Auct. genuina vix Sueciae incola, a LINNEO cum *Sph. Galii* commixta.

## 15. Macroglossa. BOISD.

BOISD. Ic. 2. p. 12. STEPH. *Macroglossum* SCOP. LASPEYR. *Sesia* FABR. Gloss. WESTW. *Hemaris* DALM. *Sphinx* LINN. GOD. LATR. cet.

A majoribus abit. Caput villosum subexsertum. Palpi magni prominuli densissime pilosi obtusi, ad marginem superiorem oculorum assurgentes, fronti appressi. Lingua longitudine corporis. Antennae rigidae extrorsum sensim distinctius incrassatae apice angustiore, totae atrae. Oculi magni nudi. Alae anticae corpore parum longiores, omnes saepe fenestratae l. hyalinae, stigmate ante medium costae locato. Abdomen depressum latum, lateribus postice densius pilosum, ano obtuso barbato. *Color* cinereus, (in nostris) nigro-flavoque varius. *Volatus* rapidissimus diurnus meridianus. Ante florem volitans lingua longa mel florum haurit, plantae non insidens. *Habitatio* in pratis, per partem infimam Lapponiae rarissime. *Larva* elongata cylindrica laevis, capite globoso, cornu anali. *Pupa* supra terram intra folia l. quisquilias folliculata. *Differentia sexus*; *mas:* antennis cylindrico-prismaticis subtus scobinaeformibus ciliatis; *femina:* antennis subtus simplicibus muticis. (Spec. Scand. 3, a *Dilina* alis integris, lingua longiori etc.; et a *Sphinge*, cui adhuc propiores, antennis extrorsum crassioribus, alis paullo brevioribus, volatu diurno, ano obtuso barbato etc. mox dignotae.)

*Subdiv.* 1. Alae opacae, non fenestratae; anticae posticaeque discolores.

*Macrogl.* (Sphinx) *Stellatarum* LINN. in Ostrogoth., Gottlandia et Smoland. passim a me visa, alibi rarius, in Lapponia non inventa.

*Subdiv.* 2. Alae hyalinae, omnes concolores.

**1. M. Fuciformis:** alis hyalinis, macula costali media margineque posteriori latiori atro-purpureis, corpore flavo-virescente, abdominis fascia media anique barba laterali brunneo-nigris, pedibus anticis pallidis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ poll.)

*Sphinx* LINN. Syst. Nat. Ed. 12. 803. 28. HÜBN. 2. T. 9. f. 55. ROES. 3. T. 38. f. 2 3. (imago). 4. T. 34. f. 1. 2. (larva). f. 4. pupa. PANZ. Fn. 69. 23. Eadem ESPER. BORKH. SCHRANK. ROSSI etc. *Sesia* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 381. 11. *Hemaris* DALM. Sphing. Sv. 215. 2. *Sphinx bombyliformis* OCHS. Schm. 2. 189. 2.

Hab. in Lapponia ut audivi, mihi ibi non obvia. (Lapp.-Upsalia initio mens. Jun. freq. in floribus Orobi D. DALMAN — Gottlandia rar. — Scan. pass. in Trifolio pratensi. Larva viridis flavo-lineata spiraculis rufescentibus, cornu anali curvo, in Galio et Lonicera degit.)

**2. M. Bombyliformis:** alis hyalinis, margine posteriori anticarum mediocriter, posticarum tenuissime fusco, corpore flavo-virescente, abdomine flavo-fulvo, fascia media anique barba laterali, pedibusque anticis, nigris. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ poll.)

*Sesia* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 382. 12. *Hemaris* DALM. Sphing. Sv. 216. 3. *Sphinx* HÜBN. 2. T. 9. f. 56. PANZ. Fn. 69. 24. Eadem SCHRANK. BORKH. ESPER. *Sphinx fuciformis* LINN. Fn. Sv. 1092? (cfr. DALMAN l. c not.). OCHS. Schm. 2. 185. 1. LASPEYR. etc.)

Hab. in Lapponia rarissime cum priore; in terris arcticis mihi non obvia. (Lapp.-Wermelandia-Gottlandia rar. — Ostrogothia in Lychnide Viscaria etc. a me passim lecta — Scan. rar. Larva aeruginosa linea laterali alba, spiraculis rufescentibus, cornu anali recto, in Scabiosa hospitatur.)

# FAM. 4. SESIARIAE. BOISD.

## 16. Sesia. FABR. Ent. Syst.

LATR. Gen. Ins. 593. LASP. PANZ. OCHS. DALM. GOD. BOISD. Ic. 2. p. 8. *Trochilium* SCOP. STEPH. *Aegeria* FABR. Gloss. *Sphinx* LINN. HÜBN.

Minor. Caput exsertum pilosum. Palpi 3-articulati (secund. LASPEYR. 2-articulati), elongati reflexi pilosi l. squamati. Lingua saepius elongata. Antennae graciliter fuciformes apice setigerae. Oculi magni ovati nudi. Alae subhorizontales parum deflexae angustae fenestratae, stigmate pone medium costae. Abdomen 8-annulatum elongatum cylindricum sublineare l. postice nonnihil attenuatum, ano saepe barbato. Pedes elongati. *Color* niger, pictura antennarum interdum, abdominis semper fasciata l. annulata facile detergenda. *Volatus* plerumque celerrimus, interdum brevis, modo Vesparum; diurnus, meridianus l. vespertinus. *Habitatio* in floribus et graminosis, illisque supersedens, etiam ligno nuper secato insidens; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* subnuda l. tenuiter pubescens, decolorata, in medulla l. cortice interiori fruticum l. arborum, Populi Tremulae, Betulae albae etc. et radicum, occulta vitam degens; flavescens l. albida, capite crasso obscuro. *Pupa* in annulorum margine scabra l. spinulosa. *Differentia sexus*; *mas:* abdomine nonnihil angustiore, antennis interdum subtus ciliatis l. breviter bipectinatis; *femina:* abdomine paullo crassiore, antennis simplicibus. (Spec. Scand 9, antennis graciliter fuciformibus, apice distincte floccidis, palpis elongatis, alis valde angustatis hyalinis, stigmate pone medium costae locato, tibiarum posticarum armatura valida, pictura annulata continua, nec abrupta, etc. ab affinibus distinctae).

*Subdiv.* 1. Antennae validiores. Lingua brevissima. Verticis coma dense villosa. Corpus robustum, ano vix barbato. Major. Segnis et tarda, lingua brevi ad mel florum hauriendum inepta, truncis arborum plerumque quiescens, vix nisi lacessita l. tempore copulationis volatum tardum tentans.

**1. S. Apiformis:** atra, alis hyalinis, nervis marginibusque fuscis, thoracis macula utrinque humerali quadrata, abdominisque cingulis, flavis, horum 2do et 3tio distantibus, 1mo angustissimo, anali latissimo; tibiis testaceis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ fere $1\frac{3}{4}$ poll.)

LASP. Ses. Europ. p. 7. n. 1. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 382. 13. OCHS. Schm. 2. 121. 1. HÜBN. Sph. T. 8. f. 51. DALM. Zygaenid. Sv. 217. 1. *Sph. Apiformis* LINN. Fn. Sv. 1093.

Hab. in Populetis per totam Sueciam haud infrequenter; forte etiam in Lapponia hospitatur, sed cum intra limites Lapponiarum eam non vidi, hoc modo ulteriori scrutationi illam offerre volo.

*Obs. Ses. Sireciformis* LASP. et HÜBN. sine dubio est non nisi *Sesiae Apiformis* varietas obscurior oleo quasi iuuncta, qualis in Suecia saepe occurrit. SCHNEIDERI *Ses. Crabroniformis* (*S. melanocephala* DALM.) in terris Scandinaviae meridionalibus rarissime visa, in borealibus non lecta.

*Subdiv.* 2. Antennae tenuiores. Lingua longitudine fere abdominis. Vertex subdepressim pilosus. Corpus gracilius, ano barbato. Mediae l. minores. Agilissimae. Floribus insidentes mel eorum sub vibratione alarum et perpetuo pedum abdominisque motu hauriunt, tantum diebus nubilis l. minus calidis in vel sub foliis quiescentes.

A. Antennae ante apicem annulatae.

**2. S. Sphegiformis:** alis hyalinis, marginibus anticarumque fascia media atro-purpureis, abdomine barbato-nigro, basi cingulo flavo, antennarum annulo albo. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ $1\frac{1}{3}$ poll.)

FABR. Ent. Syst. 3. 1. 383. 15. *Ses. Spheciformis* LASP. Ses. Eur. p. 12. No. 5. OCHS. Schm. 2. 134. 6. HÜBN. Sph. T. 16. f. 77. ♀. 78. ♂. (var. cingulis abdom. 2.) — DALM. Zygaenid. Sv. 218. 4.

Hab. in Lapponia rarius; ♂ ad Badstutraesk Lapponiae Umensis 30. Jun., et ♀ in Lapponia Tornensi a me captae. (Lappon. Suecica-Botnia borealis ad Calix D. SMALTZ — Wermlandia et Ostrogoth. D. DALMAN rar. — Scania in Fogelsång rarissime, ipse.)

Antennae ante apicem *albae* (nec flavae) sunt omnino ut in specie FABRICII. Individuum unicum femineum, in Suecia inferiori captum, possideo abdominis cingulis 2 omnino ut in figura HUBNERI. An specie distincta? l. varietas *S. Scoliaeformis* (barba crocea detrita)? Nomen triviale *Sphegiformis* sine dubio rectius cum FABRICIO scribitur, quam cum Auctoribus: *Spheciformis*. *Mas:* antennis subtus duplici serie fasciculatim ciliatis.

*Obs. S. Scoliaeformis* OCHS. LASP. HÜBN. DALM. in Blekingiae Westrogoth. et Ostrogothiae Betula alba rarius capta, in Lapponia hactenus frustra quaesita.

B. Antennae totae nigrae immaculatae.

**3. S. Culiciformis:** alis hyalinis marginibus anticarumque fascia media caerulescenti-atris, abdomine barbato nigro, cingulo palpisque subtus fulvis. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅛ poll.)

LASP. Ses. Eur. 22. 14. f. 9 10. ♀. OCHS. Schm. 2. 159. 17. DALM. Zygaen. Sv. 220. 8. *Sphinx* LINN. Fn. Sv. 1094.

Hab. in Lapponia passim; scilicet in foliis Betulae albae ad Lycksele-avan, Katis-avan et ad Stensele, Lapponiae Umensis, nec non in inferalpinis maritimis Nordlandiae, ex. gr. in Lyngen et Gamstenstind, ut et inter Alten et Kautokeino Finmarkiae, d. 20. Jun. — 30. Aug. utrumque sexum haud infrequenter legi. (Lappon.-Suecia media passim.)

Descript. Insect. vivi. Caeruleo-atra. Palpi subtus fulvi. Litura nivea ante, et macula ejusdem coloris pone oculos. Macula pectoralis utrinque fulva. Alae hyalinae, margine et fascia media atris, certo situ caeruleescentibus, apice subviolaceis. Fimbria fusca. Alae basi utrinque fulvo-maculatae. Abdominis segmentum 4tum totum fulvum. Tarsi albescunt. Oculi ut quoque in mortua nigri unicolores.

**4. S. Formicaeformis:** alis hyalinis, marginibus anticarumque fascia media atro-purpureis, harum apice, palpis subtus abdominisque nigri barbati cingulo, fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ 7, ♀ fer. 8 lin.)

LASP. Ses. Eur. p. 24. No 15. et f. 11. ♀. f. 12. ♂. *S. Nomadaeformis* HÜBN. Sph. T. 19. f. 90. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; ad Lycksele 25. Jun. ♂, et ad Wilhelmina in fruticibus 20. Jul. ♀ invenimus D. DAHLBOM et ipse, in Dowre D. BOHEMAN. Lappon. Umensis; ♂ ad Silfåkra prope Lund Scaniae d. 8. Jul. 1836 unicum legi. Larvam albidam pubescentem, capite anoque ferrugineis, in ramulo Salicis, delineavit HÜBNER.)

Similis priori, paullo minor, pectore nigro immaculato, alis apice fulvescentibus et tibiis posticis ad spinas albo-annulatis mox dignota.

**5. S. Tipuliformis:** alis hyalinis, anticis marginibus fasciaque media purpurascenti-nigris, certo situ, apiceque semper aureo-micantibus, palpis subtus abdominisque nigri barbati segmentis alternis flavis. ♂♀. (Long. al. exp. 6½—7½ lin.)

LASP. Ses. Eur. 28. 19. OCHS. Schm. 2. 171. 23. HÜBN. Sph. T. 8. f. 49. ♀. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 385 21. DALM. Zygaen. Sv. 220. 9. *Sphinx* LINN. Fn. Sv. 1096.

Hab. in Lappon. rarius. (Lapp.-Gottlandia-Scania freq. — Larvam subpubescentem albidam, capite anoque ferrugineis, in ramulo Ribis, depinxit D. HÜBNER.)

*Obs.* Auctor. *Ses. Hylaeiformis*, *Ichneumoniformis* et *palpina* DALM. plus minus raro in Suecia inferiore occurrunt, in Lapponia forte peregrinae.

---

## FAM. 5. ZYGAENIDES. BOISD.

### 17. Zygaena. FABR.

LATR. Gen. Ins. 596. OCHS. PANZ. CUV. DALM. GOD. BOISD. Ic. p. 35. *Anthrocera* SCOP. *Sphinx* Auct. Vet.

Minor. Caput exsertum villosum. Palpi pilosi acuminati. Antennae elongatae flexuoso-clavatae, in utroque sexu simplices (subtus nec ciliatae nec pectinatae). Alae anticae angustae. *Color* trunci ater. Alae anticae metallice nitentes, (in nostris) sanguineo-maculatae, posticae sanguineae, nullae fenestratae. *Volatus* brevis gravis tardus. *Habitatio* in pratis elevatis et campis aridis, ubi in floribus mellificant; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* crassa subcylindrica pubescens, pallida aut virescens, seriatim nigro-punctata, herbis leguminosis praecipue victitat. *Pupa* folliculata, folliculo homogeneo, sericeo-membranaceo; cylindrico-conica, culmo l. cauli plantae adfixa. Pupae status circiter 20 dies. *Differentia sexus* in antennarum clava in *mare* distinctiore, et abdomine angustiore quam in *femina* (in nostra specie) detegitur. (Spec. Scand. 6, *Zyg. exulante* et *Vanadis* DALM. tantum sexu distinctis et ut una computatis. Copulatio inter diversas species in hoc genere frequenter secundum observationes D. BOISDUVALI existit, et *Z. Filipendulae* huic praesertim propensa erit.)

**1. Z. exulans:** alis anticis fusco-virescentibus subdiaphanis, maculis 5 inaequalibus rubris; posticis rubris, margine fusco-virescenti, pedibus subluteis. ♂♀. (Long. 1⅛ poll., interdum nonnihil ultra.)

*Mas:* antennarum clava crassa determinata, corpore, saepe etiam pedibus, nigris, alarum anticarum venis concoloribus, abdomine angustato.

*Fem.:* antennarum clava graciliori, collari pedibusque sublutescentibus, alarum anticarum venis interdum (in individ. bene conservatis) albido-squamatis; abdomine crasso; in copula.

DALM. Zygaen. Sv. 222. 5. ♀. BOISD. Icon. Lepid. p. 54. 14. T. 54. f. 4. ♂. et f. 5. ♀. OCHS. Schm. l. 2 40. 9. ♀. *Sphinx* HÜBN. Sph. T. 2. f. 12. ♂. T. 20. f. 101. ♀. *Zyg. Vanadis* DALM. l. c. 223. 6. ♂.

Var. b. alis anticis fusco-cyaneis, maculis 5 sanguineis, apicali majore, extus indeterminata; corpore pedibusque immaculatis. DALM. l. c. var. *β. Z. Vanadis*.

Hab. var. a. in Lapponiae Norvegicae seu Nordlandiae Finmarkiaeque alpibus vulgaris; in Gamstenstind, Lyngen, Bossekop et Skaadavaara, 26. Jul. usque ad 7. Aug. a me frequenter observata; mas et femina supra descripti in copula saepe capti. In jugo alpino inter lacum Kilpisjaur et Tromsoe, D. FRIGELIUS; in summitate Dowre ad Drivstuen, Kongswald, Fogstuen, Tofte, Jettefjellet etc., 25. Jul. — 1 Aug., DD. BOHEMAN et ROSENSCHÖLD; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis, D. KOLSTRÖM. Var. b. etiam e Lapponia Tornensi a D. Assessore DEUTSCH benevole missa. (Lapp.-Scand.-Helvet. Alpes, Pyren. BOISDUVAL et OCHSENH.)

*Obs.* *Z. Filipendulae:* atra, alis anticis viridi-cyaneis fuscociliatis, maculis 6 rubris; posticis rubris, margine tenui nigro; abdomine immaculato. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅜—1½ poll.) LINN. PANZ. FABR. OCHS. HÜBN. DALM.; et

*Z. Lonicerae:* atra, alis anticis nigro-cyaneis, maculis rubris, subtus concoloribus; posticis rubris, limbo lato sinuato nigro-cyaneo, antennis omnino nigris. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅛—1¼ poll.) OCHS. HÜBN. DALM. etc.: in pratis apricis per totam Sueciam vulgares, intra terminos Lapponiae haud visae, quantum novi; nec Auct. *Z. Trifolii*, *Meliloti* et *Scabiosae*, in Suecia media et meridionali rarius lectae, in terris Scandinaviae arcticis l. borealibus occurrunt.

---

### 18. Aglaope.

DALM. *Sphinx* LINN. et Vet. *Zygaena* FABR. Ent. PANZ. *Atychia* OCHS. *Procris* FABR. Gloss. LATR. BOISD. Ic. p. 78.

Inter Crepuscularia nostra fere minima. Palpi assurgentes, clypeo breviores, squamati, nec hirsuti. Frons (clypeus) squamata. Ocelli minuti. Antennae sublineares, versus apicem (in nostra) nonnihil incrassatae; subtus in ♂ bipectinatae, in ♀ obsolete denticulatae. Alae anticae paullo latiores quam in *Zygaena*. Pedes nudiusculi et subinermes. *Color* viridis, fuscus, pictura nulla. *Volatus* haud celer, nec continuus. *Habitatio* in pratis apricis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* tenuissime villosa, subdepressa (teste OCHS.), capite parvo, dorso squamulato. *Pupa* pallida. *Differentia sexus*; *mas:* antennis bipectinatis; *femina:* antenn. simplicibus. (Spec. Scand. 1, nostra, antennarum clava graciliore, capite palpisque squamatis, nec pilosis, antennis maris pectinatis, alis in utroque sexu nonnihil latioribus immaculatis, tibiis apice vix calcaratis, volatu minus gravido, larva subdepressa, etc. a *Zygaenis* facile dignota.)

**1. A. Statices:** caerulescenti viridis, alis anticis concoloribus, subtus posticisque totis fuscis, antennis subclavatis. ♂♀. (Long. al. exp. 1—1⅛ poll.)

*Mas:* antennis medio distincte bipectinatis, apice incrassato subtus squamato.

*Fem.:* alis brevioribus, abdomine crassiore, antennis subtus obsolete dentatis l. serratis, apice incrassato; in copula.

DALM. Zygaen. Sv. 224. 1. ♂♀. *Sphinx* LINN. Fn. Sv. 1098. HÜBN. Sph. T. 1. f. 2. ♂. *Zygaena* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 406. 68. PANZ. Fn. 32. 24 *Atychia* OCHS. Schm. 2. 11. 1.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi supra Upsaliam haud obvia, e Torneå ut Lapponiae incola a D. DEUTSCH communicata. (Lapponia; Uplandia-Gottlandia-Scan. freq.)

Ova pallide straminea. Larva nigro-flavo-fulvoque lineata, Rumice Acetosa (et in Suecia inferiore etiam Statice Armenia) victitat. Pupa brunneo-flava. Imago tota caeruleo-viridis, antennarum pectinibus (in ♂) nigris. Alae immaculatae, anticae subtus, posticae totae, palporum articulus ultimus, tarsique, fusca. Abdomen aureo-viride.

## FAM. 6. BOMBYCINAE. (*Bombycini* etc. Boisd.*) Suec. *Spinnare.*)

### 19. Hepialus. Fabr.

Latr. Gen. Ins. 603. Panz. Schrk. Billb. Boisd. Ic. p. 185. *Hepiolus* Ill. Ochs. *Noctua* Linn. *Bombyx* Hübn.

Major aut medius. Antennae thorace multo breviores (in nostro), subfiliformes aut serratae. Palpi brevissimi pilosissimi. Lingua brevissima. Alae subaequales elongatae subangustatae, margine interiori arcuato, nec angulato. Abdomen elongatum subnudum. *Color* obscurus, pallidus; pictura strigosa. *Volatus* gravis vespertinus gyrans. *Habitatio* in pratis die sub plantis humilibus quiescens; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* elongata subglabra, capite nitido mandibulis validis, in ligno et in radicibus diversarum plantarum degit. *Pupa* elongata cylindrica folliculata, folliculo frustulis terreis immixto. *Differentia sexus*: *femina* colore obscuriore a *mare* plerumque dignoscitur. (Spec. Scand. 5, antennis in utroque sexu brevissimis aut simplicibus aut serratis, et alis subaequalibus, angustatis tenuibus dignotae.)

**1. H. Velleda:** alis fuscis, anticis maculis strigisque albidis l. obscuris, fascia postica et striga exteriori albidis. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

Ochs. Schmett. 3. 105. 2. *Bombyx* Hübn. Bombyc. T. 50. f. 212. ♂. T. 54. f. 233. ♂. 234. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Wilhelmina in graminosis 15. Jul. 1832 inveni. (Lapp.-Suec. borealis — Ostrogoth. ad Godegard d. 15. Jul. 1825. Larva in Pteride aquilina degit.)

Fascia alarum anticarum sinuata et ad apicem (prope costam) bifida. Secundum Ochsenheimer l. c. degit larva hujus speciei in radice Pteridis aquilinae

*Obs.* Linn. et Auctor. *Hep. Humuli*, *Hectus*, *Lupulinus* et *Sylvinus* passim in Suecia interiori capti, in Lapponia non visi, quantum novi.

Nec *Cossus Ligniperda* Linn. et *Aesculi* Fabr. (*Noctua pyrina* Linn.) Sueciae incolae, a me in terris arcticis observatae.

---

### 20. Saturnia. Schrank.

Boisd. Ic. 170. Leach. Ochs. *Attacus* Germar. — *Bombyx* Linn. Fabr. Hübn. Latr.

Inter maximas hujus Familiae. Antennae bipectinatae. Lingua nulla. Alae latae triangulares horizontaliter patulae, centro ocellatae. Palpi pilosissimi. Corpus crassum villosum, abdomine breviusculo. *Color* dominans (in nostra) cinerascens; pictura subundulata, ocello centrali. *Habitatio* in sylvaticis Lapponiae. *Larva* crassa cylindrica. *Pupa* rotundato-ovata, folliculata, folliculo pyriformi, apice angustiore foramine elastico-dehiscente. *Differentia sexus*; *mas*: antennis pennatis, *femina*: antennis bipectinatis. (Spec. Scand. 2.)

**1. S. Pavonia:** alis griseo-cinereoque nebulosis fasciatisque, singula ocello centrali nictitante; posticis maris subflavescentibus. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $2\frac{3}{4}$, ♀ 2¹–3 poll.)

*Bombyx* Linn. Fn. Sv. 1099. *B. Pavonia minor* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 417. 32. *Saturnia Carpini* Ochs. Schm. 3. 6. 3. ♂♀. Hübn. Bomb. T. 14. f. 53. ♂. 54 ♀.

Hab. inLapponia passim; in Lapponia septentrionali D. Portin, in meridionali ipse. Larva virescens in Betula Alnus et alba, in Salice caprea, Erica vulgari, Vaccinio Myrtillus etc. hospitatur. E pupa, ad Lycksele Lapponiae Umensis Aug. 1832 a me inventa, imago feminea non antequam d. 26. April. 1834 egressa. (Lapp.-Scan. haud infreq.)

*Obs.* *Saturn.* (*Bombyx*) *Tau* Auct. in Suecia interiori rarius lecta, in Lapponia non visa.

---

*) Cum nomina fere omnium Generum sub hac Familia militantium terminationem femininam habent, eandem terminationem Familiae quoque tribuendam esse putavi, nisi terminatio in *ides* Billb., aut in *ites* Latr. magis arrideret. Sub hac nostra Fam. plures Tribus *Heterocerarum* Boisd. comprehenduntur.

### 21. Endromis. Ochs.

Boisd. Ind. p. 50. *Bombyx* Linn. Schrank. Esper, Borkh. Hübn. Roes. Panz. Fabr.

Inter magnas hujus Familiae. Antennae bipectinatae. Alae latae subtriangulares, subtiliter squamatae, basi villosae, anteriores lunula s. semiocello subcentrali. Corpus crassum longe et dense villosum. *Color* brunneus l. pallidus, pictura subfasciata et maculata. *Habitatio* in pratis sylvaticis Lapponiae. *Larva* Sphingoidea nuda, tuberculo pyramidali in segmento ultimo. *Pupa* folliculata. *Differentia sexus*; *mas*: antennis longe pectinatis, alarumque colore obscuriore, a *femina*: antennis breviter pectinatis et alarum colore pallidiore dignoscitur. (Spec. Scand. 1, nostra, abdominis villositate longa et densa, alis tantum semi-ocellatis et larvae conditione a *Saturnia*, cui sat affinis, distincta.)

**1. E. versicolora:** alis brunnescentibus aut pallidis, strigis nigris albisque, anticis in medio hamulo s. lunula cornibus extrorsum flexis obscura, collari albo. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ 2¹–$2\frac{3}{4}$, ♀ 3–$3\frac{1}{4}$ poll.)

*Mas:* alis anticis colore dominante brunneo, posticis eodem fulvescente.

*Fem.:* alis anticis colore dominante pallide griseo, posticis eodem albido.

Ochs. Schm. 3. 16. 1. ♂♀. *Bombyx* Linn. Fn. Sv. 1111. ♂. Panz. Fn. 21. 22. Roes. 3. T. 39. f. 3. ♀. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 427. 64. Hübn. Bomb. T. 1. f. 1. ♂. 2. ♀.

Hab. in Lapponiae betuletis rarius; in Lapponia Tornensi masculum jam medio mensis Maji inveni. (Lapp.-Botnia borealis ad Johannis Ro-Scan. rar. — Larva virescens strigis lateralibus albis, in Betula et Alno habitat; pupa nigricans sub muscis inventa.)

---

### 22. Harpyia. Ochs.

*Bombyx* Linn. Panz. Esp. Borkh. Fabr. Hübn. *Pania* Dalm. *Cerura* Schrk. Latr. *Dicranura* Boisd. Ind.

Magna aut media. Antennae (totae in nostris) bipectinatae. Lingua brevissima. Alae in quiete deflexae. Abdomen non dense hirsutum. *Color* dominans albido-cinerascens; pictura saepissime punctis strigisque nigris. *Habitatio* in Salicetis et Populetis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* solitaria, dorso tuberculato, ano erigendo bifurco, pedibus tantum 14, (scilicet 2 posticis s. analibus in caudam furcatam transformatis.) (Spec. Scand. 7, larvarum forma a reliquis praesertim distinctae.)

**1. H. Vinula:** alis anticis albido-canis, punctis strigisque fuscis repandis dentatisque; posticis aut albidis (♂), aut fuscis (♀), corpore in utroque sexu albido-cano nigroque variegato. ♂♀ (Long. al. exp. ♂ 2–$2\frac{1}{2}$, ♀ $2\frac{7}{8}$–$3\frac{1}{8}$ poll.)

Ochs. Schm. 3. 20. 1. ♂♀. *Bombyx* Linn. Fn. Sv. 1112. Roes. 1. T. 19. f. 1–10 var. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 428. 67. Hübn. Bomb. T. 9. f. 34. ♀.

Hab. in Lapponiae Salicibus passim; e pupa ad Lycksele Lappon. meridionalis Aug. 1832 capta, imago mascula 18. Majo anni sequentis egressa; e Lapponia septentrionali D. Portin. (Lappon.-Westrogothia freq. D. König — Scan. certis annis etiam freq., jam initio mens. Maji saepe lecta. Larva viridis, dorso fusco, in Salicibus et Populo Tremula hospitatur.)

**2. H. phantoma:** alis nigricantibus immaculatis; corpore albo supra nigro-punctato, abdominis dorso nigro, segmentis margine albis. ♀. (Long. al. exp. 3 poll. et ultra.)

*Bombyx* (*Pania*) *phantoma* Dalm. Analect. Holmiae 1823. p. 92.

Hab. in Lapponia, Mus. D. a Paykull. (Lappon.-Suecia borealis.)

Statura omnino prioris, cui valde affinis, sed plerumque paullo major et alarum colore etc. certe distincta. Non nisi pauca specimina hactenus detecta.

**3. H. arctica:** „alis anticis cinereis punctis strigisque fuscis dentatis, fasciisque obscurioribus; posticis fuscis." Dalm.

Dalman in litteris.

Hab. in Lapponia teste D. Dalman, ibi a me frustra quaesita mihique ignota. (Lapponia.)

**4. H. furcula:** alis griseis, anticis basi margineque postico nigro-punctatis, fascia ante medium transversa fusca, intus recta, extus flexuosa; posticis thoraceque antice, albidis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

OCHS. Schm. 3. 32. 5. *Bombyx* LINN. Fn. Sv. 1122. PANZ. Fn 4. 20. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 475. 213. HÜBN. Bomb. T. 10. f 39. ♀.

Hab. in Lapponiae Salice caprea, ut fertur, mihi ibi non obvia. (Lapp.-Scan. pass. Larva viridis, supra ferrugineo-maculata.)

*Obs. H bicuspis* et *bifida* OCHS. et HÜBN. in Suecia inferiori rarissime inventae, in Lapponia vix occurrunt. *H. Fagi* OCHS. (seu *Pania* DALM. *Bombyx* LINN. et Auct.) antennis apice nudis, Scandinaviae rarissime incola, mihi in Lapponia non obvia. — Forte etiam *Bomb. laeta* FABR. Ent. Syst. 3. 1. p 454. 147., huic generi inserenda. *Harp. furculae* affinis, opinante Cel. SCHÖNHERR.

---

## 23. Notodonta. OCHS.

BOISD. Ind. p. 54. *Bombyx* LINN. FABR. ESPER. BORKH. SCHRK. HÜBN.

Media. Antennae pectinatae. Lingua brevissima. Dorsum thoracis saepe cristatum. Alae anticae margine interiori denticulo distincto squamato, in quiete supra dorsum elevato. *Color* grisescens, pallidus; pictura varie strigata l. litturata. *Habitatio* in sylvis, per partem inferiorem Lapponiae *Larva* solitaria nuda, caput more Sphingum erigente. *Differentia sexus: mas:* antennis distincte bipectinatis; *femina:* antennis aut brevissime pectinatis aut subfiliformibus. (Spec. Scand. 12 habitu fere *Noctuae*, corpore graciliore, abdom ne lineari, alis anticis ante medium marginis interioris denticulo et fasciculo pilorum instructis, larvarumque conditione a reliquis Bombycinis dignotae.)

**1. N. Ziczac:** alis anticis brunneis spadiceo-undatis fasciatisque, striga lunari obscura; posticis in ♂ albidis, in ♀ cinerascentibus, fascia intramarginali obsoleta maculaque anali in utroque sexu fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $1\frac{3}{4}$, ♀ 2 poll.)

OCHS. Schm. 3. 48. 2. ♂♀. *Bombyx* LINN. Fn. Sv. 1116. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 442. 107. ROES. 1. T. 20. f. 1—8. imago, larva, pupa. HÜBN. Bomb. T. 6. f. 26. ♂. DAHLB. Skand. Ins. Skada och Nytta. Lund 1837. p. 183. f. 12. larva, f. 13. imago. GUERIN. Iconogr. du Règn. Anim. T. 87. f. 3

Hab. in Lappon. rarius. Larva rubens, postice ferruginea, dorso antice gibberibus 2, foliis Salicum et Populi victitat. (Lappon.-Scan. freq. Dania vulgaris, D. BOIE.)

**2. N. Camelina:** cristata, alis denticulatis anticis ferrugineo-testaceis, fascia strigisque denticuloque dorsali reflexo obscurioribus; posticis pallidis macula anali fusco-caerulea. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{3}$ poll.)

OCHS. Schm. 3. 58. 6. *Bombyx* LINN. Fn. Sv. 1145. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 450. 133. ROES. 1. T. 28. f. 1 — 5. HÜBN. Bomb. T. 5. f. 19. ♂. alarum macula dorsali et anali nimis obscuris et magnis. *Bomb. capucina* LINN. Fn. Sv 1144. ♀. var.

Hab. in Lapponia passim, ad Stensele Lapp. Umensis d. 3. Jul. a me lecta. (Lapp. meridion.-Ölandia-Gottlandia-Scania freq.)

Alar. macula analis in nostris parva obsoleta fusco-caerulea. Larva virescens linea dorsali alba, e foliis Salicis, Betulae etc. vescitur.

**3. N. frigida:** alis anticis dorso dentatis fuscis, costa cinerea, macula ante apicem elongata vittaque basali nigris; posticis fuscescentibus, litura anali obscuriori. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Tornensi. Mus. D. SCHÖNHERR., rariss., mihi non obvia. (Lapp. borealis.)

Affinis et similis *N. Dictaeae* et *Dictaeoidi*, sed a priori alis posticis fuscis, nec albis, a posteriori alarum anticarum macula anguli interioris triangulari nulla l. tantum tenuissima strigiformi cinerea, et ab utraque alarum anticarum plaga media cinerea, minimeque alba, facile dignota. Alae anticae fuscae, dimidietate antica seu costali cinere, macula ante apicem elongata nigra ut in *Dictaea*. Vitta a basi vix ad medium alae juxta marginem interiorem ducta quoque nigra Alae posticae fuscescentes l. sordide cinereae, margine anguste fimbriaque ad angulum ani nigro-fuscis.

**4. N. carmelita:** alis dentatis ferrugineis, anticis ad marginem interiorem cinereis, fascia media obliqua versus marginem interiorem angustata, et dorso denticulo piloso reflexo nigro terminata saturatiori, maculisque costalibus 2 albidis; posticis fascia strigiformi obliterata pallida lituraque anali caerulescente. ♀. (Long. al. exp $1\frac{1}{2}$ poll.)

OCHS. Schm. 3. 61. 7. *Bomb. Capucina* HÜBN. Bomb. T. 5. f. 21.

Hab. in Lappon. Dalecarlica rarissime, ad Goerdalen D. BOHEMAN specimen unicum legit mihique ad describendum benignissime communicavit. (Lappon. meridional.)

Caput, antennae et thorax rubiginosa. Alae omnes denticulatae fimbria alba nigro-intersecta; anticae cinereae, venis albo nigroque punctatis fasciaque media obliqua obscura. Costa indeterminate ferruginea, maculis 2 albidis, una ante medium minutissima (ejusque vix nisi vestigio), et altera pone medium, ubi fascia obscura in costa excurrit, paullo majori subtriangulari determinata. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs. Bomb. Tritophus* FABR., *Dromedarius* FABR., *Dictaea* LINN. Syst. Nat. (*B. Tremula* LINN. Fn ), *Dictaeoides* OCHS. (*B. Gnoma* FABR.), *Palpina* LINN., *Bicolora* FABR. et *Trepida* FABR. (*B. serrata* THUNB. Diss. 3. 47.), huic generi subjectae, in Suecia inferiori rarius inventae, in terris arcticis neque a me, neque ab alio, quantum novi, collectae.

---

## 24. Pygaera. OCHS.

BOISD. Ind. p. 47. *Bombyx* LINN. et Auct. *Liparis* SCHRK. *Sericaria* LATR.

Major, media aut minor. Antennae bipectinatae. Lingua brevis. Alae deflexae corpus subcingentes; inferiores superioribus angustatis penitus supertectae. Abdomen elongatum sublineare. Anus maris barbatus fasciculo bifido, in quiete erectus. Pedes antici saepe porrecti. *Color* cinerascens; pictura: macula in thorace alarumque apice. *Habitatio* in pratis, per partem sylvaticam Lapponiae. Statura *Noctuae*. *Larva* parce hirta, in segmentis praesertim 4to et ultimo fasciculo piloso, plerumque intra folia convoluta hospitatur. *Differentia sexus: mas:* ano barbato bifido, antennis distincte bipectinatis; *femina:* ano integro, antennis brevissime pectinatis aut subsetaceis. (Spec. Scand. 5, alis in quiete corpori arcte applicatis, ano maris (in nostris) fasciculo pilorum bifido, alis anticis macula apicis et strigis transversis disci, distincta.)

**1. P. anastomosis:** alis griseis, anticis ferrugineo-fuscoque variis strigis 3 albidis subanastomosantibus, thorace macula dorsali ferrugineo-brunnea. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

OCHS. Schm. 3. 226. 2. *Bombyx* LINN. Fn. Sv. 1125. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 448. 126. HÜBN. Bomb. T. 22. f. 87. ♀.

Hab. in Lapponia secundum collectiones boreales, sed rarissime, mihi in terris arcticis non obvia. (Lappon.-Scan. pass.)

Pedibus anticis porrectis quiescit. — Larva fusca dorso punctis albis et linea laterali flava, Salicum et Populi Tremulae foliis victitat.

**2. P. Bucephala:** alis anticis cinereis strigis duabus ferrugineis maculaque apicali ovata flava; posticis albidis. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ 2, ♀ $2\frac{1}{4}$ poll.)

OCHS. Schm. 3. 235. 6. ♂♀. *Bombyx* LINN. Fn. Sv. 1115. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 439. 99. HÜBN. Bomb. T. 45. f. 194. ♂. 195. ♀. DAHLB. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 167. Ejusd. Skand. Fjärillar. Diss. 1837. p. 29. f. 8. imago ♂, f. 9 larva, f 10 pupa.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Suecia med. — Scania freq.)

Thorax flavus ferrugineo-limbatus. Abdomen flavum striga laterali punctata nigra. Alae anticae subargenteo-cinereae, strigis 2 evidentioribus duplicatis ferrugineis. Una ante medium subrecta, altera pone medium arcuatim flexa; inter has strigas macula centrali subocellari saepe obsoleta: macula apicis magna ovata flava; posticae pallidae fascia media arcuata plerumque obsoletissima et striga marginis tenuissima fuscis

*Obs. Pyg.* (*Bombyx*) *reclusa* FABR, *Anachoreta* FABR. et *curtula* LINN., in Suecia plus minus raro inventae, in Lapponia haud obviae; *Pyg. Bucephaloides* OCHS. Schm. 3. p. 237. et SCHÄFF. Ic. T. 31. f. 11. *P. Bucephalae* affin. et similis, sed macula alarum anticarum apicali intus dente praedita, nec integra, praeter alias notas distincta, nec in Lapponia nec in reliqua Scandinavia quantum novi lecta fuit.

## 25. Bombyx. LINN.

BORKH. ESPER. FABR. HÜBN. LATR. BOISD. Ind. p. 43. *Lasiocampa* SCHRANK. *Gastropacha* OCHS.

Magna, raro media. Antennae utriusque sexus pectinatae, pectine compresso. A'ae anticae haud angustatae deflexae, inferiores rotundatae, interdum reversae. Abdomen crassum; hinc nomen *Gastropacha* OCHS. *Color* varius, fuscus, ferrugineus, testaceus, pictura strigatim subfasciata. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* pilosa e foliis arborum vescitur. *Differentia sexus; mas:* antennis distincte pectinatis; *femina:* antennis breviter pectinatis abdomine valde crasso. (Spec. Scand. 18, alis subdilatatis deflexis (saltem anticis), antennis in utroque sexu pectinatis, pectine compresso, abdomine valde crasso etc. distinctae.)

### *Sect.* 1. (*Ptilorhina*). *Palpi prominuli ad rostelli modum conniventes. — Lingua nulla. Alae denticulatae. Lasiocampa* SCHRK. BOISD. Ind. *Phylloma* BILLB. Catal.

**1. B. Pini:** alis reversis griseis, anticis fascia ferruginea punctoque subcentrali triangulari albo. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{3}{4}$ fere 3 poll.)

LINN. Fn. Sv. 1104. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 426. 62. ROES. 1. 59. f. 1—6. imago, larva, pupa. HÜBN. Bomb. T. 42. f. 184. ♂. 185. ♀. DAHLB. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 166. *Gastropacha* OCHS. Schm. 3. 251. 5. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarius. Larva in Pinu sylvestri hospitatur. (Lapp.-Smol. freq. — Scan. boreal. rar.)

*Obs.* LINN. *Bomb. Quercifolia* (in Gottlandia), *Ilicifolia* et *potatoria*, in Suecia interiori rarius obviae, in Lapponia vix occurrunt.

### *Sect.* 2. *Palpi haud prominuli. Lingua brevissima aut nulla. Alae integrae. Lasiocampa* SCHRK. BILLB. *Bombyx* BOISD. Ind.

*Subdiv.* 1. Alae anticae fascia pallida punctoque medio albo.

**2. B. Quercus:** alis reversis, maris brunneis, feminae ochraceo-luteis, in utroque sexu fascia flava; anticis puncto albo. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1106. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 423. 53. ROES. T. 35. f. 1—7. imago, ovum, larva, pupa. HÜBN Bomb. T. 39. f. 172. ♂. T. 52. f. 225. ♀. PANZ. Fn. 66. 21. ♂. 22. ♀. DAHLB. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 163. Ejusdem Skand. Fjärill. p. 29. f. 11. imago ♂, 12 ♀, 13 larva, 14 folliculus. *Gastropacha* OCHS. Schm. 3. 266. 11. ♂♀.

Hab. in Lapponia meridionali rar. — Larva grisea pilosa, incisuris nigris singula punct's 2 albis, in Betula et Salice hospitatur, ad Lycksele Lapp. Umensis mens. Aug. 1832 a me capta. E pupa folliculata, folliculo ovali dense sericeo, griseo, imago feminea 29. Maj. anni sequentis egressa. (Lapp.-Scan. freq.)

**3. B. lobulina:** alis subreversis fusco-cinereis, anticis fascia media sinuata lata obscuriori, striga nigra et alba utrinque marginata, lunulaque centrali nivea. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ fere 2 poll.)

FABR. Suppl. 436. 83-84. HÜBN. Bomb. T. 41. f. 180. ♂. f. 181. ♀. *Gastropacha* OCHS. Schm. 3. 258. 8. ♂♀. *B. lunigera* PAYK. Act. Hafn. Hist. Nat. 2. 2. 98. 1. T. 2. f. 1. ♀. var. magis unico'or.

Hab. in Lapponia passim; ad Lycksele Aug. a me inventa; larva in foliis Pini sylvestris Botniae occidentalis Jun. D. QUENSEL. (Lappon.-Botnia.)

*Obs. B. Trifolii* FABR (in Gottlandia), *Dumeti* FABR. (*Dumi* LINN.,) *lanestris* LINN. (in Gottlandia) et *Catax* LINN., Sueciae interioris incolae, in Lapponia frustra quaesitae.

*Subdiv.* 2. Alae anticae fasciis 2 pallidis aut fuscis absque puncto albo.

**4. B. Castrensis:** alis reversis, maris anticis pallidis fasciis subtribus, posticis totis brunneis; feminae omnibus dilute brunneis, anticis fasciis 2 pallidis. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ $1\frac{5}{8}$ poll.)

LINN. Syst. Nat. 1. 218. 36. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 432. 80. ROES. 4. T. 14. f. 1—6. larva, pupa, follicul., imago. HÜBN. Bomb. T. 40. f. 177. ♂. f. 178. ♀. *Gastropacha* OCHS. Schm. 3. 294. 24. ♂♀. *B. Neustria β.* LINN. Fn. Sv. 1102.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapp. — per totam Sueciam usque ad Scaniam freq. Larva gregaria pilosa antice posticeque subangustata, caeruleo-rubro-nigroque picta, e Centaurea, Hieracio, Betula etc. vescitur.)

**5. B. Neustria:** alis reversis pallidis aut rufo-ochraceis, anticis fascia media obscuriori aut fusco aut pallido terminata. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ $1\frac{5}{8}$ poll.)

Var. a. ♂. tota pallida alis anticis strigis duabus subparallelis fuscis.

Var. b. ♂♀. tota rufo-ochracea l. ochraceo-ferruginea, alis anticis fascia media extus dilatata obscuriori, utrinque striga pallida terminata.

Var. c. ♂♀. simil. var. b. sed fascia alarum unicolor s. vix albo-marginata.

LINN. Syst. Nat. 1. 2. 818. 35. Fn. Sv. 1102. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 432. 79. ROES. 1. 6. f. 1—7. ova, larva (male colorata), pupa, follicul., imago (var. nostra a. etc.). PANZ. Fn. 23. 21. HÜBN. Bomb. T. 40. f. 179. ♂. var. nostra a.) 180. ♀. (var. c.). DAHLB. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 176. *Gastropacha* OCHS. Schm. 3. 296. 25. (var. nostr. a. b. c.)

Hab. in Lapponia Umensi, s. meridionali passim, praesertim var. a., quae in pupam albo-sericeam d. 4. Jul. commutata exiit declarata initio August. Ova in annulos conferta circa ramulos (Salicis) adglutinantur. Larva gregaria pilosa, utrinque aequaliter crassa, caeruleo-rubro-alboque lineata, foliis arborum fruticumque Betulae, Populi, Salicis cet. victitat, saepe noxia, ut ostendit clariss. DAHLBOM l. c.; a priori specie sine dubio diversa, invitis DD. DE GEER, DALMAN et plur. A praecedente mox dignota: *maris* alis anticis strigis 2, nec 3, et posticis pallidis aut rufo-ochraceis, nec brunneis; et *feminae* alis anticis strigis 2 pallidis angustis saepe obsoletis, nec latis et distinctis. (Lapp.-Scan. ubique vulgatissima etiam in arboribus Pomonae.)

*Obs. B. Rubi* LINN et *Populi* LINN. in Suecia passim obviae, in Lapponia non detectae.

*Subdiv.* 3. Alae anticae cinerascentes, strigis obscurioribus.

**6. B. Crataegi:** alis reversis rotundatis cinereis, anticis fascia media extus undulata, obscuriori, ano barbato. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1126. ♂. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 460. 166. HÜBN. Bomb. T. 36. f. 162. ♂. *Gastropacha* OCHS. Schm. 3. 278. 16. ♂♀. *B. Mali* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 434. 85. ♂. *Noctua Vitis idaeae* LINN. Fn. Sv 1163. hujus ♀ videtur.

Hab. in Lapponia Umensi passim; etiam e pupa ad Lycksele Aug. 1832 capta domumque reportata individuum masculum d. 10. Dec. ejusdem anni egressum. (Lapp. merid.— Scan. pass. rar. Larva in Crataego, Salice.)

**7. B. Coryli:** alis reversis, anticis cinerascentibus fascia ante medium lata griseo-fuscoque nebulosa, ocello in medio; posticis griseis unicoloribus; thorace variegato. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ $1\frac{3}{8}$ lin.)

LINN. Fn. Sv. 1123. FABR. Ent. Syst. 3. 1. 444. 114. ROES. 1. T. 58. f. 1—5. larva, pupa, imago, haec nimis colorata. *Noctua* HÜBN. Noct. T. 4. f. 17. ♂, 18. ♀. *Orgya* BOISD. Ind. p. 47.

Hab. in Lapponia passim; ad Torneå nec non ad Lycksele Lapponiae Umensis a me inventa. (Lappon. Suecica-Scan. pass.)

Antennae flavae. Variat ♂ alarum anticarum fascia obscura fere ad basin alae extensa, qualis ad Torneå deprehensa. Forte haec species potius ad *Noctuarias* referenda.

*Obs. B. Pityocampa* FABR et THUNB Diss. Ins. Sv. p. 54. et, ut fertur, etiam *B. processionea* LINN. FABR. HÜBN., in Suecia interiori habitant, in Lapponia non collectae.

---

## 26. Orgya (*Orgyia*). OCHS.

BOISD. Ic. Lep. Liparid. p. 135. *Laria* SCHRANK. LATR. *Bombyx* LINN. FABR. GOD. Auct.

Major aut media. Antennae bipectinatae. Lingua brevissima, spuria. Palpi breves porrecti. Alae deflexae aut subhorizontales. Pedes antici hirsuti, in quiete porrecti. *Color* cinerascens, fusco-ferrugineus; pictura haud notabilis, interdum strigata aut maculis levibus. *Habitatio* in silvis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* saepe solitaria, villosa, dorso fasciculis pilosis truncatis. *Pupa* brevis obtusa pilosula folliculata, folliculo sericeo. *Differentia sexus; mas:* antennis longe pectinatis, abdomine parum crasso, semper

alatus; *femina:* antennis breviter pectinatis, abdomine crassissimo; interdum aptera. (Spec. Scand. 6, antennis bipectinatis, lingua brevissima, pedibus anticis hirsutis in quiescente extensis, femina interdum aptera, ut et pilositate larvarum fasciculata etc. a generibus affinibus suae Familiae dignoscendae.)

*Subdiv.* 1. Uterque sexus alatus, alis deflexis; corpore crassiori.

**1. O. pudibunda:** alis albido-cinereis, anticis macula media lunari strigisque subtilibus undatis fuscis indeterminatis. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $1\frac{5}{8}-1\frac{3}{4}$, ♀ $2\frac{3}{8}$ poll.)

Ochs. Schm. 3. 209. 1. ♂♀. *Bombyx* Linn. Fn. Sv. 1118. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 438. 97. Roes. 1. 38. f. 1—6. ovum, larva, pupa, folliculus, imago. *B. Juglandis* Hübn. Bomb. T. 21. f. 84. ♂. 85. ♀.

Hab. — — ut Lapponiae incola mecum communicata, mihi in terris polaribus nunquam obvia. Alae anticae *maris* fere totae fusco-nebulosae signaturis fasciam mediam latam formantibus; *feminae* dilutiores atomis undique strigisque 3 fuscis, harum antica distinctiori, exterioribus subabbreviatis. (Lapp.-Scan. passim. — Larva flava, fasciculis pilorum dorsalibus 4 flavo-albidis, et penicillo caudali rubro.)

**2. O. obscura:** tota obscure cinerea, alis anticis striga pone medium nigricante. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponiis Suecicis passim; etiam e pupa nigrobrunnea folliculo griseo, ad Lycksele Lapponiae Umensis capta, mas egressus mens. Jun. 1832; et e pupa similiter folliculata, cujus larva in Salice ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis inventa, individuum femineum d. 26. Jul. 1821 egressum post pupae statum 26 dierum. (Lapponia borealis et meridionalis.)

Similis et affinis *Bomb. fascelinae* Linn., sed nonnihil minor et obscurior. Antennae et totum corpus, praesertim in ♂, fusconigricantia. Alae omnes obscure cinereae, anticae striga paullo pone medium versus apicem nigra obliqua, vix undulata; infra illam in illaesis speciminibus rudimentum strigae secundae in medio observatur, sed vix alia pictura in alis.

**3. O. fascelina:** alis cinereis, anticis atomis nigris adspersis, linea media fusca albo inducta strigisque duabus repandis fulvescenti-fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ $1\frac{3}{8}$, ♀ 2 poll.)

Ochs. Schm. 3. 211. 3. *Bombyx* Linn. Fn. Sv. 1119. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 439. 98. Hübn. Bomb. 7. 21. f. 81. ♀.

Var. b. ♂. paullo minor, alis posticis albidis, alias var. a. simillima.

Hab. in Lapponia Tornensi rar. Museum D. Schönh. (Lapp.-Suec. media — Scan. Jul. Aug. — educata saepe e nympha exiit.)

*Obs. Org.* (*Bombyx*) *Abietis* Ochs. in Suecia teste D. Dalman inventa, in Lapponia non obvia, quantum novi.

*Subdiv.* 2. Mas alis incumbentibus subplanis, corpore gracili; volatus diurnus; femina aptera decolorata.

**4. O. antiqua:** *mas:* alis luteo-ferrugineis, anticis strigis 2 obsoletis fuscis maculaque anguli ani nivea; *femina:* grisea aptera. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Ochs. Schm. 3. 221. 6. ♂♀. *Bombyx* Linn. Fn. Sv. 1120. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 476. 216. Roes. 1. T. 39. f. 1—5. Hübn. Bomb. T. 20. f. 77. ♂. T. 54. f. 235. ♀.

Hab. in Lapponiae sylvis abietinis rar. (Lappon.-Scan. pass. Larva solitaria cinerea, rubro-alboque picta, fasciculis pilorum dorsalibus 4 pallidis, antennalibus caudalique obscuris, in Hyperico, Rube cet. saepe visa.)

*Obs. Orgya* (*Bombyx*) *Gonostigma* Fabr. (Linn. Syst Nat. vix vera), in Suecia inferiori passim obvia, in Lapponia haud lecta.

## 27. Liparis. Ochs.

Boisd. Ind. p. 46. *Laria* Schrank. Latr. *Bombyx* Linn. Fabr. Panz. Hübn. cet.

Magna aut media. Antennae bipectinatae. Lingua nulla. Alae deflexae tenuiter squamosae, superiores inferioribus in quiete omnino supertectae. *Color* (in nostra) niveus, albidus; pictura aut nulla aut undulatim fusco-strigata. *Habitatio* in pratis et sylvis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* variegata, verrucis pluribus piliferis instructa. *Pupa* pilosa, intra folliculum e filis paucis confectum. Pupae status 20—30 dies. *Differentia sexus; mas:* antennis longe pectinatis; *femina:* antennis breviter pectinatis. (Spec. Sc. 5, antennis bipectinatis, lingua nulla, alis deflexis tenuiter squamosis unicoloribus aut nigro-strigulosis, larva verrucis piliferis instructa, pupa pilosa parum folliculata intra folia alligata latitante etc., distinctae.)

**1. L. Salicis:** alis albis immaculatis nitidis, antennarum pectinibus fuscis, pedibus nigro-annulatis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ fere $2\frac{1}{8}$ poll.)

Ochs. Schm. 3. 198. 6. ♂♀. *Bombyx* Linn. Fn. Sv. 1129. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 459. 163. Roes. 1. 1. T. 9. f. 1—8. ov., larv., pup., follic., imago. Hübn. Bomb. T. 18. f. 70. ♀. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 182.

Hab. in Lapponiae Salicetis passim rar.; in Lappon. Tornensi D. Portin, in Lapponia meridionali ipse. (Lappon.-Torneå; Botnia borealis ad Calix D. Smaltz — Scan. vulgatiss.)

*Obs. Liparis* (*Bombyx*) *Morio* Linn., *Monacha* Linn., *dispar* Linn, et *Chrysorrhoea* Linn. in Suecia inferiori plus minus raro obviae, in Lapponia vix occurrunt.

## 28. Psyche. Schrank.

Ochs. Latr. Boisd. Ind. p. 44. *Tinea* Hübn. *Bombyx* Linn. Esp. Borkh. Fabr.

Parva in hac Familia. Antennae aut pectinatae (♂), aut filiformes (♀). Palpi nulli? Frons pilosa tegit linguam brevissimam. *Color* obscurus. *Habitatio* in sylvis Lapponiae. *Larva* phytophaga; in folliculo more Phryganearum omnino metamorphosin subit. *Differentia sexus, mas:* alis subrotundatis tenuiter squamatis subhyalinis, antennis pectinatis, corpore villoso; *femina:* elongata aptera, antennis filiformibus, abdomine magno subnudo; capite thoraceque minimis. Genus paradoxum species Scand. 4 (3 secund. de Geer) Entomologis dubias continens).

**1. Ps. nitidella:** tota nigra, alis haud rotundatis fuscis subnitidis. ♂. (Long. al. exp. $5\frac{1}{2}$ lin.)

Ochs. Schm. 3. 169. 3.? *Tinea* Hübn. Tin. T. 1. f. 6. ♂. Deg. Ins. 1. T. 29. f. 19—22. T. 30. f. 22. 23. Vol. 2. 1. T. 3. f. 13. 14.

Hab. in Lappon. meridionali rarissime, in Pino sylvestri juniori ad Lycksele d. 10. Jun. 1832 a me inventa. Alae subangustatae nigrae haud pellucidae. (Lapponia —?)

**2. Ps. stigmatella:** fusco-nigra, fronte-pilosa, alis fuscohyalinis, nervo costali et stigmate obscurioribus. ♂. (Long. al. exp. fere $1\frac{1}{8}$ poll.)

An *Amphidasis Pomonaria* Ochs. Schm. 6. 1. p. 249. 7.? et Hübn. Geom. Tab. 34. f. 180.??

Hab. in Lappon. Tornensi rarissime, unicum individuum a D. Portin mecum communicatum. (Lapponia.)

Statura corporis et alarum forma ut in *Ps. viciella* Hübn. Tin. T. 1. f. 2., sed fere paullo major et alis multo magis pellucidis distincta. Tota fusco-nigra. Antennae mediocriter bipectinatae. Frons inter antennas fulvo-pilosa. Thorax et abdomen pilis paucis fulvis in lineam longitudinalem dorsi digestis obsita. Alae subangustatae fusco-hyalinae, nervis fusco-squamosis; anticae nervo costali a basi ad stigma, et hoc sat distincte, fuscis, fuscedine, quae a stigmate per nervos transversos ad medium fere alae extenditur, unde fascia fusca abbreviata obsoleta formatur. Pedes grisescenti-pilosi. — Sub nomine *Phalaena pomonaria* Borkh., 5. p. 198. 82. et *Nyssia Pomonaria* Lefebvr. in Annal. de la Soc. Ent. de France 1835. 1. p. 101. T. 1. D. f. 6. 7. Cel. Schönherr marem et feminam apteram nuperrime (die 6. Mart. 1839) mihi misit, nostrae certe speciei, in Lapponia Tornensi a C. Castroem captos.

*Obs. Ps.* (*Bombyx*) *viciella* Ochs. Fabr. et *Ps. graminella* Ochs. (seu *B. vestita* Fabr. *B. atra* Linn.? *B. Hieracii* Thunb. Diss. Ins. Sv. p. 53.?) in Suecia inferiori rarissime obviae, in Lapponia frustra quaesitae.

## 29. Chelonia. Latr.

God. Boisd. Ic. p. 123. *Arctia* Schrank. Latr. Dalm. *Callimorpha, Lithosia* Latr. *Arctornis* Germ. *Hypercompa* Hübn. *Euprepia* Ochs. Billb. *Bombyx* Linn. Fabr. Thunb. cet.

Major aut media. Antennae breviter bipectinatae aut subtus serrulatae l. ciliatae. Palpi breves. Lingua brevissima. Thorax sat dense villosus. Abdomen alis brevius crassiusculum, maculatum. Alae deflexae trigonae latiusculae,

saepe eximie *coloratae* et pictae. *Volatus* gravis interruptus nocturnus l. etiam diurnus. *Habitatio* in pratis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* solitaria, agilis, verrucis piliferis undique obsita, ursina. *Pupa* obtusa larvae tunicam haud deponit. *Differentia sexus; mas:* antennis breviter bipectinatis; *femina:* antennis aut subtus ciliatis l serrulatis, aut subfiliformibus. (Spec Scand. 13; antennis (♂) breviter bipectinatis aut (♀) subtus ciliatis, lingua brevissima, alis deflexis abdomineque eximie coloratis et maculatis, larva verrucata valde hirsuta, ut et pupa tunicam larvae in apice retinente, distinctae.)

**1. Ch. Caja:** alis anticis castaneo-fuscis rivulis albidis; posticis rufo-testaceis maculis nigris. ♂♀. (Long. al. exp. $2\frac{1}{4}$ – $2\frac{3}{4}$ poll.)

Boisd. Ind. p. 42. *Bombyx* Linn. Fn Sv. 1131. Rös. 1. T. 1. f. 1—8. (sub omnibus metamorphos. gradibus repraesentatur). Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 470. 196. Hübn. Bomb. T. 30. f. 131. ♀. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 181. f. 14. ♂. *Eyprepia* Ochs. Schm. 3. 335. 18.

Hab. in Lapponiae et septentrionalis et meridionalis pratis graminosis passim. (Lappon.-Botn. borealis ad Calix D. Smaltz — Scan. vulgar.)

Antennae maris breviter, feminae brevissime pectinatae. Thoracis dorsum et alae anticae in utroque sexu colore coffeo, hae rivulis et maculis albidis. Alae posticae rubrae in speciminibus Lapponicis plerumque maculis in singula tantum 4, 1 ad basin et 3 intra marginem, omnibus discretis rotundatis. Collare et abdomen rubra, hoc fasciis mediis 4 abbreviatis nigris. Larva solitaria, adultior valde hirsuta, supra nigra punctis minutis albo-caerulescentibus, inferius ad latera ferruginea, in pratorum graminosis occurrit.

**2. Ch. Thulea:** „corpore nigro, collari anoque flavidis, pedibus rubro-annulatis; alis anticis nigris fasciis maculari-bus albis, interioribus interruptis; posticis rubris basi fasciaque intramarginali nigris.“ Dalm. (Long. al. exp. circiter 2 poll.)

*Bombyx* (*Arctia*) *Thulea* Dalm. Analect. Ent. 1823. p. 92. *Bomb. alpina* Acerbi, Iter Sv. T. II. p. 253. 4. t. 1. f. 4. forte.

Hab. in Lapponia Tornensi ad Enontekis, ubi specimen unicum ante plures annos inventum fuit. Mus. D. Paykull. (Lapponia borealis.)

Magnitudo et habitus *Bomb. gratiosae* Hübn. (s. *Eypr. fasciatae* Ochs.) colore et pictura ab aliis vere distincta.

**3. Ch. lapponica:** alis anticis ferrugineo-brunneis, maculis fasciisque pallide flavis fusco-marginatis; posticis basi subinfuscatis, apice fulvis nigro-maculatis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ poll.)

*Bombyx* Thunb. Diss. Ins. Sv. p. 40. f. 7. *Eyprepia* Ochs. Schm. 3. 315. 8. *Chelonia* Boisd. Ic. p. 128. Tab. 59. f. 2. *Bomb. Avia* Hübn. Bomb. T. 57. f. 247. ♂. T. 53. f. 280. ♀. *B. festiva* Borkh. Eur. Schm. 3. 191. 56.

Hab. in Lapponia mens. Jul. rar. — Mea specimina in Lapponia Tornensi seu boreali inventa. Die volat. (Lapponia-Öfver Torneå.)

Pictura *Ch. Cajae* subsimilis, sed duplo minor, sequenti subaequalis. Thorax brunneus flavo-maculatus. Alae anticae ferrugineo-brunneae maculis costalibus plerumque 3 majoribus, fascia pone medium saepissime interrupta et altera intra marginem saepius subintegra flexuosa, flavis, fusco-marginatis. Hae vero signaturae variant et penultima interdum cum ultima in medio connexa. Alae posticae basi fuscescunt, pone medium fulvescentes maculis 3 l. 4 nigris fere ut in *Ch. Caja* locatis. Antennae maris breviter pectinatae.

Var. b. ♀. alis posticis cum anticis concoloribus s. ferrugineo-brunneis fascia media costali abbreviata et altera intra marginem posticum undulatam flavis. Mus. D. Schönherr.

**4. Ch. Plantaginis:** alis anticis atris rivulis maculisque pallidis; posticis luteis aut pallidis nigro-maculatis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ – $1\frac{3}{4}$ poll.)

Var. a. ♂. alis anticis nigris signaturis flavis; posticis albis maculis paucis pluribusve nigris.

*Bomb. Plantaginis* Hübn. Bomb. T. 29. f. 126. ♂. *Eyprepia* Ochs. Schm. 3. 312. 7. var. *hospita*.

Var. b. ♂♀. alis anticis nigris signaturis flavis; posticis flavis maculis paucis pluribusve nigris.

Hübn. l. c. f. 127. ♂. Ochs. l. c. var. Rösel 4. T. 24. f. 8. ♂.

Var. c. ♀. alis anticis ut in b., posticis luteis, maculis ut in a. et b.

*Bomb. Plantaginis* Linn. Fn. Sv. 1132. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 466 186. Ochs. Schm. l. c. var. a. Roes. l. c. f. 9. ♀. colore luteo nimis rufo. Hübn. l. c. f. 128. ♀. colore luteo nimis rufo.

Hab. omnes varietates in pratis graminosis per totam fere Lapponiam, 17. Jul. — 2. Aug. frequenter; a nobis scilicet inventa ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, ad Karesuando Lapponiae Tornensis, nec non in inferalpinis maritimis Nordlandiae, ex. gr. ad Giebostad, Schiervoe, Talvig etc. freq.; etiam in Gamstenstind Finmarkiae ♀ ovipara 30. Jul. capta. Var. a. et c. vulgatissimae praesertim in Nordlandia Norvegica, sed var. b. vix nisi in Lapponiis Suecicis obvia. (Lappon.-Scan. var. b. et c. freq., sed var. a. in Suecia inferiori rarissime lecta.)

Pictura et signaturis haec species fere in infinitum ludit, nec inter 50 individua, quae ante oculos habeo, vix unum alteri simile. Praeter principales aberrationes supra allatas, e colore albo, flavo l. luteo s. fulvo ortas, variant etiam signaturae forma et numero praesertim in alis posticis. In variet. a. (albida s. *hospita*), alae posticae saepissime maculas tantum paucas nigras ad marginem plerumque collocatas habent; in var. vero c. (lutea) ejusdem ordinis alae saepissime a basi ultra medium nigrae, deinde fulvae, maculis paucioribus nigris intra marginem sparsis. Frustra tamen ut species distingui possunt hae varietates, simul cohabitantes. Larva pilosissima nigra, dorso ferruginea.

**5. Ch. Quenseli:** alis nigris, anticis rivulis et fascia dentata, posticisque striga marginali undata, flavis. ♂. (Long. al. exp. fere $1\frac{3}{8}$ poll.)

*Bombyx* Payk. Act. Hist. Nat. Hafn. 2. 2. p. 99. f. 2. *B. strigosa* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 454. 146.

Hab. rarissime in Lapponia Tornensi, ubi ad Enontekis a D. Quensel primum detecta. (Lappon. borealis — etiam Collect. D. Portin.)

Priori quodammodo similis, sed paullo minor gracilior, colore et pictura alia ab illa distincta; *Lithosiae* ut videtur affinis. Nigra. Caput flavo-variegatum. Thorax lineis dorsalibus 2 flavis. Abdomen lateribus flavo-punctatum. Anus fulvescens. Alae nigrae, anticae subangustatae vittis et fasciolis flavis; posticae striga flexuosa ad marginem posticum flava. Specimen e Museo D. Schönherr mutuatum descripsi.

**6. Ch. fuliginosa:** alis anticis rufo-fuliginosis puncto in medio gemino fusco; posticis rubris puncto centrali fasciaque intramarginali fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{8}$ poll.)

*Bombyx* Linn. Fn. Sv. 1159. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 486. 246. Roes. 1. T. 43. f. 1—6. Panz. Fn. 7. 16. Hübn. Bomb. T. 33. f. 143. ♀. *Eyprepia* Ochs. Schm. 3. 346. 24.

Hab. in Lapponiae pratis graminosis passim frequens; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis D. Past. Kolström; ad Öfver Torneå D. Portin; in graminosis ad Lycksele-avan Lapponiae Umensis d. 20—24. Jun. haud raro, ipse. (Lapp.-Botn. borealis ad Calix D. Smaltz. — Gottlandia-Scania rar.)

Specimina plerumque plus minus detrita et fusco-rufescentia leguntur. Illaesa aut tota subrubra, aut thorace alisque anticis rufo-fuliginosa. Caput rufum. Abdomen sanguineum punctis triplici ordine dispositis, lineas 3 formantibus, nigris. Alae posticae rubrae disco plus minus late fusco, puncto centrali obscuriori. Antennae parum pectinatae supra sordide albidae. Larva ferrugineo-pilosa, capite pedibusque anticis nigris.

*Obs.* 1. *Ch. Russula:* alis maris flavis, feminae luteis, in utroque sexu limbo roseo, lunulaque centrali ferruginea; posticis fascia intramarginali fusca, subtus immaculatis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$—$1\frac{7}{8}$ poll.)

*Bombyx* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 464. 180. Linn. Syst. Nat. 1. 2. 830. 71. *Noctua* Linn. Fn. Sv. 1156. ♀. *Bombyx Sannio* Linn. Fn. Sv. 1135. ♂;

2. *Ch. Menthastri:* alis albis punctis pluribus sparsis nigris; abdomine supra luteo, subtus anoque albido, quinquefariam nigro-punctato. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{5}{8}$ poll.)

*Bombyx* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 452. 140. *B. lubricipeda* Linn. Fn. Sv. 1138. diagnos.; et

3. *Ch. lubricipeda:* alis flavescentibus, punctis nigris mediis in strigam dispositis; abdomine luteo, quinquefariam nigro-punctato. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{5}{8}$—$1\frac{3}{4}$ poll.)

*Bombyx* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 451. 138. Linn. Fn. Sv. 1138. descript.,

in Suecia inferiore frequentes, ut Lapponiae incolae etiam putantur, nobis vero ibi non obviae, nec in Collectionibus borealibus visae; quare tantum hoc modo in Fauna nostra indicantur.

*Obs.* Neque hujus generis species Sueciae: *B. aulica* Linn., *villica* Linn., *mendica* Linn., et *Urticae* Esper. Ochs. Hübn. in terris arcticis a me observatae fuerunt.

## 30. Callimorpha. LATR.

BOISD. Ic. Lep. Chelonid. p. 116. *Noctua* LINN. *Bombyx* FABR. HÜBN. *Eyprepia* OCHS. *Arctia* SCHRANK. *Hypercompa* STEPH.

Media. Antennae setaceae subnudae in utroque sexu. Palpi prominuli glabriusculi. Lingua elongata, filamentis conjunctis. Abdomen longitudine circiter alarum posticarum, earumque colore; cylindricum parum crassum. Alae haud dilatatae, vix deflexae, incumbentes. *Color* (in nostra) niger aut ruber, pictura maculata. *Habitatio* in alpestribus. *Volatus* diurnus. *Larva* elongata, pilosa, agilis, sub foliis aut lapidibus interdum latitans. *Pupa* brunnea *Differentia sexus* in proportione abdominis quaerenda. (Spec. Scand. 1, nostra, *Cheloniae* sat affinis, sed antennis in utroque sexu setiformibus, lingua elongata, corpore angustiori sublineari, thorace magis squamoso quam villoso etc. satis, superque dignota.)

**1. C. Dominula:** alis anticis virescenti — nigris nitidis, maculis albis flavisque; posticis rubris nigro-maculatis. ♂♀. (Long. al. exp. 2 — 2¼ poll.)

*Noctua* LINN. Syst. Nat. I. 2. 834. 90. *Bombyx* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 475. 210. HÜBN. Bomb. T. 27. f. 117. ♂. 118. ♀. *Eyprepia* OCHS. Schm. 3. 316. 9.

Hab. in Lapponia boreali rarissime, mihi non obvia. (Lapponia —; Suecia Mus. nostr. — Larva pilosa nigra, lineis 3 flavis albo-maculatis, in Salice caprea, Sorbo, Urtica urente etc. habitat.)

---

## 31. Philea. DALM.

*Callimorpha* LATR. *Tinea* LINN. PANZ. *Bombyx* HÜBN. *Lithosia* OCHS. BOISD. Ind. p. 39. *Setina* SCHRANK. STEPH. BOISDUV. Ic. p. 110. *Euchelia* BOISD. Ind.

Minor. Antennae setaceae tenuiter ciliatae aut nudiusculae. Lingua brevis filamentis disjunctis. Palpi haud prominuli. Alae incumbentes et deflexae l. subdeflexae. Corpus subgracile glabriusculum. *Color* (in nostra) pallidus; pictura punctata. *Habitatio* in graminosis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* hirta. *Differentia sexus* ut in *Callimorpha*. (Spec. Scand. 3, quasi medie inter *Callimorpham* et *Lithosiam*.)

**1. Ph. irrorea:** nigra, thorace antice, anoque fulvis, alis pallide flavis, anticis punctis nigris trifariis. ♂♀. (Long. al. exp. 1¼—1⅜ poll.)

*Bombyx* HÜBN. Bomb. T. 25. f. 105. ♂. *Lithosia* OCHS. Schmett. 3. 148. 14. ♂♀. species genuina *Setinae* generis BOISD. Ic. 110 *Tinea irrorella* LINN. Fn. Sv. 1361. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 291 18.

Hab. in Lapponiis Suecicis rarius; sed in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae Norvegicae, ex. gr. ad Talvig, in Gamstenstind et in alpe Jocketind, 30. Jul. — 2. Aug. haud infrequenter lecta; speciminibus Suecicis semper pallidior. Larva hirta nigra, maculis dorsalibus rhomboidalibus lateralibusque oblongis pallidis, in Lichene parietino etc. hospitatur. (Lapp. - Calix prope Torneå freq. D. SMALTZ. — Suecia media, Gottlandia passim.)

Nimis affinis videtur *Setinae flavicanti* BOISD. l. c. T. 58. f. 7., quae a nostra vix differt nisi thorace abdomineque totis flavis et punctis alarum minutioribus.

*Obs* *Lithos.* (*Setina*) *roscida* FABR. (genuina *Philea* nob.) in Allvaren Ölandiae in Cisto oelandico 1811 circa solstitium aestivale a me passim visa, et *eborina* OCHS. (*mesomella* LINN.), nec non *Euchaliae Jacobeae* BOISD. Ind. LINN. FABR., in Suecia obviae, in Lapponia forte frustra quaeruntur, ibi a nullo quantum novi inventae.

---

## 32. Lithosia. FABR. Suppl.

LATR. OCHS. BOISD. Ind. p. 38. Icon. Lithosid. p. 95. *Noctua* LINN. HÜBN. *Eyprepiae* spec. OCHS. *Setinae* spec. SCHRK. *Emydiae* spec. BOISD.

Minor. Antennae late distantes setaceae, aut nudiusculae aut tenuiter ciliatae, rarius in ♂ breviter pectinatae. Palpi capite paullo breviores recurvi, articulis 1 compresso, 2 falcato. Lingua subelongata. Caput squamatum fronte non hirsutissima. Alae saepissime subconvolventes, abdomen longe superantes, anticae valde angustatae sublineares, posticae amplae in quiete plicatae. Corpus gracile lineare Tibiae posticae elongatae spinosae. *Color* pallidus aut obscurus; pictura, dum adest, punctata raro striata. *Volatus* gravis plerumque tardus. *Habitatio* in pratis, nemoribus, per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* solitaria, nec cucullata nec subcutanea, hirsuta variegata, Lichenibus et Muscis arborum lapidumque saepissime victitat. *Pupa* cylindrico-conica obtusiuscula. *Differentia sexus* in abdominis proportione, licet saepe aegre, invenitur. (Spec. Scand. 7, antennis setaceis, alis dorso incumbentibus, subhorizontalibus parallelis, superioribus valde angustis, inferioribus latioribus plicatis, etc. a reliquis hujus Familiae generibus dignotae.)

*Subdiv.* 1. Thorax disco dorsali denudato. Alae superiores striatim pictae. Antennae maris pectinatae. *Eyprepia* OCHS. *Lithosia* LATR. *Callopis* BILLB. Cat. *Emydia* BOISD. Icon. pag. 91.

*Lith. grammica* LINN. FABR. in Sueciae variis plantis passim lecta; et

*Lith. Cribrum* LINN. Fn. Sv. 1136. in Scania rarissime a me capta; sed hae in Lapponia vix occurrunt.

*Subdiv.* 2 Thorax disco non denudato. Alae superiores aut unicolores aut punctis paucis sparsis. Antennae aut simplices in utroque sexu, aut in ♂ ciliatae. *Lithosia* Auctor.

**1. L. complana:** alis anticis cinereo-plumbeis, costa margineque apicali flavescentibus; posticis totis flavis. ♂♀. (Long. al. exp. 1¼ — 1⅜ poll.)

FABR. Suppl. 460. 3. OCHS. Schm. 3. 129. 3. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1153. *Bomb. plumbeola* HÜBN. Bomb. T. 54. f. 100. ♂. (*B. caniola* HÜBN. Bomb. T. 51. f. 220. ♀. var.?)

Hab. in Lappon. rarissime. (Lapp. - Bahusia - Gottland. Scan. freq.)

Thorax et abdomen cinereo-plumbea, collari et ano luteo - flavis. Alae antice cinereo-plumbeae, costa anguste et fimbria flavis. Alae inferiores pallide flavae. Larva fasciculatim pilosa atra, dorso lineis 2 punctorum pallidorum, in Lichenibus Pini sylvestris etc. hospitatur.

*Obs.* *Lith. quadra* LINN., *helveola* OCHS. HÜBN. BOISD. Ic. ad Abusa prope Lund Scaniae, *luteola* OCHS. HÜBN. (*Tinea lutarella* LINN.) et *rubricollis* OCHS. (*Noctua* LINN.) in Suecia haud raro, in Lapponia mihi non obviae.)

*Obs.* *Amulea mundana* (*Lithosia* OCHS. *Tortrix* LINN. *Bombyx* FABR., *Nudaria* STEPH. BOISD. Ic. p. 113.) in Suecia media frequenter visa, nec non *Lith. rosea* BOISD. Ind. (*Bombyx* FABR. PANZ., *Bomb. rubicunda* HÜBN, *Pyralis minialis* THUNB. Diss.) in Scania rarissime a me inventa; ad Hafniam BOIE; harum vero ambarum specierum neutra in Lapponia l. Suecia boreali nobis obvia fuit. — *Lith. socia* FABR. (*Tinea sociella* LINN.), etiam Sueciae incola, ut et *Bombyx fusca* THUNB. *Psodos* nob. gen. 57. Lapponiam certe inhabitans, ad aliam Familiam relegandae sunt. — *Bomb. laeta:* „alis deflexis, anticis niveis fascia lata nigra, antennis simplicibus" FABR. Ent. Syst. 3. 1. 454. 147., ut Sueciae incola etiam allata, nemini Entomologorum Sueciae quantum scio rite cognita. Cfr. Observ. nostra sub gen. *Harpyia*. — Nec *Bomb. signata:* „alis incumbentibus griseis linea atra ocelloque sesquialtero notatis" THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 53. f. 1, (an *Xylina rectilinea*?), neque *B. grisea:* „alis incumbentibus cinereo-ferrugineis, fasciis 2 fuscis" THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 1., in collectione quadam Scandinav. diutius, ut puto, asservantur, mihique inde omnino ignotae. Sequentes species Sueciae FABRICII: *Bomb. leporina*, *celsia*, *popularis*, *annulata* (*conspersa* W. v.), *caeruleocephala*, *lota*, *binotata*, *spreta*, *oleagina*, *graminis* (s. *tricuspis* Auct. HÜBN.); et *B. libatrix* LINN., *helvola* LINN., *Oo* LINN, *telifera* PAYK., et *ferruginea* ESPER, quarum una alterave etiam ut Lapponiae incolae salutantur, melius inter *Noctuarias* describuntur. Genus *Platypterix* etiam in Fam. sequenti describitur.

---

# FAM. 7. NOCTUARIAE.

## 33. Acronycta. OCHS.

TREITSCHKE Schmett. gen. 44. *Apatela* HÜBN. *Bombyx* et *Noctua* Auct.

Media (alis expans. 1¼—1¹ poll.). Antennae longae, setaceae. Dorsum sublaeve. Alae in quiete nonnihil deflexae. *Color* albus, cinerascens, obscurus. *Pictura* saepe undulata;

in alis anticis character sagittiformis niger, aut in disco macula parva rotundata s. ocellus albidus iride et pupilla obscuris plerumque adsunt. *Habitatio* in pratis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* hirsutie longa, variis plantis victitans, ante transformationem in pupam lignum putridum rodit, ibique etiam usque ad declarationem manet. *Differentia sexus* parum conspicua in abdominis structura tantum quaerenda. (Spec. Scand. 12, in museo meo adsunt.)

*Subdiv.* 1. Larva tuberculo dorsali nullo.

**1. A. leporina:** alis lacteis, anticis punctis paucis nigris ramulosis; posticis immaculatis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

Treitsch. Eur. Schmett. 5. 1. p. 5. 1. *Noctua* Linn. Fn. Sv. 1176. Hübn. Noct. 1. 3. t. 15. ♂. *Bombyx* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 453. 144.

Hab. in Lapponiae Salicibus rarissime. (Lapponia-Scan. passim.)

**2. A. megacephala:** alis anticis obscure cinereis nigro alboque undulatis, area postica et ocello centrali albidis; posticis albis fusco-venosis, margine fuscescente. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{3}{8}$ poll.)

Treits. 5. 1. 13. 4. Hübn. Noct. T. 2. f. 10. ♂. *Noctua* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 108. 325.

Var. b. ♂. magis picta; alis scilicet paullo obscurioribus, strigis undatis ocelloque albis evidentioribus, sed area postica parum conspicua, thorace vitta laterali alba; alias varietati a similis, vix diversa.

Hab. in Lapponia rarius; var. b. in silva ad Stensele Lapponiae Umensis 4. Jul. capta. (Lapp.-Scan. var. a. freq. larva in Populo et Salice degit; imago 5. Maj. — 6. Jun. saepe e chrysalide exiit.)

*Obs.* *Acr. Aceris* Linn. (Scan. pass.); *Alni* Linn. (rariss. in Scaniae Alno, Pado, Corylo; larva in pupam abiit 30. Jul., exiit 5. Jun. anni sequentis teste Osbeck.); *Ligustri* Fabr. (Scan. freq.); et *tridens* Fabr. (Scan. freq.); hae omnes in Lapponia vel in provinciis Sveciae borealibus a me non inventae.

*Subdiv.* 2. Larva tuberculo dorsali instructa.

**3. A. Rumicis:** alis anticis cinereo fuscoque variis, strigis undatis nigris maculaque in medio marginis interiori didyma alba; posticis fuscis, margine obscuriore. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

Treitsch. 5. 1. 38. 13. *Noctua* Linn. Fn. Sv. 1200. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 118. 358. Hübn. Noct. T. 2. f. 9.

Hab. in Lapponia rar. (Lapp.-Gottlandia; Scania freq. Larva in variis plantis collecta in pupam mens. Sept. abiit, e qua imago April. Maji anni sequentis prodiit.)

*Obs.* 1. *Acr. Psi* Linn. (Suec. freq.); *cuspis* Hübn. (Ostrogothia ad Laerketorp rar. Scania pass.; in pupam abiit 29. Sept., exiit declarata 18. Jun. anni sequentis); *auricoma* Fabr. (Smoland.); et *Euphorbiae* Fabr. Thunb. Diss. Ins. Sv. Pars 4. p. 55. (Scania Jun. — Sept. freq.); hae incolae Sueciae in Lapponia vix leguntur, mihi saltem ibi non obviae.

*Obs.* 2. *Diphthera ludifica* Treitsch. (*Noctua* eadem Linn., in Suec. rariss.) et *Orion* Tr. (*Noctua aprilina* Auct. *N. alpium* Osbeck, in Scania et Hallandia pass.); in Lapponia non inventae.

*Obs.* 3. *Bryophila Perla* Tr. (*Noctua* Auct., Scan. freq.): *raptricula* Tr. Hübn. (Scania), et *receptricula* Tr. (*Noctua strigula* Borkh., in Suec. Billberg); in Lapponia mihi non obviae.

## 34. Cymathophora. Treitsch.

Treitsch. Schmett. gen. 47. *Tethea* Ochs. *Noctua* et *Bombyx* Auctor.

Media. Antennae mediocres, filiformes, in mare saepe subpectinatae. Dorsum sublaeve. Alae deflexae. *Color* cinereus, fuscus, raro pallescens; *pictura* undulata, et macula ocellaris centralis saepe distincta. *Habitatio* in pratis; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Larva* inter folia contorta degit. *Differentia sexus* aut saepe in antennis *maris* breviter pectinatis et *feminae* simplicibus, aut semper in abdominis structura quaerenda. (Spec. Scand. 6 in museo nostro numerantur.)

**1. C. retusa:** alis griseis, anticis subemarginatis, strigis 3 pallidioribus, basali abbreviata. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{5}$ poll.)

Treitsch. Schm. 5. 1. 80. 2. *Noctua* Linn. Fn. Sv. 1218. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 62. 174. Hübn. Noct. T. 44. f. 214. ♀ (colore nimis obscuro).

Hab. in Populetis et Salicetis Lapponiae rar. (Lappon.-Ostrogoth.-Scan. freq.)

Dorsum subcristatum. Antennae brunneae, in utroque sexu simplices. Alae anticae strigis 3 pallidis, quarum 1 basali brevi, a costa ad medium alae ducta, 2 et 3 subrectis, inter quas maculae 2 ordinariae oblongae. Pedes pallidi, albo-annulati.

**2. C. bipunctata:** alis anticis cinereis, nebulosis, in medio punctis 2 minutis nigris inter strigas undatas fuscas; posticis cinereo-albidis, margine punctoque medio obscurioribus. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Treitsch. 5. 1. 92. 8. *Tinea duplaris* Linn. Fn. Sv. 1357. *Noctua undosa* Hübn. Noct. T. 44. f. 211. ♀. *Bomb. binotata* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 486. 247.

Hab. in Lapponiae Suec. Populetis rar.; etiam in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae ad Bjoerkvik d. 14. Jul. ♀ lecta. (Lapp.-Scan. freq.)

Priori parum minor, sed gracilior. Antennae pallidae. Pedes fusci. Alae anticae cinereo-nebulosae punctis in medio 2 parvis nigris transversaliter juxtapositis.

**3. C. flavicornis:** alis anticis cinereis, strigis 3 nigris, harum anterioribus approximatis; posticis griseo-cinerascentibus, striga limboque postico subobscurioribus; antennis flavis, basi supra albis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ poll.)

Thunb. 5. 1. 100. 12. *Noctua* Linn. Fn. Sv. 1204. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 116. 352. Hübn. Noct. T. 43. f. 208. ♀.

Hab. in Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lappon. meridion.-Suec. infer., Scan. rar.)

Antennae filiformes validae flavo-luteae basi supra albae speciem mox distinguunt. Alarum anticarum costa certo luminis situ albescit. Maculae ordinariae in specimine lapponico obsoletissimae, relicto tantum puncto medio parvo cano.

*Obs.* *Cym. subtusa* Fabr. (Ostrogoth.); *Oo* Linn. (*Cosmia*); *Oo* Treitsch. (Westrog., Scan.); et *OR* Fabr. (Scan. freq.); in Lapponia a me frustra quaesitae.

## 35. Episema. Ochs.

Treits. Schm. gen. 48. *Bombyx* et *Noctua* Auctor.

Media. Antennae mediocres filiformes, in ♂ profunde bipectinatae. Caput latiusculum, collari evidenti. Dorsum antice subcristatum. Alae deflexae. *Color* fuscus, griseus; *pictura* maculis ordinariis subcentralibus 2, alarum anticarum didymis saepe cohaerentibus insignis. *Habitatio* in pratis; per partem sylvaticam et inferalpinam Lapponiae. *Metamorphosis* supra terram peragitur. *Differentia sexus* perspicua; scilicet *mas:* antennis evidenter pectinatis; *femina:* antennis simplicibus. (Spec. Scand. 2, nostrae. Typus generis: *E. caeruleocephala.*)

**1. E. caeruleocephala:** alis anticis glaucescentibus, strigis 2 undulatis ad costam late divergentibus, fuscis et maculis ordinariis albis coadunatis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ — $1\frac{1}{2}$ poll.)

Treits. Schm. 5. 1. 112. 1. *Bombyx* Linn. Fn. Sv. 1117. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 440. 102. Hübn. Bomb. T. 45. f. 196. ♀. Dahlbom Skand. Ins. Skada och Nytta p. 191.

Hab. in Lappon. rar. (Lappon.-Holmia Bohem.-Scand. freq. saepe educata et e nympha declarata.)

**2. E. graminis:** alis anticis ferrugineo-fuscis, linea media longitudinali trifurca alba, et maculis ordinariis ferrugineo-flavis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ — $1\frac{1}{4}$ poll.)

Treits. 5. 1. 120. 5. *Bombyx* Linn. Fn. Sv. 1140. Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 483. 239. *Noctua* Hübn. Noct. T. 102. f. 480. ♀. Otto Fabr. Fn. Groenland. p. 193. No. 144. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 186. *N. tricuspis* Hübn. Noct. T. 30. f. 143. ♂.

Hab. in graminosis Lapponiae freq.; scilicet ad Lycksele Lapponiae Umensis 4—12 Aug., ad Karesuando Lappon. Tornensis, ut et ad Bossekop Finmarkiae occidentalis plura specimina utriusque sexus legi; e pupa sub lapide ad Asele inventa, imago feminae egressa 26. Jul. (Lapp.-Groenland.-Suecia media: Gottlandia-Scan., ubique freq.)

Signaturae forma et colore paullo, sed situ non, variant. Specimina Suecicis dimidio minora in Lapponia interdum leguntur. In nuper exclusis color ferrugineus fere omnium partium dominatur

## 36. Agrotis. OCHS.

TREITS. Schm. gen. 49. *Noctua* Auct.

Media. Antennae mediocres filiformes, aut setaceae, in ♂ interdum pectinatae. Thorax antice subcristatus. Collare perspicuum. Alae anticae elongatae, in quiete subhorizontales. *Color* fuscus, obscurus, vix unquam laetior. *Pictura* in alis anticis: aut atomi numerosi fusci undique sparsi, aut maculae ordinariae obscurae l. pallidae, discretae. *Habitatio* in campis et pratis; per partem sylvaticam Lapponiae et interalpinam Norvegiae. *Differentia sexus* in abdominis structura diversa semper, in antennis *maris* subpectinatis aut subtus ciliatis interdum quaeritur. (Spec. Scand. 13 nobis cognitae.)

**1. A. Segetum**: alis anticis griseis, strigulis undulatis obscurioribus, maculisque ordinariis exteriori reniformi fusco, interiori rotundo nigro-pupillato; posticis in ♂ albis, in ♀ sordide albidis. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅜—1½ poll.)

TREITS. Schm. 5. 1. 155 15. *Noctua* HÜBN. Noct. T. 31. f. 147. ♂. *N. Segetis* HÜBN. l. c. f. 146. ♂. DAHLB. Skand. Ins. Skad. och Nytta p. 197. fig. 15. (imago), f. 16. (larva). FABR. Ent Syst. 3. 2. 61. 171. *N. cerealis* BJERKANDER, teste Mus. Fall.

Hab. in Lapponia rar. (Lappon.-Scan. ubi plures varietates colore pallescente, griseo, murino, brunneo-flavescenti etc. occurrunt.)

Antennae maris evidenter bipectinatae, ♀ subtus pilosiusculae.

**2. A. exclamationis**: alis anticis griseis, striga versus apicem repanda pallida, maculisque ordinariis exteriori reniformi fusca, interiori rotundata nigro-pupillata, infra quam lineola nigra; posticis in ♂ albis. ♂♀. (Long. al. exp. 1¹ poll.)

TREITS. 5. 1. 160. 17. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1190. ♂. Ent. Syst. 3. 2. 70. 198. HÜBN. Noct. T. 31. f. 149.

Hab. in Lapponia passim. Antennae maris tenuiter pectinatae, feminae setaceae. (Lapp.-Scan. freq. Dania vulg. D. BOIE.)

**3. A. tetrastigma**: alis anticis brunneis margine apicali maculisque subquatuor nigris, ultima costali; posticis albidis, margine fuscescente. ♂. (Long. al. exp. 1¼ poll.)

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime, semel tantum lecta. (Lapponia Norvegica.)

Affinis et similis *Agr. vittatae* et *obeliscae* TREITS., sed alarum maculis ordinariis rubentibus unicoloribus dignota. Similis quoque *Noct. tristigmati* TREITS., sed magnitudine paullo minori, alis anticis margine apicali fusco, posticisque ultra medium albis, nec totis obscuris, ab illa quoque dignoscitur. Accedit tandem valde *Agroti teliferae* DONZELI in Annal de la Soc. Ent. 1837. 4. p. 471. T. 18. f. 1. et forte eadem est, sed nostrum specimen cum figura non omnimode convenit. Caput brunneum, palpis ferrugineo-pilosis. Antennae fuscae, tenuiter pectinatae, apice nudae. Thorax brunnescens, collari bifido, rubro-albo-nigroque variegato. Alae rubenti-brunneae, margine apicali maculisque variis nigricantibus; harum 4 distinctiores, scilicet 1 ante maculam ordinariam interiorem parva oblonga, 2da inter hanc et maculam ordinariam reniformem subquadrata totum interstitium efficiens, 3tia pone hanc maculam difformis, et 4ta paullo ante apicem ad costam magis obsoleta. Abdomen griseum. Alae sordide albidae, margine obscuriore. Pedes fusci, tarsis nigro-annulatis.

**4. A. quadrangula**: alis anticis cinereo-fuscis, fascia postica obscuriori, maculisque parvis irregularibus sparsis unaque in medio quadrata distincta, nigris; posticis fuscis; thorace immaculato. ♂. (Long. al. exp. 1¼ poll.)

Hab. in Groenlandia; a D. WESTERMANN mihi benigne communicata (Groenlandia).

*Agr. rectangulae* FABR. et BOISD. Icon. Lep. T. 76. f. 1. valde affinis et similis, sed thorace immaculato etc. distincta. Tota fusco l. ferrugineo cinerascens. Antennae subtus pilosulae, apice nudae. Alae anticae maculis 10—12 parvis irregularibus, quibusdam punctiformibus nigris, quarum una inter maculas ordinarias parum conspicuas nonnihil major, quadrata, distinctior. Fascia postica obscura obsoleta.

**5. A. cinerea**: alis anticis cinereis fuliginoso- nebulosis, strigis subquinis dentatis obscurioribus, harum 2 posticis punctatis, stigmateque semiorbiculari fusco, maculis ordinariis obsoletis; posticis albido-canis. ♂. (Long. al. exp. 1⅜ poll.)

TREITS. 5. 1. 178. 25. HÜBN. Noct. T. 33. f. 155. ♂. *N. obscura* HÜBN. l. c. f. 157. ♀.

Hab. in alpibus Dowre, ubi marem mens. Jul. invenit D. BOHEMAN. (Lappon. Norvegica.)

Sine dubio haec nostra etiam TREITSCHKEI et HÜBNERI est, licet antennae in specimine misso masculo haud pectinatae sed pilosae sint. Omnia reliqua quadraut. Strigae alarum anticarum obscurae e lunulis l. punctis concatenatis constant. Feminam non vidi. Affinis etiam videtur *Agr. sibiricae* BOISD. Icon. 40. T. 80. f. 6.

*Obs.* *Agr. Vitta* TREITS. HÜBN. (Scania, ubi etiam varietates pallidiores leguntur); *aquilina* HÜBN. (Scania ad Lund rar.); *Tritici* LINN. DAHLB Skand. Ins. etc. Skada etc. p. 196. (Scania); *nigricans* LINN. (sed vix *fumosa* TREITS. eadem, Scan.); *obelisca* HÜBN. (Smolandia, Calmaria rar.); *suffusa* FABR. HÜBN. (Abusa Scaniae rar); *lucernea* LINN. (non HÜBN. nec *fugax* TREITS., Gottland. rar.); *pyrophila* HÜBN. FABR. (per totam Sueciam praecipue in Scania et in fenestris Lundensibus vespere Aug. Sept. freq.); in Lapponia a me frustra investigatae.

---

## 37. Noctua. LINN.

TREITSCH. Schmett. gen. 50. Auctor.

Media. Antennae setaceae aut filiformes, in ♂ interdum pectinatae. Thorax subcristatus. Collare evidens bifidum. Alae deflexae. *Color* obscurus, griseus; *pictura* in alis anticis: maculae ordinariae perspicuae; in harum regione signaturae nigrae plerumque observantur, sed strigae l. undulae transversae in nostris vix ullae. *Larva* mire variegata et strigosa e foliis plantarum humiliorum, nec e radicibus, victitat. *Pupa* sub terra sepulta. *Habitatio* imaginum in pratis etc. per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in structura abdominis invenienda. Antennae *maris* interdum quoque breviter pectinatae. (Species Scand. 13. *Hadenae* affines.)

**1. N. gothica**: alis anticis griseo-brunneis, arcu lineolave mediis atris; antennis *maris* breviter pectinatis. ♂♀. (Long. al. exp. 1¹ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1192. TREITS. Schm. 5. 1. 233. 12. *N. Nun atrum* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 66. 185. HÜBN. Noct. T. 24. f. 112. ♀.

Hab. in Lapponia passim. (Lappon.-Suec. media freq.—Scan. pass.— Signaturae alar. nigrae forma variant.)

**2. N. C. nigrum**: alis anticis cinerascentibus, macula media arcuata lineolaque nigris; antennis *maris* breviter pectinatis. ♂♀. (Long. al. exp. 1¹ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1193. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 65. 183? HÜBN. Noct. T. 24. f. 111. var. TREITSCH. Schm. 5. I. 237. 13.?

Hab. in Lappon. rar. (Lapp.-Stockholmia d. 1—10. Maj. freq.—Gottlandia-Ostrog. Scan. passim, jam mens. Martio e pupa egressa.)

Alae anticae cinereae, macula in medio marginis interioris et fascia intra marginem apicalem dilutioribus s. subalbidis. In medio alae macula arcuata, in sinu albida, et versus marginem interiorem lineola brevis, atrae conspiciuntur. Ad basin alae quoque puncta 2 minuta adsunt. Intra apicem ad costam, ubi fascia albida desinit, macula fusca obsoleta cernitur.

*Obs.* *Noct. ravida* OCHS. HÜBN. (Oelandia freq.); *Augur* FABR. (Suec. freq.); *Sigma* PANZ. (Scania ad Esperoed. rar.); *Baja* FABR. (Suec. pass.); *brunnea* FABR. (Scan. ad Esper. pass.); *polygona* FABR. (Scan. pass.); *depuncta* (LINN., Suec. rar.); *rhomboidea* TREITS (Esperoed Scaniae rar.); *tristigma* OCHS. *N. Ditrapezium* HÜBN. (Scan. ad Esperoed et Hoegestad rar.); *plecta* LINN. (Scania); et *musoreta* THUNB. Diss. Ins. Suec. P. 4. p. 56. et Mus. Acad. Upsal. P. 6. p. 72. cum figura (in Suecia rariss.); hae omnes in Lapponia hactenus non inventae.

---

## 38. Triphaena. OCHS.

TREITS. Schm. gen. 51. *Noctua* Auctorum.

Media aut major. Antennae longae, filiformes. Thorax latus. Alae in quiete incumbentes horizontales. *Color* hepaticus aut fusco-testaceus, in alis posticis luteo-flavus; pictura in alis posticis: fascia intramarginalis nigra. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* crassa fusca e foliis aut radicibus plantarum victitat. *Differentia sexus* vix nisi in structura abdominis quaerenda. (Spec. Scand. 6, alarum posticarum colore lutescente fasciaque marginali nigra a speciebus generum affinium facile dignotae.)

**1. T. subsequa**: alis anticis griseo-hepaticis, macula reniformi lituraque apicali fuscis; posticis luteo-flavis, lunula

media fasciaque intramarginali subrepanda nigris. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 1. 258. 3. HÜBN. Noct. T. 23. f. 106. ♀.

Hab. — Ut Lapponiae incola mecum communicata, in terris arcticis mihi non obvia. (Lapponia; Gottlandia mens. Jul. freq. — Scan. pass.)

Inter Suecicas hujus generis minor. Alae anticae brunneo-hepaticae subunicolores. Maculae ordinariae subcentrales obscurae, annulo albo cinctae. Macula seu litura parva in costa juxta apicem. Macula minuta pallida obsoleta loco stigmatis etiam observatur.

*Obs.* *Tr. Comes* TREITS. (*N. orbona* FABR., Suec. freq.); *pronuba* LINN. (Suec. freq.); *innuba!* TREITS. (Bahusia ad Uddevalla rar.); *fimbria* LINN. PANZ. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 2. Proëm. p. 28. (Scan. rariss.); in Lapponia peregrina.

## 39. Amphipyra. OCHS.

TREITSCH. Schmett. gen. 52. *Noctua* Auctor.

Media aut major. Antennae elongatae setaceae. Thorax dorso sublaevis. Alae anticae subtruncatae, in quiete fere horizontales aut subdeflexae, parum incumbentes. Abdomen depressum. *Color* obscurus. *Pictura* vix ulla: maculae ordinariae in alis anticis haud observandae. *Habitatio* in pratis; die sub foliis et cortice truncorum quiescens; per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in abdominis structura mox invenienda; antennae quoque *maris* saepe pilosulae. (Spec. Scand. 3.)

1. **A. Tragopoginis**: alis anticis fuscis nitidulis, in medio punctis 3 subapproximatis nigris; posticis obscure lividis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

TREITS. Schmett. 5. 1. 277. 1. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1189. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 112. 336. HÜBN. Noct. T. 8. f. 40. ♂.

Hab. in Lapponia secundum collectiones boreales, mihi viva in terris Scandinaviae septentrionalibus non obvia. (Lapp.-Gottlandia-Scania freq.)

Punctorum trium nigrorum in alis anticis duo posteriora approximata, anterius remotum invenies.

*Obs.* 1. *Amph. pyramidea* LINN. HÜBN. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 2. cum figura bona (Suecia media, Uplandia rar.); et *perflua* FABR. (sub cortice arborum Ulmi etc. ad Esperoed Scaniae Aug. Sept. freq., alibi rar.); in Lapponia non occurrunt.

*Obs.* 2. *Mania typica* TREITS. (*Noctua* eadem LINN., in Suecia media et meridional. passim) vix in Lappon. obvia.

## 40. Hadena. SCHRANK. OCHS.

TREITS. Schm. gen. 54 *Heliophobus* BOISD. Ind. p. 69. *Hada* BILLB. *Noctua* LINN. HÜBN. et Auct.

Media. Antennae mediocres, setaceae. Thorax cristatus. Alae deflexae. Abdomen costatum. *Color* obscurus. *Pictura* in alis anticis saepe insignis: maculae scilicet 2 ordinariae conspicuae; et intra marginem posticum seu apicalem striga 1. fascia repanda in medio IV pallido saepe notata. *Habitatio* in pratis, cultis etc. per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Norvegiae. *Larva* variis plantis vescitur. *Pupa* in terra sepulta. *Differentia sexus* praeter abdominis structuram diversam in antennis *maris* pilosiusculis, ciliatis aut subpectinatis interdum quaerenda. (Spec. Scand. 31, *Noctuae* affines.)

1. **H. Cucubali**: alis anticis fuscis, maculis ordinariis obliquis albido-cinctis, strigaque intra marginem apicalem dentata pallida. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 1. 311. 4. *Noctua* HÜBN. Noct. T. 12. f. 56. ♂. *N. triangularis* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 3. cum fig. *N. rivularis* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 101. 300.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; e pupa sub lapide ad Juckasjervi inventa, imago descripta d. 4. Jul. 1821 egressa. (Lappon. borealis — Upland.-Gottland.-Hallandia; rar.)

Alae anticae fuscae, strigis aliquot ad basin pallidis. Maculae 2 ordinariae pallido-cinctae, et ita oblique positae, ut fere junctae angulum acutum simul forment, ut in figura HÜBNERI. Striga postica s. antemarginalis repanda et medio dentata pallida perspicua. Reliquae signaturae obsoletae. Alae posticae fusco-lividae, extus obscuriores. — *Had. capsincolae* HÜBN. sat similis et affinis.

2. **H. marmorata**: alis anticis griseo fuscoque variegatis, maculis ordinariis strigaque postica undulata pallidis, serie punctorum nigrorum intra marginem apicalem; posticis fuscis. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, 1832 a me inventa. (Lappon. Umensis.)

*Had. leucophaeae* HÜBN. ut et *Had. gelatae* LEFEB. in Annal. de la Soc. Ent de France p. 393. T. 10. f. 3. affinis et similis, sed ab illa alis anticis non dentatis, et ab hac striga alarum anticarum postica albida, nec nigra, etc. facile diguota. Corpus griseum, thoracis hirsutie pilis cinereis nigrisque intermixtis. Antennae fuscae. Alae anticae in fundo nigro-fuscae, pictura grisea seu sordide albida pulchre variegatae. Fascia scilicet media obscura ad costam latior, striga undulata pallida utrinque terminata, maculas ordinarias (anteriorem obliquam, posteriorem reniformem) albidas includit. Striga 3tia undata pallida postica. Margo ipse griseus serie punctorum nigrorum terminatur. Fimbria grisea parum variegata. Nervi longitudinales plerique albidi. Alae posticae griseae l. lividae versus marginem obscuriores, ciliis pallidis.

3. **H. dentina**: alis anticis cinereo fuscoque variis, macula bifida sub macula ordinaria interiori strigaque postica dentata albis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ — $1\frac{3}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 1. 328. 10. *Noctua* HÜBN. Noct. T. 87. f. 408. ♀.

Hab. in pratis apricis et graminosis Lapponiae meridionalis vulgaris, in Lycksele-avan et ad Wilhelmina 12. Jun. — 20. Jul. frequenter lecta; ad Muonioniska Lappon. borealis D. KOLSTRÖM; magnitudine et pictura paullo varians, sed macula alba bifida juxta maculam ordinariam interiorem conspicua ab affinibus, de cetero similiter pictis, facile dignota. (Lapponia-Scania, vulgatiss.)

*Obs.* Species haec per totam Sueciam frequentiss. obvia LINNAEO vix ignota esse poterat, sed cum aliis subsimiliter pictis ab Illustr. Viro sine dubio commixta.

4. **H. hilaris**: alis anticis cano fuscoque variis, macula bifida cum macula ordinaria interiori subtus confluente strigaque postica dentata albis. ♂♀. (Long. 1 — $1\frac{1}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia passim; ad Tromsoe Nordlandiae Norvegicae d. 24. Jul. 1821, et ad Asele Lapponiae meridional. Suecicae d. 25. Jul. 1832, pauca specimina inveni. (Lapp.-Oelandia 20. Jul. 1819 rar.)

Similis *H. dentinae*, sed paullo minor et magis albescens. Signaturae pallidae in alis anticis ut in *H. dentina*, sed macula bifida cum macula ordinaria anteriori omnino confluens, ambae maculam unicam majorem angulatam angulo extus bifido simul efficientes.

5. **H. alpicola**: alis anticis laete cinereis, parce fuscomaculatis, maculis ordinariis canis, harum reniformi in medio rubenti; posticis griseis, basi dilutioribus. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Hab. in Lappon. rar.; *marem* scilicet in monte subalpino Stoettingsfjellet latere Suecico summi jugi alpini d. 31. Jul. 1832 detexit D. DAHLBOM, et *feminam* in alpe Dowre latere Norvegico ejusdem jugi eodem fere die invenit D. BOHEMAN. (Lappon. meridionalis.)

♂♀. Similiter coloratae et pictae. Statura et affinitas *H. dentinae*, pictura vero alia. Tota cinerea. Palpi testacei. Antennae in ♂ flavescentes breviter bipectinatae, pectinibus evidenter pennatis versus apicem sensim decrescentibus; in ♀ setaceae, fuscae, subnudae. Alae anticae laete cinereae, maculis subquinis parvis distinctioribus fuscis, quarum 1 ad basin strigiformis, 2, 3 et 4 juxta maculam ordinariam anteriorem, et 5 ante marginem posticum in medio, sublunaris. Tota regio macularum ordinariarum praeterea fusco-umbrata, rubedine in medio sat perspicua. Ipsae maculae ordinariae albido-canae, subaequaliter magnae, anterior rotundata, posterior reniformis. In margine apicali series punctorum minutorum nigrorum. Fimbria cinereo fuscoque varia. Alae posticae cinerascentes, basi dilutiores, ciliis albidis.

6. **H. hyperborea**: alis anticis cinereis, parce fuscomaculatis nigroque subirroratis, strigis duabus repandis obscuris externe cano-marginatis, intra quas maculis ordinariis ferrugineo-tinctis positis; posticis cinereo-griseis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

*Noctua hyperborea* DALM. in literis. *Hadena* BOISD. Ind. Lepid. p. 71.

Hab. in Lapponia. Mus. Reg. Acad. Holm., etiam SCHÖNHERRI, e quo specimina typica heic descripta mihi benigne communicata. (Lappon. borealis.)

Valde similis *H. alpicolae*, sed colore alarum anticarum non tam laete nec pure cinereo, strigis repandis paullo magis conspicuis, maculis ordinariis uounihil minoribus ferrugineo fuscoque subtinctis (nec tantum una macula rubeuti, altera s. interiori alba), harum exteriori reniformi, interiori omnino rotunda, nec ovali nec sub-

obliqua, etc. ab illa certe distincta. Antennae ut in *H. alpicola*, etiam secundum sexum.

**7. H. frigida:** alis anticis glauco nigroque variis, maculis ordinariis fasciaque postica cinerascentibus; posticis fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia rarius; feminam unicam ad Lycksele Lapponiae Umensis 24—27. Jun. inveni, eodemque tempore aliam in Dowre Norvegiae legit D. BOHEMAN; mas inter Kengis et lacum Kilpisjaur Lappon. Tornensis a D. FRIGELIO captus. (Lappon. Suec. et Norvegica.)

♂♀. similes. Paullo minor *H. dentinae*, eique similis, sed obscurior et alarum anticarum maculis ordinariis fasciaque postica glauco-cinereis, ut et macula bifida nulla, ab illa diversa. Affinis quoque videtur *H. glaucae* HÜBN., et *proximae* HÜBN., sed ab illa colore fasciae et macularum magis cinereo quam glauco, et ab hac maculis ordinariis cinereis, nec albis, distinguitur. Antennae maris subtus breviter pilosae s. ciliatae, feminae nudae. Affinis tandem *H. quadripositae* nob., sed maculae 2 sub ordinariis positae, in *quadriposita* distinctae, in *frigida* vero obsoletae tantumque in rudimento adsunt.

**8. H. picticollis:** alis anticis cano nigroque variis, maculis ordinariis fasciaque postica canescentibus; posticis fuscis; capite et collari albis, hoc striga media transversa nigra. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Hab. in Groenlandia, a D. WESTERMANN mihi benevole missa. (Groenlandia.)

Minoribus individuis *H. dentinae* aequalis, eique subsimilis. Fascia vero alarum postica paullo latior quam in illa. Maculae 2 ordinariae quoque minores sunt, nec adest macula bifida. Caput et thorax antice alba, collari striga media nigra ornato. Forte hujus generis?

**9. H. groenlandica:** alis anticis cano nigroque variis, strigis 3 dentatis distinctioribus albis, maculis ordinariis obsoletis; posticis fuscis, basi dilutioribus. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

Hab. in Groenlandia D. WESTERMANN, rarissime. (Groenlandia.)

*H. dentinae* itidem similis, sed alarum fascia postica fusca, nec albida l. cana, maculis 2 ordinariis minus perspicuis, ut et defectu maculae bifidae, ab illa vere distincta. Thorax et alae basi albo-cinereo — et nigro-variegatae. In medio alae fascia obscura, ad costam dilatata, maculas ordinarias includens, utrinque striga alba terminata. Juxta hanc alia angustior, etiam obscura, et striga albida dentata utrinque terminata. Margo posticus cano fuscoque varius ut in *dentina*. Valde affinis *H. proteae* HÜBN., sed alarum fasciae obscurae et strigae albae in nostra *groenlandica* magis determinatae videntur.

**10. H. Lappo:** alis anticis cinereo fusco nigroque variis, strigis 3 dentatis distinctioribus nigris extus griseo marginatis, maculis ordinariis parvis obsoletis cinerascentibus; posticis cinereo-griseis, fimbria tenui alba. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

*Noctua Lappo* DALM. in liter. *Hadena* BOISD. Ind. Lep. p. 71.

Hab. in Lapponia D. SCHÖNHERR, e cujus museo pretioso specimen typicum mihi ad describendum benignissime fuit communicatum. (Lappon. Suecica.)

Ab *H. groenlandica*, cui maxime similis, praeter magnitudinem forte nonnihil minorem, etiam alarum anticarum strigis nigris griseo marginatis, nec totis albis, et harum strigarum 2 interioribus fasciam efficientibus, minus dentatis et undulatis, marginali tantum evidenter dentata, dignoscitur. Maculae alarum ordinariae valde obsoletae vix discernendae.

**11. H. quadriposita:** alis anticis cinereo fusco nigroque variis, striga ad marginem posticum dentata alba intus nigro marginata, maculisque disci quatuor rotundatis albido-cinereis; posticis fuscis. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

Sub nomine „*Noct. lappo* var? *Noctua glauca*? HÜBN. T. 57. f. 410." a D. SCHÖNHERR missa.

Hab. — Ut Lapponiae incola a Cel. SCHÖNHERR dubie communicata. (Lapponia?)

Similis certe et affinis *H. Lapponi* DALM., ut et *N. glaucae* HÜBN.; sed ab illa strigis alarum mediis vix ullis, a *N. glauca* colore magis fusco, nec glauco, et ab utraque maculis 4 rotundatis per pares positis, exterioribus paullo majoribus, distinguitur nostra *quadriposita*. Ab *H. frigida* (No. 7.) etiam vix nisi maculis illis nominatis 4 dignota.

**12. H. arctica:** alis anticis griseo-fuscoque variis, maculis ordinariis subobsoletis strigisque tribus albidis, et in striga postica juxta apicem lituris 2 geminis nigris; posticis grisescentibus. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ fere 1[illegible] poll.)

*Noctua arctica* DALM. in literis.

Hab. in Lapponia. Mus. D. SCHÖNHERR. (Lapponia borealis.)

Similis omnino *Noctuae obliteratae* DALM., sed paullo major et pictura distinctiori; alarum lituris apicalibus bene dignota. Antennae subtus breviter ciliatae. Alae anticae fusco griseoque variae. Maculae ordinariae mediocres albidae, puncto fusco; exterior reniformis, interior minor rotunda. Strigae 3 albae, scilicet 1 basalis undulata obsoleta, 2 paullo pone medium repanda denticulata intus nigro marginata, et 3 intra marginem posticum, vix dentata, obsoleta, in qua lituae 2 geminae, una ad costam et altera mox infra primam, ambae fusco-nigrae, singula numerum 11 fere referunt. Costa versus apicem punctis minutis albis ornata. Fimbria alba fusco-intersecta. Alae posticae cinereo-griseae, strigis posticis lunulaque mediis fuscis obsoletis.

**13. H. aquilonaris:** alis anticis cinerascentibus subbrunnescenti fusco-nebulosis, maculis ordinariis obsoletis, margine summo nigro-punctato; posticis griseo-cinereis immaculatis. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia D. SCHÖNHERR, e cujus museo mihi missa. (Lapponia borealis.)

*H. hyperboreae* (No. 6.) similis, sed alis anticis praesertim disco magis fusco-ferrugineoque nebulosis, maculis ordinariis obsoletis, strigis transversis solitariis vix ullis, ut et punctis lunulatis in summo margine postico minutissimis nigris, ab illa dignoscenda.

**14. H. laetabilis:** alis anticis griseo fuscoque variis, maculis ordinariis strigisque duabus albidis, juxta apicem lituris 2 nigris; posticis albidis, lunula media strigaque tenuissima in summo margine fuscis. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia. Mus. D. SCHÖNHERRI. (Lapponia borealis.)

Sat similis *H. hyperboreae* et *arcticae*, sed a priori alarum anticarum lituris apicalibus nigris, a posteriori striga 3tia seu intramarginali nulla l. obsoletissima, et ab utraque alis posticis albis, dignota. Signaturae parvae geminae nigrae juxta apicem alae in hac specie potius literam v, quam numerum 11, repraesentant. Affinis *Poliae* generi.

**15. H. Sommeri:** „alis anticis fusco-cinereoque marmore, strigis duabus dentatis nigris albo-limbatis, maculis ordinariis cineraceis; posticis fulvo-cinereis." LEFEB. (Long. 1[illegible] poll.)

LEFEBVRE in Annal. de la Soc. Entom. de France. 1836. 3. p. 391. Tab. 10. f. 1. ♀.

Hab. in Groenlandia; teste D. LEFEBVRE l. c.; mihi in Lapponiis Scandinavicis non obvia. Affinis *Hadenae Genistae*. (Groenlandia.)

**16. H. implicata:** „alis anticis nigricantibus, strigis duabus albidis dentatis, maculis ordinariis nigro circumcinctis, orbiculari albida, reniformi cinerea; posticis fuliginosis, fimbria alba" LEFEB. ♀. (Long. $1\frac{5}{8}$ poll.)

LEFEB. in Annal. de la Soc. Ent. de Fr. 1836. 3. p. 394. T. 10. f. 4. ♀.

Hab. in Groenlandia. D. LEFEBVRE l. c.; in terris arcticis a me frustra quaesita. Affinis videtur sequenti.

**17. H. extricata:** alis anticis nigricantibus cinereo fuscoque variis, strigis duabus geminis dentatis, macula ordinaria interiori ovata, striolisque basalibus ad costam, albis; posticis fuliginosis, fimbria alba. ♂. (Long. al. exp. $2\frac{1}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia. D. SCHÖNHERR, e cujus museo mecum ad describendum communicata. (Lappon. borealis?)

Magna, pulchra et distincta. Similis quodammodo et affinis *H. implicatae* LEFEB. ♀, sed vix ejus mas. Differt ab illa: alis anticis nonnihil longioribus et angustioribus, strigis albis geminis, seu singula per striolam mediam tenuissima longitudinaliter divisa (nec ut in *implicata* simplici), exteriori angulato-dentata, nec simpliciter arcuato-dentata, ut et tandem striolis costalibus ad basin albis. Maculae ordinariae, exterior reniformis cinerea, interior vero obliqua ovata ad costam adscendens. Ipsa costa punctis strigiformibus tribus albis utrinque nigrocinctis, distantibus. Alae posticae obscure fuscae, omnino immaculatae, fimbria alba.

**18. H. Satura:** alis anticis fusco-ferruginosis, fascia postica lata dilutiori, striga dentata pallida utrinque terminata, maculis ordinariis pallescentibus, strigis aliquot ad basin et lineola media longitudinali versus marginem interiorem atris; posticis fuscis, margine obscuriore. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 1. 333. 13? *Noctua* HÜBN. Noct. T. 16. f. 75? ♂. Wien. Verz. p. 83.

Hab. in Lapponia rar. (Lapponia-Botnia borealis ad Calix D. SMALTZ. — Scania.)

*Obs.* Sub nomine. „*Noct. Satura* Wien. Verz. HÜBN. *N. valida* HÜBN. et *aquilina* BORKH." specimen descripto simile in

collectione mea asservatur, olim a D. DALMAN missum, asseverante similia etiam sub eodem nomine in Mus. Reg. Acad. Holm. exstare.

### Species dubii generis.

**19. H. borealis**: alis anticis brunnescenti griseis, maculis ordinariis dilutioribus interstitio nigro-brunneo, strigaque intra marginem posticum pallida; posticis fusco-griseis. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

*Noctua borealis* DALM. in liter.

Hab. in Lapponia. Mus. D. SCHÖNHERR, e quo mihi ad huic Faunae inserendam missa. (Lapponia borealis.)

Similis *Noct. brunneae* FABR. TREITS. HÜBN. f. 121., seu *N. Fragariae* BORKH.; sed certe distincta. Multo minor, alae anticae ad costam minime flavo-maculatae, ut in *brunnea*, et posticae griseae unicolores, nec fascia ad marginem posticum fusca. Alae anticae fusco-grisescentes, maculis ordinariis pallidioribus, interstitio inter illas macula triangulari obscure brunnea toto repleto, et macula ejusdem coloris ac fere formae juxta maculam ordinariam interiorem versus basin. Striga postica tenuis pallida, vix undulata. In ipso summo margine puncta minutissima fusca.

*Obs.* Hanc et sequentes species *Hadenae* amandavi, quoniam, ut mihi videtur, majorem cum hoc genere quam cum aliis habent affinitatem. Dubius tamen inserui.

**20. H. obliterata**: alis subnitidis dilute griseis, anticis fusco-irroratis, striga pone medium punctulata punctisque in costa minutis albidis, litura quadrata brunnea inter maculas ordinarias. ♂. (Long. al. exp. vix $1\frac{1}{4}$ poll.)

*Noctua obliterata* DALM. in liter.

Hab. in Lapponia. Mus. D. SCHÖNHERR. (Lapponia borealis.)

Species vere distincta; tenera. Alae anticae griseae, atomis fuscis adspersae. Paullo pone medium striga e punctis parvis lunulatis albis intus nigro-marginatis. In ipsa costa a medio ad apicem quoque puncta 4 l. 5. minutissima alba, aequali spatio remota. Maculae ordinariae grisescentes parum conspicuae, per maculam quadratam obscure brunneam sejunctae. Alae posticae pallide griseae immaculatae nitidae. Proxime praecedenti sat similis.

**21. H. labecula**: alis anticis canis cinereo-nebulosis, maculis ordinariis et una basali interius nigro-marginata, albidis, puncto cordiformi sub macula ordinaria interiori, nigro; posticis griseo-cinerascentibus. ♂. (Long. al. exp. vix. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Hab. in Dalecarlia alpina, mens. Jul. 1836 a D. BOHEMAN inventa, mecumque ad describendum benevole communicata. (Lapponia meridionalis.)

Subsimilis *H. boreali*, sed paullo minor et colore dominante magis cinereo et cano, nec griseo, signaturis alarum distinctioribus etc. dignota. Antennae serrulatae. Alae anticae canae cinereo-nebulosae, strigis transversis vix ullis. Maculae albae subquatuor, nempe 1 basalis ad costam, strigula atra laterali ornata; 2 ordinaria ovalis obliqua, sub qua alia parva cordata nigra observatur; 3 etiam ordinaria exterior, reniformis, interstitio inter hanc et priorem trapeziforme nigricante; 4ta denique ad angulum ani ovata obsoleta. Alae posticae cinereo-griseae, nitidae. Cum *H. quadriposita* (No. 11.) non confundenda.

**22. H. Iris**: alis sordide cinereis, anticis striga postica punctorum fuscorum, maculisque ordinariis atrocinctis. ♀. (Long. al. exp. circiter $1\frac{1}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia. Mus. D. SCHÖNHERR. (Lapponia borealis.)

Alae nitidae; anticae sordide cinereae. Ad marginem posticum et cum eo parallela striga punctorum rubenti fuscorum, quorum postrema ad marginem interiorem lituras parvas atras formant. Maculae ordinariae mediocres, exterior reniformis, interior oblique ovalis, utraque iride tenui atra ornata, margine iridis supero et infero obsoleto (in speciminibus melius conservatis forte magis completo), marginibus vero lateralibus conspicuis, ita ut in regione macularum ordinariarum tres strigulae seu lineolae tenuissimae breves atrae restent. Puncta minuta alba in costa adsunt. Alae posticae dilutius griseae.

*Obs.* 1. *Hadena* (*Noctua*) *Saponariae* BORKH. (*typica* HÜBN., in Suec. freq.); *capsincola* HÜBN. (*popularis* FABR., Suec. pass.); *leucophaea* HÜBN. TREITS. (Blekingia, Scan. pass.); *adusta!* TREITS. (Scan. rar.); *contigua* FABR. (Suec. Scan. plures varietates); et *protea* HÜBN. (Scan. pass.); intra Lapponiae limitem a me non visae.

*Obs.* 2. *Phlogophora* (*Noctua*) *meticulosa* LINN. (Hallandia rar.), et *lucipara* LINN. (Westrog. Bleking. pass.); in Lapponia non deprehensae.

*Obs.* 3. *Miselia* (*Noctua*) *conspersa* HÜBN. (*Bomb. annulata* FABR., in Salicibus Blekingiae et Scan. freq.); *comta* FABR. (Scan. freq., e pupa ad Lund capta imago jam 25. April. egressa); *albimacula* BORKH. (*concinna* HÜBN., Westrogoth. rariss.); *culta* FABR. (Suec. rariss.), et *Oxyacanthae* LINN. (Succ. pass.); in Lapponia haud obviae.

---

## 41. Polia. OCHS.

TREITS. Schm. gen. 58. *Noctua* Auctor.

Media aut major. Antennae elongatae, filiformes aut setaceae. Thorax cristatus. Alae in quiete deflexae. *Color* primarius albidus, canus, fuscus. *Pictura* maxime varia, inde hoc genus vacillans. Alae anticae plerumque nebulosae l. marmoratae, unde fasciae et strigae per se saepe parum conspicuae. Maculae 2 ordinariae plus minus evidentes, interdum vix nisi earum vestigium. *Habitatio* in pratis et cultis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* nuda punctata, strigis lateralibus ornata, ex herbis l. plantis humilioribus victitat. *Differentia sexus* in abdominis structura facile invenienda. Antennae *maris* interdum breviter pennato-pectinatae. (Spec. Scand. 14 in museo nostro adsunt.)

**1. P. prolixa**: alis anticis cano, fusco cinereoque variis, maculis 2 ordinariis solito majoribus; posticis fuscis, fimbria alba. ♀. (Long. al. exp. fere 2 poll.)

Hab. in Lapponia rar.; etiam e Groenlandia a D. WESTERMANN missa. (Lapp.-Groenlandia-Bottnia borealis ad Calix D. SCHMALTZ-Ostrogoth. ad Wadstena Aug. Sept. rar.)

Magna. Affinis et similis *P. nebulosae* TREITS. seu *Noct. polyodo* FABR. et *plebejae* HÜBN., sed thorace vix albo-picto, defectu ocelli fusci sub macula alarum ordinaria anteriori, lineolaeque nigrae versus marginem interiorem, ut et alis posticis majoribus longioribus cinereis subunicoloribus, nec fascia postica fusca ornatis, satis dignota. Thorax griseus subunicolor. Alae anticae albido, fusco cinereoque nebulosae, fascia postica cinereo-fusca evidentiori. Maculae ordinariae, posterior reniformis fusca albo-cincta, anterior magna rotundata perspicua alba. Reliquae signaturae obsoletae. Alae posticae fusco-lividae, costa dilutiori, fimbria alba.

**2. P. occulta**: alis anticis cano, fusco cinereoque nebulosis, maculis 2 ordinariis solito majoribus, harum anteriori adjecta macula oblonga cinerea nigrocincta; posticis fuscis, fimbria alba. ♂♀. (Long. al. exp. fere 2 poll.)

TREITS. Schm. 5. 2. p. 52. 17. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1203. certe. HÜBN. Noct. T. 17. f. 79. ♀.

Hab. in Lappon. rar. (Lappon.-Ostrogothia ad Lärketorp et Godegård-Olandia etc., 10—20. Jul. rar.)

Magnitudo prioris eique valde affinis. Thorax in illaesis individuis utrinque linea alba, huic adjecta subtus alia nigra. Alae anticae ut in praecedente pictae, sed juxta maculam ordinariam anteriorem albam et versus marginem interiorem alae alia oblonga cana nigrocincta longitudinaliter posita, qua etiam a *P. prolixa* mox distinguitur.

**3. P. Polymita**: alis anticis virescenti aut fusco-cinereis, strigis albo-nigroque undatis, maculis ordinariis albis nigrocinctis; posticis albidis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ – $1\frac{1}{2}$ poll.)

Var. a. ♂♀. long $1\frac{1}{2}$ poll., alis anticis viridi cinereis; posticis aut albis aut fusco-maculatis, margine apicali summo striga undulata fusca ornato; qualis in Suecia frequenter, sed in Lapponia non, occurrit.

TREITS. Schm. 5. 2. p. 24. 8. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1217. *N. ridens* HÜBN. Noct. T. 4. f. 20. *Seladonia* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 103. 308.

Var. b. ♂. long. $1\frac{3}{8}$ poll., alis anticis fusco-cinereis; posticis griseis, margine apicali vix maculato; in Lapponia, sed hactenus in Suecia inferiori non, lecta. An spec. distincta?

Hab. var. a. in Westro- et Ostrogothia pass. — Scania Aug. Sept. frequentiss. saepe educatione exclusa; var. b. tantum in Lapponia inventa, e Mus. D. SCHÖNHERRI mihi missa.

**4. P. puncticosta**: alis anticis cano, cinereo fuscoque variis, punctis 3 costalibus maculaque ordinaria anteriori majori albis; posticis fuscis, basi dilutioribus. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in Lappon. meridionali rariss.; e pupa ad Stensele inventa, imago descripta d. 4. Jul. exiit. (Lapp. Umensis.)

*Hadena dentina* paullo major, *Pol. occulta* vero nonnihil minor eique valde affinis et similis. Caput, thorax et pedes hirsuti, cinerascentia unicolora. Antennae fuscae, subtus brevissime ciliatae. Alae anticae cinereae, strigis aliquot ad basin et macula in medio

marginis interioris canescentibus. Maculae 2 ordinariae subaequaliter magnae, harum exterior obsoleta, anterior alba utrinque nigrocincta. In ipsa costa puncta 3 parva alba, antice posticeque nigroterminata, aequaliter fere distantia, primum ad basin alae, secundum ante medium cum macula ordinaria anteriori confluens, et tertium paullo pone medium, sita.

*Obs.* *Polia* (*Noctua*) *Chi* LINN. Fn. Sv. 1180 (Suec. pass.); *serena* FABR. Suecia merid. rar.); *Dysodea* HÜBN. (Suec, teste BILLBERG); *filigrama* ESPER. TREITS (Suec. incola testante BILLBERG, mihi in Scandinavia non obvia); *Templi* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 56 cum fig. multo fideliori quam HÜBNERI (Suec meridion., Scan. et praesertim in Templo Lundensi domibusque e lapidibus exstructis, Sept. Oct. certis annis freq.); *flavicincta* FABR. (Scan. freq.); *advena* FABR. (Suec. rar.); *tincta* BORKH. TREITS. (*hepatica* HÜBN.; ad Lund rariss.); *nebulosa* (*plebeja* HÜBN., Suec. rar.); *herbida* TREITS. (*prasina* FABR., Scan. ad Esperoed. rar.), et *texta* BORKH. HÜBN. (*cytherea* FABR., Suec. rar.); hae omnes in Lapponia hactenus non indagatae.

---

## 42. Trachea. TREITS.

TREITS. Schm. gen. 59. *Ilarus* BOISD. *Noctua* Auctor.

Media aut minor. Antennae mediocres, setaceae. Thorax cristatus. Alae deflexae. *Color* primarius fuscus aut rubens; sed alae anticae signaturis virescentibus, flavis aut albidis varie et pulchre pictae. Maculae ordinariae conspicuae, licet interdum parvae. Alae posticae fusco-lividae unicolores, fimbria dilutiori. *Habitatio* in pratis et cultis; per partem sylvaticam Lapponiae, rarissime. *Larva* nuda, linea dorsali instructa, plantis humilioribus vescitur (*Tr. piniperda* excepta). Pupa sub terra. *Differentia sexus* in structura abdominis quaerenda. (Spec. Scand. 3.)

**1. T. porphyrea:** alis anticis fusco-rubentibus, maculis ordinariis, strigis tribus repandis punctisque albis harum signaturarum plerisque nigro-marginatis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$—$1\frac{1}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 2. 73. 3. *Noctua* HÜBN. Noct. T. 19. f. 93. ♀. T. 100. f. 473. ♂. *N. picta* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 91. 270. *N. Arnicae* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 107 323. *Noct. strigula* THUNB. Mus. Acad. Ups. P. 4. p. 72 cum fig.

Hab. — Ut Lapponiae incola mecum communicata, mihi supra Ostrogothiam non obvia. (Lapponia; Ostrog. pass.; Gottland. et Oelandia, plures varietates, freq. — Scan pass.)

*Obs.* *Trachea* (*Noctua*) *Atriplicis* LINN. (Scan. pass.); et *piniperda* OCHS. (*flammea* HÜBN., *spreta* FABR., *porphyrea* THUNB. Diss. Ins. Sv. p. 53., *telifera* PAYK. Act. Holm. 1786, in Suec. pass.) in Lapponia a me non visae.

---

## 43. Apamea. OCHS.

TREITS. Schm. gen. 50. *Noctua* Auctor.

Media aut minor. Antennae mediocres, filiformes, in mare subtus ciliatae s. brevissime hirtae. Thorax cristatus, crista fissa. Alae deflexae. *Color* fuscus, cupreus, testaceus, aridus. *Pictura* parum varia; fasciae scilicet et strigae saepe obsoletae; macularum vero ordinariarum exterior saltem plerumque conspicua, albida aut flavescens. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae. *Larva* nuda, fusca, e radicibus plantarum praesertim graminum victitat. *Pupa* in terra sepulta. *Differentia sexus*: *mas*: antennis subtus brevissime ciliatis, ano barbato; *femina*: antennis nudis, ano acuto nudiusculo. (Spec. Scand. 5.)

**1. A. nictitans:** alis anticis ferrugineo-testaceis aut griseis, maculis ordinariis posteriori reniformi alba, anteriori rotunda parva lutea obsoleta; posticis cinereis. ♂♀. (Long. al. exp. 1—$1\frac{1}{8}$ poll.)

TREITS. 5. 2. 82. 1. *Noctua oculea* LINN. Fn. Sv. 1215 *N. cinerago* FABR. Suppl. 445. 218—219. *N. chrysographa* HÜBN. Noct. T. 46. f. 221. ♂.

Hab. in Lapponia rar. (Lapp.-Ostrog., Gottland., Scania, Aug. Sept. freq.)

Colore alarum anticarum dominante fusco, testaceo, pallido, griseo, l. ferrugineo-flavo mire variat. In individuis pallidis macula ordinaria reniformis etiam saepe flava.

Var. b. ♂. minor, macula ordinaria reniformi parva obsoleta; alias var. a. similis; an spec. distincta? In alpe Dowre a D. BOHEMAN inventa. Lappon.-Lund d. 1. Jul. 1838 rariss.)

**2. A. cuprea:** alis anticis grisescenti cupreis, fascia media obscuriori, maculis ordinariis tenuiter albocinctis; posticis fuscis. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 2. 125. 17. *Noctua* HÜBN. Noct. T. 13. f. 62. ♀. (obscurior quam nostra). *Cosmia* TREITS. Schm. 10. Supplem.

Hab. in Dalecarliae alpinae Scabiosa, mens. Jul. a D. BOHEMAN capta, mihi in Lapponiis superioribus non obvia. (Lappon. meridionalis; Suecia, Mus. nostr.; in montosis Austriae TREITSCHKE.)

*Obs.* *Apamea* (*Noctua*) *didyma* BORKH. (Oelandia-Scan. pass.); *strigilis* LINN. (Oeland. freq. — Scan. rar.); et *basilinea* FABR. (Smoland. D. BOHEMAN — Oeland., Gottlandia, Scan., freq.; specimina utriusque sexus e nympha egressa d 24. Jun.); in Lapponia haud collectae. Nec *Apamea secalis* (*Huitax mask*) ROLANDER Act. Holm. 1752. p. 62. *Phalaena secalis* BJERKANDER Act. Holm. 1778. p. 289. *Pyralis secalis* DALB. Skand. Ins. 1837. p 205. fig. 17., in Scan. Jul. freq.) in Lappon. visa.

---

## 44. Mamestra. OCHS.

TREITS. Schmett. gen. 61. *Noctua* Auctor.

Media. Antennae mediocres, setaceae. Thorax crista biloba. Alae deflexae. *Color* fuscus, griseus, testaceus, ferruginans, vix unquam laetior. Alae anticae parum *pictae*, interdum nebulosae velstrigosae; macula vero ordinaria reniformis, et striga postica undulata pallida in medio saepissime dentata W albidum commonstrans, plerumque conspicuae. Alae posticae cinereae l. lividae, margine postico obscuriori. *Habitatio* in cultis per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* nuda, varie colorata, linea dorsali strigisque lateralibus saepe ornata, herbis altioribus et praecipue hortensibus vescitur. *Pupa* sub terra et muscis. *Differentia sexus* in abdominis structura invenienda. Antennae *maris* subtus brevissime hirtae l. ciliatae. (Spec. Scand. 7.)

**1. M. Pisi:** alis anticis ferrugineis griseo-nebulosis, striga postica undata maculaque ad angulum ani distinctiori, albidis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 2. 128. 1. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1206. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 93. 275. HÜBN. Noct. T. 91. f. 429. ♂ (figura bona). DAHLB. Skand. Ins. Skada etc. p. 194.

Hab. in Lapponiae meridion. cultis passim, etiam in Lycksele-avan d. 20. Jun. lecta; e pupis sub lapidibus in Jemtlandia mens. Maj. Jun. a D. BOHEMAN copiosius captis imagines feliciter exclusae. (Lapp.-Scan. vulgar. et saepissime e nympha declarat. mens. Maj. Jun.)

**2. M. oleracea:** alis anticis fusco-ferrugineis, macula reniformi obsoleta lutescente, et striga postica in medio evidenter bidentata albida. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 2. 132. 3. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1197. et 2290 ♂. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 99. 295. HÜBN. Noct. T. 18. f. 87. ♀.

Hab. in Lapponiae plantis oleraceis hortorum rar. (Lapp. per totam Sueciam usque in Scaniam extremam vulgar.; d. 6—20. Sept. in pupam abiit, 1—25. April. anni sequentis declarat.)

**3. M. Brassicae:** alis anticis cinereis fusco-nebulosis, maculis ordinariis reniformi albo-variegata, anteriori rotunda subtus unco nigro; striga postica undulata albida. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 2. 150. 9. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1205. OTTO FABR. Fn. Groenl. p. 194. 146. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 67. 189. HÜBN. Noct. T. 18. f. 88. ♂. DAHLB. Skand. Ins. Skada och Nytta. p. 195.)

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Groenland. — Scan. freq. mens. Maj. saepe exclus.)

*Obs.* 1. *Mamestra* (*Noctua*) *suasa* OCHS., *N. dissimilis* Auct., Ostrogoth.-Scan. pass.); *Chenopodii* FABR. (Suec. Scan. freq.), et *Persicariae* LINN. (Scan. freq, mens. April. saepe e nympha declarat.)

*Obs.* 2. *Thyatira* (*Noctua*) *Batis* LINN. Fn. Sv. 1158. (in Suecia rar.) Lapponiae exsul.

*Obs.* 3. *Calpe* (*Bombyx*) *Libatrix* LINN. Fn. Sv. 1143. (Suec. media, Gottland. pass., in Scania toto fere anno freq.) in Lapponia mihi non obvia.

*Obs.* 4. *Mythimna* (*Noctua*) *Turca* LINN. Fn. Sv. 1221. (genuina in Suec. rar.); *lithargyria* HÜBN. (*N. Ferrago* FABR., in Suec. med. et Oelandia pass.); *albipuncta?* FABR. HÜBN. (Lund d. 1. Jul. rar.); *conigera* FABR PANZ. (Suec. med.,

Gottland., Scan. haud rar.); et *xanthographa* FABR. (Suec. rame); in Lapponia hactenus non inventae.

## 45. Orthosia. OCHS.

TREITS. Schm. gen. 65. *Noctua* Auctor. *Graphiphora* GERMAR.

Media. Antennae mediocres, setaceae, maris scobinaeformes. Thorax dense villosus, crista duplici. Alae deflexae. *Color* griseus, cinereus, fuscus, testaceus. Alae anticae subunicolores s. parum *pictae*, maculae tamen 2 ordinariae plerumque perspicuae saepeque pallido-cinctae. Alae posticae cinereae aut lividae, margine obscuriori. Striga postica undulata interdum obsoleta. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* in structura abdominis quaerenda, et praeterea *mas:* antennis scobinaeformibus, *femina:* simplicibus gaudet. (Spec. Scand. 4.)

**1. O. carnea**: alis anticis rubenti-griseis, fascia media crenata ad costam dilatata saturatiori, intra quam maculis 2 ordinariis pallidioribus. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 2. 226. 11. *Noctua* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 55 et ejusdem Mus. Acad. Ups. P. 6. p. 72. cum figura (secund. specimen detrit. facta.) *Noct. ampla* HÜBN. Noct. T. 90. f. 425. ♀ (fig. minus bona). *N. tecta* HÜBN. Noct. T. 81. f. 377. ♀ (nostris speciminibus major). *Graphiphora carnea* AHRHENS. Fn. Ins. Eur. a GERMAR. 6. f. 19. ♂.

Hab. in Lapponia passim rar. Mus. D. SCHÖNHERRI et nostr. (Lappon., Hallandia, Scania rar.)

Variat colore dominante griseo, testaceo, rubente. Specimina detrita ut de more pallidiora in collectionibus Suecicis sub variis nominibus saepe occurrunt. Signaturae fuscae in regione macularum ordinariarum, ut et strigae posticae transversae tenacius plerumque adhaerent. In varietate ferruginea maculam ordinariam exteriorem oblongam vidi. De identitate THUNBERGII *N. carneae* et HÜBNERI *N. amplae* eo certior sum, quo ab Ill. THUNBERGIO ipsiusque digito annotatum specimen ut „suam *carneam* et HÜBNERI *amplam*" obtinui.

*Obs.* 1. *Orthosia* (*Noctua*) *caecimacula* FABR. (Ostrogoth. freq. Scan. pass.); *instabilis* FABR. (Suec. BILLBERG); *Ypsilon* HÜBN. (Suecia!); *Lota* LINN. (Smoland pass.); *gracilis* OCHS. BORKH. (ad Lund rar.); et *litura* LINN. Fn. Sv. 1213 (per totam Sueciam vulgaris); intra limites Lapponiae a me non inventae.

*Obs.* 2. *Caradrina* (*Noctua*) *cubicularis* OCHS. (4-*puncta* FABR. in Suec. med., Gottlandia et Scan. freq.); *blanda* FABR. (Smol. Scan. pass.); *Alsines* BORKH. (Oelandia freq. alibi in Suec. rar.); *trilinea* OCHS. HÜBN. (*Quercus* FABR., *evidens* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 2. cum fig.; in Oelandia freq., Halland. pass., alibi in Suec. rar.), et *virens* FABR. (Halland., Scan. pass.); in Lapponia nunquam deprehensae, quantum scio.

*Obs.* 3. *Leucania* (*Noctua*) *pallens* LINN. Fn. Sv. 1175. (Suec. med., Upland., Gottland. Scan. Jun. Jul. freq.); et *Comma* LINN. Fn. Sv. 1191. (Suec. merid., Scan. freq.); Lapponiae profugae.

*Obs.* 4. *Nonagria* (*Noctua*) *Typhae* BORKH. HÜBN. (*Arundinis* FABR. in Suec. Mus. nostr.), Lapponiae exsul.

*Obs.* 5. *Gortyna* (*Noctua*) *micacea* OCHS. ESP. (*cypriaca* HÜBN. in Suec. Mus. FALL.; ad Lund d. 1. Sept. rar., ipse); et *flavago* OCHS. HÜBN. (*rutilago* FABR. in Salice 10. Jul., 10. Sept. Lund freq.); in Lapponia mihi non obviae.

*Obs.* 6. *Xanthia* (*Noctua*) *rufina* OCHS. HÜBN. (*helvola* LINN. Fn. Sv. 1142.; Uplandia, Holmia, Scania ad Lund, passim.); *ferruginea* OCHS. (*undosa* BORKH. Scan. Aug. Sept. freq. educata saepe e chrysalide exiit); *citrago* LINN. Fn. Sv. 1174. (Suec. rar.); *aurago* OCHS. (*aurago* et *rutilago* THUNB. ♂, in Scan. Sept. pass.); *sulphurago* OCHS. FABR. (Suec. med. et Scan. pass.); *cerago* OCHS. FABR. (Suec. freq.); *silago* OCHS. HÜBN. (*flavago* FABR. *togata* ESPER., in Suec. interiori freq.); *gilvago* OCHS. FABR. (Suec. rar.); et *palleago* OCHS. HÜBN. (Ostrogoth. rar.); in Lapponia a me frustra quaesitae.

*Obs.* 7. *Cosmia* (*Noctua*) *trapezina* LINN. Fn. Sv. 1157. (Suec. med., Gottland., Scan. freq. Jul. et Aug.; saepe educatione exclus.) Lapponiae profuga.

## 46. Cerastis. OCHS.

TREITS. Schm. gen. 73. *Noctua* Auctor.

Media. Antennae mediocres, setaceae, in mare subtus serrulatae l. ciliatae. Thorax subdepressus. Alae subhorizontales. Abdomen depressiusculum, lateribus villosum. *Color* griseus, pallescens, ferrugineus. *Pictura* punctata aut strigata. Macularum ordinariarum una interdum distincta. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Larva* ex plantis humilioribus victitat. *Pupa* sub terra. *Differentia sexus* in abdominis structura mox invenienda; praeterea *mas:* antennis subtus biseriatim serrulatis et pilosulis, a *femina:* antennis simplicibus, dignoscitur. (Spec. Scand. 5.)

**1. C. rubiginea**: alis griseo-flavescentibus, anticis ferrugineo-fusco-undatis, punctis minutis nigris sparsis. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 3. 398. 2. *Noctua* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 31. 76. HÜBN. Noct. T. 38. f. 183. ♂.

Hab. in Lapponia rarius; in Raschstind Nordlandiae d. 28. Jul. inveni. (Lappon. Norvegica — Westrogoth.-Scania ad Fogelsang 7. Jul rar.)

**2. C. transfuga**: alis anticis pallide griseis, strigis 2 ad marginem interiorem approximatis, punctoque medio fuscis; posticis albidis nitidis. ♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

Sub nomine *Noct. binotata* seu *Bombyx binotata* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 486. 247. a D. SCHÖNHERR communicata; sed illam (*B. binotatam*) aliam puto seu *Pyral. duplarem* LINN. Fn. Sv. 1357, in genere *Cymathophora* a me descriptam.

Hab. in Lapponia. Mus. D. SCHÖNHERRI. In Lapponia Tornensi ipse quoque pauca specimina inveni. (Lappon.— Botnia borealis ad Calix.)

Sat mollis et tenera. Alae anticae pallide testaceae, strigis duabus repandis, ad medium marginis interioris approximatis, punctoque medio fuscis. Fimbria fusca. Alae posticae albidae, nitidae. — An hujus generis?

**3. C. diducta**: alis subnitidis griseis, anticis fascia latissima ferrugineo-testacea, punctis costalibus pallidis, maculis ordinariis obsoletis. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia. Mus. D. SCHÖNHERRI. (Lappon. borealis.)

Similis *rubigineae* et *transfugae*, ab illa vero differt punctis alarum nigris vix ullis, ab hac strigis 2 transversis punctoque medio fuscis etiam deficientibus alisque posticis griseis, nec albidis, et ab utraque punctis 3 l. 4 minutissimis albidis in parte posteriore costae. Alae anticae ferrugineo-testaceae, basi latius, at margine postico anguste, griseis. Maculae ordinariae oblongae griseae parum conspicuae. Antennae (♂) ciliato-serratae. Forte hujus generis.

*Obs.* *Cerastis* (*Noctua*) *rubricosa* FABR. (*pinicornis* BORKH., in Gottland. et in Scan. ad Lund Jul. pass.); *Vaccinii* LINN. Fn. Sv. 1212. (*polita* BORKH., Suec. med. Oeland.-Scan. Jul. — Sept. freq.); et *satellitia* FABR. THUNB. Diss Ins. Sv. P. 3. p. 55 (Suec. med., Ostrogoth. freq.; Scan. rar., 8. Mart. — 20. Sept.); in Lapponia non inventae.

## 47. Xylina. OCHS.

TREITS. Schm. gen. 74. *Noctua* Auctor.

Major, interdum media. Antennae elongatae, in mare subtus saepe ciliatae. Thorax crista duplici. Alae in quiete parum deflexae, anticae plerumque longae et angustatae. Abdomen depressum, vix costatum. *Color* primarius fuscus, griseus, testaceus etc. *Pictura* obscura, variegata. Strigae transversae alarum saepe obsoletae et maculae ordinariae fuscae aut griseae ob picturam marmoratam plerumque minus perspicuae. Collare interdum pallidum, striga longitudinali basali aut media saepe evidenti. *Habitatio* in silvis et pratis; per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae. *Larva* nuda, punctis aut verruculis obsita, saepe viridis, linea laterali pallida. *Differentia sexus* in abdominis structura quaerenda; *mas* etiam saepe antennis subtus ciliatis aut pectinatis, a *femina* antennis simplicibus dignoscitur. (Spec. Scand. 16. in museo meo numerantur.)

**1. X. conformis**: alis anticis fusco cinereoque marmoratis, macula baseos majori alba superne nigrocincta, maculisque ordinariis canis, reniformi rufescente; posticis cinereogriseis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 3. 12. 4. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 124. 374. HÜBN. Noct. T. 50. f. 243. ♀.

Hab. in Dalecarlia alpina. D. BOHEMAN. (Lappon. meridionalis — Ostrogoth. ad Laerketorp medio Septembr. freq. uterque sexus; alibi in Suecia rar.)

**2. X. rectilinea:** alis anticis fusco-cinereoque marmoratis, fascia media intus dentata saturatiori, maculis ordinariis obsoletis; lineola basees longitudinali recta atra, strigaque maculiformi ad angulum ani alba. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅜ poll.)

TREITS. Schm. 5. 3. 61. 24. BOISD. Ind. Lep. p. 88. *Noctua* ESPER. Schm. 4. T. 127. HÜBN. Noct. T. 51. f. 248. (major tamen quam nostra et colore paullo dissimilis). *Bombyx signata* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 53 cum fig. huc quoque spectare videtur, sed major et paullo aliter picta, in Suecia media tantum capta.

Hab. in Lapponia passim; scilicet ad Wilhelmina et Lycksele Lapponiae Umensis seu meridionalis d. 16—26. Jul. 1832 uterque sexus inventus; etiam e pupa ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis seu borealis sub lapide capta specimen femineum d. 29. Jun. 1821 egressum. (Lappon.-Suecica in regione sylvatica; alpes Europ. merid. Jul. BOISDUVAL l. c.; similem quoque ex Austria D. ANDERSCH, olim mus. D. FALLEN.)

Magnitudo *X. perspicillaris* LINN. parum superat. Antennae fuscae, in ♂ breviter pectinatae, apice nudae. Thorax cinereus, collari in medio nigrolineato. Abdomen griseum. Alae anticae fusco-cinereoque marmoratae. Fascia media lata saturatior utrinque albido-strigosa, striga exteriori versus costam evanescenti, ad marginem interiorem magis determinata ibique ad angulum ani maculam albam efficienti. Inter hanc maculam et sinum fasciae oppositum linea atra, et in medio baseos alae striga longitudinalis ejusdem coloris observantur. Alae posticae obscure cinereae.

**3. X. unicolora:** alis anticis testaceis subunicoloribus, macula ordinaria reniformi dilutiori; posticis lividis. ♂. (Long. al. exp. 1¾—1⁷ poll.)

Hab. in Lapponia passim; ad Karesuando Lapponiae Tornensis et ad Asele Lappon.-Umensis, d. 26. Jul., 10. Aug. capta. (Lappon.-Bottnia boreal. ad Calix D. SCHMALTZ.)

Affinis et similis *X. lateritiae* OCHS. s. *molochinae* HÜBN., sed minor, paullo dilutior et pictura vix ulla ab illa dignota, ut et loco natali ab ambabus diversa. Specimina 5 optime conservata, quae ante oculos habeo, omnia similia. Alae et totum corpus subrufescenti testacea. Antennae (♂) breviter et tenuiter hirtae, sed vix ciliatae, nec pectinatae. Macula ordinaria reniformis alarum paullo dilutior obsoleta, sed solitae strigae transversales pallidae vix nisi in rudimento adsunt, earum tantum vestigium. Alae posticae fusco-lividae. Anus valde barbatus.

*Obs.* 1. *Xylina* (*Noctua*) *exoleta* LINN. Fn. Sv. 1185. (Smol. D. BOHEMAN; Gottland.-Scan. passim, nos; educata saepe e nympha declarat.); *rhizolitha* OCHS. FABR. (Gottland Jul.; Ostrogothia Sept. rar.); *petrificata* OCHS. FABR. (Ostrogoth. Sept. rar.); *conspicillaris* LINN. Fn. Sv. 1183. (Suec.-Upsal. rariss.); *putris* LINN. Fn. 1187. (Scan. freq., e pupa 28. Maj. exiit); *rurea* OCHS. FABR. (Suec. rar. BILLBERG); *hepatica* OCHS. FABR. (in Heraclei et Senecionis floribus ad Fogelsång et Esperoed Scaniae mens. Jul. pass., alibi rar.); *polyodon* LINN. Fn. Sv. 1219. (*radicea* FABR., in Oeland., Ostrogoth., Scan. freq.); *lateritia* OCHS. (*molochina* HÜBN.; Oeland., Scan. Jul. freq., saepe sub cortice truncorum capta); *cassinia* FABR. HÜBN. (*Asteroscopus cassinia* BOISD.; mas ad Lund in trunco Ulmi d. 6. April. 1838, et femina d. 28. Oct. ejusdem anni inventi); *Pinastri* LINN. Fn. Sv. 1188. (Suec. media freq., alibi mihi raro obvia); *lithorhiza* OCHS. (*operosa* HÜBN.; in Suecia teste TREITSCHKE, mihi in Scandinavia non obvia); *perspicillaris* LINN. Fn. 1198. (in Quercubus Scaniae ad Esperoed ♂♀ mens. Jul. freq., alibi rar.); *Linariae* FABR. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 54. (Suecia rariss.); et *Delphinii* FABR. (ut Suec. incola a D. BILLBERG allata, mihi in Scandin. non obvia); Faunae Lapponicae ignotae.

*Obs.* 2. *Cucullia* (*Noctua*) *Abrotani* OCHS. FABR. (in Suec. rar. Mus. FALL.); *Absinthii* LINN. Fn. Sv. 1182 (Suec. pass.); *Artemisiae* FABR. (Gottland.; Scania ad Esperoed et Silfåkra, Aug. rar.); *Tanaceti* FABR. (Suec. teste BILLBERG, mihi non obvia); *umbratica* LINN. Fn. 1184. (Ostrogoth., Gottland., Scan. Aug. freq); *Lactucae* FABR. (in Scania ad Lund et Esperoed, ubi in parietibus ligneis mens. Jul. saepe capta); *Chamomillae* FABR. (an Sueciae incola? ut voluit D. BILLBERG); et *Verbasci* LINN. Fn. 1186. (Suec. rar. Mus. D. FALL. et nostr.); in Lapponia hactenus non detectae, quantum scio. (Cfr. RAMBUR in Annal. de la Soc. Ent. de France 1833. 1. p. 5—24. T. 1. f. 1—6. Imag. et larv.)

*Obs.* 3. *Abrostola* (*Noctua*) *triplasia* LINN. Fn. 1202. (*Plusia triplasia* TREITS. 5. 3. 138. 2., Gottland., Scan., Jun. Jul. freq., educatione saepe feliciter exclus.); *Asclepiadis* FABR. (Gottland., Scan., Jul. freq.); et *Celsia* LINN. Fn. Sv. 1141. (Upsaliae, Lundae rar.); in Lapponia haud visae.

## 48. Plusia. OCHS.

TREITS. Schm. gen. 76. (et P. 10. Suppl. gen. 78). *Noctua* Auctor.

Media. Antennae mediocres, setaceae, brevissime et tenuiter pilosulae. Thorax evidenter cristatus. Alae deflexae. Abdomen elongatum, angustatum. *Color* dominans (in Lapponicis saltem) cinereus, fuscus. *Pictura* variegata. Alae anticae metallice nitentes et in medio signaturis aureis l. argenteis; posticae fuscae aut lividae, margine exteriori saepe obscuriori. *Habitatio* in graminosis et pratis; per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae. *Larva* nuda aut subnuda, virescens, pedibus 12. *Pupa* folliculata, inter folia contorta degit. *Differentia sexus* in structura ani vix aliter invenienda. (Spec. Scand. 8, die volantes et flores visitantes mel eorum haurituræ).

**1. Pl. jota:** alis anticis ferrugineo-fuscoque variis, signo *v* (i resupinato) aureo-argenteo in medio inscriptis. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅓—1½ poll.)

TREITS. Schm. 5. 3. 181. 20. *Noctua* LINN. Syst. Nat. 1. 2. 844. 130. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 81. 237. HÜBN. Noct. T. 58. f. 282.

Hab. in Lapponia passim; ad Lycksele Lappon. merid., et Karesuando Lapp. borealis, nos; ad Oefver Torneå D. PORTIN. (Lappon.-Bottn. boreal. ad Calix D. SCHMALTZ. — Oeland.-Scan. pass. freq. Larva ex Urtica et Lamio victitat.)

**2. Pl. Gamma:** alis anticis cinereo fuscoque variis, signo V argenteo in medio inscriptis. ♂♀. (Long. al. exp. 1½ poll.)

TREITS. Schmett. 5 3. 185. 21. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1171. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 79. 228. HÜBN. Noct. T. 58. f. 283. DAHLB. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 194.

Hab. in Lapponia rarissime. Individuum pygmaeum in Groenlandia captum etiam D. WESTERMANN communicavit. (Lappon.-Gottland.—Scania ubique vulgatissima. Larva viridis, striis 6 dorsalibus tenuibus albidis, lineaque laterali flava, capite obscuriore; variis herbis plantisque humilioribus vescitur.)

**3. Pl. interrogationis:** alis anticis nigro cinereoque variis, signo ? (aut *v*) inscriptis. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅜ poll.)

TREITS. Schm. 5. 3. 190. 23. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1172. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 80. 233. (ejusdemque 230. *N. aemula*). HÜBN. Noct. T. 58. f. 281. ♂.

Hab. in Lapponiae pratis uliginosis vulgaris; scilicet ad Karesuando, Lycksele et Asele 25 Jul.—10. Aug. frequent. capta. E pupa, ad Wojmsjoen inventa, imago feminea d. 18. Jul. exiit. (Lapp.-Bottn. borealis ad Calix — Ostrogoth.-Scan. pass.)

Variat saepe signo argenteo inscripto, punctisque ejusdem coloris subscriptis, 2 aut parvis discretis, aut majoribus in unum confluentibus.

**4. Pl. divergens:** alis anticis griseis, fascia media obscure fusca ad costam subito angustata, signo *v* argenteo in medio inscripta; posticis flavis, limbo postico determinate brunneo-nigro. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

TREITS. 5. 3. 194. 25. *Noctua* THUNB. Diss. Ins. Sv. 2. p. 41. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 80. 231. HÜBN. Noct. T. 59. f. 186. (286). ♀. PANZ. Fn. Germ. 6. t. 20.

Hab. in Lapponiis borealibus Lulensi et Tornensi, Jul. Aug. passim. (Lappon.-Oefver-Torneå D. PORTIN. — Styria D. Doct. FRIVALDSZKY.)

**5. Pl. parilis:** alis anticis cinereis, fascia media dimidiata quadrata nigro-brunnea, signo *v* argenteo inscripta; posticis fuscis, fascia media alba. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

HÜBN. Noct. T. 90. f. 422 certe. (Speciminibus nostris paullo major.)

Hab. in Lapponia rarius. Mus. Acad. Holm., SCHÖNHERRI et BOHEMANNI; ad Oefver Torneå, nos. Lappon. boreal.)

Similis *divergenti*, a qua tamen colore magis fusco-cinereo, fascia alarum anticarum media saturatiori a margine interiori ad dimidium alae ducta ibique truncato-abbreviata (unde figuram exacte quadratam commonstrat), et praesertim alis posticis fuscis (nec flavis), fascia media transversa ad costam lata versus anum sensim attenuata, alba (nec limbo nigro), aperte differt.

**6. Pl. Diasema:** alis anticis cinereis, fascia media dimidiata quadrata nigro-brunnea, signo *v* argenteo lateri superiori inscripta; posticis flavescentibus, limbo postico determinate brunneo-nigro. ♀. (Long. al. exp. 1⅕ poll.)

*Noctua Diasema* Dalm. in lit. *Plusia* Boisd. Europ. Lep. Ind method. p. 93.

Hab in Lapponia, olim a D. Grape inventa, per benevolentiam D. Schönherri hodie mecum ad Faunae nostrae inserendam communicata. (Lapponia borealis.)

*Fem.:* Similis duabus proxime antecedentibus, nempe alis posticis ut in *divergente*, anticis vero ut in *parili*, sed utraque paullo major, et ab illis certe distincta. Alae anticae cinereae, fascia media lata quadrata et dimidiata ut in *Pl. parili*, nigro-brunnea, signo *v* argenteo ad marginem superum (seu in latere ad costam vergente) inscripta. Maculae ordinariae exterioris seu reniformis parvae tantum vestigium. Alae posticae flavicantes, margine postico late nigricante.

*Obs. Plusia* (*Noctua*) *Festucae* Linn. Fn. Sv. 1170. (Scan. ad Esperoed etc. pass.); *chrysitis* Linn. Fn. 1169. Dalm. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 193 (Ostrogoth.-Oeland. - Scan. freq.; educata saepe e chrysalide declarata, varietatib. fascia alarum media grisea, aut integra aut interrupta); et *bracteata* Fabr. (Scan. ad Esperoed rar.); Lapponiae plane profugae videntur.

## 49. Anarta. Ochs.

Treits. Schm. gen. 77. *Noctua* Auctor.

In Famil. Noctuariarum parva. Antennae mediocres, setaceae, brevissime pilosiusculae. Corpus crassum, dense villosum. Alae in quiete subdeflexae. *Color* nigricans aut cinerascens. Alae anticae aut fasciatae aut marmoratae, macula ordinaria saepe alba; posticae aut flavae, aut albae, limbo postico semper determinate nigro, aut denique nigricantes. *Habitatio* in sylvis et campis; per partem sylvaticam Lapponiae, inferalpinam maritimam Nordlandiae Finmarkiaeque, et alpinam. Volatus diurnus, sole sereno et urente citissimus. *Larva* nuda, variegata, verrucis l. punctis obsita, herbis plantisque humilioribus vescitur. *Differentia sexus* in abdominis structura invenienda. (Spec. Scand. 10, harum pleraeque Lapponiae.)

**1. A. Myrtilli:** alis anticis ferrugineis, punctis minutis inordinatis, macula media strigaque postica flexuosa albis; posticis luteis, limbo postico late nigro. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

Treits. 5. 3. 201. 1. *Noctua* Linn. Fn. Sv. 1168. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 126. 379. Otto Fabr. Fn. Groenland. p. 194. 147. Hübn. Noct. T. 21. f. 98. ♂.

Hab. in Lappon. rar. — Larva viridis, tuberculata, tuberculis apice albis, capite caeruleo; e Vaccinio et Erica victitat. (Lapp.-Groenland.-Suecia media, ad Gothoburgiam; Scania in Ericetis ad plantationem Pini prope Engelholm; rar.; educata etiam e pupa exiit.)

**2. A. cordigera:** alis anticis cinereo nigroque nebulosis, fascia media atra holosericea in medio macula cordiformi alba; posticis flavis, limbo nigro. ♂♀. (Long. al. exp. vix 1 poll.)

Treits. 5. 3. 203. 2. *Noctua* Thunb. Mus. Acad. Ups. P. 6. p. 72. cum fig. *N. albirena* Hübn. T. 21. f. 99. ♀. T. 147. f. 674. ♀. 675 ♂.

Hab. in Lapponiarum Vaccinio et Arbuto Uva Ursi et alpino, locis soli expositis velocissime volitans, die obscuro in viis et tramitibus saepe tranquilla sedens; scilicet ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, et Lycksele Lappon. Umensis, 2. Jun. — 3. Jul. frequenter visa; adscendit quoque in regionem alpinam, et in ipso alpium jugo inter Alten et Kautokeino Finmarkiae, 10 — 13. Aug. capta. Larva porphyrea, albo-punctata, lineis lateralibus pallidis, capite brunneo. (Lappon.-Bottn. borealis ad Calix. D. Schmaltz. — Suecia Thunberg, forte vero non intra Nordlandiam. — Styria D. Frivaldszky.)

**3. A. melaleuca:** alis anticis nigris cinereo-irroratis, posticis niveis, margine exteriori nigro. ♂♀. (Long. al. exp. [illegible] poll.)

Var. a. ♂♀. alis posticis niveis, margine tantum exteriori nigro.

Treits. Schm. 5. 3. 205. 3. *Noctua* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 2. p. 42. fig. 12. *Noct. moesta* Hübn. Noct. T. 77. f. 357. ♀. *Bombyx heliophila* Fabr. Ent. Syst. 3. 1. 467. 189. *Noctua heliophila* Payk. Act. Hafn. Hist. Nat. 1793. 2. 2. p. 102. 5. Tab. 2. f. 5. hujus var. videtur.

Var. b. ♂♀. alis posticis sordide albis, basi fusca margineque exteriori nigro.

Hab. in Lapponiis Suecicis et Norvegicis haud raro; var. a. ad Karesuando Lapponiae Tornensis, ad insignem lacum Torneåtraesk etc., nec non locis aridis et in floribus ad Kongshavnfjellet prope Alten Finmarkiae, 20. Jul. — 10. Aug. frequenter vidi; etiam in alpibus Dalecarlicis Lapponiae Suecicae extime meridionalis D. Boheman; varietatem b. in Kongshavnfjellet cum var. a legi. (Lapponia Suecica et Norvegica.)

Caput et thorax nigra, pilis cinereo-albis praesertim ad latera immixtis. Alae anticae in fundo quidem nigrae, sed strigis maculisque albidis undique et fere sine ordine sparsis, unde quasi marmoratae apparent. Alarum posticarum fimbria alba.

**4. A. melanopa:** alis anticis cinereis nigro-maculatis; posticis albidis, lunula media limboque interiori et posteriori late, nigris, fimbria alba. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

Var. a. ♂♀. alis anticis cinereis, maculis punctisque irregularibus nigris, maculis ordinariis plerumque distinctioribus; posticis albis, lineola media lunulari, margine interiori limboque postico, late nigris.

*Noctua melanopa* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 2. p. 42. *Anarta* eadem Boisd. Ind. p. 94. *Noct. vidua* Hübn. Noct. T. 86. f. 403. ♀. *Anarta vidua* Treits. Schm. 5. 3. 207. 4.

Var. b. alis anticis cinereis, aut maculis strigisque inordinatis, aut strigis 5 irregularibus, nigris; posticis nigricantibus, macula media ad marginem exteriorem magis l. minus dilatata, albida.

An *An. vidua* Treits. l. c. var.? *Noct. lapponica* Thunb. l. c. p. 42. certe. *Noct. tristis* Hübn. Noct. T. 95. f. 446. ♀. *N. rupestris* Hübn. Noct. T. 141. f. 644. 645. ♂.

Hab in Lapponia boreali, et Suecica et Norvegica, passim, diebus serenis et calidis vivide volitans; scilicet var. a. in Lapponia Tornensi primum lecta a D. Liljeblad; in silva Alteidet Finmarkiae d. 31. Jul., ipse; in Dowre Norvegiae et in Dalecarlia alpina D. Boheman; adscendit quoque in regionem alpinam, et in summo alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. a D. B. Fries et me capta; var. b. in Lappon. Tornensi a D. Groendal inventa; etiam e Groenlandia a D. Westermann mecum communicata. (Lapponia septentrionalis et meridionalis; — Helvetia Treitschke, Boisduval etc.)

**5. A. algida:** „alis anticis fuliginoso alboque variis, strigis duabus nigro-dentatis, maculis ordinariis obsoletis, fimbria nigra albo-intersecta; posticis albidis, puncto fasciaque terminali atris, ciliis albis." Lefeb. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll. mensur. Suecan.)

Lefeb. in Annal. de la Soc. Entom. de France 1836. 3. p. 395 f. 5. ♀.

Hab. in Lapponia, teste D. Lefebvre l. c., mihi in terris arcticis non obvia. Affinis *An. melaleucae*. (Lapponia.)

**6. A. amissa:** alis anticis nigricantibus, in *mare* cinereo-albidoque irroratis, fimbria albo nigroque varia, in *femina:* fascia media ad costam latiori atra, fimbria cinereo nigroque varia; posticis in utroque sexu nigris, ciliis albis. ♂♀. (Long. al. exp $\frac{7}{8}$ — fere 1 poll.)

Lefeb. in Annal. Ent. 1836. 3. p. 397. f. 6. ♂. f. 7. ♀.

Hab. in Lapponia et Groenlandia rar. — Feminam ad Åsele Lapponiae Umensis d. 25. Jul. etiam inveni. (Lapponia-Groenlandia.)

Affinis et similis *A. melanopae*, alis posticis totis nigris etc. mox dignota. In individuis detritis tempore um alae anticae totae nigro-fuscae, sed lineae laterales fasciae punctumque medium, nigra, tenacius adhaerent.

**7. A. funesta:** alis anticis obscure cinereis, strigis subtribus fasciaque media sinuata nigris, fimbria brevi albo nigroque varia; posticis nigris, fimbria nivea. ♂. (Long. al. exp. fere 1 poll.)

*Noctua funesta* Payk. Act. Hafn. Hist. Nat. 1793. p. 100. 3. T. 2. f. 3.

Var. b. ♂. alis posticis fuscis, forte detrita.

Hab. in Lapponia (Tornensi?). Mus. D. Schönherr; in Lapponiae Finmarkiae occidentali ad Enontekis rariss. inventa teste D. Paykull. (Lapponia var. a. et b. Mus. Schönherr.)

Similis *An. funebri* Treits. Schm. 5. 3. 209. 5. et Hübn. Noct. T. 142. f. 655. ut et *An. amissae* Lefeb. l. c. et nob.; sed a priori alarum posticarum fimbria nivea, nec flavescente, et ab *amissa* alis anticis non albo nigroque variegatis, sed obscure cinereis, strigis tribus, 1 basali, 2 e fascia media extus oriunda, et 3 ad marginem posticum obsoleta fasciaque media sinuata, nigris, fere ut in fasciata Lefebvrei feminae, facile dignoscitur.

**8. A. Schönherri:** alis anticis fuliginoso griseoque variis, strigis tribus dentatis nigris, maculis ordinariis obsoletis, fimbria nigra albo-intersecta: posticis griseis. striga fa-

sciaque terminali fuscis. ♂? (in specimine communicato abdomen mutilatum). (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll. et paullo ultra.) LEFEB. in liter. ad SCHÖNHERR.

Hab. in Lapponia. Mus. D. SCHÖNHERR, qui specimen descriptum mihi benevole donum dedit. (Lapponia forte borealis.)

Simillima *An. algidae* LEFEB. (No. 5.), cujus varietatem fere existimo, quae vero, si ita est, tamen ut genuina nomen meritissimi viri retinere debet, et *algida* tantum ut hujus aberratio consideranda. Ab *An. algida*, quam in natura vivam introspicere mihi non contigit, sed secundum figuram et descriptionem LEFEBVREI a nobis tantum allata, nostra *A. Schönherri* differri videtur: magnitudine paullo minori, alarum colore magis grisescente, strigis anticarum denticulatis nigris (non albo-marginatis) tribus, scilicet 1 basali l. saltem ante medium sita, 2 et 3 posticis, ut et alis posticis sordide griseis, puncto medio, margine interiori, striga transversa pone medium tenui limboque apicali latius, fuscis, minime vero ut in *algida* nigricantibus.

**9. A. cincta**: alis anticis nigris, signo ɀ niveo notatis; posticis flavis, limbo nigro. (Long. al exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

*Noctua cincta* PAYK. Act. Hafn. Hist. Nat. 1793. 2. 2. p. 101. 4. T. 2. f. 4.

Hab. in Lapponia D. PAYKULL, mihi non obvia. (Lapponia.)

*Obs.* 1. *Anarta* (*Noctua*) *Heliaca* HÜBN. et TREITS. (*Noct. Arbuti* FABR. ut Sueciae incola a. D. D. THUNBERG in Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 55. et BILLBERG in Enumerat. Insect. allata, neque in Lapponia neque in reliqua Suecia a me inventa. *Noct. leucoptera* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 2. p. 41. cum fig. mihi quoque plane ignota.

*Obs.* 2. *Heliothis* (*Noctua*) *dipsacea* FABR. HÜBN. (Scan. ad Esperoed rar.), Lapponiae exsul.

*Obs.* 3. *Acontia* (*Noctua*) *luctuosa* HÜBN (*N. italica* FABR. *leucomelas* LINN. Fn. Sv. 1198?) a D. THUNB. Diss. Ins. Sv. 3. p. 54. ut Sueciae incola allata, mihi ignota.

*Obs.* 4. *Erastria* (*Noctua*) *sulphurea* TREITS. HÜBN. (*Bomb. lugubris* FABR. *Pyralis sulphuralis* LINN. Syst. Nat. et THUNB. Ins. Sv. P. 1. p. 16. cum fig., in Suecia australi rariss.); et *Tortr. uncana* LINN. Fn. Sv. 1305 (in Oeland. et Suec. australi rar.); in Lapponia non inventae.

*Obs.* 5. *Anthophila* *) (*Noctua*) *aenea* TREITS. HÜBN. (Gottlandia-Scania ad Esperoed d. 4 — 20. Jul. rar.) Lapponiae sine dubio profuga.

*Obs.* 6. *Ophiusa* (*Noctua*) *lusoria* FABR. (*Bomb. lusoria* LINN. Syst. Nat., in Smol.-Scan. rar.) in Lapponia non detecta.

*Obs.* 7. *Catocala* (*Noctua*) *Fraxini* LINN. Fn. Sv. 1165. (Scania Sept. passim; ad Godegård Ostrogothiae semel quoque inveni hujus speciei larvam, quae d. 10. Jul. 1824 abiit in pupam, e qua iterum imago feminea declarata et eximie completa proveniebat mense Aug. ejusdem anni), *elocata* TREITS. BOISD. (*marita* et *uxor* HÜBN., *nupta* FABR., in Ostrogothia et Scania pass.); *nupta* LINN. Syst. Nat. TREITS. HÜBN. (var. *concubina* HÜBN.; in Ostrogoth. et Scan. pass.); *sponsa* LINN. Syst. Nat. HÜBN. TREITS. (Hallandia, Scania rar.); et *pacta* LINN. Fn. Sv. 1166. FABR. HÜBN. DALM. Anal. p. 104. (Suec. med. Westrog.-Norveg.-Finland. rar.); intra Lapponiae limitem non inventae, quantum novi.

## 50. Brephos. OCHS.

TREITS. Schm. gen. 85. *Bombycis* spec. FABR. *Noctua* LINN. HÜBN. et Auctor.

Media. In hac familia gracilis, transitum ad Familiam Phalaenidum parans. Antennae setaceae, *maris* in medio bipectinatae. Thorax laevis. Alae in quiete parum deflexae. *Color* fuscus, alarum posticarum luteus. *Pictura* fasciata. *Habitatio* in pratis sylvaticis, praesertim in Betuletis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Volatus* diurnus, altus, continuus. *Larva* nuda, viridis, linea dorsali et laterali flavis; pedum ventralium primum par spurium, inde incessus larvarum corpore medio curvato l. arcuato; foliis Betulae albae vescitur. *Differentia sexus*; *mas:* abdomine graciliori, antennis conspicue sed non longe pectinatis, basi apiceque nudis; *femina:* abdomine paullo crassiori, apice acuto, antennis setaceis nudis. (Spec. Scand. 2.)

**1. Br. Parthenias**: alis anticis brunnescenti fuscis, fascia media abbreviata maculaque costali versus apicem albidis; posticis aurantiacis, macula baseos magna triangulari, fascia media saepe interrupta margineque exteriori, nigris. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ — $1\frac{1}{2}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 3. 379. 1. *Noctua* LINN. Fn. Sv. 1160. HÜBN. Noct. T. 34. f. 341. ♂. 342. ♀. ZETT. It. Lappon. 1832. p. 3. *Bomb. vidua* FABR. Ent. Syst. 3. 1. 468. 190. *Noctua plebeja* LINN. Fn. Sv. 1210.

Hab. in Lapponiae sylvis betulinis passim; ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis 10 — 22. Jun. freq. (Lapp.-Uplandia-Smolandia-Scania ad Abusa jam initio Aprilis frequenter obvia.)

♂♀. Corpus nigrum. Alarum anticarum fascia media alba a costa ad medium alae extensa, in ♀ magis perspicua. Fascia media nigra in alis posticis a costa ad angulum maculae triangularis nigrae exteriorem acutum extensa saepe abrupta, relictis tantum maculis irregularibus nigris. In medio limbi nigri macula ejusdem coloris adjecta saepissime observatur. In macula magna baseos triangulari nigra ad marginem interiorem plerumque vittae 1 vel 2 aurantiacae adsunt.

*Obs.* 1. *Brephos Notha* TREITS. HÜBN., similis *Breph. Parthenias*, sed dimidio minor, in prato Klosterorlunda prope Wadstena Ostrogothiae d. 10. April. 1832 capta, in Lapponia forte peregrina. An spec. vere diversa? — Larva in Pop. tremula Daniae meus. Jun. freq. D. BOIE.

*Obs.* 2. *Euclidia* (*Noctua*) *glyphica* LINN. Fn. Sv. 1161. (Upland.-Gottland.-Ostrogoth. passim; Scania in pratis apricis 30. Maj. — 20. Jun. — 18. Jul. in graminosis vulgaris); et *Mi* LINN. Fn. Sv. 1262 (in Scaniae pratis frequentiss. a primo vere usque ad mens. Jul. Larva elongata nuda grisea in pupam abiit Sept., e qua imago mens. Jul. anni sequentis exiit. Alae posticae in omnibus nostris speciminibus nigro-fuscae, maculis punctisque in strigas transversas undulatas dispositis, albis, nec ut in figura HÜBNERI flavis), in Lapponia non inventae.

## 51. Platypterix. OCHS.

TREITS. Schm. 87. *Drepania* SCHRANK. *Bombycis*, *Noctuae* et *Geometrae* spec. Auctor.

Media. Gracilis. Statura Geometrae. Antennae bipectinatae. Palpi brevissimi. Lingua parva. Thorax laevis. Alae tenues, suppellucidae, anticae latae, falcatae; posticae abdomine longiores. *Color* pallidus, ochraceus. *Pictura:* strigulae l. undulae fuscae. In alis anticis striga una alterave transversa integra punctumque centrale loco macularum ordinariarum plerumque adsunt. *Habitatio* in pratis sylvaticis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva*, pedibus 14, analibus scilicet 2 deficientibus, nuda, dorso antice verruculoso l. spinulis 4 parium armato, segmentoque caudali longe acuminato in quiete erecto; folia, quibus vescitur, filis sericeis induit. *Pupa* folliculo sericeo tenui intra folia alligata latet. *Differentia sexus*; *mas:* antennis breviter bipectinatis; *femina:* antennis subtus brevissime biseriatim pilosis. (Spec. Scand. 4, sub genere loco in serie systematica ambiguo militantes, corporis gracilitate, alarum structura, antennarum forma etc. transitum ad Familiam sequentem efficientes.)

**1. Pl. lacertula**: alis anticis cinereo-ochraceis (♂), l. pallide ochraceis (♀), margine exteriori in utroque sexu eroso-dentato, punctoque minuto nigro inter strigas 2 medias subparallelas fuscas; posticis dilutioribus. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

TREITS. Schm. 5. 3. 417. 7. *Bombyx* HÜBN. Bomb. T. 12. f. 49 ♀. *Geometra lacertinaria* LINN. Fn. Sv. 1229. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 135. 20. *Geom. dentaria* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 5. *Bombyx Scincula* HÜBN. Bomb. T. 12. f. 50. ♂.

Hab. in Lapponia rar.; in sylva betulina loco paludoso ad Lycksele Lappon. Umensis d. 22. Jun. in copula inveni; feminam quoque in betuletis ad Stensele d. 4. Jul. deprehendit D. DAHLBOM. (Lappon.-meridion. — Ostrogoth. ad Laerketorp; Calmariae ad Berga, passim; — Scan. rarius. *Larva* colore brunneo viridi immixto, dorso antice tuberculato, foliis Betulae vescitur.)

*Obs.* 1. *Platypterix curvatula* BORKH. TREITS. (Scania, ♂♀. passim; e pupa brunnea, mens. Sept. 1820 ad Esperoed capta, imago mascula die 14. Febr. anni sequentis declarata exiit); *falcula* OCHS. (*Geom. falcataria* LINN. Fn. Sv. 1224; Suec. med., Gottland. et Smoland. pass.); et *unguicula* OCHS. HÜBN. (*Phal. cultraria* FABR. THUNB. Diss. Ins. Sv. 1. p. 6.; in Suec. rar. Mus. FALL. (in Lapponia a me irrito conatu quaesitae.

*Obs.* 2. *Noctua fontis* THUNB. Mus. Acad. Ups. p. 72 cum fig. et ejusdem Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 57, in Wermelandia et

*) Nomen *Anthophila* in Lepidopterorum Ordine rejiciendum, quia in Dipterorum jam dudum est receptum.

Hallandia etc. capta; ut et *Noct. leucoptera* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 2. p. 41. cum fig. 13, in Suecia quoque inventa; ambae mihi et genere et specie ignotae.

---

## FAMIL. 8. PHALAENARIAE.

### 52. Ennomos. Wien. Verz.

TREITS. gen. 88. *Bombyx* et *Geometra* Auctor. *Angulatae* Wien. Verz.

Magna aut media. (Inter Suecicas hujus generis attingit species maxima alis expansis longitud. 2. pollic., et minima longit. $\frac{7}{8}$ poll.) Alae praesertim posticae aut leviter denticulatae, aut inaequaliter et grosse dentatae, aut emarginatae. In quiete alas suberectas saepe gerit. *Color* laetus: albidus, cinereus, flavus, luteus. *Pictura* varia: transversim strigilata, strigata, aut fasciata; macula unica subcentralis in alis anticis saepe adest. *Habitatio* in sylvis et lucis; per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* rumuliformis, tuberculata et varie picta. *Pupa* supra terram plerumque inter folia; tenuiter l. rude folliculata. *Differentia sexus* in structura abdominis *maris* angustioris, ano obtuso barbato, et *feminae* paullo crassioris ano acuto detegenda. *Mas* quoque antennis pectinatis, *femina* illis simplicibus gaudet. Spec. Scand. 21 in museo meo numerantur; emarginatura alarum a generi us affinibus facile dignotae.)

**1. E. notataria**: alis albidis fusco irroratis, anticis strigis tribus transversis ad costam determinatioribus, macula stigmaticali, emarginatura apicis maculaque subcentrali e punctis 4 l. 5 composita, fuscis; posticis angulatis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 6. 1. p. 10. 4. HÜBN. Geometr. T. 11. f. 53. ♂. T. 61. f. 316. ♀. *Geom. notata* LINN. Fn. Sv. 1258. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 171. 152.

Hab. in lucis Lapponiae passim. (Lapp.-Botnia borealis ad Calix D. SCHMALTZ.-Ostrogoth. Gottland.-Scania pass.)

**2. E. illunaria**: alis omnibus denticulatis cinereo-ochraceis fusco-pulverulentis, anticarum emarginatura strigisque tribus subaequaliter distantibus, anteriori arcuata, fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ — $1\frac{7}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 6. 1. 61. 23. HÜBN. Geom. T. 7. f. 36. ♂. f. 37. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali pass.; ad Lycksele Lappon. Umensis 25 — 29. Jun. uterque sexus locis umbrosis frequenter visus. (Lapponia - Suecica; Scania rar.)

**3. E. crataegata**: alis croceo-flavissimis, anticis maculis costalibus tribus, ultima triangulari, media appendice fusca argenteo inscripta. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 6. 1. 41. 19. LINN. Fn. Sv. 1283. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 178. 176. *Geom. crataegaria* HÜBN. Geom. T. 6. f 32. ♀.

Hab. in alpe Dowre, ubi a D. BOHEMAN capta mens. Jul.; mihi in terris arcticis non obvia. (Lapponia Norvegica — Suecia borealis rar., meridionalis freq. mens. Maji Jun. saepe e nympha declarat.)

*Obs.* 1. *Ennomos* (*Geometra*) *lituraria* HÜBN. (*liturata* LINN. Fn. 1273.; Upsal.-Ostrogoth.-Scan., pass. educat. exclus.); *fuscata* THUNB. Mus. Acad. Ups. p. 75 cum fig. (Suec. rar.); *amataria* LINN. Fn. 1223 et forte *abruptaria* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 59 cum fig. (in Quercetis Suec. rar.); *emarginaria* HÜBN. (*emarginata* LINN. Fn. 1257., Holmia-Scania ad Esperoed 1. Aug., pass.); *parallelaria* HÜBN. ♂ (*vespertaria* FABR. THUNB. Diss. Ins. Sv. 1. p 5 cum fig.; Ostrogoth.-Gottland.-Öland. Jul. freq. — Suecia austral. rar.); *apiciaria* HÜBN. (Suec. rar.); *dolabraria* LINN. Syst Nat. FABR. (Scania ad Fogelsång freq. alibi in Suec. rar., educ. exclus.); *prunaria* LINN. Fn. 1232. (Scan. ex. gr. ad Esperoed Jul. freq.); *corylaria* THUNB. Diss. Ins. Sv. 1. p. 4. (a *prunaria* diversa; Halland. Scania rar.); *lunaria* FABR. (Scania ad Bjoernstorp 24. Jun. a D. DAHLBOM capt. rar.); *angularia* TREITS. HÜBN. (♂ Scania 15. Aug. rar.); *carpinaria* HÜBN. (ab *angularia* distincta videtur, in Suec. rar.); *erosaria* TREITS. (*quercinaria!* BORKH., Oelandia, Smolandia, Scania, pass. educat. meus. Jul. declarat.); *bidentaria* FABR. (*bidentata* LINN. Fn. Sv. 1255; Suecia media, Gottland. rar., in Scaniae lucis Jul. freq.); *alniaria* LINN. Fn. 1230. Scan. Aug. freq.); et *syringaria* LINN. Syst. Nat. (*circularia* THUNB. Diss. Ins. Sv. 4. p. 58 cum fig. in Suec. rariss.); intra limites Lapponiae hactenus non inventae, quantum novi.

*Obs.* 2. *Acaena* (*Geometra*) *sambucaria* LINN. Fn. Sv. 1222. (Scan. ad Lund et Esperoed, pass.); Lapponiae omnino exsul.

*Obs.* 3. *Elloquia* (*Geometra*) *margaritaria* HÜBN. (*margaritata* LINN. Syst. Nat. — Scan. ad Esperoed et Hoegestad Jul. freq. alibi rar.); et *fasciaria* LINN. Fn. 1242. (in Suec. rariss. LINNE, mihi non obvia); in Lapponia frustra quaeruntur.

---

### 53. Geometra. LINN.

TREITS. Schm. gen. 91. Auctorum. — *Albo-lineatae* Wien. Verz.

Magna aut minor (long. al. exp. $1\frac{7}{8}$ — $\frac{7}{8}$ poll.). Alae posticae in nostris subangulatae. *Color* laete viridis aut albido-virescens, languidus. *Pictura:* linea media undulata transversa alba per omnes alas et altera basalis arcuata ejusdem coloris in anticis. *Habitatio* in lucis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* viridis, erecta. *Pupa* tenuissime folliculata. *Differentia sexus* ut in priori. (Spec. Scand. 6.)

**1. G. vernaria**: alis albido-virescentibus, anticis strigis 2, posticis 1, undatis, fimbriaque albidis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1227. HÜBN. Geom. T. 2. f. 7? (speciminibus nostris multo major). TREITS. Schm. 6. 1. 101. 1.

Hab in Lappon. merid. rar. (Lappon.; Dalecarlia BLOM.; Finlandia ad Ylaene D. Prof. SAHLBERG; Gottlandia ipse; rarius occurrit. Sed quae a D. CRUG sub hoc nomine missa in Museo FALLENI asservatur, omnino diversa videtur.)

*Obs.* *Geometra papilionaria* LINN. Fn. Sv. 1241. (Bahusia-Gottland.-Scan., Jul. passim); *viridata* LINN. Fn. 1252. (Suec. rar.); *putataria* LINN. Fn. 1225 (Suec. pass.); *bupleuraria* FABR. HÜBN. certe (Ostrogoth. ad Wadstena; Scan. ad Esperoed rar.); et *thymiaria* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 4. (a *bupleuraria* HÜBN. distincta videtur; in Hallandia D. OSBECK rar.); in Lapponia haud visae.

---

### 54. Aspilates. Wien. Verz.

TREITS. Schmett. gen. 92. *Geometra* Auctorum. *Recto-fasciatae.*

Minor (long. al. exp. $\frac{3}{4}$ — $\frac{7}{8}$ poll.). Alae integrae. *Color* luteus, canus, cinereus. *Pictura:* alae anticae strigis l. fasciis 2 subrectis, alam in 3 subaequaliter latas areas secantibus; posticae subunicolores. *Habitatio* locis aridis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in *Ennomos.* (Spec. Scand. 4.)

**1. A. sordidaria:** alis anticis griseis, fasciis 2 fuscis obsoletis; posticis luteis, fimbria omnium purpurea. ♂. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; locis aridis prope margines Pinetorum soli expositos ad Lycksele 25—27. Jun. individua bene conservata inveni (Lappon. meridionalis.)

♂. Affinis et similis *A. purpurariae* LINN., sed minimis ejus adhuc fere paullo minor, colore alarum magis sordido ab illa distincta. Antennae totae nigro-fuscae. Thorax griseo-niger. Alarum anticarum fasciae obscurae s. sordide ferrugineae in fundo ochraceo-fusco parum conspicuae. Alae posticae luteae, basi ima fusca. Fimbria purpurea. Alae omnes subtus ochraceae, posticae fascia media purpurea.

*Obs.* 1. *Aspilates* (*Geometra*) *purpuraria* LINN. Fn. 1254. (Gottland.-Scan. in campis aridis Maj. — Jul. freq., plur. variet.); *sacraria* LINN. Syst. Nat. HÜBN. (*sacralis* THUNB. Diss. Ins. Sv. 1. p. 14. In Suecia rariss., mihi non obvia); *vespertaria* LINN. Syst. Nat. BORKH. (in pratis sylvaticis Ostrogoth., Oelandiae, Scaniae, Aug. freq. pictura nimis varians); et *lineoluta* BORKH. HÜBN. (*Geom. obliquata* THUNB. Diss. Ins. Sv. 1. p. 12 cum fig.; Upsalia, Oelandia, Ostrogoth., et Westrogoth., rar.); in Lapponia non deprehensae.

*Obs.* 2. *Crocallis* (*Geometra*) *elinguaria* LINN. Fn. Sv. 1235. (Ostrogoth. ad Wadstena, et Scania ad Hoegestad etc. Jul. pass.): et *pennaria* LINN. Fn. 1231. (Westrogoth., Scan., rar.); in Lapponia vix colliguntur.

---

### 55. Gnophos. Wien. Verz.

TREITS. Schm. gen. 94. *Geometra* Auctor. — *Umbrosae.*

Major, media, minor. (long. al. exp. $1\frac{4}{5}$ — $1\frac{3}{5}$ — $\frac{7}{8}$ poll.).

Alae praesertim posticae crenulatae. *Color* opacus, cinereus, fuscus. *Pictura:* alae omnes fusco-irroratae, anticae puncto ocellari centrali strigisque 2 undulatis, quarum exterior in alis posticis continuatur; obscuris. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in genere *Ennomos*. (Spec. Scand. 4.)

**1. Gn. carbonaria:** alis nigro-fuscis, strigis undulatis irregularibus griseis ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 6. 1. 184. 14. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1246. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 154. 88. Hübn. Geom. T. 28. f. 151. ♂.

Hab. in Lapponia rarius. (Lapp.-Ostrogothia pass.)

Minima nostratum in hoc genere. Obscura. Strigae plures tenues pallidae undulatae in parte posteriore alarum magis conspicuae. *Obs.* 1. *Gnophos* (*Geometra*) *obfuscata* Treits. (*obfuscaria* Hübn. *myrtillata* Thunb. Diss. Mus. Acad. Ups. p. 75. 11. ab ipso mecum communicata; in sylvis Gottlandiae mens. Jul. frequenter inveni, alibi in Suecia rar.); *obscuraria* Hübn. (in umbrosis Gottland. pass.); et *dilucidaria* Hübn. (Ostrogothia in silva Fylla prope Wadstena, Jul., et in Gottland. rar.); in Lapponia non lectae.

---

## 56. Boarmia. Wien. Verz.

Treits. Schm. gen. 95. *Geometra* Auctorum. — *Crenatostriatae.*

Major, media, minor (long. al. exp. $1\frac{5}{8}$ — $1\frac{3}{8}$ — $1\frac{1}{8}$ poll.) Alae latiusculae, posticae saepe crenulatae. *Color* primarius albidus, fuscescens. *Pictura:* alae omnes atomis fuscis adspersae, anticae strigis transversis fuscis aut pallidis, quarum 2 plerumque evidentioribus undulatis, inter quas fascia media saepissime dilutior punctumque centrale ocellare. In alis posticis striga anticarum exterior plerumque continuatur et praeterea in ipso margine apicali striga undulata fusca l. series punctorum nigrorum. Corpus sat tenue. *Larva* cauliformis, subcylindrica, stricta, capite suboccultato. *Pupa* sub terra. *Habitatio* imaginum per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae meridionalis. *Differentia sexus* ut in *Ennomos*. (Spec. Scand. 6.)

**1. B. cinctaria:** alis albidis fusco-irroratis et nebulosis, strigis baseos in anticis geminatis, lunula media parva fasciisque posticis obsoletis obscurioribus. ♂♀. (Long. al. exp. circiter $1\frac{1}{4}$ poll.)

Treits. Schmett. 6. 1. 188. 1. Hübn. Geom. T. 31. f. 166. ♀.

Hab. in Dalecarlia alpina D. Boheman (Lappon. meridionalis; Scania ad Abusa in fruticib. 14—16. Maj. freq., et var. obscurior in pariete Templi Lundensis d. 5. Maj. capta.)

Specimina Lapponica minora et obscuriora sunt, quam in Suecia meridionali vulgaria.

**2. B. punctularia:** alis albo-canis, strigis subtribus punctatis fuscis in anticarum costa perspicuis. ♂. (Long. al. exp. fere $1\frac{1}{8}$ poll.)

Hübn. Geom. T. 61. f. 317. ♀. *Gnophos punctulata* Treits. Schm. 6. 1. 180. 12.

Hab. in Dalecarlia alpina cum priori, D. Boheman. (Lapponia meridionalis.)

♂. Valde affinis *Fidoniae Wavariae*, sed color albus in rubentem levissime vergit, unde alae *B. punctulariae* canescentes videntur. Strigae costales nigrae quoque minus crassae et tamquam series punctatae continuantur etiam in alis posticis, sensim tamen decrescentes. Hae strigae punctatae in alis anticis sunt 4, in posticis tantum 3. Antennae subtus distincte ciliatae. Ob affinitatem cum *Geom. angularia* Thunb. et *extersaria* Hübn. generi *Boarmiae* inserui hanc speciem.

*Obs.* 1. *Boarmia* (*Geometra*) *crepuscularia* Hübn. (Lund 4. Maj. 1838); *repandaria* Hübn. (*repandata* Linn. Fn. Sv. 1260; Ostrog. ad Wadstena rar., sed in monte Thorsburg Gottlandiae mense Julio freq.); *lichenaria* Hübn. Fabr. (Ostrogoth., Olandia rar.); *viduaria* Hübn. (*angularia* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 59 cum fig.; in Westrogoth. et Smolandia rar.; eadem sub nomine *Phal. margine-punctata* Borkh. etiam a D. Gyllenhal missa in museo meo exstat.); et *pictoria* Fabr. Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 6 cum fig. (Suec. rar.); in Lapponia mihi non obviae.

*Obs.* 2. *Amphidasis* (*Geometra*) *betularia* Linn. Fn. 1237. (Scan. ad Lund Jun. Jul. freq. in copula capta, saepe etiam educat. e nympha feliciter exclusa.); *hirtaria* Linn. Fn. Sv. 1236 (♂♀ in muris et parietibus argillaceis ad Lund mensib. April., Maj. frequenter lecta; etiam Upsaliae D. Boheman); *pilosaria* Hübn. (ad Lund 20. Martii rar.); et *zonaria* Zett. Act. Holm. 1819. Hübn. Geom. T. 34. f. 179. ♂ (in figura Hübneri alae nimis obscurae, et strigae albae justo rectiores repraesentantur; mas cum femina aptera in copula verno tempore in lapide ad Abusa Scaniae semel a me inventus; e pupa sub lapide ad Lund a D. Dahlbom capta imago feminea d. 20. Maj. etiam prodiit); in Lapponia hactenus non deprehensae.

*Obs.* 3. *Amphidasis pomonaria* a D. Schönherr ut Lapponiae incola communicata. Vid. *Psyche stigmatella* Gen. 28. nobis.

---

## 57. Psodos. Treits.

Treits. Schm. gen. 97. *Geometra* Auctor. — *Lugubres.*

Parva (long. al. exp. $\frac{7}{8}$ — $\frac{5}{8}$ poll., species vero exoticae majores). Pyraliformis. Alae integrae. *Color* alarum obscurus, nigricans; corporis ater. *Pictura* (in nostris) nigrofasciata; punctum alarum anticarum centrale etiam nigrum. *Habitatio* in alpibus usque ad regionem nivalem adscendens. *Volitat* celerrime sole sereno. *Differentia sexus* ut in *Ennomos*. (Spec. Scand. 3, communiter alpicolae.)

**1. Ps. trepidaria:** atra villosa, alis nigricantibus, strigis duabus transversis denticulatis punctoque medio obscurioribus. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ — 1 poll.)

Treits. Schm. 6. 1. 260. 5. ♂♀. Hübn. Geom. T. 66. f. 343. ♀.

Hab. in Lapponiae alpibus mens. Jul. pass.; in Lapponia Tornensi. Mus. D. Schönherr; in alpe Dowre Norvegiae a D. Boheman capta; in summo alpium Tornensium jugo d. 10 12. Jul. utrumque sexum inveni. (Lappon. alpes.)

In individuis bene conservatis strigae tenues subundulatae 2 l. 3 pallidae continuae pone fasciam mediam obscuram in omnibus alis adparent. Antennae maris subtus serrulatae, feminae simplices.

**2. Ps. fuscaria:** nigra parum villosa, alis fuscis strigis duabus tenuibus punctoque medio minuto nigris. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ — $\frac{3}{4}$ poll.)

*Bombyx fusca* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 54. cum fig. certe, ab Ipso mecum communicata. *Psodos venetaria* Treits. Schm. 6. 1. 259. 4. ♂♀. *Geometra* Hübn. Geom. T. 64. f. 329. ♂.

Hab. in summo alpium Tornensium jugo mens. Julio frequenter, sole ardente agiliter volitans. Descendit quoque in alpes solitarias, et in inferalpinis maritimis Nordlandiae, ex. gr. ad Schiervoe, Lyngen etc. mares haud infrequenter visi. Femina rarior. In graminosis ad Rüse et Drivstuen in alpe insigni Dowre Norvegiae etiam mares a D. Boheman d. 27. Jun. — 3. Jul. inventi. (Lapponia in regione alpina et interalpina.)

Alae omnes fusco-cinereae, posticae tamen paullo dilutiores. Alae anticae strigis 2 tenuibus nigris, una ad basin, altera paullo pone medium, aream includentibus puncto minuto nigro in medio; posticae immaculatae. Corpus tenellum, nudiusculum. Antennae maris evidenter pectinatae, feminae simplices.

**3. Ps. dubitaria:** nigricans ferrugineo-irrorata, alis anticis strigis 2 pallidis et puncto medio nigro; posticis cinereis, striga postica margineque obscurioribus, fimbria alba. ♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ — $\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia Norvegica rar.; in summitate alp. Dowre ad Drivstuen mens. Jul. a D. Boheman detecta. (Lappon. Norvegica.)

♀. Species dubia, vix hujus generis? Nigricans, capite et thorace hirsutie depressa ferruginea vestitis. Alae anticae totae ferrugineo-irroratae. Striae 2, una paullo ante medium, et altera paullo ante marginem posticum, repandae albidae. In medio alae punctum transversum nigrum. Fimbria fusca. Alae posticae cinerascentes, striga postica et ipso margine obscurioribus, fimbria alba, basi anguste fusca. Alae omnes subtus cinereae, strigis 2 apicalibus fuscis. Pectus, abdomen et pedes nudiuscula, cana, argenteo-nitida. — Secundum specimen haud bene conservatum descripta.

*Obs.* *Psod. horridariam* Hübn. etiam in Lapponia visam fuisse, mihi nuperrime relatum est. Testimonio tamen ulteriori confirmari debet, antequam Faunae nostrae speciem hanc inserere audeam.

---

## 58. Fidonia. Wien. Verz.

Treits. Schmett. gen. 98. *Geometra* Auctorum. — *Pulverulentae.*

Media aut minor (long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ — 1 poll.). Alae in-

tegrae. *Color* fuscus, albidus, cinereus, pallidus, fere semper fusco-irroratus. *Pictura* in fundo pulverulento maculata, fasciata, striata aut clathrata. Abdomen gracile. *Habitatio* in pratis et sylvis; per partem sylvaticam Lapponiae et interalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* ut in *Ennomos*. (Spec. Scand. 16 in museo nostro.)

**1. F. piniaria**: alis fuscis, maris albo —, feminae lutescenti maculatis; subtus in utroque sexu nebulosis, fasciis 2 fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 6. 1. 274. 8. ♂♀. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1233. ♂. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 141. 45. Hübn. Geom. T. 22. f. 119. 120. ♂. T. 91. f. 469. 470. ♀. *Geom. tiliaria* Linn. Fn. Sv. 1234. ♀.

Hab. in sylvis Pinetorum Lapponiae. (Lappon. — per totam Sueciam usque in Scaniam campestrem, vulgaris.)

**2. F. atomaria**: alis omnibus griseo-lutescentibus (♂), aut albescentibus (♀), fasciis in utroque sexu subtribus atomisque crebris fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

Treits. 6. 1. 286. 14. ♂♀. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1245. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 144. 56. Hübn. Geom. T. 25. f. 136. ♀.

Hab. in Lapponiae sylvis frequenter; scilicet ad Pello et Kengis Lapponiae Tornensis, nec non ad Lycksele Lappon. Umensis d. 4 — 25. Jun. uterque sexus captus. (Lappon. — Botnia borealis ad Calix — Gottlandia-Scan.; vulgaris.)

**3. F. amnicularia**: alis albis nigro-irroratis, fasciis atris in anticis 4, quarum 2 ultimis albo-terminatis, in posticis 3. ♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

Hab. in Lappon. Umensi rar., ad Lycksele d. 1. Jun. a D. Dahlbom detecta; in Dalecarlia alpina mens. Jul. etiam a D. Boheman lecta. (Lappon. meridionalis.)

♀. Similis *F. atomariae*, sed certe distincta. Minor et color primarius albus, nec griseus, fasciolae alarum multo magis conspicuae, atrae, nec fuscae, in anticis 4, quarum 2 posteriores, extus niveo-marginatae; punctum subcentrale parvum nigrum. In alis posticis fasciolae 3 nigrae, et in omnibus fimbria alba nigro-intersecta. Omnis color, qui supra niger, subtus est cinereo-griseus. Antennae nigrae, albo-annulatae.

**4. F. flammataria**: alis ochraceo-flavis atomis fuscis, anticis strigis 4 abbreviatis (♂), aut subintegris (♀); posticis strigulis subtribus brunneis. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

*Mas:* alis ochraceis, atomis microscopicis fuscis, anticis strigis costalibus 4 versus medium alae evanescentibus.

*Fid. pinctaria* Treits. Schm. 6. 1. 265. 3. *Geom. quinquaria* Hübn. Geom. T. 100. f. 516. 517.

*Fem.:* alis ochraceo-flavis, atomis fuscis, anticis strigis 4, alternatim integris et abbreviatis; posticis subtribus.

*Phal. flammata* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 194. 237. *Phal. atomata* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 190. 221. *Geom. brunneata* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 9. ♀. *Fid. pinetaria* Treits. l. c. Hübn. Geom. T. 24. f. 130.

Hab. in graminosis Lappon. sylvaticae freq.; ad Kengis et Karesuando Lappon. Tornensis; ad Lycksele, Wilhelmina et Stoettingsfjellet, Lappon. Umensis, 1 — 22. Aug. inventa. (Lappon.-Bottn. boreal. ad Calix — Upland.-Öland.-Ostrogoth., Jul. Aug. vulgar.; sed in Suecia magis meridionali et Scania a me nondum visa.)

**5. F. obsoletaria**: alis nigro-fuscis, fasciis obsoletis griseis fusco-irroratis. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Hab. in Lappon. passim; ad pagum Pello Lappon. Tornensis, et ad Lycksele Lapp. Umensis d. 2 — 5. Jun. specimina mascula illaesa inveni. (Lapponia Suecica.)

♂. Similis *F. atomariae* (No. 2.), sed vix ejus varietas obscurior. Nigro-fusca. Fasciae (nec strigae) rectiusculae, in alis anticis subtres, in posticis duae, omnes fere in medio, nec in parte posteriore, alarum locatae, griseae, et ita crebre fusco-pulverulentae, ut tantum in bene conservatis a reliqua superficie obscura discerni possint. Limbus posticus late nigro-fuscus, fimbria grisea nigro intersecta. Antennae nigrae.

**6. F. clathrata**: alis omnibus albidis per strigas transversas et longitudinales nigras reticulatis. ♂♀. (Long. al. exp. fere 1 poll.)

Treits. Schm. 6. 1. 290. 16. ♂♀. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1275. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 183. 194. Hübn. Geom. T. 25. f. 132 ♀.

Hab. in Lapponia Jul. Aug. freq.; scilicet ad Kengis et Karesuando Lapponiae Tornensis et ad Lycksele Lapponiae Umensis; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nordlandiae Finmarkiaeque, et ad Bjoerkvik, Raschstind etc. capta; adscendit raro in alpes, et ad radicem Gamstenstind a me visa. (Lapp.-Bottn. boreal. Calix — Gottland.-Scania; ubique freq.)

**7. F. pulverata**: alis anticis griseis, fusco-crebre irroratis et obsolete strigosis, puncto medio obscuro; posticis ochraceo-aurantiacis fusco-pulverulentis et puncto centrali nigricante; alis anticis apice acutis. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

*Geom. pulverata* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 9 cum fig. certissime. Vix *G. diversaria* Hübn. Geom. T. 39. f. 202. (in qua fascia alar. anticarum magis determinata apparet) hujus varietas. Neque *Phal. aurantiaca* Fabr. eadem videtur.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in paludosis ad Pello d. 4. Jun. inveni. (Lappon.-Suec. rariss.)

**8. F. sordidaria**: alis omnibus sordide albidis, striga dentata, ocello centrali punctisque in summo margine fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{8}$ poll.)

*Geom. sordidaria* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 60 cum fig.

Hab. in Lapponia passim; nempe femina ad Muonioniska d. 17. Aug. rar.; sed masculi in alpium Tornensium jugo inter Alten et Kautokeino Finmarkiae d. 10 — 12. Aug. frequentiores. Marem quoque e Dalecarlia alpina communicavit D. Boheman. (Lapponia borealis et meridion. — Gestricia D. Printz teste Thunb. l. c.)

♂. *Fid. Wauaria* paullo major. Affinis et similis videtur *Fid. favillacearíae* Treits. et Hübn. Geom. T. 26. f. 139. seu *Phal. belgariae* Fabr. Supplem., sed strigis alarum obscuris magis dentatis, puncto centrali fusco in omnibus semiocellato s. lunulato, nec strigiformi, punctis minutis summi marginis nigris etiam in alis posticis praesentibus etc. satis ab illa distincta. Alae anticae strigis 2, prima ante medium subrecta obsoleta, altera pone medium dentata, dente versus costam majori; posticae striga media undulata perspicua.

*Obs.* 1. *Fidonia* (*Geometra*) *immorata* Linn. Fn. Sv. 1290. (Westrogoth., Gottland., Smoland., Scan. Jul. pass.); *Wauaria* Linn. Fn. Sv. 1248 (in cultis per totam Sueciam praesertim meridionalem vulgaris); *plumaria* Hübn. (*roraria* Fabr., in umbrosis Gottlandiae medio Jul. freq., alibi in Suec. rariss.); *pulveraria* Linn. Fn. 1243 (Gottland., Upland. passim — Scan. freq.); *aurantiaria* Hübn. (*prosopiaria* Thunb., in Suec. rar.); *defoliaria* Linn. Fn. 1238 (mas in sylvis Scaniae 1 — 10. Nov. pass.; larva etiam, in salice capta, abiit d. 20. Jul. 1835 in pupam, e qua imago mascula prodiit mens. April. anni sequentis, observante Clariss. Dahlbom; femina quoque albido nigroque variegata, aptera in muro hortum botanicum Lundensem ambiente d. 10. Oct. capta); *leucophaearia* Hübn. (in Coryletis Scaniae ad Abusa 4. April.; *aescularia* Hübn. (*murinaria* Borkh., Scania passim, ex. gr. ad Ystad, Abusa etc.; mares etiam in muro aream Lundagard ambiente a d. 4. Martii usque ad 3. April. certis annis frequenter visi, e nympha saepe quoque exclusi); *hepararia* Hübn. (*Phal. strigata* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 48 et ejusdem Mus. Acad. Ups. P. 6. p. 75 cum fig., ab ipso mecum communicata; Gestricia D. Printz; Smoland. D. Portin; in fruticib. horti Esperoed Scaniae d. 12. Jul. nos; sed rar.); *diversata* Borkh. Treits. (*aurantiaca* Fabr., in Scan. rar.); Lapponiae forsitan protogae.

*Obs.* 2. *Chesias* (*Geometra*) *variata* Hübn. (Ostrog., Scan. freq.); *juniperata* Linn. Fn. 1269 (Nericia-Smoland. pass.); et *obeliscata* Hübn. (*fulvata* Fabr., in Suecia a D Paykull inventa, mihi ibi non obvia); in Lapponia hactenus non observatae, quantum novi.

---

## 59. Cabera. Wien. Verz.

Treits. Schm. gen. 100. *Geometra* Auct. — *Alternantes*.

Media (long. alar. expansar. $1\frac{1}{8}$—1 poll.). *Color* niveus, pallidus, flavescens. *Pictura* in nostris: strigae alarum obscurae 1 — 3 atomique fusci, obsoleta. Punctum s. ocellus centralis etiam interdum adest. *Habitatio* in Lapponia Suecica, per partem sylvaticam. *Larva* linea dorsali aut strigis lateralibus picta, e foliis Betulae et Salicis victitat. *Pupa* supra terram. *Differentia sexus* ut in prioribus. (Spec. Scand. 5)

**1. C. pusaria**: alis niveis, anticis strigis 3, posticis 2, subrectis, flavocinereis. ♂♀. (Long. al exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 6. 1. 344. 1. ♂♀. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1251. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 146. 61. Hübn. Geom. T. 17. f. 87. ♀.

Hab. in Lapponiae graminosis et pratis passim. (Lapp.-Gottland.-Scan., Jun. Jul. ubiq. freq.)

**2. C. exanthemaria**: alis albis, anticis strigis 3, posticis 2, fimbriaque flavescentibus, subtus atomis fuscis obscurioribus. ♂♀. (Long. al. exp. 1 — 1⅐ poll.)

Treits. Schm. 6. 1. 346. 2. *Geom. striaria* Hübn. Geom. T. 17. f. 87. ♂. T. 98. f. 506. ♀.

Hab. in Lapponia pass.: ad Lycksele et Stensele Lappon. Umensis 24. Jun. — 4. Jul. freq. (Lapponia Suec.-Botn. boreal. ad Calix freq. — Bleking., Scan. Jun. Jul. vulgar., forte a Linnaeo cum *pusaria* commixta.)

**3. C. pendularia**: alis omnibus albidis, ocello centrali fusco strigisque 2 punctulatis nigricantibus. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.).

Treits. Schm. 6. 1. 361. 9. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1244 Hübn. Geom. T. 13. f. 66. ♂.

Hab. in Lapponia rariss. (Lapp.-Botn. borealis ad Calix — Finland. D. Prof. Sahlberg - Smoland. D. Capitan. Boheman, rar.)

♂♀. Alarum ocellus fuscus albo-pupillatus. Strigae arcuatae e punctis minutis fuscis concatenatis constant; prima ad basin obsoletior, altera pone medium evidentior, et interdum intus adjecta linea obscura. In ipso margine postico series punctorum minutissimorum nigrorum. *Larva* viridis, ferruginea l. carnea, lineis longitudinalibus pallidioribus. *Pupa* pendula et medio filo alligata.

**4. C. glaciata**: „alis anticis fusco-griseis, puncto subcentrali nigro, fasciis 2 dentatis, fusco-terminatis, canis; posticis albis, linea marginis postici punctoque centrali fuscis." Germar. ♀. (Long. al. exp. fere 1¼ poll.)

Ahrens. Faun. Ins. Eur. (cur. Germar.) 15. f. 18. ♀.

Hab. in Islandia, D. Thienemann. Mus. Kefersteinii, teste Germar.; mihi in Lapponiis Scandinavicis non obvia species, quae quoad picturam alarum anticarum *Laurentiae caesiatae* et *annosatae* sat similis videtur. (Islandia).

*Obs. Cabera (Geometra) punctaria* Linn. Fn. Sv. 1250 (non *linearia* Hübn., Finlandia, Scania ad Lund rar.) Lapponiae forsitan exsul.

---

## 60. Acidalia. Wien. Verz.

Treits. Schmett. gen. 101. *Geometra* Auctor. — *Undatae*.

Media aut parva (long. al. exp. 1¼ — ⅝ poll.). *Color* albidus, cinereus, canus, ochraceus, flavus. *Pictura* crebre fusco-undulata aut striata, vix unquam fasciata. *Habitatio* in pratis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Larva* plerumque virescens, aut lineis pallidioribus aut strigis rufescentibus picta, foliis fruticum l. etiam plantis humilioribus pascitur. *Pupa* saepissime sub terra. *Differentia sexus* ut in prioribus. Antennae *maris* interdum breviter pennatae, aut subtus pilosae. (Spec. Scand. 28 in museo meo numerantur. — Genus valde affine *Ideae*.)

**1. A. ochrearia**: alis omnibus ochraceis, strigis subquinis, anterioribus remotioribus fimbriisque, obscurioribus. ♂♀. (Long. al. exp. ⅝ — ¾ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 6. 1. ♂♀. Hübn. Geom. T. 20. f. 110. ♂. *Phal. ochreata* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 201. 265. *Geom. similata* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 10.

Hab. in Lapponia secundum collectiones boreales; mihi in terris septentrionalibus non obvia. (Lapponia, Ostrogoth. pass. — in lucis Scaniae Jun. Jul. frequentiss. Alarum strigae variant 4 l. 5.)

**2. A. albulata**: alis niveis, strigis plurimis fuscescentibus, fimbria cinerea. ♂♀. (Long. al. exp. circiter ⅝ poll.)

Treits. Schm. 6. 1. p. 13. 8. *Phal.* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 204. 277. Hübn. Geom. T. 50. f. 257. ♀.

Hab. in Lapponia vulgaris; scilicet in graminosis ad Wilhelmina, Naestansjoe et Lycksele, Lapponiae Umensis s. meridionalis, d. 25. Jun. — 26. Jul. copiose; ad Schiervoe, Bjoerkvik et Tromsoe, Nordlandiae, Jul. freq.; etiam in summo alpium Tornensium jugo d. 10 — 12. Jul. in copula capta. (Lappon.-Gottlandia pass. — Scania Maj. Jun. Jul. copiose, lapponicis individuis saepe paullo major.)

Inter minimas. Alarum strigae flavescenti fuscae inordinatae in fascias subquatuor confluunt, punctis minutis obscuris hinc inde notatas. In alis posticis pictura obsoletior.

**3. A. impluviata**: alis anticis fusco-griseis, fascia media undulata albida, lineolis ad apicem nigris; posticis cinereo-albis. ♂♀. (Long. al. exp. fere 1⅛ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 21. 14. *Geometra* Hübn. Geom. T. 43. f. 223. ♂. *Geom. trifasciata* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 13 certe, ab ipso mecum communicata.

Hab. in Lapponia passim; nempe in Dalecarlia alpina et in alpe Dowre mares a D. Boheman deprehensi; etiam sub cortice Pini ad Wittangi Lapponiae Tornensis individuum masculum illaesum d. 13. Jun. inveni; inter Karesuando et lacum Kilpisjaur uterque sexus a D. Frigelio captus. (Lapponia, Hallandia D. Osbeck, Scania ad Abusa mens. Maj. rariss., nos.)

♂♀. Alae anticae basi cinerascentes, puncto nigro; deinde fascia lata, fusca, medio obscurior, striga nigra utrinque marginata. In medio alae fascia mediocriter lata, undulata, versus costam anterius strigula transversa nigra. Mox pone medium sequitur fascia alia etiam fusca, lata, nempe latitudine ad marginem apicalem extensa, et in medio per fasciolam augustam obscuriorem longitudinaliter secata. A fascia media alba et haud longe a costa ducuntur ad apicem alae lineolae s. strigulae 2 l. 3, una post alteram longitudinaliter positae, atrae, quae speciem optime determinant. Haec autem pictura tantum in bene conservatis specimiuibus manifesta, nam in detritis, qualia saepius occurrunt, alae anticae fusco-cinereae, fascia media alba (quae in Lapponicis nonnihil angustior quam in Suecicis) lineolisque apicis nigris tenacius adhaerentibus.

**4. A. annotinata**: alis anticis canis, cinereo fuscoque irroratis et undulatis, fascia media parum obscuriori; posticis albidis obsolete cinereo-strigatis; omnibus puncto medio nigro. ♂♀. (Long. al. exp. fere 1 poll.)

Hab. in Lapponiae Umensis silvis rar., ex. gr. ad Stensele et Badstutraesk 29. Jun. — 4. Jul. capta. (Lapponia meridionalis.)

♂♀. Statura gracilis. Cana. Alae albidae; anticae atomis et undulis cinereis crebre adspersae. Fascia ad basin parva cinerea obsoleta. In medio fascia undata latior, intra margines atomis microscopicis fuscis adspersa, medio longitudinaliter alba et puncto infra costam nigro. Alae posticae in parte exteriori strigis transversis cinereis obsoletis et puncto ante medium nigro.

**5. A. bilunulata**: alis grisescenti canis, anticis cinereo fuscoque irroratis et undulatis, fascia media parum obscuriori; posticis cinereo-striatis, omnibus puncto medio nigro, anticarum majori sublunulato. ♀. (Long. al. exp. ⅞ poll.)

Hab. in Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lappon. meridional.)

♀. Valde similis *A. annotinatae*, sed differt colore dominante cano in griseum vergente, alarum anticarum strigis duabus fuscescentibus, quae fasciam mediam formant, in costam subito oblique flexis ibique distinctioribus; puncto medio atro multo majori, fere lunulato, ut et strigis alarum posticarum pluribus et magis conspicuis.

**6. A. relictata**: alis anticis livido-griseis nitidis, strigis repandis cinereis, fasciaque media albida puncto fusco; posticis albidis. ♀. (Long. al. exp. ⅞ poll.)

Hab. in Lapponia rarissime; ad insignem lacum Tornetraesk, in regione subalpina situm, d. 8. Jul. unicum specimen inveni. (Lappon. septentrionalis.)

Affinis et similis *A. impluviatae*, sed duplo fere minor, pallidior, et alis anticis livido-grisescentibus, magis nitidis, strigis cinereis, nec fuscis, ut et lineolis apicalibus nigris deficientibus, aperte ab illa distincta.

**7. A. candidata**: alis niveis, strigis undulatis flavescentibus valde obsoletis. ♀. (Long. al. exp ⅝ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 31. 19? *Geom. candidaria* Hübn. Geom. T. 19. f. 101? *Phal. immutata* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 203. 273.?

(Hab in Lappon. rar., in ipso alpium Tornensium jugo 2 specimina d. 12. Jul. inveni. (Lappon.-Ostrogoth., Gottlandia, Scan. freq.)

Synonyma dubius attuli. Alae enim in specimiuibus lapponicis niveae sunt et vix vestigiis strigarum praeditae. An in detritis? Individua Suecica vulgaria majora sunt et alarum strigis undatis flavescentibus magis conspicuis ornata.

**8. A. rivulata**: alis anticis fuscis, fasciis 3 albis, antica et postica obsoletis, intermedia distincta undulata strigaque media tenuissima longitudinali fusca ornata. ♂♀. (Long. al. exp. vix ⅞ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 42. 27. *Geometra* Hübn. Geom. T. 50. f 259. ♂ vera. *Phal. nassata* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 204 278. *Geom. alchemillata* Linn. Fn. Sv. 1282. var. minor forte.

Hab. in Lapponia Suecica sylvatica rar., et tantum in Dalecarlia alpina a D. Boheman hactenus lecta; sed in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Bjoerkvik prope Ofotenfjord et ad Schiervoe etc. 14 — 20. Jul. in copula frequenter capta. (Lappon.-Oelandia-Scania, Jun. Jul. freq.)

♂♀. Alae anticae obscure fuscae, fasciis 3 albis, nempe 1 ad basin rectiuscula angustior obsoletior, ad marginem interiorem tamen magis perspicua; 2da intermedia nonnihil latior undulata integra distincta, per strigam tenuissimam fuscam medio longitudinaliter divisa; et 3tia apicalis tenuis obsoletissima, vix nisi per maculam albam inchoantem intra apicem alae ad costam conspicua, omnino ut in figura HÜBNERI. Alae posticae fusco-cinereae, strigis 2 approximatis fasciam mediam transversam formantibus dilutioribus. — Species haec per totam Sueciam vulgaris, forte est LINNAEI *Phal. alchemillata* genuina, et *Cidaria alchemillata* TREITSCH. et HÜBN. tantum hujus varietas major!

**9. A. inciliata**: alis anticis fuscis, fasciis 3 undulatis albis, antica et postica simplicibus, intermedia per strigam mediam longitudinalem tenuissimam geminata; posticis albis. ♂. (Long. al. exp. vix $\frac{7}{8}$ poll.)

Hab. in Dalecarlia alpina D. BOHEMAN. (Lapponia Suecica meridionalis.)

♂. Simillima *A. rivulatae*, sed differt alarum anticarum fasciis antica et postica conspicuis, licet simplicibus strigiformibus, ut et praecipue alis posticis albis, nec fuscis, obsoletissime tantum bistrigatis.

*Obs.* *Acidalia* (*Geometra*) *rubricaria* HÜBN. (*rubricata* FABR., in aridis ad Kjeflinge Scaniae 8. Aug. var. minor. rar.); *pusilluria* HÜBN. (Ostrogoth. — Scania pass.); *luteata* FABR. (etiam *centrata* FABR., *flavicata* THUNB. Diss. Ins. Sv. 1. p. 10., Hallandia OSBECK, Scania ad Bjoernstorp et Esperoed 20. Jun. — 2. Jul. pass.); *brumata* LINN. Fn. 1293.; DAHLB. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 202. (Scania, Novemb. Decbr. frequentiss.; feminas seriores apteras gelu concretas glacieique adhaerentes saepe halitu regelavi; mares alati jam mens. Oct. et Nov. in frutetis et hortis vespere volantes); *dilutata* HÜBN. (4-*fasciata* BORKH., *nebulata* THUNB. Diss. Ins. Sv P. 1. p. 12.; Scania mens. Maj. freq., e pupa etiam prodiit declarata 25. Sept. 12. Oct. — Sub nomine *Phal. ventilata* FABR. haec species in Mus. Fall. exstat.); *rupestrata* FABR. (Scan. pass.); *osseata* FABR. (Westrogoth., Gottland. freq., Scan. rar.); *hexapterata* FABR., THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 49. (Suec. rar.); *zonata* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 60. cum fig.; Upland., Westrog. rar.); *undulata* LINN. Fn. Sv. 1272. (in sylvaticis locis paludosis in Ostrogoth. ad Wadstena etc. Jul. pass.); *vetulata* HÜBN. (in populetis Ostrogothiae — Scaniae freq., ad Lund 28. Oct. in copul.); *bilineata* LINN. Fn. 1284 (in umbrosis Ostrogothiae, Gottlandiae, Scaniae, Jul. ubique vulgar. et freq.); *lignata* HÜBN. (sub nomine *Geom. villata* a D. GYLLENH. e Westrogoth. miss. Mus. FALL.); *reticulata* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 12 (Hallandia; etiam e Westrogoth. sub nomine *G. tersata* HÜBN. miss.); *rhamnata* FABR., THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 49. Suec. rar.); *dubitata* LINN. Fn. 1259 (Ostrogoth., Scania, Jun., Sept. pass.); et *decolorata* HÜBN. (Suec. Mus. FALL. et nostr.); hae omnes intra limites Lapponiae hactenus non deprehensae, quantum scio.

---

## 61. Larentia. Wien. Verz.

TREITS. Schm. gen. 102. *Geometra* Auctor. — *Mediofasciatae.*

Major, media, parva (long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ — $\frac{5}{8}$ poll.). *Color* fuscus, griseus, cinereus, raro albus. *Pictura* obscure undulata et strigata; fascia media in alis anticis plerumque magis determinata. *Habitatio* in lucis, pratis et sylvis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* crassa breviuscula plerumque virescens, maculis strigisve ornata. *Differentia sexus* in abdominis structura semper invenienda; *mares* quoque antennis breviter pectinatis gaudent. (Spec. Scand. 17, pictura alarum priori generi sat similes.)

**1. L. paludata**: alis anticis cinereis fusco-irroratis, fasciis subquatuor obscuris, tertia distinctiori dentata externe albo-cincta et medio macula rosea adjecta. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

Var. a. figura HÜBNERI paullo minor.

*Phal. paludata* THUNB. Diss. Ins. Sv. anno 1792. P. 3. p. 49. vera, et ejusdem Mus. Acad. Ups. 1787. P. 6. p. 76. cum figur. *Larentia sororiata* TREITS. Schm. anno 1828. 6. 2. p. 86. 6. *Geometra* HÜBN. Geom. T. 68. f. 355. ♂.

Var. b. duplo minor.

Hab. in Lapponiae paludibus turfosis 26. Jul. — 17. Aug. vulg.; scilicet ad Muonioniska Lappon. Tornensis et ad Lycksele et Åsele, Lappon. Umensis; frequenter. (Lappon.-Westrogoth. D. GYLLENHAL - Ostrogothia in paludib. turfosis ad Fylla prope Wadstena, celeriter volans; mens. Jul., nos.).

♂♀. Alae anticae canae l. laete cinereae, atomis obscuris facile deterendis fasciolisque subquatuor fuscis, nempe 1 ad basin tenui et obsoleta; 2da ante medium subrecta cum 3tia unicam fasciam mediam latam medio cineream formante; haec fasciola 3tia reliquis distinctior est, extus dentata et externe albocincta; fasciola 4ta ad marginem reversa obsoleta vix nisi ad apicem alae conspicua; intra hanc et fasciolam 3tiam macula rubra s. rosea in individuis illaesis adest. Fimbria cinerea albo intersecta. Alae posticae laete cinereae, a basi ad medium in bene conservatis paullo obscuriores.

**2. L. caesiata**: alis anticis canis, atomis glaucis et fuscis, fascia media obscuriore, ad costam bipartita, puncto medio nigricante. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ ♂ — $1\frac{1}{2}$ poll. ♀)

TREITS. Schm. 6. 2. p. 89. 8. HÜBN. Geom. T. 53. f. 275. ♂.

Hab. in Lapponiae sylvis Pinetorum et saepe locis paludosis 26. Jul. — 17. Aug. freq., tempore vespertino praesertim agilis; ad Muonioniska Lappon. borealis, et ad Lycksele et Åsele Lappon. meridionalis, vulgaris; adscendit quoque in regionem alpinam, et in alpium jugo inter Alten et Kautokeino Finmarkiae 10—12. Aug. in copula haud raro capta. (Lapponia-Suecia inferior rar.)

Alae anticae fascia media fusca, a costa fere ad medium alae bipartita; posticae totae albidae; omnes fimbria albida fusco intersecta.

**3. L. decrepitata**: cana, alis anticis cinereo-irroratis substrigulosisque, fascia basali parva et media obscurioribus, hac margine externo undulato, puncto medio nigro; posticis a basi ultra medium margineque summo cinereis. ♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rarissime, ad Schiervoe 27. Jul. a me capta, in Dalecarlia alpina D. BOHEMAN. (Lapponia Norvegica et Suecica.)

Affinis *L. caesiatae*, sed minor, et alis anticis canescentibus, nec glaucescentibus, fascia media obscura ad costam non bifida, ut et posticis cinereis, fascia exteriori albida l. cana etc. ab illa distincta.

**4. L. annosata**: cana, alis anticis cinereo-irroratis, fascia basali parva, et media, obscurioribus, hac margine externo crenato, puncto medio nigro; posticis cano-albidis, puncto ante medium obscuro. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia rarissime; in Dalecarlia alpina a D. BOHEMAN detecta mecumque, uti plures aliae, ad describendum benigne communicata. (Lappon. meridionalis.)

♂. Similis iterum *L. decrepitatae*, sed paullo major, et fascia alar. anticarum media fusca externe aequaliter crenulata, nec dentata, alisque posticis totis canis subimmaculatis, ab illa distincta. A *L. caesiata*, cui etiam similis, magnitudine paullo minori, alis non glaucescentibus, fascia media integra, nec apice bifida etc. dignoscitur. Alae omnes in summo margine striga punctor. minutissimorum nigrorum. Fimbria alba cinereo intersecta.

**5. L. viridulata**: alis anticis griseo-virescentibus, strigis undulatis nigris fasciisque duabus undatis albidis. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

An *Geometra miata* LINN. Fn. Sv. 1268??

Hab. in Lapponia meridionali rarissime, d. 1. Jun. semel capta. (Lappon.-Hernoesand. rariss.)

♀. *Lar. Psittacatae* affinis, sed aliter picta. Subsimilis etiam et sat affinis videtur *Acidal. coraciatae* TREITS. Alae anticae virescentes, atomis fuscis adspersae, strigisque pluribus tenuibus inordinatis obscuris et fasciis 2 angustis undulatis nigris, 1ma paullo ante, et 2da paullo pone medium alae. Puncta minuta nigra hinc inde observantur, quorum unum mox intra apicem evidentius. Alae posticae cano-albidae, strigis posticis subtribus punctoque medio obscurioribus.

**6. L. intricata**: alis canis cinereo-irroratis, strigis crebris obscurioribus, puncto medio minuto nigro. ♂♀. (Long. al. exp. circiter $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia 14. Jun. — 3. Aug. pass.; ad Lycksele et Barrsele Lappon. Umensis, et ad Juckasjervi et Muonioniska Lapponiae Tornensis inventa; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae, et ad Bjoerkvik et Talvig capta; etiam in parietibus ligneis ad Wittangi 15 Jun. in copula visa. (Lapp.-Bottnia borealis ad Calix — Suecia rar.)

♂♀. Parva, *Lar. rectangulata* minor. Affinis *Acidal. pusillatae* FABR. Similis etiam *Larent. absinthiatae* LINN., sed punctis marginalibus nigris punctoque ani albo nullis etc. ab illa distincta. Tota cinerea. Alae canae, atomis fuscis adspersae,

strigisque crebris griseo-cinereis subundulatis et saepe ita approximatis, ut praesertim versus apicem fasciolas cinereas obsoletas forment. In alis posticis pictura adhuc obsoletior. In medio alar. anticarum sub costa punctum minutum nigrum, interdum sublineoliforme observatur, quod tamen in speciminibus Nordlandicis deesse videtur; an in illis detritum? Alae omnes fimbria cana cinereo intersecta.

*Obs.* In Museo Falleni individua similia sub nomine *Geom. pygmaeata* Borkh. et *serpentata* Thunb. asservantur.

**7. L. angustata**: alis fuscis, anticis strigis undulatis albis et fascia media obliqua obscura medio puncto nigro. ♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia Suecica.)

♀. Affinis *Lar. rectangulatae*, sed obscurior, et alis angustioribus, pictura obliqua, ut et colore virescente nullo, ab illa differt. Tota obscura. Alae fuscae, anticae ad basin strigulis 3 l. 4 geniculatis albis, deinde fascia obliqua obscura medio puncto nigro; pone hanc strigis 4 obliquis undulatis albis, quarum 2 subapproximatis fasciam externe terminantibus. Fimbria alarum omnium obscura parum cinereo intersecta.

**8. L. hospitata**: alis pallide hepaticis fusco-strigulatis et fasciolatis, anticis striga media punctum centrale tangente. ♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Treits. Schm. 6. 2 p. 120. 32. *succenturiata* Hübn. Geom. T. 45. f. 236. ♀. non Linn. Fn. Sv. 1294.

Hab. in Dalecarlia alpina D. Boheman. Lapponia meridionalis.)

♀. Parva. Alae pallide griseae, posticae albescentes, strigis simplicibus obsoletis fuscis; anticae fasciis 2 fuscis, una prope basin, altera prope marginem posticum. Inter has fascias strigae 2 nigrae l. nigricantes, una exterior subrecta l. parum undulata punctum atrum prope costam transiens; altera interior prope costam angulata, angulo strigam fere in puncto atro attingente. Alae omnes in summo margine apicali linea tenuissima l. serie punctorum minutissimorum nigrorum.

*Obs.* *Larentia* (*Geometra*) *mensuraria* Borkh. Treits. (*mensurata* Hübn., etiam sub nomine *Geom. chenopodiata* Linn. Fn. Sv. 1263 in collectionibus Suecorum ubique exstat; in Ostrogoth., Gottland., Scan. vulgatiss.); *plagiata* Linn. Fn. 1271. (*duplicata* Fabr. Ostrogoth. 12. Sept., Scan. 26. Jun. pass.); *psittacata* Fabr. (Ostrogoth. freq., Smoland. rar.); *rectangulata* Linn. Fn. Sv. 1295, et Bjerkander Act. Holm. 1785 (in hortis et parietibus Scaniae Jul. freq.); *strobilata* Borkh. Hübn. (Suecia mus. Fall. — sub nom. *G. absinthiata* a Portin e Smoland. missa, sed certe Linnaei non eadem); *pusillata* Fabr. (Ostrogoth., Scan. pass.); *centaureata* Fabr. (*oblongata* Thunb. Diss. Ins. Sv. 1. p. 14. cum fig.; in Suec. rar.); *succenturiata* Linn. Fn. Sv. 1294 (Suec. meridion. pass.); *absinthiata* Linn. Fn. Sv. 1296 (Suec. Linn.); et *consignata* Borkh. (ut Suec. incola Mus. Fall., sed mihi in Scandinavia non obvia); hae omnes intra Lapponiae fines hactenus non deprehensae.

## 62. Cidaria. Wien. Verz.

Treits. Schm. gen. 103. *Geometra* Auctor. — *Angulato-fasciatae.*

Media (long. al. exp. $1\frac{1}{2}$ — $\frac{7}{8}$ poll.). *Color* albidus, cinereus, flavus. *Pictura* fasciata; fascia scilicet obscura latior, versus marginem interiorem angustata, exterius angulata, punctoque centrali nigro saepe notata, medium alarum anticarum transit. Alae posticae plerumque immaculatae. *Habitatio* in pratis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* breviuscula, varie picta. *Pupa* aut in terra aut inter folia supra terram latet. *Differentia sexus* in structura abdominis ut de more invenienda; *mas* quoque antennas subpectinatas aut pilosiusculas saepe habet. (Spec. Scand. 26 in museo nostro exstant.)

*Subdiv.* 1. Alarum colore dominante s. primario albo l. albido.

**1. C. propugnaria**: alis anticis griseo-albidis, fascia media ferrugineo-cinerea, utrinque nigro-marginata. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 141. 1. ♂♀. *Phal. propugnata* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 188. 214. Hübn. Geom. T. 55. f. 286. ♀. *Phal. cognata* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 60.

Hab. in Lapponiis Suecicis passim; mares ad Lycksele, Äsele et Umenaes, Lapponiae Umensis s. meridionalis, 1—27. Jun. inventi; femina ad Muonioniska Lapponiae Tornensis l. borealis, d. 17. Aug. capta, etiamque in Dalecarlia alpina a D. Boheman lecta. (Lapp.-Gottland. — Scania, passim.)

♂♀. Alae anticae cinereo-albidae, fasciis 2 ferrugineantibus, nempe 1 ad ipsam basin parva, et 2 in medio, latiori, ad marginem interiorem coarctata, nigro-marginata, externe angulata. Alae posticae cinereo-albidae, margine exteriori fusciori. Antennae maris breviter piloso-pectinatae.

**2. C. arcticaria**: „alis anticis albo cinereis, fascia media griseo-purpurea nigro-marginata, margine externo fuscescentibus; posticis undulatis." Germar. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

Ahrens. Fn. Ins. Eur. (cura Germari) 16. f. 25. ♂.

Hab. in Islandia. D. Thienemann. Mus. Germar.; in Lapponiis Scandinavicis forte etiam occurrit, mihi licet non obvia. (Islandia.)

„Affinis *propugnariae*, magnitud. paullo majori et fascia media latiore unicolore discrepans." Germar. l. c.

**3. C. ferrugaria**: alis albidis, anticis fasciis 2 purpurascenti ferrugineis, 1 basali angusta, 2 media lata, ad marginem interiorem coarctata, maculaque intra marginem apicalem didyma fusca. ♂♀. (Long al. exp. $\frac{3}{4}$ fere $\frac{7}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. 148. 6. Borkh. Eur. Schmett. 5. 387. 189. *Ferrugata* Linn. Fn. Sv. 1292. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 196. 242. Hübn. Geom. T. 55. f. 285? speciminibus nostris major obscurior, macula didyma deficiente.

Hab. in Lapponia Suecica rar., in Dalecarlia alpina a D. Boheman inventa. (Lappon. meridion. — Öland. Scania, Maj. Jun., passim.)

Variat magnitudine. Alarum anticarum fasciae duae purpurascentes, ut et litura fusca in medio marginis posterioris optime distinguunt speciem *Geom. didymatae* Linnaei Fn. 1270 sat affinem et de cetero similem.

**4. C. quadrifasciaria**: alis albidis, atomis fuscescentibus, anticis fascia lata fusco-purpurea, margine posteriore fusco maculis obscurioribus; posticis strigis pluribus cinereis ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 146. 5. ♂♀. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1253. 4-*fasciata* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 188. 213. Hübn. Geom. T. 55. f. 284. ♀.

Hab. in Lapponia passim. Thorax cinereus. (Lappon.-Bottnia borealis ad Calix-Upland.-Gottland., Oelandia-Scania., pass.)

**5. C. montanaria**: alis albis, strigis aliquot cinereis, anticisque fascia media fusca in medio coarctata, ad costam subbifida puncto subocellari atro. ♂♀. (Long. al. exp. fere $1\frac{1}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 201. 34. ♂♀. *Geom. montanata* Borkh. Schm. 5. 397. 194. Hübn. Geom. T. 48. f. 248. ♀. *Phal. ocellata* Fabr. Ent. Syst. 3 2. 188. 216. non Linnaei eadem.

Hab. in Lapponia Tornensi 14. Jul. — 17. Aug. pass.; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nordlandiae Finmarkiaeque, et ad Bjoerkvik et montem Skaadavaara haud infrequenter visa, sed ibi minor corpore toto albido. (Lapp.-Oeland., Gottland.-Scan., Jun. — Aug. saepe copiose.)

**6. C. galiata**: alis albidis, anticis fasciis 2 fuscis, basali obsoleta, media puncto nigro notata, margine apicali fusconubilato. ♂♀. (Long. al. exp. circiter 1 poll. vel etiam minor.)

Var. a. long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.

Treits. Schm. 6. 2. p. 155. 9. Hübn. Geom. T. 53. f. 272. ♂. (sub nomine: „*Ph. galiata* Borkh., *ocellata* Fabr. non Linn." a Gyllenhal communicata, in Mus. ditiss. Falleni etiam asservatur.)

Var. b. duplo fere minor s. long. al. exp. vix. $\frac{7}{8}$ poll., alias var. a simillima.

Hab. in Lapponia rarissime; var. a in terris arcticis mihi non obvia, et var. b. tantum ad Lycksele Lappon. meridionalis d. 20. Aug. semel lecta. (Var. a: Suec. media, Mus. Fall. rar. — Var. b. Lapponia Suecica-Angermannia, sed non infra Hernoesand vidi.)

**7. C. ocellata**: alis albidis, anticis fasciis duabus caerulescenti fuscis, maculaque apicis ocellari didyma. ♂♀. (Long. al. exp. fere $1\frac{1}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 153. 8. ♂♀. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1280. Hübn. Geom. T. 48. f. 252. ♀. *Phal. lynceata* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 189. 217.

Hab. in Lapponia rar. (Lappon. — Scania; ubique vulgaris.)

Thorax purpurascens. Alae albae. Anticae fasciis 2 purpurascen-

tibus s. caeruleo-fuscis, 1 ad basin, 2 in medio ad costam dilatata externe angulata medio macula nigra. In apice prope costam macula ocellaris didyma fusca. Ipse margo apicalis in medio griseus. Alae posticae summo margine fuscae.

*Subdiv.* 2. Alarum colore dominante flavo.

**8. C. populata**: alis pallide flavis, anticis fasciis duabus margineque exteriore brunnescenti fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅛ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 165. 15. ♂♀. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1266. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 176. 168. Hübn. Geom. T. 58. f. 300. ♂. (Sub nomine: „*Geometra testata* Linn." e Suecia media communicata. Specimina etiam hujus sub nomine: „*Geom. comitata* Linn. Fabr.," a D. Gyllenhal missa, in Mus. Fall. occurrunt.)

Hab. in Lapponiis omnibus in sylvis et Pinetis, 30. Jul. — 30 Aug. vulgaris; scilicet ad Åsele, Fredrica et Lycksele, Lapponiae Umensis, freq.; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis, ut et in inferalpinis Nordlandiae et Finmarkiae; ex. gr. ad Hacksten et Skaadavaara haud rar. lecta. Magnitudine et pictura varians. Oculi in viva luteo-virescentes macula pupillari nigra pro situ variante. (Lapponia-Bottn. borealis ad Calix — Hernoesand-Suec. media: Ostrogoth., Oelandia in umbrosis copiose — Scania pass.)

**9. C. pyraliata**: alis anticis flavis, strigis subquatuor geniculatis fuscis; posticis flavo-albidis. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅜ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 182. 23. ♂♀. *Geometra* Hübn. Geom. T. 58. f. 302. ♂. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 176. 169.

Hab. in Lapponia Tornensi rar., ad margines agrorum Aug. capta; e Norvegia a D. Boheman communicata. (Lapponia-Bottn. borealis ad Haparanda 1 Sept. — Ostrogothia, Oeland., Scan.; Jul. Aug. freq.)

*Subdiv.* 3. Alarum colore dominante canescente l. grisescente.

**10. C. russata**: alis anticis fusco-ferrugineo-alboque undulatim fasciatis; posticis albidis, margine exteriore cinereo. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅜ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 189. 27. ♂♀. Hübn. Geom. T. 59. f. 305. ♀. *Phal. 100-notata* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 191. 228. *Geom. variata* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 11.

Hab. in Lapponia passim; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis, et ad Bossekop Finmarkiae occidentalis d. 8—17. Aug. inveni. (Lapp.-Bottn. borealis ad Calix — Angermannia ad Hernoesand. 30. Aug. freq. — Upsalia-Ostrogoth. — Scania, Aug., vulgaris.)

♂♀. Alae anticae pulchre marmoratae, fasciis 4 distinctioribus, nempe 1 ad basin fusca; 2 ferruginea utrinque striga alba undulata terminata; 3 media latiori difformi alba externe angulata, angulo longe producto, utrinque obscure marginata, in medio puncto lunulato nigro notata; 4 postica ferruginea, striga undulata utrinque cincta. Margo exterior fuscus. Thorax quoque fuscus. Haec vero pictura non semper determinata, lineolis scilicet strigisque fuscis vel nigris immixtis saepe minus conspicua.

**11. C. alchemillata**: alis fuscescentibus, fascia media angustiori undata nivea striga media cinerea, lineolaque intra apicem anteriorem alba. ♂♀. (Long. al. exp. vix 1 poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 203. 35. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1282. var. major. — Sub hoc nomine Linneano etiam specimina similia in Mus. Fall. occurrunt.

Hab. in Lapponia rar. (Lappon.-Ostrogoth.-Scan. pass.)

Similis *Acidal. rivulatae*, sed major; ad basin alarum anticarum fascia quoque alba angusta observatur, licet obsoletior.

Var. b. alis fuscescentibus, fasciis angustis albis strigisque pluribus griseo-cinereis alternantibus. An *Geom. alchemillata* Hübn. Geom. T. 50. f. 261? Ad Bjoerkvik Nordlandiae Norvegicae 14. Jul. rar. — Varietatis hujus, quae in Suecia inferiori etiam occurrit, specimina plura simillima in Museo Falleni exstant, a D. Gyllenhal missa sub nomine: „*G. alchemillata* Hübn., *spadicearia* Borkh. et *ferrugata* Linn. var."

**12. C. sparsata**: alis fusco-griseis, strigis undulatis fuscis et albidis; anticis fascia media alba obscure marginata et puncto medio minuto fusco. ♂♀. (Long. al. exp. ⅞ fere 1 poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in silva ad coloniam Umenäs uterque sexus d. 9. Jul. 1832 a me inventus. (Lapponia meridionalis.)

♂♀. Magnitudo et affinitas *Cid. alchemillatae*, et praesertim ejus varietati b. subsimilis, sed alarum anticarum fascia media alba latiori, magis determinata, puncto medio fusco notata etc. ab illa certe distincta. Alae omnes fusco-griseae, anticae basi strigis fuscis et griseis alternantibus, in medio fascia undulata alba utrinque brunneo-nigro marginata; pone hanc fasciola albo-grisea l. livida, deindeque margo posticus obscure cinereus, striga undata alba. Alae inferiores s. posticae cinereae, in medio strigis griseis et fuscis alternantibus, margine postico obscuriore. Corpus cinerascens. Antennae maris breviter biseriatim pennato-pilosae.

*Subdiv.* 4. Alarum colore dominante nigro.

**13. C. hastata**: alis nigris strigatim albo-maculatis, fasciis 2 albis undulatis parce nigro-punctatis, prima ad basin angusta, secunda mox pone medium latiori externe hastato-dentata. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅛ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 207. 36. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1276. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 182. 192. Hübn. Geom. T. 49. f. 256. ♀.

Hab. in sylvis Lapponiae Suecicae meridionalis pass.; ad Lycksele, Badstutraesk et Wilhelmina mens. Aug. lecta. (Lappon.-Finland. D. Prof. Sahlberg — Gottland.-Ostrogoth.-Scan., passim.)

**14. C. tristata**: alis nigris, strigis subinterruptis fasciisque duabus angustis undulatis albis nigro-punctatis. ♂♀. (Long. al. exp. ⅞ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 210. 37. ♂♀. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1277. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 183. 193. Hübn. Geom. T. 49. f. 254. ♂. *G. funerata* Hübn. Geom. T. 50. f. 260.

Hab. in Lapponia haud raro; mares vero tantum in Lapponia Suecica sylvatica meridionali, ex. gr. ad Lycksele, Umenaes et Stensele, 24. Jun. — 4. Jul. 1832, vulgar.; et feminas maribus nonnihil majores in sylvis betulinis Nordlandiae et Finmarkiae Norvegicae, ex. gr. ad Finkrog, Giebostad, Schiervoe et Alteidet, 22. Jul. — 2. Aug. 1821, frequenter inveni; in Dalecarlia alpina Lappon. Suec. meridion. quoque a D. Boheman capta. (Lapp.-Scan. pass.)

**15. C. luctuata**: alis nigris, anticis strigis tribus glaucescentibus fasciaque subundulata alba medio striga punctulata fusca; posticis fascia latiori dentata alba. ♂♀. (Long. al. exp. 1¼ poll.)

Var. a. alarum posticarum fascia alba lata inaequaliter dentata.

Treits. Schm. 6. 2. p. 214. 39. Hübn. Geom. T. 49. f. 253. ♂.

Var. b. alarum posticarum fascia alba, anticarum parum latiori, punctoque albo discreto loco dentis externi.

*Phal. transversata* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 48. et Mus. Acad. Ups. p. 75. cum fig. certe.

Hab. in Lapponia passim; var. a. ad Umenaes Lappon. meridionalis rar., et var. b. ad Kengis Lappon. Tornensis, nec non ad Stensele Umensis, 1 — 4. Jul. frequentius, lecta. (Lappon.-Bottn. borealis ad Calix — Gestricia-Wermelandia rar.; sed in Suecia meridionali hactenus non observata, quantum novi.)

Strigae undulatae albo-glaucae in alis anticis tres, quarum 2 ad basin et 1 ad marginem pone fasciam albam. Alae posticae basi nigro-fuscae; in var. b. fascia alba minus dilatata, dente scilicet externo nullo l. obsoleto, relicto tantum puncto albo libero in medio marginis postici, omnino ut in figura Thunbergii.

*Obs.* *Cidaria* (*Geometra*) *miata* Linn. Fn. Sv. 1268. Fabr. (Suecia pass., e Westrogoth. a D. Gyll. miss. Mus. Fall.); *chenopodiata* Linn. Fn. Sv. 1263. (cfr. *Larentia mensuraria* nob. in Observat.); *fulvata* Hübn. (*sociata* Fabr., *cuspidata* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 11. cum fig.; Upsalia, Ostrogothia, Scania ad Lund 1 — 6. Aug. pass.); *prunata* Linn. Fn. Sv. 1267. (Gottlandia-Ostrogoth.-Scania; Jul. freq., educ. saepe e nympha declarat.); *viridata* Linn. Fn Sv. 1256 vera (*Geometra deleataria* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 6., *Cidaria miaria* Treits. et *miata* Hübn.; Ostrogoth.-Gottland.-Halland., Scan., Jul. pass.); *didymata* Linn. Fn. Sv. 1270, valde affinis et similis *alchemillatae* (Westrogoth. Gyllenh., Ostrogothia ♂♀ Jul. Aug. frequentiss.; Scania pass.); et *corylata* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 4. p. 61. cum fig. (Finland.-Ostrogoth.-Westrogoth. passim); harum nulla in Lapponia huc usque deprehensa, quantum novi.

## 63. Zerene. Wien. Verz.

Treits. Schmett. gen. 104. *Geometra* Auctor. — *Subfasciatae.*

Major aut media (long. al. exp. $1\frac{3}{4}$ — $\frac{7}{8}$ poll.). *Color* albus, flavus. *Pictura* obscure submaculata aut marginata: scilicet fascia incompleta et irregularis saepe in maculas majores minoresque dissoluta, medium alae albae transit, adjectis aliis maculis hinc inde in disco; limbus quoque plerumque aut totus inaequaliter niger, aut nigromaculatus. *Habitatio* in sylvis, pratis et lucis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Larva* crassa, tarda, variegata, dorso lateribusque lineis maculisque ornata, foliis arborum fruticumque l. etiam plantarum humiliorum pascitur. *Pupa* inter convoluta folia aut sub terra latet. *Differentia sexus* in structura abdominis invenienda; praeterea *mas* antennis aut pectinatis aut saepe breviter pilosis; *femina* antennis setaceis nudis gaudet. (Spec. Scand. 12 in museo nostro adsunt.)

**1. Z. fluctuata:** alis sordide albidis, obscure strigatis, anticis fasciis tribus costalibus abbreviatis fuscis, media majore. ♂♀. (Long. al. exp. 1 — $1\frac{1}{4}$ poll.)

Treits. Schm. 6. 2. p. 219. 9. ♂♀. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1281. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 185. 202. Hübn. Geom. T. 48. f. 249. ♂.

Hab. in Lapponiae sylvis betulinis rar.; etiam in inferalpinis Nordlandiae ad Tromsoe d. 24. Jul. capta. (Lapp.-Bottn. borealis ad Calix. — Scan. Jul. Aug. freq.)

**2. Z. rubiginata:** alis niveis, fasciis duabus fusco-ferrugineis, prima basali, altera in medio, dimidiata, puncto subocellari nigro; intra marginem posticum fascia cinerea maculaque subapicali nigra. ♂♀. (Long. al. exp. 1 — $1\frac{1}{8}$ poll.)

Var. a. ♂♀. alarum fascia media subinterrupta in parte inferiore, relictis punctis 1 — 3.

Treits. Schm. 6. 2. p. 223. 4. *Phalaena* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 186. 202. Hübn. Geom. T. 48. f. 250. ♀. Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 49.

Var. b. ♂♀. alarum fascia media abbreviata.

Hab. in Lapponia mens. Jul., var. a. in Dalecarlia alpina Sueciae, et in alpe Dowre Norvegiae, a D. Boheman lecta; var. b. frequentius in Lapponia occurrit. (Lapponia-Angermannia ad Hernoesand 30. Aug. — Scan. Aug. freq.)

**3. Z. dilacerata:** alis albis, postice cinereo-fasciolatis; anticis maculis tribus nigricantibus, 2 costalibus et 3tia in medio marginis interioris. ♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Dalecarlia alpina Lapponiae Suecicae D. Boheman; etiam in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae ad Tromsoe d. 24. Jul. a me rariss. lecta. (Lapponia.)

♀. Similis *Z. rubiginatae*, inprimis ejus varietati b.; sed multo minor, et alis albidis, nec niveis, fascia basali abbreviata, nec integra, etc. ab illa dignota. Alae albae, ad marginem posticum strigis et fasciis cinereis obsoletis; anticae maculis 3 nigricantibus, harum 1. parva ad intimam basin costae, 2 majore in medio costae punctum atrum includente, et 3 parva in margine interiore, maculae 2dae opposita et cum ea fasciam mediam interruptam inchoantem formante. Ante apicem in costa macula quarta obscura obsoleta, et in apice litura fusca etiam observantur.

**4. Z. integrata:** alis albis, anticis fasciis duabus fuscis, basali latissima, marginali striga media undulata albida. ♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi sylvatica rarissime, ad pagum Wilhelmina d. 16. Jul. 1832 a me inventa. (Lapponia meridionalis.)

♀. Similis *Z. sinuatae* Treits. et Hübn. Geom. f. 288, sed differt fasciis fuscis, basali adhuc latiori quam in illa, et marginali integra, nec abbreviata, versus anum tantum nonnihil angustata. Alae anticae fuscae, fascia pone medium, et striga undulata intra marginem, albis. Alae posticae albae, basi ad dimidium cinereae, margine apicali fusco. Fimbria omnium fusca albo-intersecta.

**5. Z. marginata:** alis omnibus albis, limbo nigro sinuato. ♂♀. (Long. al. exp. circiter 1 poll.)

Treits. Schm. 6. 2. 231. 8. *Geometra* Linn. Fn. Sv. 1279. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 180. 182.

Var. a. ♂♀. (qualis in Lapponia frequenter occurrit) alis albis aut flavescenti-albis, limbo sinuato fasciaque media continua undulata, nigris.

Var. b. ♂. alis albis, limbo sinuato fasciaque media undulata in medio anticarum saepe, posticarum raro, interrupta, nigris.

*Geometra marginaria* Hübn. Geom. T. 15. f. 80. ♂.

Var. c. ♂. alis albis, limbo sinuato strigaque media e maculis vel punctis paucioribus discretis constante, nigris.

*Geom. naevaria* Hübn. Geom. T. 15. f. 79. ♂.

Var. d. ♂♀. alis albis, limbo sinuato hinc inde interrupto, nigro; in disco interdum macula l. puncto uno alterove nigro.

*Geom. pollutaria* Hübn. Geom. T. 15. f. 77. ♂.

Hab. in Lapponiae nemoribus et sylvis Jun. Jul. passim; scilicet var. a. in Lapponiis Suecicis et borealibus et meridionalibus, ex. gr. ad Kengis, Karesuando, Lycksele et Badstutraesk frequenter occurrit; var. b. ad Calix et Kengis Lapponiae Tornensis capta; var. c. ad Lycksele passim obvia; sed var. d. in Lapponia meridionali non nisi rarissime legitur. (Lapponia-Scania var. d. in Salicetis frequentiss.; var. b. et c. passim obvia; sed var. a. in Suecia meridionali a me non inventa.)

*Obs.* 1. *Zerene* (*Geometra*) *adusta* Fabr. Hübn. (in Suecia rariss. Mus. Fall.); *albicillata* Linn. Fn. Sv. 1278 (in umbrosis Sueciae rar.); *maculata* Fabr. Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 9. cum fig. (*macularia* Linn. Syst. Nat. Hallandia rariss.); *melanaria* Linn. Fn. Sv. 1240 (in sylva Pinetorum ad Fylla prope Wadstena Ostrogothiae mens. Jul. 1834, 1835 frequentissima, truncis saepe insidens; alibi in Suec. rariss.); *grossulariata* Linn. Fn. Sv. 1261., Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 201. (in hortis Suec., Gottland. ubique freq. Jul.); *ulmaria* Hübn. (*ulmata* Fabr. Blekingia rar., Scania pass. Jun. Jul. ad Esperoed et Naesbyholm a D. Dahlbom inventa); et *tenerata* nov. sp., affinis *temeratae* Borkh. s. *Ph. punctatae* Fabr., sed triplo minor et distincta (in Suec. rariss. capta); in Lapponia vel provinciis Sueciae borealioribus hactenus non deprehensae, atque ita Faunae nostrae ignotae.

*Obs.* 2. *Minoa* (*Geometra*) *chaerophyllata* Fabr. (*atrata* Linn. Fn. Sv. 1274; per totam Sueciam et Gottlandiam, Jun. Jul. vulg.); et *niveata* Scopol. Treits. (*nivearia* Fabr.; Scania in convalle insigni Fogelsång prope Lund Aug. Sept. rar.); hae vero species *unicolores* in Lapponia huc usque frustra quaesitae.

---

## 64. Idaea. Wien. Verz.

Treits. Schm. gen. 106. *Geometra* Auctor. — *Arcuato-striatae.*

Major, media, minor (long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ — $\frac{5}{8}$ poll.). *Color* albus, pallidus, flavescens. *Pictura* saepissime arcuato-striata; alae omnes plerumque strigis 2 l. 3. arcuatis fuscis l. roseis punctoque medio s. subcostali minuto obscuro. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae. *Larva* tenuis, subfiliformis, stricta, glabra. *Pupa* sub terra. *Differentia sexus* in abdominis structura ut in antecedentibus quaerenda; praeterea *mas* antennas aut subpectinatas aut subtus breviter pilosas habet. (Spec. Scand. 10.)

**1. I. remutata:** alis pallide flavescentibus, anticis strigis tribus aequali spatio remotis; posticis strigis duabus obsoletis fuscis; omnibus puncto subcentrali margineque externo nigro-punctato. ♂♀. (Long. al. exp. 1 — $\frac{7}{8}$ poll.)

*Geometra* Linn. Fn. Sv. 1289. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 203. 274. vix *remutaria* Hübn. Geom. T. 18. f. 98.

Hab. in Lapponia rar., ibi vero ad Stensele Lapponiae Umensis, etc. varietatem pallidiorem striatura obsoleta, forte detritam, frequentius mens. Jul. vidi. (Lappon. meridion. Bottn. borealis ad Calix — Ostrogoth., Gottland.-Scania, Jul. Aug. pass.)

*Obs.* 1. *Idaea* (*Geometra*) *dealbata* Linn. Syst. Nat. Fabr. (Scania pass. ex. gr. ad Fogelsång); *vibicaria* Linn. Fn. Sv. 1228 (Suecia med. Ostrogoth. rar., Gottland. pass. medio mens. Jul.); *aversata* Linn. Fn. Sv. 1286. (Finlandia Linn. — Gottlandia 10 — 12. Jul. passim, nos); *remutaria* Hübn. (an *centrata* Fabr.? non *remutata* Linn. Fn., Scania ad Lund 25. Oct. rariss.); *immutata* Linn. Fn. Sv. 1288 certe (etiam ut *centrata* Fabr. a D. Gyllenhal communicata, Mus. Fall., sed non *immutaria* nec *contiguaria* Hübn., quae vix Sueciae incola, a D. Crug e Germania missa; Scania ad Raefteu et Fogelsång etc. Jul. pass.); *incanata* Linn. Fn. Sv. 1287 (*mediata* Fabr., an quoque Hübneri *Geom. dilutaria* ♂, *virgularia* ♂ et *incanaria* ♀? — Suecia media, Gottlandia 4 — 10. Jul. freq., ibi vero specimina solito majora occurrunt et *Geom. immutariae* Hübn. T. 20. f. 108 accedunt; Scania passim); *ornata* Fabr. Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 48 (et *violata* Thunb. l. c. P. 1. p. 14 cum fig. certe; in Oelandia et Gottlandia 4 — 15. Jul. frequenter lecta, alibi in Suec. rar.); et *moniliata* Fabr. (Scania pass.); hae vero Scandinaviae mediae et meridionalioris incolae, in desertis Lapponiae vix occurrunt, mihi saltem ibi non obviae.

*Obs.* 2. Sequentes *Phalaeniariae* ut Sueciae incolae a D. Thunberg locis infra citatis allatae, mihi et genere et specie ignotae, et forte semper ita erunt, quoniam specimina typica in collectione Illustr. Viri jam aut omnino deperdita aut tempore ita depravata, ut iis consulere nihil referret nullaque enodationis ansa exinde hauriretur. Species hae dubiae sunt: *Geometra fagaria* Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 7 (Hallandia); *scopularia* l. c. p. 7; *vittata* l. c. p. 8 (Upsaliae); *immaculata* l. c. p. 8 (Upsaliae); *crenata* l. c. p. 10 (Hallandia); *furcata* l. c. p. 13 cum fig. (Upsaliae); *Phalaena fuscaria* l. c. P. 4. p. 58 cum fig.; *vittaria* l. c. p. 58 et Mus. Acad. Ups. P. 6. p. 74 cum fig. (Gestricia); *denticulata* l. c. p. 75 cum fig.; *separata* Ins. Sv. P. 3. p. 48 et Mus. Acad. p. 75 cum fig.; *myrtillata* Ins. Sv. p. 50 et Mus. Acad. P. 6. p. 75; *arundinata* Ins. Sv. P. 4 p. 61 cum fig. (Westrogoth.); *flavo-fasciata* l. c. p. 62 cum fig., et *pupillata* l. c. p. 62 cum fig. (Gestricia).

---

## FAM. 9. PYRALIDIDES.

### 65. Herminia. Latr.

Treits. Schm. gen. 107 *Crambus* et *Phalaena* Fabr. *Polypogon* Schrank. *Pyralis* Linn. et Auct.

In hac Familia magna aut media (long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ — 1 poll.). Antennae maris breviter pectinatae. Palpi in utroque sexu 2 magni porrecti curvati. Alae anticae latiusculae, margine postico subrotundato. *Color* lividus, griseus, flavo-cinerascens. *Pictura* strigata: alae anticae strigis plerumque tribus fuscis. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae meridionalis. *Larva* verruculata et tenuiter pilosa, pedibus 14 16. *Pupa* supra terram, tenuiter folliculata. *Differentia sexus* (in nostris); *mas:* antennis pectinatis, palpis longissimis apice geniculatis; *femina:* antennis tenuissime pilosulis, palpis elongatis recurvis. (Spec. Scand. 3.)

**1. H. tentacularis**: palpis longitudine fere antennarum; alis griseo-cinerascentibus, anticis puncto medio strigisque tribus fuscis, intermedia angulata. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{4}$ poll.)

Treits. Schm. 7. p. 11. 5. ♂♀. *Pyralis* Linn. Fn. Sv. 1344. Hübn. Pyral. T. 1. f. 6. ♂. *Phal.* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 220. 342.

Hab. in nemoribus Lapponiae rar.; ad Lycksele Lappon. Umensis d. 19. Jun. inveni; in Lapponia Norvegica D. Boheman. (Lappon.-Ostrogoth., Gottlandia, Oeland., passim — Scania in nemore amoenissimo insectorumque fertili Raeften prope Lund, d. 2 — 27. Jul., freq.)

*Obs. Herminia griscalis* Hübn. (*nemoralis* Fabr. et Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 15; ad Lund rar.); et *barbalis* Linn. Fn. Sv. 1345; in Oelandia pass., in Scan. ad Raeften et Lund Jul. freq.); Lapponiae profugae.

---

### 66. Hypena. Schrank.

Treits. Schm. gen. 108. *Crambus* Fabr. *Pyralis* Linn. Hübn. et Auctor.

Magna aut media (long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ — 1 poll.). Antennae in utroque sexu setaceae, simplices. Palpi ut in *Herminia*. Alae etiam fere ut in priori genere, sed anticae margine externo ad apicem leviter excisae. *Color* fuscus, griseus, livido-testaceus. *Pictura* strigata et punctata. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae meridionalis. *Larva* ut in *Herminia*; pedibus 14. *Pupa* inter folia contorta aut sub muscis. (Spec. Scand. 3.)

**1. H. proboscidalis**: alis fusco-griseis, anticis strigis duabus fusco-ferrugineis fasciam latam in medio alae formantibus, margine apicali inaequaliter l. sinuatim fusco, serieque externa punctorum minutorum alborum. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{3}{8}$ — $1\frac{1}{4}$ poll.)

Treits. Schm. 7. p. 22. 1. ♂♀. Linn. Fn. Sv. 1346. Hübn. Pyral. T. 2. f. 7. ♂. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 221. 343. *ensalis* Fabr. l. c. 344.

Hab. in Lapponia, ut fertur, mihi supra Uplandiam non obvia. (Lappon.-Suecia meridion. Ostrogoth., Gottland., Oelandia, passim. — Scania in graminosis umbrosis in Paradislyckan ad Lund, etc. Jul. freq.)

*Obs. Hypena palpalis* Fabr. Hübn. (Scan. rar.); et *rostralis* Linn. Fn. Sv. 1347. (Gottland., Scania, Jul. freq.), in Lapponia non inventae.

---

### 67. Pyralis. Linn.

Treits. Schm. gen. 109. *Aglossa* Latr. *Crambus* et *Phalaena* Fabr. *Pyralis* Schrank. Hübn. Auctor.

Media (long. al. exp. 1 poll.). Antennae maris subpectinatae. Palpi in utroque sexu breves, recurvi. Lingua nulla. *Color* fuscus, cinereus, nitidus. *Pictura* strigata: strigae alarum 2 obscurae plerumque evidentiores fasciam mediam latam puncto centrali fusco, formantes. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae. *Larva* (in nostris) pedibus 16. *Differentia sexus; mas:* antennis ciliato-pectinatis, cauda penicillata s. barbata; *femina:* antennis simplicibus, ano longe acuminato. (Spec. Scand. 2.)

**1. P. pinguinalis**: alis fusco-cinereis splendentibus, anticis maculis dilutioribus, strigis duabus obsoletis punctoque medio obscurioribus. ♂♀. (Long. al. exp. 1 — $\frac{7}{8}$ poll.)

Linn. Fn. Sv. 1350. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 230. 377. Hübn. Pyral. T. 4. f. 24. ♂. Treits. Schm. 7. p. 39. 2. ♂♀.

Hab. in Lapponia passim; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis d. 17. Aug. frequentem vidi, vespere agilem. (Lapponia-Bottn. borealis ad Calix — Suec. med. Ostrog. Gottland. pass. — Scania Jun., Jul. Aug. freq. — Larva in pariete capta d. 22. Maj., in pupam abiit 28. Maj., e qua imago prodiit d. 15. Jun. — Femina ovipara ad Esperoed Scaniae d. 20. Jul. visa; ova alba.)

Specimina Lapponica minora et nonnihil pallidiora, quam Suecica vulgaria.

---

### 68. Scopula. Schrank.

Treits. Schm. gen. 110. *Phalaena* Fabr. *Pyralis* Linn. Hübn. Auctor.

Media aut minor (long. al. exp. 1 — $\frac{7}{8}$ poll.). Antennae in utroque sexu setaceae. Palpi conici. Lingua conspicua. *Color* cinereus, fuscus, pallidus. *Pictura* strigata et parce maculata; in margine alarum plerumque etiam series punctorum. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae, raro inferalpinam Nordlandiae et Finmarkiae. *Larva* pedibus 14. *Differentia sexus* in abdominis structura invenienda. (Spec. Scand. 10 in mus. nostr. numerantur.)

**1. Sc. prunalis**: alis anticis cinereis, maculis disci 2 l. 3, strigula pone medium subtiliter undulata margineque externo, obscurioribus; ante fimbriam serie punctorum minutorum nigrorum albo-terminatorum. ♂♀. (Long. al. exp. circiter $\frac{7}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 7. p. 55. 2. *Phal. elatalis* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 232. 389. *Pyr. leucophaealis* Hübn. Pyr. T. 12. f. 77.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali passim; in paludosis (et locis ubi non crescebat *Prunus spinosa*) ad Lycksele, Stensele, Naestansjoe et Tresunda, Lapponiae Umensis, d. 25. Jun. ♂, et 3 — 11. Jul. ♀, frequentiores legi; specimina lapponica paullo obscuriora, magis cinerascentia, quam quae in Suecia inferiori colliguntur; vix tamen diversae speciei. (Lapp.-Scan. pass.)

**2. Sc. albidalis**: alis albido-pallidis nitidis, anticis maculis disci duabus, strigula pone medium subtiliter undulata fasciaque mox ante marginem externum, dilutissime cinerascentibus; summo margine apicali nigro-punctato. ♂. (Long. al. exp. 1 poll.)

Hübn. Pyr. T. 18. f. 118. ♀. Vix *Scopula prunalis* Treits. hujus varietas.

Hab. in Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lappon.-Suecica meridional.)

♂. Subsimilis *Sc. prunali*, sed major, multo pallidior et distincta videtur. Antennae subtus brevissime ciliatae. Alae anticae in costa, a medio ad apicem, strigulis 5 dilute cinerascentibus obsoletis. Pictura supra et infra subsimilis. Alae omnes in summo margine utrinque serie punctorum minutissimorum nigrorum.

**3. Sc. pinetalis**: alis flavido-cinereis, anticis puncto medio strigaque repanda pone medium obsoleta, fuscis, margine exteriori umbroso; posticis fimbria albida. ♂. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia rar.; in Pinetis ad Muonioniska Lapponiae borealis 2 specimina d. 17. Aug. 1821 inveni; in

Dalecarlia alpina Lappon. meridionalis etiam a D. Boheman Jul. 1836 lecta. (Lapponia.)

♂. Affinis et similis *Pyr. nebulari* Hübn. T. 8. f. 51., sed alis anticis maculis disci fuscis deficientibus, puncto tantum centrali lunulato obscuro, alisque posticis anterioribus concoloribus, nec obscure cinereis, ab illa distincta. Corpus subtus et pedes albo-nitentia. In specimine Dalecarliae pallidiori maculae 2 ordinariae in alis anticis certo luminis situ deteguntur.

**4. Sc. macularis:** alis fuscis, anticis punctis posticis 2 griseis, et macula pone medium subquadrata nivea; posticis basi lividis. ♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Suecica rarissime; ad Stensele d. 3. Jul. a D. Dahlbom detecta. (Lappon. meridionalis.)

♀. Similis *alpinali* Fabr. et Hübn., sed dimidio minor, et alis posticis non albis etc. abunde distincta. Alae anticae fuscae, strigula antica et punctis 2 posticis, quorum uno ad costam, albidis, maculaque pone medium subquadrata nivea. Fimbria fusca, parce cinereo-intersecta. Corpus subtus et pedes albido nitent.

**5. Sc. numeralis:** alis griseo-cinereis, maculis 3 discoidalibus, una cruciformi, fasciaque postica nigro-fuscis; posticis lividis margine obscurioribus. ♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

Hab. in inferalpinis Finmarkiae occidentalis rarissime; ad Bossekop prope Alten non longe a Capite septentrionali (Nord-Cap), d. 4. Aug. 1821 inveni. (Lappon. septentrionalis.)

♀. Similis *Sc. prunali*, signaturis aliis. Alae anticae grisescentes. Ante medium maculae duae parvae nigricantes, exterior rotunda, interior lineolata, quae juxta positae numerum 10 repraesentant. Mox pone medium alae aliud signum cruciforme numerum X. refert. Deinde sequitur fascia postica nigro-fusca, et pone hanc alia cinerea, quae alam terminat. Fimbria fusca cinereo-intersecta. Cum *Nymphula numerali* Hübn. minime confundenda.

*Obs.* *Scopula frumentalis* Linn. Fn. Sv. 1351. (Scania, saepe jam in fine mens. Maj. vulgaris); *sticticalis* Linn. Fn. Sv. 1354. (*fuscalis* Hübn.: Uplandia pass. — Scan. 10. Jun.; 15. Aug. freq.); *nycthemeralis* Treits. Hübn. Pyr. T. 22. f. 148 certe (seu *Pyr. hamalis* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 50. et Mus. Acad. Ups. P. 6. p. 76 cum fig., in Wermelandia et Finlandia. Mus. Fall.); *margaritalis* Fabr. (Suec. med. Westrogoth., Oeland. pass., — Scan. rar.); *stramentalis* Treits. (*elutalis* Hübn. Pyr. T. 10. f. 62. ♀. certe; specimina pauca hujus inter Microlepidoptera Suecica rarissimi, in Paradislyckan Lundensi d. 24. Jul. 1837 ab oculatiss. D. Dahlbom detecta); et *nivealis* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 232. 388 Thunb. Diss. Ins Sv. P. 1. p. 17 certe, sed non Hübn. eadem (in hortis Lundensibus 8. Jul. — 1. Aug. freq., alibi rar.); in Lapponia peregrina.

---

## 69. Botys. Latr.

Treits. Schmett. gen. 111. *Phalaena* et *Pyralis* Auctor.

Media, raro major aut minor (long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ — 1 poll.). Antennae in utroque sexu setaceae. Palpi 4 breves porrecti. Lingua conspicua. Alae anticae apice saepissime acutangulatae. *Color* fuscus, albidus, plerumque pallidus, flavus, margaritaceo-nitens. *Pictura* maculata aut strigata. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* pallescens aut virescens, pedibus 16. *Pupa* inter muscos, folia exsiccata alligata etc. in folliculo albo-sericeo latet. *Differentia sexus* in abdominis structura quaerenda. (Spec. Scand. 15 in museo meo adsunt.)

**1. B. verticalis:** alis pallide flavis, strigis subtribus undulatis margineque extimo cinerascentibus. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ fere $1\frac{1}{4}$ poll.)

Treits. Schm. 7. p. 101. 17. *Phalaena* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 227. 366. *Pyralis* Linn. Fn. Sv. 1353.

Hab. in Urtica, in Lapponia rar. (Lapp.-Ostrog., Gottlandia, Oelandia, Scania, Jul. freq.)

**2. B. hybridalis:** alis cinereo-fuscis, anticis maculis tribus, anterioribus geminatis, fasciaque postica obscurioribus. ♂♀. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Treits. Schmett. 7. p. 109. 21? Hübn. Pyral. T. 17. f. 114? ♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae passim, 2—12. Aug. capta; scilicet ad Bossekop et Talvig, ut et inter Alten et Kautokeino a me lecta; ♀ ovipara visa. E Groenlandia specimen quoque obtinui. (Lapponia Norvegica-Groenlandia-Botnia borealis ad Calix rar.)

♂♀. Pictura *Scopulae numerali* valde similis, sed alis elongatis, eximie angustatis apice acutioribus, et feminae ano longius acuminato etc. distincta, unde ad genus *Bot.* potius referenda. Alae anticae cinerascentes l. fusco-cinereae. Paullo ante medium maculae s. lineolae 2 juxtapositae, interdum subconfluentes, nigricantes, et mox pone medium macula alia difformis etiam nigricans. Deinde sequitur fascia transversa obscura, per stigam flexuosam griseam tenuissimam divisa. Fascia tandem apicalis cinerea l. grisea marginem alae terminat, et venis percurrentibus quasi longitudinaliter (vel si mavis respectu situs fasciae, transversaliter), striata videtur, omnino ut in figura Hübneri. In ipso margine series punctorum minutorum nigrorum, et fimbria cinereo-fuscoque variegata. Alae posticae lividae, puncto medio, margine et striga ante marginem fuscis, quae pictura subtus magis conspicua. Talia sunt specimina bene conservata. In illaesis vero individuis, qualia saepe occurrunt, pictura evanuit, et alae griseae fusco nebulosae apparent. Oculi in viva brunnei. — Vix *Phycis*.

**3. B. ephippialis:** alis anticis cinereis, basi, fascia media lata strigaque ante marginem apicalem, brunneo-ferrugineis, puncto centrali nigro; posticis obscure cinereis, striga postica fimbriaque albis, fascia ante marginem apicalem nigra. ♂. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

Hab. in alpibus Dowreensibus D. Boheman; mihi in Lapponia non obvia. (Lappon. Norvegica.)

♂. Species pulcherrima, *Bot. hybridali* affinis, sed duplo minor et in multis differt. Palpi, caput et thorax supra brunneo-ferruginea. Antennae nigrae. Alae anticae cinereae, basi fascia media lata, recta, transversa punctum nigrum cum margine exteriori taugente, strigaque postica cum margine apicali parallela brunneo-ferrugineis. Pedes et corpus subtus cana nitide squamosa et pilosa.

**4. B. arcticalis:** alis pallidis, anticis macula media, striga pone medium et fascia intra marginem posticum in apicem descendente, ochraceis. ♂. (Long. $\frac{7}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia rar.; ad Badstutraesk Lapponiae Suecicae meridionalis, 1. Jul., et ad Bjoerkvik inferalpinae Nordlandiae, 15. Jul., inveni. (Lapponia.)

♂. Similis *Bot. sericeali* Fabr., sed tota pallida s. albido-flava, et pictura minus determinata alisque apice planis, nec inflexis, dignota. In alis anticis mox pone medium punctum maculiforme griseum l. ochraceum, pone hoc striga, et intra marginem posticum fascia obsoleta, quae in apicem descendit, ambo ejusdem coloris s. ochracei. In ipso summo margine series punctorum fuscorum. Fimbria alba. Alae posticae albescentes, margine anguste fusco. — Ad Talvig Finmarkiae Norvegicae d. 2. Aug. individuum femineum inveni, mari descripto simile, sed alis sordide albis pictura cinerascenti cana; an hujus?

*Obs.* *Botys sambucalis* Hübn. (Scan. ad Lund Jun. Jul. freq.; imaginem e pupa prodire d. 27. Jun observavit D. Dahlbom); *fuscalis* Wien. Verz. (*cineralis* Fabr. Hübn.; Suec. Mus. Fall. — etiam in graminosis ad Lund d. 12. Jul. inveni specimen simile fig. Hübneri, sed minus); *cinctalis* Treits. (*limbalis* Hübn., Gottland. 4. Jul.); *flavalis* Fabr. (Gottland. 13. Jul.); *hyalinalis* Hübn. (Lund rar.); *urticalis* Hübn. (*urticata* Linn. Fn. Sv. 1297; per totam Sueciam et Gottland. freq.); *palustralis* Hübn. (Gottlandia 10. Jul., specimina vero nostra figura Hübneri duplo minora, alias simillima); *forficalis* Linn. Fn. Sv. 1352. (Ostrogoth., Gottlandia, Oeland., Scania Jun. Jul. freq.); et *sericealis* Fabr. Hübn., colore nimis obscuro (*Pyralis ocellaris* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 15 cum fig.; Oeland., Scan. Jul. freq.); in Lapponia huc usque sine successu quaesitae.

## 70. Nymphula. Schrank.

Treits. Schm. gen. 112. *Botys* Latr. *Phalaena* Fabr. *Pyralis* Hübn. *Geometra* et *Pyralis* Linn.

Raro major (long. al. exp. 1 poll.), plerumque minor (long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.). Antennae in utroque sexu setaceae. Palpi breves. Alae angustatae. Abdomen elongatum gracile. *Color* fuscus, albus, nitidus. *Pictura* undulatim strigata et saepe simul maculata. Haec vero pictura in fundo fusco alba est, in albo fusca. *Habitatio* plerumque ad rivulos et aquas stagnantes; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* colore sordido, pedibus 16, e plantis aquaticis victitat. *Pupa* inter folia alligata. *Differentia sexus* ex abdominis structura diversa more solito conjicienda. (Spec. Scand. 9.)

**1. N. literalis:** alis fuscis, strigis anticarum subtribus difformibus, posticarum duabus albis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Treits. Schmett. 7. p. 131. 5. Hübn. Pyral. T. 13. f. 86. ♂. *Ph. argentalis* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 240. 419. *Pyr. reticularis* Linn. Fn. Sv. 1335. vera. Mus. Fall. — alarum strigis albis pro flavis.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; in aridis ad Lycksele d. 23. Jun. inveni. (Lapponia meridionalis, Ostrogoth., Gottlandia, Jun. Jul. passim.)

♂♀. Fusca, abdomine albo-annulato. Alae anticae strigis argenteis vel margaritaceis duabus, una basali parva, altera media difformi angulata, et maculis punctiformibus disci 2 l. 3 ejusdem coloris. Alae posticae strigis 2 angulatis argenteis. Fimbria omnium alba fusco-intersecta.

**2. N. nymphaealis:** alis niveis, conformiter fusco-reticulatis. ♂♀. (Long. al. exp. ¾ poll.)

Treits. Schm. 7. p. 141. 10. *Geom. nymphaeata* Linn. Fn. Sv. 1298. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 214. 316. *Potamogalis* Hübn. Pyr. T. 13. f. 82. ♀.

Hab. in Lapponia passim; ad Lycksele Lapponiae Suec. meridion., et ad Skaadavaara Finmarkiae d. 7—12. Aug. capta. (Lappon.-Botn. borealis ad Calix-Gottland., Oeland., Ostrogoth., Scan. 3. Jul.—15. Aug. vulgar.)

Alae anticae maculis 3 conspicuis rotundatis niveis per lineas 2 parallelas continuas fuscas reticulatim discretis. Alae posticae niveae, strigis 2, antica subrecta, posteriori arcuata, fuscis.

*Obs.* *Nymphula punctalis* Hübn. Pyr. T. 21. f. 140, forte etiam Fabricii, sed non Thunbergi *Pyral. punctalis* Ins. Sv. P. 1. p. 17., quae alia (Gottlandia, Jul. rariss.); *lemnalis* Hübn. (*lemnata* Linn. Fn. Sv. 1301. ♂. et *uliginata* Fabr. ♀; in plantis paludosis ad Wadstena Ostrogothiae 20. Aug. freq.; Scania ad Lund d. 20—30. Jun. certis annis etiam copiose, praesertim ♂); *nivealis* Hübn. (*candidata* Fabr., ut Sueciae incola putatur, mihi in Scandinav. non obvia); *stratiolalis* Hübn. (*stratiolata* Linn. Fn. Sv. 1300., *paludata* Fabr., Smolandia DD. Portin et Bogeman); et *potamogalis* Treits. (*potamogata* Linn. Fn. Sv. 1299., *nymphaealis* Hübn., Ostrogothia, Gottland., Scania Jun. Jul. freq. — Feminam etiam oviparam, ovaque circiter 20 fulva, in littore maris ad Esperoed Scaniae d. 24. Jul. vidi); hae in Lapponia non observatae.

---

## 71. Asopia. Treits.

Treits. Schm. gen. 113. *Agrotera* Schrank. *Phalaena* Fabr. *Pyralis* Linn. Hübn. *Tortricis* spec. Hübn.

Raro major (long. al. exp. 1¼ poll.), saepe minor (¾—⅞ poll. long.). Antennae in utroque sexu setaceae. Palpi breves, apice subulati. *Color* (in nostris) fuscus, sericeo-nitens. *Pictura* fasciata et strigata: plerumque in alis anticis fascia media dilutior et strigae 2 e maculis distinctioribus oriundae, albidae. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in prioribus. (Spec. Scand. 2.)

**1. A. farinalis**: alis anticis glaucis, fascia media extus repanda fusco-livida, striga alba utrinque terminata; posticis cinereo-nebulosis, striga media flexuosa et linea antica albis ♂♀. (Long. al. exp. 1⅕—1 poll.)

Treits. Schm. 7. p. 147. 1. Linn. Fn. Sv. 1348. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 219. 336. Hübn. Pyr. T. 15. f. 95. ♀. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 202.

Hab. in Lapponia secundum collectiones boreales; mihi in provinciis borealibus non obvia. (Lappon., Ostrogothia-Scan. in culinis et cloacis, Jun. freq., saepe in copula.)

*Obs.* *Asopia glaucinalis* Linn. Fn. Sv. 1349. (*nitidalis* Fabr. Hübn., in plantatione ad Engelholm Scaniae lecta, Mus. D. Fall. rar.); Lapponiae exsul.

---

## 72. Choreutes. Hübn.

Treits. Schmett. P. 10. Suppl. p. 31. gen. 117. *Asopia* Treits. P. 7. gen. 113. *Tebenna* Billb. *Phalaena* Fabr. *Pyralis* Linn. Hübn.

Parva (long. al. exp. ½ poll.). Tortriciformis. Antennae in utroque sexu setaceae. Palpi breves, acuminati. Alae breves, latiusculae. *Color* fuscus, metallice nitens. *Pictura* striga una alterave obsoleta. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Motu* agilis; alis planis subpatentibus supra flores l. folia celeriter currit. *Larva* fusiformis, agilis, verruculosa, in pagina folii superiori sub rete dilatato habitat. *Pupa* inter folia alligata, muscos etc. latet. *Differentia sexus* ut in antecedentibus. (Spec. Scand. 5.)

**1. C. alternalis:** alis brunnescenti fuscis, anticis cinereo-subirroratis, strigis duabus interruptis pallidis; posticis linea pone medium abbreviata albida. ♂♀. (Long. al. exp. ⅓ poll.)

*Asopia* Treits. Schm. 7. p. 160. 12. *Tortrix dentana* Hübn. Tort. T. 1. f. 4. ♂. f. 5. ♀. *Tinea oxyacanthella* Linn. Syst. Nat. 2. 886. 357. certe. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 294. 28.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime; etiam in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Talvig, pass., 2—29. Aug. (Lappon.-Ångermannia ad Hernoesand-Scania in plantis paludosis locis umbrosis, ut etiam in floribus Crataeg. Oxyacanthae, 15 Jul. — 13. Sept. freq.)

Alae in quiete omnino planae s. patulae; anticae macula costali strigam primam inchoante, et striga pone medium interrupta ad costam et marginem interiorem magis conspicua, pallidis.

**2. C. albipunctalis:** alis fuscis, anticis punctis 7 l. 8 albis totidemque aureo-rubris; posticis striga ad marginem externum pallida. ♂. (Long. al. exp. ⅜ poll.)

Hab. in Dalecarlia alpina, D. Boheman. (Lappon.-Suecia inferior rarissime.)

♂. Valde affinis et similis *Tineae Bjerkandrellae* Thunb., alis vero non nigro-undulatis. Obscura. Palpi breviusculi, subtus longe pilosi. Antennae distincte pilosae, nigrae, leviter albo-annulatae. Alae anticae obscure fuscae nitidae, punctis 7 vel 8 albis, sparsis, nec seriatim dispositis, quorum 3 ad costam. Praeterea puncta 8—12 minuta, quaedam gemina, omnia argenteo-rubra, nitidissima; horum circiter 4 ad basin longitudinaliter posita, 2 l. 3 in disco, et reliqua ad marginem posticum subseriatim locata. Alae posticae cinereo-fuscae, macula strigiformi alba intra marginem posticum ad angulum ani.

*Obs.* *Choreutes incisalis* Treits. (*Tortrix nemorana* Hübn., Suec. med. ad Wadstena Ostrogothiae 1. Jul. rariss.); *parialis* Treits. Fischeri Edlen von Roeslerstam Microlepidopterologie 6. Tab. 26. f. *a*—*k* (*Tortrix pariana* Linn. Fn. Sv. 1341., Westrogothia, Scania pass.); et *Bjerkanderalis* (*Pyr. Bjerkandrana* Fabr., *Tin. Bjerkandrella* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 24. cum fig.; in Inula salicina, in monte Kinnekulle Westrogothiae, Bjerkander et Thunberg); in Lapponia haud inventae.

---

## 73. Pyrausta. Schrank.

Treits. Schm. gen. 114. *Phalaena* Fabr. *Pyralis* Linn. Hübn.

Minor l. parva (long. al. exp. ⅝—½ poll.). Antennae in utroque sexu setaceae. Palpi breves. *Color* purpureus, sanguineus, fuscus. *Pictura* fasciata aut maculata; in alis anticis saepissime maculae flavae in fasciam mediam dispositae, et in posticis striga media pallida. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae, et inferalpinam Nordlandiae. *Larva* fusiformis, hirta, verruculosa, punctis maculisque ocellaribus ornata, pedibus 16. *Pupa* in folliculo papyraceo. *Differentia sexus* ut in praecedentibus. (Spec. Scand. 8.)

**1. P. punicealis:** alis anticis obscure purpureis, fascia media maculari interrupta punctisque baseos, aurantiacis; posticis purpurascenti fuscis, fascia media integra punctoque basali flavis. ♂♀. (Long. al. exp. ½ poll.)

Var. a. ♂♀. alis anticis striga intra marginem apicalem flava nulla.

Treits. Schm. 7. p. 168. 4. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 239. 415. *porphyralis* Hübn. Pyr. T. 6. f. 36. ♀.

Var. b. ♀. alis anticis striga intra marginem apicalem flava; alias var. a. simillima.

Hab. var. a. in campis aridis et ad margines sylvarum acerosarum praesertim Pinuum soli expositos, in Lapponia boreali, ex. gr. ad Juckasjervi passim, in meridionali vulgaris, ad Lycksele, Badstutraesk etc. frequenter, d. 16—30. Jun. in copula saepe capta; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae, et d. 14. Jul. ad Bjoerkvik rar. visa; var. b. a D. Boheman missa, in Lapponia boreali lecta. (Lappon.-Ostrogoth. var. a. Jul. haud raro; forte a Linnaeo cum *P. purpurali* commixta.)

Alarum fascia media aurantiaca tantum in maculis 1 l. 2 costalibus conspicua.

*Obs.* *Pyrausta purpuralis* Linn. Fn. Sv. 1356. (*punicealis* Hübn. Pyr. T. 6. f. 34. Gottland.-Scan. 26. Maj.; et iterum 18—27. Jul. freq.); *confundalis* (*purpuralis* Hübn. Pyr. T. 6. f. 35. quae species propria et distincta mihi videtur, in Ostrogothia et Scania Jul. Aug. in copula capta); *porphyralis* Fabr. (*coccinalis* Hübn., ad Lund 26. Maj. rar.); *caespitalis* Fabr. Hübn. (♀), (et *sordidalis* Hübn. (♂) forte ejusdem speciei; in

arenosis Scaniae, ex. gr. ad Lomma et Fogelsång 3—15. Maj. freq. — etiam e Finlandia missa); et *transmissalis* (seu *Tortrix purpurana* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 19. huic generi forte associanda, mihi haud rite cognita); in Lapponia non lectae.

## 74. Hercyna. TREITS.

TREITS. Schmett. gen. 115. *Phalaena* et *Crambus* FABR. *Pyralis* HÜBN. *Tinea* LINN.

Minor, parva (long. al. exp. ¾—½ poll.). Noctuaeformis. Antennae in mare pectinatae aut ciliatae. Palpi breves. Alae laeves aut tuberculis minutis instructae. *Color* fuscus, cinereus, canus. *Pictura* variegata, strigilata. *Habitatio* per partem sylvaticam, inferalpinam et alpinam Lapponiae. *Larva* (in paucis speciebus cognita) fusiformis, hirta, pedibus 14. Pupa in folliculo naviculari aut conico subpiloso. *Differentia sexus; mas:* antennis breviter pectinatis aut subtus ciliatis; *femina:* antennis simplicibus. (Spec. Scand. 6 in museo nostro asservantur.)

**1. H. holosericealis:** alis anticis atris, strigis duabus maculisque totidem costalibus, cinereis; posticis nigris, striga abbreviata ante apicem, fimbriaque cinerascentibus. ♂♀. (Long. al. exp. ¾—⅝ poll.)
TREITS. Schm. 7. p. 181. 2. HÜBN. Pyr. T. 17. f. 112. ♂. (Figura nostris speciminibus nonnihil major.)
Hab. in Lapponia Suecica meridionali passim, ad Lycksele 24—26. Jun. frequentius; ♀ rarissime occurrit; etiam in Dalecarlia alpina, Jemtlandia, et in alpe Dowre, ♀ a D. BOHEMAN capta. (Lappon.-Suecia inferior rar.)
♂♀. Alae laeves, anticae atrae, fasciis duabus, una ante medium arcuata, et altera ad marginem exteruum obliqua subdentatis, maculisque 2 parvis ad medium costae, cinereis. Antennae maris ciliatae.
Var. b. alis fuscis, anticis striga ante medium et fascia postica dilutioribus, basi maculisque subtribus disci atris, quarum subcostales duae punctis 2 griseis intersectae. Alae posticae striga ante apicem grisea. An *Herc. rupicolalis* TREITS. et HÜBN. Pyr. T. 21. f. 139? quae tamen alis posticis atris immaculatis descripta et depicta. Ad Lycksele d. 25. Jun. cum variet. a capta, rar.

**2. H. alpestralis:** alis anticis nigro et glaucescenti variis, strigis 2 distinctioribus glaucis; posticis nigro-fuscis immaculatis. ♂♀. (Long. al. exp. ⅝ poll.)
TREITS. Schm. 7. p. 182. 4. HÜBN. Pyr. T. 21. f. 135. ♂. *Phalaena* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 223. 350. *Crambus* FABR. Suppl. 466. 14.
Hab. in Lapponiae regione alpina et in ipso alpium Tornensium summo jugo d. 12. Jul. a me lecta; descendit quoque in solitarias alpes, et in alpe Dowre Norvegiae a D. BOHEMAN capta. (Lapponia in regione alpina et inferalpina.)
♂♀. Alae anticae fusco-nigro- et glauco-variae, strigis 2 glaucis evidentioribus et puncto medio atro. Fimbria omnium albescens l. cinerascens.

**3. H. rufocrinitalis:** alis cinereis, anticis fasciis duabus obscurioribus interne albo inductis, summoque margine costali roseo; palpis, capite pedibusque rubescenti pilosis. ♂. (Long. al. exp. fere ⅝ poll.)
Hab. in alpibus Dalecarlicis Suecicis, et Dowreensibus Norvegicis a D. BOHEMAN detecta et communicata; mihi in Lapponia non obvia. (Lapponia Norveg. et Dalecarlia.)
♂. *Herc. rupestrali* paullo minor praesertim angustior, colore subtus roseo distincta. Antennae nigricantes, subtus biseriatim ciliatae. Caput, palpi, thorax, corpus subtus et pedes rubro villosa, pilis nigris immixtis. Alae cinereae, anticae basi foveatae, fasciis 2 obscurioribus, una mox ante medium et altera mox pone medium, ambabus intus late albo inductis, unde fasciae obscurae et albidae quasi alternantes, puncto medio nigro minuto, obsoleto. Summus margo costalis tenuissimus.
*Obs. Hercyna strigulalis* HÜBN. (Suecia rar.); et *palliolalis* TREITS. HÜBN. (*Tin. cuculatella* LINN. Fn. Sv. 1384; ROES. in Ostro- et Westrogothia 15—17. Jul. pass. — Scania ad Lund in sertis mense Jul. saepe capta, etiam truncis Salicum arborum insidens; educ. e nympha prodiit); *Tortrix lunana* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 24. (*griseana* HÜBN. Tortr. T. 21. f. 135. similis *Eanae Wahlbomianae*, sed antennis pectinatis diversa; in Suec. Mus. nostr.); hae in Lapponia hactenus non inventae.

## 75. Ennychia. TREITS.

TREITS. Schm. gen. 116. *Phalaena* FABR. *Pyralis* HÜBN. *Geometra* LINN.

Minor, parva (long. al. exp. ⅞—⅝ poll.). Antennae in utroque sexu setaceae. Palpi breves. *Color* ater, sericeonitens. *Pictura* (in nostris) in alis omnibus conformis, albo-strigata aut maculata: striga scilicet unica continua alba; aut maculae plerumque 2 l. 3 in singula ala rotundatae albae. *Habitatio* in aridis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Motu* agilis, celeriter ab uno ad alterum locum prope terram volans. *Differentia sexus* in structura abdominis invenienda. (Spec. Scand. 4 in museo meo adsunt.)

**1. E. octomaculalis:** alis atris, maculis discretis rotundatis anticarum 3, posticarum 2, niveis; thoracis lateribus flavis. ♂♀. (Long. al. exp. ⅞—¾ poll.)
TREITS. Schm. 7. p. 201. 7. *Geometra octomaculata* LINN. Mantissa 540. *Phalaena atralis* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 241. 422. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 17. cum fig. certe, licet in alis anticis punctum unicum album in figura deficiat. *Pyralis guttalis* HÜBN. Pyr. T. 12. f. 75. ♀.
Hab. in aridis, collibus ut et ad margines sylvarum soli expositos, in Lapponia vulgaris, d. 10, 19, 25. Jun. 14. Jul. et 4. Aug. capta; scilicet ad Karesuando Lapponiae Tornensis pass., et ad Lycksele Lapponiae Umensis meridionalis frequentissime; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae, et ad Bjoerkvik haud raro lecta. (Lapponia-Torneå D. Assess. DEUTSCH. Bottn. borealis SCHMALTZ. — Finlandia THUNBERG, sed in Suecia inferiore nunquam inventa, quantum scio.)

**2. E. atralis:** alis atris aeneo-splendentibus; subtus lineolis albis. (Long. ½ poll.)
TREITS. Schm. 7. p. 206. 11. *Pyr. atralis* HÜBN. Pyr. T. 5. f. 27. ♂. (non *Phal. atralis* FABR., quae *Enn. octomaculalis* nob. est.)
Hab. in Lapponia, teste D. TREITSCHKE l. c.; mihi vero nec in Lapponia nec in Suecia obvia. — Parva, magnitudine *Asopiae alternalis* s. *Tin. oxyacanthellae* LINN. (Lapponia.)
*Obs. Ennychia cingulalis* HÜBN. (*Geom. cingulata* LINN. Fn. Sv. 1303; in floribus locis aridis Gottlandiae, Scaniae 6—12. Jul. pass.); et *anguinalis* HÜBN. (in Fårön Gottland. rar.); Lapponiae peregrinae.

# FAM. 10. TORTRICIDES.

## 76. Halias. Wien. Verz.

TREITS. Schmett. gen. 117. *Bena* BILLB. *Pyralis* FABR. LATR. *Tortrix* LINN. HÜBN. et Auct. — *Virides.*

In hac Familia magna aut media (long. al. exp. 1⅜—¾ poll.). Noctuaeformis. Corpus crassum. Alae anticae margine apicali subrotundato, minime exciso, nec apice prominulo. *Color* alarum anticarum laete viridis, posticarum albus. *Pictura* pallide et parce strigata. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* nuda, virescens subfusiformis. *Differentia sexus* in charactere Familiae indicata. (Spec. Scand. 3.)

**1. H. prasinana:** alis anticis viridibus, strigis tribus subaequaliter distantibus obliquis albis, ultima obsoleta; posticis *maris* rufescentibus, *feminae* albis; antennis pedibusque in utroque sexu rufis. ♂♀. (Long. al. exp. 1⅜ poll.)
TREITS. Schm. 8. p. 4. 1. LINN. Fn. Sv. 1306. PANZ. Fn. Germ. 10. 23. ROES. Ins. 4. T. 22. f. 1—5. HÜBN. Tortr. T. 25. f. 158. ♀. *fagana* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 243. 5. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 18. *sylvana* FABR. l. c. 244. 6.
Hab. in Lapponia, ut fertur, mihi supra Uplandiam non obvia. (Lapponia? Uplandia-Ostrogoth. et Scania, freq.).

**2. H. clorana:** alis anticis viridibus, margine costali posticisque, albis. ♂♀. (Long. al. exp. fere ⅞ poll.)
TREITS. Schm. 8. p. 10. 4. LINN. Fn. Sv. 1308. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 244. 8. HÜBN. Tortr. T. 25. f. 160. ♀.
Hab. in Dalecarlia alpina D. BOHEMAN; mihi vero in reliquis Lapponiis non obvia. (Lapp. Suecica meridionalis — Scania in Salicetis et Quercetis Maj. Jun. Jul. ubique freq.)

Tota alba. Thorax dorso et alae anticae, lacte viridia, margine costali antice albo, posterius viridi.

*Obs. Halias Quercana* HÜBN. (*Pyr. prasinoria* FABR. *prasinana* PANZ.; in Suecia passim) Lapponiae exsul.

---

## 77. Penthina. TREITS.

TREITS. Schm. gen. 119. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN. *Tinea* LINN.

Media (long. al. exp. $\frac{7}{8}$ — $\frac{1}{2}$ poll.). *Corpus* longius et tenuius, quam in genere priori. Alae anticae parum dilatatae, subreversae, apice truncatae. *Color* nigricans, fuscus, cinereus. *Pictura* fasciata seu maculata: alae anticae plerumque plaga dorsali aut dimidietate postica alba. *Habitatio* in frutic., per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Larva* brunnea aut virescenti-brunnea, capite obscuriore; intra folia contorta degit, ubi etiam *pupa* latet. (Spec. Scand. 11.)

**1. P. sororculana**: alis anticis fusco-nigricantibus, fasciis 2 obliquis, una ante medium albo-glauca obsoleta, altera pone medium alba; margine postico fusco, albido-strigoso, punctis tribus juxta positis atris. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia rar., in monte subalpino Brattiksfjellet, Lapponiae Umensis, a Dom. DAHLBOM detecta d. 8. Jul.; in Dowre Norvegiae quoque a D. BOHEMAN capta. (Lapponia.)

♂♀. Similis *Tin. cynosbatellae* LINN., sed fascia alarum antica glaucescente, albedine apicali non tam lata, punctisque 3 atris ad marginem posticum, ab illa distincta. *Penth. variegana*e TREITS. et HÜBN., quae *cynosbatellae* LINN. valde affinis videtur, pictura quoque haud dissimilis, sed fascia postica albo-nivea, nec flavescenti alba, et punctis 3 atris minoribus, nec punctis 2 nigricantibus, etiam ab hac mox dignota. Fusco-cinerea, antennis et palpis concoloribus. Alae anticae fusco-nigricantes, ante medium fascia haud lata plumbeo-alba, ut in figura HUBNERI *Tortr. varieganae.* Pone medium fascia obliqua alba, punctis in costa plerumque 1 l. 2 fuscis; in medio marginis interioris hujus fasciae punctum atrum cum nigredine cohaerens observatur. Ipse margo externus alae nigro-fuscus, striga una alterave obliqua alba, et in medio macula ferrugineo fusca punctis 1. striolis 3 atris ornata. Alae posticae fuscae, costa dilutiori.

**2. P. atro-punctana**: alis anticis fusco-nigricantibus, plumbeo- l. glauco-variis, fasciis duabus, una ante medium albida, altera apicali, punctoque anteriori atro discreto; margine postico albo, ferrugineo-fusco nebuloso. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia passim; ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 25. Jun. rar., sed ad Schiervoe Nordlandiae inferalpinae d. 26. 27. Jul. frequentius visa. (Lapponia.)

♂♀. Priori valde similis, sed paullo minor, et alarum puncto atro pone medium in margine antico fasciae posticae discreto, nec cum nigredine cohaerente, ut et alarum margine apicali albo ferrugineoque vario punctis atris nullis, ab illa diversa. A *Tortr. pruniana* HÜBN., cui etiam similis, puncto nominato atro in fascia postica alba conspicuo, punctis vero costalibus nigris vix ullis l. obsoletis, etc., etiam facile dignota.

*Obs. Penthina revayana* HÜBN. (*rivagana* FABR.; in Tilia ad Esperoed Scaniae D. FALLEN; ad Lund 1 — 4. Aug. passim, nos); *salicana* HÜBN. (*Tinea salicella* LINN. Fn. Sv. 1378; Ostrogoth., Oeland., Scania freq.); *roborana* TREITS. (*aquana* HÜBN., Scan. pass.); *pruniana* HÜBN. (ad Lund Scaniae 8 — 12. Jun. freq.); *tripunctana* FABR. (*ocellana* HÜBN. *cynosbana* TREITS. non vero *Tin. cynosbatella* LINN., Ostrogothia-Scania, Jul. freq.); *capreana* TREITS. HÜBN. (etiam *corticana* HÜBN., Suecia Mus. FALL.); *cynosbana* FABR. (*cynosbatella* LINN. Fn. Sv. 1379 vera, non TREITS. eadem, in Suec., Gottland., a DD. GYLLENHAL et DALMAN ut LINNAEI *cynosbatella* missa, Mus. D. FALL.); *Osbeckiana* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 9 cum fig. (Upsal.-Halland.-Scan. ad Esperoed, pass.); *ocellana* TREITS. (*comitana* HÜBN., Suecia Mus. FALL.); et *fasciana:* alis obscuris, fascia media dentata nivea, LINN. Fn. Sv. 1304. vera, sed non Auctorum recentiorum eadem, Scania ad Lund, Abusa et Esperoed, 16. Jul. — 17. Aug. freq.); in Lapponia non inventae.

---

## 78. Tortrix. LINN.

TREITS. Schm. gen. 120. HÜBN. et Auct. *Pyralis* FABR.

Major, media, minor (long. al. exp. 1 — $\frac{1}{2}$ poll.). Corpus longiusculum, tenue. Alae anticae mox pone basin costalem regulariter arcuatim dilatatae, margine postico plerumque obtusae, et tunc apice subprominulo; in quiete subpatulae l. parum deflexae. *Color* varius, brunneus, ferrugineus, fuscus, cinereus, testaceus, pallidus, flavus, raro albus aut viridis. *Pictura* etiam varia: fasciata, strigata, maculata, nebulosa; saepissime fascia media obliqua et macula una alterave costalis, triangularis. *Habitatio* sub foliis vivis plantarum praesertim fruticum; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* agilis, inter folia contorta degit, ubi etiam in *pupae* statu manet. (Spec. Scand. 69 in museo meo numerantur, quarum tamen nonnullae ad alia genera jure relegandae.)

*Subdiv.* 1. Alae anticae ferrugineae, cinereae, lividae aut flavescentes, fascia media obliqua maculaque costali postica subtriangulari saturatioribus; raro reticulatim strigosae; margine postico truncato aut exciso, apice prominulo. Majores. Fruticolae l. arbusticolae. Genuinae. In Lapponia rarissime, in Suecia inferiore frequenter, obviae.

**1. T. Westriniana**: alis anticis griseo-flavis, fascia media abbreviata ad costam bifida, macula basali lunata lineolisque 2 apicalibus ferrugineis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 21 cum fig. *Tortr. xylosteana* THUNB. Diss. Mus. Acad. Upsal. p. 76.

Hab. in Lapponia meridionali rarissime. (Lappon.-Upsalia-Ostrogoth. freq. — Scan. rar., Jul.)

♂♀. Affinis et similis *xylosteanae* LINN. Fn. 1313, sed alarum colore dominante pallidiore, griseo-flavescente, nec cinerascente, et maculis apicalibus 2 ferrugineis, forte distincta. Alae posticae totae fuscae.

**2. T. cinereana:** alis anticis griseo-cinereis, atomis fuscis, fascia obliqua maculaque costali pone medium, hepaticis; posticis cinereis. ♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in alpe Dowre, Jul. D. BOHEMAN. (Lappon. Norvegica, Ostrogothia, forte ejusdem.)

♀. Simillima *laeviganae* TREITS. seu *varianae* FABR., sed alarum fascia media obscura determinatiori, et alis posticis totis cinereis, nec dimidiatim flavis, ab illa distincta. A *T. dumetana* FISCHER. Microlepidopt. 4. p. 35. T. 20. f. 4., cui etiam valde similis, fascia alarum anticarum media in medio, nec antice, coarctata, fascia basali nulla, et alis posticis cinereis, nec griseis, facile dignota. Fascia media hepatica in medio ita coarctata est, ut cum macula costali quasi 3 maculas in triangulum dispositas formet.

**3. T. heparana:** alis anticis hepaticis, fusco-reticulatis, fasciis tribus ferrugineo-fuscis ad costam distinctioribus, 1 basali obsoleta, 2 media disco dentata, et 3 postica maculiformi; posticis obscure cinereis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

TREITS. Schmett. 8. p. 58. 8. DEGEER Ins. v. GOETZE, T. 27. f. 9. 10. *fasciana* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 261. 78. *carpiniana* HÜBN. Tortr. T. 18. f. 116. ♀. speciminibus nostris paullo major.

Hab. in alpe Dowre. D. BOHEMAN. (Lappon. Norvegica-Ostrogoth., Scania, Jul. Aug. freq. — Sub nomine *rusticana* HÜBN. Tortr. T. 11. f. 66. et *fasciana* FABR. in Museo FALL. exstat.)

*Obs. Tortrix oporana* LINN. Fn. Sv. 1315 (*Hermanniana* FABR., Ostrogoth. — Scan., freq. saepe educ. exclus. 1 — 27. Jul.); *amerina* LINN. Fn. 1310. ♂ (et *rosana* LINN. Fn. Sv. 1314. ♀, *pyrastrana* HÜBN., Ostrogoth.-Gottland.-Scan. Jul. Aug. vulgar., e pupa in folio Rosae capta, imago saepe exclusa. — (Sub nomine „*Pyr. rosana* FABR. *Tortr. oxyacanthana* HÜBN. ♂," similis a D. GYLLENHAL missa); *sorbiana* HÜBN. (in pratis sylvaticis Gottland. et Scaniae 29. Jun. — 9. Jul. pass. — Sub nomine *oporana* a D. CRUG missa, Mus. FALL.); *adjunctana* TREITS. FISCHER. Microlepid. 2. 12. T. 9. f. 1. *a* — *c* (in silvis acerosis Ostrogothiae, Gottlandiae Jul. pass. — Sub nomine „*Pyr. Forsterana* FABR." a GYLLENHAL miss. Mus. FALL.); *xylosteana* LINN. Fn. Sv. 1313. (*roborana* HÜBN. ♂, *characterana* HÜBN. ♀; Ostrogoth., Scan. pass. — Sub nomine „*piceana* LINN. Fn. Sv. 1312." in Mus. FALL. asservatur); *cinnamomeana* TREITS. FISCHER. Microlep. 2. p. 12. T. 9. f. 2. (Scania d. 12. Jul. rariss. capta); *laevigana* TREITS. FISCHER. Microlep. 3. T. 11. f. 2. (*variana* FABR. *acerana* HÜBN. ♂, *oxyacanthana* HÜBN. ♀, Suecia rar.); *corylana* FABR. (*textana* HÜBN., Ostrogoth., Scan. 20 — 24. Jul. freq., educatione imago saepe prodiit); *Gerningana* FABR. (*pectinana* HÜBN., Suecia Mus. FALL.); et *grossana* THUNB. Diss. Ins. Sv. p. 45. (affin. *mauranae* HÜBN., Westrogoth. et Scan. ad Esperoed e pupa mense Jul. exiit); hae omnes in Lapponia frustra quaesitae.

*Subdiv.* 2. Alae auticae colore laetiore nitido, albae, testaceae, flavae, fascia et macula laterali ordinariis saepe obsoletis l. earum tantum vestigio; margine postico obtuso l. subrotundato. Mediae aut minores. Fruticolae sed etiam graminicolae. *Aethes* spec. BILLBERG.

**4. T. gnomana:** alis anticis ochroleuco-flavis, fascia media obliqua versus marginem interiorem evanescenti, maculaque costali pone medium fuscis; posticis pallidis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ — $\frac{3}{4}$ poll.)
LINN. Fn. Sv. 1337. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 265. 97. TREITS. Schm. 8. p. 79. 22. FISCHER Edlen v. ROESLERSTAM Microlepidopterolog. 2 p. 14. T. 10. 1. *a*—*e* ♂♀; an quoque HÜBN. Tortr. T. 21. f. 131? et *Tortr. spectrana* TREITS. Schm. 8. p. 77. 21?
Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi supra Gestriciam non obvia. (Lapponia-Upsalia-Gottland.-Ostrogoth.-Scania, Jul. Aug. freq.)

**5. T. Modeeriana:** alis anticis ochroleuco-flavis, fascia media obliqua abbreviata maculaque costali cum fascia cohaerente, luteo-ferrugineis, puncto purpureo in maculae angulo; posticis griseo-lividis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)
LINN. Fn. Sv. 1331. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 264. 91. FALL. Mus. Cfr. etiam *Teras ferrugana* TREITS. et *rufana* HÜBN.
Var. b. similis var. a.; sed alarum anticarum colore primario flavo-ferrugineo et puncto albo juxta punctum purpureum magis conspicuo. Saepe etiam paullo minor.
Sub nomine „*Pyralis laterana* FABR. *Tortrix rufana* HÜBN." a D. GYLLENHAL e Westrogothia missam; et ut „*Pyral. rufanam* FABR. *Tortr ferruganam* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 23." eandem quoque communicatam possideo.
Hab. in Lapponia rar. (Lappon.Upland.-Gottland.-Ostrogothia-Scania freq.)
In illaesis individuis alae anticae sub lente visae luteo-strigatae, sed non reticulatae adparent. Fascia media ferruginea abbreviata cum macula inferiore cohaerens semicirculum ad costam formans purpurascenti maculatum, adjecto saepe puncto albido in medio peripheriae, ubi fascia et macula costalis coëunt, speciem inprimis distinguere mihi videtur.
*Obs.* *Tortrix cinctana* Wien. Verz. (*cretana* FABR., *albidana* HÜBN., *Ljungiana* THUNB. Act. Holm. 1797; in Pinetis ad Kjeflinge Scaniae 20—26. Jun. freq. — In Pruno spinosa, Aug. ad Esperoed FALL.); *Achariana* THUNB. Act. Holm. 1797. p. 168. cum fig. In Suecia rar. affinis videtur *cinctanae*, at major, et forte ad *Sericor. bipunctanam* (gen. 80.) ut synonym. referenda); *hamana* LINN. Fn. Sv. 1309. (in silvis acerosis Gottlandiae passim; sed ad margines agrorum Scaniae ad Lund 25. Jun. usque ad 20. Aug. certis annis frequentissime occurrit; oviparam d. 6. Jul. vidi); et *Zoegana* FABR. HÜBN. (Scan. rariss.); in Lapponia vix colliguntur.

*Subdiv.* 3. Alae anticae aut nebulosae, aut immaculatae, unicolores. Majores. Nemorales.

**6. T. ministrana**: alis anticis sericeo-nitidis, cinnamomeo-rufescentibus, basi posticeque flavo-inductis, puncto centrali pone medium albo; posticis cinereis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)
LINN. Fn. Sv. 1311. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 252 42. TREITS. Schm. 8. p. 89. 29. *ferrugana* HÜBN. Tortr. T. 10. f. 56. ♀.
Hab. in Lapponiae nemoribus passim; ad Gaskelougt et Wilhelmina Lappon. Umensis 6—17. Jul., et ad Raschstind atque Schiervoe Nordlandiae 26—28. Jul., frequentius lecta. (Lapponia-Ostrogoth.-Scan., Jun. Jul. pass.)
Alae anticae lucidae flavescenti testaceae, basi, margine interiori et apicali pulchre rufo-cinnamomeo-maculatae.

**7. T. vulneratana**: alis anticis albidis, sericeo-nitidis, hinc inde luteo-irroratis, maculis subcostalibus 3 cinnamomeis, apicali majori; posticis cinereis. ♂. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)
Hab. in Lapponia rar., in Gamstenstind Finmarkiae d. 30. Jul. semel lecta. (Lappon. Norvegica.)
♂. Priori paullo minor. Alae anticae albidae nitidae, in medio parce cinnamomeo-irroratae, basi flavae, ad costam saturatiores, unde macula lutea ibi exstat. Macula altera cinnamomea in medio costae, parva, indeterminata. Totus apex alae luteo-cinnamomeus ad costam saturatius, intra summum marginem macula dilutiori ibique flavicanti. Species pulchra et distincta.

**8. T. argillaceana:** alis omnibus argillaceis nitidis unicoloribus. ♂. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)
Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Wilhelmina 16. Jul. detecta. (Lapponia meridionalis.)
Statura *viburnanae*. Tota griseo-albida. Alae anticae, sub lente visae, punctis l strigulis griseis adspersae. Alae posticae anticis vix pallidiores.

**9. T. boreana:** alis anticis albis, punctis paucis fuscis; posticis cinereis; fimbria omnium albida. ♂♀. (Long. al. exp. fere $\frac{7}{8}$ poll.)
Hab. in infeialpinis Nordlandiae et Finmarkiae, passim; ad Schiervoe, Talvig et Bossekop a me lecta; adscendit quoque in alpes et in summo alpium Tornensium jugo die 12. Jul. inventa. (Lapponia septentrionalis.)

**10. T. porcana:** obscure fusca, alis anticis cinereo fuscoque variis; posticis cinerascentibus; antennis maris ciliatis. ♂. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)
Sub nomine *Pyr. cinerana* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 257. 57. a DD. GYLLENHAL et DALMAN missa; an vera?
Hab in Lapponiae lucis passim; ad Lycksele Lapponiae meridionalis, et in graminosis ad Bjoerkvik Nordlandiae inferalpinae, 1—14. Jul. capta. (Lapponia —?)
♂. Obscura, capite thoraceque fusco-ferrugineis. Alae anticae cinereae, crebre fusco-adspersae, fuscedine interdum in strigulas transversas disposita; apice acutiusculae. Antennae pilosulae, subciliatae. An hujus generis?

**11. T. brunneana**: alis anticis ferrugineo-brunneis; posticis obscure cinereis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)
Hab. in sylvaticis Lapponiae Umensis rar.; ad Wilhelmina d. 17. Jul. ♀ a me semel inventa; mas in Dalecarlia alpina a D. BOHEMAN captus. (Lapponia Suecica meridional.)
*Viburnana* paullo brevior. Tota fusca, obscura. Alae anticae brunneo-ferrugineae, fimbria concolore; posticae obscurae.

**12. T. leporinana:** alis anticis cinereis nitidis acutis, strigulis 4 l. 5 tenuissimis obliquis abbreviatis nigris; posticis griseis. ♂. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)
Hab. in Lapponia meridionali Jun. rariss. (Lapponia-Bottn. occident. ad Abyn 7 Maj. rarissime.)
♂. *Ministrana* paullo minor. Alis apice acutis generi *Teras* (gen. 85 nob.) accedit, sed alarum superficie nuda, nec fasciculatim pilosa, alis anticis ad anum rotundata, nec leviter angulata, etc. mox ab illa dignota. Grisea. Alae anticae totae cinereae, nitidae, strigulis 4 l. 5 tenuissimis obsoletis obliquis abbreviatis, aequaliter fere distantibus, brunneo-nigris, quarum media a medio costae ad angulum ani fere continuata paullo magis conspicua. Fimbria albo-cinerea. Alae posticae griseae, fimbria longa pallidiori. Cauda fasciculo pilorum longo.

**13. T. stramineana:** alis anticis ochraceo-flavescentibus unicoloribus; posticis sordide albidis. ♀. (Long. al. exp. $\frac{1}{2}$ poll.)
Hab. in Lapponiae Tornensis sylvaticis locis paludosis rarissime. (Lappon. borealis.)
♀. Similis *T. gnomanae*, sed minor et immaculata. Ochraceoflava. Sub lente visae alae anticae in fundo argenteae, strigis ochraceo-flavis ita crebre tectae, ut tota superficies flavescens videatur. Fimbria concolor. Alae posticae exalbidae. Abdomen et pedes flavescenti-albida.
*Obs.* *Tortrix Hartmanniana* LINN. Fn. Sv. 1322. (Suec. media rariss.); *Treueriana* TREITS. 8. p 93. 32., HÜBN. (*Teras Treueriana* TREITS. 10. Suppl. p. 69. *Pyr. niveana* FABR., in Suecia rariss.; sub nomine „*T. scabrana* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 20." mihi missa); *viridana* LINN. Fn. Sv. 1307, (Ostrogoth.-Oeland.-Scan., Jul. vulgar., saepe exclus.); *viburnana* FABR. (in nemorib. et coryletis Ostrogothiae, Oeland., Jul. pass.); *Gouana* LINN. Fn. Sv. 1342. (Suecia, Gottlandia, Scania rar.); *fuscana* LINN. Fn. Sv. 1321. (Suecia, a GYLL. miss. Mus. FALL.); et *inundana* FABR. HÜBN. Tortr. T. 10. f. 60. (*Sciaphila inundana* TREITS. Schm. 10. Suppl. p. 92; ad Laerketorp Ostrogothiae rariss.); in Lapponiae desertis non inventae.

*Subdiv.* 4. Exornatae. Colore laetiores. Varie pictae. Alae metallice aut margaritacee strigatae l. maculatae.

**14. T. obsoletana**: alis anticis melleis, strigis punctisque argenteis; posticis griseis. ♂. (Long. al. exp. circiter $\frac{3}{4}$ poll.)
Hab. in inferalpinis Nordlandiae rar.; ad Raschstind in insula Schiervoe d. 28. Jul. a me lecta. (Lapponia Norvegica.)
♂. Statura et fere magnitudo *T. Lecheanae*, at colore longe alio, pallidiori. Grisea. Alae anticae luride flavescentes, strigis subsenis argenteis, nempe 1 mox infra basin, 2 et 3 subapproximatis paullo ante medium sitis, 4 et 5 etiam subapproximatis

paullo pone medium locatis, et 6ta ad marginem apicalem; omnibus undulatis, et praesertim anticis interruptis, e punctis inordinatis compositis. Inter strigas 5 et 6, puncta 2 l. 3 argentea. Alae posticae fuscescentes.

**15. T. cruciana:** alis anticis fuscis, macula dorsali communi, fascia obliqua margineque externo ferrugineis, strigisque 4 argenteis. ♂♀. (Long. al. exp. vix $\frac{1}{2}$ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1333. vera. *Tortr. Gyllenhaliana* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 2. p. 22 cum figura; certe ab ipso mecum communicata.

Hab. in Lapponia rarius; in Betula ad Muonioniska d. 17. Aug. inveni. (Lappon.-Finlandia ad Ylaene D. Prof. SAHLBERG, Uplandia ad Upsalam — Westrogoth., passim.)

♂♀. Parva, *T. Baumanniana* duplo minor; *Grapholithae Mitterbachianae* haud dissimilis. Alae anticae fuscae, mox ante medium macula dorsali communi ferruginea. A medio costae ad angulum ani ducitur fascia ferruginea, quae cum fascia terminali ejusdem coloris coit, crucem postice formans, cruribus versus costam flexis. l. si mavis in singula ala semicirculum referens ut in figura THUNBERGI. In medio alae et ante fasciam ferrugineam strigae 2 undulatae argenteae, et inter hanc fasciam et apicalem duae aliae strigae interruptae abbreviataeque, ita ut angulum analem rarius attingant. Alae posticae obscure fuscae, fimbria dilutiori. Descriptio LINNAEI hujus speciei secundum specimina vetustiora l. detrita facta videtur.

**16. T. Deutschiana**: alis anticis albidis nitidis luteo-flavoque maculatis, fascia media cinnamomea; posticis cinereis. ♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rariss.; ad Lycksele specimen incolume inveni. (Lappon. meridionalis.)

♀. Magnitudo *Conchyl. Smeathmannianae*; priori speciei non absimilis. Affinis *Tortr. Baumannianae* FABR. (seu *Hartmannianae* HÜBN.), sed duplo minor et distincta. Valde quoque *T. rubiganae* TREITS. (*Badianae* HÜBN.) similis, fascia vero alarum media non angulata etc. ab illa quoque mox dignota. Testacea. Alae anticae argenteo-albidae nitidae, maculis flavis et cinnamomeis, quae postice majores ante apicem fere fasciam ad costam praesertim conspicuam formant. Fascia media obliqua integra extus parum dentata cinnamomea. Fimbria albida luteo intersecta.

Memoriae Domini HENR. DEUTSCH, olim Medici Provincialis in Tornea, qui quondam mihi multa praeclara insecta Lapponica benigne communicavit.

**17. T. pallidana:** alis anticis albidis flavo-maculatis, fasciis duabus obliquis luteis, una in medio, altera postica; posticis cinereis. ♂. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi, ad Stensele d. 3. Jul. a D. DAHLBOM detecta. (Lappon. Suecica meridion.)

Similis *Tortr. Baumannianae* ejusque fere magnitudine, sed pallidior, et notis in diagnosi allatis certe distincta.

*Obs. Tortrix Lecheana* LINN. Fn. Sv. 1318. (Suecia med. Ostrogoth., Gottland.-Scania Jun. Jul. Aug. pass.; e pupa educ. saepe imago feliciter prodiit); *Rolandriana* LINN. Fn. 1326. Suecia rariss. LINNE, mihi non obvia); *Baumanniana* FABR. (*Hartmanniana* HÜBN., non LINN. Fn. Sv. 1322.; in Scania ad Gyllebo freq., alibi in Suec. rar.); *Blomiana* THUNB. Act. Holm. 1797. p. 169. 5. fig. (in Suecia BLOM, teste THUNB.); *plumbana* TREITS. HÜBN. (*Loeflingiana* LINN. Fn. 1323; in Oelandia freq., Scan. pass.); *Forskaleana* LINN. Fn. Sv. 1319. (in graminosis Scaniae 16 — 22. Aug. pass.); *Bergmanniana* LINN. Fn. Sv. 1324. (*rosana* HÜBN., in nemoribus et coryletis Gottlandiae, Ostrogothiae, Scaniae Jul. freq.); *Hoffmanseggana* HÜBN. (*Conchylis Hoffmanseggana* TREITS. *Pyr. comayana* FABR. Ostrogoth.-Scan. pass.); *Holmiana* LINN. Fn. 1325. (Ostrogoth. ad Wadstena-Gottland., Jul. pass.); *Schreberiana* LINN. Fn. Sv. 1338. (*Paedisca Schreberiana* TREITS. P. 10. Suppl. p. 107, Uplandia rar., Mus. nostr.); et *Groendaliana* THUNB. Ins. Sv. P. 2. p. 45. f. 2. (*tesselana* HÜBN., *Heiseana* FABR.; in Suec., Mus. FALL.); hae omnes intra limitem Lapponiae hactenus non deprehensae.

---

## 79. Coccyx. TREITS.

TREITS. Schm. gen. 121. (per errorem 122). *Tinea* LINN. FABR. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN.

Minor, parva (long. al. exp. $\frac{5}{8}$ — $\frac{3}{4}$ poll.). Alae subangustatae. *Color* (in nostris) fuscus, obscurus. *Pictura* alarum anticarum: strigae l. lineolae transversae margaritaceae aut metallice nitentes. *Habitatio* in Pinetis, per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* degit in strobilis aut inter turiones et glomum resinae e vulnere ramorum exsudantis fruticum arborumque acerosarum, ibique etiam metamorphosin subit; hybernans, sylvis saepe valde noxia. (Spec. Scand. 8.)

**1. C. resinana**: alis nigricantibus, anticis strigis crebris intricatis, ad costam saepe bifidis subargenteis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 8. p. 128. 3. HÜBN. Tortr. T. 5. f. 29. ♂. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 284. 171. *Tinea resinella* LINN. Fn. Sv. 1423. ROES. Ins. I. 4. T. 16. f. 1 — 5.

Hab. in Lapponiae sylvis Pini sylvestris; larva et pupa in glomo resinae e ramulis exsudantis; hybernans. (Lappon.-Scan. freq.)

**2. C. strobilana**: alis obscure olivaceis, anticis macula basali, fascia media duplicata strigisque 4 l. 5 posticis argenteis in puncta costalia 8 alba nigro-intersecta incurrentibus; palpis fronteque fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 8. p. 133. 6. HÜBN. Tortr. T. 12. f. 70. ♂. *Tin. strobilella* LINN. Fn. Sv. 1419. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 310. 101.

Hab. in Lapponia passim; larva in strobilis Pini Abietis. (Lappon.-Scan.; in Suecia passim et certis annis copiosa et noxia.)

Alarum anticarum margo apicalis summus linea atra notatur. Speculum (macula ad angulum ani) atro-tripunctatum. Variat numero strigarum argentearum 5, 6, 8. — Sub nomine „*Pyral. nigricana* FABR." similem a D. DALMAN missam possideo.

**3. C. turionana**: alis anticis cinnamomeo-ferrugineis, fascia antica et strigis liturisque posticis argenteis, punctis costalibus albis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

TREITS. Schm 8. p. 136. 8. HÜBN. Tortr. T. 35. f. 220. 221. ♀. *Tin. turionella* LINN. Fn. Sv. 1420.

Hab. in Lapponia passim; in Pino sylvestri ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 21 25. Jun. freq. (Lapp.-Scania pass. Larva inter Pini sylvestris turiones.)

**4. C. posticana**: alis anticis griseo-cinereis, strigis crebris argenteo-canis subnitidis, margine apicali cinnamomeo-fulvo fasciola albida; posticis fusco-cinerascentibus. ♀. (Long. al. exp. vix ultra $\frac{3}{8}$ poll.)

Hab. in Dalecarlia alpina D. BOHEMAN. (Lappon. Suecica meridionalis.)

♀. Ob picturae similitudinem cum prioribus in hoc genere repono speciem, cujus victum et larvae statum ignoro; an *Eanae* (*Sciaphilae* TREITS.) generis? Alae anticae cinerascentes, strigis pluribus canis subnitidis obsoletis. Apex late cinnamomeo-fulvus lucidus, fasciola albida ad angulum ani magis determinata et conspicua. Fimbria uti alae posticae, obscure cinerascentes.

**5. C. piceana:** alis fuscis, anticis fasciis baseos subtribus intricatis maculisque posticis variis albis nitidis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{1}{2}$ poll.)

HÜBN. Tortr. T. 12. f. 72. certe. *Comitana* TREITS. Schm. 8. p. 132. 5. *Pyr. Latreilleana* FABR. Supplem. p. 479. 149. *Tin. Taedella* LINN. Fn. Sv. 1424. vera.

Hab. in Lappon. Umensi pass.; in sylvis abietinis ad Lycksele et Stensele 24. Jun. — 4. Jul. capta. (Lappon. meridion. — Suec. med. Ostrogoth. et Gottlandia, ut et Scania, in Pinu abiete 4. Jun. — 5. Jul. haud infrequenter visa.)

Alae anticae fuscae. In parte antica (a basi ad medium) fasciae 2 l. 3 intricatae albae et in parte reliqua puncta l. maculae variae albae costales geminatae, et una ad angulum ani evidentior, ocelliformis.

**6. C. decorana**: alis anticis viridi- et olivaceo-variegatis, fascia postica albida nigro-strigata; posticis fuscis. ♀. (Long al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Dalecarlia alpina, Jul. 1836 a D. BOHEMAN inventa. (Lappon. Suecica meridionalis — Ostrogothia ad Laerketorp d. 26. Jul. 1831 a D. DAHLBOM detecta.

♀. Species pulchra et distincta, forte hujus generis? Nigra, albo-irrorata et maculata. Palpi longitudine fere capitis, crassi, articulo 2do subtus grosse squarroso, ultimo piloso truncato. Lingua perspicua. Antennae gracillimae, nigrae, albo-annulatae, articulo primo crasso nigro. Thorax latus, niger, squamis obscure virescentibus tectus. Alae anticae in fundo quidem nigrae, sed fasciis variis virescentibus et olivaceis alternantibus ornatae. Mox pone medium fascia transversa albida irregulariter nigro-strigata. Summus margo apicalis s. posticus fusco-rufescens, fimbria cinerascenti. Alae posticae brunneo-fuscae, fimbria albido-cinerea. Tarsi albo-annulati.

**7. C. circumflexana**: alis anticis fusco, nigro alboque variis, postice lineola longitudinali circumflexa atra; posticis fuscis. ♀. (Long. al. exp. $\frac{1}{2}$ poll.)

Hab. in Pinetis Lapponiae rarissime, d. 2. Jun. capta. Dahlbom. (Lapp.-Bottn. occident. ad Skellefteå d. 6. Maj. rarissime.) *

♀. Similis *C. decoranae*, sed duplo minor, et alis anticis non viridi-pictis, strigaque postica longitudinali atra, facile dignota. Alae anticae fuscae, nigro- et albido-crebre irroratae, sed vix signaturis distinctis ornatae, nisi in parte postica, quae fere tota plumbeo-cana, punctis costalibus nigris albisque alternantibus, et lineola longitudinali media subflexuosa signum { atrum referente, fere a medio alae ad marginem posticum ducta, in foveola locata. Fimbria fusca. Antennae et palpi obscura. Tarsi annulati.

---

## 80. Sericoris. Treits.

Treits. Schm. gen. 122. *Pyralis* Fabr. *Tortrix* Hübn. et Auctor.

Media aut minor (long. al. exp. $\frac{3}{4}$ — $\frac{5}{8}$ poll.). Alae anticae parum dilatatae. *Color* fuscus, obscurus. *Pictura* metallice strigata, fasciis l. strigis saepe geminatis et crebris, argenteoque micantibus. *Habitatio* in pratis, libenter in Betuletis, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus; mas:* saepe paullo major et alis minus angustatis quam in *femina*. (Spec. Scand. 6.)

**1. S. Schulziana:** alis anticis ferrugineo-cinnamomeis, strigis subquinis duplicatis, tertia quartaque disco decussatis, punctoque in medio, argenteis, fimbria alba fusco intersecta; posticis griseo-fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. circiter $\frac{3}{4}$ poll.)

*Pyralis Schulziana* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 280. 156. vera. *Sericoris Zinckenana* Treits. Schm. 8. p. 143. 1. ♂♀. *Tortr. pinetana* Hübn. Tortr. T. 10. f. 57. ♂.

Hab. in Lapponiae sylvis et abietinis et betulinis, toto mens. Jul. freq.; scilicet ad Lycksele et Tresunda, Lapponiae Umensis s. meridionalis, ad Juckasjervi, Wackokoski (limitem Abietis) et Tornetraesk, Lapponiae Tornensis s. borealis, ut et in inferalpinis Nordlandiae ad Giebostad, Raschstind et Finkrog, haud raro lecta; denique in summitate alp. Dowre ad Kongswald a D. Boheman etiam capta. (Lapponia-Scan. pass.; in Pinetis ad Kjellinge et Staevie Scaniae meridionalis saepe quoque deprehensa.)

Sub lente visae alae anticae individuorum bene conservatorum in medio inter strigas argenteas cinnamomeo-atroque variae apparent. Litura nigra saepe evidentior.

**2. S. urticana:** alis fuscis, anticis fasciis duabus albidis argenteo-rivulatis, fimbria albida litura nigra. ♂♀. (Long. al. exp. vix $\frac{3}{4}$ poll.)

Treits. Schmett. 8. p. 145. 3? Hübn. Tortr. T. 11. f. 65? ♂.

Hab. in Lapponia passim; in fruticibus ad Wilhelmina Lapponiae Umensis d. 14 — 20. Jul. freq. lecta. (Lappon. meridional. — Suec. pass.)

Specimina nostra figura Hübneri minora, quare synonyma Treits. et Hübn. dubius attuli. Alae anticae fuscae, griseo-irroratae. Fasciae 2 albidae argenteo-rivulatae, nempe 1 ante medium, et 2da magis postica apicem late occupat, striga obliqua fusca. Fere totus margo costalis albo fuscoque punctatus. In plaga fusca inter fascias albas in medio adest punctum atrum adjecto alio minutissimo argenteo.

Var. b. duplo minor et magis picta; in alpe Brattiksfjellet, Lapponiae Umensis meridionalis, in silva Betulina ad Alteidet Nordlandiae, et in alpium Tornensium jugo etc. Jul. Aug. passim lecta. An hujus varietas?

**3. S. bipunctana:** alis anticis nigricantibus, fasciis duabus argenteo-albis, prima mox ante medium, altera postica ad costam latiori ibique nigro-bipunctata, punctoque apicis atro. ♂♀. (Long. al. exp. vix $\frac{3}{4}$ poll.)

Treits. Schm. 8. p. 154. 9. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 250. 32. *Tortr. Achariana* Thunb. Act. Holm. 1797. p. 168. 4. cum fig. forte huc rectius referenda, quam ad gen. *Tortricem*. Cfr. Obs. nostr. sub gen. Tortr. Subd. 2.

(Hab. in Lappon. toto mens. Jul. freq., scilicet ad Åsele, Lycksele, Umenaes, Stensele, etc., Lappon. Umensis, ad Talvig Nordlandiae 2. Aug.; etiam in alpe Dowre a D. Boheman capta. (Lappon.-Suec. D. Gyllenhal.)

*Obs.* 1. *Sericoris conchana* Treits. Hübn. (Suecia pass. Mus. Fall. Sub nomine „*Pyr. rivellana* Fabr.“ eadem quoque a DD. Gyllenhal et Dalman communicata); et *Lediana* Fabr. Linn. Fn. Sv. 1330, non Hübn. (Gottland., Smoland Jul. freq., alibi rar.); in Lapponia frustra quaesitae.

*Obs.* 2. *Aspis Achataria* Hübn. Tortr. T. 9. f. 49. (*Solandriana* Treits., non *Tortr. Solandriana* Linn. Fn. Sv. 1327, quae ad gen. *Paediscam* nob. pertinet; in Ostrogothia rarissime capta), Lapponiae sine dubio profuga.

---

## 81. Carpocapsa. Treits.

Treits. Schm. gen. 124. *Pyralis* Fabr. *Tortrix* Hübn. Thunb. *Tinea* et *Tortrix* Linn.

Media (long. al. exp. $\frac{3}{4}$ — $\frac{5}{8}$ poll.). Alae anticae dilatatae. *Color* obscurus, fuscus, cinereus, luteus. *Pictura* in alis anticis: strigae l. lineae transversae crebrae metallice nitentes, saepe eximie splendentes, et ocellus (speculum) ad angulum ani determinatus, intus longitudinaliter strigulatus. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* e fructibus et ligno victitat. *Pupa* sub cortice arborum. (Spec. Scand. 6. ocello l. speculo anali determinato ab affinibus dignotae.)

**1. C. arcuana:** alis anticis luteis, lineolis basalibus longitudinalibus tribus, fasciisque sesquitertiis argenteis, macula discoidali argenteo-punctata aliaque pallida juxta posita; posticis fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. vix $\frac{5}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 8. p. 166. 4. Linn. Fn. Sv. 1317. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 260. 72. Hübn. Tortr. T. 6. f. 33.

Hab. in Lapponia, ut fertur, mihi non supra Uplandiam obvia. (Lapponia? Suecia media et meridionalis, in coryletis et betuletis vulgaris; larva Rumice acetosa etiam vescitur, teste D. Treitschke Schm. P. 10. Suppl.)

*Obs.* *Carpocapsa pomonana* Fabr. Treits. Dahlbom Scand. Ins. Skada och Nytta p. 209. (*Tin. pomonella* Linn. Fn. 1418.; in hortis Gottlandiae, Sueciae mediae et meridionalis Maj. Jun. freq.); *W oeberiana* Fabr. (Scania ad Lund et Esperoed 2 — 27. Jul. pass.); *scriptana* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 20. (sed minime *T. scriptana* Hübn. quae ad *Tortr. Hartmannianam* nob. pertinet; in Suecia rar.); et *absinthiana* Hübn. Tortr. T. 6. f. 34. (an *Grapholithae* generis? ut voluit Treits.; in Ostrogothia a me rarissime inventa); in Lapponia hactenus non deprehensae.

---

## 82. Eana. Billb.

*Sciaphila* °) Treits. Schm. gen. 125. *Pyralis* Fabr. *Tortrix* Linn. Hübn.

Major aut media (long. al. exp. 1 — $\frac{3}{4}$ poll.). Alae anticae angustatae. *Color* cinereus, virescens, albidus. *Pictura* varia: intricata, hieroglyphica, nebulosa, interd. sat regulariter fusco-fasciata. *Habitatio* in Betuletis, Populetis, Alnetis cet., etiam in graminosis, libenter locis umbrosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque; raro per alpinam. *Larva* (cognitarum) brunnea aut grisea inter folia arborum aut etiam plantarum humiliorum occultata degit. *Pupa* sub muscis aut in truncis arborum. (Spec. Scand. 8.)

**1. E. Wahlbomiana:** alis anticis laete cinereis, fasciis tribus flexuosis fuscis, intermedia integra; posticis cinerascentibus. ♂♀. (Long. al. exp. vix $\frac{3}{4}$ poll.)

*Tortrix* Linn. Fn. Sv. 1329. Hübn. Tortr. T. 32. f. 203. ♀. *Sciaphila* Treits. Schm. 8. p. 173. 5. *T. passivana* Hübn. Tortr. T. 16. f. 99. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Ostrogoth., Gottlandia, Scan. freq.)

**2. E. decussana:** alis fuscis, anticis griseo-irroratis, fasciis duabus media et apicali griseis, in singula lineis 2 argenteis, in fascia anteriori decussatis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

*Pyralis* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 250. 31.

Hab. in Lapponia meridionali rar. Ostrogoth., Gottland., Scania 2 — 21. Jul. freq.; e Westrogothia a D. Gyllenhal, et ex Uplandia a D. Dalman sub eodem nomine Fabriciano etiam missam possideo.)

♂♀. Similis priori. Alae anticae basi fuscae griseo-irroratae, et puncto uno alterove argenteo ornatae. Paullo ante medium fascia subrecta grisea, lineis 2 decussatis argenteis. Deinde sequitur fascia latior, obscurior, argenteo-punctata et macula media certo situ atra. Tandem apex alae late griseus, lineis 2 obliquis interruptis

---

°) *Sciaphila* nimium consonans cum *Sciophila*, genere jam diu in Dipterorum Ordine inter Tipularias recepto.

argenteis et punctis costalibus nigris, ultimo paullo majori fere maculiformi. Forte haec species una cum sequente generi *Sericoris* aptius inserendae.

**3. E. nebulosana**: alis fuscis, anticis fasciis duabus griseis, lineis subsenis argenteis subdiscretis inscriptis. ♂♀. (Long. al. exp. fere ¾ poll.)

Forte *Tortrix Ljunghiana* THUNB. Act. Holm. 1797. p. 168. 3. cum fig. hujus est variet.

Hab. in Lapponia meridionali frequenter; in graminosis aridis ad margines sylvarum Pini sylvestris soli expositos juxta terram volantem valde agilem, ad Lycksele, Tresunda et in alpe Brattiksfjell mens. Jun. et Jul. haud raro inveni, saepeque in copula junctam; etiam in Dalecarlia alpina a D. BOHEMAN lecta. (Lappon. meridion. — Bottn. borealis ad Calix — Suecia infer. rar.)

A priori, cui similis, differt: magnitudine nonnihil majori, lineis argenteis pluribus subdiscretis, nec quibusdam decussatis, fascia media fusca non tam lata nec tam obscura, fascia grisea posteriori non ad apicem alae dilatata, ut et costa tota punctis albis et nigris alternantibus ornata.

**4. E. strigulosana**: alis anticis glauco-cinereis, strigis plurimis obscuris, fasciis tribus angustatis nigris, brunneo-marginatis, apicali bifida. ♀. (Long. al. exp. vix ¾ poll.)

Hab. in Lapponia Tornensi rariss. a D. FRIGELIO inventa. (Lappon. borealis.)

♀. Affinis *Sericor. urticanae* var. b. Alae anticae cinereo-glaucae praesertim posticae; basi strigis 4 l. 5 nigricantibus; deinde fascia angusta angulata nigra fusco marginata, pone quam ala cinerea, strigis 3 l. 4 undulatis nigricantibus. Mox pone medium adest fascia secunda paullo obliqua, angusta, ad marginem interiorem nonnihil latior, fusco-marginata et maculata. Pone hanc iterum apex alae glaucus l. plumbeus, fascia tertia angusta nigra fusco-marginata interne versus angulum ani bifida. In summo apice alae etiam macula nigro-fusca videtur, et inter fasciam 2 et 3 puncta costalia 2 ejusdem coloris. Alae posticae cinereae, fimbria omnium concolore.

*Obs.* 1. *Eana literana* TREITS. FABR. LINN. Syst. Nat. HÜBN. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 21. var. a cum fig. (in Suec. rariss.); *asperana* TREITS. (*squamana* FABR. *squamulana* HÜBN. *literana* var. b. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 21.; in Suec. rar. capta); *Penziana* TREITS. HÜBN. THUNB. l. c. P. 2. p. 43. f. 1. (in fruticetis ad Esperoed Scaniae Aug. pass., alibi rar.); et *inundana* FABR. HÜBN. TREITS. (Cfr. *Tortrix inundana* nob. gen. 78. Subd. 3. Obs.); in Lapponia non visae.

*Obs.* 2. *Paedisca* TREITS. genus, specierum colore cinereo, cano, fusco, et alarum anticarum nebulosarum macula dorsali communi ovali, subcordata, subquadrata aut arcuata; brunnea aut plerumque alba, facile dignotum, vix ullam speciem Lapponiae indigenam sub se comprehendit, nisi *Tortricem trapezanam* FABR., ad *Grapholitham* a nobis pro tempore relatam, generi *Paediscae* potius inserere velis, in Suecia saltem 13 numerans, inter quas eminent: *P. scutulana* TREITS. (*asseclana* HÜBN. ♀; e Westrogoth. a GYLLENHAL miss.); *Pflugiana* FABR. vera (Suec. med. pass. Mus. GYLL. et nostr.); *foeneana* TREITS. (*Tin. foenella* LINN. Fn. Sv. 1375. *Tortr. tibialana* HÜBN. (Suec. pass.); *ophthalmicana* HÜBN. TR. (in corylletis ut et in Populo tremula Ostrogothiae 17. Aug. — 14. Sept. freq. In Scania ad Abusa 9. Sept.; etiam e Finland.); *Solandriana* LINN. Fn. Sv. 1327. vera (*parmatana* FISCHER Edlen v. RÖSLERSTAM Microlepidopt. 1. T. 4. lit. x — z. *semimaculana* HÜBN. Tortr. T. 9. f. 48. *Uddmanniana* FABR. et LINN. Fn. Sv. 1332. var.; in Betula alba et Populo tremula Uplandiae, Nericiae, Ostrogothiae etc. meus. Aug. haud rar. — Sub nomine *Solandriana* in museis Suecorum frequenter occurrit); *Mediana* FABR. (Suec. rar.); *maculana* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 251. 34. (Suec. rar. Mus. FALL. et nostr.); *similana* HÜBN. Tortr. T. 7. f. 41. (*dissimilana* TREITS.; Ostrogoth. pass. Scan. rar. Mus. FALL. — etiam sub nomine „*Pyralis Scopoliana* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 281. 162." a D. GYLLENHAL missa); *laetana* FABR. l. c. p. 258. 63. (in truncis arborum Populi tremulae quiescens in Ostrogoth. et Scania saepe capta. Sub eodem nomine etiam a D. GYLLENHAL e Westrogoth. communicata); *nisellana* GYLL. FALL. (*Tin. nisella* LINN. Fn. Sv. 1377. var.; in truncis Populi tremulae 10 — 14. Aug. Ostrogoth.-Scan. pass.); *Isertana* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 281. 163. (*Tortr. Stroemiana* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 21. forte etiam *T. Halliana* THUNB. l. c. P. 2. p. 45. cum fig.; Upland., Ostrogoth., Halland. pass.; in Quercetis Scaniae 10. Jul. — 4. Aug. quoq. freq. — Sub nomine: „*T. Wellensiana* HÜBN. var. hujus" a D. DALMAN olim mihi missa. — Alia vice a D. GYLLENHAL ut „*T. trapezana* FABR. s. *Brunnichiana* LINN. var." communicata); et *Paedisca Schreberiana* LINN. TREITS. vide gen. 78. *Tortricem* Subdiv. 4. *Obs.* in hac Fauna.

## 83. Grapholitha. TREITS.

TREITS. Schmett. gen. 127. *Palla* BILLB. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN. *Tinea* LINN.

Minor, parva (long. al. exp. saepe vix ½ poll.). Alae anticae angustae. Palpi saepe compressi, extus dilatati, pilosi. *Color* cinnamomeus, ferrugineus, fuscus, griseus, nigricans. *Pictura* varia; alae scilicet anticae ad costam ornate strigilatae, in dorso saepe macula communi insigniori et ad angulum ani speculo longitudinaliter lineolato condecoratae; interdum marmoratae absque ocello. *Habitatio* in sylvis et nemoribus, per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae. *Larva* sordide albo-flavescens aut virescenti-flava intra folia glomerata degit. (Spec. Scand. 16.)

**1. Gr. trapezana**: alis anticis griseis ferruginanti irroratis et nebulosis, macula communi dorsali rhombea pallidiori antice posticeque fusco-terminata; posticis cinereis. ♂♀. (Long. al. exp. ¾ poll.)

FABR. Ent. Syst. 3. 2. 255. 51. *Tortr. Brunnichiana* LINN. Syst. Nat. 1. 2. 880. 319. (sed non TREITSCHKEI eadem, nec *T. profundana* HÜBNERI) var. *Pyr. Brynnichana* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 258. 65. sub quibus nominibus in museis Suecorum promiscue occurrit.

Hab. in Dalecarlia alpina. D. BOHEMAN. (Lapponia meridionalis — Ostrogoth.-Calmaria-Scania, 5. Jul. — 6. Aug. freq.)

Variat macula alarum dorsali rhombea pallida, grisea, sordide albida. Certe haec species generi *Paediscae* meliori jure amandanda.

**2. Gr. succedana**: alis anticis fusco-cinereis albido-strigulosis, fascia media nivea, postice fusco-ferrugineo argenteoque maculatis strigulatisque, speculo argenteo nigro-punctato. ♂♀. (Long. al. exp. ½ poll.)

TREITS. Schm. 8. p. 211. 6. *asseclana* HÜBN. Tortr. T. 30 f. 194. ♂.

Hab. in nemoribus umbrosis Lapponiae meridionalis passim; ad Wilhelmina d. 17 — 21. Jul. frequentiorem vidi. (Lappon.-Westrogoth. GYLL. — Scan. nos, rar.)

**3. Gr. Dalecarliana**: alis anticis fusco-luteis, maculis simplicibus albis costalibus 5, dorsalibusque 2, his cum costalibus oppositis per strigam argenteam connexis; speculo anali lineolis tribus atris. ♂. (Long. al. exp. circiter ⅝ poll.)

Hab. in Dalecarlia alpina D. BOHEMAN; mihi in terris arcticis non obvia. (Lapponia meridionalis.)

♂. Obscura, griseo-nitens. Alae anticae fuscae, postice ferrugineo-lutescentes. In costa a medio ad apicem maculae 5 simplices, nec duplicatae, niveae, quarum 2 anteriores cum maculis 2 dorsalibus simplicibus oppositis (nempe media et anali) per lineam plumbeo-argenteam connexae. E macula costali tertia etiam linea argentea ad marginem oppositum ducitur. Intra hanc lineam et anteriorem locatum est speculum anale, lineolis 3 longitudinalibus atris ornatum. Fimbria brevis plumbea. Alae posticae cinereae. Tarsi albo-annulati.

**4. Gr. duplicana**: alis anticis nigricantibus, lunula dorsali simplici, striga postica punctisque 8 costalibus, albis, speculo plumbeo nigro striato. ♀. (Long. al. exp. circiter ⅜ poll.)

Hab. in Lapponia rarissime; in Pinu ad Bossekop prope Alten Finmarkiae occidentalis non longe a Capite septentrionali, d. 5. Aug. 1821 specimen incolume detegere mihi contigit. (Lapponia Norvegica septentrionalis.)

♀. Similis *Gr. dorsanae*, sed differt: lunula alarum dorsali communi alba simplici, nec gemina, infra quam striga alba, e parte speculi effecta. Speculum atro-bi- l. tristriatum. Fimbria obscura. Alae posticae nigro-fuscae.

**5. Gr. Gundiana**: alis obscure fuscis, anticis macula communi dorsali subquadrata argentea nigro-tristriata, punctis costalibus 8 albis, strigaque plumbea obsoleta loco speculi. ♂♀. (Long. al. exp. vix ⅜ poll.)

HÜBN. Tortr. T. 8. f. 42. ♀. figur. bona. TREITS. Schm. P. 10. Suppl. p. 120. *Tin. compositella* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 316. 129.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in foliis Salicum ad Lycksele et Stensele 20. Jun. — 3. Jul. frequenter visa, circulatim supra folium currens. (Lappon. meridionalis — ?)

♂♀. Parva, *Gr. dorsana* et *Jungiana* multo minor. Tota fusco-nigricans. Alae anticae in speciminibus illaesis brunnescentes. Fascia media communis dorsalis alba, in singula ala quadrata, communiter strigis 3 transversis fuscis notata. Puncta costalia 8 alba, supra quae maculae parvae 3 l. 4 plumbeae. Loco speculi macula transversim oblonga argenteo-plumbea. Fimbria glauca.

Thorax antice glauco-micat. Frons et palpi alba, hi apice fusci. Pedes argenteo-micant.

**6. Gr. geminana**: alis obscure fuscis, anticis fasciola communi dorsali sublunata gemina, striga postica ad angulum ani punctisque 5 costalibus, albis, horum antico et postico didymo. ♂. (Long. al. exp. vix $\frac{3}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime. (Lappon. meridionalis.)

♂. Similis *Gr. duplicanae*, at paullo minor, et fasciola dorsali alba gemina, nec simplici, punctisque costalibus niveis tantum 5, nec 8, anteriori et apicali tamen duplicatis, ab illa distincta. Magnitudo *Gr. Gundianae* eique etiam simillima, numero tamen punctorum costali pauciori et forma maculae dorsalis, mox dignota. Speculum anale nigro-subtristriatum. Variat alis anticis fusco-ferrugineis.

*Obs.* *Grapholitha hypericana* TREITS. HÜBN. (Ostrogoth. Smoland. Calmariae, Jul. pass.; etiam in Pino sylvestri Scaniae 4. Jul. inventa. — Sub nomine: „*strigana* FABR. et *Hohenwartiana* HÜBN." etiam a D. GYLLENHAL e Westrogoth. miss., Mus. FALL.); *siliceana* HÜBN. (Ostrogoth., Scania, Jul. Aug. freq.); *Mitterpacheriana* FABR. HÜBN. FISCHER. Microlepid. 4. p. 33. T. 19. f. *a — k*. T. 20. f. 1. (Ostrogoth., Oeland., Scan. freq.); *minutana* HÜBN. (Westrogoth. GYLL.); *Rhediana* TREITS. (*aurana* HÜBN. *Tin. Rhediella* LINN. Fn. Sv. 1405.; in Suecia rar.; ad Kaella Oelandiae 8. Jun. 1819 inveni); *dorsana* HÜBN. (Suec. passim; — sub nomine „*Jungiana* FABR." a GYLLENHAL missa, et ut „*lunulana* Wien. Verz." in Mus. FALL. exstat.); *Jungiana* TREITS. (*lunulana* HÜBN. *dorsana* FABR. *Tin. Jungiella* LINN. Fn. 1410; in floribus pratensibus et in foliis fruticum Ostrogothiae, Gottlandiae, Scaniae, Jul. passim — sub nomine: „*Tin. albinella* LINN. Fn. 1398, similis a D. GYLLENHAL missa), *petiverana* TR. (*montana* HÜBN. *Tin. petiverella* LINN. Fn. 1381., in Sueciae lucis rar.); *populana* FABR. (in Populo et Salice Ostrogothiae et Scaniae 20. Jun., et iterum 31. Aug. 3. Sept. freq.); *absinthiana* TR. HÜBN. (vide *Carpocapsam absinthianam* gen. 81. nob. in Obs.); et *Germarana* TREITS. Schm. P. 10. Suppl. 116. (*Germmana* HÜBN. Tortr. T. 8. f. 47. ♂. *Germana* FROLICH, Enumer. Tortr. Wurtemb. p. 81; in Vicia aliisque plantis, locis aridis, in Scan. freq. Jun. Jul. — Sub nomine: „*Germmana* HÜBN. et *nigricana* FABR. var." etiam a D. DALMAN miss.); harum vero nulla in Lapponia huc usque inventa, quantum scio.

## 84. Phoxopteris. TREITS.

TREITS. Schm. gen. 128. *Pyralis* FABR. *Tortrix* HÜBN. *Tinea* LINN.

Minor, parva (long. al. exp. $\frac{5}{5}$ — $\frac{3}{8}$ poll.). Alae anticae saepe valde angustatae, apice plerumque attenuatae l. subfalcatae. Palpi ut in priori. *Color* fuscus, cinereus, canus, testaceus, ferrugineus. *Pictura:* alae anticae costa a medio ad apicem plerumque evidenter strigilatae, et macula dorsali antica, obscura in fundo laetiori ornatae; speculum ad angulum ani incompletum s. spurium. *Habitatio* in pratis et nemoribus, saepe in fruticibus; per partem sylvaticam Lapponiae; vernalis. *Larva* in paucis cognita, inter folia contorta autumno degens, hybernans, in pupam verno tempore anni sequentis abit. (Spec. Scand. 13, a is anticis saepissime lanceolatis apice prominulo, costaque strigilata facile dignotae.)

**1. Ph. unguicana**: alis anticis fuscis, fasciola media obliqua angusta saturatiori, cinereo-rivulatis, strigis posticis argenteis in costam excurrentibus, maculaque speculari obsoleta glauco-cinerea. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 8. p. 239. 6. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 281. 161. *falcana* HÜBN. Tortr. T. 13. f. 78. ♂. *Tinea unguicella* LINN. Fn. Sv. 1382.

Hab. in Lapponia passim; in Arbuto Uva Ursi etc. locis aridis, ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis, ad Lycksele Lappon. Umensis, ut et in insula Schiervoe Nordlandiae 17. Jun. — 27. Jul. frequenter capta, saepe in copula visa; in alpe Dowre etiam a D. BOHEMAN deprehensa. (Lapponiae omnes — Suecia passim.)

**2. Ph. Dahlbomiana**: alis ferrugineo-fuscis, anticis strigis posticis, apicali angulari, speculoque subcompleto, argenteis, hoc atro-tristriato; punctis in parte posteriori costae 8 albis. ♂♀. (Long. al. exp. fere $\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in graminosis, in lucis et nemoribus Lapponiae passim; 4—24. Jul.; scilicet ad Lycksele et Stensele Lappon. Umensis, D. DAHLBOM; in Lapponia Tornensi, D. FRIGELIUS; in Dalecarlia alpina, D. BOHEMAN; ad Bjoerkvik Nordlandiae, nos. (Lapponia.)

♂♀. *Ph. unguicanae* similis, sed paullo major, et speculo alarum magis completo strigaque apicali argentea angulari, inprimis dignota. Species ornata. Alae anticae parum lanceolatae, ferrugineo-fuscae, strigis posticis 3 l. 4 argenteis, quarum 2 ultimae prope apicem angulum subrectum anum spectantem formant. Speculum anale sat magnum subcompletum argenteo-annulatum, intus lineolis longitudinalibus 3 atris, intermedia tripunctulari. Costa postice punctis 8 albis cum totidem nigris alternantibus. Ipse apex prominulus cum fimbria niger. Fimbria vero reliqui marginis cinereo-albida. Alae posticae cinereo-fuscae, costa media et fimbria sordide albidis.

Cel. A. G. DAHLBOM, ad Univers. Lund Hist. Nat. Docens etc., plurium Societ. litt. et Patriae et Ext. Sodalis, multorum operum Entomologic. maximi pretii Auctor, Lepidopteron hocce cum multis aliis novis collegit mihique obtulit, quare memoriam laudatissimi Viri et Hymenopterologi Scandinaviae vere primarii, etiam intra Glossatorum Ordinem conservare volui, pulchram hanc *Tortricum* speciem nomine Ejus condecoratam describendo.

**3. Ph. taeniana**: alis anticis plumbeo-argenteis, basi plaga dorsali obscuriori, fascia media et striga postica obliquis, maculis costalibus 3 parvis triangularibus, apice, lineolisque speculi incompleti 3 longitudinalibus brevissimis, ferrugineo-fuscis ♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in alpibus Dowreensibus, a D. BOHEMAN capta; mihi in Lapponia Suecica non obvia. (Lappon. Norvegica.)

♀. Subsimilis *Ph. Dahlbomianae*, a qua tamen alis anticis multo minus infuscatis praecipue differt. Scilicet plaga tantum basalis in singula ala ovalis, fascia media obliqua angustata et signaturae variae ad apicem, fusca sunt. Inter has signaturas posticas fuscas distinguuntur inprimis: maculae 3 parvae triangulares in parte posteriori costae, ipse apex alae subfoveatus et rotundatus puncto centrali atro certo situ conspicuo, strigula obliqua ante apicem, ut et summus margo posticus. Speculum etiam spurium l. deficiens, relictis tantum lineolis interioribus 3 parvis brevibus obscuris.

**4. Ph. Badiana**: alis anticis fuscis, basi macula dorsali subcordata, vitta exteriori incurvata alba inclusa, fasciaque media obliqua dentata saturatioribus, postice strigis speculoque incompleto subargenteis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{1}{2}$ poll. et ultra.)

TREITS. Schm. 8. p. 243. 9. *Lundana* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 286. 166. *corylana* HÜBN. Tortr. T. 9. f. 53. ♂.

Hab. in Lapponia rar.; etiam in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae, ex. gr. in silva betulina ad Evenaes d. 16—18. Jul. inventa. (Scania ad Fogelsång et Bjoernstorp in coryletis jam d. 15—20. Maj. freq; alibi in Suec. rar.)

**5. Ph. radiatana**: alis anticis canis, macula ovata dorsali concolore, vitta media longitudinali dilatata dentata ad apicem alae radiata, punctisque costalibus, nigris; posticis obscuris. (Long. al. exp. $\frac{1}{2}$ poll.)

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rariss.; ad Raschstind in insula Schiervoe d. 28. Jul. inveni. (Lapponia Norvegica.)

♂. Subsimilis *Ph. unguicanae*, sed minor et aliter picta. Fusco-grisea. Alae anticae macula dorsali alba; vitta media brunneo-nigra ita sinuata et dilatata, ut fere totam reliquam partem alae occupet, relictis strigulis costalibus 6 geminatis albido-canis et maculis aliquot minutis ad angulum ani albidis; unde nominata vitta brunneo-nigra prope apicem alae quasi radiata videtur. Ipse summus apex subprominulus, macula punctiformi rotunda atra. Alae posticae fusco-obscurae; fimbria omnium fusca.

*Obs.* *Phoxopteris lanceolana* HÜBN. (in pratis Ostrogothiae et Gottlandiae meus. Jul. passim; in paludosis vero Scaniae, ex. gr. ad Sliparehoegen prope Lund 18 — 24. Jul. frequentiss.); *siculana* HÜBN. (Suec. Mus. FALL.); *harpana* HÜBN. Tortr. T. 13. f. 37. ♂. (*ramana* TREITS. sed non *Tin. ramella* LINN. Fn. 1376.; Scania ad Abusa, Oelandia, rar.); *Paykulliana* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 272. 128. (*Tinea ramella* LINN. Fn. 1376.; in Suecia media, GYLLENHAL et DALMAN; in Scania, ex. gr. ad Abusa prope Lund, freq., ipse); *Penkleriana* FABR. TR. FISCH. Microlep. 5. p. 37. T. 21. f. *a — l*. (Scan. ad Abusa 27. Maj. haud infr. — An potius *Grapholithae* generis? Valde saltem affinis *Gr. mitterpacherianae*); et *arbutana* nob. (*Tin. arbutella* FABR. et LINN. Fn. Sv. 1385; Suecia Mus. FALL. et nostr.); in Lapponia sine successu investigatae.

## 85. Teras. Treits.

Treits. Schm. gen. 129. Fisch. *Pyralis* Fabr. *Tortrix* Linn. Hübn.

Majuscula aut media (long. al. exp. 1 — $\frac{5}{8}$ poll.). Alae anticae latiusculae, margine apicali magis minusve emarginato, apice inde etiam plus minus prominulo, margineque interiori levissime exciso. In medio l. disco alae fasciculi pilorum aut solitarii l. sine ordine sparsi, aut centraliter locati, aut denique seriatim transverse dispositi observantur. *Color* cinerascens, canus, griseus, testaceus, ferrugineus. *Pictura* vix ulla; medio tamen costae adjacet macula elongata, interdum parum conspicua, ejus tantum vestigium. *Habitatio* in nemoribus, per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Larva* viridis verruculosa agilis inter folia contorta degit, ubi etiam metamorphosin subit. (Spec. Scand. 8., alarum anticarum emarginatura fasciculisque pilorum in superficie sericea, facile ab affinibus dignotae.)

*Subdiv.* 1. Alarum anticarum costa emarginata, apice subfalcato.

**1. T. caudana**: alis anticis ad costam excisis, cinerascentibus, apice late ferrugineis, punctis disci elevatis sparsis. ♂♀. (Long. al. exp. 1 — $\frac{7}{8}$ poll.)

Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 271. 124. Treits. Schm. 8. p. 248. 1. *effractana* Hübn. Tortr. T. 28. f. 175. ♂.

Hab. in Lapponia rar.; ad Karesuando Lapponiae Tornensis d. 17. Aug. inventa. (Lapponia — in Quercetis et Salicibus Ostrogothiae, Finlandiae pass., Scania freq., 28. Aug. — 10. Sept. capta.)

**2. T. torquana**: alis cinereis, anticis ad costam excisis, fascia ante medium cana extus plaga rufescenti inducta, punctis lineolaque elevatis nigris. ♂. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lappon.-Scania meridionalis.

♂. Similis *caudanae*, sed in multis differt. Ea minor praesertim angustior. Alae anticae cinereo-rufescenti leviter tinctae. Mox ante medium fascia latiuscula obliqua integra plumbeo-cana, intra quam plaga indeterminata rufescens per lineolam transversam elevatam nigram a fascia sejuncta. In medio fasciae canae puncta 3 et 2 transversim posita, elevata nigra.

**3. T. indecorana**: alis anticis levissime excisis oblongis obscure cinereis nitidis, punctis elevatis sparsis nigris; posticis canis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{2}{3}$ poll.)

Hab. in Lapponia rarissime; ♀. in alpe Dowre a D. Boheman capta, et ♂ e Groenlandia a D. Westermann missus. (Lapponia.)

Statura *T. torquanae*; unicolor. Alae anticae incumbentes, apice subsulcatae.

*Subdiv.* 2. Alarum anticarum costa integra, apice subprominulo.

**4. T. ferrugana**: alis anticis rufo- l. flavo-ferrugineis, obsolete reticulatis, punctis centrali albido, tribusque costalibus in maculam semicircularem subconfluentibus obscure rufis. ♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 8. p. 263. 12. var. Fischer. Microlepid. fasc. 5. p. 40. T. 25. f. 1. a. b. *tripunctana* Hübn. Tortr. T. 20. f. 129. ♀. (sed ejusdem var. *rufana* T. 20. f. 127. in Lappon. non visa.)

Valde affinis mihi videtur *Tortr. Modeerianae* Linn. et nostrae; an vere distincta? — *Teras ferrugana* var. Fischeri l. c. Tab. 23. f. k. ad Wadstena Ostrogothiae, et *rufana* Hübn. T. 20. f. 127. ad Skaerali et in aliis locis Scaniae. d. 8 — 12. Sept. a me inventae.

**5. T. Logiana**: alis anticis cinereo-canis, punctis nigris sparsis, macula costali triangulari nigro-fusca; posticis dilutioribus. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Treits. Schm. 8. p. 261. 11. Linn. Fn. Sv. 1336. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 267. 106. *tristana* Hübn. Tortr. T. 9. f. 50. ♂.

Hab. in Lapponia rar., in Dowre a D. Boheman capta. (Lappon. Norvegica. — Suecia passim.)

♂♀. Alae anticae cinereo-canae, punctis nigris paucis sparsis. Macula in medio costae elongato-triangularis proprie e tribus maculis minoribus conflata intus ad costam cinerea. In hujus maculae angulo obtuso fasciculi 2 l. 3 pilorum atrorum. Mares feminis saepe majores vidi.

**6. T. Schalleriana**: alis anticis argenteo-canis nitidis, macula costali magna triangulari ferruginea; punctisque nigris, apicalibus laevibus, discoidalibus elevatis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Treits. Schm. 8. p. 265. 14. Linn. Fn. Sv. 1339 Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 263. 86. Hübn. Tortr. T. 46. f. 288. ♂. 289. ♀.

Hab. in Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lappon. meridional. — Finland.-Scania ad Esperoed in fruticibus d. 30. Aug. — 25. Sept. freq capta.)

*Obs.* *Teras Hastiana* Linn. Fn. Sv. 1328. (in Sueciae Salicibus tariss. obvia) Lapponiae exsul.

## 86. Conchylis.

*Cochylis* Treits. Schm. gen. 130. *Pyralis* Fabr. *Tortrix* Hübn. Thunb. *Aethes* Billb.

Parva (long. al. exp. $\frac{5}{8}$ — $\frac{1}{2}$ poll.). Alae anticae elongatae angustae, margine interiori leviter excavatae. Palpi elongati, porrecti, hirsuti. *Color* (in nostris) pallidus, albidus, nitidus, metallicus et margaritaceus. *Pictura* fasciolata l. strigata. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. (Spec. Scand. 2.)

**1. C. Smeathmanniana**: alis anticis flavo-albidis, fasciolis duabus obliquis subinterruptis griseo-olivaceis; posticis fuscis. ♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 8. p. 274. 2. Fabr. Ent. Syst. 2. 249. 28. Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 52. *Fabriciana* Hübn. Tortr. T. 23. f. 149. ♀.

Hab. — — in Lapponia habitare fertur, mihi in terris borealibus nunquam obvia, e Westrogothia a D. Gyllenhal missa. (Lapponia? Suecia Billberg, Gottlandia rarissime, nos.)

*Obs.* *C. Hoffmanseggana* Hübn. *convayana* Fabr. vide *Tortricem Hoffmanseggana*m nob. gen. 78. Subd. 4. *Obs.*

**2. C. Westwoodana**: alis anticis atris ferrugineo-maculatis, antice strigulis duabus duplicatis plumbeis, postice argenteo-strigosis, maculaque pone medium costae alba subquadrata. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.).

Hab. in Lapponia Umensi Sueciae rarissime; in folio fruticis ad Lycksele d. 21. Jun. 1832 utrumque sexum inveni; in alpe Dowre Norvegiae ♂, eodem anno eodemque fere die a D. Boheman quoque captus, mecumque ad describendum communicatus. (Lappon. meridionalis Suecica et Norvegica.)

♂♀. Affinis videtur *C. Schreibersianae* Treits. Schm. 8. p. 285. 13. s. *Ledianae* Hübn. Tortr. T. 24. f. 151. (non Linnaei), sed alarum macula costali majori et alba, nec flava, etc. ab illa distincta. Species insignis et pulchra. Volat in ziczac. Tota obscura l. fusca. Alae anticae in fundo quidem atrae, sed maculis ferrugineis nitidis variegatae, antice fasciolis 2, una ad basin, altera mox ante medium, undulatis, irregularibus, plumbeis, nigro-punctatis; postice strigis 4 l. 5 interruptis, argenteis. Mox pone medium macula costalis quadrato-rotundata alba roseo-maculata, et puncto atro ad costam ornata. Alae posticae fuscae.

Cel. Domino Doct. J. O. Westwood, ne displiceat legere suum honorificum nomen prope Smeathmanni, Fischeri, Kindermanni, Hoffmanseggi etc., electae speciei Lepidopteri Scandinavici additum, optat rogatque hujus Faunae auctor.

---

# FAMIL. II. TINEARIAE.

## 87. Scardia. Treits.

Treits. Schm. gen. (130). *Phycis* Ochs. *Alucita* Fabr. *Tinea* Linn. Fabr. Hübn. Thunb. cet.

Maxima aut media (long. al. exp. fere 2 poll., aut $\frac{3}{4}$ poll.). Antennae maris plerumque pennatae, aut pilosae. Palpi a basi ad medium compressi hiuti, apice nudi, corniformes, recurvi. Alae anticae elongatae angustae, margine interiori leviter excisae, apice rotundatae. Pedes postici longi, tibiis pilosis spinosis. *Color* fuscus, obscurus, ochraceus, albidus. *Pictura* varia: maculata, vix umquam strigata aut fasciata; alae anticae saepe fusco-alboque irroratae. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* fungis arboreis aut ligno putrido vescitur. (Spec. Scand. 5.)

**1. S. picarella**: alis anticis albidis fusco-irroratis, vittis

duabus, macula postica semicirculari, thoracisque puncto pone oculos, nigris. ♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 9. 1. p. 7. 5. Linn. Fn. Sv. 1389. var. Hübn. Tin. T. 32. f. 219. ♂. — Similis etiam sub eodem nomine a D. Crug missa in Mus. Fall. exstat.

Hab. in Lapponia rar.; e pupa laevi, pallide brunnea, in fungo Betulae albae ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis capta, individuum femineum descriptum d. 5. Jul. egressum. (Lappon.-Scania.)

♀. Caput et thorax alba, macula humerali nigra. Alae anticae albae fusco-irroratae, a basi fere ad medium vittis duabus nigris, una juxta costam, altera ad marginem interiorem. Mox pone medium incipit macula magna arcuata nigra, quae ad costam semicirculum format. Margo posterior creberrime fusco-irroratus. Fimbria cinerea. Alae posticae obscure cinereae. A speciminibus Suecicis differt Lapponicum magnitudine forte nonnihil majori, ut et vittis alarum nigris duabus, conspicuis; nec nisi sexum femineum in Lapponia inveni.

**2. S. subquadrimaculella**: alis anticis fusco-griseoque creberrime irroratis, maculis 4, harum dorsalibus duabus et lateralibus totidem, albis. ♂. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponiae Umensis sylvis rarissime; ad Frederica 30. Jul. capta. (Lappon. meridionalis.)

♂. Magnitudo et affinitas prioris. *Scard. acerellae* seu *rigerellae* Sodoffsky, ut et *Scard. betulinellae* Fabr. similis, sed ab illa alarum colore dominante fusco, nec nigro etc., et ab hac maculis alarum albis, nec obscuris, dignota. Caput, thorax et palporum apex, albida. Antennae pilosulae fuscae, annulis articuloque primo toto, albis. Alae anticae atomis microscopicis crebris griseis et fuscis sparsis, apice obscuriores, vitta longitudinali media certo luminis situ purpurascenti lilacina, valde obsoleta. Ad marginem interiorem seu in dorso communiter (alis conniventibus) maculae 2 rotundae albae conspicuae; in medio alae versus costam macula tertia albida minor, indeterminata, et paullo pone medium ad costam, stigmatis loco, macula 4ta subquadrata perspicua alba puncto medio nigro. Alae posticae fusco-cinereae, costa medio tenuiter alba.

*Obs.* *Scardia boletella* Treits. Hübn. Fabr. (in fungis fagineis Scaniae rariss. lecta; maxima); *fungella* Thunb. Diss. Ins. Sv. 1794. P. 7. p. 93. certe (*mediella* Treits. Schm. 9. 1. p. 5. 3. *Phycis mediella* Ochs. Schm. 4. p. 195. 2. Hübn. Tin. T. 3. f. 19. ♀. *Noctua Boleti* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 62. 26. ♂.; in Smolandia et Scania, Jun. uterque sexus haud infrequenter lectus, etiamque e Westrogoth. a D. Gyllenhal missus ut *Tin. fungella* Thunb. vera); et *betulinella* Treits. Hübn. (*Alucita betulinella* Fabr., in Suecia Mus. Fall.); Faunae Lapponicae ignotae.

---

## 88. Tinea. Linn.

Treits. Schm. gen. 131. Auctor. — Suecis: proprie *Mott*, *Mal*.

In hac familia media aut parva (long. al. exp. $\frac{3}{4}$ — $\frac{1}{2}$ poll.). Antennae subfiliformes l. tenuissime pilosulae. Palpi breves, subocculti. Caput latum, dense hirsutum. Alae anticae longae, sericeo-nitentes; posticae angustae; omnes longe ciliatae. *Color* canus, cinereus, pallidus; caput unicolor, pallidum. *Pictura*, dum adest, variegata. *Habitatio* in domiciliis hominum. *Larva* in pellibus, vestimentis villosis, supellectilibus cet. hospitatur, ea rodens. (Spec. Scand. 5, quae ob larvarum noxam inter Tinearias nobis maxime familiares et ut ita dicam domesticae sub antiquo genere *Tinea*, iis jure meritoque a nunquam satis laudato Treitschke reservato, comprehenduntur.)

**1. T. granella**: alis anticis albo nigroque variis; posticis fuscis; capite flavescente. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

Linn. Fn. Sv. 1413. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 334. 15. Hübn. Tin. T. 24. f. 165. Treits. Schm. 9. 1. p. 13. 1. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 214.

Hab. in frumentorum granariis, semina rodens glomeransque, hyeme parietes adscendit. Notissima. In Lapponia boreali parcius, in meridionali frequentius, mihique praesertim ad Lycksele, Asele et Frederica, 20—30. Jul. obvia. (Lappon.-Scan. vulgar.)

**2. T. pellionella**: alis anticis griseis l. brunneis, medio puncto obscuro; posticis fuscis; capite grisescente. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{1}{2}$ poll.).

Linn. Fn. Sv. 1415. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 304. 73. Hübn. Tin. T. 3. f. 15. ♀. Treits. Schm. 9. 1. p. 15. 2.

Hab. in vestimentis villosis, ea corrodens et depilans; in Lapponia pass. (Lappon.-Scania freq.)

**3. T. sarcitella**: alis griseo-cinereis, thorace utrimque puncto albo. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{1}{2}$ poll.)

Linn. Fn. Sv. 1416. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 304. 75. Roes. Ins. 1. 4. T. 15. f. 1—6. Treits. Schm. 9. 1. p. 19. 3. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 217.

Hab. cum prioribus in Suecia passim, forte etiam in Lapponia, mihi licet in terris arcticis non obvia. (Lapponia-Scania pass.)

**4. T. tapezella**: alis anticis dimidietate antica purpurascenti atris, postica albis, hac parce fusco-undulata et punctata; posticis cinerascentibus; capite niveo. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Linn. Fn. Sv. 1414. Fabr. Ent. Syst 3. 2. 303. 70. Hübn. Tin. T. 13 f. 91. ♂. Treits. Schm. 9. 1. p. 22. 5. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 215.

Hab. in culcitis, plumis fartis, pellibus, vestimentis rangiferinis, in Lapponia passim frequenter, sed mihi ibi minime tam vulgariter obvia ac per totam reliquam Sueciam. (Lapponia-Scania ubique freq.; e pupa jam 17. Maj. exiit imago.)

*Obs.* *Tinea crinella*: alis nitidis, anticis pallide flavis, posticis dilutioribus; capite ferrugineo. ♂♀. (Long. vix $\frac{1}{2}$ poll.)

Treits. Schm. 9. 1. p. 21. 4.

Hab. in Suec. media et meridionali pass.; in Ostrogothia haud infrequenter; at in Lundae domibus et museo nostro, mense praesertim Julio frequentissime, in Lapponia a me non visa. — Imago e chrysalide medio mensis April. saepe prodiit. Lund.

♂♀. Affinis *sarcitellae*, sed paullo minor, pallidior, magis nitida. *Larva* alba, capite brunneo, etiam in vestimentis e lana confectis vulgaris.

---

## 89. Lemmatophila. Treits.

Treits. Schm. gen. 132. *Pyralis*, *Crambus*, *Lithosia*, *Tinea* Fabr. *Tortrix* et *Tinea* Hübn. *Tinea* Linn.

Major, media (long. al. exp. plerumque 1, raro $\frac{3}{4}$ poll.). Antennae filiformes l. setaceae. Palpi breves, superne hirsuti. Alae in hac familia latiusculae, anticae oblique truncatae, inde apice acutae. Femina interdum alis incompletis. *Color* fuscus, griseus, cinereus, canus. *Pictura* alarum parum conspicua; in fundo pallidiori atomi aut signaturae nigrae, et in obscuriori, strigae aut vittae paucae albidae, saepius observantur. *Habitatio* sub dio, in lucis, frutetis et sylvis; truncis arborum plerumque insidens. *Larva* et *pupa* inter folia contorta. (Spec. Scand. 6.)

**1. L. antiquella**: alis anticis griseo-fuscoque crebre irroratis, punctis discoidalibus duabus obscurioribus; posticis albido-griseis. ♂. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Hab. in Finmarkia occidentali rarissime; ad Bossekop prope Alten non longe a capite septentrionali, d. 3. Aug. a me capta. (Lappon. Norvegica.)

♂. *Lemm. avellanella* Hübn. minor, brevior. Dilute grisea. Antennae subtus brevissime ciliatae. Alae anticae griseo-fuscoque irroratae, maculis albidis obsoletis, intra marginem apicalem perspicuioribus. In centro alae punctum parvum nigrum, et mox pone medium, aliud ejusdem magnitudinis et coloris. Fimbria grisea fusco-intersecta. Alae posticae albido-griseae, fimbria concolore.

*Obs.* 1. *Lemmatophila fagella* Fabr. Hübn. (Suecia rar.); *avellanella* Treits. Hübn. (e Westrogothia a D. Gyllenhal missa); *phryganella* Schrank. Treits. Hübn. (Suec. rar., etiam ut „*Ypsolophus autumnalis* Fabr. Suppl. a DD. Gyllenhal et Dalman communicata); *gelatella* Linn. Fn. Sv. 1450. (in coryletis ad Alnusa Scaniae Mart. April.); et *Steinkellnerella* Fabr. (*characterella* Hübn.; e Westrogoth. a D. Gyllenhal missa); in Lapponia haud inventae.

*Obs.* 2 *Galleria colonella* Germar u. Zincken (*Tinea* Linn. Fn. Sv. 1358; et *Tin. sociella* Linn. Fn. Sv. 1359; in Ostrogothia, Gottlandia, Scania, Jul. pass.); et *cerella* Fabr. Hübn. Treits. (*mellonella* Moderr. Act. Holm. 1762. f. 1. Linn. Fn. Sv. 1383. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 210.; Holmia Linné. — Scania: larva, pupa et folliculus. Mus. Fall.); Lapponiae certe profugae.

## 90. Chilo. ZINCKEN gen. SOMMER.

TREITS. Schm. gen. 135. ZINCKEN. Monograph. in GERMAR. Ent. Mag. 2. p. 34. FISCHER. *Lithosia* et *Tinea* FABR. *Crambus* FABR. LATR. *Tinea* LINN. HÜBN. THUNB.

Major aut medius (long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ — $\frac{3}{4}$ poll.). Antennae setaceae. Palpi fere horizontaliter porrecti, subdeclinati rostriformes, breviter pilosuli. Lingua elongata. Alae in sectione Ima subconvolventes, in *truncatello* No. 11. parum deflexae breviter fimbriatae; anticae longae angustatae; posticae latae, explicatae semiorbiculatae. *Color* ochraceus, griseus, fuscus, albidus, margaritaceus. *Pictura* vittata, raro fasciata. *Habitatio* in graminosis, pratis, campis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Volatus* celer, brevis, abruptus. Quiescit saepissime alis convolutis, culmoque insidens capite terram spectat. *Larva* pedib. 16. (Spec. Scand. 24 et ultra in museo nostro adsunt.)

### Sect. I. *Alae fere in cylindrum circa corpus convolutae. Imagines in quiete subversae, seu capite deorsum anoque sursum versae sedentes.*

* Alae anticae apice acuminatae. Pedes postici elongati. Mares feminis minores. Larvae culmicolae seu in Cyperaceis et graminibus paludosis vivunt.

*Obs.* *Chilo forficellus* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 85. f. 4. TREITS. Schm. FISCHER. Microl. (*mucronellus* ZINCK. *Tin. consortella* HÜBN., Westmannia, Ostrogoth., Scania pass.); in Lapponia non inventus.

** Alae anticae margine postico transversim truncato, emarginato. Mares feminis majores. Larvae terricolae e muscis radicibusque graminum victitant.

**1. Ch. pascuellus:** palpis, capite thoraceque supra albis, alis anticis nitidis, flavo-aureis, vittis duabus longitudinalibus, una subcostali majori apice acuta, altera ad marginem interiorem, posticeque maculis 2 lineaque transversa, argenteo-niveis; posticis albidis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 9. 1. p. 75. 9. ZINCK. Monogr. 2. 49. 12. LINN. Fn. Sv. 1367. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 295. 33. HÜBN. Tin. T. 5. f. 31. ♀.

Hab. in Lapponia rar. (Lappon.-Ostrogothia, Gottland., Scania Jul. freq., saepe in Pinetis captus; in detritis color aureus in pallide ochraceum abit.)

**2. Ch. pratellus:** alis anticis hepaticis l. luteo-fuscis, l. ut saepius in femina exalbidis, vitta longitudinali media interne denticulo instructa, maculisque apicalibus, albis, postice strigulis longitudinalibus 5 l. 6 lineaque transversa angulata argenteis; posticis griseis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 9. 1. p. 81. 13. ZINCK. Mon. 2. 56. 16. HÜBN. Tin. T. 5. f. 29. ♂. *Tinea* LINN. Fn. Sv. 1369. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 294. 32.

Hab. in Lapponia rar.; ad Bjoerkvik Nordlandiae inferalpinae 14—15. Jul. pass. (Lappon.-Gottland., Scan., Jul. Aug. freq.)

**3. Ch. hortuellus:** alis anticis lutescentibus, striis longitudinalibus 6 l. 7, linea postica transversa arcuata strigulaque apicali plumbeis, fimbria argentea; posticis cinereis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 9. 1. p. 84. 14. var. a. ZINCK. Mon. 2. 62. 19. HÜBN. Tin. T. 7. f. 46. ♀. *Tin. strigella* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 297. 44.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in graminosis locis paludosis ad Lycksele 19 — 25. Jun. frequentius. (Lappon. meridionalis. — Scan. freq.)

Var. b. ♂. minor, alis anticis pallide flavis, striga media angulata posticeque ochraceis, striis longitudinalibus 6 l. 7, linea postica transversa arcuata strigulaque apicali, plumbeis, fimbria argentea; posticis cinereo-albidis. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

*Ch. hortuellus* TREITS. l. c. var. b. forte? *Tin. cespitella* HÜBN. Tin. T. 7. f. 45? *Tin. gramella* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 300. 59. (sub nomine forte immerito „*Tin. aridella* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 83. f. 1.“ in Mus. FALL. exstat.)

Hab. in Lapponia Umensi cum variet. a. ad Lycksele et Stensele 19 Jun. — 3. Jul. frequenter; an diversus? (Lapponia-Scania in graminosis ad Lund, ut et in campis ad Lomma et Kjellinge Scaniae, Jul. freq.)



*Obs.* *Chilo ensigerellus* TREITS. HÜBN. (*Tin. hamella* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 83. t. 3.; in campis aridis Scaniae ad Lomma et Kjeflinge 27. Maj. — 17. Jun., passim) Lapponiae exsul.

*** Alae anticae margine postico subrecto truncato aut obtuso, non emarginato. Larvarum victus ut in ** allatarum.

**4. Ch. culmellus**: alis anticis pallidis, ad costam saturatioribus, strigulis longitudinalibus tenuissimis subpunctiformibus fuscis, in summo margine apicali punctis subsenis minutis nigris et fimbria aureo-nitida; posticis cinereis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

TREITS. Schm. 9. 1. p. 93. 18. ZINCK. Mon. 2. 70. 23. *Tinea* LINN. Fn. Sv. 1370. *T. straminella* HÜBN. Tin. T. 7. f. 49.

Hab. in Lapponia passim. (Lappon.-Ostrogoth., Oeland., Gottland., Scania, 27. Jun. — 20. Jul. frequent. in copula.)

**5. Ch. conchellus**: palpis, capite thoracisque medio supra albis, alis anticis flavo-luteis, vitta longitudinali pyramidali argenteo-alba, tenuiter nigro-marginata, in tres maculas divisa, anteriori cuneiformi, media rhombea, exteriori lineari, transversa; posticis cinerascentibus. ♂. (Long. al. exp. 1 poll.)

TREITS. Schm. 9. 1. p. 97. 20. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 295. 36. *Tin. myella* HÜBN. Tin. T. 6. f. 37. ♀.

Hab. in Dowre D. BOHEMAN. (Lappon. Norvegica.)

♂. A *Ch. pinetello*, cui valde similis, facile tamen dignoscitur alarum anticarum maculis albis 3 (nec 2), quarum ultima linearis transversa. Marginis postici fimbria in specimine Dowreensi, quod ante oculos habeo, ab apice ad medium marginis alba, deinde nigro-fusca, nec tota nigra, ut in figura HÜBNERI, nec griseo-alboque alternante, ut in *Ch. conchello* TREITSCHKEI.

**6. Ch. falsellus:** palpis, capite thoraceque supra albidis, alis anticis griseo fuscoque variis, vitta longitudinali cuneiformi a basi ad medium ducta nivea, maculis posticis variis difformibus albis, quarum 1 in ipso apice rotunda, et 2 ad angulum ani oblonga, distinctis, versus marginem posticum striga circulatim arcuata fusca, fimbriaque obscura albido intersecta; posticis sordide cinereis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

TREITS. Schm. 9. 1. p. 105. 26. ZINCK. Mon. 2. 80. 30. *Tinea* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 295. 37. HÜBN. Tin. T. 5. f. 30. ♀. *Tin. abruptella* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 83. f. 2. (haud fidelis).

Hab. in Lapponia secundum collectiones boreales, mihi non nisi in Suecia meridionali obvius. (Lapponia? Ostrogothia rar. — Scania Jul. freq.)

**7. Ch. ocellellus:** palpis, capite thoraceque supra griseis; alis anticis ochraceo-fuscis, vitta longitudinali cuneiformi a basi ad medium ducta maculaque postica difformi composita per maculam brunneo-nigram disjunctis, niveis, linea postica transversa arcuata plumbea ocelloque in ipso apice albo; fimbria aerato-nitida; posticis cinereis, fimbria albida. ♂. (Long. al. exp. fere $\frac{7}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia rarissime; individuum unicum in paludosis ad Wilhelmina (Lapponiae meridionalis) invenit D. DAHLBOM, et alterum ut incolam Lapponiae borealis mihi misit D. BOHEMAN. (Lappon. Suecica.)

♂. Similis *falsello*, sed forte paullo longior, et capite palporumque colore flavescente, nec albo, alarum vitta et macula postica tricomposita per nigredinem conspicuam separatis, linea postica repanda plumbea, nec fusca, macula apicali alba ocellata, etc., ab illo aperte distinctus.

**8. Ch. aquilellus:** alis anticis angustatis ochraceis l. lutescentibus l. fuscis, ad costam saturatioribus, vitta media longitudinali subargentea lineaque postica transversa repanda obsoleta fusca; posticis cinereis. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

Var. a. alis anticis ochraceo-lutescentibus, vitta longitudinali argentea l. alba.

TREITS. Schm. 9. 1. p. 114. 31. a. ZINCK. Mon. 2. 88. 34. var. a.

Var. b. alis anticis pallescentibus haud nitidis, vitta longitudinali media alba obsoleta aut nulla, saepe vero loco ejus adjecta superne striga longitudinali tenuissima nigra, media fracta.

TREITS. et ZINCK. l. c. var. b. *Tin. paleella* HÜBN. Tin. T. 8. f. 51. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime, var. a. in Nordlandia inveni, et var. b. in Dowre a D. BOHEMAN lecta; sed varietates obscuriores seu *Tin. culmella* HÜBN. l. c. f. 50. et ejusdem *aquilella* l. c. f. 52. (*ferruginella* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 84.) in Suecia inferiori frequenter obviae, in Lapponia a

me non visae. (Lapp.-Ostrogoth.-Finland.-Scania in campis aridis var. a. b. freq.)

**9. Ch. furcatellus**: alis fusco-cinereis, anticis sublatiusculis, vitta media longitudinali a basi ad apicem ducta alba, pone medium subdivisa. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia rarissime; in Dowre a D. BOHEMAN mens. Jul. captus. (Lapponia Norvegica.)

Statura *Ch. contaminellae* HÜBN. Subsimilis varietati obscurae praecedentis, sed alis anticis nonnihil latioribus, minus convolutis, vitta alba perspicua longe extensa, etc., facile dignotus. Fuscus. Caput, palpi et thorax supra ferrugineo-lutescentia. Alae omnes fusco-cinereae, fimbria pallidiori; anticae vitta media angusta alba ab infima basi fere usque ad marginem posticum ducta, mox pone medium subbifida, ramulo interiori furcae breviori, cito evanescenti.

**10. Ch. luteellus**: alis *maris* anticis ochraceis, postice lineolis duabus obliquis repandis fuscis obsoletis; posticis dilute cinerascentibus; *feminae* anticis murinis, striis longitudinalibus pallidioribus; posticis fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. 1 poll.)

TREITS. Schm. 9. 1. p. 125. 37. ZINCK. Mon. 2. 100. 40. *Tin. ochrella* HÜBN. Tin. T. 8. f. 55. ♂. *exsoletella* HÜBN. Tin. T. 7. f. 48. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime; in alpe Dowre a D. BOHEMAN deprehensus. (Lapponia Norvegica, Scania ad Abusa d. 26. Maj. uterque sexus semel a D. DAHLBOM inventus.)

**11. Ch. truncatellus**: alis elongatis angustis apice recta truncatis, anticis lutescenti ferrugineis, interius griseo-cinerascentibus, margine postico rufo-cinnamomeo, costa bipunctata; posticis cinereis. ♂. (Long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Gransele d. 26. Jun. 1832 oculatissimus DAHLBOM individuum incolume primum detexit; deinde quoque a D. BOHEMAN in Dowre, ut et in Goerdalen Dalecarliae captus. (Lapponia meridionalis Suecica et Norvegica.)

♂. Inter Lapponicos maximus. Species pulcherrima et distincta, hujus certe generis. Griseo-fuscus. Alae anticae subpatulae s. parum deflexae, ferrugineae, interius indeterminate cinerascentes, macula l. striga una alterave parva disci obsoleta fusca. Margo posticus laete cinnamomeus. In summo margine series punctorum atrorum. Fimbria alba nigro-intersecta. In costa puncta 2 fusca, unum in medio, et alterum versus apicem, ubi desinit color cinnamomeus, hoc utrinque albo-terminatum. Alae posticae laete cinereae, fimbria alba.

*Obs. Chilo chrysonuchellus* ZINCK. TR. verus (*Tin. campella* HÜBN. certe, sed vix *T. gramella* FABR.; in Scaniae campis aridis passim, ex. gr. ad Bjoernstorp d. 20—30. Maj. freq. — Sub nomine „*Tin. rorella* LINN. Syst. Nat. et *linetella* FABR.“ haec species in Mus. FALL. asservatur); *pinetellus* TR. (*Tinea* LINN. Fn. Sv. 1368; in Ostrogoth. ad Omberg, Gottlandia, Scania ad Esperoed, Jul. pass.); *margaritellus* TR. (*Tinea* FABR. HÜBN.; in paludosis sylvaticis ad Fylla prope Wadstena Ostrogothiae, 8—26. Jul. freq., Scan. rar.); *inquinatellus* TREITS. ZINCK. HÜBN. (Ostrogoth., Gottland., Finland., Scania, locis aridis, Jul. freq.); *aridellus* ZINCK. Mon. 3. p. 115. 41. (*Tinea aridella* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 83. f. 1.; in Suecia THUNBERG l. c., mihi haud rite cognitus); *contaminellus* HÜBN. TR. (Westrogoth. D. GYLLENHAL — Ostrogoth., Oelandia, nos); *perlellus* HÜBN. ZINCK. TR. (*Tinea argentella* FABR. non vero *argentella* LINN.; *T. argyrella* FABR.? *dealbella* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 84.; in Oelandia pass.; sed in graminosis Scaniae circa Lund, Jul. ubique vulgatissimus); horum nullus in Lapponia a me observatus.

***Sect. 2. Alae fere horizontales, subpatulae, non convolventes, subtriangulares. Pyraliformes. Imagines truncis arborum viventium insident. Metamorphosis etiam forte intra rimas corticis peragitur, larvis e musco in trunco habitante victitantibus. Sine dubio proprii generis, cui nomen BOIEAM justissime proponerem.***

**12. Ch. mercurellus**: palpis, capite thoraceque supra laete cinereis; alis albido-canis, anticis fusco-irroratis et maculatis, strigis duabus transversis dentatis repandis distinctioribus, una ante medium, et altera postica, fuscis; in medio ocellis duobus parvis fuscis albo-pupillatis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

TREITS. Schm. 9. 1. p. 133. 42. ZINCK. Mon. 2. 109. 47. *Tinea* LINN. Fn. Sv. 1441. *Tinea crataegella* HÜBN. Tin. T. 34. f. 231. ♀.

Hab. in Lapponia rar.; longe tamen versus boream adscendit, et ad Alten Finmarkiae haud longe a Nord Cap d. 6. Aug. a me captus. (Lapponia, Oelandia, Scania in truncis arborum majorum, ex. gr. Ulmi, Fraxini etc., ad Lund Jul. Aug. frequentiss.)

♂♀. In medio alarum anticarum ocelli duo juxtapositi minuti, singulus pupilla alba. Alae posticae albido-canae nitidae immaculatae.

*Obs. Chilo dubitellus* TREITS. ZINCK. (*Tinea pyralella* HÜBN. ♀. *Pyralis dubitalis* HÜBN. ♂. *Crambus Mercurii* FABR.; in pratis Ostrogothiae et Scaniae, mens. Jul. freq.), in Lapponia non inventus — *Tinea hortella* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 296. 43. *Crambus hortorum* FABR. Suppl. p. 469. 33. „alis anticis griseis: costa inaequali strigaque media testaceis,“ a FABRICIO locis citatis in Lapponia habitare dicitur, testante D. PAYKULL; mihi ignota, vix *Chilonis* generis.

---

## 91. Phycis. FABR.

TREITS. Schm. gen. 136. ZINCK. Mon. in Ent. Mag. 3. p. 117. *Tinea* et *Crambus* FABR. *Tinea* HÜBN. LINN. v. CHARPENTIER.

Magna aut media (long. al. exp. $1\frac{1}{8}$ — $\frac{3}{4}$ poll.). Antennae setaceae, non pectinatae nec ciliatae, plerumque supra articulum baseos elongatum et incrassatum insigniter sinuatae. Lingua conspicua. Alae convolventes, anticae saepissime elongatae, angustae; posticae latae, explicatae semiorbiculares. *Color* obscurus, fuscus, raro pallidus. *Pictura*, dum adest, transversim parce undulatim strigata aut fasciata. *Habitatio* in graminosis, per partem sylvaticam Lapponiae, et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Volatus* prope terram celer, brevis, abruptus. In plantarum folio l. caule non capite prono (ut *Chilo*), sed sursum verso quiescit. *Larva*, pedibus 16, nuda, intra arborum fruticumque folia contorta, aut in canalibus membranaceis, aut intra plantarum capsulas vivit. *Differentia sexus*; *mas*: antennis basi incrassatis excisis, articulo secundo interdum basi subcristato; *femina*: antennis simplicioribus. (Spec. Scand 15, *Chilonibus* affines, antennis basi incrassatis, alis plerumque magis convolutis, in quiete retroflexis supra dorsum impositis, moribus, larvarum victu etc., ab his discrepantes.)

*Subdiv.* 1. Alae anticae haud elongatae versus apicem sensim dilatatae subtriangulares, in nostris subunicolores.

**1. Ph. auricella**: palpis erectis; antennis nudis, alis anticis olivaceo-nigris, basi viridibus; posticis brunneo-nigris, fimbria anticarum anguste, posticarum latius, lutea. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

TREITS. Schm. 9. 1. p. 149. 8. ZINCK. Mon. 3. 133. 11. *Pyralis* HÜBN. Pyr. T. 49. f. 340. ♂.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae frequenter; scilicet in graminosis, at praecipue in Polygono viviparo, in insula Schiervoe et ad Bossekop, 27. Jul. — 5. Aug. inventa; in alpibus Dowreensibus ad Ruse, Drivstuen et Kongswald, Jun. Jul. quoque a D. BOHEMAN capta. (Lapponia Norvegica.)

Alae anticae in nostris speciminibus, iisque non paucis, nitidae nigrae, basi indeterminate obscure virides, fimbria brevi flava; posticae brunneo-nigrae opacae, fimbria longiori fulva. Caput et thorax obscure viridia nitida. — *Phyc. antiopellae* TREITS. ZINCK. seu *Pyral. marginali* FABR. similis est, sed minor et notis allatis certe distincta; nec habitat *antiopella* in Lapponia. An hujus generis?

*Obs. Phycis ahenella* v. CHARP. HÜBN. ♀. ZINCK. TREITS. (*Tin. aeneella* HÜBN. ♂; in Suecia Mus. FALL.), in Lapponia l. provinciis borealibus Scandinaviae a me non visa.

*Subd.* 2. Alae anticae elongatae angustae subparallelae, longitudinaliter vittatae.

*Phycis carnella* LINN. Syst. Nat. FABR. etc., in Scaniae littoribus marinis passim, ad Sandhammar, Jul. Aug. haud infrequenter, in Lapponia certe peregrina.

*Subd.* 3. Alae anticae elongatae angustae, margine postico obtusae l. rotundatae, transversim bistrigatae aut bifasciatae.

**2. Ph. posticella**: palpis erectis, antennis (♂) cristatis, alis anticis cinerascentibus, strigis 2 griseis, una ante me-

dium obsoletissima, altera postica undulata, punctisque 2 mediis fuscis; posticis griseis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)
Hab. in Lapponia Umensi rar. D. Dahlbom. (Lappon. Suecica meridionalis.)

♂♀. Affinis et similis videtur *Phyc. obtusellae* Treits. et Hübn., sed magnitudine paullo majori, antennis in mare distincte cristatis, alis in utroque sexu magis cinereis etc., ab illa dignota. Fusca. Alae anticae obscurae, cinereo-nebulosae, certo luminis situ violaceo-micantes, linea ante medium et striga postica prope marginem apicalem subtiliter undulata transversis pallidioribus. In medio alae versus costam puncta 2 parva nigra. Alae posticae lividae s. dilute grisescentes. Cum *Bot. hybridali* (gen. 69. nob.) pictura et statura sat simili, vix confundenda. Antennarum forma probe observanda.

**3. Ph. annulatella**: palpis erectis, antennis (♂) cristatis; alis anticis purpurascenti nigris albo-irroratis, strigis duabus annulisque tarsorum posticorum albis; posticis griseofuscis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.).
Hab. in Lapponia passim; in silvis ad Naestansjoe et Wilhelmina, Lapponiae Umensis, 13—22. Jul., ut et in graminosis ad Talvig et Bossekop Finmarkiae, 2—5. Aug., a me lecta. (Lapponia.)

♂♀. Subsimilis priori. Obscura. Antennae maris distincte cristatae. Alae anticae in utroque sexu in fundo violaceo-nigrae, atomis albis crebre adspersae, strigisque 2 transversis albidis interne nigro-marginatis, una ante medium subrecta, altera postica obliqua subundulata et a margine apicis paullo magis remota, quam in *posticella*. In medio alae puncta 2 parva nigra ut in priori. Pedes albido-squamosi, tarsis obscuris et praesertim posticis alboannulatis.

**4. Ph. quadratella**: palpis erectis; alis anticis obscure griseis, macula media subquadrata antice posticeque nigroterminata. ♀. (Long. al. exp. fere 1 poll.)
Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad lacum Stor-Uman d. 6. Jul. semel capta a D. Dahlbom. (Lapponia Suecica meridionalis.)

♀. Proxime praecedentibus paullo major, robustior, alis magis dilatatis. Statura *Ph. rhenellae* Zinck. seu *palumbellae* Hübn. Fusca. Palpi erecti; superiores (pseudopalpi) perspicui. Alae anticae obscure fuscae pallide subnebulosae, macula media subquadrata distincta alba, antice et postice alia minori nigra terminata. Loco strigarum ordinariarum ante et pone medium observantur lineae duae albidae valde obsoletae interruptaeque, et vix nisi in relictis (praesertim quoad lineam posticam) punctis duobus, uno ad costam et altero ad angulum ani detegendae. Corpus subtus et pedes albido-squamosa nitida, tarsis anticis late fusco-annulatis. Alae anticae in parte posteriore subplicatae seu striis exaratae, interstitiis convexis. Forte hujus generis.

*Obs.* 1. *Phycis roborella* Treits. Zinck. (*Tin. spissicella* Fabr. T. 11. f. 75; in Finlandia et Suecia rar.); *dilutella* Treits. Hübn. Tin. T. 10. f. 69. (*canella* Zinck.; in Ericetis Scaniae, ex. gr. in plantatione Pini ad Staevie prope Lund versus finem Jul. freq.); *ornatella* Treits. Zinck. Charp. (*cristella* Hübn.; in Ericetis cum *dilutella* freq.); *palumbella* Zinck. Tr. (*contubernella* Hübn., Suec. Mus. Fall.; in Ericetis cum *dilutella*, nos); *rhenella* Zinck. Tr. (*palumbella* Hübn. Tin. T. 10. f. 70; ad Esperoed Scaniae ♀ rariss. inventa); *abietella* Fabr. Zinck. Tr. (*decuriella* Hübn. Tin. T. 11. f. 74. certe; in populetis ad Wadstena Ostrogoth. Jul. rar., et ad Esperoed Scan. rar.); *cristella* Tr. Hübn. (in Scania cum *dilutella*, ♂♀ rar.); *obtusella* Zinck. Tr. Hübn. Tin. T. 31. f. 215. ♀. long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll. (in Suecia secundum Degeer et Treitschke, mihi vero in Scandinavia non obvia); *elutella* Zinck. Hübn. (in Scania ad Lund et Malmoe in parietibus et domibus pass.); et *elongella* Tr. Hübn. (etiam *variella* Hübn., in Ostrogothia et Scania rar.); hae omnes in Lapponia a me frustra quaesitae.

*Obs.* 2. *Lispe* *) *cribrella* Treits. (*Tinea* Hübn. *Bomb. cribrum* Fabr., exclus. syn. Linn.; in Suecia meridionali, Blekingia D. Aspegren, rariss.) Lapponiae profuga.

*Obs.* 3. *Yponomeuta echiella* Treits. Hübn. Charp. (*Tin. bipunctella* Fabr.; in Suecia media et meridionali passim, educat. saepe feliciter exclusa); *plumbella* Fabr. Hübn. (in fruticibus sylvae ad Esperoed Scaniae 2—6. Aug.); *evonymella* Linn. Fn. Sv. 1363. Fabr. Hübn. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 212. Ostrogoth. Gottlandia, Scania frequentiss. Jul. Aug. saepe educat. et exclus.); *padella* Linn. Fn. Sv. 1364. Fabr. Hübn. T. 13. f. 87. Dahlb. Skand. Ins. Skad. och Nytta p. 213 et Act. Holm. 1835. p. 30—42. T. 3. f. 1—10. larva, pupa, imago (*cognatella* Treits. Schm. 9. 1. p. 220. 7.; in Pruno Pado, Evonymo, Pyro malo etc. Ostrogothiae, Finlandiae, Scaniae 20. Jun. — 24. Jul. frequentiss., larva gregaria, notissima); *sequella* Linn. Fn. Sv. 1365. Hübn. (*nyctemerella* Fabr., in Suec. med. et merid. pass.); *crataegella* Linn. Syst. Nat. Fabr. Hübn.; Ostrogoth. in monte insigni Omberg a D. Boheman capta; in Suec. meridional. rar., nos); et *reticulella* (e Westrogothia a D. Gyllenhal sub nomine: „*Tin. reticulella* Hübn. Tin. T. 25. f. 171. *gemella* Fabr.," communicata; mihi potius *Oecophorae* species videtur); in Lapponia hactenus non deprehensae, quantum novi.

*) *Lispe*, nomen generis mutandum, quia jam in Dipterorum Ordine usu longo receptum.

---

## 92. Haemylis. Treits.

Treits. Schmett. gen. 139. *Tinea* Linn. Fabr. Hübn. Thunb. cet. *Pyralis* Fabr. *Tortrix* Linn.

Major, media (long. al. exp. $\frac{7}{8}$—$\frac{5}{8}$ poll.). Tortriciformis. Antennae filiformes l. setaceae, simplices. Palpi insignes, capite longiores, distincte recurvati, 3-articulati, articulo 1 brevi, 2 longiori, crassiori, subtus plerumque grosse piloso, et 3tio nudo subulato s. corniformi. Alae horizontaliter incumbentes, anticae basi angustae, sed subito dilatatae, subparallelae, apice iterum angustatae, margine postico aut rotundato aut truncato, fimbria brevi; posticae longitudine anticarum, sed his angustiores, fimbria nonnihil longiori quam in anticis. *Color* dominans nigricans, canescens, fuscescens, interdum rubro-testaceus, pallidus. Caput et thorax saepe insigniter pallida. *Pictura* subfasciata, variegata, frequenter irrorata, macula laterali saepe conspicua. *Habitatio* in plantis variis; truncis arborum haud raro insidens; per partem sylvaticam Lapponiae, alpinam et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva* et *pupa* aut in foliis contortis aut in Umbelliferis eorumque caulibus plerumque degunt. (Spec. Scand. 20 in museo nostro numerantur, tortriciformes, statura deplanata, alis patulis horizontaliter incumbentibus, palpis valde recurvis etc. facile dignotae.)

*Subd.* 1. Alae anticae angustiores subparallelae, apice rotundatae aut oblique truncatae. Palporum articulus medius nudiusculus. Mediae aut minores, obscurae, unicolores aut fasciis l. strigis transversis albidis l. cinereis.

**1. H. nubilella**: alis anticis apice subrotundatis obscure fuscis, punctis paucis in disco saturatioribus; posticis cinerascentibus. ♂. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)
Hab. in Lapponia passim; ad Stensele et Brattiksfjell, Lapponiae Umensis meridionalis d. 3—30. Jul. inveni; etiam in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Bjoerkvik rarius visa; et in Lapponia Tornensi s. boreali a D. Frigelio lecta. (Lapponia.)

♂. *H. populella* paullo major, unicolor, et alis minus parallelis, subdeflexis etc., ab illa dignota, praeprimisque ob structuram palporum, ut in reliquis *Haemylibus* similem, in hoc genere locata. Tota obscura, nigricans. In alarum anticarum disco puncta 2 l. 3 minuta nigro-fusca. Alae posticae cinereae, fimbria omnium cinereo-fusca. Tarsi postici albido-annulati.

**2. H. populella**: alis anticis apice rotundatis, albo-canis, fusco-atroque nebulosis; posticis fuscis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)
Treits. Schm. 9. 1. 244. 8. (alarum posticarum fimbria in nostris speciminibus fusco-cinerea, non flavescenti) exclus. syn. Fabr., Linn. Fn. Sv. 1442 vera. *Tin. undella* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 309. 96. *T. blattariella* Hübn. Tin. T. 22. f. 148.
Hab. in Lapponiae meridionalis Populis rar. (Lappon.-Ostrogoth., Scania, 10. Jul. — 24. Aug. freq., truncis Populi tremulae saepe insidens, corticemque aemulans.)

♂♀. Variat pictura. In alis anticis nigris l. atris albo-irroratis punctum ante medium distinctum, et striga undata transversa pone medium, alba, constantiores sunt notae. Costa antica quoque alba, atomis nigris. Palpi, caput et thoracis latera etiam albida. Antennae et tarsi fusca, albo-annulata. — Ut „*T. virgella* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 92. f. 10," mihi e Suecia media missa; sed haud vera.

**3. H. virgella**: alis anticis apice oblique truncatis, canis, fasciis 4 nigris; posticis obscure cinereis; capite palpisque albis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)
*Tinea virgella* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 92. f. 10.
Hab. in Lapponia passim frequens, 20. Jun.—27. Jul.; scilicet in campis aridis ad Lycksele Lapponiae Umensis; et ad Juckasjervi et Tornetraesk, Lapponiae Tornensis; adscen-

dit quoque in alpes et in summo alpium Tornensium jugo capta; descendit iterum in inferalpinam maritimam Nordlandiae, et in insula Schiervoe lecta. (Lapponia, Suecia Thunberg, Ostrogoth. ipse.)

♂♀. Statura prioris. Caput et palpi alba. Antennae albo-annulatae. Alae anticae nigrae, fasciis 4 albis, aequali spatio remotis, nempe 1 ad basin, 2 ante medium, obliquis, 3 in medio recta, et 4 postica obliqua. Ipse margo apicalis acuminatus etiam albus, fimbria cinerea. Alae posticae obscure cinereae longe ciliatae. Abdomen nigrum, albo-annulatum. Pedes albi, tibiis tarsisque late fusco-annulatis.

Var. b. ♂. alis anticis fusco-griseis, fasciis 4 albis obsoletis. Alias var. a. similis forte detrita; cum var. a. habitans.

**4. H. viduella**: alis anticis oblique truncatis nigris, fasciis 3 albis, media abrupta; posticis obscuris; palpis capiteque niveis. ♂♀. (Long. al. exp. circiter $\frac{5}{8}$ poll.),

Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 299. 53. Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 91. 9; sed vix *luctuella* Hübn. Tin. T. 21. f. 144, ubi fascia postica alba recte transversa, nec obliqua depicta.

Hab. in Lapponia Lulensi D. Paykull, mihi in Lapponiis Suecicis non obvia; sed in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae, ex. gr. ad Hamnvigen, Dyroen et Tromsoe d. 15 — 27. Jul. frequenter inveni; in Dowre a D. Boheman quoque capta; adscendit tandem in alpes altiores et in summo alpium Tornensium jugo d. 12. Jul. legi. (Lapponia, Suecia inferior teste D. Thunberg.)

♂♀. Figura Thunbergi fidelis. Tota brunneo-nigra. Caput, palpi, thoracis medium, et abdominis pedumque annuli, nivea. Alae anticae fasciis 3, aequali spatio remotis, niveis, nempe 1 ante medium subobliqua, 2 in medio sublunata interius abbreviata, et 3 postica obliqua, cum margine externo parallela. Fimbria nivea. Cauda maris subtus pallida, fasciculus pilorum nigrorum 3 inflexis, intra quos squamulae duae flavescentes. Anus feminae simplex.

**5. H. lugubrella**: „alis anticis nigris, fasciis 2 albis, anteriore abbreviata; capite albo." Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 299. 54.

Hab. in Lapponia D. a Paykull, teste D. Fabric. l. c., mihi non obvia. (Lapponia forte Lulensis.)

„Statura omnino praecedentis. Palpi corniformes albi, apice fuscescentes. Pedes nigri, tarsis albo-annulatis. Femora postica alba." Fabr. l. c. Forte hujus generis.

*Obs.* *Haemylis pinguinella* Treits. (*populella* Hübn. Tin. T. 22. f. 3; in Westrogoth., Gottlandia 20 — 27. pass., in truncis vivis Populi Tremulae ad Wadstena Ostrogoth. 7. Aug. — 7. Sept. freq. — Ut *Tinea populella* Fabr. Suppl. 484. 17. vera, haec species in collectionibus Suecicis, etiam praeclarioribus, occurrit), in Lapponia frustra quaesita.

*Subd.* 2. Alae anticae latiores, apice obtusae aut recta truncatae. Palporum articulus medius subtus grosse pilosus. Saepissime majores, colore laetiores, nunquam fasciatae, atomis strigulisve longitudinalibus fuscis, aut interdum puncto laterali, pictae. *Larvae* saepius floribus Umbellatarum vescuntur.

**6. H. collarella**: palpis, capite thoraceque supra pallide flavis, alis anticis rufo-ferrugineis unicoloribus. ♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lapponia Suecica meridionalis.)

♀. In hac Subdiv. parva angusta, magnitudine *H. populellae*. Antennae totae et palporum apex nigro-fusca. Reliqua ut in diagnosi.

**7. H. heracleella**: capite thoraceque grisescentibus, alis anticis rubescenti testaceis, atomis fuscis adspersis, puncto medio gemino maculaque nigris; posticis dilutioribus. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 9. 1. 250. 13. Hübn. Tin. T. 62. f. 417. ♂. *carduella* T. 66. f. 439. ♀. *Tortrix heracleana* Linn. Fn. Sv. 1334. *Pyralis* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 286. 178.

Hab. in Lapponia meridionali rar.; in aliis plantis etiam hospitari videtur, quam in solo Heracleo, in Lapponia non crescente. Varietas pallidior tota forte detrita. (Lapponia-Scania ad Lund in graminos. 24 — 27. April.)

*Obs.* 1. *Haemylis Daucella* Treits. (*apiella* Hübn., Scania ad Lund et Esperoed freq. Larva in Dauco Carota habitans abiit in pupam d. 1. Aug., e qua prodiit imago d. 24. ejusdem mensis. Imagines etiam inter folia librorum vetustorum d. 15. Mart. vivae captae); *umbellella* Fabr. Suppl. Dahlb. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 218. (*Pyral. umbellana* Fabr. Ent Syst.; in Dauco Carota hortor. Lundensium, Aug. freq., an var. *Daucellae?*); *cicutella* Treits. Hübn. T. 12. f. 79. (sub cortice arborum ad Abusa Scaniae 15. Januar. et 4. April. freq., etiam ad Wadstena Ostrogoth. 12. April. Alia vice in cubiculo nostro Lundae 16. Jan., 5. Jun. et 20. Oct. capta. — Tandem in herbario meo 24. Nov. viva lecta. Sub nomine: „*Pyral. applana* et *Tinea applanella* Fabr., *Tortrix* eadem Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 3. p. 52," in Mus. Fall. asservatur.); *pulverella* Treits.! (*atomella* Hübn.!; Suec. Mus. Fall.); *Verbascella* Treits Hübn. (Suec. Mus. nostr.); *characterella* Tr. (*signella* Hübn. *Pyr. ocellana* Fabr.; in Scan. rariss. Mus. Fall. Sub lapide ad Lund d. 20. Mart. semel, nos); *Alstroemerella* Treits. (*Alstroemiana* Linn. Fn. Sv. 1335. *Tin. puella* Hübn.!; in cubiculis et parietibus Lundae jam 24. April. capta); *liturella* Treits. (*flavella* Hübn. certe; in Scania ad Hoegestad, mus. nostr); *arenella* Tr. (*gilvella* Hübn. *Pyr. Yeatiana* Fabr. Thunb., in Scan. pass., ex. gr. ad Lund 21. Dec. Dahlbom); *Sparrmannella* (*Pyr. Sparrmanniana* Fabr. Ent. Syst. an *liturella* var. Treits.?, in Scania rar.); et *sparganiella* Treits. Schm. 9. 1. p. 261. 22. (*Tinea* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 83. Ahrens. Fn. Ins. Eur. (cura Germar.) 12. f. 20. *Ar. goniopteryx* Treits. Schm. 10. Suppl. 3.; in Westrogoth. rarissime Thunberg, mihi non obvia); nulla harum in Lapponia huc usque deprehensa, quantum scio.

*Obs.* 2. *Hypsolopha asprella* Treits. Hübn. Linn. Fn. Sv. 1447. (Upsalia rariss.); et *antennella* Treits. (*lucella* Fabr., *mucronella* Hübn. *Tortrix retusana* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 23.; in Uplandia ad Upsala rar. — Scania ad littora maris, ex. gr. ad Esperoed et Sandhammar, 10 — 20. Aug. pass.); in Lapponia non inventae.

## 93. Rhinosia. Treits.

Treits. Schm. gen. 141. *Tinea* Fabr. Hübn. cet.

Media l. minor (long. al. exp. $\frac{3}{4}$ — $\frac{5}{8}$ poll.). Antennae setaceae, plerumque obscurae, pallide annulatae. Palpi distantes, capite haud longiores, mucrone e medio exeunte sursum vergente. Alae elongatae angustatae, anticae apice obtuse rotundatae. *Color* fuscus, cinereus, brunneus, testaceus. *Pictura* fasciolata aut vittata. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. Cognitarum *larva* et *pupa* intra folia contorta degunt. (Spec. Scand. 8.)

**1. Rh. juniperella**: alis anticis cinereis, punctis subquatuor nigris fasciolaque postica transversa albido-cana. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)

Treits. Schmett. 9. 2. p. 12. 3. Linn. Fn. Sv. 1449. Hübn. Tin. T. 31. f. 216. ♀.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi ibi non obvia, ab alio collectore ut Lapponiae incola mecum communicata. (Lapponia-Suec. meridion. ad Upsala Linn.; Suecia meridionalis Scania pass. et ad Abusa 20 — 24. Aug. frequenter capta.)

*Obs.* *Rhinosia ustulella* Treits. Fabr. (*capucinella* Hübn., e Westrogoth. Gyllenhal); *sylvella* Treits Fabr. Hübn. Tin. T. 63. f. 420. Linn. Syst. Nat. 2. 893. 413. *Hypsolopha sylvella* Treits. Schm. P. 10. Suppl. p. 187; Ostrogoth., Scania pass., in Quercetis ad Abusa et Esperoed 10 — 21. Aug. sat freq.); *costella* Treits. Fabr. Hübn. (Ostrogoth., Scan. pass. — Sub nomine *Tin. ustulella* Linn. var." in Mus. Fall.); *ferrugella* Treits. (*coriacella* Hübn., e Westrog. Gyllenhal, Mus. Fall.); *fissella* Treits. P. 10. Suppl 3. p. 187. Hübn. Tin. T. 16. f. 108. (*ustulella* Linn. Fn. Sv. 1334. var. teste Fall.; in Scania ad Marklunda et Esperoed 2 — 4. Aug.; et var. *Plutella unitella* Treits. Schm. P. 9. 2. p. 30. 5. Hübn. Tin. T. 22. f. 140. ♂. in Gottland. 25. Jul. ut et in fruticibus et quercetis Scaniae ad Esperoed 24. Aug. 13. Sept. haud infrequenter); hae Faunae Lapponicae ignotae.

## 94. Plutella. Treits.

Treits. Schm. gen. 142. *Tinea* Linn. Fabr. Hübn. *Alucita* et *Ypsolophus* Fabr. Dahlb.

Minor, parva (long. al. exp. $\frac{5}{8}$ — $\frac{1}{2}$ poll.). Antennae setaceae. Palpi capite paullo longiores, porrecti. Palporum mucro e medio l. pone medium exiens erectus; hinc palpi quasi furcati. Corpus gracile. Alae convolventes, anticae elongatae angustae oblique truncatae apice acuminatae, ad angulum ani longe fimbriatae; posticae angustatae, margine interiori longe ciliatae. *Color* fuscescens, albicans. *Pictura* vittata aut longitudinaliter striata. *Habitatio* per partem sylvaticam et alpinam Lapponiae, ut et inferalpinam Nord-

landiae. *Larva* laeviuscula subnuda, sub lente visa verruculosa et pilis solitariis in verruculis praedita, observante TREITSCHKE. *Pupa* pallescens in folliculo amplo tenui albo. (Spec. Scand. 5, palporum forma etc. dignotae.)

**1. Pl. Schmaltzella**: alis anticis griseis fusco-punctatis, vitta dorsali alba bidentata interrupta atro-marginata, adjecta vitta longitudinali fusco-ferruginea. ♀. (Long. al. exp. ¾ poll.)

Hab. in Lapponia Tornensi rar.; sub lapide ad Wittangi d. 16. Jun. specimen unicum mihi contigit invenire; et alterum ad Calix prope Torneå a D. SCHMALTZ d. 16. Maj. captum. (Lapponia borealis, Bottn.)

♀. Similis *Pl. xylostellae*, sed paullo major, magis picta. Grisea. Antennae vix annulatae. Palporum apex corniformis, e pilositate articuli 2di adscendit recurvus, unde quasi e medio l. juxta apicem articuli exiens. Alae anticae griseae fusco-irroratae. Vitta dorsalis communis albida, medio utrinque et apice obtuse dentata, puncto dente medio incluso aterrimo. Huic fasciae adjacet alia atra interrupta seu vix pone dentem medium continuata. In disco alae tandem vitta longitudinalis fere ad apicem extensa indeterminata, aut ferrugineo-cinnamomea, aut, in illaesis, fusco-ferruginea. Fimbria cinerea fusco-punctata. Alae posticae cinereae nitidae, ciliis concoloribus.

Pastor JOHANNES SCHMALTZ, olim (1821) Sacerdos in Paroecia Groetuaes prope Torneam, quem sub itinere meo Lapponico primo 1821 visitabam, multa e collectione sua mihi obtulit praeclara insecta borealia praesertim *Lepidopterorum* Ordinis, inter quae jam descripta species nomine indefessi insectorum investigatoris nunc condecorata, numeranda.

**2. Pl. senilella**: alis anticis griseo-cinereis fusco nebulosis; posticis cinerascentibus. ♀. (Long. al. exp. ⅞ poll.)

Hab. in Groenlandia, per favorem Amicissimi WESTERMANNI mecum communicata. (Groenlandia.)

♀. Statura et similitudo *Rhinosiae* (*Tineae*) *sylvellae* LINN. Syst. Nat., sed color et pictura alia. Cinerea. Antennae parum annulatae. Palpi fere ut in priori: Alae anticae subnitidae cinerascentes, fusco-maculatae, maculis certo situ fasciolas duas (in medio et mox pone medium alae) obliquas valde obsoletas formantibus. Sub lente visae alae hae punctis fuscis undique adspersae, praesertim versus apicem acutum conspicuis. Alae posticae cinereae nitidae, ciliis concoloribus. Corpus et pedes obscura, albomicantia, tarsis albo-annulatis. An potius *Rhinosiae* species!

**3. Pl. niveella**: palpis, capite thoraceque albis, alis anticis griseo-canis, vitta dorsali sinuata pallida. ♂♀. (Long. al. exp. ⅞—⅝ poll.)

Hab. in Lapponiae alpinis rar.; in ipso alpium Tornensium jugo in plantis humilibus inter nivem perennem se exserentibus d. 12. Jul. uterque sexus inventus; etiam in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Bjoerkvik d. 14—15. Jul. in copula capta; femina mare minor. (Lapponia per regionem alpinam et inferalpinam.)

♂♀. Affinis *Pl. xylostellae*, sed pallidior. Caput, palpi et thoracis medium supra, alba. Antennae pallidae, versus apicem fusco-annulatae. Alae anticae griseae, vitta dorsali communi sinuata albida fuscedine marginata; posticae cinereae, longe griseo-ciliatae. Pedes fuscescentes, tibiis albo-annulatis.

*Obs.* *Plutella xylostella* LINN. Fn. Sv. 1390. (Ostrogoth.-Scan. freq., in copula saepe capta); et *porrectella* LINN. Fn. Sv. 1443. (*hesperidella* HÜBN. *Ypsolophus vittatus* FABR. *Ypsoloph. Falleniellus* DAHLBOM Act. Holm. 1835 p. 205—208, ubi metamorphosis et vita exacte describitur; in hortis Scaniae Maj. Jun. vespere exiens, freq.); Lapponiae omnino profugae.

## 95. Harpipterix. HÜBN.

TREITS. Schm. gen. 144. *Tinea* LINN. Fn. HÜBN. *Alucita* et *Ypsolophus* FABR.

Major, media (long. al. exp. 1—⅝ poll.). Antennae setaceae, annulatae. Palpi capite paullo longiores, porrecti (post mortem saepe dependentes), pilis longis depressis vestiti, in medio mucrone suberecto. Alae convolventes, anticae valde angustae, elongatae, apice saepe insigniter reflexae, falcatae, in quiete corpori arcte applicatae (unde insectum superne inspectum compressum videtur); ad angulum ani longe ciliatae. Alae posticae seu inferiores margine interiori longe, costa breviter, ciliatae. *Color* fuscus, cinereus, pallidus. *Pictura* irrorata aut vittata. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* fusiformis. *Pupa* cymbiformis. (Spec. Scand. 5, alis anticis elongatis apice reflexo, falcato etc., facile dignotae.)

**1. H. harpella**: alis anticis fuscis, apice insigniter reflexo falcatis, vitta dorsali communi subsinuata, apice unidentata, palpis, capite thoracisque medio, albis. ♂♀. (Long. al. exp. ⅞ poll. et ultra.)

TREITS. Schm. 9. 2. p. 37. 3. HÜBN. Tin. T. 16. f. 110. ♀. (fig. parum fidelis). *Alucita dentella* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 331. 4.

Hab. in Lapponia, ut fertur, mihi in provinciis borealibus non obvia. (Lappon.-Ostrogoth.-Scania, in fruticibus 10. Jul. — 17. Aug. sat frequent.; e pupis folliculo cymbiformi flavo-albo, textura sat firma, inclusis imagines declaratas egredientes saepe vidi.)

*Obs.* *Harpipt. falcella* TREITS. HÜBN. (*dorsella* FABR.; in pratis sylvaticis ad Wadstena Ostrogothiae 20 — 29. Aug.); *hamella* TREITS. HÜBN. (in fruticibus Scaniae ad Esperoed Aug. rar.); *scabrella* LINN. Fn. Sv. 1446. FABR. (*pterodactylella* HÜBN., Uplandia ad Upsala LINN., Westrogothia a GYLLENHAL, Mus. FALL.); *nemorella* LINN. Fn. Sv. 1371. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 85. f. 5 et 6. (in Sueciae Xylosteo rar.); in Lapponia a me frustra quaesitae.

## 96. Palpula. TREITS.

TREITS. Schmett. gen. 145. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. *Crambus* FABR.

Media, minor (long. al. exp. ⅞—¾ poll.). Antennae setaceae, annulatae. Palpi longissimi porrecti, dense pilosi praesertim subtus, mucrone juxta apicem excurrente recto. Tibiae posticae pilosae. Alae anticae cultratae, margine postico oblique truncatae, hinc apice acuminatae; omnes non longe ciliatae. *Color* albido-cinereus, fuscus. *Pictura* vittata; alae anticae plerumque vitta costali tenui. *Habitatio* in lucis et nemoribus; per partem inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larva*, paucarum (exoticarum *Daphnellae*) cognita, fusiformis, variegata. *Pupa* filis paucis suspensa. (Spec. Scand. 2, palpis longissimis dense piloso-plumosis, alis anticis vitta costali tenui etc. ab affinibus dignoscendae.)

**1. P. bicostella**: alis anticis albidis nitidis, vitta longitudinali tenui fusca intra marginem costalem niveum, punctisque disci 2 remotis nigris; posticis cinerascentibus. ♂♀. (Long. al. exp. ⅞ poll.)

TREITS. Schmett. 9. 2. p. 50. 4. LINN. Fn. Sv. 1438. HÜBN. Tin. T. 17. f. 115. ♀. (*marginella* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 297. 46?)

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae passim; in Raschstind, ad Finkrog et in silva ad Bossekop, 25. Jul. — 8. Aug. freq. legi. Oculi in viva purpurei. (Lapponia Norvegica, Uplandia ad Upsala LINNE — Ostrogothia, Smoland, Scania, pass., ipse. — Etiam sub nomine: „*Crambus bicostatus* FABR. Suppl.“ e Westrogoth. a D. GYLLENHAL missa, Mus. FALL.)

*Obs.* *Palpula semicostella* TREITS. HÜBN. (in Scania ad Lund etc. passim mihi obvia; eadem etiam sub nomine: „*Tinea marginella* verissima THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 97. et FABR.“ a D. GYLLENHAL e Westrogothia communicata.)

## 97. Lampros. TREITS.

TREITS. Schm. gen. 146. *Tragocera* BILLB. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. *Alucita* FABR. *Tortrix* LINN. HÜBN. *Pyralis* FABR.

Major, media, minor (long. al. exp. 1—⅝ poll.). Antennae setaceae aut filiformes; annulatae. Palpi aut longitudine capitis filiformes, aut saepe capite duplo et ultra longiores, articulo 2do elongato magno compresso arcuatim adscendente breviter hirsuto, 3tio seu ultimo subulato corneo recurvo nudo. Alae anticae latiusculae, apice obtuse rotundatae; posticae anguste semiorbiculatae; omnes breviter fimbriatae. *Color* fuscus, brunneus, purpurascens aut pallidus, nitidus. *Pictura* maculata, raro reticulata. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Metamorphosis* varia; paucarum cognita. (Spec. Scand. 6; typus generis *L. majorella.*)

*Subd.* 1. Alae anticae longiores, basi angustatae, extrorsum sensim dilatatae. Larva sub cortice l. in ligno putrido degit; pupatio ibidem, sed etiam sub muscis; TREITSCHKE.

**1. L. capitella**: capite luteo, alis anticis fusco-purpura-

scentibus, maculis 4 flavo-aureis, quarum 2 dorsalibus communibus, et 2 lateralibus. ♂♀. (Long. al. exp. circit. $\frac{5}{8}$ poll.)
Treits. Schm. 9. 2. p. 61. 4. Linn. Fn. Sv. 1374. an var.? — An Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 315. 125? *Tinea rupella* Hübn. Tin. T. 36. f. 250. ♀.
Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi non obvia, ab alio Collectore missa. (Lapponia, Ostrogothia ad Fylla prope Wadstena jam 14. April. inventa. — Quae e Westrogothia sub nomine *capitella* a D. Gyllenhal missa, est *Adela Schoenherrella* nob.)

**2. L. sulphurella:** capite flavo, alis anticis fusco-griseoque creberrime irroratis, maculis tribus sulphureis, harum 1 ad basin, 2 dorsali, et 3 costali. ♂. (Long. al. exp. $\frac{1}{2}$ poll.)
Treits. Schmett. 9. 2. p. 60. 2. Hübn. Tin. T. 22. f. 150. ♀.
Hab. in Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lappon. meridionalis — Suecia, Gottland., Scania Jul. non rar.)
♀. Similis *Scandiae subquadrimaculellae*, sed multo minor et alarum maculis flavis, nec albis etc., distincta. Palpi flavi, articulo ultimo nigro. Caput flavum, antennis nigris. Alarum anticarum maculae 3 sulphureae, nempe 1 ad basin longior, difformis, 2 in medio dorsi communis, et 3 in costa prope apicem alae. Alae inferiores cinereae.

**3. L. Westermannella:** alis anticis cinerascentibus, striga longitudinali basali, macula dorsali communi magna dilatata et altera postica ad costam, pallide sulphureis; antennis maris subtus ciliatis. ♂. (Long. ál. exp. circiter $\frac{3}{4}$—$\frac{7}{8}$ poll.)
Hab. in Lapponia rarissime, specimen unicum ad Stensele Lapponiae Suecicae meridionalis, d. 4. Jul. 1832, et alterum ad Bjoerkvik prope Ofotenfjord Nordlandiae Norvegicae, d. 14. Jul. 1821, inveni. (Lapponia.)
♂ Subsimilis *L. sulphurellae*, sed paullo major, et alis dilutioribus, antennis subtus ciliatis, nec nudis etc., ab illa dignota. Caput flavido-villosum. Palpi capite duplo longiores, griseo-fuscoque variegati. Antennae obscurae. Alae anticae cinereae, albo-irroratae, vitta abbreviata seu striga media basali fere cum macula dorsali media dilatata confluente, sulphureis. Macula costalis postica major indeterminata etiam cum dorsali confluens sulphurea. Alae posticae cum fimbria ad anum longiori, cinereae. Pedes obscuri, tarsis subannulatis.
*Obs.* *Lampros majorella* Treits. Hübn. (*flavella* Fabr. Billb., *grandaevella* Payk. Act. Holm. Billb.; in foliis fruticum in hortis et sylvis Oelandiae, Scaniae, 5 — 25. Jul. pass.); et *bracteella* Linn. Fn Sv. 1426. Fabr. Hübn. (in graminosis, sed saepius in truncis arborum viventium Ulmi, Fraxini cet. Oelandiae rar., Scaniae ad Lund 2. Jul. — 1. Aug. frequentius); in Lapponia non inventae.

*Subd.* 2. Alae anticae breviores, infima basi angustatae, subito dilatatae. Tortriciformes. Tortricibus similes, sed antennis palpisque longioribus aliterque constructis, ab illis distinctae. Metamorphosin intra folia contorta subeunt.

*Lampros Christiernella* Treits. (*Tortrix Christiernana* Linn. Syst. Nat. Fabr., in Gottlandia et Scania, Jul. rar.); et *faganella* Treits. (*Tortr. fagana* Hübn. *quercuna* Fabr. *Montiniana* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 1. p. 19. in Hallandia et Scania pass.); in Lapponia frustra quaeruntur.
*Obs.* 1. *Lampros lobella* Hübn. Tin. T. 35. f. 238 et Treits. Schm. P. 10. Suppl. 3. p. 196. mihi videtur aptiorem locum in genere *Lita* habere. Haec autem species in Scania ad Esperoed et Raetten mens. Jul. passim obvia, Lapponiae sine dubio peregrina.
*Obs.* 2. *Achmia equitella* Scopol. Treits. (*Fyeslella* Fabr. *Aylliella* Hübn. alis anticis fusco-aureis, striis transversis subquinis abruptis argenteis, maculisque 2 posticis aterrimis, una in ipso apice rotunda, et altera ad angulum ani oblonga argenteo-punctata. ♂♀. Augusta parva, longit. al. exp. vix $\frac{1}{2}$ poll., in plantis aquaticis Gottlandiae et Scaniae ad Esperoed, 16. Jun. — 14. Jul. freq. lecta, in terris arcticis adhuc non detecta. — Sub nomine etiam „*Tin. Seppella* Hübn.“ haec species in Mus. Fall. asservatur.

---

## 98. Lita. Treits. *)

Treits. Schmett. gen. 149. Fisch. *Tinea* Linn. Fabr. Hübn. Auctor.

Parva, minuta, tenera (long. al. exp. $\frac{5}{8}$, saepe parum $\frac{3}{8}$ poll.). Antennae setaceae, tenues. Palpi capite duplo longiores, arcuatim reflexae, articulo secundo magis l. minus hirto, tertio s. ultimo antecedentis fere longitudine, corneo nudo. Alae anticae angustae subparallelae, apice obtuse rotundatae, fimbria brevi; posticae ad marginem interiorem longe ciliatae. *Color* griseus, cinereus, fuscus, nigricans, subnitidus. *Pictura:* alae anticae parce punctatae l. transversim strigatae, aut atomis microscopicis adspersae. *Motu* agilis; folio insidens saepe in gyrum decurrit. *Larva* tortriciformis, intra folia contorta, quibus vescitur, degit. *Pupa* aut intra larvae domicilium manens, aut intra muscos latet. (Spec. Scand. 12 et ultra in museo nostro numerantur.)

*Subd.* 1. Alae anticae griseae l. cinerascentes atomis microscopicis fuscis adspersae; raro purpurascentes aut metallice nitentes et pictae; posticae saepe maculis 2 l. fascia interrupta, albis.

**1. L. cinerella:** alis anticis griseo-cinereis immaculatis subnitidulis; posticis dilutioribus. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)
Treits. Schmett. 9. 2. p. 81. 5. Linn. Fn. Sv. 1445. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 313. 117. *T. Ardeliella* Hübn. Tin. T. 65. f. 437. ♀.
Hab. in Lapponia rariss. (Lappon.-Upsalia-Scan. pass. Mus. Fall. — ♂ antennis subtus brevissime ciliatis.)

**2. L. affiniella:** alis anticis obscure fuscis, punctis disci atris, fascia postica albo-subbimaculata. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)
Hab. in Lapponiis rariss., ad Lycksele 28. Jun. in copula deprehensa D. Dahlbom. (Lappon. meridionalis.)
♂♀. Similis et affinis videtur *L. Fischerellae* Treits. Schm. 9. 2. p. 84. 8. et Fisch. Microlep. 1. T. 5. lit. i, quam eandem ac nostram primum credidi, sed obstant praeprimis color dominans fuscus, nec purpurascens, et locus natalis. Caput griseum, antennis nigris immaculatis. Palpi in ♂ nigri, in ♀ grisei, in utroque sexu articulo 2do magno late compresso, subtus biseriatim grosse ciliato, ultimo subulato nudo nigro. Alae anticae totae subbrunnescenti fuscae, punctis disci 2 majoribus remotis, et 5 l. 6. in margine apicali nigris Juxta apicem fascia transversa ordinaria alba, sed in medio interrupta, relictis tantum maculis 2, una ad costam, et altera ad angulum ani saepe obsoleta. Fimbria fusco-grisea. Alae posticae obscure cinereae, fimbria dilutiori. Corpus et pedes obscura, tibiis tarsisque posterioribus pallido-annulatis.

**3. L. elegantella:** alis anticis obscure aureis argenteo-maculatis, fascia postica niveo-bimaculata, strigulis longitudinalibus ad apicem nigris et tuberculis dorsalibus metallico-nitentibus. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll.)
Hab. in Lapponia Umensi rarissime, tria tantum specimina vidi, unum ad Umenaes, d. 7. Jul. a D. Dahlbom inventum, alterum ad Wilhelmina 17. Jul. deprehendi, et tertium in Betula ad Muonioniska Lapponiae Tornensis 17. Aug. captum. (Lapponia Suecica.)
♂♀. Pulchra. Obscura, metallice nitens. Antennae in altero sexu validae, in utroque nigrae immaculatae. Palpi capite parum longiores, fusci, articulo secundo parum incrassato parumque hirsuto, ultimo cano nigro-biannulato. Alae anticae ferrugineo-aureae, maculis quibusdam ad costam et in apice argenteis. Ad angulum ani tuberculum e squamulis elevatis argenteis. Ante apicem macula costalis stigmaticalis nivea, maculae in disco striolaeque longitudinales in apice nigrae. Ad marginem interiorem in dorso tubercula utrinque 3, scilicet 2 ad basin, 2 in medio et 2 ante angulum ani e squamis elevatis albis et nigris. Fimbria fusca, ad angulum ani sat longa. Alae posticae obscure cinereae, fimbria concolore. Tarsi albo-annulati. Aptiorem locum, quam in hoc genere, invenire non potui speciei dubiae, statura et habitu reliquis *Litis* simili.

**4. L. Mouffetella:** alis albido-canis, anticis atomis fuscis punctisque in disco 4 l. 5 elongatis nigricantibus. ♂♀. (Long. al. exp. vix $\frac{1}{2}$ poll.)
Treits. Schmett. 9. 2. p. 91. 13. Linn. Fn. Sv. 1397. Fabr. Ent. Syst 3. 2. 319. 142. Hübn. Tin. T. 36. f. 245. ♀. speciminibus nostris paullo major.
Hab. in alpe Dowre D. Boheman. (Lappon. Norvegica, Westrogoth. Scan. passim.)

**5. L. purpurella:** palpis flavis, alis anticis purpurascentibus immaculatis; posticis fuscescentibus. ♀. (Long. al. exp. vix $\frac{1}{2}$ poll.)

---

*) *Lita* est etiam genus Plantarum in Pentandria Monogyn. No. 395. Willd. Spec. Plantar., quare nomen hujus Lepidopteri in aliud mutandum.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele et Rusele 23 — 28. Jun. inventa. (Lappon. meridion.)

♀. Parva. Obscura. Palpi flavi. Antennae nigrae. Alae anticae obscure purpurascentes, unicolores; posticae cinerascentes, fimbria omnium cinereo-fusca.

*Obs. Lita terrellae* Treits. Hübn. T. 25. f. 170; in fruticibus Coryli etc. Oelandiae ad Borgholm, Scaniae ad Lund et Silfåkra, 8. Jul. — 1. Aug. pass.; etiam e Westrogoth. a D. Gyllenhal missa.

*Subdiv.* 2. Alae anticae grisescentes l. incarnatae, atomis microscopicis fuscis, et punctis distinctioribus nigris adspersae.

**6. L. tesserella:** alis anticis cinereo-fuscis, strigis disci et apicis longitudinalibus interruptis nigris, fascia postica bimaculata; posticis cinereis. ♂. (Long. al. exp. vix ½ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi passim; in graminosis locis aridis ad Lycksele et Tresunda 10. Jun. — 11. Jul. capta; in inferalpinis Nordlandiae ad Talvig d. 2. Aug. etiam rarius visa. (Lapponia.)

♂. Similis *pullatellae* Hübn. ut et *bipunctellae* Fabr. Palpi ut in *affiniella* constructi. Antennae nigrae. Alae anticae fusco-cinereae, in disco strigis 2 longitudinalibus brevibus parallelis atris, albo-intersectis. In apice quoque strigae longitudinales 5 l. 6. atrae, fusco-intersectae, ita ut totus apex fusco-nigroque subtessellatus videatur. Fascia postica ordinaria alba in medio interrupta ut in *affiniella*. Fimbria fusca. Alae posticae cinereae, fimbria concolore. Corpus et pedes obscura, tarsis albo-annulatis.

Var. b. ♂. similis var. a, sed strigulis alarum disci obsoletis, relictis tantum externe punctis 2, et interne 1, nigris. Capta ad Talvig 2. Aug.

**7. L. Friesella:** alis anticis griseis fusco-irroratis et maculatis, fasciola antica obscura. ♀. (Long. al. exp. ½ poll.)

Hab. in graminosis et campis locis aridis sterilibus; ad Bossekop prope Alten Finmarkiae d. 4 — 8. Aug. haud infrequenter vidi, alibi in Lapponia rarissime. (Lapponia Norvegica.)

♀. Similis *L. Mouffetellae* et *rhombellae*, pictura ab utraque certe distincta. Grisea, antennis crebre, palpis parce, fusco-annulatis. Alae anticae griseae, albo-fuscoque irroratae, signaturis variis obscurioribus ita dispositis, ut fasciolas 2 transversas, unam anticam et alteram posticam maculamque centralem geminam forment. In ipso margine apicali puncta 6 l. 7 atra. Alae posticae cinerascentes. Tibiae tarsique annulata.

Cineri Dom. B. F. Fries, dum vixit Professors et Reg. Acad. Scient. Holm. Mus. Zool. Praefecto, comitis amicissimi mihi peregrinanti in Lapponia septentrionali anno 1821.

**8. L. roseella:** alis anticis incarnatis, basi interiori late, maculis disci 4 elongatis punctisque apicis, nigricantibus. ♀. (Long. al. exp. ½ poll.)

Hab. in alpe Dowre D. Boheman. (Lappon. Norvegica.)

♀. Similis videtur *L. cytisellae* Treits. Schm. 9. 2. p. 99. 20; sed alarum anticarum basi et margine interiori fere ad medium, maculisque 4, nec 2, oblongis nigris, ut et palpis flavis, articulo ultimo nigro, nec palpis rufescentibus apice albo, ab illa facile dignota.

*Obs. Lita rhombella* Treits. Hübn. (*axilella* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 95.; Westrogoth. Gyllenh., Smoland Port., Scania Fall. et nos, pass.); et *heroldella* Treits. (*cassiella* Hübn., Scania Fall. — Sub nomine „*bipunctella* Fabr. var.“ a Gyll. e Westrog. missa); Lapponiae profugae.

*Subdiv.* 3. Alae nigrae, punctis l. strigis transversis albis.

**9. L. lunatella:** alis anticis purpurascenti nigris, fasciis duabus, antica obliqua, postica sublunata, albis. ♀. (Long. al. exp. ½ poll.)

Hab. in Lapponia rar.; in graminosis ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 23. Jun., ut et inter Alten et Kautokeino Finmarkiae d. 12. Aug., a me capta. (Lapponia.)

♀. *Litae leucatellae* Linn. similis, sed alarum colore et fasciarum forma etc., mox dignota. Frons flava. Antennae tenues, nigrae, immaculatae. Palpi ut in *affiniella* constructi, flavi, articulo ultimo nigro. Collare et thorax nigro-purpurascentia. Alae anticae nigro-purpurascentes, fasciis 2 albis, antica obliqua, ad marginem interiorem abbreviata, postica integra lunata. Fimbria fusca. Alae posticae cinereae, ciliis concoloribus. Pedes nigricantes, tarsis albo-annulatis.

*Obs.* 1. *Lita* (*Tinea*) *leucatella* Linn. Fn. Sv. 1444. Hübn. Fabr. (Upsalia rar.); *Scopolella* Treits. (*quadrella* Fabr. teste Treits.; in Suec. rariss.); et *cinctella* Linn. Fn. Sv. 1380. certe (Hübn. Tin. T. 21. f. 142. certe, Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 309. 97.; *Lita vorticella* Treits. 9. 2. p. 104. 24.; in Populo tremula d. 2 — 20. Jul. Gottlandia, Scan. freq. — Ut *Tinea cinctella* vera Linn. et Fabr. in museis Suecicis exstat); in Lapponia non inventae.

*Obs.* 2. *Butalis limbella* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 304. 77. *tristella* Fabr. Hübn.; in plantis hortensibus, in parietibus, muris etc. Ostrogothiae et Scaniae 4. Jul. et 1. Sept. frequenter, in copula saepe capta. — E nympha declarata prodiit jam d. 14. Maj. In plantatione Pinetorum ad Staevie Scaniae Jul. vulgaris). Lapponiae forte exsul.

---

## 99. Adela. Latr.

Treits. Schm. gen. 151. *Tinea* Linn. Fabr. Hübn. Auct. *Alucita* Fabr.

Majuscula, media, parva, minuta (long. al. exp. ⅞ — ¼ poll.). Antennae longitudine fere corporis aut illo multo longiores. Palpi breves cylindrici subfiliformes hirsutuli recurvi, in mortua saepe penduli. Corpus robustum. Alae anticae elongatae, apice rotundatae, in quiete parum deflexae, nec incumbentes, breviter fimbriatae; posticae anguste semiorbiculares, ciliis mediocriter longis. *Color* olivaceus, aureus, fuscus, purpurascens, nigricans, rarius pallescens l. albus, saepissime metallicus, nitidus. *Pictura*, dum adest, fasciata; alae vero plerumque unicolores immaculatae, at anticae interdum fascia mox pone medium unica transversa. *Habitatio* in nemoribus et floribus pratensibus; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Volatus* saepe laborans, interdum celer. *Larva* cognitarum cucullata, cucullo e foliis et fragmentis vegetabilium, quae corrodit, confecto inhabitans cum illo vagat. (Spec. Scand. 36 in museo nostro adsunt, antennis longis, colore metallico saepissime nitido etc. dignotae.)

*Subd.* 1. Antennae circiter longitudine corporis.

**1. A. Bohemanella:** alis anticis brunneis opacis, punctis baseos maculisque quatuor albis, quarum 2 costalibus et 2 dorsalibus; capite flavo. ♂. (Long. al. exp. fere ⅓ poll.)

Ut *Tinea rupella* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 315. 126, a D. Gyllenhal communicata, sed vix vera.

Hab. in inferalpinis maritimis Norvegiae passim; scilicet ad Raschstind in insula Schiervoe Nordlandiae, et ad Gamstenstind Finmarkiae, d. 21, 28 et 31. Jul. a me inventa; etiam e pupis cylindricis subnudis seu pilis solitariis paucis adspersis, et fere laevibus, flavis, in fungo betulae albae captis imagines versus finem Julii prodierunt. (Lapponia Norvegica.)

♂. Magnitudo fere *Lampr. majorellae*, pictura *Lampr. sulphurellae*, ab utraque vero palporum forma statim dignota est nostra species. Nigro-brunnea, capite dense flavo-villoso. Antennae annulatae, articulis basalibus 1 et 2, ut et palporum articulo ultimo recto, flavis. Alae anticae nigro-brunneae opacae, basi punctis 10 — 12 inordinatis maculisque in singula ala quatuor subaequaliter magnis, nempe 2 dorsalibus communibus (una antica et altera ad angulum ani), et 2 lateralibus situ cum dorsalibus alternantibus, albis. Fimbria obscure fusca ad summum apicem albo-maculata. Alae posticae cum fimbria griseo-cinereae, costa basi alba. Pedes obscuri, tarsis albo-annulatis.

Nobiliss. Dom. C. H. Boheman, Capitaneo, Dowreensi et Dalecarlensi Peregrinatori laudato, in hoc opusculo saepe citato, e suis detectis multorum praeclarorum Lepidopterorum mecum communicatori species haec arctica grate ab amico suo dicata.

**2. A. Naezenella:** alis anticis purpurascenti cupreis nitidis, maculis quatuor albidis, quarum 2 costalibus et 2 dorsalibus; capite flavo. ♂♀. (Long. al. exp. ⅜ — ¾ poll.)

*Tortrix Naezeniana* Thunb. Act. Holm. 1797. p. 169. 6. fig.

Hab. in Lapponiae inferalpinis rar.; ad Raschstind in insula Schiervoe 26 — 28. Jul. utrumque sexum legi. (Lappon. Norvegica; Suecia ad Klaeckarevallen prope urbem Umeå Nordlandiae et ad Arnaes Ångermanniae, Dom. Naezen, olim Medic. Provincial. in Umeå.)

♂♀. Similis *Lampr. capitellae* Linn.; sed alarum maculis fere majoribus, albidis, nec flavo-aureis, et palpis aliis, bene distincta. A priori, cui etiam similis, magnitudine minori, colore alio etc., facile dignoscitur. Caput flavo-villosum. Palpi pallidi. Antennae annulatae. Alae anticae cupreae nitidae, maculis 4 in singula ala albidis, ut in priori dispositis, prima seu basali majori oblongo-quadrata obliqua fere totam latitudinem occupante; in medio

costae minima. Fimbriae apex albidus. Alae posticae griseo-cinereae. Pedes fusci nitidi, tarsis non annulatis.

**3. A. Schönherrella**: alis anticis fusco-cinnamomeis nitidis, maculis 3 albis, harum 2 costalibus et 1 laterali; capite flavo. ♀. (Long. al. exp. ⅝ fere ¾ poll.)

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae rarissime; ad Raschstind in insula Schiervoe d. 27. Jul. inveni. (Lappon. Suecia inferior rar.)

♀. Similis iterum *A. Naezenellae*, sed colore alarum praesertimque numero et forma macularum ab illa discrepat. Caput ut in priori. Alae anticae cinnamomeo-fuscae nitidae, maculis 3 niveis, nempe 1 ante medium, dorsali communi difformi l. subtriangulari; 2 ad angulum ani, parva rotundata, et tertia costali stigmaticali paullo ante apicem, medioeri oblonga; mox ante hanc maculam in costa punctum minutum album adest. Alae et pedes ut in antecedente. — Sub nomine *Tin. rupella* Hübn. et *capitella* Fabr. e Suecia media a D. Gyllenhal missa.

Dom. Equiti C. J. Schönherr, Reg. Suec. Colleg. Commerc. Cons. Reg. Acad. Scient. Holm. cet. Membro, System. Curculionid. Auctori Meritiss. Celeberr., qui solita sua liberalitate copiam Lepidopteror. Lapponiae eximior. e ditissimo suo Museo elegit, electamque mihi ad describendam misit.

**4. A. Oehlmanniella**: alis anticis fusco-cupreis l. violaceo-fuscis, maculis 3 parvis flavo-albidis, harum 2 dorsalibus et 1 laterali minuta; capite flavo. ♀. (Long. al. exp. fere ⅝ poll.)

Treits. Schm. 9. 2. p. 122. 11. ♂♀. Hübn. Tin. T. 27. f. 184. ♀. alarum strigis obscuris in nostris nullis

Hab. in Lapponia Norvegica rar.; in inferalpinis Nordlandiae ad Raschstind in insula Schiervoe d. 27. Jul. inveni; in Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lappon.-Suecia inferior rar.)

♀. Subsimilis et affinis *Lampr. capitellae* et *Adelae Schönherrellae*, sed a priori palporum structura et a posteriori magnitudine minori alarumque maculis albis aliter formatis diversa. Antennae simplices (♀), fuscae parum annulatae. Palpi et caput villosum, flava. Alae anticae fusco-violaceae, maculis dorsalibus communibus albis subtriangularibus, una mox ante medium majori, et altera ad angulum ani minuta; huic oppositum ad costam observatur punctum minutum flavo-albidum. Alae posticae cinerascentes, fimbria omnium fusca. Pedes fusco-cuprei, tarsis subannulatis. In multis etiam *Ad. masculellae* similis.

**5. A. stipella**: alis violaceo-cupreis, anticis fascia mox ante medium maculisque duabus posticis oppositis albis; capite flavo. ♀. (Long. al. exp. vix ½ poll.)

Treits. Schm. 9. 2. p. 124. 12. Hübn. Tin. T. 20. f. 138. ♂. (Quae sub nomine „*Tin. stipella* Linn. Fn. Sv. 1427 et Clerck," a Gyllenhal communicata, major est et alia.)

Hab. in alpe Dowre, in graminosis ad Drivstuen, Jul. a D. Boheman capta. (Lappon. Norvegica, Scania ad Esperoed 12. Jul. rar.)

♂. Parva. Valde similis *Tin. praelatellae* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 315. 127., sed magnitudine duplo minore etc. ab illa dignoscitur.

**6. A. masculella**: alis anticis fuscis, maculis dorsalibus duabus albidis; posticis cinerascentibus; capite fulvo-piloso; antennis nigris, in ♂ pectinatis; corpore in utroque sexu nigricante. ♂♀. (Long. al. exp. circiter ⅝ — ¾ poll.)

Treits. Schm. 9. 2. p. 120. 10. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 314. 122. Hübn. Tin. T. 18. f. 125. nimis obscura.

Hab. in alpibus Dalecarlicis D. Boheman. (Lapponia meridionalis — Ostrogothia in pratis ad Laerketorp feminae plures mens. Jul. pass.; Scania in nemore amoeno Raeften prope Lund, et ad Abusa mares 14 — 26. Maj. frequenter obvii.)

**7. A. vetulella**: alis anticis cinereo-fuscis, maculis dorsalibus duabus albidis, capite flavo. ♂. (Long. al. exp. circiter ⅞ poll.)

Hab. in inferalpinis Nordlandiae rar.; in silva betulina ad Evenaes juxta Ofotenfjord d. 17. Jul. inveni. (Lapponia Norvegica, Suecia media, Ostrogoth. rariss.)

♂. *Ad. Oehlmanniellae* similis, sed major, et alis anticis magis fuscis, nec violaceo nitentibus, et tantum 2 maculis dorsalibus, costali seu laterali nulla, ab ea differt.

**8. A. circulella**: alis anticis obscure fuscis, maculis costalibus duabus niveis et punctis posticis 8 — 10 circulatim dispositis albis; capite flavido. ♂♀. (Long. al. exp. circiter ⅞ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Stensele et Naestansjoe a D. Dahlbom inventa, d. 2 — 13. Jul. ♂♀. — Etiam in Dalecarlia alpina ♀ a D. Boheman lecta. (Lappon. Suec. meridionalis.)

♂♀. *Ad. vetulellae* iterum similis, alis obscurioribus et punctis posticis parvis albis distincta. Alae anticae obscure fuscae nitidae, macula mox ante medium dorsali communi majori nivea, et alia ad angulum ani minori ejusdem coloris. Intra apicem alae ab angulo anali usque ad oppositum punctum costale series punctorum 8 — 10 alborum in semicirculum dispositorum. Pedes obscuri, tarsis vix annulatis.

**9. A. abalienella**: alis nitidis lutescenti fuscis, anticis fasciis duabus transversis, prima antica, secunda media, fimbriaeque apice, albis. ♀. (Long. al. exp. vix ⅝ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Asele d. 26. Jul. semel capta. D. Dahlbom. (Lappon. Suecica meridion.)

♀. Parva, fusca. Alae nitidae, anticae ferrugineo-fuscae, fasciis 2 integris recta transversis albis, una ante medium, et altera in medio. Fimbria fusca summo apice albo. Alae posticae fuscae margine costali albido.

**10. A. Ammannella**: alis anticis aureo-purpurascentibus, fasciis duabus maculaque apicis rotunda, aureo-flavis. ♂♀. (Long. al. exp. vix ¾ poll.)

Treits. Schm. 9. 2. p. 125. 13. Hübn. Tin. T. 57. f. 388. ♀.

Hab. in Lapponia passim, scilicet ad Stensele, Lycksele et Wilhelmina, Lapponiae Umensis D. Dahlbom et nos; et ad Bjoerkvik Nordlandiae, 3 — 22. Jul. haud infreq. capta. In Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lapponia, Scan. rar.)

♂♀. Minuta. Pulchra. Caput flavum, antennis nigris. Alae anticae sulcatae seu striis exaratae, purpurascenti aureae nitidissimae, fasciis 2, una mox ante medium et altera in medio, transversis integris aureo-pallidis nitidis; intra apicem punctum majusculum rotundum ejusdem coloris. Alae posticae cupreae. Pedes obscuri.

**11. A. unimaculella**: alis anticis violaceo-aureis, macula postica ad marginem interiorem alba. ♂. (Long. al. exp. circiter ⅜ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele semel capta D. Dahlbom. (Lapponia meridionalis.)

♂. Parva, obscura. Alae anticae purpureo-aureae, macula ad angulum ani alba. Fimbria fusca. Alae posticae cinereo-purpurascentes, fimbria fusca.

**12. A. calthella**: alis anticis sulcatis aureis splendidis unicoloribus; capite cupreo-aureo. ♂♀. (Long. al. exp. vix ¼ poll.)

Treits. Schm. 9. 2. p. 117. 7. Linn. Fn. Sv. 1432. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 340. 37. *pusiella* Hübn. Tin. T. 50. f. 341. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Stensele et in Brattiksfjell d. 1 — 8. Jul. inveni. (Lappon. meridion. — Ostrogothia-Scan., in floribus Calthae palustris 10 — 27. Jun. freq., in copul. saepe capta.)

Minima nostratum. Alae anticae sulcatae seu striis evidenter exaratae, totae aureo-splendidae.

**13. A. cicatricella**: alis anticis aureo-violaceoque irroratis; posticis purpurascenti griseis. ♀. (Long. al. exp. ¼ poll.)

Hab. in Lapponia Tornensi rariss.; in ligno recenter secato ad Wittangi d. 14 — 16. Jun. 1821 duo specimina detegere mihi contigit. Lapponia borealis.)

♀. *Ad. calthella* nonnihil major. Alae anticae laeves, nec striatim impressae, aureo-pallido-cupreoque undique crebre irroratae, fimbria grisea; posticae purpureo-micantes. *Tin. Sparrmannella* Thunb. et Fabr., huic similis, sed illa est fere duplo major, et alis anticis aureis, punctis striguliformibus transversis undique adspersis, a nostra certe distincta.

**14. A. pilipennella**: alis anticis croceis, linea longitudinali repanda punctoque maculiformi costali argenteis, maculis disci duabus, atro-pilosis apiceque fusco. ♀? (Long. al. exp. ¼ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad colonias Umenaes et Tresunda, d. 7 — 11. Jul. 1832 tria specimina invenimus D. Dahlbom et ipse. (Lapponia-Suecica meridion. — Scania in horto Esperoed ipsissimam d. 12. Aug. 1820 semel deprehendi.)

Similis *A. Schaefferellae*, sed minor et distincta. Nigricans, nitida. Antennae longitudine alarum, nigrae. Alae anticae pulchre croceo-fulvae, subnitidae. Linea longitudinalis argentea exit e basi alae, sequitur costam ad tertiam partem, tunc descendit interrupte in marginem interiorem, ubi iterum mox adscendit in medium costae macula punctiformi argentea. In disco versus marginem interiorem macula nigra atro-pilosa, et alia antica obsoleta. Apex

et fimbria alae nigricantes. Alae posticae obscurae fimbria concolore.

**15. A. aethiopella**: alis anticis fusco-nigris nitentibus immaculatis. ♀. (Long. al. exp. vix $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in fruticibus ad Lycksele et Wilhelmina 25. Jun. et 21. Jul. capta — feminam oviparam, ovaque alba vidi. (Lapponia Suecica meridion.)

♀. *Adelae maurellae* Fabr. et Hübn. valde affinis et similis videtur, attamen alarum nigredine non pura, sed colore nigro magis in fuscum vergente, dignota, unde forte distincta species. Nigra. Alae anticae fusco-nigrae nitidae, fimbria fere adhuc obscuriori; posticae griseo-cinereae, fimbria concolore.

**16. A. obscurella**: alis omnibus obscure nigris immaculatis; anticis nitidis. ♀. (Long. al. exp. vix $\frac{5}{8}$ poll.)

*Tinea obscurella* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 312. 112. An etiam *Ad. maurella* Treits. Schm. 9. 2. p. 113. 1? Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 298. 50? Hübn. Tin. T. 18. f. 122?

Hab. in Lapponia rar.; in Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lappon. meridional. — Suecia inferior rar. — Sub nomine „*Tin. obscurella* Fabr." a D. Gyllenhal missa in museo Fall. exstat.)

♀. Tota nigra. Similis *aethiopellae*, a qua vix nisi colore obscuriore nigro, nec fusco-nigro differt. Antennae fusco-nigrae, apice cinereo-annulatae; subserrulatae, articulatione distincta, articulo primo crassiore subtusque fasciculo pilorum nigrorum ut in *aethiopella*. Palpi longiusculi recti, in mortuis deflexi, pectori l. femorum anticorum basi incumbentes, unde vix *Ad. maurella* Treits. eadem; an vere *Adelae* generis?

*Obs.* *Adela cygnella* Treits. (Smoland D. Powten, Ostrogothia ad Wadstena 12. Sept. rar., nos. — Sub nomine. „*cygnipennella* Hübn. et *argentella* Linn., non Fabr." in Mus. Fall. asservatur); *minutella* Linn. Fn. Sv. 1440. *Tinea* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 316. 130. (*oppositella* Treits. Hübn. *Alucita* Fabr. l. c. 344. 53., Ostrogoth., Scania, freq. — Sub nomine Linnaeano in Collectionibus Suecorum ubique); *praelatella* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 315. 127. (similis *Ad. stipellae* Treits. et nob. No. 5, sed duplo major; in Suec. pass.); *Sparrmannella* Fabr. Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 87.; in nemoribus Sueciae mediae et meridionalis, 20—26. Maj., in copula frequenter capta); *Erxlebella* Fabr. Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 86. (in Suec. rar.); *Schaefferella* Linn. Fn. Sv. 1409. (Scan. rar.); *Geoffrella* Linn. Syst. Nat. 1. 2. p. 896. 430. (Suec. rariss.); et *Müllerella* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 325. 165. (in hortis et in floribus Cardui Ostrogothiae, Scaniae, Jul. Aug. freq.); harum nulla in Lapponia huc usque inventa, quantum mihi cognitum habeo.

*Subd.* 2. Antennae in feminis corpore nonnihil l. duplo, in maribus multoties longiores.

**17. A. Degeerella**: antennis maris longissimis; alis anticis in utroque sexu aureis, fascia media flava purpurascenti caeruleo-marginata. ♂♀. (Long. al. exp. ♂ fere $\frac{7}{8}$, ♀ circiter $\frac{5}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 9. 2. p. 131. 19. Linn. Fn. Sv. 1393. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 341. 40. Hübn. Tin. T. 19. f. 130. ♂. T. 67. f. 446. ♀. Westwood. Entomol. Text-Book 1839. T. 5.

Hab. in Lapponia forte rarissime, mihi supra Uplandiam non obvia, ab alio Collectore ut Lapponiae incola communicata. (Lapponia, Uplandia, Westmannia, Ostrogoth. pass. — Scania in umbrosis lucorum Maj. Jun. freq.)

**18. A. aeneella**: atra villosa; antennis maris longissimis; alis anticis in utroque sexu obscure aeneo-auratis, apice cupreis; posticis purpurascentibus. ♂♀. (Long. al. exp. circiter $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Suecica sylvatica rar.; in Salice ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis uterque sexus d. 22. Jun. semel inventus. (Lappon. borealis.)

♂♀. Similis et affinis *Ad. viridulae* Fabr. et Hübn., ejusque magnitudine; sed alis anticis aenescenti aureis apice cupreis, nec viridi aureis immaculatis, ab illa distincta.

**19. A. scabiosella**: antennis maris longissimis; alis anticis in utroque sexu aureis immaculatis; posticis subviolaceis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{7}{8}$ — $\frac{5}{8}$ poll.)

Treits. Schm. 9. 2. p. 146. 31. *T. sphingella* Hübn. Tin. T. 19. f. 128. ♂.

Hab. in Dalecarlia alpina D. Boheman. (Lappon. meridionalis — Suecia med., Ostrogoth. ad Laerketorp in floribus Scabiosae in pratis et lucis, 16—18. Jul. freq., Scania ad Abusa 15. Aug. rar.)



**20. A. crinitella**: antennis (♀) corpore duplo et ultra longioribus; alis anticis aureis apice cupreis; posticis purpurascentibus; capite fulvo-villoso. ♀. (Long. al. exp. circiter $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Suecica Umensi rariss. ad Lycksele d. 25. Jun. capta. (Lapponia meridional.)

Similis *Ad. aeneellae*, sed differt capite dense fulvo-villoso, nec atro, ut et loco natali. Specimen inventum femineum videtur, ni valde fallor.

**21. A. Swammerdamella**: antennis maris longissimis; alis anticis in utroque sexu pallide griseo-flavescentibus immaculatis; posticis griseis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{3}{4}$ poll. et ultra.)

Treits. Schm. 9. 2. p. 149. 33. Linn. Fn. Sv. 1391. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 338. 31. Hübn. Tin. T. 61. f. 410. ♂. 411. ♀.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiae Norvegicae rar.; ad Bjoerkvik 14—15. Jul. inveni. (Lappon.-Holmia-Scania in nemoribus ad Raeften et Esperoed, 18. Maj. — 20. Jun. freq.; specimina vero Lapponica Suecicis magis cinereo-flavescentia minusque pallida.)

**22. A. pilella**: antennis maris longissimis; alis anticis in utroque sexu pallide cinereis subreticulatis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{1}{2}$ poll. et ultra.)

Treits. Schm. 9. 2. 153. 36. Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 339. 33. Hübn. Tin. T. 34. f. 235. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Wilhelmina et Umenaes, 8—19. Jul. feminas inveni; mas rarissimus. (Lappon. meridionalis., Suec. infer. rar. — Sub nomine: „*Tin. Robertella* Linn. Fn. Sv. 1394." etiam in Mus. Fall. asservatur.)

*Obs.* *Adela Sulzella* Linn. Syst. Nat. Fabr. Hübn. (Westrogothia — Scania: in lucis ad Abusa et Raeften prope Lund, Jul. freq.); *Frischella* Linn. Fn. Sv. 1396. (Gottlandia-Scania in fruticibus hortorum 20—24. Aug. pass., etiam in plantis paludosis ad Kjellby et Abusa 30. Maj. — 3. Jun. capta); *Latreillella* Treits. Hübn. (Suec. inferior, Scania); *viridella* Treits. Fabr. Hübn. (Westrogoth. Gyllenhal, Scania ad Raeften 15 — 20. Maj., freq. nos); *Reaumurella* Linn. Fn. Sv. 1392. (Suecia in Salice pass.); et *cuprella* Thunb. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 86. Fabr. (Suecia); intra limites Lapponiae non deprehensae.)

---

## 100. Oecophora. Latr.

Treits. Schm. gen. 152. *Tinea* Linn. Fabr. Hübn. Auct. *Alucita* et *Ypsolophus* Fabr.

Minor, parva (long. al. exp. $\frac{1}{2}$—$\frac{1}{3}$ poll.). Antennae corporis (nec alarum) longitudine, annulatae. Palpi nudiusculi, aut longitudine capitis, subfiliformes adscendentes (in mortuis penduli), aut capite longiores, corniformes recurvi. Caput villosum. Alae elongatae angustae, corpus semiconvolventes; hinc insectum cylindricum. *Color* fuscus, albus, margaritaceus, aureus. *Pictura* vittata, fasciata, strigata. *Habitatio* per partem Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Larva* subcutanea aut intra folia contorta. (Spec. Scand. 22.)

*Subd.* 1. Palpi longitudine capitis subfiliformes, in mortuis recti, penduli. Laetiores plerumque.

**1. Oec. pruniella**: alis anticis griseo-ferrugineis, vitta dorsali alba interrupta, capite thoracisque medio niveis. ♂♀. (Long. al. exp. vix $\frac{1}{2}$ poll.)

Linn. Fn. Sv. 1386. certiss., nam expresse dicitur: „caput et thoracis tergum nivea." Hübn. Tin. T. 26. f. 175. ♂. Bjerkander Act. Holm. 1785. p. 156. *Alucita ephippiella* Fabr. Ent. Syst. 3. 2. 330. 3. *Ypsolophus ephippium* Fabr. Suppl. 509. 18. *Tinea tetrapodella* Linn. Syst. Nat. 2. 890. 388. (sub his nominibus promiscue in collectionibus Suecicis occurrit). *Oecoph. caesiella* Treits. Schm. 9. 2. p. 157. 2. forte „capite thoraceque niveis."

Hab. in Lapponia rar. (Lappon., Ostrogoth., Gottlandia — Scania in foliis arborum Jul. Aug. freq., larva in pupam abiit 27. Maj., imago declarata prodiit 27. Jun. Bjerkand.)

*Obs.* *Oecoph. pruniella* Treits. Schm. 9. 2. p. 156. 1. „capite thoraceque fuscis" in Suecia non obvia, quantum novi, unde synonym. Linnaei Fn. Sv. 1386. vix ad illam pertinet, quod tamen voluit D. Treitschke l. c.

**2. Oec. curvella**: alis anticis albis, dorso lunula media recurva fusca. ♂♀. (Long. al. exp. vix $\frac{1}{2}$ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1387. *Tinea nitidella* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 291. 16. forte.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; in graminosis ad Wilhelmina 19. Jul. a D. DAHLBOM inventa. (Lappon. meridion. — Scania pass.)

♂♀. Similis priori. Caput et thoracis medium alba. Alae anticae albae, margine costali praesertim postice certo situ ferruginanti. In medio dorsi arcus s. lunula communis recurva determinata obscure brunnea. Fimbria cana, sed in summo apice obscure cinerea; hinc ibi quasi macula fusca. Alae posticae cinereae.

**3. Oec. Goedartella**: alis anticis flavo-auratis, fasciis tribus maculisque subquatuor, albo-argenteis. ♂♀. (Long. al. exp. vix ½ poll.)

TREITS. Schm. 9. 2. p. 162. 6. LINN. Fn. Sv. 1401. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 320. 146. HÜBN. Tin. T. 20. f. 133. ♀.

Hab. in Lapponia passim, sed in inferalpinis Nordlandiae, ex. gr. ad Bjoerkvik 15. Jul. frequentius inveni. Corpus pallescens. (Lappon.-Finlandia ad Ylaene-Ostrogoth.-Scania in graminosis et fruticibus Jul. frequenter.)

Var. b. ♀. Similis var. a., sed duplo major, et fasciae alarum albae confluentes apicem totum late argenteum efficientes. In graminosis ad Wilhelmina Lapponiae Umensis 17. Jul. rar. Var. c. ♂♀. alis totis flavo-auratis, hinc inde vestigio fasciarum et macularum argentearum. Magnit. v. b. Åsele et Wilhelmina 17.—27. Jul. freq. an distincta?

**4. Oec. zonella**: alis anticis fuscis, lunula dorsali fasciisque posticis subquinis subinterruptis albis, puncto apicis nigro. ♀. (Long. al. exp. vix ½ poll.)

Hab in Lapponia meridionali rar.; ad Lycksele D. DAHLBOM, in Dalecarlia alpina D. BOHEMAN. (Lapponia.)

♀. Obscura. Antennae nigrae immaculatae. Palpi penduli albonitentes. Alae anticae fuscae nitidae, lunula dorsali communi media argenteo-alba. In alarum postico foveato fasciae subquinae ad costam evidentiores, prima a medio costae ad angulum ani ducta, et altera subintegra, reliquae interruptae relictis interdum tantum punctis ad marginem conspicuis. Margo posticus inaequalis, subemarginatus, apice ipso prominulo rotundato atro, fimbria alba cincto. Alae posticae obscure cinereae. Tibiae tarsique pedum posticorum albo-annulata. Pictura *Grapholithae* affinis videtur haec species.

**5. Oec. passerella**: alis anticis canis, atomis microscopicis fuscis fasciisque tribus obscurioribus, puncto costali ante apicem albo. ♂. (Long. al. exp. ½ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Lycksele semel inventa. (Lappon. Suec. meridional.)

♂. Subsimilis *curvellae* LINN., sed nonnihil obscurior. Alae anticae canae, undique atomis fuscis adspersae, et fasciis 3 obscurioribus, nempe 1 mox ante medium, 2 mox pone medium, et 3tia in margine apicali. Mox ante apicem, in costa, macula punctiformis alba. Alae posticae cinerascentes, fimbria omnium concolore.

**6. Oec. coffeella**: griseo-obscura, alis anticis brunneo-fuscis, macula antica rotunda fasciisque tribus interruptis argenteo-albis, fimbria ad apicem alba fusco-intersecta; posticis obscure cinereis. ♂. (Long. al. exp. ½ poll.)

Hab. in inferalpinis Nordlandiae pass.; ad Bjoerkvik 14. Jul. capta. — Affinis videtur *Tin. Gyllenhalellae* THUNB. (Lappon. Norvegica.)

**7. Oec. interruptella**: fusca alis anticis obscure aureis, fasciis tribus, harum duabus anticis integris, strigisque apicalibus quatuor, argenteo-albis, fimbria in apice atra. ♂♀. (Long. al. exp. vix ⅔ poll.)

Hab. in Lapponia rarissime, duo tantum specimina vidi, unum, masculum, in Dalecarlia alpina 1836 a D. BOHEMAN captum, et alterum, femineum, ad Giebostad Nordlandiae d. 22. Jul. 1821 a nobis inventum. (Lapponia Suecica et Norvegica.)

♂♀. Alae anticae obscure aureae, fasciis 3 argenteo-albis, aequali spatio remotis, prima ad basin secundaque integris rectis, et tertia in medio alae interrupta. In apice ad costam et marginem interiorem strigae 3 l. 4 argenteo-albae fascias inchoantes, et fimbriae macula apicalis atra. — Subsimilis est *T. Gyllenhalellae* THUNB., sed in illa fascia alarum tantum unica et obliqua, nec ut in nostra recta, et maculae apicales 5 aliter formatae.

Var. b. fasciis alarum albis omnibus subinterruptis, relictis tantum 6 seu in utroque margine 3 maculis albis. Ad Giebostad cum var. a. rariss.

*Obs.* *Oecophora Rajella* LINN. Fn. Sv. 1407. (an *Oec. Brockeella* TREITS.? in Suec. rariss.); *maculella* FABR. (*fraxinella* BJERKANDER Act. Holm., Gottland., Scania Jun. Jul. pass.); *Gyllenhalella* THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 89. f. 8. (Westrogothia, Scan. pass.; ad Lund Maj. Jun. capta); et *rubiella* BJERKANDER Act. Holm. 1781 p. 20. T. 1. f. 7—10. (in Rubo idaeo Sueciae, an generis *Adelae*?); Faunae nostrae ignotae.

*Subd.* 2. Palpi capite fere duplo longiores, reflexi cornei. Obscuriores. Proprii generis.

**8. Oec. Leeuwenhoekella**: obscura metallice nitens, alis anticis fulvo-aureis, maculis sex marginalibus per pares locatis convexis atris splendide argenteo-tectis; antennis ante apicem annulo albo. ♂♀. (Long. al. exp. vix ½ poll.)

LINN. Fn. Sv. 1400. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 325. 164. HÜBN. Tin. T. 38. f. 261. (♀.) alis nimis obscuris. An *Oec. Schmidtella* TREITS. Schm. 9. 2. p. 167. 9?

Hab. in Lapponiae Umensis pratis pass.; in florib. Leontodont. Taraxac. Lycksele 19—20. Jun. freq. (Lapponia meridionalis. — Bleking., Scania freq.)

Sine dubio haec vera LINNAEI species per totam Sueciam vulgaris.

*Obs.* 1. *Oecophora Roesella* LINN. Fn. Sv. 1406. BOHEMAN Act. Holm. 1838. (Suecia locis aridis meus. Majo rar.); *Brizella* TREITS.! (Scan. rar.); *Linneella* LINN. Fn. Sv. 1408. BOHEMAN Act. Holm. 1838. Tab. 7. f. 17. (Suecia locis apricis aridis rariss.); *Merianella* LINN. Fn. Sv. 1402. (Suec. rar.); *Wilkella* LINN. Fn. Sv. 1403. (Suec. rar.); *Lyonnetella* LINN. Fn. Sv. 1404. (Suec. rar.); *Rhediella* LINN. Fn. Sv. 1405. (Suec. rariss.); *micella* HÜBN. TREITS. (Scania pass. FALL.); *Schrankella* HÜBN. Tin. T. 38. f. 264. (*Schwarzella* FABR. Suppl. eadem, teste FALL.; in Tilia ad Esperoed Scaniae Aug.); et *Drurella* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 327. 172. vera (Scania, Westrogoth. non rar.); hae in Lapponia hic usque frustra quaesitae.

*Obs.* 2. *Oec. Gyllenhalella* THUNB. ut et *rubiella* BJERK. alis obscurioribus ad hanc Subdiv. pertinerent, sed ob palporum structuram Subdivisioni primae rectius inserendae.

---

## 101. Elachista. TREITS.

TREITS. Schm. gen. 153. *Tinea* LINN. FABR. HÜBN. Auct.

Minuta, minutissima (long. al. exp. ⅜—¼ poll.). Antennae filiformes longitudine corporis. Palpi parvi breves filiformes penduli. Alae anticae oblongae apice prominulo saepe acuminatae, ad marginem interiorem longe fimbriatae; posticae angustae, longe ciliatae. *Color* fuscus, griseus, lacteus, niger, aureus. *Pictura* maculata l. fasciolata; alae anticae apice plerumque puncto nigricante. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae. *Larva* subcutanea. (Spec. Scand. 9. in Lepidopterorum Ordine certe minutissimae.)

**1. El. Blanchardella**: alis anticis pallide flavo-auratis, lineola longitudinali media baseos maculisque marginalibus albo-argenteis; puncto apicis nigro. ♂♀. (Long. al. exp. vix ⅜ poll.)

TREITS. Schm. 9. 2. p. 186. 12. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 327. 175. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 90. *Tin. mespilella* HÜBN. Tin. T. 39. f. 272. ♀.

Hab. in Lapponiae betuletis rar.; in Dalecarlia alpina D. BOHEMAN. (Lappon. meridion. — Suecia med. rar. — Scan. freq., e pupis, in foliis exsiccatis Fagi etc. imagines d. 3—10. April. egredientes saepe vidi.)

Caput et thorax supra pallide aurata. Alarum anticarum maculae marginales albo-argenteae septem, harum 4 costales et 3 ad marginem interiorem. Intra apicem foveolatum punctum l. lineola atra.

**2. El. hilarella**: alis anticis pallide flavo-auratis, fasciis anticis maculisque posticis marginalibus albo-argenteis, apice nigricante. ♂. (Long. al. exp. vix ⅜ poll.)

Hab. in Lapponiae Umensis fruticibus locis paludosis rar., ad Rusele et Umenaes a D. DAHLBOM et nobis pauca specimina 28. Jun. — 9. Jul. inventa. (Lapponia meridionalis.)

♂. Similis *Blanchardellae*, sed alae anticae fasciis anticis subintegris albis, apiceque nigricante. Individua insecti valde teneri et mollis, quae jam ante oculos habeo, non optime conservata sunt.

**3. El. ulmifoliella**: alis anticis flavo-auratis, lineola longitudinali media baseos maculisque marginalibus 7, argenteo-albis, interne nigro-marginatis, maculaque apicali atra puncto centrali minutissimo argenteo nitidissimo adjecto. ♀. (Long. al. exp. vix ⅜ poll.)

TREITS. Schm. 9. 2. p. 187. 13. (alarum fasciis albis omnibus in nostris speciminibus in medio interruptis, in Dalecarlico fascia prima integra.)

Hab. in Lapponia rar.; in betuletis ad lacum Stor-Uman Lapponiae Umensis a D. DAHLBOM 5. Jul. inventa., in Dalecarlia alpina etiam a D. BOHEMAN capta. Alae posticae obscurae undique longe cinereo-ciliatae. (Lapponia meridional. — Scania passim.)

**4. El. minimella**: alis anticis nigris, fascia media alba. ♀. (Long. al. exp. vix $\frac{1}{4}$ poll.)

Hab. in Lapponia rariss.; ad Frederica Lapponiae Umensis et ad Bjoerkvik Nordlandiae, 14 — 30. Jul. duo specimina inveni. (Lapponia Suecica meridionalis et Nordlandia Norvegica.)

♀. Omnium minutissima et valde tenera. Tota fusco-nigra. Alae anticae brunneo-nigrae, fascia media transversa recta argenteo-alba. Ciliae ad marginem interiorem longae obscure cinereae, in summo apice dilutiores. Alae posticae anguste lanceolatae obscure cinerascentes, undique longe ciliatae. Similis *El. nigrellae* HÜBN. Tin. T. 41. f. 285., sed alarum fascia alba tantum unica.

Var. macula ad angulum ani argentea; an e nigredine detrita orta? — Specimen in Lapponia Umensi captum.

*Obs.* *Elachista cydoniella* FABR. HÜBN. (e Westrogothia GYLLENHAL Mus. FALL.); *alnifoliella* HÜBN. Tin. T. 28. f. 193. (*Phal. Chrysargyria Alni* DEGEER Ins. 1. p. 440. T. 31. f. 1 — 12.; Scania Mus. FALL.); *Clerckella* LINN. Fn. Sv. 1411. (*prunifoliella* HÜBN., Uplandia ad Holmiam LINN., Ostrogothia in pratorum fruticibus 10 — 20. Aug. frequenter, nos — Scania pass.); *Forsterella* FABR. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 90. (Westrogoth., Scania, Mus. FALL.); et *Gleichella* FABR. THUNB. Diss. Ins. Sv. P. 7. p. 90. (Suecia rar.); in Lapponia non visae.

---

## 102. Ornix. TREITS.

TREITS. Schm. gen. 154. *Tinea* CHARPENT. HÜBN. LINN. FABR.

Parva, angusta (long. al. exp. $\frac{5}{8}$ — $\frac{7}{8}$ poll.). Antennae longitudine corporis aut alarum, tenuissimae subcapillares; simplices aut basi fasciculatim pilosae vel saltem incrassatae. Palpi longitudine capitis, aut illo paullo longiores, recurvi cornei, nudiusculi aut pilosi. Alae omnes valde angustae sublineares, anticae apice saepe subfalcatae, ad marginem interiorem longe fimbriatae; posticae etiam longe ciliatae. *Color* rufescens, griseus, cinereus, pallidus, argenteus. *Pictura* punctata, nebulosa, irrorata, fasciata. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Larva* saepe subcutanea (Spec. Scand. 14 et ultra.)

**1. O. Sternipennella**: alis anticis longe subulatis, argenteo-albis, immaculatis. ♂♀. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in graminosis ad Lycksele utrumque sexum in copula junctum d. 23. Jun. 1832 semel inveni. (Lappon. Suecica meridionalis.)

♂♀. Alis anticis albo-argenteis, apice longissime subulatis ut in ave Sterna hirundine, ab affinibus facile dignota. Grisea. Palpi parvi filiformes pallidi, in mare obscuriores. Antennae fuscae, albo-annulatae. Alae posticae forma anticarum, cinereae, undique longe ciliatae.

**2. O. Laripennella**: alis anticis argillaceo-striatis, interstitiis albis, atomis microscopicis crebris nigris. ♂. (Long. al. exp. $\frac{5}{8}$ poll.)

Hab. in alpe Dowre D. BOHEMAN. (Lappon. Norvegica.)

♂. Similis *O. anatipennellae* HÜBN., sed differt alis paullo angustioribus et striatis. Albida. Antennae fusco-annulatae. Alae anticae angustae, lineis longitudinalibus circiter 4 argillaceis immaculatis, et alternantibus cum tribus aliis albis, atomis minutissimis praesertim versus apicem crebrius adspersis nigris. Haec vero pictura obsoleta et oculo tantum armato observanda. Alae posticae cinereae, undique longe ciliatae.

*Obs.* *Ornix* (*Tinea*) *Upupaepennella* TREITS. HÜBN. Tin. T. 30. f. 203. (larva subcutanea; e pupa, ad Lund capta, et in margine folii Salicis viminalis latente imago feminea prodiit d. 6. Sept., observante Clariss. DAHLBOM); *angustipennella* TREITS. HÜBN. Tin. T. 29. f. 197. certe (Ostrogothia ad Laerketorp d. 12. Aug. — Sub nomine *Tinea pedella* LINN. Fn. Sv. 1433. vera et *Tin. cylindrella* FABR. Ent. Syst. in museo nostro asservatur); *rufipennella* TREITS. HÜBN. T. 30. f. 204. (Finlandia); *signipennella* TREITS. HÜBN. T. 29. f. 196. (*Tin. punctella* LINN. Fn. Sv. 1437. vera; in Ostrogothia et Scania 24 — 31. Aug. saepius capta); *elongella* LINN. Fn. Sv. 1436. (non *Phycis elongella* TREITS. et HÜBN.; Scania Mus. FALL.; Smolandia D. POWTEN); *Meleagripennella* TREITS. HÜBN. (Suecia Mus. FALL. — mihi vero videntur specimina ibi asservata potius ad *Elachistam Clerckellam* referenda); *Anatipennella* TREITS. HÜBN. T. 27. f. 186. (Suec. rar.); *Gallipennella* TREITS. HÜBN. T. 29. f. 202. (Westrogoth. GYLLENHAL, Scania nos); *Struthiopennella* TREITS. HÜBN. T. 30. f. 209. (Ostrogothia, Scania passim; educ. e pupa exclus. — Et „*Tin. auricella* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 300. 60. var 1. alter sexus" specimina hujus in museo FALL. asservantur); ut et *Tinea Ekebladella* BJERKAND. Act. Holm. 1795. p. 58. T. 2. f. 1 — 3. (Westrogoth. Jun. Jul. BJERKANDER — forte etiam huic generi subjicienda); in Lapponia mihi non obviae; sed ibi unam alteramve hujus generis formam, praeter descriptas, quidem inveni et domum reportavi, quae diversas species prodere videntur, e quarum vero speciminibus plus minus incompletis et mutilatis species novas fingere non audeo.

---

# FAMIL. 12. PTEROPHORIDES.

## 103. Alucita. LINN.

TREITS. Schm. gen. 155. HÜBN. Auct. *Pterophorus* FABR.

Major, media (long. 1 — $\frac{7}{8}$ poll.). Antennae filiformes, corpore breviores. Palpi porrecti, adscendentes, capite paullo longiores, hirsuti. Corpus elongatum gracillimum. Pedes longissimi spinosi. Alae in plumas fissae, divaricatae, horizontales; anticae breviter fimbriatae. *Color* pallidus, fuscus, testaceus, albus. *Pictura*, dum adest, plerumque strigilata l. difformiter punctata. Antennae et pedes saepissime annulata. *Habitatio* in graminosis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Volatus* quidem celer, at brevis, incertus, e vento quasi dependens. *Larva*, pedibus 16, parva tarda lata et hirta. *Pupa* nuda (interdum pilosula) colorata, filis, plerumque sub folio, suspensa. (Spec. Scand. 10 in museo meo numerantur, alarum forma facillime dignotae.)

*Subd.* 1. Alae anticae latiusculae, apice subfalcato emarginatae, fissura unica brevi; posticae bis fissae seu tripennatae.

**1. A. tesseradactyla**: alis anticis flavis, atomis brunneo-ochraceis adspersis, macula costali triangulari mox pone medium brunnea albo-terminata, margine interno fasciculis 2 cum ciliis immixtis fusco-brunneis. (Long. al. exp. circiter $\frac{7}{8}$ poll.)

Var. a. alis anticis flavis, macula costali mox pone medium margineque apicali summo, brunneis; reliqua ut in diagnosi.

TREITS. Schm. 9. 2. p. 230. 4. HÜBN. Aluc. T. 2. f. 6. ♀. *Pter. megadactyla* FABR. Ent. Syst. 3. 2. 348. 11.

Var. b. alis anticis flavis, macula costali mox pone medium, margineque apicali late brunneis, hoc striga pallida margini parallela notato: reliqua ut in diagnosi.

FABR. Ent. Syst. 3. 2. 347. 8.

Var. c. similis var. b., sed paullo obscurior, cinerascens. LINN. Fn. Sv. 1454.

Hab. in Lapponiae inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae, vulgaris; scilicet in graminosis ad Schiervoe (praeprimis in insula Hacksten) et Bossekop prope Alten, 26. Jul. — 8. Aug., frequenter a me capta; var c. in alpe Dowre ad Drivstuen, a D. BOHEMAN deprehensa. (Lappon. Norvegica - Suecia.)

*Obs.* Specimina in Suecia inferiore passim obvia: „cinereo-fuscoque nebulosa," qualia ab Ill. LINN. l. c. describuntur, forte etiam ad nostram speciem, licet magis flavicantem, referenda. Oculi in nostra viva glauci, in fundo macula radiata s. stellata nigra pro situ variante. In individuis detritis alae flavo-albidae, macula costali triangulari brunnea tenaciter adhaerente.

**2. A. ulodactyla**: alis anticis cinereo-fuscoque variegatis, postice macula costali parva strigaque intramarginali albis; apice emarginato-dentatis. ♂. (Long. al. exp. fere $\frac{7}{8}$ poll.)

Hab. in Lapponia Suecica Umensi rariss.; ad Barrsele d. 1. Jul. a D. DAHLBOM inventa. (Lappon. meridional., Suecia inferior rariss.)

♂. Similis videtur *Aluc. acanthodactylae* TREITS. seu *odontodactylae* CHARP., sed maculis alarum nigricantibus distinctioribus deficientibus dignota. Tota cinereo-fuscoque variegata. Alae anticae margine apicali emarginato-dentato, quasi eroso l. crispo. Ante marginem striga cum margine parallela alba, interne fuscedine inducta. Fasciculi pilorum nigrorum duo in margine interiori adsunt.

*Obs.* *Alucita ochrodactyla* FABR. HÜBN. (Suec. rar.); et *rho-*

*dodactyla* FABR. HÜBN. Aluc. T. 2. f. 8. (Suecia meridional. Scania rar.); Lapponiae profugae.

*Subd.* 2. Alae anticae angustiores, fissura unica profundiore; posticae tripennatae.

**3. A. didactyla**: alis anticis fuscis, strigis tribus albis, media majori, marginali tenui, apice falcatis; posticis obscure cinereis; pedibus distincte albo-annulatis. ♂♀. (Long. al. exp. ¾ poll.)

TREITS. Schmett. 9. 2. p. 237. 9. LINN. Fn. Sv. 1453. FABR. Ent. Syst. 3. 2. 345. 3. *trichodactyla* HÜBN. Aluc. T. 2. f. 9. ♂. T. 4. f. 18. ♀.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Ostrogoth., Gottland., Oeland., Scania, in pratis, pascuis et pinetis, 4—29. Jul. ubique vulgaris.)

**4. A. microdactyla**: alis anticis pallide flavis, puncto ad fissuram nigro; posticis flavo-cinerascentibus, tibiis tarsisque albis. ♂♀. (Long. al. exp. fere ⅞ poll.)

TREITS. Schm. 9. 2. p. 248. 19. certe.

Hab. in Lapponia Tornensi versus autumnum rarissime. (Lapponia, Bottn. borealis, ex. gr. ad margines agrorum prope Haparandam 1. Sept. rariss., ipse, et ad Calix D. SCHMALTZ. — Suecia inferior rar.)

♂♀. Species vere distincta, et alis flavescentibus immaculatis, puncto tantum ad fissuram fusco, facile a reliquis dignota. Corpus totum et pedes pallida, tibiis tarsisque albis, minime annulatis. *Obs.* *Alucita microdactyla* TREITS. HÜBN. (Scania in foliis Alni ad Esperoed d. 18. Sept. rarissime inveni); *pterodactyla* LINN. Fn. Sv. 1456. (Oelandia, Gottland., Scania, Aug. freq.); et *icarodactyla* TREITS.? (Scania ad Esperoed 3. Sept. — Pupa elongata cylindrica virescenti — grisea, lineis dorsalibus tribus nigris, media distinctiori; antice absque ordine pilosa, posterius in singulo segmento fasciculis pilorum in seriem dispositis, sub lapide ad Lund capta, e qua imago feminea d. 27. Jul. prodiit, et altera vice e pupa simili imago mascula d. 26. Sept. exiit); Faunae Lapponicae peregrinae.

*Subd.* 3. Alae omnes profunde, fere ad basin fissae, unde anticae distincte bipennatae, posticae tripennatae. Colore albae l. niveae.

*Alucita pentadactyla* LINN. Fn. Sv. 1457. (Oelandia, Gottlandia, Scania, 8. Jul. — 14. Aug. sat frequenter, vespere praesertim vigens); et *tetradactyla* LINN. Fn. Sv. 1455. (mihi tantum ad Ruthe Gottlandiae obvia); in Lapponia hactenus non inventae.

*Obs.* *Orneodes hexadactylus* TREITS. GUERIN. (*Alucita* eadem LINN. Fn. Sv. 1458. HÜBN. FABR. cet., in fenestris, parietibus (Tepidarii botanici), muris etc. ad Lund Scaniae vulgaris, vespere inprimis agilis, scilicet 1—23. Mart., 10—26. Aug., 7. Sept. et 15. Decemb. frequenter visus et captus; ad Wadstena Ostrogothiae 10. Aug. rarius quoque inventus), in Lapponia l. provinciis Sueciae borealibus a me frustra quaesitus.

# SECTIO QUINTA.

## NEUROPTERA.

**NOBILISSIMO DOMINO**

# TOUSSAINT A CHARPENTIER,

ORDINIS AB AQUILA RUBRA EQUITE,

REGIAE BORUSS. MAJESTATI IN SUPREMA RERUM METALLICARUM CURIA A CONSILIIS, SOCIETATUM NATURAE SCRUTATORUM BEROLINENSIS, HELVETICAE, SILESIACAE, LUSATICAE, LIPSIENSIS, ATQUE WERNERIANAE DRESDENSIS ET MINERALOGICAE JENENSIS ETC. SOCIO;

OBSERVATIONUM DE *LIBELLULINIS EUROPAEIS* EGREGIARUM AUCTORI MERITISSIMO, ENTOMOLOGO INGENIOSISSIMO, OCULATISSIMO,

SECTIONEM HANC FAUNAE SUAE

IN TESSERAM PIETATIS DICAVIT

**EDITOR.**

# PRAEMONENDA.

Praeter observationes et illustrationes plus minus graves, descriptionesque specierum paucas, quas Cel. Viri DEGEER in suis notissimis „Mémoires des Insectes" 1752 — 1778; BILLBERG in „Enumeratione Insectorum" 1820; DALMAN in „Analectis Entomologicis" 1823; et DAHLBOM in „Skandinaviska Insekter" 1837, circa *Neuroptera* Scandinaviae publicarunt, hunc insectorum Ordinem post LINNAEI tempora fere intactum reliquerunt Entomologi Sueciae, suam potissimam operam, curam et laborem in Coleopteris, Orthopteris, Hemipteris Dipterisque dilucidandis collocantes. Sperare quidem fas est, ut e manu Domini SUNDEWALL, qui, ut laeti cognoscimus, diu et diligenter Odonatorum Synistatorumque phalangem perquisivit, totus hic Ordo cito prodierit descriptus, circiter 250 species scandinavicas complexurus. Sed quod laeti exspectamus, id laetiores certe accipiemus. Interea formas hujus tribus lapponicas, quotquot indagare potuerim, scientiae Cultoribus eo libentius heic offero, quo non sine oblectamento indicare liceat, multas novas et singulares Classis, animalcula sub primis suae vitae stadiis aquatica praecipue continentis, in singulari illa terra arctica paludibus, stagnis et fluminibus inter montes alpinos repleta, obventas et collectas fuisse.

Cum itaque in Fauna Suecica LINNAEI numerantur 59 Neuropterorum species, sub 6 generibus comprehensae; in hac nostra Fauna species solum lapponicas 119, plerasque ad utrumque sexum determinatas et omnes sollicite quoad loca natalia diesque vigendi allatas, descripsimus, sub 15 generibus et 6 Familiis militantes. Praeterea recensere quoque mihi contigit 21 varietates, quarum quaedam olim melius adcuratius observatae et in pluribus individuis acceptae, ut distinctae et propriae species forsan prodibunt.

Sequentes species Lapponicae vel *novae* sunt vel saltem *nunc primum descriptae*, scilicet: ***Aeschna*** borealis et arctica; ***Agrion*** elegantulum; ***Ephemera*** hyalinata et vitreata; ***Hemerobius*** strigosus, obscurus, limbatellus et paucinervis; ***Sciodus*** lacteus; ***Psocus*** subfasciatus, obliteratus, subfumipennis, boreellus et striatus; ***Nemoura*** nigripes; ***Perla*** obscura et pygmaea; ***Phryganea*** borealis, Signifer, irrorata, interrogationis, fenestrata, femorata, trimaculata, fuscinervis, subpunctulata, nigriceps, laevis, testacea, pilosula, brevis, stigmatella, puberula, guttifera, interpunctata, concentrica, fusca var. lapponica, nubila, Charpentieri, aureola, griseola, chrysocephala, tincta, vestita, albicans, barbata, hectica et ochrata; et ***Hydroptila*** pumilio et ambigua; summa: **51 nov. sp.**

Species Lapponiae l. terris septentrionalibus *propriae* in hanc libri Sectionem introductae: ***Aeschna*** arctica; ***Ephemera*** vitreata; ***Hemerobius*** obscurus, limbatellus et paucinervis; ***Psocus*** obliteratus, subfumipennis et boreellus; ***Nemoura*** nigripes; ***Perla*** obscura et viridis; ***Phryganea*** phalaenoides var., interrogationis, fenestrata, femorata?, trimaculata, fuscinervis, subpunctulata, nigriceps, pilosula, brevis, stigmatella, puberula, concentrica, fusca var. lapponica, aureola, griseola, chrysocephala et vestita; et ***Hydroptila*** pumilio = **30.**

In Lapponia per omnes regiones, alpinis exceptis, frequentissime obveniunt et ubique divulgatae sunt: ***Libellula*** rubicunda; ***Agrion*** Virgo var. c.; ***Ephemera*** vulgata, marginata, vespertina et bioculata; ***Hemerobius*** chrysops et nervosus; ***Psocus*** boreellus; ***Rhaphidia*** xanthostigma; ***Perla*** bicaudata et virens; et ***Phryganea*** grandis, varia, rhombica, stigmatella, minuta, tincta, 4-fasciata, albifrons et azurea = **21.**

Paucae in summas alpes nivales adscendunt et vix nisi sequentes ibi a me deprehensae, nempe: ***Nemoura*** cinerea et nigra; ***Perla*** pygmaea et virens; ***Phryganea*** trimaculata, fusca var. lapponica, griseola et barbata = 8.

Unicum tantum novum Neuropteri genus, scilicet ***Sciodus***, condidi.

E generibus ***Myrmeleone*** et ***Osmylo*** nullas species agnoscit Fauna Lapponica.

Omnia in hac Sectione libelli descripta insecta lapponica propriis oculis quidem lustravi, licet non omnia ipse collegerim. Quaedam enim mecum benigne communicata fuerunt a Clarissimis Viris et Amicis Dominis Doct. DAHLBOM, Doct. SUNDEWALL, Capitaneo BOHEMAN, Mercatore magnario WESTERMANN, Hafniensi, ut et jam defunctis Prof. DALMAN, Prof. B. F. FRIES et Assessore DEUTSCH; ne haud pauca Neuroptera borealia in museo olim FALLENIANO praedivite obvia, partim a Nobiliss. GYLLENHAL, partimque ab Ill. THUNBERG aliisve determinata et missa, reticeam. Talem vero Horum benevolentiam et favorem grato animo non solum nunc agnoscere debui, verum etiam singulorum detecta et communicata cum Inventoris nomine, suis locis inserere, sanctum duxi officium.

Hoc qualecumque opus sic finitum, in manus tuas, Candide Lector, jam trado, enixe rogans, ut Tibi totus persuasum habeas, me in illo elaborando et publicando neque gloriae neque lucri studio ductum, sed tantum in amoenissimae scientiae incrementum et fructum intentum fuisse. „Si quid, quod errores forsitan meos spectet, rectius noveris, mihi imperti. Castiga me, si placet, ubi quid stulte peccaverim, sed noli carpere et vituperare, antequam errores meos recte emendaveris." Vale, C. L., in ***Synopsi Dipterorum Scandinaviae***, cujus elaboratio jam sub manu est, proxima vice me denuo vides.

Scripsi Lundae 1. Octob. 1839.

***J. W. Zetterstedt.***

# AUCTORES

## IN HAC SECTIONE CITATI

## CUM EXPLICATIONE ABBREVIATIONUM.


| | | |
|---|---|---|
| Ahrens. Fn. | — | Ahrensii Fauna Insectorum Europae cura Germari. Halae 1821 — 1823. 12mo. Fasc. 1 — 8. cum tab. color. |
| Billb. Enum. | — | G. J. Billberg, Enumeratio Insectorum in museo suo. Holmiae 1820. 8. |
| Charpent. Hor. Ent. | — | Toussaint de Charpentier, Horae Entomologicae. Wratislaviae 1825. 4to majori cum tab. color. |
| Curtis | — | Curtis Britt. Ent. 3. tab. 118. (op. a me non vis.). |
| Cuv. Regn. Anim. | — | Cuvier, le Règne Animal distribué d'après son Organisation. |
| Dahlb. Skand. Ins. | — | G. Dahlbom, Skandinaviska Insekters Skada och Nytta i Hushällningen, en Handbok for Landtbrukare och Naturforskare. Lund 1837. 8. med 2ne plancher. |
| Dalm. Anal. | — | J. W. Dalman, Analecta Entomologica. Holmiae 1823. 4. cum tab. 4 aeneis. |
| de Geer Ins. | — | Mémoires pour servir a l'histoire des Insectes, par Charles de Geer. Stockholm 1752 — 1778. Tomi 1 — 7. 4. cum tab. aen. |
| Fabr. Ent. Syst. | — | Joh. Christ. Fabricii Entomologia Systematica. Hafniae 1792 — 1794. Tomi 1 — 4. 8. (Tom. 2.) |
| Fabr. Suppl. | — | J. C. Fabricii Supplementum Entomologiae Systematicae. Hafniae 1798. 8. |
| Fonscol. in Annal. | — | Boyer de Fonscolombe, Monographie des Libellulines des Environs d'Aix, in Annales de la Societé Entomologique de France 1837. 2., et 1838. 1. |
| Frisch. Ins. | — | Joh. Leonhard Frisch's Beschreibung von allerlei Insecten in Teutschland. Tomi 1 — 13. Berol. 1730 — 1738. 4. cum tab. aen. |
| Geoffr. | — | Geoffroy, Histoire abregée des Insectes. Tomi 1 — 2. Parisiis 1800. 4. cum tab. aen. |
| Germar. | — | vide Ahrens. Fn. |
| Guérin. Icon. | — | Iconographie du Règne Animal de Mr. le Baron Cuvier; par M. F. E. Guérin. Parisiis Fasc. 1 — 4. 8. cum tab. aen. color. (Fasc. 1. Tab. 60 — 63.). |
| Hans. in Wied. Mag. | — | J. W. A. Hansemann, Anfang einer Auseinandersetzung der deutschen Arten der Gattung *Agrion;* in Wiedemann's zoologischem Magazin. 2. 1. Altona 1823. p. 148. |
| Hoeven in Extrait. | — | M. J. van der Hoeven, Sur un nouveau Caractère pour distinguer les Libellules et les Aeshnes; in Extrait des Annales des Sciences Naturelles. 1829. cum fig. |
| Klug. Panorpat. | — | Friedr. Klug, Versuch einer systematischen Feststellung der Insecten-Familie: *Panorpatae*, und Auseinandersetzung ihrer Gattungen und Arten. Berlin 1836. 4. cum tab. aen. color. |
| Lamarck Invert. | — | J. B. Lamarck, Système des Animaux sans vertèbres. Paris 1801. 1 vol. 8. Ejusdem Hist. Nat. IV. |
| Latr. gen. Ins. | — | P. A. Latreille, Genera Crustaceorum et Insectorum. Parisiis 1806 — 1809. Tom. 1 — 4. 8. (Tom. tertius). |
| Latr. Hist. Nat. | — | P. A. Latreille, Histoire Naturelle des Crustacés et des Insectes. Paris 1802 — 1805. T. 1 — 14. 8. cum tab. aen. |
| Linn. Fn. Sv. | — | Caroli Linnaei Fauna Suecica. Edit. 2da. Stockholmiae 1761. 8. |
| Linn. Syst. Nat. | — | Caroli a Linné Systema Naturae. Edit. 12ma Holmiae 1766 — 1768. T. 1 — 3. 8. (Tomi 1mi Pars 2da). |
| Macq. | — | J. Macquart, Pupa *Panorpae communis*, descript. in Annal. des Sciences Naturelles. Tom. 22. p. 463. |

| | | |
|---|---|---|
| Oliv. Encycl. | — | A. W. Olivier, Encyclopédie méthodique, Insectes, cum tab. |
| Panz. Fn. | — | G. W. F. Panzeri Faunae Insectorum Germanicae initia. Norimbergae 1796—1809. Fasc. 1—109. cum tab. color. |
| Pictet Mém. | — | F. J. Pictet, Mémoires sur les Larves de Nemoures; in Extrait des Annales des Sciences Naturelles. Paris 1832. 8. cum tab. color. |
| Reaum. Ins. | — | de Reaumur, Mémoires pour servir à l'histoire des Insectes. Amsterdam 1737—1748. Tom. 1—6. 8. cum tab. aen. (Tom. 3. 4 et 6). |
| Roes. Ins. | — | A. J. Roesel von Rosenhof, Insecten-Belustigung. Nürnberg 1746—1761. Tomi 1—4. 4. cum tab. color. |
| Ross. Fn. Etr. | — | Fauna Etrusca, sistens Insecta, quae in Provinciis Florentina et Pisana collegit P. Rossi. Tom. 1. cum Mantissa ab Hellwig. Helmstadtii 1795. Tom. 2 edit. ab Illiger. Helmstadtii 1807. 8. cum tab. color. |
| Schaeff. Icon. | — | J. C. Schaefferi Icones Insectorum Ratisbonensium. Ratisbon. 1766. 4. Vol. 1—3. cum tab. color. |
| Schrank Enum. | — | Francisci de Paula Schrank, Enumeratio Insectorum Austriae indigenorum. Augustae Vindelicorum 1781. 8. |
| Steph. | — | Stephens Illustrations of British Entomology. Vol. 6. (hoc opus ipse non vidi). |
| Sundew. | — | Carol. Sundewall, in litteris. |
| Uddm. Diss. | — | Isaacus Uddman, Novae Insectorum Species; Dissertat. Academ., Praeside Joh. Leche, Aboae 1753. cum fig. |
| Vanderlind. Monogr. | — | Vanderlinden, Monograph. Libellularum Europ. (opus a me non visum). |
| Villers | — | de Villers, Entomologia Linnei. Lugduni 1789. Vol. 1—4. 8. cum tab. aen. (Vol. tertium). |
| Westw. Intr. | — | Westwood, Introd. T. 3. cum fig. |
| Wiedem. Zool. Mag. | — | vide Hansemann. |

# CONSPECTUS

## FAMILIARUM ET GENERUM NEUROPTERORUM LAPPONIAE.

---

### FAM. 1. LIBELLULINAE. LATR. ODONATA. FABR.

**Antennae breves, subulatae, inter oculos, fronti insertae, 5—7-articulatae. Palpi maxillares 2, brevissimi. Mandibulae validae*). Oculi maximi. Ocelli 3. Corpus valde elongatum, angustum, fragile. Alae 4, aequales, hyalinae, creberrime reticulatae, cellulis plerisque quadrangularibus, stigmate (parastigmate CHARPENT. et ILLIG.) distincto; horizontaliter extensae aut erectae. Volatus celerrimus, velificans, saepe altus, continuus. Praedatores. Abdomen lineari-cylindricum, aut depressum vacuum; apice varie appendiculatum. Pedes, antici breves, postici longiores. Tarsi tri-articulati. *Metamorphosis* semicompleta. *Larvae* et *pupae* aquaticae. *Masculorum* genitalia ad basin abdominis sub segmento secundo ventrali latitant.**

1. Libellula LINN. REAUM. et Auctor.
2. Aeschna FABR. ILLIG. LATR. CHARPENT. FONSCOL. *Libellula* LINN. REAUM. et Auct.
3. Agrion FABR. HANSEM. CHARPENT. LATR. DAHLB. *Libellula* LINN. REAUM. Auct.

### FAM. 2. EPHEMERINAE. ZETT. *Ephemeraedes* BILLB. *Libellulinae* LATR.

Antennae breviusculae, subulatae, capiti antico, ad oculorum apicem internum, insertae, 3-articulatae. Palpi 4, breves. Mandibulae nullae aut obsoletae. Oculi majusculi. Ocelli 3. Corpus elongatum, mollissimum. Alae 4, inaequales, hyalinae, posticis multo minoribus; omnes trigonae, reticulatae; horizontales aut (in quiete) erectae. Volatus sat celer: die aprico et calido choreas ad aquas saepe ducunt mares, sursum deorsum volitando. Abdomen elongato-conicum, cauda setis 2 l. 3 longissimis, articulatis, et appendicibus (in ♂) 2 l. 3 setaceis. Tarsi 4-articulati. Pedes 2 antici (in ♂) longiores porrecti. *Metamorphosis* semicompleta. *Larvae* et *pupae* aquaticae. *Mas* plerumque minor, oculis minoribus, pedibus anticis et setis caudalibus longioribus ut et ano appendicibus 2 instructo.

4. Ephemera LINN. REAUM. et Auctor.

### FAM. 3. PANORPATAE. LATR. KLUG. *Panorpaedes* BILLB.

Antennae thorace paullo longiores, setaceae, inter oculos insertae, 30-articulatae et ultra. Os elongatum in rostrum corneum, apice palpigerum. Palpi (in nostris) 4 breves, subfiliformes, maxillares longiores exserti 5-articulati, labiales 2-articulati. Ligula nulla. Mandibulae lineares, corneae, apice incurvae, denticulatae. Maxillae basi cum mento connatae, lineares. Oculi prominuli, semiglobosi. Ocelli 3 l. nulli. Corpus elongatum, angustum. Alae corpore longiores, aequales, patulae, incumbentes, oblongatae, parum reticulatae; raro in ♀ nullae. Volatus tardior. Abdomen elongato-conicum. Pedes graciles, tibiis spinulosis et apice calcaratis, tarsis 5-articulatis, unguibus (in nostris) biunguiatis. *Metamorphosis* completa. *Larvae* agiles, *pupae* quiescentes.

5. Panorpa LINN. REAUM. et Auct.
6. Boreus LATR. KLUG. *Atelептera* HOFFMGG. DALM. *Panorpa* FABR.

(FAM. MYRMELEONIDES *Myrmelcon* LINN. REAUM. et Auctor. Spec. Scand. 1.)

### FAM. 4. HEMEROBINI LATR.

Antennae setaceae aut filiformes, inter l. ante oculos insertae, elongatae. Caput perpendiculare et triangulare (in *Raphidia* horizontale, obovatum). Palpi maxillares articulis 4 l. 5, labiales articulis 3. Mandibulae in nostris corneae, trigono-triquetrae, apice acutae. Oculi plerumque prominuli, semiglobosi. Ocelli 3 aut nulli. Corpus plerumque elongatum, arcuatum. Alae 4, subaequales, oblongae, abdomine longiores, saepissime hyalinae, cellulis ovalibus; incumbentes aut deflexae; raro nullae. Volatus tardus. Tarsi 2—5-articulati. *Metamorphosis* varia. *Larva* agilis, *pupa* quiescens, utraque terrestris (in *Semblide* pupa aquatica).

7. Hemerobius LINN. REAUM. et Auctor.
8. Sciodus ZETT. (*Osmylus* LATR. *Hemerobius* FABR. Sp. Scand. 1.)
9. Semblis FABR. ROSS. DAHLB. *Hemerobius* LINN. et Auct. *Sialis* LATR. GUÉRIN.
10. Psocus LATR. FABR. PANZ. DAHLB. *Termes* LINN. DEG. *Hemerobius* LINN. *Pediculus*, *Phryganea*, *Psylla* GEOFFR.
11. Rhaphidia LINN. et Auct.

### FAM. 5. PERLARIAE. LATR.

Antennae longitudine corporis et ultra, multiarticulatae, ante oculos insertae, remotae, setaceae, articulo primo magno. Caput parvum, horizontale et transversale. Palpi 4, exserti, inflexi, filiformes aut setacei; maxillares longiores 5-articulati; labiales 3-articulati. Mandibulae minutae. Oculi prominuli, semiglobosi. Ocelli 3. Corpus elongatum, lineare, depressum. Thorax planus, transverso-quadratus. Alae 4, opacae, ramoso-nervosae, horizontaliter dorso incumbentes, abdomine duplo longiores, longitudine aequales, sublineares, inferis latioribus, intus plicatis. Volatus brevis,

---

*) Quoad partes oris larvarum et imaginum conferantur praeterea observationes a Dr. BRULLE in Annal. de la Societé Ent. de France 1833. 3. pag. 343.

abruptus. Abdomen molle, ano submutico aut appendicibus 2 setaceis instructo. Pedes elongati, submutici, tarsis 3-articulatis. *Metamorphosis* incompleta. *Larva* aquatica, hexapoda, tarsis biarticulatis; agilis, elongata, subcylindrica, pilosa, segmentis 12, setis caudalibus 2 elongatis, rectis; absque Phryganeidum folliculo et Ephemerinarum branchiis externis.

12. Nemoura. Latr. Pictet. *Phryganea* Linn. *Perla* Geoffr. *Semblis* Fabr.

13. Perla Geoffr. Deg. Latr. *Phryganea* Linn. Reaum. *Semblis* Fabr.

## FAM. 6. PHRYGANEIDES.

Antennae plerumque longitudine circiter alarum, interdum longissimae; inter oculos insertae, multiarticulatae, setaceae, articulo primo magno. Caput parvum, transversum, verticale, inferum excavatum. Palpi 4, maxillares capite longiores, saepe longissimi, 5-articulati; labiales 3-articulati. Mandibulae nullae. Oculi prominuli, semiglobosi. Ocelli 2 frontales. Prothorax parvus, transversus. Hae elongatae aut sublanceolatae, opacae, coloratae, nervosae, pilosae, abdomine duplo longiores, subaequaliter longae, inferis latioribus, plicatilibus (in *Hydroptila* non plicandis). Volatus acris, brevis, abruptus, raro longus, continuus. Pedes elongati, tibiis spinulosis aut bisbicalcaratis, tarsis 5-articulatis. *Metamorphosis* semicompleta *). *Masculi* palpis longioribus quam *feminae* saepe gaudent.

14. Phryganea Linn. Reaum. et Auctor.

15. Hydroptila Dalm. (*Sciodus* Zett. inter *Hemerobinos* in Famil. 4ta post *Hemerobium* quaerendus).

*) *Larva* aquatica, cucullum l. tubum cylindricum, sericeum, vegetabilium fragmentis, seminibus, arena, conchis etc. connexis, opertum, habitat. Pupa in cucullo claustro quiescens, imagini subsimilis. Latr.

# ORDO VII. NEUROPTERA.

## FAM. 1. LIBELLULINAE. LATR.

### 1. Libellula. LINN.

LATR. Gen. Ins. p. 405. FABR. GEOFFR. Auctor.

Magna (long. corporis 12 — 8 lin., alar. expans. 21 — 14 lin. mens. Suec.). Antennae remotae. Maxilla intus 5-spinosa. Labrum transversum, semicirculare, subgibbosum, leviter ciliatum. Labium crassum, rotundum, inflatum. Caput hemisphaericum, supra clypeum vesiculosum. Oculi supra contigui. Ocelli 3, in triangulum dispositi. Thorax subquadratus, planus, villosus. Alae horizontales, hyalinae, stigmate distincto, et in alis anticis *cellula* *) prope basin triangulari, elongata fere ad marginem interiorem extensa. Alis immotis volat. Abdomen lanceolatum, depressum aut subcylindricum. *Color* varius. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae, rarius per inferalpinam Nordlandiae. *Differentia sexus* in abdominis structura, ut pro singula specie indicabitur, mox invenienda. (Spec. Scand. 10 in museo meo adsunt, capite hemisphaerico, oculis oblongis in vertice conniventibus, abdomine subdepresso, alis in quiete extensis seu patulis et area basali transversa in anticis triangulari, elongata, angusta, ab affinibus dignotae.)

**1. L. quadrimaculata:** fusca subpellucida griseo-hirta, abdomine depressiusculo posterius attenuato nigro; alis hyalinis basi flavis, omnibus macula cubitali et stigmate elongato lineari nigro-brunneis, posticis macula baseos irregulari nigricante flavo-reticulata, membranulaque appendicea alba. ♂♀. (Long. corp. 11, al. exp. 21 lin.)

LINN. Fn. Sv. 1459. FABR. Ent. Syst. 2. 373. 1. REAUM. Ins. Tab. 35. fig. 2? (non 1.) ♂. CHARPENT. Hor. Ent. p. 41. VANDERLINDEN Monogr. Libell. Europ. p. 9. 3. FONSCOL. in Annal. de la Soc. Ent. de Fr. 1837. 2. p. 133. DAHLB. Skand. Ins. Skada och Nytta p. 224.

Hab. in Lapponia rar. (Lappon.-Upsalia pass. — Scan. Jun. freq., circa medium mensis certis annis innumeris gregibus demigrans.)

Thoracis latera flava, lineis 2 obliquis nigris. Abdomen fuscum, posterius nigrum opacum, lateribus flavum, in mare multo magis attenuatum quam in femina. Appendices caudales elongatae lanceolatae. Pedes nigri. — Varietatem feminea macula l. fascia sub stigmate alarum fusca; PANZ. Fn. Germ. 88. T. 19. ♀.; in Scania frequenter, in Lapponia non, vidi.

**2. L. vulgata:** fusca opaca, abdomine subcylindrico glabriusculo; alis abdominis longitudine hyalinis, basi immaculatis, stigmate oblongo, lineari fusco; pedibus fusco-testaceis. ♂♀. (Long. corp. 10, al. exp. 17 lin.)

*Mas:* abdomine cylindrico postice nonnihil incrassato;
*Fem.:* abdomine subcompresso l. subtriquetro, valvula s. squamula aperturam ventralem obtegente erecta, in copula.

*) Primum a Dom. Prof. VAN DER HOEVEN observata et in extr. des Annal. des Scienc. Nat. 1829 indicata.

LINN. Fn. Sv. 1461. FABR. Ent. Syst. 2. 377. 16. CHARPENT. Hor. Ent. p. 49. ♂♀. VANDERL. Mon. Lib. Eur. p. 14. 8. FONSCOL. in Annal. de la Soc. Ent. de Fr. 1837. 2. p. 147. ♂♀.

Hab. in Lapponia forte rariss., mihi ibi non obvia, ab alio collectore mecum ut Lapponiae incola communicata. (Lapp.-Ostrog., Scan. 26. Jul. — 7, 10. Sept. pass. Abdomen in viva saepe rufescens.)

Appendices caudales brevissimae. Notam singularem et characteristicam e squamula aperturam ventralem prope anum obtegente in femina observavit et primus descripsit oculatissimus CHARPENTIER.

**3. L. rubicunda:** aeneo-nigricans, thoracis lineis abdominisque cylindrici maculis dorsalibus rubris, fulvis l. luteis; alis hyalinis, stigmate oblongo-quadrato, posticis basi macula ovata nigra, membranula appendicea alba. ♂♀. (Long. corp. 10, al. exp. circiter 17 lin.)

*Mas:* alarum stigmate fusco, abdomine ante medium valde angustato, appendicibus analibus brevibus.
*Fem.:* alarum stigmate nigro, abdomine aequaliter crasso, appendicibus analibus brevissimis, in copula.

LINN. Fn. Sv. 1462 certe (excl. syn. ROESEL., quod ad *Lib. conspurcatam* FABR. Suppl. pertinet, ut bene observavit meritiss. CHARPENT.). FABR. Ent. Syst. 2. 377. 13. ROSS. Fn. Etr. p. 192. 944. *Lib. pectoralis* CHARPENT. Hor. Ent. p. 46.

Hab. in Lapponiae sylvis vulgaris; praesertim ad Juckasjervi Lappon. Tornensis et ad Lycksele ac Tannsele Lapp. Umensis, 19 — 28. Jun. frequenter visa, in copula capta; deprehenditur quoque in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae, et ad Tromsoe d. 24. Jul. ♀ inventa. (Lappon.- e Westrog. a DALMAN missa. — Smol. BOHEMAN — Scania ad Esperoed, Lund cet. 1 — 20. Jun. pass., nos.)

Thorax viridi-aeneus, lineis 2 dorsalibus et maculis aliquot pectoralibus fulvis. Abdomen nigrum, maculis basalibus et dorsalibus fulvis l. sanguineis. Variat uterque sexus rarius alis omnibus basi infima maculis parvis, et posticis inferius macula majori ovata, nigris. — In speciminibus vero femineis Scanensibus, quae sub nomine *L. melastoma* communicavit Dom. SUNDEWALL nullam essentialem video differentiam a Lapponicis et Suecicis vulgaribus.

**4. L. flaveola:** supra fusco-rufescens subtus tota nigra, abdomine cylindrico; alis hyalinis, stigmate quadrato-oblongo fusco, omnibus basi fulvis. ♂♀. (Long. corp. fere 10, al. exp. 16 lin.)

*Mas:* appendicib. caudalib. brevibus, alis anticis praeter basin anguste flavam immaculatis;
*Fem.:* appendicib. caudal. brevissimis, squamula s. valvula aperturam ventralem prope anum obtegente incumbente (nec erecta), alis anticis basi anguste, et macula cubitali (costali media), luteis; in copula.

LINN. Fn. Sv. 1460. Syst. Nat. 2. 901. 2. (excl. syn. ROES., quod ad *Aeschnam hamatam* pertinet). FABR. Ent. Syst. 2. 375. 6. ROSS. Fn. Etr. p. 192. CHARP. Hor. Ent. p. 49. FONSCOL. in Annal. de la Soc. Ent. de Fr. 1837. 2. p. 144. 8. ♂♀.

Hab. in Lapponia rarissime. Alas posticas in utroque

sexu semper basi late flavas, nec unquam immaculatas observavi. Specimina, quae in collectionibus alis immaculatis praedita vidi, individua *Lib. vulgatae* fuerunt. (Lapp.-Uplandia-Ostrog. Scania freq., in copul. mens. Junio.)

**5. L. cancellata:** thorace fusco, luteo-lineato, abdomine subcylindrico nigro, supra luteo, incisuris nigris; alis hyalinis, stigmate quadrato-oblongo, nigricante, basi subimmaculatis, membranula appendicea albescente. ♂♀. (Long. corp. 8, al. exp. 14 lin.)

*Mas:* abdomine cylindrico ante medium angustato, toto nigro, dorso interrupte luteo, appendicibus caudalibus brevibus, alis basi immaculatis;

*Fem.:* abdomine subcompresso nigro, dorso luteo, incisuris tenuiter, et ano nigris, appendicibus caudalibus brevissimis, squamula aperturam ventralem prope anum tegente erecta lutea (ut in *L. vulgata*), alis praesertim posticis basi anguste luteis; in copula.

Linn. Fn. Sv. 1465. Fabr. Ent. Syst. 2. 378. 18. Ut Linnaei *Lib. cancellata* genuina quoque in museo Falleni asservatur. Fonscol. in Annal. de la Soc. Ent. de Fr. 1837. 2. p. 135. 3. ♂♀. an hujus? — Etiam sub nomine *L. caelebs* mecum communicata.

Hab. in Lapponia Tornensi mens. Sept. pass. (Lappon.-Bothnia borealis et occident. — Nericia-Scania - ♂ 26. Jul. — ♀ usque ad 13. Sept. visa.)

*Obs.* 1. Non quidem ignoro aliam, nostrae quoad picturam haud dissimilem, sed multo majorem et abdomine depresso abunde distinctam, pro *L. cancellata* Linnaei ab Entomologicis quibusdam haberi, cui etiam synonymon Fonscolombeanum referendum; sed haec Sueciae rarissime incola vix Linnaei genuina esse potest, cum exinde sequeretur, ut nostra supra descripta species per totam Sueciam a Lapponia usque ad infimam Scaniam ubique vulgaris a summo Viro ignota esset, quod tamen parum credibile videtur.

*Obs.* 2. *Lib. depressa* Linn. Reaum. Ins. 6. T. 35. f. 1. (Scania Jul. freq. — Suecia media pass.), et *conspurcata* Fabr. Suppl. Charpent. (Suecia!) in Lapponia a me non inventae fuerunt.

---

## 2. Aeschna. Fabr.

Latr. Gen. Ins. 406. Charpent. Ross. Fonscol. *Libellula* Linn. et Auctor. vet.

Maxima (long. corp. 22—13, al. exp. 27—16 lin.). Instrumenta cibaria fere ut in *Libellula*, sed labii trifidi laciniae subaequales. Caput hemisphaericum, fronte vesiculosa. Oculi supra saepius contigui. Ocelli 3 in linea transversa. Alae hyalinae horizontaliter extensae, stigmate elongato, lineari, distincto, et in alis omnibus cellula prope basin late triangulari, a margine interiori magis remota. Celerrime volitat alis immotis. Abdomen cylindricum longitudine alarum. *Color* aeneus, fuscus. *Pictura*, dum adest, thoracis lineata, abdominis fasciata, cum vita saepe perit. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae et rarius inferalpinam Norvegiae. *Differentia sexus* in abdominis structura (quemadmodum ad singulas species indicabitur) mox detegitur. Appendices caudales in mare insignes; et margine interno alarum posticarum pone membranulam appendiceam pro receptione abdominis primi et secundi segmenti ut genitalia continentis, plerumque tumidi exciso, masculi a feminis statim dignoscuntur. (Spec. Scand. 12, abdomine semper cylindrico, labii trifidi laciniis subaequalibus, appendicibus caudalibus in ♂ insignibus, ut et cellula triangulari in alis omnibus (nec tantum in anticis) dilatata (nec elongata, angusta) atque a margine interiori magis remota, a *Libellula*; et capite semigloboso (nec transverso), oculis saepius in vertice conniventibus, alis in quiete patulis (nec erectis), stigmate distincto etc., ab *Agrio* dignotae.)

* Oculi in vertice distantes. Alarum membranula appendicea nulla.

**1. Ae. hamata:** nigra, thoracis lineis latis abdominisque maculis dorsalibus, flavis; alis hyalinis, stigmate nigro. ♂♀. (Long. corp. 13—14, al. exp. 17—18 lin.)

*Mas:* abdomine medio tenuissimo, basi apiceque tantum crassiori, appendicibus caudalibus unguibus tribus magnis incurvis;

*Fem.:* abdomine cylindrico.

Charpent. Hor. Ent. p. 25. *Lib. forcipata* Linn. Syst. Nat. 2. 903. 11. (non Faun. Suec.). Deg. Ins. 2. T. 21. f. 1. ♂. Roes. 2. T. 5. f. 4. ♀. Fabr. Ent. Syst. 2. 383. 2. (Reaum. Ins. 4. t. 10. f. 4. Ins. 6. t. 35. f. 5. vix huc pertinent.)

Hab. in Lappon. secund. collection. boreales. (Lappon.-Ostrog. 10—28. Jul. freq. ♂. — Scan. pass.)

*Obs. Ae. forcipata* Linn. Fn. Sv. 1469. Panz. Fn. 88. T. 21. Fonscol. et Charpent. (nigra, thoracis lineis latis abdominisque cylindrici linea dorsali tenui in segmentis 3 analibus non continuata, flavis, et appendicibus caudalibus maris 4 parvis, superioribus rectis, apice mucronatis; in Suecia inferiori pass. rarius), et *vulgatissima* Linn. (in Suecia freq. in Lapponia hactenus non visae, quantum novi.

** Oculi in vertice cohaerentes. Alarum membranula appendicea adest.

**2. Ae. borealis:** fusco-brunnea, lineis pectoris utrinque duabus abdominisque maculis lateralibus, laete caerulescentibus; alis cinereo-hyalinis, stigmate et membranula appendicea nigricantibus. ♂♀ insect. viv. (Long. corp. absque append. caudal. 16—17, al. exp. 23—24. lin.)

*Mas:* abdomine mox infra basin subito et breviter, at valde coarctato, appendicibus caudalibus 3 brunneis, quarum duae superiores abdominis ultimo segmento duplo et ultra longiores, sublanceolatae, basi attenuatae, apice obtusae, intus ciliatae; appendix inferior, longitudine dimidia superiorum, triangularis, excavata.

*Fem.:* abdomine mox infra basin subito et breviter, at modice coarctato, appendicibus caudalibus 2, omnino similibus superioribus in mare, at forte paullo brevioribus.

Vix *Libellula juncea* Linn. Fn. Sv. 1468. var.?

Hab. in Lapponia Umensi vulgaris, in silvis ad Katis-avan, Lycksele etc. 16—28. Jun. frequenter visa, praesertim ♀ vulgaris. (Lapponia meridionalis, Suecia inferior, mus. Fall. ubi ♂ cum hac annotatione: „abdomine punctis et signaturis albis,“ asservatur.)

*Ae. rustica* Dalm. (in litter.) seu forte *Lib. juncea* Linnaei genuina nonnihil minor. Oculi in viva glauci immaculati, in mortua brunnei. Viva tota fusco-brunnea, thorace lineis lateralibus 2 angustis pallide caerulescentibus. Abdomen glabrum nitidum, brunneo et pallide caeruleo pulchre variegatum. Pedes obscuri. Alae cinereo-hyalinae immaculatae, stigmate nigro aut fusco. Membranula appendicea cinereo-nigricans l. nubila. Cellula ad basin alarum lato-triangularis. In mortua thorax brunneus l. fuscus, lineis pectoralibus glaucescentibus, et abdomen rufo-brunneum, signaturis variis obscurioribus.

**3. Ae. grandis:** brunneo-lutescens, thorace supra immaculato, lateribus lineis duabus flavis; supra ad radicem alarum puncto reniformi maculisque abdominis caerulescentibus; alis flavescentibus, stigmate fusco, membranula appendicea nubila. ♂♀. (Long. corp. 20, al. exp. 26 lin.)

*Mas* et *femina* ut in *Ae. boreali* dignoscuntur; at abdomen in femina *Ae. grandis* basi non coarctatum est.

Charp. Hor. Ent. p. 32. ♂♀. *Libellula* Linn. Fn. Sv. 1467. Reaum. Ins. 6. t. 35. f. 3. ♀? Roes. Ins. 2. T. 4. f. 13. 14. Deg. Ins. 2. T. 20. f. 5. ♂. Fabr. Ent. Syst. 2. 384. 2. Ross. Fn. Etr. p. 194. 947.

Hab. in Lapponia Umensi rarius, ad Wilhelmina d. 22. Jul. a D. Dahlbom capta. Cellula ad basin alarum lato-triangularis. Colores variegati cum vita pereunt et corpus totum in mortua brunneum evadit. (Lappon. meridion. — Ostrogoth. Scania Jul. Aug. freq.)

**4. Ae. metallica:** tota viridi-aenea, frontis limbo inferiori, abdominis segmenti secundi macula laterali ventreque basi luteis; alarum membranula appendicea sordide albida l. nubila. ♂♀. (Long. corp. 14, al. exp. 20. lin.)

*Mas:* alis hyalinis immaculatis, margine interiori basi infra membranulam pro receptione abdominis primi segmenti distincte exciso; abdomine subincurvo, mox infra basin subito coarctato; appendicib. caudalibus 3, harum 2 superioribus ultimo segmento duplo longioribus, cylindricis, pilosis, basi latere externo denticulo acuto instructis et apicibus summis subulatis reflexis; appendiceque inferiori unica superioribus fere dimidio breviori, triangulari, in medio concava; omnino ut hae appendices ab Ill. Charpentier l. c. exactissime describuntur;

*Fem.:* alis saepissime flavescentibus margine costali saturatiori, margine interiori basi non exciso; abdomine fere aequaliter crasso (nec infra basin subito coarctato), recto; appendicibus caudalibus 2, sublanceolatis rectis pilosis nigris, apice acutis, segmento abdominis ultimo duplo longioribus, et squamula aperturam ventralem prope anum tegente erecta (an vi?), acuta nigra.

Charp. Hor. Ent. p. 39.

Hab. in Lapponia rarius; in silva ad Jockasjervi Lapponiae Tornensis, 20—24. Jun. inventa. (Lappon.-Scania ad Abusa prope Lund jam 16. Maj. in cop. capt. rar.)

*Mas* et *Fem.* Similis *Ae. aeneae* Linn. Fabr. Panz., illa vero a nostra dignoscitur: fronte tota aenea, abdominis maculis basalibus luteis nullis, alis in utroque sexu basi flavescentibus et in femina totis plerumque flavedine aequaliter tinctis, ut et praepri-

mis appendicibus caudalibus quatuor (nec tribus) subaequaliter longis, inferioribus juxta apicem dente acuto instructis. — Alarum cellula basalis triangularis in alis anticis transversim conica, parum lata fere ut in *Libellula*, in posticis longitudinaliter dilatata. Stigma haud elongatum, fuscum l. pallidum. Abdomen pilosiusculum. Oculi in femina viva dimidietate superiori fusci, inferiori glauci.

*Obs. Ae. metallica*, *aenea* et *borealis* Libellulis valde affines, praeeunte Cel. Charpentier rationibusque ab illo l. c. allatis nixus, etiam a me ad genus *Aeschnam* translatae fuerunt.

**5. Ae. arctica**: tota viridi-aenea, fronte puncto utrinque ad oculos, abdominis incisuris basalibus segmentique tertii macula laterali, flavis; alis cinereo-hyalinis subimmaculatis, membranula appendicea sordide albida. ♀. (Long. corp. 11 — 12, al. exp. 17 — 18 lin.)

Hab. in inferalpinis Finmarkiae Norvegicae; in silvis locis montosis ad Bossekop prope Alten non longe a Capite septentrionali, d. 2 - 4. Aug. 1821 a me inventa. (Finmarkia occidentalis, Oefver Tornea, D. Portin, rariss.)

*Mas* et *Fem.* Similis et affinis priori s. *Ae. metallicae*, sed magnitudine duplo minori, fronte tantum puncto utrinque ad oculos (nec limbo inferiori toto), flavo, alis (♀) subimmaculatis, appendicibus caudalibus brunneis, nec nigris, ut et loco natali ab illa facile dignota. Alae cinereo-hyalinae, basi infima nigra, flavedine levissime inducta, versus apicem in regione stigmatis nigricantis umbra fusca leviter tinctae. Cellula triangularis ad basin et membranula appendicea ut in praecedente. Squamula aperturam ventralem juxta anum tegente incumbens. In viva oculi dimidietate inferiori glauci, superiori castanei, in mortua toti brunnei.

*Obs. Ae. lunata* Charp. (*annulata* Latr., in Scania ad Esperoed et Oestared pass.); *chrysophthalmus* Charp. (Suec. med., Ostrogoth. ad Laerketorp, Scan. rar.); *juncea* Linn. vera (Suecia rar.); *vernalis* Vanderl. (Scan.) et *aenea* Linn. (Scania jam 20. Maj. freq.); sed harum nullas in Lapponia invenire mihi contigit.

---

## 3. Agrion. Fabr.

Latr. Gen. Ins. 407. Wiedem. Charp. Ross. Hansem. Hoeven. Dahlb. *Libellula* Linn. et Auct. Vet.

Medium aut in hac familia parvum (long. corp. 12 — 8, al. exp. 18 — 12 lin.). Maxilla intus spinis 5, quarum 2 minimis. Labii lamella media profunda bifida, lamellae laterales dente apicali. Caput transversum, cum oculis late remotis et valde exsertis subglobosis thorace latius, non vesiculosum. Ocelli 3 in triangulum dispositi. Alae in quiete suberectae s. oblique conniventes, subtiliter reticulatae, cellulis quadrangularibus, stigmate nullo l. parvo. Cellula vero triangularis major, in *Libellula* et *Aeschna* ad basin alarum perspicua, neque in alis anticis neque in posticis *Agrii* adest. Volitat interrupte alis vibrantibus, posticis interdum quiescentibus, conniventibus. Abdomen gracile, lineari-cylindricum, glabriusculum. Pedes ciliati. *Color* metallicus splendens, plerumque viridis aut caeruleus, rarius ruber, aut cupreus. Alae hyalinae, coloratae, maculatae. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Larvae* elongatae, angustae, antennis 3-articulatis et foliolis analibus tribus. *Differentia sexus* fere ut in prioribus. *Mas* et *femina* pictura quoque interdum discrepantes. Mas appendicibus analibus 4 semper gaudet. (Spec. Scand. 10, vix plures, nisi e meris varietatibus novas species fingere velis.)

*Subdiv.* 1. Alae sessiles, coloratae, cellulis creberrimis, subtilissimis, saepissime quadrangularibus, stigmate in ♂ nullo, in ♀ brevi obsoleto spurio (pseudostigmate Hansem.), albo; saltem in quiete aut omnes oblique supra abdomen positae, aut anticae horizontaliter patentes. Masculorum appendices anales superiores semicirculares. *Calepteryx* Leach. Billb., *Libellula Virgo* cum varietatibus Linn.

**1. A. Virgo:** corpore metallico splendidissimo, ore pedibusque nigris, ventre obscuro. ♂♀. (Long. corp. 12, al. exp. 18 — 19 lin.).

*Mas:* alis saepissime caeruleis aut caeruleo-maculatis, semper absque stigmate; appendicibus caudalibus 4 atris, superioribus longitudine abdominis ultimi segmenti, arcuatis, extrorsum nonnihil latioribus, extus pilosulis, serrulatis, intus medio dente armatis; inferioribus dimidio brevioribus, subrectis;

*Fem.:* alis fuscescentibus immaculatis unicoloribus, stigmate parvo albo; appendicibus caudalibus brevibus, acutis.

Hansem. in Wied. Zool. mag. 2. 1. p. 151. ♂♀. Charp. Hor. Ent. p. 4. ♂♀. Dahlb. Skand. Ins. p. 226. 149. ♂♀.

Var. a. ♂. capite et corpore caeruleis, alarum macula media fasciformi, latissima atro-caerulea.

Linn. Fn. Sv. 1470. var. α. Roes. Ins. 2. T. 9. f. 7. Ross. Fn. Etr. p. 195. 948. v. α. Schrank Enum. Ins. Austr. 302. 600. var. A. Fabr. Ent. Syst. 2. 386. 1. var. α. Panz. Fn. 79. T. 17.

Hab. in Lappon. Tornensi, D. Portin.

Var. b. ♂. simile var. a., alarum macula media minus dilatata, fusca.

Var. c. ♂. corpore caeruleo aut virescenti caeruleo, abdomine posterius viridi, alis totis caerulescentibus, apice interdum cinereo-hyalinis.

Linn. l. c. var. β. Reaum. Ins. 6. 35. f. 7. Roes. Ins. l. c. f. 5. Ross. Fn. Etr. l. c. var. β. et δ. Panz. l. c. T. 18. Fabr. l. c. var. β. et δ. Reaum. Ins. 6. t. 35. f. 7.

Hab. ad Asele Lapponiae meridionalis frequenter, 24 — 28. Jul. captum.

Var. d. ♂♀. corpore viridi, abdomine apice interdum cupreo, alis totis fuscis aut fusco-flavescentibus.

Linn. l. c. var. γ. ♀. Schrank l. c. var. C. ♀. Ross. l. c. var. γ. ♀. Roes. l. c. f. 6. ♀. Fabr. l. c. var. γ. ♀. *Agrion modesta* Sundew. in litt. ♀.

Hab. hae varietates in Lapponia rarius praeter varietatem c., quae praesertim in Lapponia Umensi s. meridionali frequenter occurrit. (Lappon.-Scania freq., etiam varietates aliter coloratae.)

*Subd.* 2. Alae abdomine breviores petiolatae s. basi insigniter angustatae, totae hyalinae, cellulis non ita crebris ac in prioribus, stigmateque in utroque sexu perspicuo licet parvo; in quiete aut semi-expansae aut fere erectae. Abdomen subfiliforme. Appendices caudales variae. *Libellula Puella* cum varietatib. Linn.

° Alarum stigma oblongum, fere rectangulum. Cellulae plurimae polygonae. *Nervus longitudinalis* in parte exteriori alae a costa *quartus*, ab apice ad tertiam totius alae longitudinis partem productus, *angulatus* s. in ziczac flexus. Alae in quiete semi-expansae. Maris appendices caudales non brevissimae, superiores arcuatae.

**2. A. Forcipula:** supra viridi-aeneum nitidum, subtus alarumque receptaculo flavescens; stigmate fusco. ♂♀. (Long. corp. 9 — 10, al. exp. 12 lin.)

*Mas:* thorace supra aeneo-viridi unicolore, pectore glaucescente l. pulvere caeruleo obducto; abdominis segmento ultimo plicato, exciso, appendicibus superioribus arcuatis, intus bidentatis, inferioribus brevioribus rectis, omnibus (in adultis) nigris;

*Fem.:* thorace supra viridi, lineis 3 flavis l. albidis, subtus livido; appendicibus caudalibus 4 brevioribus, superioribus conicis flavis, apice fuscis, inferioribus brevissimis nigris, et praeterea duabus aliis carinae anali insertis, filiformibus, incurvis, fuscis; segmento ultimo dorsali emarginato.

Charp. Hor. Ent. p. 6. certe. ♂♀. *A. sponsa* Hansem. Wied. Mag. 2. 1. p. 159. 7? *Lib. puella* Linn. Fn. Sv. 1471. var. α. ♀. Reaum. Ins. 6. t. 40. f. 1 — 5. t. 41. f. 3. Dahlb. Skand. Ins. p. 227. 150. var.

Hab. in Lapponia rar. (Lappon.-Ostrogoth.-Scania Aug. freq.)

°° Alarum stigma rhombeum. Cellulae plurimae quadrangulares, saltem rectangulae. *Nervus longitudinalis* in parte exteriori alae a costa *quartus*, ab apice ad tertiam totius alae longitudinis partem productus, *rectus* (nec undulatus l. angulatus). Alae in quiete erectae. Maris appendices brevissimae, forma variae.

**3. A. Puella:** azureum aeneo-pictum; collari aeneo, limbo omni tenuissime azureo, margine postico leviter bisinuato; ore subtus tibiisque latere exteriori pallidis; abdominis segmentorum apice (in ♂) fascia obscura; alarum stigmate nigricante. ♂♀. (Long. prioris.)

*Mas:* abdomine azureo, aeneo-fasciato, appendicibus caudalibus superioribus conicis, inferioribus subcurvatis l. rectis;

*Fem.:* abdomine supra aeneo subunicolore, parum maculato; appendicibus caudalibus 2 obtusis, conicis atris.

Linn. Fn. Sv. 1471. var. δ. ♂. Dahlb. Skand. Ins. p. 227. 150. var. d. Fabr. Ent. Syst. 2. 387. 2. var. α. Reaum. Ins. 6. t. 35. f. 8. ♂. *A. furcatum* Charp. Hor. Ent. p. 18. ♂♀. *A. Pupa* Hansem. in Wied. Mag. 2. 1. p. 155. 4. ♂♀. Sub nominibus: *Agr. pulchella* et *bivittata* mares mihi ab Entomologis Sueciae etiam communicati fuerunt.

Hab. in Lapponia rarius. (Lappon.-Ostrogoth.-Oelandia-Scania, mense Jul. pass. non rar.)

**4. A. elegantulum**: supra aeneum, thorace glauco-bilineato, subtus caerulescenti glaucum, collari aeneo, limbo glauco, margine postico subintegro; alarum stigmate cinereo-fusco. ♂♀. (Long. corp. 9, al. exp. 11 lin.)

Hab. in Lapponia Umensi passim; in betuletis ad Lycksele 16—19. Jun. feminae frequenter visae; mas rarissime obvius. (Lappon. meridionalis — Bottnia borealis ad Calix, D. Smaltz; ad amnem Kjellby prope Lund Scaniae d. 27. Jun. D. Dahlbom.)

*Mas* et *Fem.* viv. Priori paullo minus. *Agrio interrupto* Charp. (vide infra) affine et simile videtur, sed collaris margine subintegro, nec profunde bisinuato, etc. dignotum. Caput aeneum, postice maculis 2 glaucis per lineam ante collare transversam ejusdem coloris connexis; in occipite etiam macula utrinque glauca. Os glaucum, lineis 2 transversis supra labium aeneis. Oculi (in vivo) glauci cantho superiori obscuro. Thorax glaucus, dorso lineis 3 postice confluentibus aeneis, media latiori. Abdomen valde tenue (praesertim in ♂), glaucum, dorso aeneum, fasciis tenuibus interruptis ad incisuras glaucis. *Feminae* segmentum ultimum dorsale incisum, appendicibus 2? brevissimis conicis glaucis. *Maris* abdomen in specimine nostro apice mutilatum. Pedes in utroque sexu aenei, femoribus subtus tibiisque extus glaucis. *Obs.* Omnis color, qui in insecto vivo caerulescenti glaucus s. azureus est, in mortuo lutescit, quod probe observandum, quando individua in museis asservata, examini subjiciuntur.

*Obs.* Non solum pro comparatione cum jam antea descriptis, verum etiam ea opinione ductus, quod una alterave species olim quoque in Lapponia detegeretur, sequentes hujus subdivisionis cum diagnosibus huic loco inserere volui, in Suecia inferiori plus minus frequenter obvias, licet in terris arcticis hactenus non observatas, quantum novi.

**5. A. lacteum**: capite thoraceque albidis, fusco-aeneo-strigatis, abdomine lacteo, segmentis atro-aeneo-marginatis punctisque 2 notatis, tibiis mediis et posterioribus in membranam dilatatis. ♂♀. (Magnitudo *A. Puellae.*)

Schaeff. Icon. T. 48. f. 1. ♀. Charp. Hor. Ent. p. 11. ♂♀. (Sub nomine *A. platypoda* a D. Sundewall communicata.)

In Suecia media, Ostrogothia ad Laerketorp d. 18. Jul. 1833 in copula invenit Cel. Doct. Dahlbom.

**6. A. minium**: sanguineo-minium, vertice, thoracis lineis dorsalibus abdomineque ante apicem nigro-aeneis, pedibus atris. ♂♀. (*A. Puella* nonnihil majus.)

Charp. Hor. Ent. p. 13. ♂♀. *Lib. Puella* var. *β.* Linn. Fn. Sv. 1471. Schrank Enum. Ins. Austr. 303. var. A. *Agr. Amazon* Hansem. in Wied. Mag. 2. 1. p. 152. 2. ♂♀. (Sub nomine *A. sanguinea* a D. Sundewall communicata.)

In Suecia media rariss., in Scania vero pass., ex. gr. ad Oestared prope Cimbrishamn d. 14. Jul. in copula; etiam aliis locis inveni.

**7. A. Chloridion**: supra aeneum, subtus flavescens, pedibus atris; *mas:* abdomine supra leviter, subtus et in ultimis segmentis totis dense caeruleo-pulveratis; *femina:* thoracis dorso linea picto utrinque abbreviata, punctoque adjacente flavis, interdum obsoletis. ♂♀. (*A. Puella* paullo majus, praesertim femina.)

Charp. Hor. Ent. p. 14. ♂♀. Roes. Ins. T. 11. f. 6. *Agr. Najas* Hansem. in Wied. Mag. 2. 1. p. 158. 6. forte.

In Suecia media et Gottlandia rar., d. 14—20. Jun. captum; in Oelandia vero, in foliis Nymphaeae luteae in lacu Måsberga Paroeciae Gaerdslosa d. 9. Jul. sat copiose legi.

**8. A. interruptum**: azureum, nigro-aeneo-pictum, collari aeneo, undique azureo-marginato et punctis 2 ad latera azureis, margine postico profunde bisinuato. ♂♀. (Magnitud. *A. Puellae*, vel paullo minus.)

Charp. Hor. Ent. p. 16. ♂♀. *A. Puella* Hansem. in Wied. Mag. 2. 1. p. 153. „capite bimaculato, thorace (maris interrupte) bilineato, abdomine utriusque sexus caeruleo-maculato.“

In Scania passim; in graminosis locis siccis in Paradislyekan Lundae 27—30. Maj. 1839 masculi et feminae frequenter visi.

**9. A. tuberculatum**: nigro-aeneum, flavido- et caeruleo-pictum; collaris margine postico reflexo, medio in tuberculum elevato; capite parvo; alis brevibus. ♂♀. (Magnitudo circiter *A. Puellae.*)

Charp. Hor. Ent. p. 21. ♂♀. certe. Forte etiam *A. Pupilla:* „alarum stigmatibus nigris, apice albis, capite bipunctato, thorace lineato, abdominis medio immaculato,“ Hansem. in Wied. Mag. 2. 1. p. 156. 5. ♂♀.

In Suecia media et meridionali passim, in copula haud raro captum; in Gottlandia ad Hoburg d. 19. Jun. 1819 inveni, et in Scania ad Kjellby prope Lund d. 27. Jun. 1829 utrumque sexum deprehendit meritissimus noster insectorum investigator Dahlbom. — Oculi in insecto vivo virescentes, macula superne nigra.

---

## FAMIL. 2. EPHEMERINAE.

### 4. Ephemera. Linn.

Latr. Gen. Ins. 408. Reaum. Geoffr. Deg. Fabr. Oliv. Lamarck. Schrank. Ross. Panz. Dahlb.

Media aut minor (long. corp. 9—1½, al. expans. °) 12—3 lin.). Antennae breves, 3-articulatae, subulatae. Clypeus membranaceus, transversus, medio longitudinaliter plicatus. Palpi 4 breves, multiarticulati. Oculi distantes. Corpus elongatum, molle. Caput transversum. Alae 4 (in *E. diptera* 2), trigonae, crebre reticulatae; superiores majores, omnes in quiete oblique erectae. Setae caudales 2 l. 3, longissimae. Pedes antici a posterioribus remoti, elongati, porrecti. *Color* obscurus. *Motu* tarda. *Volatus* haud celer, interdum longus, pedibus pendulis velificans, ita ut semina papposa *Leontodontis* vel aliarum Syngenesistarum, quae in aëre lente veherentur, te videre fere crederes; sed sole sereno ad aquas et paludes saepe choreas vivaces instituunt imagines masculorum quarundam specierum, sursum deorsum volantes. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. Vita brevis: saepe eodem die exuvias deponunt et nuptias puerperiaque celebrant. *Larva* foliolis caudalibus 3, Libellularum subsimilis, sed capite thoraceque crassioribus, pedibus brevioribus abdomineque branchiis lateralibus exsertis foliaceis vibrantibus dignota. *Differentia sexus; mas:* cauda forcipata s. appendicibus 4 caudalibus brevibus saepe arcuatis infra setas, a *femina* mutica discrepat. (Spec. Scand. 15, alis inaequalibus et setis caudalibus in utroque sexu longissimis statim ab aliis Neuropteris dignoscendae.)

*Subd.* 1. Alae quatuor.

° Cauda triseta.

**1. E. vulgata**: fusca, alis fusco-reticulatis et maculatis. ♂♀. (Long. corp., absque setis, 9, al. exp. 12 lin.)

Linn. Fn. Sv. 1472. Reaum. Ins. 6. T. 44. f. 3—5? Degeer Ins. 2. T. 16. f. 9—13. ♂♀. Panz. Fn. 94. 16. Schrank Enum. Ins. Austr. 303. 602. Ross. Fn. Etr. p. 8. 672. Fabr. Ent. Syst. 2. 68. 1. Dahlb. Skand. Ins. p. 228. 151.

Hab. in Lapponia juxta lacus passim; ad Lycksele Lapponiae Umensis s. meridionalis d. 16—25. Jun. praesertim copiose. Oculi in viva brunnei, unicolores. Femina mare paullo major, robustior. (Lappon.-Scania, 28. Maj. — 2. Jul. freq.)

**2. E. marginata**: thorace unistriato nigro nitido glabra, pedibus lutescentibus, anticis abdomineque fuscis, alis albido-hyalinis, pallide reticulatis, costa a medio ad apicem infuscata. ♂♀. (Long. corp. circiter 4, al. exp. 6—7 lin.)

Linn. Syst. Nat. 2. 906. 3. Fabr. Ent. Syst. 2. 69. 4.

Hab. in Lapponia cum priori passim; ad Lycksele 3—25. Jun. freq. (Lappon.-Ostrogoth.-Scan. freq.)

Priori duplo minor. Alae apice saepe toto infuscato. Maris appendices caudales 4 luteae, inferiores 1½ lin. longae, basi compressae, dilatatae, apice subulatae, incurvatae; superiores breviores, rectae, subconicae.

**3. E. hyalinata**: nigra nitida, pedibus testaceis, alis albo-hyalinis, crebre reticulatis, nervis tenuibus albis, setis caudalibus albidis, articulatione fusca. ♂♀. (Long. corp. 3, al. exp. 5. lin.)

---

°) Per „al. exp.“ in descriptione specifica, long. *alar. anticar. expansarum* semper intelligo.

*Mas:* abdominis medio albido-pellucido; appendic. caudalibus inferioribus pallidis, basi dilatatis, apice subulatis incurvis;
*Fem.:* abdomine nigro, squamis analibus 2 brevibus ovatis fuscis.

Hab. in Lapponia pass.; ad Lycksele 20 — 26. Jun. freq. (Lapponia-Suecia inferior.)

*Eph. marginatae* affinis, sed minor, alis immaculatis et nervis tenuioribus obsoletioribus distincta. Sub nomine: *Eph. Limnobia* et *limosa*, formae similes, sed cellulis pluribus incompletis dignotae, mecum communicatae fuerunt, in Scania et Ostrogothia captae.

Var. b. ♂. nervis obsoletis, cellulis plurimis incompletis; capta ad Lycksele cum var. a, cui de cetero similis.

**4. E. halterata**: fusca, pedibus pallidis, abdomine in mare albido subpellucido, apice fusco, alis in utroque hyalinis parcissime reticulatis, nervis tenuissimis albis. ♂♀. (Long. corp. circiter $1\frac{1}{2}$, al. exp. 4 lin.)

DEG. Ins. 2. t. 17. f. 17. 18. FABR. Ent. Syst. 2. 69. 6.

Hab. in Lapponia Tornensi passim; in pinetis juxta paludes ad Muonioniska 10 — 17. Aug. freq.; etiam ad Alten et Kautokeino Finmarkiae orientalis capta. (Lappon.-Suecia inferior.)

**5. E. vespertina**: tota fusca parum nitida, pedibus fusco-testaceis, alis omnibus obscure cinereis distincte reticulatis. ♂♀. (Long. corp. $3\frac{1}{2}$, al. exp. 6 lin.)

DEG. Ins. 2. 2. p. 646. t. 17. f. 14. 15. ROES. Ins. 2. T. 12. f. 1. 2. LINN. Fn. Sv. 1480 (nuper e nympha declarata videtur). FABR. Ent. Syst. 2. 69. 5. (*Eph. vespertina* ROSS. Fn. Etr. p. 9. 674. „minima, nigra praeter alas hyalinas, $1\frac{1}{4}$ lineam longa" alia omnino videtur.)

Hab. in Lapponia Suecica sylvatica vulgaris; ad Lycksele Lapponiae Umensis et ad ripas fluminis Tornensis ad Juckasjervi 25. Jun. — 3. Jul. larvas et utriusque sexus imagines frequenter inveni. Forceps maris brevis fusca. (Lappon.-Smolandia-Scania Mus. FALL.)

**6. E. brevicauda**: nigricans, abdomine, pedibus et setis caudalibus albis, his pilosis, alis hyalino-albis non reticulatis. ♀. (Long. corp. $1\frac{1}{2}$ al. exp. fere 5 lin.)

FABR. Ent. Syst. 2. 69. 7. Sub eodem nomine in museo FALLENI asservatur; etiam a D. DALMAN mecum communicata. — Sub nomine *E. pusilla* in collectionibus quoque occurrit.

Hab. in Lapponia Tornensi rar.; etiam ad Almsele Lapponiae Umensis 24. Jul. a D. DAHLBOM deprehensa. (Lapponia-Bottnia borealis ad Calix, D. SMALTZ — Westrogothia D. DALMAN. — Oelandia, nos.)

*Fem.:* Parva, directione nervorum in alis et setis caudalibus facile dignota. Antennae fuscae, seta apicali alba. Oculi in viva nigro-brunnei. Alae hyalino-albae, superiores latae, non reticulatae h. e. cellulis nullis instructae, nervis longitudinalibus plurimis tenuibus, quorum tamen a costa secundus et tertius, approximati, a basi ad medium crassiores nigricantes, unde vitta tenuis nigra intra costam oritur. Nervus longitudinalis a costa sextus versus apicem bifurcatus. Setae caudales 3, corpore nonnihil breviores, ab apice ad tres partes longitudinis plumosae. Forte proprii generis.

*Obs.* In speciminibus hujus speciei, quae jam ante oculos habeo, tantum duae alae adsunt.

°° Cauda biseta.

**7. E. venosa**: griseo fuscoque varia, alis hyalinis reticulatis, setis caudalibus pallidis, articulatione fusca; forcipe *maris* lutea basi intus dentata. ♂♀. (Long. corp. 4 — 5, al. exp 9 lin.)

DEG. Ins. 2. T. 18. f. 4. FABR. Ent. Syst. 2. 70. 8.

Hab in Lapponia passim; mares ad Lycksele Lapponiae Umensis 24. Jun., et feminam in paludosis ad Bossekop Finmarkiae 6. Aug. inveni. (Lapponia-Ostrogoth.-Scania; Jul. Aug. pass.)

Var. b. ♂♀. costa alarum leviter infuscata. Inter Alten et Kautokeino Finmarkiae orientalis 13 — 15. Aug. rar.

**8. E. vitreata**: nigra nitida, pedibus sordide luteis, alis hyalinis obsolete crebre reticulatis, setis caudalibus pallidis, articulatione fusca. ♂♀. (Long. corp. fere 4, al. exp. 8 lin.)

*Mas:* abdominis medio forcipeque sordide albis;
*Fem.:* abdomine toto nigro.

Hab. in Finmarkia occidentali; ad aquas scilicet stagnantes prope Bossekop d. 7. Aug. deprehensa; mares copiose choreas ducentes. (Lapponia Norvegica borealis.)

*Mas* et *Fem.* Priori paullo minor, corpore magis nigro, et alis hyalinis immaculatis diversa. Alarum cellulae creberrimae, sed nervis valde tenuibus albidis, unde reticulatio oculis tantum armatis perspicua. Setae caudales corpore fere duplo longiores, sordide albidae fusco-articulatae. Forfex maris albida et tenuior quam in priori.

**9. E. bioculata**: corpore flavo aut obscure testaceo, alis hyalinis subreticulatis, nervis transversis biseriatis, setis caudalibus albis immaculatis; capite tuberculato. ♂♀. (Long. corp. 2 — $2\frac{1}{2}$, al. exp. 4 — 5 lin.)

*Mas:* abdomine albido, apice fusco, thorace saepe obscuro;
*Fem.:* abdomine toto, uti thorace plerumque flavescentibus.

LINN. Fn. Sv. 1473? FABR. Ent. Syst. 2. 70. 9? PANZ. Fn. T. 94. f. 17? GUERIN Iconogr. du Règn. Animal. T. 60. f. 9. REAUM. Ins. 6. T. 46. f. 13? 14?

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Stensele d. 3. Jul. utrumque sexum copiose vidi. (Lapponia meridionalis-Ostrogothia-Scania; Jul. Aug. freq.)

*Mas* et *Fem.* Alae albo-hyalinae immaculatae, nervis tenuissimis albidis, longitudinalibus pluribus, sed transversis paucis, his fere in duas series abruptas dispositis, unde cellulae tantum paucae oblongo-rectangulatae formantur. Cum igitur alae a FABRICIO et LINNAEO „reticulatae" nominantur, et cellulae *creberrimae* in figura PANZERI repraesentantur, magna dubia circa horum auctorum synonyma oriuntur. Praeterea setae caudales albae a FABRICIO „fusco-punctatae" dicuntur, quae nota in nostram speciem non quadrant. — Sub nomine „*Ephem. striata* FABR. s. *mutica* LINN." a D. DALMAN olim missa; interea vero in collectionibus Suecorum pluribus ut *Eph. bioculata* LINN. haec nostra species occurrit.

**10. E. culiciformis**: fusca obscura, alis cinerascentibus, subreticulatis, nervis transversis biseriatis, setis caudalibus longitudine corporis albis immaculatis. ♀. (Long. corp. 2 — $2\frac{1}{2}$, al. exp. 4 — 5 lin.)

LINN. Fn. Sv. 1475. FABR. Ent. Syst. 2. 71. 14.

Hab. in Lapponia rar.; etiam e Groenlandia a D. WESTERMANN missa. (Lappon.-Ostrogoth.-Scan., Aug. Sept. sat frequenter, sed non nisi feminas vidi.)

Priori similis et directio nervorum in alis omnino ut in alis illius, sed differt colore corporis obscuriore et alis cinerascentibus s. fumatis, nec hyalinis.

*Obs.* LINNAEI *Ephemera fuscata*, *horaria* et *nigra* in Suecia inferiori passim obviae, in Lapponia a me frustra quaesitae.

*Subd.* 2. Alae duae.

*Ephemera diptera* LINN. Fn. Sv. 1477. grisea l. testacea, alis hyalinis, margine costali fusco cinereo-maculato; magnitudine *Eph. vitreatae* nob. (no. 8.) ad aquas Scaniae, etiam in fenestris, Jul. Aug. frequenter visa et capta, in Lapponia hactenus non inventa, quantum mihi cognitum.

---

## FAMIL. 3. PANORPATAE. LATR.

### 5. Panorpa. LINN.

LATR. Gen. Ins. 110. REAUM. GEOFFR. DEG. FABR. PANZ. OLIV. LAMARCK. SCHRANK. ROSS. CUV. BILLB. LEACH. STEPH. KLUG.

Media (long. corp. 4, al. exp. 7 — 8 lin.). Os productum in rostrum 1 lin. longum. Mandibulae tridentatae. Maxillae corneae, apice bifidae. Mentum subquadratum, corneum, apice truncatum. Labium elongatum, membranaceum acute emarginatum. KLUG. Ocelli 3. Abdomen conicum, segmentis 8, quorum 2 ultima appendicea, terminali genitalia apice gerente. Alae completae, nervis, longitudinalibus pluribus, validis, trichotomice partitis; transversalibus paucis, unde etiam cellulae tantum paucae irregulares, elongato-subtriangulares observantur. Unguiculi 2, subtus pectinati s. ciliati. *Color* fuscus; *pictura* alarum maculata. *Volatus* tardus, aeger. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus; mas:* cauda triarticulata recurva ferruginea pubescente, articulis 2 cyathiformibus angustis, ultimo magno sub-obovato chelifero, genitale includente; *femina:* cauda triarticulata horizontali ferruginea pilosa, articulis 2 cyathiformibus angustis, ultimo antecedente paulo longiori sed nonnihil angustiori, apice appendices 2 breves filiformes triarticulatas divaricatas nigras pilosas gerente. (Spec. Scand. 1

nostra, cujus mera varietas *P. germanica* Auct. sine dubio habenda.)

**1. P. communis:** nigricans, rostro externe nigro-bilineato, antennarum articulo basali crasso, orbita oculorum occipitali caudaque, ferrugineis, thoracis maculis dorsalibus pedibusque sublividis, alis cinereo-hyalinis, nervis maculisque nigris. ♂♀. (Long. ut in charactere generis indicata.)

*Mas* et *Fem.* ut in charact. gen. dignoscuntur.

Var. a. ♂♀. alis cinereo-hyalinis, maculis in singula ala basalibus subquatuor, apicali unica majori hyalino-guttata, et fascia pone medium irregulari, nigris.

LINN. Fn. Sv. 1516. ♂♀. REAUM. Ins. 4. T. 8. f. 9. ♂. DEG. Ins. 2. T. 24. 25. f. 1—4. ♂♀. FABR. Ent. Syst. 2. 97. 1. SCHRANK Enum. p. 316. 633. PANZ. Fn. 50. f. 10. ♂. FRISCH. Ins. 9. p. 28. t. 14. ♂. ROSS. Fn. Etr. 23. 695. KLUG. Panorpatae 22. 1. ♂♀.

Var. b. ♂♀. rostro rufo immaculato, alis cinereo-hyalinis, superioribus obsolete maculatis, nempe apice et maculis in singula ala 4—8 minutis fuscis; inferioribus praeter apicem subimmaculatis. Saepe paullo minor.

*Panorpa germanica* LINN. Syst. Nat. 2. 915. 2. FABR. Ent. Syst. 2. 97. 2. SCHRANK Enum. p. 316. 634. KLUG. l. c. var. *P. communis.*

Hab. in Lapponia locis umbrosis rar.; victitat insectorum minorum rapina. (Lappon.-Scan. per totam aestatem freq.; var. b. in Scania ad Esperoed etc. rarius occurrit. Pupa hujus speciei a D. MACQUART inventa, in Annal. des Sc. Nat. Tom. 22. p. 463 descripta.)

---

## 6. Boreus. LATR.

CUVIER. CURTIS. GUERIN. KLUG. *Panorpa* LINN. FABR. VILL. OLIV. *Bittacus* LATR. Hist. Nat. *Pittacus* BILLB. *Ateleptera* HOFFMGG. DALM.

Minuta circiter 1 lin. long. Os productum in rostrum capitis thoracisque longitudine. Mandibulae intus ante apicem multidentatae. Maxillae coriaceae, deinde membranaceae, apice ovatae, integrae. Mentum cum maxillis connatum, antice sinuatum. Labium, mento insidens, obconicum, apice paullo amplificatum, rotundatum, integrum. KLUG. Ocelli nulli. Abdomen segmentis 8, cauda exserta. Alae incompletae aut nullae. Unguiculi 2 nudi. *Color* viridis nitidus. *Motus:* reptatus haud celer; etiam saepe breviter saltans. *Habitatio* — —. *Differentia sexus: mas:* alae 4 subulatae incurvae pubescentes ferrugineae, superiores apice setaceae; abdomen sursum subarcuatum, cauda subexserta, clausa, laminis 2 lateralibus valvulaque inferiori piceis (in adultis), et appendicibus duabus supernis longitudine valvulae, filiformibus, inflexis ferrugineis; *femina* aptera: abdomen nonnihil crassius quam in mare, rectum, cauda exserta longitudine tertiae partis abdominis; terebra conica seu subcylindrica apice acuto, tota glabra nitida (oviductu), et appendicibus 2 inferioribus (linearibus) testaceis constante. (Spec. Scand. 1 nostra, magnitudine parva, colore metallico, mandibulis multidentatis, alis incompletis, ocellis nullis, unguiculis simplicibus ut et forma caudae abunde a *Panorpa* distincta.)

**1. B. hyemalis:** viridi-aeneus nitidus, antennarum basi, rostro, pedibus anoque rufo-testaceis. ♂♀. (Long. ut in charact. gen.)

CUVIER Règn. Anim. 5. p. 247. GUERIN Icon. du règn. Anim. T. 61. f. 4. ♀. KLUG Panorp. p. 27. WETSW. Int. T. 3. f. 3. ♂. figur. pulchra. *Panorpa* LINN. Syst. Nat. 2. p. 915. 3. FABR. Ent. Syst. 2. 98. 5. *Pittacus* BILLB. Enum. p. 96. *Bittacus* LATR. Hist. Nat. 13. p. 20. 3. *Ateleptera* DALM. Analect. p. 34. *Gryllus proboscideus* PANZ. Fn. 22. f. 18. ♂♀. (fig. parum fidel.).

Hab. . . . In Lapponia etiam habitare fertur, mihi in terris arcticis haud obvius, forte quia viguit sub tempore anni, cum has terras non visitavi. (Lapponia, Suecia media: Uplandia, Westrogothia haud raro DD. SCHÖNHERR et DALMAN. — Smolandia D. LJUNGH —; ad Abusa prope Lund Scaniae in glacie et nive praesertim sub diebus mitioribus 1—15. Jan. saltabundum circumvagantem copulaque junctum frequenter vidi et legi.)

Regio ubi alae insertae fuissent, abdominis margo lateralis et incisurae in femina testacea sunt. — Sub muscis autumno specimina collecta immatura corpore molliore et colore pallidiore observavit D. DALMAN.

## FAMIL. MYRMELEONIDES. LATR.

*Myrmeleon formicarium* LINN. REAUM. Ins. 4. Tab. 11. f. 8. Tab. 14. f. 18. 19. et Ins. 6. Tab. 32. 33. 34. f. 7. FABR. PANZ. DAHLB.; antennis brevibus subclavatis facile dignotum, in Suecia media praesertim orientali, ex. gr. ad Laerketorp Ostrogothiae rariss., ad Berga Calmariae pass., sed in Gottlandia et in arenosis Oelandiae borealis frequent. d. 10—20. Jul. deprehendi, Lapponiae certe profugum.

---

## FAMIL. 4. HEMEROBINI. LATR.

## 7. Hemerobius. LINN.

LATR. Gen. Ins. 414. REAUM. GEOFFR. DEG. FABR. SCHRANK. ROSSI. LAMARCK. DAHLB.

Medius, minor aut minutus (long. corp. 4—1½, al. exp. 12—3 lin.). Antennae longitudine circiter corporis, aut illo paullo breviores, articulis numerosissimis. Palpi articulo ultimo crassiore, elongato-ovato, acuto. Labium apice nec marginato, nec recta truncato, ad latera saltem rotundato. LATR. Ocelli nulli. Prothorax humilis parvus subquadratus. Alae crebre concinne reticulatae, plaga intracostali transversim venosae s. nervosae nervis omnibus sub lente pilosulis; in quiete abdomen fornicatim tegentes. Abdomen subfalcato-arcuatum. Corpus molle. *Color* virescens, flavus, pallidus, testaceus, fuscus. *Pictura* vix ulla; alae interdum leviter fusco-maculatae. *Motu* segnis; *volatus* tardus, laborans. *Habitatio* in pratis, fruticibus, pinetis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Ova* stipitata foliis adglutinantur. *Larva* terrestris, aphidivora; hexapoda. *Pupa* folliculata quiescens, folio adfixa. *Differentia sexus* in abdomine *maris* angustiore, ano obtusiore, hamulato, et *feminae* abdomine paullo crassiore, ano nonnihil acutiore, quaerenda. (Spec. Scand. 23, prothorace s. thoracis segmento antico subquadrato, ocellis nullis, partium forma gracili, alis amplis reticulatione subtili concinna, colore partium saepius laeto, corpore molli etc. a reliquis suae Familiae dignotae. — *Sandslaendor* DAHLB.)

*Subd.* 1. Antennae longitudine corporis aut illo nonnihil longiores, articulis cylindricis. Alae immaculatae, cellulis in disco oblongo-quadratis, nervis ad marginem interiorem simpliciter furcatis et plaga intracostali venis transversis simplicibus. *Majores*, virides aut pallidi. Tactu odorem spirant ingratum. Suet. *Perlslaendor. Aeolops* BILLB.

**1. H. chrysops:** viridi nigroque varius, alis hyalinis nervis longitudinalibus virescentibus, lineolis transversis nigris reticulatis. ♂♀. (Long. corp. 3, al. exp. 8 lin.)

LINN. Fn. Sv. 1505. REAUM. Ins. 3. Tab. 33. f. 14. 15. DEG. Ins. 2. T. 22. f. 1. ROES. Ins. 3. T. 21. f. 4? FABR. Ent. Syst. 2. 83. 6. SCHRANK Enum. p. 312. 625. ROSS. Fn. Etr. p. 15. 687.

Hab. in Lapponiae praesertim meridionalis pratis frequent., in fruticibus Betulae et Pini ad Juckasjervi Lappon. Tornensis, atque ad Lycksele et Umenaes Lappon. Umensis, 15—26. Jun. a me lectus. Oculi in vivo viridi-aurei unicolores. (Lappon.-Bottnia borealis ad Calix — Scania jam 20. Maj. — 20. Jun. haud raro.)

*Obs. Hemerob.* 1. *pallens* nob. 2 *Perla* LINN. REAUM. Ins. 3. Tab. 33. f. 2—6. PANZ. DAHLB. 3. *stigma* nob. et 4. *albus* LINN. PANZ., in Suecia inferiore et praecipue in Scania plus minus frequenter obvii, in Lapponia vix leguntur.

*Subd.* 2. Antennae corpore plerumque nonnihil breviores, moniliformes. Alae saepissime maculis punctiformibus seriatim dispositis l. in fasciolas tenues transversas digestis; cellulis in disco longitudinal. elongatis, nervis in limbo et praesertim in apice composite furcatis, furca triplici. *Minores*, albidi aut fusci. Tactu haud foetent.

**2. H. phalaenoides:** alis superioribus testaceis, striis pone medium duabus obliquis punctoque antice, fuscis; radice mucrone et fasciculo pilorum armatis, apice subfalcatis, costa basi dilatatis; inferioribus pallidioribus inermibus. ♂♀. (Long. corp. 3, al. exp. 8—9 lin.)

LINN. Fn. Sv. 1508. DEG. Ins. 2. Tab. 22. f. 12 13. REAUM. Ins. 3. T. 32. f. 8. PANZ. Fn. 87. f. 15. FABR. Ent. Syst. 2. 83. 8. SCHRANK Enum. p. 313. 628.
Hab. in Lapponia D. DEUTSCH, mihi in terris borealibus non obvius. (Lappon.-Oefver-Torneå D. PORTIN — Uplandia LOEFLING, teste LINNE; Suec. med. rariss. Mus. FALL. Larva purpurea. Pupa intra folliculum duplicem.)

**3. H. hirtus**: fuscus pilosus, antennarum basi pedibusque pallidis, alis albidis perspicue hirtis et ciliatis, superioribus confertim fusco-nebulosis, pone medium strigis duabus arcuatis saturatioribus; inferioribus limbo terminali fusco-maculatis. ♂♀. (Long. corp. vix 2, al. exp. 5 lin.)
LINN. Fn. Sv. 1507. DEG. Ins. 2. T. 22. f. 4. 5. FABR. Ent. Syst. 2. 84. 10. ROSS. Fn. Etr. 15. 686.
Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia-Gottland.-Scania — Jul. passim.)

**4. H. strigosus**: pilosulus, corpore obscuro, capite et antennis rufo-testaceis, pedibus anoque pallidis, alis albis, superioribus nervis subfuscis, interstitiis confertim obsolete fusco-strigulosis, striis 2 transversis ordinariis saturatioribus; inferioribus subimmaculatis. ♂♀. (Long. corp. $1\frac{1}{2}$ — 2, al. exp. $4\frac{1}{2}$ — 5 lin.)
DALM. in litteris.
Hab. in Lapponia rar. In Finmarkia ad Bossekop in Pinubus 5. Aug. utrumque sexum legi. (Lapponia-Upland.-Ostrogoth.-Scania.)
*Mas* et *Fem.* Priori non minor, sed ab illo differt: corpore parum piloso, alis multo minus hirtis, capite et antennis totis testaceis, alis multo angustioribus, interstitiis inter nervos obsolete tantum fusco-strigulosis. Nervi probe inspecti albi fusco-punctati sunt. Alae totae aequaliter nebulosae seu interstitia omnia maculis cinereis repleta.
Var. b. ♂♀. alis obsolete nebulosis. In Bottnia occidentali et ad Hernoesand 28. April. 2. Maj.

**5. H. nervosus**: pilosulus nitidus niger, vertice, antennis, thoracis dorso pedibusque annulatis, flavescentibus; alis albidis, superioribus maculis in limbo strigisque transversis ordinariis interruptis fuscis, nervis albo-nigroque intersectis; inferioribus subimmaculatis. ♂♀. (Long. corp. 2, al. exp. 5 lin.)
FABR. Ent. Syst. 2. 85. 19.
Hab. in Lapponia passim; in Lapponia Suecica Umensi s. meridionali, ex. gr. ad Lycksele, Wilhelmina, Naestansjoe et Umenaes, frequenter; etiam in inferalpinis Nordlandiae Norvegicae ut ad Bjoerkvik et Raschstind, haud raro obvius; a d. 2. Jun. ad 28. Jul. occurrit. (Lappon.-Gottland., Ostrogothia, Scania, 22. Maj. usque ad 1. Aug. sat freq.)
*Mas* et *Fem.* Magnitudo *H. hirti* (No. 3.). Alae parum hirtae. Capitis, thoracis nervorumque pictura a reliquis facile dignotus. Antennae et pedes pallida, fusco-annulata. Plerumque prothorax tantum dorso flavescens. Macula fusca in medio marginis interioris major saepe, et puncta 2 majuscula pone basin in alis superioribus observantur. Annulus fuscus ad femorum apicem et in medio tibiarum saepe obsoletus.

**6. H. variegatus**: pilosulus, pallide testaceus, thoracis linea laterali abdomineque fuscis, alis albidis, superioribus strigis transversis ordinariis obsoletis punctisque nervorum fusco-nigris; inferioribus immaculatis. (Long. corp. 2, al. exp. 5 lin.)
FABR. Ent. Syst. 2. 85. 18. — Sub nomine *H. angustipennis* etiam mecum communicatus.
Hab. in Lapponia Umensi rar., ad Wilhelmina 19—21. Jul. lectus. (Lapponia meridional. — Gottland., Ostrogoth., Scania, 19. Jun. — 28. Sept. freq.)
*Mas* et *Fem.* Priori simillimus, sed pallidior. Caput pallidum. Prothorax et mesothorax pallidi, linea utrinque brunnea. Pedes pallide flavi. Alae minus hirtae. Nervi albi, punctis parvis subdistantibus nigris, versus basin duobus majoribus distinctioribus. Striae ordinariae obsoletae.
Var. b. nervorum interstitiis in alis superioribus nebulosis; cum var. a. ad Wilhelmina Lappon. Umensis captus.

**7. H. obscurus**: pilosulus niger, antennis fuscis, pedibus pallescentibus, alis cinereis, nervis nigricantibus punctis albis. ♂. (Long. corp. 2, al. exp. 5 lin.)
Hab. in Groenlandia, a D. WESTERMAN benigne missus. (Groenlandia.)
*Mas.* Magnitudo proxime praecedentium. Colore obscuro a reliquis dignotus. Caput et thorax nigra immaculata. Palpi et antennae fusca. Abdomen nigrum, ventre fusco. Appendices caudales articulo abdominis ultimo paullo longiores, arcuatae fuscae, apice incurvo nigro. Pedes (in mortuo) sordide pallescentes, annulo ad apicem femorum fusco. Alae mediocres, cinereo-hyalinae, superiores nervis nigricantibus, parce albo-punctatis; striis transversis ordinariis obsoletissimis. Alae inferiores immaculatae.

**8. H. lutescens**: pilosulus, totus pallide flavus, alis amplis albidis, superioribus strigis transversis ordinariis maculisque ad marginem interiorem fuscis obsoletis. ♂♀. (Long. corp. 2, al. exp. 6. lin.)
FABR. Ent. Syst. 2. 84. 12. sed vix DEG. 2. T. 22. f. 8.
Hab. in Lapponia rarissime. (Lappon.-Ostrogoth.-Scan., freq.)
*Mas* et *Fem.* Alis dilatatis et colore pallido ab omnibus distinctus. Alae albidae. Nervi albi, punctis paucissimis remotis, striis ordinariis interruptis maculisque 3 l. 4 ad marginem interiorem, fuscis valde obsoletis. Puncta tamen 2 prope basin alarum nigra saepe magis perspicua. — Variat interdum paullo minor.

**9. H. Humuli**: pilosulus pallidus, capite ferrugineo, facie nigricante, alis cinerascentibus, superioribus nervis albis creberrime concinne nigro-punctatis, striis transversis ordinariis fuscis obsoletissimis vix ullis; inferioribus immaculatis. ♂♀. (Long. corp. $1\frac{1}{2}$, al. exp. $4\frac{1}{2}$—5 lin.)
LINN. Fn. Sv. 1510. FABR. Ent. Syst. 2. 84. 13. SCHR. Enum. Ins. Austr. p. 313. 626.
Hab. in Lapponia Umensi passim; ad Lycksele in Pino sylvestri 18—24. Jun., et ad Barrsele 1. Jul. lectus. (Lapponia meridional. — Upland., Gottland., Ostrogoth., Scania, in graminosis et Pinetis, 24. Jun. — 16. Aug. freq.)
*Mas* et *Fem.* Antennae in adultis albo- et nigro-annulatae. Fronte oreque nigricantibus, et alis immaculatis praeter nervos albos confertim nigro-punctatos ab omnibus aliis statim dignoscendus. Oculi in vivo brunnei aeneo-micantes.)

**10. H. limbatellus**: pilosulus piceus, antennis, vertice pedibusque pallescentibus, alis angustis cinereis, limbo strigisque transversis ordinariis fuscis. ♂♀. (Long. corp. 2, al. exp. 5 lin.)
An *H. paganus* LINN. Syst. Nat. 2. 912. 11? sed antennae albae fusco-annulatae, nec totae albae, repugnant.
Hab. in Lapponia Umensi; ad Lycksele 16. Aug. utrumque sexum legi. (Lapponia meridional. — ?)
*Mas* et *Fem.* Affinis *H. Humuli*. Piceus, vertice ferrugineo. Antennae longitudine corporis albidae, fusco-annulatae. Pedes flavi l. lutei, in adultis annulo ad apicem femorum fusco. Alae angustae cinereae, superiores limbo praesertim interiori et apicali dilute brunneo, et striga pone medium transversa obliqua obscura. Inter hanc et striam alteram ordinariam obsoletam interstitium l. speculum hyalinum deprehenditur. Nervi omnes crebre albido fuscoque varii, sed non tam perspicue picti ac in priori. Interstitia inter nervos in plaga discoidali languide nebulosa. Alae sub lente visae magis quam in ceteris auro splendent. Alae inferiores immaculatae.

**11. H. paucinervis**: pilosulus niger, pedibus pallescentibus, alis griseo-cinerascentibus, nervis transversis paucissimis. ♀. (Long. corp. 1, al. exp. 3 lin.)
Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, ad Juckasjervi 3. Jul. semel captus. (Lapponia borealis.)
*Fem.* Parvus niger, pedibus pallescentibus. Alae flavescenti cinereae, immaculatae, nervulis transversis in disco paucis, tantum 4 l. 5. Similis alii, quem sub nomine *H. obscurellus* communicavit D. SUNDEWALL, in Gottlandia inventum, sed noster *paucinervis* forte paullo minor est, et ab hoc et ab omnibus aliis paucitate nervorum transversalium in alis mox dignotus.
*Obs. Hem. fuscatus* FABR. (in Ostrogoth. et Scan. pass. lectus), *villosus* BOHEM. (Ostrogoth. et Scan. Jul. Aug. pass.), ut et plures novae species in Suecia inferiori inventae, in Lapponia forte peregrinae, mihi saltem ibi non obviae.
*Obs 2. Osmylus maculatus* LATR. AHRENS. (*Hemerobius* idem FABR. ROES. Ins. 3. T. 21. f. 3. *Hemerob. fulvicephalus* SCHRANK Enum. p. 311. 622.) in parietibus cloacae ad Widskoefle et Segesholm Scaniae mense Julio lectus, in Lapponia certe exsul.

---

## 8. Sciodus. ZETT.

Minutus (long. corp. $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$, al. exp. circiter 2 lin.). Antennae inter oculos insertae, approximatae, longitudine corporis aut paullo longiores, filiformes, articulis numerosis brevibus coadunatis. Palpi filiformes, antici longitudine dimidii thoracis, postici capite parum longiores. Reliquas partes oris in individuis exsiccatis insecti minuti extricare non possum. Oculi prominuli, semiglobosi. Ocelli nulli adesse mihi videntur. Thorax capite latior. Alae sat amplae, subforni-

catae, subdeflexae, nudae, opacae, nervis ramosis, non reticulatis. Area discoidalis occlusa. Ciliae nullae. Pedes inermes. *Color* fuscus, alarum saepe niveus. *Pictura* nulla. *Motu* haud agilis. *Habitatio* in interalpinis Nordlandiae. *Differentia sexus*: *mas* ano appendicibus 2 brevibus, a *femina* ano simplici dignoscitur. (Spec. Scand. 2, alis subcoriaceis nudis, simplicitate nervationis etc. ab affinibus bene dignotae. — Nomen generis a σκιώδης, opacus, desumtum. An non inter *Phryganeides* hoc genus meliorem haberet locum?)

**1. Sc. lacteus**: fuscus, antennarum basi pedibusque pallidis; alis glabris niveis; nervis apicalibus furcatis ciliisque nullis. ♂♀. (Long. corp. ¾, al. exp. 2 lin.)

Hab. praesertim in Nordlandiae inferalpinis maritimis; in Raschstind 28. Jul. haud infrequenter visus, alibi rar. (Lapponia-Ostrogoth. ad Laerketorp in Alno — Scan. ad Esperoed 17. Jul. freq.)

Minutus, fuscus. Antennae longitudine corporis fuscae, basi pallidae. Palpi fusci. Alae obovatae, apice rotundatae, totae lacteae, pulveruleutae, nervis subobscuris. In disco cellula oblonga longitudinalis, pone medium per nervulum transversum occlusa; sed nervi furcati versus apicem nulli. Pedes albidi, omnino inermes; tibiae nempe et spinulis et calcaribus destitutae. — *Phryganea alba* FABR. Suppl. seu *Salmacis hepiolina* DALMAN, huic nostro *Sciod. lacteo* subsimilis, sed paullo major, et capite, antennis thoraceque flavis, ut et alis albis, nec niveis, distincte ciliatis etc. abunde distincta. Neque in Lapponia ea occurrit, in Bahusia capta.

*Obs.* *Sciod. fuscus* nob. (in Abiete Gottlandiae Jul. pass.) in Lapponia frustra exquisitus.

## 9. Semblis. FABR.

ROSS. DAHLB. *Hemerobius* LINN. GEOFFR. DEG. OLIV. *Sialis* LATR. gen. 418. GUERIN.

Media (long. corp. 5—6, al. exp. 10 lin.). Antennae longitudine circiter corporis, articulis cylindricis. Palpi filiformes, articulis subaequalibus cylindricis. Labium quadratum, membranaceum, integrum. Caput magnum transversum depressum nutans latitudine prothoracis. Oculi parvi laterales ovati. Ocelli nulli. Prothorax transversus mesothorace humilior. Abdomen arcuatum. Alae amplae subfornicatae deflexae, anticae humeris prominulis insertae, costa basi excisa; omnes valide nervosae, parum reticulatae, cellulis scilicet discoidalibus paucis; in plaga costali nervis transversis simplicibus, nervisque ad marginem interiorem excurrentibus haud furcatis. Area discoidalis aut occlusa, aut aperta h. e. uno latere deficiente *). *Color* obscurus, aridus, opacus. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Motu* segnis; *volatus* tardus. *Larva* aquatica, hexapoda, subconica, depressa et ante metamorphosin in pupam 6 lineas longa; capite magno rotundato; antennis elongatis subsetaceis, 4-articulatis; pedibus elongatis setosis; abdomine appendicibus lateralibus filiformibus utrinque 7 instructo; ano conico apice setoso, seta 2 lineas longa; insectis aquaticis victitat. *Pupa* folliculata quiescens, extra aquam in terra sepulta. *Differentia sexus* externe parum perspicua; appendices vero caudales maris duae brevissimae. (Spec. Scand. 1 antennis subfiliformibus, alis amplis subfornicatis, nervis validis etc. distincta.)

**1. S. lutaria**: nigra puberula, vertice luteo-lineolato, alis albido-cinereis, nervis obscuris. ♂♀. (Long. ut in caract. generis.)

FABR. Ent. Syst. 2. 74. 10. ROSS. Fn. Etr. p. 10. 678. DAHLB. Skand. Ins. 240. 157. *Hemerobius lutarius* LINN. Fn. Sv. 1513. ROES. Ins. 2. T. 13. DEG. Ins. 2. T. 22. f. 14. 15. *Sialis* GUERIN. Icon. du Règn. Anim. T. 62. f. 6. *Sialis niger* LATR. gen. Ins. 200. 1.

Hab. in pratis graminosis ad ripas fluminum Lapponiae, 20. Jun. — 10. Jul. passim; ad Juckasjervi Lappon. Tornens. freq. (Lappon.-Uplandia-Scania vulgaris.)

*) Quando areola *aperta* est illam *incompletam* l. *nullam* voco.

## 10. Psocus. LATR.

LATR. gen. 421. FABR. LAM. COQUEB. PANZ. BILLB. DALM. DAHLB. *Termes* LINN. DEG. *Hemerobius* LINN. OLIV. *Pediculi*, *Phryganeae* et *Psyllae* species GEOFFR.

Parvus, minutus, minutissimus (long. corp. 1¼—¼, al. exp. 3½—1 lin.). Antennae longitudine corporis, aut illo paullo longiores, pilosulae, articulis cylindricis. Mandibula cornea, intus unidentata. Labium subquadratum, membranaceum, apice 4-fidum. Palpi 2, maxillares, 4-articulati, articulo ultimo majore; labiales nulli. Corpus breve, mollissimum glabrum. Caput magnum, trigonum, thorace humilius. Frons inter antennas convexa, gibba. Oculi parvi semiglobosi, late remoti. Ocelli 3 in triangulum. Prothorax vix ullus. Mesothorax magnus subprotuberans, lineis elevatis instructus. Pedes tenues cursorii, tibiis inermibus. Tarsi saepissime biarticulati. Alae maris deflexae, hyalinae, parce ramoso-nervosae, cellulis paucis; superiores nervis validiusculis, in apice alae furcatis, stigmate perspicuo notatae; inferiores paullo minores, et minus nervosae. *Color* fuscus; alae interdum fusco-maculatae. *Motus* sat celer, saepe cursorius; *volatu* haud promtus. *Habitatio* in truncis arborum, parietibus ligneis, libris vetustis etc., saepius autumnalis; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Metamorphosis* incompleta supra terram (nunquam in aqua) peragitur. *Larva* et *pupa* imagini similes, illa aptera, haec alarum rudimento. *Differentia sexus*; *femina* terebra anali valvulis duabus inclusa a *mare* semper alato dignoscitur. (Spec. Scand. 27, palpis tantum 2, maxillaribus, fronte (clypeo) gibba, prothorace vix ullo, alis maris nervis paucioribus instructis, non reticulatis, stigmate in superioribus notabili, alis inferis nonnihil minoribus, non plicatis, ut et tarsis plerumque biarticulatis distincta.)

*Subd.* 1. Alae nervorum furcis 2 apicalibus inaequaliter longis.

**1. Ps. longicornis**: corpore griseo-fuscoque vario, femoribus pallidis, antennis alis dimidio longioribus obscuris perspicue pilosis, alis superioribus hyalinis, nervis stigmateque magno elongato, nigris, area discoidali subquadrata, angulo ad medium marginis interioris descendente recto. ♂♀. (Long. corp. 1¼, al. exp. 2 lin.)

FABR. Ent. Syst. Suppl. p. 203. PANZ. Fn. 94. 19. var. obscura. UDDMAN. Diss. Nov. Ins. p. 26. No. 52.

Hab. . . . Faunae nostrae aliorum fide retuli insectum, in Lapponia a me non inventum. (Lapponia, Finlandia SAHLBERG, Nericia-Ostrogoth.-Scan., mens. Aug. freq., colore et pictura corporis varians, capite saepius pallido, fusco-longitudinaliter striato. Alae maculis paucis fuscis.)

**2. Ps. fasciatus**: corpore griseo-fuscoque vario, pedibus pallidis, femoribus fuscescentibus, antennis alis paullo longioribus breviter pilosis, alis superioribus albo-hyalinis, punctis numerosis rotundis et fasciis subquatuor brunneis, cellula discoidali quadrata, angulo recto ad marginem interiorem descendente. (Long. corp. 1, al. exp. fere 3 lin.

FABR. Ent. Syst. Suppl. p. 203. PANZ. Fn. 94. f. 20.

Hab. in Lapponia rar. (Lapponia, Ostrogothia, Gottlandia-Scania, Jun. sat. freq.)

Fasciae alarum quatuor, scilicet 1 ad basin, 2da ante medium, 3tia pone medium, et 4ta intra apicem cum 3tia ad marginem interiorem cohaerente. Interstitia omnia inter fascias punctis fuscis ornata.

**3. Ps. subfasciatus**: fuscus, pedibus pallidioribus, alis hyalinis, superioribus maculis subquatuor parvis, fascia media stigmateque antice posticeque albo-tincto, fuscescentibus, area discoidali quadrato-oblonga, angulo subobtuso ad marginem interiorem descendente. (Magnitud. *Ps. fasciati.*)

SUNDEW. in litt.

Hab. in Lapponia pass., ad Lycksele Lappon. Umensis freq. (Lappon. meridionalis-Bottnia borealis ad Johannis Roo 2. Sept., et Kemi 30. Aug. — Ostrogoth. ad lacum Wettern 13. Sept.; etiam aliis locis captus.)

Fuscus, pedibus sordide pallidis. Antennae longitudine circiter alarum, tenues nigrae, brevissime pubescentes. Alae hyalinae, fascia submedia transversa irregulari, maculis 3 inter fasciam et basin parvis, et unica in disco subobsoleta, stigmateque ovato antice praeprimis alboinducto, fuscescentibus. Haec autem pictura saepe obsoleta relictis tantum fuscedinis vestigiis. Nervi nigricantes, in disco sub stigmate albo-tincti. Cellula discoidalis *oblonga*, qua nota mox dignoscitur a *Ps. longicorni*, cui alias quoad nervorum directionem similis.

**4. Ps. obliteratus**: ferrugineo-fuscus subnitidus, pedibus

pallidis, alis hyalinis immaculatis, superioribus stigmate oblongo fumato, cellula discoidali oblongo-quadrata incompleta. (Long. corp. $1\frac{1}{8}$, al. exp. 3 lin.)

Hab. in inferalpinis Finmarkiae passim; in parietibus ligneis ad Bossekop haud longe a Nord Cap 4—6 Aug. inventus. (Lapponia Norvegica.)

*Ps. fasciato* paullo major, sed *longicorni* nonnihil minor. Antennae longitudine alarum, brevissime pubescentes, nigrae, articulis 2 basalibus testaceis. Alae hyalinae immaculatae, stigmate tantum fere elongato fuscescente. Cellula (area) discoidalis oblongo-quadrata, subrectangularis, aperta, dimidio scilicet latere versus apicem alae vergente deficiente. Angulus ad marginem interiorem descendens subacutus. Nervi tenuiores et pallidiores quam in *longicorni*, sed alias fere ut in illo directi, nervus vero furcatus superior omnino liber, nec ut in *longicorni* ad furcae basin cum stigmate connatus.

*Obs.* *Psocus* 1. *nubeculosus* DALM. (*Ps. longicornis var. c.* nob., in Ostrogoth. Jul. freq.), 2. *fuscipennis* DALM. (in Westrogoth. DALM., ad Abusa prope Lund. nos); 3. *variegatus* FABR. (Westrogoth.-Scania); 4. *sexpunctatus* LINN. (Finland.-Scania mens. Aug.); 5. *bipunctatus* LINN. PANZ. (Ostrogoth. freq. — Scania pass.); 6. *inquinatus* DALM. (e Westrogoth. DALM., Ostrogoth. in sepibus ligneis ad litus lacus Wettern frequenter, etiam Scania, nos); 7. *notatus* DALM. (*oculatus* SUNDEW. in Pinetis Gottlandiae, Oelandiae, Ostrogoth. freq., nos; in truncis arborum viventium Salicis ad Lomma Scan. DAHLB.); et 8. *pubicornis* DALM. (Suecia); huic Subdivisioni subjecti, in Lapponia a me non inventi.

*Subdiv.* 2. Alae nervorum furcis 2 apicalibus subaequaliter longis.

**5. Ps. subfumipennis:** testaceus nitidus, thoracis dorso fusco, pedibus pallidis, alis hyalino-cinereis, superioribus cellula discoidali irregulariter oblongo-quadrata, nervis furcatis parallelis. (Long. corp. $\frac{3}{4}$, al. exp. $2\frac{1}{2}$ lin.)

Hab. in Lapponia Tornensi rar. mens. Aug. capt. (Lapponia-Bottn. ad Joh. Ro. 2. Sept.)

Ferrugineus, thoracis dorso interdum etiam abdominis fusco. Antennae longitudine alarum, nigrae, pubescentes, articulis 2 basalibus pallidis. Frons saepe lineola nigra. Pedes flavi. Alae cinereae, stigmate elongato concolore, nervis tenuibus, pallescentibus, microscopice pilosulis. Nervi 2 furcati ab apice alae ad cellulam s. aream discoidalem paralleli. Horum superior et stigma per nervulum transversum connectuntur, quae nota speciem etiam bene distinguit, et vix nisi in hoc atque in *Ps. flavicante* et 4-*punctato* adest. Oculi minus subexserti nigri.

**6. Ps. boreellus:** testaceus nitidus, thoracis dorso obscuro, pedibus pallidis, alis cinereo-hyalinis, superioribus cellula discoidali nulla, nervis furcatis parallelis, furcis inaequaliter longis, omnibus fuscedine cinctis. (Magnitud. *Ps. subfumipennis.*)

Hab. in Lapponia meridionali vulgaris, in fruticibus ad Wilhelmina et Lycksele 19. Jul. — 20. Aug. praesertim frequenter captus. (Lapponia-Bottn. borealis in graminosis ad Joh. Ro. 2. Sept.)

Affinis et similis priori, sed vere distinctus. Antennarum articuli 3 et 4 testacei. Alae superiores cinerascentes, nervis omnibus evidenter fuscedine cinctis. Cellula discoidalis nulla l. spuria (adest quidem sed uno latere aperta), in regione vero ejus prope marginem interiorem nervus valde circumflexus excurrit. Nervus furcatus superior et stigma per nullum nervulum transversum connectuntur. Reliqua ut in priori. Alae inferiores ut in plerisque immaculatae. — *Ps. striatulo* FABR. subsimilis.

*Obs.* *Psocus* 1. *striatulus* FABR. (in Abiete Ostrogothiae et Gottlandiae freq. — Scan. rar.); 2. *pusillus* DALM. (Ostrogoth.); 3. *albo-guttatus* DALM. Analect. p. 98. 14. (in Westrog. DALMAN, in Populo tremula Nericiae, ut et ad Abusa Scaniae, nos); et 4. *quadripunctatus* FABR. PANZ. UDDMAN. Diss. Nov. Ins. p. 25. 26. No. 51. certe (in foliis Fagi, Syringae, Pruni domesticae, Betulae, cet., Ostrogothiae-Scaniae Sept. freq.); in Lapponia hactenus non visi.

*Subd.* 3. Alae nervorum furcis aequaliter longis.

**7. Ps. striatus:** testaceus nitidus, pedibus pallidis, alis cinereo-hyalinis, superioribus cellula discoidali nulla, nervis furcatis subparallelis, furcis aequaliter longis, omnibus fuscedine cinctis. (Magnitud. *Ps. subfumipennis.*)

DALM. in litter.

Hab. in Betula ad Muonioniska 17. Aug. rar. (Lappon. Tornens. — Ostrogoth.-Scan. in fol. Tiliae freq.)

Simillimus *Ps. boreello*, nec differt ab illo nisi nervorum furcis exacte aequaliter longis.

**8. Ps. flavicans:** fuscus, pedibus pallidis, alis cinereo-hyalinis, superioribus cellula discoidali oblongo-quadrata irregulari, nervis furcatis parallelis. (Magnit. *subfumipennis.*)

LINN. Fn. Sv. 1512. var. pallidior, forte junior. FABR. Ent. Syst. Suppl. 203. 2. var.

Hab. ad Lycksele Lapponiae Umensis pass. (Lappon. meridion. — Suecia med., in foliis frutic., Oelandiae, Ostrogothiae, Scaniae freq.)

Simillimus *Ps. subfumipenni*, sed obscurior et nervorum furcis exacte aequaliter longis dignotus. Caput piceum, oculis parvis subexsertis late distantibus, ore et lineola frontali nigris. Pedes pallidi. Thorax et abdomen variant nigra, fusca et interdum testacea. Alae ut in *subfumipenni*, sed furcae nervorum apicales 2 praecise aequaliter longae. Nervulus transversus connectens quoque adest.

**9. Ps. vittatus:** niger nitidus, antennarum articulis 2 basalibus pedibusque pallidis, alis hyalinis, vitta a basi ad apicem lata stigmateque fuscis; cellula discoidali nulla; nervis furcatis non parallelis. ♂♀. (Magnitudo fere prioris.)

DALM. Analect. p. 98. 13.

Hab. in foliis Alni ad Garen in Justedalen Lappon. Norvegicae d. 16—18. Aug. D. BOHEMAN. (Lappon., Westrogothia D. GYLLENHAL. var.)

*Mas* et *Fem.* Pictura alarum ab omnibus diversus et facillime dignotus. Antennae longitudine alarum, pilosulae. Caput nigrum, oculis in mare paullo majoribus, magis exsertis et minus distantibus quam in femina. Cellula discoidalis ut in *Ps. boreello* quidem nulla, sed in regione hujus cellulae nervus circumflexus adest. Nervi furcati non omnino paralleli, sed basi paullo magis distantes. Nervulus transversus connectens nullus. „Antennae alis multo breviores, pallide testaceae“ a D. DALMAN l. c. dicuntur; in nostris vero speciminibus tribus, quae jam ante oculos habemus, antennae alis parum breviores, atrae, articulis tantum duobus primis pallidis; an adultiora?

*Obs.* *Psoc. pulsatorius* FABR. DAHLB. (*Termes pulsatorium* LINN. DEG. in Muscis Suec. freq.) in Lapponia mihi non obvius.

## 11. Raphidia. LINN.

LATR. gen. 419. GEOFFR. DEG. ROES. FABR. PANZ. OLIV. LAMARCK.

Media (long. corp. 3—4, al. exp. 7—8 lin.). Antennae inter oculos insertae, capitis thoracisque longitudine, filiformes, circiter 37-articulatae. Mandibula valida cornea, intus bidentata. Labium breve, quadratum, integrum. Palpi 4, breves, filiformes; maxillares 5-, labiales 3-articulati. Corpus elongatum, glabriusculum. Caput obovatum depressum. Oculi rotundati, subexserti. Ocelli 3, in triangulum dispositi. Prothorax elongatus, angustus, cylindricus. Mesothorax brevis, latus, antice recta truncatus. Alae aequales, deflexae, hyalinae, reticulatae, nervis fere ut in *Hemerobio* directis, at cellulis discoidalibus *) paucioribus, numero circiter 13, harum nulla alteri simili. Stigma distinctum. Abdomen compressum. Pedes mediocres, subinermes. Tarsi articulis 4, primo elongato, tertio bilobo. *Color* niger. *Pictura* nulla. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae. *Motu* tarda, aegre et segniter volans. *Metamorphosis* incompleta. *Larva* sublinearis, subfusca, hexapoda, mollis, segmentis 12, in arborum corticis fissuris latitans, valde agilis, insectis minimis vescitur. *Pupa*, imagini subsimilis, aptera, currit. *Differentia sexus* evidens; *mas:* appendiculis 2 caudalibus; *femina:* vagina anali abdomine nonnihil longiore, lineari, compressa, plerumque arcuatim sursum flexa, instruitur. (Spec. Scand. 2, antennis filiformibus, palpis 4, capite obovato depresso, prothorace valde elongato, angusto, cylindrico, alis aequalibus parce reticulatis, cellulis discoidalibus 13 inaequalibus, tarsis 4-articulatis, articulo penultimo bilobato, ut et oviductu feminae longe exserto, ensiformi, a reliquis hujus familiae satis superque distinctae.)

**1. R. ophiopsis:** nigra, antennarum basi, clypeo, mandibulis, pedibus anterioribus tibiisque posticis, flavo-testaceis, alis hyalinis, stigmate trapezino versus apicem alae elongato, toto fusco, nervulis 2 l. 3 obliquis exarato, nervis apicalibus

*) *Cellulas discoidales* tot numero, quot undique occlusae marginem alae neque interiorem, neque costalem attingunt.

multi-ramosis; prothorace antice angustiore. ♂♀. (Long. corp. 4, al. exp. 8 lin.)

LINN. Fn. Sv. 1517. ♂♀. ROES. Ins. 3. T. 21. f. 6. 7. ♂♀. DEG. Ins. 2. T. 25. f. 4. ♀. PANZ. Fn. 50. f. 11. ♀. FABR. Ent. Syst. 2. 99. 1. SCHRANK Enum. p. 317. 636. *Raphid. notata* ROSS. Fn. Etr. p. 24. GUERIN Iconogr. du Règn. Anim. T. 63. f. 2. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime. (Lapponia, Finlandia, Ostrogothia-Scania vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Caput supra transversim rugulosum, verticis sulcato, interdum tantum macula longitudinali picea. Prothorax niger immaculatus, marginibus lateralibus inflexis, subtus antice connexis subincumbentibus; hinc prothorax antice angustior. Abdomen margine laterali tenui segmentorumque ventralium marginibus, flavis. Sub stigmate alarum cellulae quatuor juxta positae versus apicem alae fere aequaliter extensae. Nervus, qui ex harum cellularum prima in apicem alae excurrit, tri- l. tetrachotomice divisus s. tri- l. quadriramosus. Reliqua ut in diagnosi. — Specimina, quae mihi sub nomine *R. notata* SCHUM. a D SUNDEWALL communicata, nec notis, nec loco natali a vulgari *R. ophiopsi* differunt. Nec *R. notata* FABR. Mantiss. diversa.

**2. R. xanthostigma:** nigra, antennarum basi, ore, prothoracis marginibus lateralibus, pedibus anterioribus tibiisque posticis, flavo-testaceis, alis albo-hyalinis, stigmate trapezino per nervulum unicum obliquum exarato, nervis apicalibus biramosis; prothorace antice non angustiore. ♂♀. (Long. corp. 3 — 3½, al. exp. 7 — 7½ lin.)

Ut *R. xanthostigma* SCHUM. mecum communicata. *R. ophiopsis* ROSS. Fn. Etr. p. 23. 696. (exclus. forte synonym. plur.)

Hab. in Lapponiae nemoribus passim: in foliis Betulae albae ad Lycksele et Asele Lappon. Umensis, 21. Jun. — 28. Jul. frequenter legi, etiam in copula; in Lapponia Tornensi D. DEUTSCH. (Lappon.-Bottnia borealis ad Calix et in silva Sangits 2. Sept. — Suecia media Ostrogothia freq. — Suecica meridion. Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Similis priori, sed minor, prothorace aequali exacte cylindrico, marginibus lateralibus flavis minus inflexis subtusque non conniventibus, alis magis albo-hyalinis, stigmate trapezino per unicum tantum nervulum (nec per 2 l. 3 nervulos) seu diagonaliter, diviso, cellulisque sub stigmate 4 juxta positis non subaequaliter altis, sed interiori (versus marginem interiorem) multo humiliori subovata pentagona, nervoque tandem ex harum cellularum prima in apicem excurrente tantum dichotomice diviso seu simpliciter biramoso, nec tri- vel quadriramoso, abunde distincta. Clypeus flavus etiam in hac specie plerumque transversim nigronotatus, et vertex subtilius punctulatus, vix transversim rugulosus. Praeterea variant: vertex sulcatus l. non sulcatus linea picea magis l. minus perspicua, alarumque stigmax forma breviori l. longiori, et colore plus minus saturate fuscum. Ensem feminae interdum rectam vidi (forte casu). Oculi in viva semper unicolores, in ♂ aenescentes nitidi, in ♀ nigro-brunnei.

*Obs.* Hae duae descriptae species ab Auctoribus veterioribus certe confusae. Quamnam per suam *R. ophiopsin* intelligat LINNE pro certo affirmare non possum, cum in Suecia saltem media ambae obviae. Forte vero etiam eandem, ac sub hoc nomine recepi, ante oculos habuit Vir Illustr. cum speciem descripsit in Fauna Suecica, ubi thorax „niger" dicitur. Hoc quoque e frequentia individuorum per totam Scandinaviam verosimile videtur.

---

## FAMIL. 5. PERLARIAE. LATR.

### 12. Nemoura. LATR.

LATR. gen. 422. PICTET. *Phryganea* LINN. *Perla* GEOFFR. DEG. *Semblis* FABR. *Nemoura* BILLB.

Media aut minor (long. corp. 3 — 1½, al. exp. 9 — 4 lin.). Antennae corpore paullo longiores, sed alis nonnihil breviores. Labrum subsemicirculare aut subquadratum. Mandibulae corneae, versus apicem 3 — 5-dentatae. Palpi filiformes, articulo ultimo ovalicylindrico; labiales articulo basali brevissimo. Labium elongato-cordato-quadratum. Caput crassiusculum, subverticale. Prothorax dorso saepius sublaevis. Alae longitudinaliter nervosae, superiores nervis sub stigmate plerumque radiantibus, cellulis discoidalibus subquadratis 10 — 12, in series 2 longitudinales juxta positas dispositis. Anus setis caudalibus et articulatis nullis. Tarsi articulis omnibus elongatis, subaeque longis, subtus nudis. *Color* obscurus. *Pictura* nulla. *Motu* sat tarda. *Habitatio* per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Larvae* plerumque in fluminibus, raro in aquis stagnantibus degunt. *Differentia sexus; mas:* saepe paullo minor angustior, appendicibus caudalibus 2 brevissimis, deflexis; *femina:* robustior, ano submutico. (Spec. Scand. 7, palpis filiformibus, prothorace plerumque laeviusculo, tarsis subaequaliter longis, subtus nudis, alarum nervis sub stigmate subradiantibus, apicalibus simplicibus, anoque setis caudalibus nullis, a genere *Perla* facile dignotae.)

*Subd.* 1. Prothoracis dorso sublaevi, non impresso. Majores.

**1. N. nebulosa:** nigra subnitida subpubescens, tibiis fusco-piceis, alis cinereis, nervorum nodo substigmaticali *) subquinque radiato, radiis fuscedine cinctis, plaga s. vitta discoidali interna cellulis 4 — 5, externa circiter 12, ornata. ♂♀. (Long. corp. 3, al. exp. 9 lin.)

*Phryganea* LINN. Fn. Sv. 1499. DEG. Ins. 2. T. 23. f. 16. 17. *Semblis* FABR. Ent. Syst. 2. 74. 9.

Hab. in Lapponia, in vicinitate aquae rar. (Lappon.-Gevalia (Gefle) 12. April. — Suecia media pass. — Suecia meridionalis Scania freq. ibi jam 20. Mart., 30. April. visa. — Sub eodem nomine ex Uplandia et Westrogothia etiam a D. DALMAN missa.)

*Mas* et *Fem.* Inter nostrates in hoc genere fere maxima, tota nigra pubescens subnitida, tibiis solum fusco-testaceis. Prothorax transversus s. longitudine latior. Alae cinereae certo luminis situ maculis albidis obsoletissimis micantes. Stigma fumatum. Nervorum nodus infuscatus irregularis non exacte 5-radiatus, sed saepe potius subcruciformis. Furca mox pone nodum (apicem alae versus) incipit. Cellulae plagae l. vittae discoidalis interioris s. mediae sunt quatuor l. quinque, quarum 1ma (ad basin) et 2da longissimae rectangulae, 3tia transversa obliqua, 4ta (dum adest) seu ultima etiam obliqua, priori paullo major, trapezina.

*Obs.* An haec species sit LINNAEI genuina ex descriptione Ill. Auctoris, quae in plures quadrat, difficile est dictu. Interea ut LINNAEI *Phryganeam nebulosam* veram in collectionibus Suecorum variis asservatam vidi hanc per Scandinaviam haud infrequentem speciem, — Synonymon DEGEERI ob cellularum numerum in alis certius allegari posse crediderim.

**2. N. nigripes:** nigra subnitida subpubescens, tibiis nigris, alis fumato-cinereis, nervorum nodo substigmaticali subcruciformi, radiis fuscedine cinctis, plaga discoidali interna cellulis 5 l. 6, externa circiter 12, ornata. ♂♀. (Long. corp. 3, al. exp. 9 lin.)

Hab. in ripis fluminum Lapponiae Tornensis rar. (Lapponia-Bottn. borealis et occidentalis, ad Bure, Joh. Ro. etc. 5 — 12. Maj. pass.)

Simillima priori, sed differt ab illa tibiis nigris aut nigro-piceis, alis magis subbrunnescenti cinereis, maculis albis interlucentibus nullis, nodo nervorum ordinario subcruciato, nec 5-radiato, et cellulis plagae discoidalis internae pluribus. Oculi in viva nigri.

**3. N. variegata:** nitida nigro-rufoque varia, prothoracis subquadrati limbo ferrugineo, pedibus testaceis, alis cinereis, nervorum nodo substigmaticali subquinque radiato, radiis fuscedine cinctis, plaga discoidali et interna et externa cellulis 5 — 7 ornata. ♂♀. (Long. corp. 2, al. exp. fere 6 lin.)

OLIV. Encyclop. Méth. T. 8. p. 186. No. 3. PICTET. Larv. Nem. in Extr. des Annal. de Scienc. Nat. 1832. p. 9. Sub nomine: *varia* in Mus. FALL. asservat. etiam a D. DALMAN communicata.

Hab. in Lapponia Suecica haud raro; ad Asele et Umenaes Lapponiae meridionalis 7 — 27. Jul. in copula capta; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nordlandiae et Finmarkiae, et in fungo Betulae albae utrumque sexum in copula junctum 31. Jul. inveni. (Lapponia-Ostrogoth.-Gottland.-Scania; locis paludosis 24. Maj. — 18. Jul. in copula, vulgaris.)

*Mas* et *Fem.* Prioribus minor. Corpus rufo-nigroque varium. Macula verticis ferruginea. Prothorax subtilissime creberrime punctulatus, non nitidus, pubescens, disco aut toto, aut lineis 2 longitudinalibus nigris. Antennae nigrae, basi testaceae. Pedes flavo-testacei. Femina mare paullo major et abdomine saepe toto rufescente.

---

*) *Nervorum nodum substigmaticalem* voco anastomosin l. congeriem nervorum longitudinalium et transversalium 4 l. 5 sub stigmate, unde hoc loco e nervis concurrentibus formatur quasi crux aut punctum 5-radiatum.

**4. N. cinerea:** thorace transverso, nigra subnitida subpubescens, pedibus testaceis, alis cinereis, nervorum nodo substigmaticali subquinque radiato, radiis fuscedine cinctis, plaga discoidali interna cellulis 4—5, externa 8—9, ornata. ♂♀. (Long. corp. 2, al. exp. fere 6 lin.)

Deg. Oliv. Encycl. Méth. T. 8. p. 186. 2. Lamarck Anim. invert. T. 4. p. 190. 2. Pictet in Extr. des Annal. des Sc. Nat. 1832. p. 4. T. 14. f. 2. 3. *N. nebulosa* Latr. Gen. Ins. 3. 210. 1?

Hab. in Lapponia passim; sub lapidibus locis cultis ad Juckasjervi Lapponiae Tornensis 25—29. Jun. capta; in alpium Tornensium jugo in nive ambulantem d. 12. Jul. rarius quoque vidi; in Lapponia meridionali D. Boheman. (Lappon-Ostrogoth., Scania ad Lund et Fogelsâng 8. Maj. — 1. Jul. in copula.)

Var. b. ♂. pedibus testaceis distincte nigro-lineatis praesertim in femorum posticorum lateribus, alis cinereis, superioribus fasciis 3 transversis fuscis obsoletissimis. Mas in districtu Trondheim Norvegiae mens. Jun. a D. Boheman inventus.

*Mas* et *Fem.* A priori, cui similis, differt haec species: antennis, capite, thorace corporeque nigris, non rufo-maculatis, prothorace forte nonnihil latiore nitido, in mortuis saltem rugaloso, ut et cellularum numero in alis dissimili. Caput cum prothorace, praesertim in ♂, summo margine laterali, et anus interdum, testacea. Oculi prothorace paullo latiores. — An synonymon Latreillei huic vel antecedenti speciei rectius allegandum pro certo dicere non audeo.

*Obs. Nem. trifasciata* Pictet in Extr. des Annal. des Sc. Nat. 1832. p. 11. Tab. 15 f. 7. 8. (figura pulchra et fideli); in Succia semel feminam inveni, in Lapponia non vidi.

*Subd.* 2. Prothorace medio longitudinaliter insculpto. Minores.

**5. N. cylindrica:** prothorace tricarinato, nigra subnitida, pedibus livido-testaceis, femoribus superne fusco-lineatis, alis cinereis, nervorum nodo substigmaticali triradiato, radiis non fuscedine cinctis, plaga discoidali interiori cellulis 4—5, exteriori 11—12 ornata. ♂♀. (Long. corp. 1½, al. exp. fere 5 lin.)

Oliv. Encycl. Méth. T. 8. p. 186. 4? Pictet in Extr. des Annal. des Sc. Nat. 1832. p. 17. Tab. 15. f. 1. 2. 3? *Perla* Latr. Gen. Ins. 3. p. 211? Deg. Ins. 7. Tab. 44. f. 17. 18.

Hab. in monte subalpino Stoettingsfjellet Lapponiae Umensis d. 31. Jul. capta. (Lappon.-Suecica meridionalis — in pratis et Quercetis Ostrogothiae frequenter, Scaniae passim; 22. Aug. — 4. Sept. in copula saepe deprehensa.)

*Mas* et *Fem.* Parva, prioribus minor. Prothorax antice paullo latior, dorso medio sulcis 2 longitudinalibus. Abdomen nigrum, apice praesertim in mare valde reflexum; dorso prope anum in mare spinis 4 brevibus erectis nigris. Partes genitales maris flavescentes. Pedes fusco-lividi, femoribus certo situ lineis saturatioribus. — Propter hunc pedum colorem ut et armaturam abdominis, de quibus silent descriptores, oritur dubium de identitate nostrae et Auctorum citatorum speciei. — Junior tota fusca.

**6. N. nigra:** prothorace rugoso-sulcato nigra nitida subglabra, pedibus livido-testaceis, femoribus superne fusco-lineatis, alis cinereis, nervorum nodo substigmaticali 5-radiato, radiis fuscedine non cinctis, plaga discoidali interiori cellulis 4, exteriori 6, ornata. ♂♀. (Long. corp. 1—1¼, al. exp. 4 lin.)

Oliv. Encycl. Méth. T. 8. p. 186. 5. Pictet Larv. Nem. in Extr. des Annal. des Sc. Nat. 1832. p. 16.

Hab. in Lapponia meridionali pass. rar.; ad Wilhelmina 23 Jul. in copula capta. Ad rivulum prope Lie in alpe Dowre Norvegiae 29. Jul. quoque deprehendit D. Boheman. (Lapp.-Wermelandia ad Arås prope lacum Waenern 1814 specimina quaedam a me lecta; in fruticibus Scaniae ad Esperoed 27. Jun. in copula.)

*Mas* et *Fem.* Similis priori sed adhuc minor adeoque inter nostras minima. Differt praecipue ab antecedente prothoracis sulcis ob rugas dorsi minus perspicuis, nervorum nodo 5-radiato, vittae discoidalis exterioris cellulis paucioribus, ut et spinulis apud marem in abdominis segmentorum dorso deficientibus. Pedes ut in priori.

## 13. Perla. Geoffr.

Latr. gen. 423. Deg. Oliv. Lam. Pictet in Annal. des Sc. Nat. 1833, Janvier p. 44. *Phryganea* Linn. Reaum. *Semblis* Fabr. *Diura* Billb.

Major, media, parva (long. corp. 5—1, al. exp. 11—3 lin.). Antennae ut in *Nemoura.* Labrum transverso-lineare, vix exsertum. Mandibulae submembranaceae, apice subtridentatae. Palpi subsetacei, articulo ultimo antecedente graciliore; labiales articulo basali antecedentis magnitudine. Labium subquadratum, clypeatum (excipe in *Perl. pygmaea*). Caput depressum horizontale, antice clypeo productum. Prothorax mesothorace vix angustior et parum humilior, dorso medio trisulcatus (seu fere ut in Coleopterorum *Oxytelo carinato* sculptus). Alae longitudinaliter nervosae, superiores nervis sub stigmate exacte cruciformibus, cellulis discoidalibus ut in *Nemoura* (in *P. pygmaea* cellulis tantum tribus). Anus setis caudalibus articulatis 2, elongatis, post mortem incurvis. Tarsi articulis 2 primis ultimo multo brevioribus, intermedio subtus spongioso. *Color* obscurus l. virescens. *Pictura* nulla. *Motu* segnis. *Habitatio* imaginum sub lapidibus et in fruticibus ad ripas fluminum; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam Nordlandiae Finmarkiaeque. *Differentia sexus* externe vix ulla; in corpusculo subconico brevi piloso inter setas caudales ex ano erumpente, absente l. praesente forte quaerenda. (Spec. Scand. 8 mihi cognitae, palpis subsetaceis, capite antice clypeato, prothorace insculpto, tarsis inaequaliter longis, alarum nervo longitudinali 2do a costa (costali non computato) apice furcato nervorumque nodo substigmaticali cruciformi, ut et setis caudalibus binis elongatis, a *Nemoura* mox dignoscendae.)

*Subd.* 1. Species obscurae.

**1. P. marginata:** fusca, capite flavo-maculato, ventre pallido, alis cinerascenti griseis, nervis validis obscuris, secundo longitudinali infra nodum nervorum substigmaticalem biramoso. (Maxima: long. corp. 5, al. exp. fere 11 lin.)

*Semblis* Fabr. Ent. Syst. 2. 73 7. Panz. Fn. 71. 3.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Stensele 4. Jul. capta. (Lappon. meridional.-Suec. inferior rar.)

Sequente paullo major, latior, minus nitida, tota fusca l. grisea. Caput supra punctis 2 elevatis, et maculis, flavis. Occiput inprimis flavescit. Prothoracis linea dorsalis diluta. Venter pallidus. Setae caudales flavescentes fusco-annulatae. Vitta discoidalis ornata est in plaga interiori cellulis circiter 8, in exteriori circiter 11. Nervus longitudinalis secundus infra nodum nervorum substigmaticalem bis tantum dichotomice divisus. Interstitium inter nervum costalem et longitudinalem primum, angustum, a basi alae ad apicem ornatum nervulis transversis 8—12, ut etiam in *P. bicaudata.*

**2. P. bicaudata:** nigricans, antennis, pedibus setisque caudalibus livido- l. fusco-testaceis, macula frontis orbiculari occipitisque triangulari, et prothoracis marginibus lateralibus summis lineaque media longitudinali, flavis; alis cinereis, nervis validis obscuris, apicalibus multiramosis; *mas* alarum rudimento. ♂♀. (Media: long. corp. 4, al. exp. 10 lin.)

*Phryganea* Linn. Fn. Sv. 1489. ♀. Reaum. Ins. 3. T. 13. f. 12. *Semblis* Fabr. Ent. Syst. 2. 73. 8. ♀. Panz. Fn. 71. 4. ♀.

Hab. sub lapidibus ad ripas fluminum Lapponiae Umensis frequenter, ad Umenaes, Tresunda et Fredrica, 7—29. Jul. a me lecta; Lappon. Lulensis freq. Linné; mares sub lapidibus ad littora lacus Storsjoen ad Orviken Jemtlandiae d. 20. Maj feminasque pluribus locis in districtu Trondhjem Norvegiae invenit D. Boheman. Haud pauca quoque individua feminea nuper e pupa exclusa ad ripam Kattilakoski Lapponiae Tornensis vidi, et specimina tandem ejusdem sexus ad radicem Gamstenstind Finmarkiae occidentalis 30. Jul. deprehendi. (Lapponia et Suecica et Norvegica — Westrogothia ubi ad rivulos in monte insigni Kinnekulle utrumque sexum mense Majo olim legit mecumque communicavit D. Dalman.)

Antennarum articulus primus semper obscurus. Nodus nervorum substigmaticalis exacte cruciformis. Nervus longitudinalis 2dus infra nodum hunc emittit dichotomice ramulos 4 l. 5 ad apicem alae. Stigma elongatum obsoletum 3—6 lineolis transversis repletum. Vitta discoidalis ornata est in plaga interiori cellulis circiter 9, in exteriori cellulis circiter 6, omnibus subquadratis et subrectangularibus.

Var. b. ♀. adultior, paullo obscurior, antennis pedibusque fere totis fuscis, prothoracis lateribus nigris immaculatis; frequenter occurrit. — Variat etiam magnitudine; capite quoque interdum maculis pluribus flavis.

**3. P. obscura:** fusca, pedibus dilutioribus, alis cinereis nitidis, nervis tenuioribus, secundo longitudinali infra nodum substigmaticalem biramoso. (Minor: long. corp. 2, al. exp. 5 lin.)

Hab. in Lapponia rarissime, ad ripam fluminis Umensis ad Umenaes d. 9. Jul. 1832 unicum specimen legit D. DAHLBOM, valde molle et ut videtur nuper e nympha transformatum. (Lapponia miridionalis.)

Praecedente duplo l. triplo minor. Praeter igitur magnitudinem insigniter minorem differt etiam a *P. marginata* capite vix flavo-maculato, ventre obscuro, nec pallido, alis hyalinis nitidis; a *P. bicaudata* capite et prothorace immaculatis, nervo alarum secundo longitudinali infra nodum substigmaticalem bis tantum dichotomice diviso, et ab utraque nervis omnibus tenuibus, ut et interstitio inter nervum costalem et longitudinalem primum, angustissimo, a basi ad apicem stigmatis nervulis tantum 2 l. 3 (nec 8 — 12) transversis ornato, unde etiam diversam existimo speciem.

**4. P. pygmaea**: nigra subnitida immaculata, alis cinereis, nervis apicalibus omnibus simplicibus, plaga discoidali ordinaria cellulis tantum 3 ornata. ♂♀. (Minuta: long. corp. 1, al. exp. 3 lin.)

DALMAN in litteris.

Hab. in Lapponia vulgaris; scilicet in graminosis et Pinetis in vicinitate fluminum praesertim Lapponiae Tornensis, ad Juhonpietis, Wittangi et Palojoënsu, 9. Jun. — 17. Aug. freq.; in ipsum alpium jugum adscendens in nive 12. Jul. ambulans; in Lapponia Umensi s. meridionali, ex. gr. ad Lycksele d. 22. Jun. etiam capta. (Lappon.-Bottnia occidentalis 7. Maj. — ad ripas fluminis Ångermanniae 28. April. freq. — Ostrogothia in Wadstena-loet prope lacum Wettern 12. April. copiose uterque sexus, saepe etiam in copula. — E Westrogothia a D. DALMAN missa.)

*Mas* et *Fem.* A prioribus non solum magnitudine multo minore, verum etiam aliis notis essentialibus discrepans, quae potius novum genus quam tantum speciem produnt. Tota nigra nitida. Caput subnutans, clypeo non porrecto. Prothorax medio rugulosus, sed sulcis longitudinalibus solitis haud perspicuis. Setae caudales adsunt. Alae cinereae immaculatae, nervis omnibus longitudinalibus apicalibus simplicibus, etiam a costali secundus, qui infra nodum stigmaticalem ad apicem descendit. Vitta nervorum discoidalis ordinaria retracta cellulis paucis s. tantum 3 oblongis ornata, nempe in plaga interiori seu media (versus costam) duabus, et in exteriori (versus marginem interiorem) unica. Interstitium inter nervum costalem et primum longitudinalem angustissimum, et ut in *P. obscura* nervulis transversis tantum 2 l. 3 instructum.

Var. b. pedibus et setis caudalibus fuscis. Hab. frequenter cum var. a; forte junior, nuper transformata. Variat etiam paullo major et minor.

*Subd.* 2. Species virescentes l. pallidae. Prothorax marginatus. Alarum nervus longitudinalis secundus infra nodum stigmaticalem simpliciter furcatus, et interstitium inter nervum costalem et longitudinalem primum, a basi alae ad apicem stigmatis, angustum, nervulis paucis transversis obsoletis ornatum.

**5. P. virens**: fusco- et virescenti varia, antennis fuscis, alis pallide virescentibus, plagae discoidalis ordinariae vitta interiori cellulis 5—6 subaequalibus quadratis, exteriori cellulis 6—8 harum ultimis majoribus transversis obliquis. (Long. corp. 2½—3, al. exp. 8 lin.)

*Semblis virens* Mus. FALL. et GYLLENHAL.

Hab. in Lapponia Umensi vulgaris; in fruticibus Salicis et Betulae juxta flumina frequenter, ad Umenaes, Åsele et in monte subalpino Stoettingsfjellet copiose visa, 6—31. Jul. — In alpe Dowre latere boreali versus finem mensis Jun. a D. BOHEMAN quoque deprehensa. (Lapponia Ostrogothia in quercetis a 20. Aug. usque ad 5 Sept. — Scania ad Esperoed et Bjoernstorp 20. Maj. — E Westrogothia a DD. GYLLENHAL et DALMAN missa.)

Corpus fusco- et virescenti varium. Antennae fuscae, articulis 2—8, interdum usque ad 12, indeterminate testaceis. Caput flavum, oculis, clypei apice, stemmatum s. ocellorum punctis et regione, maculisque occipitis fuscis l. nigris. Setae caudales fuscae. Abdominis dorsum infuscatum. Pedes flavescentes, superne plerumque leviter infuscati. Alae hyalinae, flavedine viridi tinctae, costa saturatiori. Nuper exclusa fere tota pallida, oculis, stemmatibus antennarumque apice, tantum nigris, qualis in Lapponia Tornensi lecta mecumque a D. FRIGELIO communicata.

Var. b. duplo minor, magis testacea, fuscedine minus tincta; linea prothoracis media saepe nigra. Cum var. a. frequenter capta, etiam in Dowre. Forte est *mas*. Media quasi inter hanc et sequentem.

**6. P. viridis**: flavo-testacea, antennis extrorsum, oculis, ocellis unguiisque nigris, alis viridi-flavis, plagae discoidalis ordinariae cellulis 2—5 obsoletis. (Long. corp. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$, al. exp. 4—$4\frac{3}{4}$ lin.)

FABR. Ent. Syst. 2. 74. 11.?

Hab. in Lapponiae Tornensis betuletis locis paludosis vulgaris, scilicet ad Kengis, Muonioniska et Karesuando d. 15. Maj. et iterum 15—22. Aug. a me frequenter lecta. (Lapponia — ?)

Priori multoties minor. Tota flavicans, oculis (etiam in viva), ocellis s. punctis stemmatum minutis, linea tenui dorsali et ventrali ad abdominis basin, tarsorumque ungulis nigris. Antennae atrae, articulis undecimis primis determinate flavis. Alae ut in priori, sed cellulis plagae discoidalis ordinariae paucioribus, vix ultra 5, interdum tantum 2.

*Obs.* Diagnosis et descriptio Fabriciana l. c. et huic et praecedenti speciei haud aegre adaptari potest. Synonymon igitur dubius allegavi. Cum vero de fuscedine antennarum articuli primi, regionis stemmatum, occipitis corporisque, quae priori sed non huic competit, omnino silet, verosimilius videtur, nostram *P. viridem* eandem ac FABRICII esse.

---

## FAMIL. 6. PHRYGANEIDES.

### 14. Phryganea. LINN.

LATR. gen. 424. REAUM. GEOFFR. DEG. UDDM. FABR. LAM. ROES. SCHRANK. ROSS. PANZ. GUERIN. DAHLB.

Magna, media, parva (long. corp. 6—1, al. exp. 18—3 lin.). Antennae elongatae setaceae, articulis numerosissimis. Corpus pilosum. Caput parvum transversum, supra planum, pro partibus oris excipiendis inferne excavatum. Labrum coriaceo-membranaceum, elongato-trigonum aut depresso-conicum, inflexum. Mandibulae nullae. Palpi capite longiores, glabriusculi aut hirsuti aut hirsutissimi. Labrum membranaceum, breve, apice rotundatum, emarginatum. Alae deflexae, nervosae, nervis ramoso-furcatis, furcis basi saepe fere in medio alae per lineolas transversas connexis. Furcae vero apicales nullae. Stigma interdum notabile. Alae inferae superioribus similiter nervosae, sed his plerumque pallidiores, nudae et immaculatae. Tibiae aut omnes spinosae, aut posticae saltem bis bicalcaratae. *Color* cinereus, fuscus, niger, testaceus, pallidus. *Pictura*, dum adest, maculata, nebulosa, striata, irrorata. *Motu* agilissima; *volatus* raro longus, saepissime acris, brevis, abruptus; interdum choreas ducunt minores. *Habitatio* ad aquam ejusve vicinitatem; per partem sylvaticam Lapponiae et inferalpinam maritimam Nordlandiae Finmarkiaeque. In Pinubus plures deprehenduntur species. *Differentia sexus; mas:* ano ciliato et varie appendiculato, a *femina:* ano simpliciori, dignoscitur. (Spec. Scand. circiter 100, antennis corpore saltem longioribus, setaceis, palpis capite longioribus, alis non aut minus ciliatis, inferioribus plicandis, tibiis saepissime spinulosis, ab *Hydroptila* dignoscendae.)

*Subd.* 1. Alae cinereo-albidae, auticae s. superae maculis majoribus minoribusque, inferioresque limbo postico, brunneis. Volatus altus, longus, continuus. Magna.

**1. Phr. phalaenoides**: nigra, alis superioribus griseo-albidis, maculis crebris majoribus minoribusque, plurimis confluentibus, brunneis; inferioribus albidis, maculis 4 costalibus limboque postico determinate, brunneis. ♂♀. (Long. corp. fere 6, al. exp. 18 lin.)

UDDM. Diss. Nov. Ins. p. 26. 53. T. 2. f. 16. LINN. Fn. Sv. 1481. *Semblis* FABR. Ent. Syst. 2. 73. 6. *Simblis* BILLB. Enum. p. 94.

Hab. in Lapponia passim; ad Lycksele Lapponiae Umensis d. 20—25. Jun. a D. DAHLBOM et me prope rivulum frequenter visa, e meridie versus septentrionem individuum singulum sat alte et continue volans, captu difficile. — Ejusmodi migrationem toto fere die continuatam observavi. In fruticibus juxta ripas quoque obvia. (Lapponia — in omnibus Bottniis: boreali, orientali et occidentali — Finlandia: Aboae — Ad flumen sic dictum *Clara elf* in territorio Ek invenit Cl. ELFVENDAHL secundum Mus. FALL.; nec forte longius versus meridiem in Suecia descendit haec maxima, pulcherrima et mere borealis Phryganeidum species, Phalaenam quodammodo mentiens.)

Variat numero macularum (plerumque circiter 30) brunnearum in alis anticis. Specimina Finlandica saepius majora, maculis alarum superiorum et limbo inferiorum magis determinatis ut et pedibus,

praeter tibias posticas subtestaceas, totis nigris, differunt a Lapponicis Umensibus, quae alas anticas maculis minoribus, et posticas macula costali tantum subunica distincta limboque apicali infuscato subinterrupto minusque determinato instructas, ut et tibias omnes testaceas, habent. — Vix vero species distinctae.

*Subd.* 2. Alae superae reticulatim pictae.

**2. Phr. reticulata**: nigra, tibiis testaceis, alis flavescenti cinereis, superis crebre fusco-reticulatis. ♂♀. (Long. corp. circiter 4, al. exp. 10—11 lin.)

Linn. Fn. Sv. 1482. Fabr. Ent. Syst. 2. 75. 1. Panz. Fn. 71. 5.

Hab. in Lapponia passim; in fruticibus Betulae ad littora lacuum in Lapponia Umensi et praesertim ad Lycksele 15 - 20. Jun. frequenter. (Lappon.-Bleking. Scania ad Abusa primo vere freq.)

*Mas* et *Fem.* Alae griseo-subflavescentes, superae fusco- l. brunneo-reticulatae. Maculae fuscae, ad costam loco stigmatis 2, et ad angulum ani 1, plerumque majores distinctiores. Alae inferae maculis 2 costalibus et margine apicali fuscis; sed fascia media fusca in speciminibus Lapponicis nulla. Tibiae variant testaceae et fuscae, sed posticae plerumque pallescunt. Feminam ano inferne lamina quadridentata instructam vidi.

*Subd.* 3. Alae superae nebulosae, variegatae, substriatae, irroratae, aut unicolores *).

*) Palpi maxillares thorace breviores, glabriusculi. Antennae longitudine corporis aut nonnihil longiores, alarum vero longitudinem haud attingentes. Nervi alarum in medio anastomozantes, anastomosi plerumque arcuata. Nervi longitudinales ab anastomosi ad apicem alae saepissime ducuntur simplices et paralleli.

A) *Cinerascentes* alis plerumque variegatis. Tibiae anteriores saepissime perspicue spinulosae, posticae bisbicalcaratae seu a medio ad apicem spinulosae et simul calcaribus 2 ante apicem et 2 in apice armatae.

**3. Phr. grandis**: alis cinereis, atomis, striolis longitudinalibus, maculisque, obsoletis fuscis, lineola longitudinali medio interrupta nigra, punctis 2 albis notata. ♂♀. (Long. corp. ♂ 4½ et ♀ 5, al. exp. ♂ 14 et ♀ 16 lin.)

Linn. Fn. Sv. 1485. Reaum. Ins. 3. T. 14. f. 4. Deg. Ins. 2. T. 13. f. 1. Roes. Ins. 2. T. 17. Fabr. Ent. Syst. 2. 76. 9. Panz. Fn. Sv. 94. f. 18. Schrank Enumer. 310. 618.

Hab. in Lapponia Umensi ad littora lacuum vulgaris, ad Lycksele, Barrsele, Wilhelmina, Fredrica etc. 20. Jun. — 17. Jul. frequenter, in copula capta. (Lapponia meridionalis — Ostrogothia, Gottland., Scania; vulgaris, Jun. Jul. — Ova virescentia vidi.)

*Mas* et *Fem.* Inter maximas generis, *Phr. reticulata* major, sed *Phr. phalaenoides* paullo minor. In alis superis vitta longitudinalis media neque basin neque apicem attingens, nigra, in medio per lineolam obliquam interrupta, seu in 2 vittas minores divisa, quarum antica pone medium et postica in ipso apice puncto albo notatae sunt. Praeterea inter vittam posticam et stigmatis locum punctum tertium album intra apicem maculae elongatae fuscae locatum observatur. Alae inferae griseae, ut in sequentibus immaculatae. Pedes testacei, tarsis nigro-annulatis. Tibiae posticae bisbicalcaratae, intus spinosae **). Antennae nigrae, vix annulatae, sed apice dilutiores. Detrita tota fusca, sed puncta nivea in alis plerumque tenacius adhaerent.

**4. Phr. varia**: alis cinereo-, fusco-nigroque variis, puncto pone medium minuto albo, tibiis annulatis. ♂♀. (Long. corp. 4½—5, al. exp. 10—11½ lin.)

Var. a. antennis nigris l. parum cinereo-annulatis.

Fabr. Ent. Syst. 2. 77. 10.

Hab. in Lapponia cum priori vulgaris; etiam in Lapponia Tornensi ad Karesuando capta. (Lappon.-Suecia inferior.)

Var. b. ♂♀. antennis testaceis fusco-annulatis.

*) Cum quaestio est de alis ita pictis *superas* s. anticas semper intellectas habere volo, quia inferae seu posticae saepissime, an non semper, immaculatae subhyalinae sunt.

**) Tibiae anteriores etiam spinosae sunt non solum in hac, sed etiam in sequentibus, quare ejusmodi armaturam ut ordinariam in singula specie describenda repetere omisi.

Hab. in Lapponia rar. (Lapp.-Ostrog., Oeland., Scan., Jul. Aug. freq. in copula.)

*Mas* et *Fem.* Haec species praecedenti sat similis est, sed minor, et vitta alarum media longitudinali nigra deficiente, distincta. Alae parum deflexae, haud compressae. In illaesis individuis alae superae cinereae fusco-irroratae, fasciis dorsalibus communibus obliquis, tribus nigricantibus cum duabus canis alternantibus. Puncta pone medium 2 nivea, quorum alterum prope stigma, minutissimum. Tibiae posticae bisbicalcaratae, uno latere parce spinulosae.

**5. Phr. grisea**: alis nebulosis, striga media obliqua albida, maculaque subtriangulari loco stigmatis nigra. ♂♀. (Long. corp. 3½, al. exp. circiter 9 lin.)

Linn. Fn. Sv. 1484. Fabr. Ent. Syst. 2. 78. 14. exclus. Syn. Degeer. Dahlb. Skand. Ins. p. 239. 156.

Hab. in Lapponia rarissime; in Groenlandia etiam capta a D. Westermann missa. (Lappon.-Ostrogoth., Scania 20. Aug. — 20. Sept.; in fruticibus et sylvis vulgatissima et omnium frequentissima, in copula saepe deprehensa.)

*Mas* et *Fem.* Prioribus minor. *Phr. variae* colore subsimilis. Fusca. Alae anticae fusco, griseo nigroque variae. Macula rhombea alba in medio, et alia irregularis ejusdem coloris subpellucida circa anastomosin nervorum. Loco stigmatis macula subtriangularis nigro-fusca, sub lente visa interdum punctis pallidis cribrata. Antennae obscurae, subannulatae. Pedes testacei, tibiis posticis bisbicalcaratis et biseriatim nigro-spinosis. — Specimen groenlandicum solito fere duplo minus. — Sub nomine *Phr. bimaculata* Linn. exempla hujus speciei mihi etiam communicata fuerunt.

*Obs.* *Phryganea* 1. *striata* Linn. Fn. Sv. 1483. (non Fabr. an Reaum. Ins. 3. T. 13. f. 11! ad aquas Scaniae medio Junii freq.); 2. *nervosa* nob. (*striata* Fabr. Ent. Syst. 2. 75. 2. Reaum. Ins. 3. T. 13. f. 8. 9.; sed fig. 11. potius *Phr. testaceam* nob. no. 23, aut *striatam* Linn. repraesentat. In Scania capta, Mus. Fall.); 3. *emarginata* Sundew. in litt. (simillima *griseae*, sed alis anticis apice emarginatis. Ad amnem Kjellby prope Lund Jun. ♂. a D. Dahlbom rar. deprehensa); 4. *evitata* Gyllenh. Mus. Fall. (vix *variegata* Fabr. eadem — Ostrogothia, Gottlandia, Oelandia, Scania, 15. Jun. — 12. Aug. freq.); et 5. *flavicornis* Fabr. (Suecia); in Lapponia a me frustra quaesitae.

B) *Pallescentes*.

**6. Phr. rhombica**: testacea, alis flavescentibus, macula media rhombea obliqua pallidiori subpellucida, antice posticeque macula fusca adjecta. ♂♀. (Long. corp. 4, al. exp. 10 11½ lin.)

Linn. Fn. Sv. 1486. Reaum. Ins. 3. T. 14. f. 5. Fabr. Ent. Syst. 2. 77. 13. Roes. Ins. 2. T. 16. f. 5. 6. alarum macula postica alba nimis notata, an hujus? Ross. Fn. Etr. p. 12. 680. Schrank Enum. p. 307. 612. variet. „defectu albedinis in apice.“ — An quoque Ahrens. Fn. cura Germar. Fasc. 9. T. 13? ubi maculae 3 in singula ala repraesentantur.

Hab. in Lapponia vulgaris; in Pinubus in vicinitate fluminum, ex. gr. ad Muonioniska Lapponiae Tornensis et ad Lycksele Lappon. Umensis, 5—17. Aug. freq. (Lapponia, Ostrogothia, Scania; 9. Jul. — 22. Aug. freq.)

*Mas* et *Fem.* Tota testacea. Alae insigniter compressae, nitidae, subnudae; superae vitta lata, antice abbreviata, fusca, maculis 2 obliquis albo-pellucidis interrupta, prima in medio rhombea perspicua, altera versus apicem subovata obsoleta. Stigma nullum. Tibiae posticae biseriatim nigro-spinosae.

**7. Phr. borealis**: flavo-cinerascens, antennis, palpis pedibusque testaceis, alis flavescentibus, disco longitudinaliter fusco et fusco-punctato, maculis 3 albo-pellucidis, prima angusta, secunda postica, tertia apicali; stigmate obscuro. ♂♀. (Long. corp. 4, al. exp. 10—11 lin.)

Hab. in Lapponia passim; ad Kengis et Muonioniska, Lapponiae Tornensis, ad Lycksele, Umensis; d. 12—30. Aug. capta, vespere volans. (Lappon.-Kemi-Ostrog.)

*Mas* et *Fem.* Similis *Phr rhombicae* et *atomariae* Fabr.; sed a priori corpore magis cinerascente, alarumque maculis media rhombea obliqua multo angustiori, et postica perspicuiori; ab *atomaria*, cui adhuc similior, alarum fuscedine in plagam magnam fere cohaerentem dilatata, nec in puncta innumera discreta ad apicem praesertim relegata; et ab utraque, stigmate fusco maculaque apicis flavescenti pellucida, differt. Antennarum articulus basalis elongatus. Tibiae posticae ut in priori. Nec cum *Phr. vitrata* Dalm. Deg. Ins. 2. T. 12. f. 19., quae duplo fere minor est et pallidior, nostra confundenda.

Var. b. Alae postice fuscae, punctis crebris microscopicis adspersis, et macula apicali flavescenti pellucida perspicua, unde alae

obiter inspectae apice quasi emarginatae videntur. Macula media albo-pellucida circa anastomosin nervorum punctis aliquot fuscis in medio est notata. — Ad Lycksele cum var. a. rarius est inventa.

**8. Phr. atomaria**: flavo-cinerascens, antennis, palpis pedibusque testaceis, alis flavescentibus, maculis punctisque crebris quibusdam cohaerentibus, fuscis, maculis disci duabus albido-pellucidis; stigmate nullo. ♂♀. (Long. corp. 4, al. exp. 10 lin.)

FABR. Ent. Syst. 2. 78. 15. forte eadem.

Hab. in Lapponia rar. (Lappon., Ostrogoth., Oelandia, Scania, Aug. freq.)

*Mas* et *Fem.* Similis *Phr. boreali*, a qua alarum fuscedine non plagam continuam, sed potius congeriem punctorum versus apicem evidentiorem efficiente, et stigmate vix ullo praecipue differt. In alis anticis quoque maculae 2 albido-pellucidae, prima in medio rhombea paullo latior quam in *boreali*, et altera pone medium major ovata. Margo apicalis oblique truncatus ut in *Phr. boreali*, et alae inferae albo-pellucidae, immaculatae, omnino ut in illa. — Variat capite toto testaceo.

**9. Phr. Signifer**: flavo-cinerascens, antennis, palpis pedibusque testaceis, alis flavescentibus, disco et apice infuscatis, lineola media longitudinali tricomposita albo-pellucida. ♂. (Long. corp. 3¹, al. exp. 9½ lin.)

*Phr. signifer* SUNDEW. in litt. *Phr. discoidea* Mus. FALL.

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Asele d. 27. Jul. inventa. (Lappon. meridion. — Suecia, Mus. FALL.)

*Mas.* Proxime praecedentibus minor. Caput et corpus ferrugineo-cinerascentia. Alae superae flavescentes, plaga magna indeterminata a basi ad apicem infuscata. In medio disci lineola (unam lineam circiter longa) longitudinalis alba. Ad ejus apicem incipit lineola altera (non in linea cum priori recta, sed paullo propius ad marginem interiorem posita), oblonga, praecedente duplo brevior, albo-pellucida, et immediate post hanc seu pone anastomosin nervorum sequitur tertia, similis antecedenti, sed nonnihil longior. Juxta hanc, et mox pone nervorum anastomosin 3 l. 4 aliae lineolae pallidae sensim decrescentes observantur. Stigma nullum. Alae omnes nudiusculae, nitidae, apice rotundatae; inferae albido-hyalinae, immaculatae. Antennarum articulus primus elongatus. Tibiae posticae distincte biseriatim nigro-spinulosae.

**10. Phr. lineola**: pallide flava immaculata, alis angustis apice acuminatis, superis dorso antico serie punctorum, posticisque apice lineola, fuscis. ♂♀. (Long. corp. 4—5, al. exp. 11—12 lin.)

SCHRANK Enum. p. 307. 613. var. a. certe.

Hab. in Lapponia rar. (Lapponia, Gottlandia, Scania, in paludos. Aug. freq.)

*Mas* et *Fem.* Pallide ochracea tota. Alis compressis valde angustis et apice acuminatis a reliquis facile dignota. Alae superae margine interiori a basi fere ad medium dorsi serie punctorum fuscorum; praeterea omnino immaculatae. Alae inferae subhyalinae, apice lineola longitudinali (circiter unam lineam longa) fusca. Antennarum articulus primus elongatus. Tibiae posticae a medio ad apicem biseriatim pallide spinulosae.

**11. Phr. irrorata**: flavo-cinerascens, antennis, palpis pedibusque testaceis alis subangustatis, apice subacutis, superis pallide ochraceis, atomis crebris fuscis irroratis; inferis subtus hyalinis, apice lineola fusca. ♂♀. (Magnitud. *Phr. lineolae.*)

*Phr. lineola var. b.* SCHRANK Enum. p. 308. Ut *Phr. atomaria* FABR. in collectione FALLENIANA asservatur, et sub nomine *lineola* a D. SUNDEWALL communicata. Forte *Phr. grisea* DEG. Ins. 2. T. 13. f. 21. eadem.

Hab. in Lapponia cum priori rar. (Lappon., Gottland., Scania, Jun. — Aug. frequentiss.)

*Mas* et *Fem.* Praecedenti affinis et similis, sed forte paullo minus compressa, et alis nonnihil latioribus, apice minus acutis, superis s. anticis supra undique aequaliter fusco-irroratis, corporeque magis cinerascente, distincta.

**12. Phr. interrogationis**: cinerascens, antennis, palpis pedibusque testaceis, alis subangustatis, apice subacutis, superis fuscescentibus, lineola discoidali longitudinali maculaque pone medium, albido-pellucidis; inferis subhyalinis, apice lineola fusca. ♀. (Magnitud. *irroratae.*)

Hab. in Groenlandia, D. WESTERMANN. (Groenlandia —?)

*Fem.* *Phr. irroratae* iterum valde similis ejusque magnitudine et forma omnino, sed corpore magis cinerascente, alis superis obscurioribus, et signaturis pallidis, distincta. Alae superae e maculis et punctis innumeris confluentibus, fuscae, linea intra costam et nervis dorsalibus elevatis flavescentibus. In medio alae lineola brevis, et infra illam (paullo versus marginem dorsalem) punctum oblongum, albida. Pone medium et mox infra anastomosin nervorum, macula parva ovata, interstitium tantum inter tres nervos longitudinales occupans, flavo-subpellucida. Alae inferae ut in priori. Femora postica linea laterali cinerascenti.

**13. Phr. vitrata**: testacea, alis luteo-flavescentibus, maculis 3 albo-pellucidis, prima in medio rhombea, secunda pone medium rotundata, tertia apicali late triangulari. ♂♀. (Long. corp. 3—3½, al. exp. 8—8½ lin.)

DALM. in litt. DEG. Ins. 2. T. 12. f. 19. etiam Mus. GYLLENHALI et FALLENI.

Hab. in Lapponia rar. (Lapponia-Suecia media: Ostrogothia et Gottlandia, in plantis aquaticis, etiam in Abiete, 26. Jun. — 7. Sept. freq. in copula. — Suecia meridionalis, Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Minor. Tota rufo-testacea, pedibus pallidis. Antennarum articulus primus elongatus, rufescens. Alae nudae, superae nervis dorsalibus a basi ad dimidium alae nigro-pilosis, totae luteo-flavescentes, guttulis pallidioribus pluribus l. paucioribus ornatae, et maculis 3 majoribus albo-pellucidis instructae, 1ma in medio obliqua rhombea, 2da subocellari plerumque pupilla luteo-flava notata, et 3tia apicali late triangulari, unde apex revera oblique truncatus, obiter intuenti emarginatus videtur. Signaturae vero anticae praesertim in exemplis vetustis valde saepe dilatatae sunt. Alae inferae immaculatae. Tibiae posticae nigro-spinulosae.

**14. Phr. notata**: cinerascens aut rufescens, antennis pedibusque rufo- l. flavo-testaceis, alis luteo-flavescentibus, maculis tribus, nempe duabus in disco albo-pellucidis et tertia stigmaticali nigra. ♂♀. (Magnitud. prioris.)

FABR. Ent. Syst. 2. 78. 18. forte. — Sub eodem nomine in museo FALL. exstat.

Hab. in Lapponia rarissime, collection. D. DEUTSCHII; mihi in terris septentrionalibus non obvia. (Lapponia, Suecia, mus. FALL.; Scania ex. gr. ad Lund 18—24. Jun. passim, D. DAHLBOM et nos.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et affinitas *Phr. vitratae*. Antennarum articulus primus interdum fuscus. Alae anticae aut totae aut maculatim luteo-flavescentes, guttulis pallidis interdum adspersae, maculisque 2 distinctioribus flavo-pellucidis notatae, quarum una in medio obliqua rhombea, et altera pone medium ovata. Loco stigmatis macula ovata brunneo-nigra valde distincta. Reliqua ut in diagnosi aut in *Phr. vitrata.*

*Obs.* *Phr. fumigata* GERM. seu *discoidea* FABR. et nob. in subdivisione sequenti sub numeris 32 quaerenda.

**15. Phr. fenestrata**: cinerascens, antennarum articulo primo concolore, antennis, palpis pedibusque testaceis, alis lutescenti fuscis, punctis maculisque variis albido-hyalinis. ♂♀. (Long. corp. 2½—3, al. exp. 7—7½ lin.).

Hab. in Lapponia Tornensi rarius, sed in Pinubus ad Bossekop Finmarkiae 5—8. Aug. frequentius visa, in copula capta. (Lappon.-Bottnia orientalis ad Kemi 30. Aug.)

*Mas* et *Fem.* Prioribus paullo minor. Caput et corpus cinerea. Palpi testacei aut fusci. Antennae testaceae, fusco-subannulatae, articulo 1mo subelongato, cinereo. Alae glabriusculae, nitidae, superae maculis luteo-fuscis difformibus subcohaerentibus fere undique ornatae, punctis rotundis, margine costali a basi ad stigma et maculis variis albo-pellucidis interjectis; harum macularum prima in medio parva obliqua rhombea, et secunda pone medium major ovata, anastomosin nervorum includens et ramulum in medium marginis apicalis saepe emittens. Hae vero signaturae hyalinae plerumque (in speciminibus praesertim illaesis) valde dilatatae, relictis tantum maculis 3 l. 4 fuscis. Margo apicalis oblique truncatus. Nervi dorsales a basi ad medium distincte ciliati l. nigro-pilosi. — Alae inferae subhyalinae immaculatae. Pedes flavescentes, tibiis posticis a medio ad apicem nigro-spinulosae.

**16. Phr. vittata**: ferruginea aut cinerascens, antennis, palpis pedibusque testaceis, alis flavicantibus, vitta dorsali, postice saturatiori, fusca. ♂♀. (Long. corp. 3, al. exp. 8 lin.)

FABR. Ent. Syst. Suppl. p. 201. 16—17.

Hab. in Lapponia Umensi passim, in Pinetis ad Lycksele mens. Jun. freq., in copula. (Lappon. meridion. — Gottlandia, Ostrogoth., Scania, in graminosis et fruticibus 24. Jun. — 15. Sept. freq.)

*Mas* et *Fem.* Parva, angusta, compressa. Pictura alarum ab aliis affinibus statim dignota. Alae nempe superae angustae subpubescentes, griseo-flavicantes, dimidietate interiori seu dorsali fusca, quae fuscedo tamen versus basin sensim evanescit. Apex alarum oblique truncatus l. levissime emarginatus.

*Obs.* Alae in speciebus 16—21 elongatae valde angustae, compressae, nitidae, et, praeter nervos dorsales costatos saepe pilosos, glabriusculae sunt.

**17. Phr. femorata**: nigro-cinerea, femoribus concoloribus, tibiis tarsisque pallidis, alis griseo-flavicantibus, vitta media maculisque apicis duabus luteo-fuscis. ♂♀. (Magnitudo prioris.)

Hab. in Pinubus prope flumen Umense ad Lycksele-avan, 10—16. Aug. freq., alibi rar. (Lapponia meridionalis, Suecia borealis?)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, statura et similitudo *Phr. vittatae*, a qua differt antennis palpisque nonnihil obscurioribus, femoribus nigro-cinereis, alarumque vitta media, nec dorsali, ut et maculis in margine postico 2 longitudinalibus brunneis, una nempe ab ipso apice ad anastomosin nervorum extensa, et altera ad angulum ani posita et saepissime cum vitta media cohaerenti. Genua, tibiae tarsique flavescentia. Antennae subannulatae. Alae superae in illaesis tenuiter aureo-pubescentes.

**18. Phr. trimaculata**: nigro-cinerea, femoribus concoloribus, alis griseo-flavicantibus, vitta discoidali, maculisque tribus apicalibus luteo-fuscis. ♂♀. (Long. corp. 2, al. exp. 5—5¼ lin.)

Hab. in Salicetis ad ripam fluminis Angermanniae ad Stensele et Asele Lappon. Umensis haud raro, d. 2. et 27. Jul. in copula capta; ad Karesuando Lappon. Tornensis d. 15. Aug. quoque rarius visa, et in alpe Dowre Norvegiae d. 26. Jul. a D. BOHEMAN deprehensa. (Lapponia.)

*Mas* et *Fem.* Similis et affinis iterum *Phr. femoratae*, sed certe distincta. Multo minor, praesertim brevior. Alae superae griseo-flavicantes, vitta media cuneiformi et maculis posticis tribus luteo-fuscis, liberis, nec cum vitta connatis, nempe 1ma ad angulum ani oblonga, obliqua, 2da in ipso apice subquadrata plerumque valde obsoleta, et 3tia loco stigmatis parva subtriangulari. Arcus nervorum anastomozantium inter maculas stigmaticalem et anguli ani, quoque fuscus. Reliqua ut in priori. Oculi in viva brunnei, qui color in mortuis conservatur.

**19. Phr. fuscinervis**: cinerascens, ferrugineo-maculata, antennis totis, palpis pedibusque testaceis, alis flavescentibus, nervis apicalibus et ad angulum ani positis fuscedine cinctis. ♀. (Long. corp. 3, al. exp. 8 lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rar., ad Lycksele Aug. 2 specimina inveni. (Lappon. meridionalis.)

*Fem.* Similis *Phr. vittatae* et *femoratae*, colore et pictura ab utraque facile dignota.

**20. Phr. subpunctulata**: cinerascens, antennis testaceis basi subfuscis, pedibus flavis, femoribus subcinereis, alis griseo-flavescentibus, punctis crebris fuscis obsoletis. ♂♀. (Long. corp. 2½, al. exp. 7½ lin.)

Hab. cum priori raro, ad Lycksele in Pinetis ad flumen Umense 13. Aug. utrumque sexum inveni. (Lappon. meridionalis.)

*Mas* et *Fem.* Statura angusta *Phr. femoratae*, paullo minor, colore et pictura alarum superiorum abunde distincta.

**21. Phr. nigriceps**: nigro-cinerea, capite, palpis antennisque nigricantibus, pedibus testaceis, femoribus obscuris; alis flavescentibus, dimidietate dorsali fusca, versus apicem pallide subguttulata. ♂. (Long. corp. 2½, al. exp. 7½ lin.)

Hab. in Lapponia rar.; a D. BOHEMAN communicata. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo et similitudo *Phr. subpunctatae*, sed facile ab illa dignota: antennis totis atris, et alarum dimidietate flavescenti immaculata, nec punctis fuscis notata, ut et dimidietate altera seu dorsali tota dilute brunnea, parce flavo-guttata.

**22. Phr. laevis**: cinereo-ferruginea, antennis rufo-testaceis, pedibus flavis, alis flavescentibus nudis glabris. ♂♀. (Long. corp. fere 3, al. exp. 7—8 lin.)

Hab. in Lapponia Tornensi passim; ad Kengis frequenter, 20—24. Aug. in copula capta. (Lappon.-Bottn. borealis ad Calix, Scania 14—22. Sept. in copula passim.)

*Mas* et *Fem.* A proxime praecedentibus statura minus compressa alisque nonnihil latioribus, et a proxime sequentibus nuditate alarum, differt. Caput flavum, vertice ferrugineo. Antennae rufescentes. Thorax et abdomen cinerascentia, interdum rufescentia. Alae flavescentes, tantum microscopice pallide pubescentes, nervis dorsalibus parum elevatis et costatis, nudis vix pilosis. Pedes flavi. Sub nomine *Phr. striata* FABR. in collectionibus Suecorum quoque vidi.

**23. Phr. testacea**: tota testacea, pedibus pallidioribus, alis flavescentibus, subpubescentibus (major). ♂♀. (Long. corp. 4—4½, al. exp. 11—12 lin.)

SUNDEW. in litteris. An REAUM. Ins. 3. T. 13. f. 11?

Hab. in Lapponia Suecica raro, sed ad littora maris glacialis Nordlandiae Finmarkiaeque Norvegicae, ex. gr. ad Tromsoe et Alten, mense Jul. freq. (Lappon.-Scania, Sept. in copula.)

*Mas* et *Fem.* Inter majores. Tota testacea aut rufa, pedibus flavis et abdomine interdum obscuro. Alae apice subrotundatae, totae subpubescentes, nervis dorsalibus elevatis pilosis.

*Obs.* *Phr. interpunctata* et *concentrica* huic affines, sed alis nonnihil obscurioribus in Subdivisione sequente sub numeris 29 et 30 inveniendae.

**24. Phr. pilosula**: nigro-cinerea, palpis fuscis, antennis pallide annulatis, pedibus testaceis, alis pallescentibus, obsolete fusco-nebulosis, pilosis. ♀. (Long. corp. fere 3, al. exp. 8—8½ lin.)

Hab. in Lapponia passim; in paludosis ad Pello in Torneå superiori d. 4. Jun. et ad Wilhelmina Lapponiae Umensis 17. Jul., parce lecta; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Norvegiae et ad Bjoerkvik d. 14. Jul. rarius visa. (Lappon., Bottnia ad Calix.)

*Fem.* *Phr. vitreae* magnitudine aequalis. Nervi dorsales elevati pilosi. A *Phr. pilosa* FABR., cui sat similis, corpore obscuro, nec pallido, et alis nebulosis dignoscitur. Affinis quoque videtur *Phr. collari* SCHRANK.

Variat aut corpore ferrugineo, forte nuper exclusa; aut alis subnudis, forte detrita. Caveas ne varietatem priorem cum *Phr. pilosa* FABR., et posteriorem cum *Phr. laevi* nob. (no. 22.) confundas. In Bottnia ad Calix hae varietates inventae.

**25. Phr. brevis**: nigro-cinerea, antennis, palpis pedibusque testaceis, alis oblongo-ovalibus griseo-flavescentibus, obsolete fusco-punctatis, pubescentibus, nervis dorsalibus costatis pilosis. ♀. (Long. corp. 2¼, al. exp. 7 lin.)

Hab. in Lapponia Tornensi passim, ad Karesuando et Turtola, 15—25. Aug. praesertim legi. (Lapponia borealis, Bottnia.)

*Fem.* Statura *Phr. villosae* FABR., sed paullo major. Caput et corpus nigro-cinerascentia. Antennae et palpi sordide rufo-ferruginea. Pedes flavo-testacei. Alae oblongo-ovales seu margine costali subarcuato, nec ut in plerisque ceteris exacte recto; griseo-flavescentes, undique pilositate obscura subnebulosae l. punctatae; a basi ad medium costatae, costa dorsali praesertim elevata et fusco-pilosa. In illaesis individuis punctum album centrale in alis superis observatur.

Variat toto corpore cinereo-ferrugineo, forte junior.

*Obs.* *Phr. villosa* FABR., huic affinis, alis brunnescentibus dignota, in Subdivisione sequente sub no. 33. quaerenda.

**26. Phr. stigmatella**: nigro-cinerea, tibiis tarsisque testaceis, alis griseo-cinereo-hyalinis ciliatis subpubescentibus, stigmate fusco, hirto, striga media transversa alba notato. ♂♀. (Long. corp. 1½, al. exp. circiter 5 lin.)

Hab. in Lapponia Tornensi versus finem Aug. passim; in floribus Salicis prope ripam fluminis Tornensis ad Muonioniska et Juckasjervi usque ad lacum insignem Torneåtraesk adscendens, 23. Jun. — 17. Aug. in copula frequenter capta; ad Lycksele Lapponiae Umensis s. meridionalis rarius lecta. (Lapponia Suecica-Kemi 30. Aug.)

*Mas* et *Fem.* Parva. Caput cum antennis et palpis breviusculis, thorax et abdomen, nigro-cinerea. Alae subangustatae, cinereo-griseae, subhyalinae, parum pubescentes, nec costatae, sed margine interiori ciliatae. Stigma infuscatum hirtum, lineola transversa media alba, quae in speciminibus illaesis supra nervorum anastomosin usque ad marginem interiorem oppositum extenditur. Anastomosis nervorum media transversa recta, nec arcuata, infuscata. Pedes flavo-albidi, femoribus subcinereis, genubus pallidioribus, tibiis brevissime et parce nigro-spinulosis.

Var. b. *zonella*: similis var. a., sed major, longior, alis superis fuscis pube aurea tenui tectis, striga a stigmate ad angulum ani transversa distinctiore; nervi dorsales etiam magis elevati, pilosi. Ad lacum Stor-Uman Lappon. Umensis d. 6. Jul. duo specimina inventa.

**27. Phr. puberula**: nigro-cinerea, tibiis testaceis, griseo-cinereo-hyalinis pubescentibus, stigmate fumato, nervo longitudinali ab angulo ani quarto, furcato. ♀. (Long. corp. 1½, al. exp. 5. lin.)

Hab. in Lapponia rar.; mihi a D. BOHEMAN benigne communicata. (Lapponia.)

*Fem.* Magnitudo et similitudo praecedentis. Caput cum antennis et palpis nigrum. Thorax, abdomen et coxae pedum nigricantia. Alae griseo-cinereae, subhyalinae, pube depressa tenui vestitae, subcostatae, costis breviter pilosulis. Stigma fumatum. Pedes: femora ultra medium indeterminate nigro-cinerea; genua, tibiae nigro-spinulosae, et metatarsus, albo-flava. Tarsi nigri.

*Obs.* *Phr.* 1. *punctato-striata* DEG. Ins. 2. p. 548. T. 14. f. 5. (in Ostrogoth. ad Wadstena, et in Scania ad Abusa prope Lund, 27. Maj., et 12. Jul. a D. DAHLBOM capta); 2. *pilosa* FABR.

(*pallida* GYLLENH. et collection. Suec.; in Suecia inferiori ab Ostrogothia ad Scaniam Sept. freq. in copula); 3. *flava* LINN. Fn. Sv. 1502. (in plantis aquaticis et paludosis Ostrogoth., Gottlandiae et Scaniae, Jul. Aug. freq.); et 4. *guttulata* DALM. (Ostrog. Scan. freq.); in Lapponia a me frustra quaesitae.

C) *Obscurae:* alarum colore determinate nigricante, fuscescente l. ferruginante. Anastomosis nervorum in medio alae per nervos transversos arcuata, ut in prioribus.

**28. Phr. guttifera**: nigricans, pedibus luteis, alis nigrofuscis, singula guttis 7 albidis. ♂♀. (Long. corp. 4—4½, al. exp. 12—12½ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Asele 27. Jul. inventa. (Lapponia meridional. — Hernoesand 30. Aug. ♂♀.)

*Mas* et *Fem.* Magna in hoc genere. Parum compressa. Nigricans, capite subtus, antennis subtus, palpis, pedibus abdominisque segmentorum ventralium marginibus, lutescentibus. Alae nigro-fuscae pubescentes, in singula guttulae circiter 7 l. 8 oblongae, pallescentes, nempe 2 ad basin, 1 ad medium marginis interioris, 1 centralis magna gemina, 1 ad medium costae, et 3 in disco pone medium fere in triangulum positae minutae. Nervi dorsales a basi ad medium elevati, costati, nigro-pilosi. Similis *Phr. discoideae* FABR., sed major et distincta.

**29. Phr. interpunctata**: cinereo-grisea, antennis, palpis pedibusque lutescentibus, alis griseo-fuscis, guttis numerosis albis. ♂♀. (Long. corp. 4—4½, al. exp. 12—12½ lin.)

SUNDEW. in litteris.

Hab. in Lapponia Tornensi rar., ad Muonioniska 17. Aug. lecta. (Lappon.-Wermelandia ad Aras, passim — Ostrogothia in Pinubus, 5—12. Sept. freq. D. DAHLBOM et ipse.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo et statura prioris; minus obscura. Fusca. Caput subtus, antennae subtus, palpi et pedes, lutea. Alae superae postice latae, rotundatae, totae glabriusculae, dilute fuscae, in interstitiis nervorum crebre albo-guttatae, guttis difformibus, saepe didymis, et intra apicem 8 magis regularibus, scilicet in singulo interstitio una. Gutta subcentralis major, trapezina. Nervi dorsales costati, pilosi.

**30. Phr. concentrica**: rufo-cinerea, ferrugineo-hirsuta, antennis, palpis pedibusque luteis, alis flavo-lutescentibus, maculis creberrimis fuscis obsoletis, nervis transversis mediis validis, obscure ferrugineis. ♀. (Long. corp. 3½, al. exp. fere 12 lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, ad Lycksele 16. Aug. semel lecta. (Lapponia Suecica meridional.)

*Fem.* Subsimilis priori, sed paullo minor. Alae glabriusculae in fundo flavo-luteae, sed maculis crebris cohaerentibus dilute fuscis obsoletis undique adspersis variegatae. Arcus medius ex anastomosi nervorum transversalium validorum ortus, rufo-ferrugineus, in fundo subpellucido sat perspicuus. Nervi dorsales a basi ad medium elevati, costati, pallide et non dense pilosi.

**31. Phr. fusca**: nigra, pedibus subdilutioribus, alis nigro-fuscis, puncto discoidali et anali minuto albo; stigmate nullo. ♂♀. (Long. corp. 2½, al. exp. 8—9 lin.)

Var. a. ♂♀. paullo major, antennis subtus, capite subtus, palpis pedibusque luteis, punctis alarum vix conspicuis.

LINN. Fn. Sv. 1500. DEG. Ins. 2. 407. 4. FABR. Ent. Syst. 2. 75. 4.

Var. b. *lapponica*; ♀ paullo minor, capite, antennis, palpis pedibusque nigris, tarsis lutescentibus, alarum punctis magis perspicuis. An spec. distincta?

Hab. in Lapponia; varietas a. rarissime mihi obvia, var. b. in fruticibus ad littora lacuum in alpe Fillefjell Norvegiae d. 28. Aug. a D. BOHEMAN inventa. (Lapponia, Suecia tantum var a. passim frequens, ex. gr. ad Falun, et ad littora maris Scaniae 15. Maj. — 1. Jun. capta.)

**32. Phr. discoidea**: nigricans, antennis pedibusque dilutioribus, alis griseo-fuscis, puncto discoidali et anali minuto albo, macula stigmaticali nigra. ♂♀. (Long. corp. 2½, al. exp. 8 lin.)

FABR. Ent. Syst. 2. 76. 5. forte etiam *Phryg. fumigata* GERMAR. in AHRENS. Fn. Fasc. 13. T. 21.

Hab. in Lapponia Umensi passim, ad Lycksele tamen 4. Aug. freq. (Lapponia meridional. — Bottnia occident. — Ostrogoth., Oelandia, Aug. Sept. freq. — Scania passim.)

*Mas* et *Fem.* Statura et affinitas prioris. Nigricans et nigro-pilosa. Antennae ferrugineae, fusco-annulatae, articulo primo nigro. Palpi aut toti fusci, aut ferrugineo-maculati. Alae griseo-fuscoque variae, pubescentes. Stigma ovatum, brunneo-nigrum. Puncta 2 alba, unum ad anguli anum, et alterum in medio alae obliquum. Nervi dorsales elevati, costati, nigricantes, griseo-intersecti, rigide nigro-pilosi. Pedes sordide flavi, coxis cinereo-nigricantibus, tibiis nigro-spinosis, posticarum calcaribus ordinariis flavis. Alae detritae totae punctis plurimis minutis albo-irroratae. — Sub nominibus: *Phr. pallipes* FABR., *analis* FABR. et *notata* FABR. in collectionibus Suecor. promiscue vidi.

**33. Phr. villosa**: tota testaceo-ferruginea, alis obovatis, nitidis, rugulosis, pilis erectis hirtis. ♂♀. (Long. corp. fere 2, al. exp. 5 lin.)

FABR. Ent. Syst. Suppl. p. 200. 6—7.

Hab. in alpibus Dalecarlicis DD. PAYKULL et BOHEMAN. (Lapponia meridionalis, ipsissimam quoque ad Abusa Scaniae prope Lund initio mensis Octob. semel inveni.)

*Mas* et *Fem.* Alarum forma et pilositate ab omnibus facile dignoscenda. Alae testaceo-ferrugineae, obovatae, supra nitidae, crebre verruculosae, undique pilis erectis ferrugineis adspersae.

*Obs.* *Phr.* 1. *lutaria* DALM. (valde affinis *Phr. villosae* FABR. et nob., sed paullo major et minus villosa; in Oelandia ad Ottenby d. 20. Jul. a me inventa); 2. *curta* nob. (Ostrogothia); 3. *pallipes* FABR. FALL. (Oelandia, Scania); et 4. *analis* FABR.? (Gottlandia, Ostrogothia); in Lapponia et provinciis borealibus Sueciae hactenus non observatae.

°° Palpi maxillares thoracis longitudine aut illo breviores, glabriusculi, aut subvillosi, nec hirsutissimi; basi tantum pilosi; subfiliformes (in *Phr. hirta* no. 40, palpi maris apice valde incrassati). Antennae longitudine corporis aut illo paullo longiores, alarum vero longitudinem raro attingentes. Nervi alarum superarum in disco inaequaliter anastomosantes seu ramosi, horum scilicet longitudinalium aliquot (1, 2 vel 3) versus apicem saepissime furcati. Tibiae tenues, muticae, seu brevissime tantum spinulosae, sed posticae pone medium et in apice valide bisbicalcaratae, ut in prioribus.

**34. Phr. nubila**: obscure rufo-testacea, antennis, palpis pedibusque flavis, alis lanceolatis griseis, fusco-cinereoque variis, macula dorsali media communi cana; nervo longitudinali a costa sexto pone medium furcato. ♂♀. (Long. corp. 3, al. exp. 8½—9½ lin.)

DALMAN in litteris.

Hab. in Lapponia passim; ad Åsele Lapponiae Umensis d. 26. Jul. rarius, sed ad Kengis Lappon. Tornensis utrumque sexum d. 22. Aug. frequentius legi; in foliis fruticum ad ripas fluminis Lerdalselfven Norvegiae 26. Aug. D. BOHEMAN. (Lappon.-Wermelandia-Scania ad Esperoed 14. Sept. ♀.)

*Mas* et *Fem.* Antennae longitudine corporis ferrugineae, fusco-annulatae, articulo primo breviusculo, apice piloso. Palpi antici longitudine fere thoracis, fusco-testacei, subvillosi, articulo basali piloso. Caput fuscum pilosum. Thorax et abdomen ferrugineo-fusca, ventre pallidiore. Anus maris forcipatus, forcipe foliacea, apice truncata; anus feminae simplex acutus. Alae in utroque sexu plerumque detritae, cinereo-griseae, sed in illaesis griseae fusco-cinereoque pulchre nebulosae, maculisque 3 dorsalibus distinctioribus canis, prima antica parva, secunda media magna rotunda, et tertia ad angulum ani punctiformi. Apex alae acutus, in margine punctis 7 l. 8 albidis totidemque fuscis alternantibus ornatus. Nervi in medio ramosi, et longitudinalis 6tus a costa pone medium furcatus. Nervi dorsales alternatim elevati, pilosi. Pedes flavi. Tibiae spinulis minutissimis pallidis, et posticae simul calcaribus geminis pone medium, binisque in ipso apice, validis fuscis armatae.

**35. Phr. Charpentieri**: nigricans, pedibus dilutioribus; alis superis apice brevissime ciliatis, totis fuscis, aureo-flavo-nebulosis, nervorum longitudinalium tribus pone medium furcatis; inferis nigricantibus (Major). ♂♀. (Long. corp. 3, al. exp. 7—8 lin.)

Hab. ad aquas et rivulos Lapponiae praesertim Umensis passim; ad Stensele utrumque sexum d. 4. Jul. invenit Cl. DAHLBOM; in silva betulina ad Alteidet Finmarkiae d. 1. Aug. ipse legi; e Lapponia meridionali? ♀ misit D. BOHEMAN. (Lapponia, Suecia inferior rar.)

*Mas* et *Fem.* Species pulchra et distincta, Viro nobilissimo, ingeniosissimo Dom. de CHARPENTIER summo jure dicata. Similis sequenti, sed multo major et in haud paucis diversa. Nigricans, flavo-pilosa. Antennae, palpi et caput ut in priori. Oculi in viva brunnei, unicolores. Alae nonnihil latiores quam in illa, et minus deflexae, apice rotundatae; superae tenuiter pubescentes, fuscae, guttis aureo-flavis crebris adspersis, apice et margine interiori breviter ciliatae. Nervi dorsales alterni subelevati, sed parum pilosi. Nervorum longitudinalium tres pone medium furcati. Alae inferae nigricantes et nigro-pubescentes. Pedes fusci aut testacei. Tibiae ut in priori. Anus maris appendicibus 4, fuscis, aequaliter lon-

gis, quarum 2 et 2 in lamina laterali cornea fornicata positis, superioribus compressis, basi latioribus, apice subincurvis, inferioribus subfiliformibus rectis. Totus hic apparatus caudalis segmento abdominis ultimo duplo et ultra longior. Femina ano acuto brevissime appendiculato. — *Phr. variegata* FABR. huic affinis videtur.

**36. Phr. umbrosa**: nigricans, pedibus dilutioribus; alis superis apice mediocriter ciliatis, totis fuscis flavo-lutescenti nebulosis, nervorum longitudinalium tribus pone medium furcatis; inferis nigricantibus (Minor). ♂♀. (Long. corp. 1¼, al. exp. 4 lin.)

LINN. Fn. Sv. 1498.

Hab. in Lapponia passim; in monte subalpino Stöttingsfjellet et ad rivulos prope Grantraesk, Lapponiae Umensis, 30—31. Jul. utrumque sexum frequentius legi etiam in copula; sed ad Karesuando Lapponiae Tornensis 15. Aug. parcius vidi. (Lapponia, Gottland., Ostrogothia ad lacum Wettern. — Scania ad amnem Kjellby etc.; 15. Jun. — 6. Aug. freq.)

*Mas* et *Fem.* Priori, ut dictum, similis, sed duplo l. triplo minor, et alis superioribus magis pubescentibus, colore guttarum flavo minus puro, ut et ciliis proportione distincte longioribus, certe diversa. Nec simul habitantes inveni.

Variat, ut etiam praecedens, tota pallidior; immatura.

**37. Phr. Waeneri**: fusca, antennis pedibusque testaceis, alis superis cinereo-griseis, nervorum longitudinalium duobus versus apicem furcatis; inferis hyalinis; omnibus margine interiori mediocriter ciliatis. ♂♀. (Long. corp. 1½, al. exp. 4½ lin.)

LINN. Fn. Sv. 1494. FABR. Ent. Syst. Suppl. p. 201. 28. Ross. Fn. Etr. p. 13. 682.

Hab. in Lappon. passim; inter Kautokeino Finmarkiae orientalis et Karesuando Lapponiae Tornensis, 13—15. Aug. haud raro vidi. (Lappon.-Westrogothia, Ostrogothia, Calmariae, Scania; ad littora lacuum Aug. freq.)

*Mas* et *Fem.* Fusca, griseo-hirta. Antennae longitudine corporis, articulo primo brevi. Palpi antici elongati, flexuosi, basi fasciculo pilorum. Alae superae elongatae, pubescentes, flavescenti cinereae. Nervi dorsales vix elevati, non pilosi. Nervi 2 intra apicem versus marginem interiorem furcati. Pedes pallescentes, praeter spinas ordinarias omnino inermes.

**38. Phr. aureola**: fusca, antennis pedibusque testaceis, alis superis aureo-flavis, nervorum longitudinalium duobus versus apicem furcatis; inferis cinerascentibus; omnibus margine interiori mediocriter ciliatis. ♂♀. (Long. corp. 1½, al. exp. 4 lin.)

Hab. in Lapponia Tornensi rar.; ad Karesuando 15. Aug. capta. (Lapponia borealis.)

*Mas* et *Fem.* Praecedenti simillima, nec differt nisi magnitudine forte nonnihil minori, breviori, et praesertim alis superis pube densa depressa flava nitida tectis, ut et inferis magis obscuris. Directio nervorum in alis superis ob pubescentiam aegre distinguitur.

**39. Phr. griseola**: fusca, antennis pedibusque testaceis, alis omnibus griseo-cinereis, margine interiori mediocriter ciliatis; superis nervorum longitudinalium duobus versus apicem elongate-furcatis. ♀. (Long. corp. 1¾, al. exp. 4¾ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rarissime, in alpe Brattiksfjell a D. DAHLBOM d. 8. Jul. inventa. (Lappon. Suecica meridionalis.)

*Fem.* Valde iterum similis *Phr. Waeneri*, sed magnitudine paullo majori, alis omnibus fere similiter coloratis, ut et nervorum ramis furcas subapicales in alis superis formantibus longioribus, distincta. Similis quoque alii speciei, quae sub nomine *Phr. togata* mecum communicata fuit atque in Gottlandia, et Scania ad Fogelsång Jun. frequenter obvia, sed in illa alae superae furcis tribus, nec duabus, subapicalibus gaudent.

**40. Phr. hirta**: fusca, pedibus testaceis, alis omnibus fuscescenti cinereis, margine interiori mediocriter ciliatis; superis nervorum furcis in medium retractis, apicalibus nullis; antennarum articulo primo elongato, longe piloso. ♂♀. (Long. corp. 1½, al. exp. 5—6 lin.)

FABR. Ent. Syst. 2 80. 26. — Sub nomine: *Phr. Chilodes*, ♂ a D. DALMAN missus.

Hab. in paludosis Lapponiae Umensis passim; ad Lycksele, Umenaes et Wilhelmina, 8. Jul. — 17. Aug. capta. (Lapponia Suecica meridionalis. — Westrogothia in monte Kinnekulle D. DALMAN, Ostrogothia freq., Scania rar.)

*Mas* et *Fem.* Ab omnibus mox differt antennarum articulo basali elongato et pilis longis obsito, palpisque anticis in mare obscuris, apice valde incrassatis. Antennae corpore paullo longiores albidae, fusco-annulatae. Palpi feminae simplices. Caput et thorax in utroque sexu pilosa. Alae superae forma ut in proxime praecedentibus, sed undique et praecipue in nervis hirtae. Nervi longitudinales in medio ramosi, sed versus apicem furcae nullae. Alae inferae undiusculae.

Variat obscurior (♂), et pallidior (♀), sed alae in nostris semper unicolores, nec maculatae.

*Obs.* *Phryganea* 1. *pubera* DALM. manuscr. (Wermelandia, Scania, Jun. Jul. pass.); 2. *subsignata* DALM. manuscr. (Suecia); 3. *marginata* LINN. Syst. Nat. et FABR. (Suecia freq.); 4. *bimaculata* LINN. Fn. Sv. 1487. (non DEGEER. — Wermelandia etc.); et 5. *alba* FABR. (Bahusia ad Uddewalla D. GYLLENHAL. — Nob. ad novum genus pedibus muticis etc. distinctum referenda (cfr. *Sciodus* nob. gen. 8.); in Lapponia huc usque non inventae quantum novi. — *Phr. flavilatera* LINN. Fn. Sv. 1788. genuina mihi ignota.

*** Palpi maxillares thoracis fere longitudine aut illo paullo longiores, semper hirsuti aut hirsutissimi. Antennae aut longitudine corporis l. alarum, aut his multo longiores. Alae elongatae angustae, nervis in medio l. pone medium ramosis vel anastomosantibus, interdum versus apicem, h. e. in parte exteriore alae, furcatis. Tibiae posticae numquam spinosae, sed pone medium et in apice saepissime bisbicalcaratae ut in prioribus.

a) Antennae longitudine corporis aut alarum.

**41. Phr. ciliaris**: atra, capite atro-piloso, tibiis albis, alis nigris pubescentibus. ♂♀. (Long. corp. 2½—3, al. exp. 5—6 lin.)

LINN. Fn. Sv. 1497. ♀. *Phr. atra* FABR. Ent. Syst. 2. 78 17. ♂.

Hab. in Lapponia rarius; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis 15—17. Aug. capta. (Lappon.-Scania jam 30. Maj. in copula deprehensa.)

*Mas* et *Fem.* Tota atra. Caput non dense atro-villosum. Palpi hirsuti. Antennae corpore paullo longiores, sed alis non nihil breviores. Alae nigrae pubescentes. Nervositas propter pubescentiam aegre distinguitur, in detritis vero exemplis duo nervorum longitudinalium mox pone medium versus angulum ani furcati observantur. Alae omnes apice et margine interiori mediocriter ciliatae. Tibiae sordide albidae. Specimina Lapponica Suecicis vulgaribus paullo minora sunt, sed praeter talem parvitatem nullam invenio differentiam. — Sub nominibus citatis individua etiam a D. GYLLENHAL missa in museo FALLENIANO exstant. Sub nomine *Phr. nigricapilla* uterque sexus mihi quoque communicatus fuit.

**42. Phr. chrysocephala**: atra, capite atro-villoso, vertice et collari aureo-pilosis, tibiis tarsisque sordide albidis, alis nigris, breviter ferrugineo-pubescentibus. ♂♀. (Long. corp. 3, al. exp. 8—8½ lin.)

ZETT. It. Lappon. 1832. p. 103.

Hab. in Lapponia Umensi in foliis fruticum et graminosis ad ripas rivulorum, 4—28. Jul. passim, in copula; ad Stensele, Wilhelmina et Asele a me inventa. (Lapponia Suecica meridionalis.)

Media l. majoribus accedens. Nigra. Caput atro-villosum, vertice toto dense aureo-piloso. Oculi in viva brunnei, unicolores. Antennae alis paullo breviores. *Mas:* fronte valde convexa et palpis minus hirsutis; *femina:* fronte retusa et palpis flexuosis longius hirsutis. Alae in utroque sexu nigrae, superae pube brevi depressa ferruginea vestitae, nervositate aegre discernenda, sed in detritis nervi ut in priori directi videntur. Alae inferae nigro-pubescentes; omnes ut in praecedente ciliatae. Pedes nigricantes tibiis tarsisque praesertim posteriorum plus minus albicantibus. — Affinis priori, sed vere distincta. Nec *Phr. analis* FABR., quae „punctum album ad alarum angulum ani“ habet, confundenda est cum hac nostra, quae nullo ejusmodi puncto gaudet.

**43. Phr. minuta**: nigra, nigro-pilosa, palpis pedibusque fuscis, alis nigricantibus, dense pubescentibus. ♂♀. (Long. corp. 1¾, al. exp. fere 3 lin.)

LINN. Fn. Sv. 1501.

Hab. in Lapponia Umensi passim; in graminosis paludosis ad Lycksele et in Stöttingsfjellet 21. Jun. — 4. Aug. frequenter lecta; deprehenditur quoque in inferalpinis maritimis Nordlandiae Norvegiae et ad Bjoerkvik 14. Jul. haud raro visa. (Lappon.-Scania in plantis aquaticis Jun. vulgaris.

*Mas* et *Fem.* Parva. Antennae alis nonnihil breviores fuscae, articulo 1mo crasso elongato piloso nigro. Palpi distincte hirsuti, fusci. Alae nigrae, dense pubescentes, apice rotundato et margine interiori distincte ciliatis. — Sub nominibus: *Phr. pygmaea* Fabr. et *morio* mecum communicata. Sed verisimillimum Linnaei *Phr. minuta* genuina haec est. Oculi in viva nigri. — Variat pedibus fuscis, geniculis et tarsis flavis.

**44. Phr. tincta**: tota fusca, capite flavo-piloso, alis aureo-flavo-maculatis. ♂♀. (Long. corp. $1\frac{1}{2}$, al. exp. 4 — $4\frac{1}{2}$ lin.)

Hab. in Lapponia Umensi passim, ad rivulos prope Stensele 3 — 5. Jul. frequenter capta. (Lappon. meridionalis — Wermelandia.)

*Mas* et *Fem.* Minor. Fusca l. obscura. Antennae longitudine alarum vel illis fere paullulum longiores, tenuiter pallide annulatae. Palpi hirsutissimi. Caput flavo-pilosum. Oculi in viva brunnei. Alae omnes obscurae, superae pube densa depressa fusco-ferruginea vestitae, et maculis circiter septem aureo-flavis subnitidis ornatae, quarum 2 ad basin, 3 in medio fasciam irregularem constituentibus, et 2 ad apicem; hae vero maculae, praeter medias distinctiores, saepe obsoletae et indeterminatae. Alae inferae nigro-pubescentes; omnes apice margineque perspicue ciliatae. Pedes fusci, tarsis certo situ pallide annulatis. — Similis *Phr. bimaculatae* Linn., sed palpis aliis. — Sub nomine *Phr. linearis* mihi missa.

**45. Phr. vestita**: nigricans, capite pallide piloso, alis fuscis, superis pube flava depressa vestitis. ♂. (Long. corp. $2 - 2^1$, al. exp. 5 — 7 lin.)

Hab. in Lapponia Umensi raro: ad ripam fluminis Angermanniae ad pagum Wilhelmina 21. Jul. pauca specimina inveni. (Lapponia meridionalis.)

*Mas.* Magnitudine varians. Obscura. Statura elongata cylindrica. Antennae longitudine saltem alarum, nigrae, articulo primo subelongato, crassiusculo, griseo-pubescente. Caput pallide pilosum. Palpi fusci, antici elongati, omnes hirsutissimi. Alae nigricantes l. fuscae, superae elongatae angustae lineares, pube brevi, sed sat densa depressa flava nitida, undique aequaliter tectae; vix ciliatae. Alae inferae margine interiori mediocriter ciliatae. Pedes fusci, tibiis tarsisque praesertim posticis albidis. — Alia sub nomine *Phr. elongata*, in Scaniae plantis aquaticis ad Kjeflinge 20. Maj. freq. inventa, mecum communicata, huic quidem sat similis, sed alis dilutioribus, antennis, palpis pedibusque flavis, a nostra *Phr. vestita* diversa videtur.

**46. Phr. albicans**: nigro-cinerea, antennis, palpis, pedibus alisque albidis. ♂♀. (Long. corp. 2 — $2\frac{1}{2}$, al. exp. 6 — 8 lin.)

Hab. in Lapponia passim; ad Karesuando Lapponiae Tornensis, et Kautokeino Finmarkiae orientalis, 13 — 15. Aug. haud raro visa. (Lapponia, Ostrogothia in littore lacus Wettern prope Wadstena 6. Aug. copiose, etiam in copula capta.)

*Mas* et *Fem.* Statura fere prioris, sed forte paullo latior, magnitudine valde varians. Caput et corpus in fundo nigricantia, sed pilis pallidis obsita. Antennae alis paullo breviores, albidae, articulo primo parum elongato. Palpi pallidi, hirsutissimi. Alae cum nervis albae, saepe detritae, sed in illaesis pube tenui depressa flava tectae. Pedes toti albi, spinulis tarsorum tantum nigris. — Variat adultior partibus flavidis, quae alias albae sunt. — Sub nomine *Phr. amicta* haec species mihi etiam missa.

b) Antennae longissimae, alis multo longiores. Alae elongatae, saepe angustatae. *Leptocerus* Leach. Billb.

**47. Phr. barbata**: nigra, palpis longe hirsutis, tarsis albidis, alis cinereo-fuscis, nervis longitudinalibus duobus postice infra nervos transversos furcatis. ♂♀. (Long. corp. fere 3, al. exp. 8 — 9 lin.)

Dalman in litteris.

Hab. in Lapponia Umensi passim; ad aquas circa Lycksele 17 — 20. Jun. capta; in alpe Dowre Norvegiae D. Boheman. (Lapponia-Scania passim.)

*Mas* et *Fem.* In hac subdivisione major, robusta. Antennae nigrae. Caput valde nigro- l. cinereo-pilosum. Palpi longe nigro-hirsuti. Alae griseo-fuscae, nervis obscurioribus validis, longitudinalium duobus pone medium et mox infra nervos transversos furcatis. Tarsi postici albicant. — Valde affinis videtur *Phryganeae* ab Ill. Degeer descriptae in Vol. 2. p. 578. Tab. 15. f. 19. Sed palpi in figura Degeeri minus hirsuti et nervus longitudinalis tantum unicus infra nervos transversos furcatus repraesentantur. — Sub nomine *Phr. nervosa* mihi missa.

**48. Phr. hectica**: tota flavo-cinerea, alarum nervo longitudinali unico infra nervos transversos medios furcato. ♂♀. (Magnitudo prioris.)

Sundewall in litteris.

Hab. in Lapponia Umensi rar., ad Åsele 26. Jul. capta. (Lapponia Suecica meridional. — Gottland., Oelandia, freq.)

*Mas* et *Fem.* Corpus aut cinereum, aut cinerasceus rufo-maculatum. Antennae longissimae, capillares, palpi hirsutissimi, alae et pedes, albo-flavescentia. Nervi transversi in medio alae linea fere recta connexi, et mox infra hanc nervorum lineam nervus longitudinalis a costa tertius furcatus. — Nervositatem alarum probe observes, ut speciem rite distinguere possis. — Varietatem paullo obscuriorem in Lapponia vidi.

**49. Phr. ochrata**: nigricans, flavo-pilosa, antennis fuscis, tenuiter pallido-annulatis, alis ochraceis, pedibus testaceis. ♂♀. (Long. corp. $1\frac{1}{2}$, al. exp. 5 lin.)

Dalman in litteris.

Hab. in fruticibus ad aquas Lapponiae Umensis rar., ad Wilhelmina 20. Jul. lecta. (Lappon. meridional., Oelandia, Scania, Jul. passim.)

*Mas* et *Fem.* Antennae tenues fuscae, albido-annulatae, apice immaculatae. Caput flavo-hirtum. Palpi fusci, non longe hirsuti. Alae superae ochraceae immaculatae; inferae nigricantes. Pedes pallescentes, tarsis fusco-annulatis.

**50. Phr. 4-fasciata**: nigricans, flavo-pilosa, antennis albidis fusco-annulatis, alis aureo-flavis, fasciis quatuor denudatis fuscis, pedibus pallidis, posticorum femoribus tibiisque infuscatis. ♂♀. (Magnitudo prioris.)

Fabr. Ent. Syst. 2. 80. 28.

Hab. ad aquas Lapponiae frequenter; scilicet ad Lycksele Lapponiae Umensis, et ad Karesuando Lapponiae Tornensis, vulgaris, 4 — 15. Aug. in copula deprehensa; in Lapponia septentrionali etiam a D. Frigelio capta. (Lapponia-Scania, 25. Jul. — 25. Aug. freq.)

**51. Phr. albifrons**: nigricans, pallide pilosa, fronte albida, antennis subcapillaribus fuscis, basi albo-annulatis, alis fuscis, strigis quatuor niveis, pedibus flavescentibus. ♂♀. (Magnitudo prioris.)

Linn. Fn. Sv. 1495. *Phr. bilineata* Linn. Fn. Sv. 1496. haud diversa. Fabr. Ent. Syst. 2. 79. 24.

Hab. in Lapponiis Suecicis et meridionali et boreali vulgaris, in Betula juxta aquas ad Lycksele, Kengis, Muonioniska et Karesuando, 4 — 22. Aug. frequenter, saepeque in copula capta. (Lapponia-Ostrogothia freq., Scania pass.)

*Mas* et *Fem.* Palpi fusci, minus hirsuti. Alae ferrugineo-fuscae, maculis l. strigis 4 transversis albis, nempe 1 prope basin ad marginem interiorem, 2 et 3 mox pone medium, oppositae, et 4ta loco stigmatis obliqua. Pedes pallescentes, subfusco-maculati, tarsis obsolete fusco-annulatis.

**52. Phr. azurea**: nigra, antennis subcapillaribus, basi albo-annulatis, alis caeruleo-maculatis. ♂♀. (Magnitudo fere prioris.)

Linn. Fn. Sv. 1491. Fabr. Ent. Syst. 2. 79. 21. *Phr. nigra* Deg. Ins. 2. T. 15. f. 21. 22.

Hab. ad aquas Lapponiae meridionalis et borealis vulgaris, scilicet ad Wilhelmina Lapponiae Umensis, et Muonioniska ac Karesuando Lapponiae Tornensis, 20. Jul. — 17. Aug. freq. capta; progreditur usque in Finmarkiam et ad Kautokeino Finmarkiae orientalis interioris visa; sed de cetero in inferalpinis et ad littora maris glacialis vix observata, mihi saltem ibi non obvia. (Lappon.-Gottland.-Scania, freq.)

*Mas* et *Fem.* Nigra. Palpi longi, hirsutissimi. Antennarum articulus primus pallidus. Caput et thorax supra caeruleo-micantia. Alae superae caeruleae, fasciis duabus nigris, apice in mortuis saepissime inflexae; alae inferae nigrae; omnes margine interiore distincte ciliatae. Pedes nigro-fusci, tarsis albo-annulatis et posticis metatarso fere toto albo. Reliqua ut in diagnosi.

**53. Phr. nigra**: tota nigra, antennis concoloribus, pedibus nigro-fuscis. ♂♀. (Magnit. *Phr. azureae.*)

Linn. Fn. Sv. 1490? Fabr. Ent. Syst. 2. 79. 20.

Hab. ad Lycksele et Muonioniska, rarius, d. 10 — 17. Aug. capta. (Lapponia meridion. et borealis — Suecia.)

*Mas* et *Fem.* Magnitudo, forma partium et omnia ut in praecedente, et non nisi antennis paullo validioribus, alisque totis nigris

distincta. Alae superae in mortuis apice non inflexae. Pedes obscure testacei. — Synonymon Linnaei dubius allegavi, quia Ill. Auctor in diagnosi alas „caeruleo-atras" nominat, quae nota cum nostra, alis nigris praedita, haud quadrat. In descriptione vero Linnaei l. c. alae iterum „nigrae" dicuntur.

*Obs.* *Phryganea* 1. *filosa* Linn. Fn. Sv. 1493. Pontopp. Atlas Tom. 1. t. 30. (Scania ad Esperoed Silfåkra 5. Jul. — 25. Aug. in copula capta); et 2. *longicornis* Linn. Fn. Sv. 1492. (Roslagia, Scania); in Lapponia haud observatae fuerunt, a me saltem ibi frustra quaesitae. — *Phryg. saltatrix* Linn. Fn. Sv. 1503. vera, mihi ignota.

## 15. Hydroptila. Dalm.

Dalm. Analect. p. 26. gen. 4.

Minuta (long. corp. 1 — ¾, al. exp. 2 — 3 lin.). Antennae longitudine corporis aut nonnihil longiores, filiformes, articulis numerosis (in *Hydropt. tineoides* Dalm. articuli circiter 26, et in fig. Guerini antennae *Hydropt. flavicornis* Pictet. articuli 39, numerantur), aequalibus, transversis. Corpus pilosum. Caput parvum transversum, inferne subexcavatum. Palpi capite non longiores, tenues, glabriusculi. (Reliquas partes oris examini non subjeci.) Alae deflexae, angustatae, sublanceolatae, acuminatae, undique distincte, et praesertim circa apicem et ad marginem interiorem longe, ciliatae, nervis ramosis obsoletissimis; in examinatis individuis vix nisi nervus unus l. alter longitudinalium ad apicem furcatus. Alae inferae non plicandae. Tibiae posticae ciliatae, bisbicalcaratae. *Color* fuscus. *Habitatio* ad aquas, per partem sylvaticam Lapponiae. *Differentia sexus* ut in minoribus *Phryganearum* speciebus. (Spec. Scand. 3 hactenus cognitae, plures olim sine dubio detegendae, habitu *Tineae*, antennis longitudine corporis filiformibus, nec setaceis, palpis capite vix longioribus, alis sublanceolatis, longe ciliatis, inferioribus non plicandis, et tibiis posticis ciliatis, a *Phryganea* dignoscenda.)

**1. H. tineoides:** fusca, antennis, palpis, pedibus abdomineque pallescentibus; alis obscure pilosis, superioribus fasciis duabus, singula ex punctis tribus composita, punctoque apicis, albis. (Long. corp. ¾, al. exp. 2 lin.)

Dalm. Act. Holm. 1819. 1. p. 125. et Analect. p. 26. 1.

Hab. in Lapponia, rarissime mihi ad Muonioniska d. 17. Aug. obvia. (Lappon., Holmia, Westrogothia in Kinnekulle, Ostrogothia ad Wettern 6. Aug., Gottlandia ad ripas fluvii prope Lummelund mense Jul. 1819 frequenter a me visa.)

**2. H. pumilio:** tota fusca, pedibus flavo-testaceis; alis omnibus cinereis subpubescentibus, margine distincte ciliatis, superioribus nervorum longitudinalium duobus versus marginem interiorem breviter furcatis. ♂. (Long. corp. ¾, al. exp. vix ultra 2 lin.)

Hab. in Lapponia Umensi rar.; ad Lycksele et Åsele 26. Jul. — 17. Aug. parce capta. (Lapponia meridionalis.)

*Mas.* Antennae longitudine corporis, fuscae, vix annulatae, sed basi paullo dilutiores. Alarum furcae apicales ad marginem interiorem duae, ramis brevibus instructae. Tibiae posticae perspicue ciliatae. — Similis *Phryg. Waeneri*, sed quadruplo et ultra minor et distincta. — Vix *Phr. pusilla* Fabr. (quae antennis annulatis gaudet) eadem.

**3. H. ambigua:** nigra, alis anticis fusco-irroratis. ♀. (Long. 1¼, al. exp. 3 lin.)

Hab. in Bottnia occidentali rarissime, ad Skelleftea 6. Maj. 1821 specimen unicum inveni. (Bottnia occidentalis.)

*Fem.* Major in hoc genere. Nigricans. Caput nigro-pilosum. Antennae nigrae, apice fuscae. Palpi capite paullo longiores, nigri. Alae superae in fundo hyalinae, sed creberrime fusco-irroratae, et squamis certo luminis situ purpureis nitidis undique tectae. Alae inferae hyalinae, nigro-pubescentes. Pedes fusci, tibiis posticis parum ciliatis. — Species dubia, ob antennas vero breves, filiformes, et alas sublanceolatas, omnes distincte ciliatas, ad *Hydroptilam* potius quam ad *Phryganeam* forte referenda.

*Obs.* *Hydr. lanceolata* Sundew. sub nomine „*Phryg. pusilla* Fabr." in museo Fall. exstat.

# NOVAE SPECIES
## VEL GENERA INSECTIS LAPPONICIS INSERENDA.

---

Pag. 86. ante **Dasytes** inseratur:

**4. M. praeustus:** nitidus niger, antennarum basi, elytrorum apice pedibusque, flavis, femoribus basi nigris. ♂♀.
FABR. Eleut. 1. 308. 17. GYLL. Ins. Sv. 1. 364. 9. SCHÖNH. Syn. 2. 79. 19.
Hab. in Dalecarlia rariss., 1836 a D. BOHEMAN captus. (Lappon. meridion., Suecia media, Holmia, rarius. Statura *Malachii Cardiacae*, sed minor, brevior.)

— 124. in fine inseratur:

**6. H. borealis:** „subtus fusco-aeneus obscurus, thorace rufescenti-cupreo, 5-sulcato, lateribus parum rotundato, elytris griseo-testaceis, profunde punctato-striatis, interstitiis valde convexis, alternis subelevatis. (Long. 1¾ lin.)"
R. FERD. SAHLBERG Diss. Nov. Col. 1834. p. 4.
Hab. in aquis stagn. ad Avasaxa in Oefver Torneå, D. SAHLBERG l. c., a me non visus. (Lappon. septentrionalis, Bottnia borealis. — *Helophoro granulari* triplo major.)

— 139. post No. **20. H. tristis** inseratur:

**20—21. H. brevis**: breviter ovatus, subconvexus, glabriusculus niger, capite piceo, antennarum basi pedibusque rufo-ferrugineis. (Long. 1 lin.)
*Hydroporus brevis* R. F. SAHLB. Diss. Nov. Col. 1834. p. 3. — Sub *Hyphydro tristi* var. b. ZETT. Ins. Lapp. et Faun. Lapp. etiam latet.
Hab. in aquis stagnantibus pass. rar.; in Oefver-Torneå a D. SAHLBERG primo vere captus; ad Muonioniska Lapponiae Tornensis mense Aug. a me captus. (Lapponia borealis, Bottnia.)

— 142. post No. **3. H. impressus** inseratur:

## 80—81. Limnius.

MÜLL. in ILLIG. Mag. 5. 188. GYLL. *Elmis* LATR. DEJ.

*Corpus* parvum, minutum, oblongo-ovatum supra convexum, totum glabrum. Caput thoraci ad oculos retractum. Antennae longitudine thoracis, filiformes, 11-articulatae. Maxilla bifida, appendice palpiformi. Thorax quadratus, marginatus. Elytra quadrata. Pedes elongati, femoribus crassiusculis. *Color* metallicus, aenescens. *Motu* tardus, natare omnino nescius. *Habitatio* in rivulis et ad ripas fluminum lacuumque, per partem sylvaticam Lapponiae Suecicae. *Differentia sexus* in externis vix observanda. (Spec. Scand. 6.)

**1. L. Volckmari:** oblongus nigro-subaeneus, antennarum basi tarsisque ferrugineis; thorace subquadrato, elytris convexiore, punctulato, nitido, lineis 2 integris, antice conniventibus. (Long. vix 1 lin.)
MÜLL. in ILLIG. Mag. 5. 195. 1. GYLL. Ins. Sv. 2. Add. XVII. 1—2. SCH. Syn. 2. 117. 1. SAHLB. Ins. Fenn. 1. 184. 1. *Dytiscus Volckmari* PANZ. Fn. 7. f. 4. *Elmis Volckmari* LATR. Gen. 2. 51. 2.
Hab. in Dalecarlia, 1836 a D. BOHEMAN captus. (Lapponia meridion., Westrogothia rar., Finlandia rariss. — Sequenti duplo major, statura *Parni auriculati*, sed multoties minor.)

**2. L. aeneus**: ovatus nigro-subaeneus, antennis tarsisque rufescentibus, thoracis disco quadratim impresso, elytris basi thorace latioribus. (Long. circiter 1. vix ¾ lin.)
MÜLL. in ILLIG. MAG. 5. 202. 6. GYLL. Ins. Sv. 1. 553. 2.
Hab. in Lapponia rariss. in Dalecarlia a D. BOHEMAN inventus. (Lapponia meridion., Westrogothia in aquosis et ad littora lacuum pass. rar. — E Thuringia a D. KUNZE etiam missus. — Minutus, *Cryptophago cellari* minor.)

Pag. 194. post No. **12. B. pusillus** inseratur:

**13. B. Tiliae**: subcylindricus subpubescens, opacus, fuscus, antennis clava ovata 4-articulata, pedibusque testaceis, thorace suborbiculato, medio scabro, elytris obsolete punctato-striatis, apice dilutioribus.
ILLIG. Mag. 4. 129. 17. GYLL. Ins. Sv. 3. 369. 14. *Apate Tiliae* FABR. Eleut. 2. 383. 27. PANZ. Fn. 8. f. 14.
Hab. in Dalecarlia D. BOHEMAN, mihi in provinciis borealibus non obvius. (Lappon. meridion., Westrogothia D. SCHÖNHERR rar. — *Bostricho chalcographo* duplo et ultra minor.)

— 291. inter No. **10. C. histrionica** et **11. C. ocellaris** inseratur:

**10—11. C. lineigera**: ovata obscura, pedibus nigroflavo variis, supra livida, thorace fusco-irrorato; verticis fascia transversa hemelytrorumque lineis subsenis subinterruptis longitudinalibus, brunneo-nigris. ♂♀. (Long. 1 lin.)
Hab. in Dalecarlia D. BOHEMAN. (Lapponia meridionalis.)

♂♀. Affinis et similis *Cicadae histrionicae*, a qua vero magnitudine forte paullo minori, corpore praesertim maris obscu-

riori, pedibus nigris flavo-maculatis, nec pallidis, verticis margine antico magis obtuso, colore supra livido, nec albo, thorace fusco-irrorato, nec fascia nigra transversa distincte ornato, hemelytris apice magis rotundatis, lineis subsenis nigris subinterruptis, ut et absentia fasciae nigrae intraapicalis, abunde dignoscitur. Scutellum obscurum.

Pag. 303. inter No. 5 und 6. inseratur:

**56. J. Pinetellus:** abdomine obscuro griseus, hemelytris nitidis immaculatis, verticis punctis 2 frontisque fasciis transversis, nigro-brunneis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.)

Hab. in Dalecarliae Pinubus D. Boheman; ♂ frequenter lectus. (Lappon. meridionalis, in pinetis Ostrogothiae 26. Aug. — 13. Sept. utrumque sexum saepe inveni.)

♂♀. Affinis *Jasso Tremulae* (No. 3.), sed duplo et ultra minor, obscurior, hemelytris immaculatis et pictura frontis verticisque mox dignotus.

Pag. 355. inter *Lydam pallipedem* et *flavipedem* inseratur:

**4 — 5. L. Gyllenhali**: „vertice impunctato, subglabra nitidissima nigra, capite thoraceque characteribus, abdomineque strigulis posticis, flavescentibus, hoc in medio fascia latissima lutea; antennarum basi pedibusque flavescentibus; alis hyalinis, apice infuscatis, nervis obscuris, stigmate testaceo. ♀. (Long. 3—3½ lin.)" Dahlb.

Dahlb. Conspect. Tenthred. 1835. p. 15. 262. Clavis Hymenopt. 1835. f. 1.

Hab. in Salic. Lappon. meridional. Jun. rariss. a D. Dahlbom inventa. (Lapponia, Scania rariss. nos, Dania D. Drewsen.)

♀. Similis et affinis *L. pallipedi*, vertice laevissimo praecipue dignota.

*Obs.* *Nematus Zetterstedti* et plures aliae novae species Lapponicae Famil. Teuthredinid. etc. (cfr. Dahlbom Clavis et Conspect.) cito ab ipso publicandae.

# ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 14. lin. 22 dele: *Limnii*.

— 18. post No. 80. *Halipus* adde: 80—81. *Limnius*.

— 19. post No. 110. *Anthribus* adde: 110—111. *Bruchus*. (Nam *Bruchus rufimanus* Sahlb. Ins. Fenn. 2. 4. 1. Schönh. Syn. Tom. 5. 1. p. 74. etiam in Lapponia inventus erit.)

— 33. lin. 9 loco: punctis; lege: granulis.

— — — 22 — punctis; lege: granulis.

— 52. — 28 adde: in Dalecarlia a D. Boheman quoque captum.

— — lin. 41 et ubique, loco Drivstum; lege: Drivstuen.

— 91. — 21 post certe, adde: *Tyrus mucronatus* Aubé Monogr. Psel. 1834. (in Magas. de Zool. de Guer.).

— 135. lin. 28 post *Dytiscus* Fabr., adde: *Hydroporus* Dej.

— 170. post descriptionem No. 5. *R. Rhinomacer* inseratur: 6. *Rh. austriacus* Meg. Oliv. *Diodyrhynchus austriacus* Dej. Cat. Schönh. Syn. T. 1. p. 241. 1. et T. 5. 1. p. 345 (quoniam haec species in Dalecarlia a D. Boheman capta erit).

— 177. lin. 6. Catal. p. 83. adde: *Gymnetron id.* Sch. Syn. 4. 2. 777.

— 181. ad synon. *R. Lythri*, adde: *Nanophyes* Sch. Syn. 4. 2. 783.

— 183. lin. 13 Catal. p. 83. adde: Sch. Syn. 4. 2. 723.

— 226. lin. 57 post Zürich 1834. 1. p. 97. adde: Sahlb. Ins. Fenn. 2. 195. 7. *Lina Zetterstedti* Dej. Nov. Cat. Coleopt. p. 402.

— 299. lin. 24. loco: nervis, lege: alarum nervis.

— 311. — 20 et 21 ab infra, loco: in Lapponia vero; lege: in Lapponia vero meridionali.

— — lin. 18 ab infra, loco: missa.; lege: missa, et in Betula ad Giebostad Nordlandiae Norvegicae d. 22. Jul. a me visa

— 326. lin. 2 ab infra, adde: Primarius vero hodie Sueciae Hymenopterologus oculatissimus et acutissimus noster Dahlbom novam et facillimam viam, ab ipso ingeniose pansam, in dispositione sequens, metamorphosi et oeconomia (sine quibus nulla certitudo) specierum probe et diu observatis, ***Hymenoptera Scandinaviae*** publicare perget. Opus etiam Illius vastam illam et intricatam Familiam ***Tenthredinidum*** adcuratissime enodans, ut et tractationes monographicas ***Cynipseas*** illas minutas ***Crabronitum***que insignem cohortem continentes figurisque illustratas jam, cum hoc scribo, prelo partim sudare, partim subjiciendas esse paratas, non sine summa laetitia significo.

— 486. lin. 16 ab infra; in fine hujus lineae pone vocabulum *conscripsi* addatur: Insuper nobilissimus Staeger, a Conciliis Justitiae, Hafniensis, annis proxime praeterlapsis multas maximi momenti observationes ab illo factas circa ***Diptera*** imprimisque ***Tipularias*** mecum humanissime communicavit. Illius quoque laudandae sollertiae felicissimaeque indagationi genera exquisita *Zygoneuram* Meig., *Lestremiam* Meig., ut et *Boletinam* Staeg., praeter magnum novarum specierum numerum Fauna Insectorum Scandinavica grata debet. Neque silentio praetermittam adjumenta et observata, Antliata Sueciae spectantia, quorum eximius noster Dipterologus Cel. Profess. Wahlberg, Holmiensis, cum singulari benevolentia, postremo praesertim tempore, litteris me participem reddere voluit.

Pag. 495. lin. 2. loco: centinentibus, lege: continentibus.

— 498. — 16. inter *Brachystoma* et *Wiedemannia* inseratur: (*Gloma* Meig. Spec. Scand. 1. Seu *Glom. fuscipennis*, ad Holmiam a D. Wahlberg nuper detecta).

— 500. lin. 15 ab infra, loco: ***Fam. 25. Sciomyzides***, lege: *Fam. 25. Scatomyzides.*

— — lin. 10 ab infra, loco: ***Fam. 26. Scatomyzides***, lege: *Fam. 26. Sciomyzides.*

— 501. in initio columnae primae inter No. 104. ***Ortalis*** et 105. *Sepsis* inseratur: (*Psairoptera* Wahlb. Act. Holm. 1838. Spec. Scand. 4.)

— 501—502. in fine columnae mediae post No. 145. ***Rhyphus*** inseratur:
(*Ceroplatus* Fabr. Macq. Wahlb. in Act. Holm. 1838. *Platyura* Meig. Sp. Scand. 5.)

— 502. lin. 9. loco: in ***Campylomyza***, lege: in ***Sciara***, *Zygoneura*, *Campylomyza*.

— — lin. 18. ad *Aëdes* tollatur signum interrogationis, nam species unica in Scandinavia a D. Staeger jam detecta est.

— — lin. 24. *Tipula* Linn. adde: *Hydrobaeni* species Fries. — Nob. *Hydrobaenus lugubris* Fries. Act. Holm. 1829. p. 176. eadem est species ac *Chironomus occultans* Meig. 6. 254. 109. et *Psilocerus idem* Ruthe in Isis 1831. 1207. teste Nobil. Staeger. Hoc etiam cum meis observationibus omnino congruit.

— — post No. 155. *Sciara* Meig. etc. . . Latr., inseratur:
(*Zygoneura* Meig. Staeg. Spec. Scand. 1.)
(*Lestremia* Macq. Meig. Staeg. Spec. Scand. 1.)

— 504. post No. 174. *Mycetophila* Meig. etc. . . Fabr. inseratur:
(*Boletina* Staeg. in litt. et in exemplis communicatae Spec. Scand. 3.)

— 504—505. lin. 4 ab infra, loco: *Cryptomae*, lege: *Cyrtomae*.

Pag. 505. lin. 10. post quantum novi addatur: *Laphria atra* Fabr. genuina seu *Asilus ater* Linn. Fn. Sv., ut deperdita Sueciae incola nobis hactenus habita, donec nuper a Cel. Prof. Wahlberg ad Holmiam reinventa fuerit, e pupa exclusa et in Actis Holm. 1838. adcurate descripta.

— 517. lin. 5. post: in Lapponia vix obvius, adde: Nec *Tabanus glaucopis* Meig. Wahlb. Act. Holm. 1838, species Ostrogothica, in Suecia boreali inventus.

— — lin. 8. loco: *ruraiis*, lege: *ruralis*:

— 525. lin. 33. post *Th. confinis* Fall. adde: ut et *Thereva eximia* Meig. Wahlb. Act. Holm. 1838.

— 530. lin. 38. loco: posticorum articulo, lege: posticorum tarsis articulo.

— 538. lin. 27. adde: An Mas est *Trichina clavipes* Meig. Dipt. 6. Add. p. 336. 2? ut voluit Dom. Staeger.

— — inter lin. 41 et 42 inseratur: *Trichina flavipes* Meig. Dipt. 6. Add. p. 336. 1. forte.

— 539. lin. 14 ab infra, 21. *Trichina*, adde in nota:

°) *Trichina* est etiam Entozoon (Trichina spiralis) vide Westwood Entom. Brochure p. 75.

— 540. lin. 22. hoc loco deleatur *Trichina flavipes*, nam eandem ac nostram *Oedaleam pallipedem* esse verosimile videtur.

— — lin. 12 ab infra. 23. *Iteaphila*, adde in nota:

°) *Iteaphila* nob. valde affinis videtur *Euthyneurae* generi Macq.; et *Euthyneura Myrtilli* Macq. in Annal. de la Soc. Entom. 1836. 3. p. 517. tab. 15. f. 1. 4. forte identica cum nostra *Iteaphila Macquarti?*

— 542. lin. 21 ab infra, loco: in hac specie non forsitan, lege: in hac specie mere forsitan.

— 545. in nota, adde: quoad characterem generis et enumerationem specierum cfr. Meigen Dipt. Eur. 7. p. 94.

— 569. lin. 12. loco: capite paullo longiori, lege: capite duplo longiori.

— — lin. 13. loco: oculis cohaerentibus, lege: oculis arcte cohaerentibus.

— — lin. 14. fuscanis, adde: halteribus sordide albidis.

— — — 17. fuscatis, adde: halteribus albidis.

— — — 37. loco: capite parum longius, lege: capite paullo longius.

— 580. lin. 30. loco: discoidalibus, lege: discoidalibus nullis.

Pag. 630. lin. 48. post: ut et loco natali, addatur:

*Obs. Trixa dorsalis* Meig. a Cel. Wahlberg nuperrime in Ostrogothia inventa fuit.

— — lin. 9 ab infra, loco: 282, lege: 232.

— 631. in fine notae, adde: Quoad dispositionem *Muscidum* Familiae meliorem, a D. Meigen factam, praeeunte meritissimo Macquart. Cfr. Meig. Dipt. Eur. P. 7. pag. 172 et seq.

— 633. lin. 2 ab infra, loco: magnitudo, lege: multitudo.

— 644. — 20. loco: paucioribus, inferne, lege: paucioribus infernis.

— 661. lin. 30. loco: apicem. Alae, lege: apicem alae.

— 667. — 29 ab infra, Oculi nudi, adde: in *Anthomyza irritante* v. b. hirsutuli.

— — lin. 27 ab infra, juxta: vide infra, adde: (No. 49.)

— 702. — 6 - 7 ab infra, loco: infra antennas in ♂ plerumque fuscanae, lege: infra antennas in ♂ saltem angustius disjuncti. Abdomen rectum, in ♂ apice subtus bifilatum. Alae plerumque fuscanae.

— 711. lin. 16. quaesiti, adde: *Dolichopus remipes* Wahlb. Act. Holm. 1838. Ex hac specie specimina plura utriusque sexus jam anno 1811 in foliis Nymphaeae et Potamogetonis in lacu Måsberga in paroecia Gaerdsloesa Oelandiae inveni, et sub nomine *Dolichopus scoparius* inter Entomologos divulgavi.

— 716. lin. 31. loco: fuscedine tinctis, lege: fuscedine cinctis.

— 719. lin. 41. loco: distincte, lege: distinctae.

— 720. — 6. loco: Var., lege: Var. a.

— 729. — 9 ab infra, occurrunt. Adde: Neque *Cordylura apicalis* Meig., ad Holmiam a D. Wahlberg et ad Lund a D. Eb. Rosenschioeld inventa, in Lapponia vel terris magis borealibus Sueciae a me visa.

— 744. inter lineas 7 et 8 inseratur:

a) Alae fasciatae.

— 751. lin. 15 ab infra, loco: apice nigricante, lege: apice levissime nigricante.

— 755. lin. 6. loco: subacutae, lege: subacuto.

— 760. — 22. post rariss., adde: specimen masculum ipsissimae speciei (*Scatoph. Lefebvrei* Zett.) in Dania prope Havniam d. 11. Aug. hujus anni (1839) inopinate et valde accepte a Nobil. Starger inventum, mecumque pro comparatione cum individuis Lapponicis, a quibus nil differt, benigne communicatum.

Haec graviora ad emendanda vel addenda annotare volui, ut leviora errata typographica Ipse corrigat benevolus Lector, rogans.

Lundae d. 1. Nov. 1839.

# INDEX.

(SYNONYMA LITERIS CURSIVIS SUNT EXCUSA.)

## A.

## B.

## C.

## D.

## E.

## F.



## G.

## H.

## I.

## L.

## M.

# P.

## R.

## S.

## T.

---

Typis Hirschfeldi.

